P

1627

8
9 N
13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48. I. 19.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OPERA
PVTEANI
IN THEOLOGIAM SCHOLASTICAM D. THOMÆ

ex Legato J. Mri Cocini

13

Digitized by Google

SUMMA
THEOLOGIAE
SCHOLASTICAE

D. THOMAE

Digitized by Google

R. P. F. IOANNIS

PVTEANI

AVGVSTINIANI

DOCTORIS THEOLOGI,

ET IN ACADEMIA TOLOSANA

PROFESSORIS REGII PRIMARII,

COMMENTARIORVM

IN SVMMAM THEOLOGIÆ

D. THOMÆ DOCTORIS ANGELICI,

TOMVS PRIOR

PRIMÆ PARTIS, PRIMÆ SECVNDÆ, ET SECVNDÆ

Secundæ doctrinam complectens.

CVM TRIPLICI INDICE, QVÆSTIONVM, ET DVBITATIONVM,

Locorum sacræ Scripturæ, & Rerum memorabilium.

ROM. SOC. IESV. BIBL. SECR.

TOLOSÆ TECTOSAGVM,

APVD PETRVM BOSC. M. DC. XXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PIARVM MENTIVM
QVOTQVOT IAM CARNE SOLVTÆ COELOS
FELICITER TENENT,

VEL EXTRA COELOS SINE CARNE PATIENTER
PVRGANTVR,

VEL ADHVC IN CARNE CVM CARNE VIRILITER
LVCTANTVR, DONEC ELVCTENTVR

REGINÆ SEMPER AVGVSTÆ,
SACRATISSIMÆ VIRGINI
DEIPARÆ MARIÆ.

ÆTERNI PATRIS FILIÆ CARISSIMÆ

VERBI DIVINI SECVNDVM CARNEM GENITRICI
LECTISSIMÆ,

SACRI ET VIVIFICI PNEVMATIS SPONSÆ
SVPRA MODVM GRATISSIMÆ,

TOTI SACROSANCTÆ TRIADI, ET INDIVISÆ MONADI
AB ÆVO ET IN ÆVVM DILECTISSIMÆ,

DE DIVINA, ANGELICA, ET HVMANA NATVRA SEMPER
ET VBIQVE OPTIME MERITÆ,

MISERICORDIÆ ET PIETATIS MATRI CLEMENTISSIMÆ,

PATRONAE SVAE BENIGNISSIMAE, ET DIVAE
TVTELARI PIISSIMAE,

HANC QVALEMCVMQVE SIBI QVONDAM
DEVOTISSIMI CLIENTVLI, NVNC AD MELIORA TRALATI
F. P. Q. I. PVTEANI, AVGVSTINIANI, QVI ET VIVENS
EAMDEM RELIGIOSISSIME COLVIT, EIVSQVE
SACRO CVLTVI PIE EST IMMORTVVS
OPELLAM

EX MENTE, VOTOQVE AVTORIS PRAECIPVO,
LVBENTES VOLENTESQVE FERVNT, REFERVNT,
ET OFFERVNT

EIVSDEM SACRI AVGVSTINIANI APVD
TOLOSATES INSTITVTI

FF. PP. Q.

HVMILLIMI ALVMNI.

A. M. D. O. M. E. Q. B. V. M. G.

*** 2

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO ILLVSTRISSIMO, DOMINO

D. ÆGIDIO LE MASVYER

EQVITI NOBILISSIMO,

SACRI REGIS CONSISTORII
CONSILIARIO, SENATVS TOLOSANI
PRINCIPI DIGNISSIMO,
VICE-COMITI D'AMBRIERES,

SOCIETAS AVGVSTINENSIS TOLOSANA
D. D. D.

NOSTI (SENATVS PRINCEPS ILLVSTRISSIME) Puteanum, Scholæ quam regebat, religioníq; ità addictum, vt nunquam aliam laudem quæſiuerit: mirandum ſanè in viro docto quantumlibet religioſo propoſitum; quod tamen in illo nonnihil haberet reprehenſionis, niſi diuinæ prorſus humilitatis quâ inter ceteros eminebat velamento tegeretur. Præfuit Cathedræ Theologiæ per triginta annos, eámq; ſuperiorum temporum calamitate deiectam mirum in modum excoluit, auxit, illuſtrauit, innumeróſque inde Theologos acerrimos Chriſtianæ veritatis propugnatores emiſit. Sed hoc vnum in viro incomparabili deſideratur

quòd minùs posteris quàm præsentibus prospexerit: hos enim viuæ vocis oraculo summa charitate affectúque fouit; illos, etiam scripturæ subsidio defraudauit. Verùm in ea ipsa re in qua peccare visus est, summam laudem meruit, vir enim pietate præcipuus suam operam futuris seculis non inuidit, sed humili suiipsius diffidentiâ doctrinæ suæ iudicium Religiosi Ordinis præpositis in id tempus reseruauit, quod extincto iam Autore ab omni ambitione & gratia esset alienum. Nos autem non fefellit opinio, nam Commentarios, quos ipsum Autorem non euulgâsse dolemus, publicâ famâ & existimatione quâ iamdiu manibus litteratorum circumferuntur non esse inferiores iudicauimus, eísque in lucem dandis statim manum adhibuimus, eò alacriùs quò magis ad illud ipsum sponte currentes monitorum tuorum autoritas concitauit. Multùm quoque commendationis apud omnes postumæ proli accedet ex tutela quam lubens volensq; suscepisti, nullâ aliâ ratione, quàm morum doctrinæq; similitudine, quæ omnem aliam cognationem vincit. Cui namq; magis debentur tutela & patrocinium vigiliarum viri religiosi pietate, doctrinâ & humilitate insignis, quàm Antistitum Iustitiæ Principi, qui morum sanctitate & inculpatæ vitæ testimonio nec ipsis durioris conditionis Religiosis cedit; quin potiùs omnibus in expediendis publicis, priuatísque

negotijs integritatis, vigilantiæ, & conſtantiæ exemplum præfert? Prodeat igitur poſtuma proles ab omni periculo ſub tui nominis ſplendore ſecura: faxítque Deus vt tanti fauoris innumeris alijs adiecti penſationem vniuerſa Diui Parentis Auguſtini Societas precibus ad cœlum emiſſis conſequatur, ità vt in Neſtorios annos te Reipublicæ magis, quàm propriæ familiæ neceſſarium diuinum numen conſeruet. Vale.

* *
* 4

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

VÆ ſolent Scriptores initio ſuorum Operum præfari, ea nos ad tria capita reuocabimus: ad Autorem, ad rationem ſcribendi ipſius, & occaſionem quæ nos impulerit labores eiuſdem in lucem edendi.

Quod ad Autorem attinet: Scies, optime Lector, P. M. IOANNEM PVTEANVM *natione Callum, ex ea Prouincia quæ Vaſconia appellatur, & Cimontio oppido oriundum: parentibus mediocris quidem fortunæ, ſed quos eximiæ viri virtutes, vera nobilitas, commendarunt. Etenim in tenera illa ætate primis & rudioribus litteris ea in vrbe, vbi ſatis ſolicitè humaniores edoceri conſueuerunt, illorum curâ imbutus; cum felici ingenio, tenaci memoria, & optima indole polleret, breui & Condiſcipulorum diligentiam induſtriámve, necnon præceptorum & progenitorum ſpem ſuperauit: vnde ingentis cuiuſdam eruditionis futuræ, & ſanctitatis ſumpſerunt omnes auguria, quod rei euentus deinde comprobauit; nam adhuc iuuenis quemdam Eremitam Auguſtinenſem concionantem audiens, amore Ieſu Chriſti & crucis ipſius ſpiculo vulneratus, quibuſcumque mundi illecebris poſthabitis, eumdem Ordinem PP. Auguſtinianorum Toloſæ eſt ingreſſus, in quo adeò altas pietatis, humilitatis, aliarúmque virtutum iecit radices, vt admirationi cunctis eſſet. Quas cùm non minor in humanioribus litteris comitaretur eruditio, à Superioribus ei demandatur prouincia Rhetoricam publicè profitendi, in gymnaſio vrbis, quæ vulgò ſancti Geneſij ad ripam Oldi nuncupatur. Mox Burdigalam miſſus Philoſophicis & Metaphyſicis ſcientijs indefeſſo labore, cum noctes ſæpiſſimè inſomnis peruigilaret incubuit, in quibus tantùm profecit, vt non ſolùm primus in ore omnium haberetur* PVTEANVS, *verùm in publicis concionibus ab erudito Patre Portagina Franciſcano celebri concionatore fuerit ob id vnum, monaſterium noſtrum Burdigalenſe multoties commendatum. Lutetiam Pariſiorum poſtea ſtudiorum ergò Theologiæ profectus, Doctorem habuit P. M. Baptiſtam à Glano Belgam, intérque alios ſocios P. M. Leonardum Coquæum Sereniſſimæ Principi à Lotharingia, magnæ Etruriæ Ducis à ſacris Confeſſionibus, & Stephanum Rabachium apud Auguſtinenſes regularis obſeruantiæ & communitatis, quæ iam viget in Prouincia Franciæ, reſtauratorem & reparatorem, quos omnes opera in lucem edita abunde ſatis commendant: ſed ob peſtem maximè graſſantem, & ciuitatem grauem in modum infeſtantem inde abſcedere poſtmodum coactus, dum in patriam reuertitur, à Caluiniſtis Podiomorelenſibus captus, & in tetrum carcerem conjectus eſt: vnde tandem poſt longos carceris labores fuſtibus & virgis grauiter cæſus, direptíſque omnibus, quæ ſecum aſportabat, ſcriptis etiam igni traditis, nudus omnino dimittitur. Toloſam reuerſus, benignè à conuentu Sodalium excipitur, ibíque deinceps vitam ſuam, moréſque ità compoſuit, vt horis tam diurnis, quàm nocturnis aſſiduè in choro intereſſet: Concionatoris munus ſuo ordine diebus Dominicis & ſolemnioribus, præter lectiones Philoſophicas, & Theologicas, quas reliquo tempore habebat, obiret; quibus abſolutis æſtiuo tempore aduentante, nec æſtum, nec laborem reformidans, ad fidelium eleemoſynas colligendas per oppida & caſtella libenter Superiorum iuſſu pergebat.*

Cùm verò multoties ſuæ doctrinæ & eruditionis ſpecimen in Comitijs Prouincialibus, & alijs locis publicis præbuiſſet, laurea Magiſtrali & Conuentualis Regentis dignitate eſt inſignitus: ex qua poſtmodum promouente felicis memoriæ nobiliſſimo & litteratiſſimo viro

Domino

Digitized by Google

Domino Petro Fabro San-Ioriano in ſuprema Toloſatum Curia Præſide, & poſtea eiuſdem Curiæ meritiſſimo Principe, præmiſſóque acerrimo (vt aſſolet) diſputationum cum Antagoniſtis doctiſſimis conflictu, eruditiſſimorum Profeſſorum nunquam ſatis laudatorum D. Guillelmi Marani, Iacobi Cadani Iuris vtriuſque, & Antonij Maij, Medicinæ, aliorúmque Academiæ Toloſanæ Patrum ſuffragijs, in Profeſſorem publicum Theologiæ in eadem Vniuerſitate tota ciuitate approbante, & prælætitia geſtiente, eſt cooptatus & aſſumptus, die 13. Ianuarij, anni 1593.

Porrò in tanto oneris & honoris faſtigio conſtitutus, quî ſe geſſerit in ea ſibi demandata prouincia excolenda, quid egerit, quid & qua methodo docuerit, profuſiori ſermone narrandum eſſet; niſi paßim omnibus, ex operibus, & ex fama tanti viri abunde innoteſceret.

Hoc vnum ſilentio prætereiri non debet, exploſa & amandata Scholaſticæ Theologiæ exercitia ab Academia & ciuitate temporum iniuria, P. PVTEANI *præſertim induſtriâ, labore & aſſiduitate fuiſſe quaſi poſtliminio reuocata, ità vt qui pauciſſimos initio auditores haberet, putà quatuor aut quinque, emergente doctrinæ eiuſdem ſplendore, breui diſcipulorum numerus ſubſellia ſcholæ deinceps impleuerit. Diſcipulos autem quàm blando vultu excipereret, quàm paterno amore proſequeretur, quàm auidè progreſſum ipſorum exoptaret, quàm clarè & patienter dubia excuteret, & diſſolueret, quantùm denique ipſi profecerint, teſtantur & celebrant tot doctiſſimi viri Eccleſiarum Prælati, innumeri ex vtroque ordine Eccleſiaſtico ſeculari & regulari, non ſolùm ex domeſticis, ſed ex extraneis, Concionatores, Doctores, Curati qui ex illius ſchola prodiere.*

Illud etiam non omittendum, in rebus beneficialibus & caſibus conſcientiæ decidendis adeò verſatum & exercitatum fuiſſe, vt quas alij difficultates nonniſi maturo adhibito conſilio & ſtudio definire audebant, ipſe ex tempore tam certò & verè explicaret, enodaret, aperiret, vt nihil aliud in hac re deſiderari videretur. Hinc vrbs nulla, nullus ſtatus, proceres nulli, aut Prælati, in his præſertim Tectoſagum & Aquitaniæ Prouincijs, qui in vrgentiſſimis negotijs P. PVTEANVM *non conſulerent, eiuſdem prudenti conſilio & determinationi ità firmiter adhærentes, vt quidquid* P. PVTEANVS *dixiſſet, illud verum, ratum, fixum ac executioni mandandum foret, quod autem improbaret, aut falſum, aut ſaltem maximè dubium exiſtimaretur. Et cùm tantus apud omnes eſſet, apud ſe nihil erat, cùm tam doctus & pius in ore omnium celebraretur, ſeipſum prorſus ignorabat; aliorum quidem egregia facta, dicta & virtutes, dum ei innoteſcebant, magnificiens, ſua etſi optima pro nihilo reputans; imò quemadmodum nihil illi gratius quàm contemni & deſpici, ſic nihil illi moleſtius, quàm ab aliquo honorari & laudari: idcircò magnatorum & in aliqua dignitate conſtitutorum conſortium, quantùm poterat, vitabat: teſtes ſumus, quotquot cum eo familiariter viximus, moleſtiæ & anxietatis quam patiebatur, quoties ad illorum menſas inuitatus & inuitus accedebat: vnde & dicere ſolebat ſe malle cruſtulis domi veſci, quàm in aliena menſa oppiparis cibis epulari.*

Ex tam alto humilitatis iacto & firmato, toto vitæ decurſu, fundamento facilè quiſque deprehendet quàm magna & excelſa fuerit reliquarum virtutum fabrica & ſtructura, pietatis imprimis erga Deum & Chriſtum, cuius proinde, præmiſſo ſemper diſtricto conſcientiæ examine in ſalutifero Penitentiæ ſacramento, ſingulis diebus deuotiſſimè Miſſæ offerebat ſacrificium. Deinde, in beatiſſimam Deiparam Virginem, cuius Roſarij, Litaniarum, & parui Officij recitationem, vt plurimum ante eius ſacellum, flexis genibus nunquàm prætermiſit ſanus. Et quia prudenter eam ſibi in peculiarem animæ & ſtudiorum patronam, & tutelarem Diuam ab ineunte ætate delegerat, omnibus Sabbatis in eiuſdem honorem ieiunium ſemper, pluribus verò annis ad ſolis vſque occaſum protractum obſeruauit. Pietate quinetiam ſingulari fuit erga Sanctos, quorum opem in variis periculis & rerum euentibus Litaniarum recitatione imploraus, nedum ſibi, ſed & alijs quampluribus ſolatia & præſentiſſima remedia conſequebatur. Teſtes aduocamus huius rei quamplures in hac ciuitate variis morbis affectos, qui in

desperato vitæ discrimine constituti, vel solo illius aspectu recreati, vel breui eiusdem oratione & pristinam sanitatem, & animi quietem recuperarunt.

Insuper castitatem sic coluit, vt nec facto, nec verbo, vel leui etiam coniectura, aut suspicione integritatem illius vnquam labefactare visus sit. Etenim mulierum colloquia, & consortia quantum poterat fugiebat, & si quando Christianæ charitatis officia illis impendere cogeretur, ea modestia, pudore & vultus, oculorúmque in terram demissione id præstabat, vt astantes stuperent omnes. Tenui admodum victu, vinóque modicissimo vsus est, ità temperato, vt vix vinum saperet; ieiuniorum, quæ vel Ecclesia, vel Ordo præscriberet, exactissimus obseruator: deliciarum omnium & earum voluptatum quas vel ipse Ordo admitteret prorsus expers: rogatúsque sæpius vt aliquid supra vulgare reliquorum obsonium sibi ministrari pateretur, habita præcipuè ratione quotidiani, & assidui laboris, & ingrauescentis ætatis, ne exhaustis fere per inediam viribus in morbum incideret, respondebat qui delicatiùs, & lautiùs viuerent, frequentiùs in grauiores morbos incurrere.

Ità factum est vt quò propiùs ad postremam vitæ suæ metam accederet, eò maiora in eo prædictarum virtutum, & amoris in Deum & proximum argumenta zelus exereret, & quemadmodum Cygnus morte instante suauiores cantus edit; ità candidus Pater, quò magis finem præsentiebat, eò dulciùs & frequentiùs Dei laudes, beneficia, seculi vanitatem & pericula, præmiorúmque æternitatem, quæ Deus diligentibus se præparauit, celebrabat.

Tamdem iniquo correptus fluxus sanguinis hepatici morbo, eiusdem vi & impetu fractus, audito priùs sacro ante maius altare (cùm iam ei non superessent vires ad faciendum) sumptóque augustissimo Eucharistiæ sacramento, in cubiculum sese recipere, ac lecto decumbere coactus est, in quo quanta vi charitatis ferretur in Deum, quàm patienter dolores, & molestias ægritudinis sustineret, quanto ardore, & ductis sæpissimè eximo pectore suspiriis, his se terrenæ molis solutum compagibus cuperet: denique quàm viua fide, firma spe, detecto capite, flexis genibus sacramentum Eucharistiæ pro viatico, ministrante Superiore, susceperit; nec enarrari, nec animo concipi potest. Quemadmodum (*repetebat identidem*) desiderat Ceruus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus. *&* alias. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? *Demum de omnibus fratribus, non solùm in communi, sed & priuatim & in particulari, etiam à iunioribus, quos officij sui frequenter monuerat si aliqua ratione eos offendisset, petita humiliter venia, nobis omnibus ab illo benedici postulantibus, id præstitit verbis sequentibus.* Sancta Trinitas vnus Deus, sancta Maria, sancta Crux, omnes Sancti, præcipuè sancte Petre, Paule, & omnes Apostoli, sancti Fabiane & Sebastiane & omnes Martyres, sancte Parens Augustine, sancte Nicolae Tolentinas, omnes Confessores: Sancta Anna, sancta mater Monica, sanctæ omnes Virgines & Viduæ, benedicite mecum huic familiæ, vt perpetuo rore cœli perfruatur. *Quibus sic peractis, elapso parui temporis spatio, recitatis versiculis.* Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen. *Anima illius ex hac terrarum caligine ad beatitudinis æternæ splendorem, Solem iustitiæ Christum fortiter commigrauit die 16. Ianuarij, anni 1623. cuius corpus nihil præter ossa & pellem fere habens, concurrente tota Ciuitate honorificè sequenti die est sepulturæ traditum. Déque his te, candide Lector, monitum voluimus, vt inde etiam paucula hæc quæ tibi offerimus, elaborata à tam probo viro pluris facias; commendatur namque aqua ex vberiori fonte & riuo scaturiens, aurum in ipsis aurifodinis lectum, & fructus ex ipsamet arbore decerpti; demum gratior est pulchro veniens de corpore virtus.*

Qvod *deinde ad rationem scribendi Autoris spectat, eam amplexus est qua faciliùs & vberiùs reconditam sacræ Scholasticæ scientiæ disciplinam suis auditoribus explanaret, methodum sancti Doctoris Thomæ, quantum ad Quæstiones & Articulos sequutus: Dubitationes insuper mouens, ea subtilitate, facilitate, & claritate, vt quæ alij promiscuè stupendis voluminibus, quibus*

Digitized by Google

quibus comparandis ingenti ſit opus pecunia, quibuſque euoluendis vix vita ſufficiat, ac proinde ad nauſeam vſque aliquando pertractant, hic paucioribus verbis ad vnguem complectatur; adeò vt vix aliquid momenti tibi ſuppeditent aliorum numeroſi codices vel ex locis Scripturæ ſacræ, doctrina Patrum, & ſacrorum Canonum, Philoſophorum & Theologorum Scholaſticorum, quod non fuerit feliciter ab eo dilucidatum, vel obiter inculcatum aut inſinuatum, ſimplici quidem ſtylo; vt enim eius mores & actiones nihil niſi ſimplicitatem & humilitatem redolebant, ità in tradenda ſacra ſcientia, non floſculis aut inflato, ſed humili dicendi genere, eóque ſcholaſtico vſus eſt, vt moris eſt viris Theologis, illud Apoſtoli perpendens, non eſſe in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis enarranda myſteria Chriſtianæ religionis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis, vt fides & ſcientia Auditorum non foret in humana ſapientia, verùm in virtute Dei.

QVOD *attinet ad poſtremum caput noſtræ Præfationis, mirabuntur ſinè dubio non pauci, cur in tanta eruditiſſimorum virorum multitudine, qui ſcriptis abſolutiſſimis facultatem hanc Theologicam illuſtrarunt, typíſque ea mandarunt, nos iſta in lucem promere voluerimus. Profectò diu multúmque hîc hæſimus, dubij, an ſcripta hæc tot Cenſorum committeremus iudicio, perpendentes non minùs arduum eſſe (noſtro præſertim ſeculo, heu! nimis feraci eorum qui ſua tantùm approbantes, commendantes & venditantes, quæ aliorum ſunt omnino pro nihilo ducant) opus de re litteraria elaboratum, omnibus ingenijs acceptum edere, quàm palato omnium gratum condire cibum, vel cuilibet ſtaturæ accommodatam concinnare veſtem. Sed præualuerunt plurimorum tum domeſticorum, tum extraneorum preces & conſilia, rati Reipublicæ Chriſtianæ plurimum vtilitatis, & commodi huiuſmodi ſcripta allatura: quamuis enim varia huc vſque edita ſint in D. Thomam Commentaria doctiſſima, neque aliquid noui dici queat, nihil enim dicitur quod priùs dictum non fuerit; optima tamen methodus, qua vtitur Autor in rebus iſtis Theologicis difficillimis pertractandis diſcutiendíſque non parum lucis, præſertim rudioribus, & ſcholaſticæ diſciplinæ tyronibus ad earum cognitionem eſt allatura.*

Ex variis igitur prælectionibus quas per plures annos in vniuerſam D. Thomæ Summam memoriter, omni remota ſcriptura, in publicis Toloſanæ Academiæ ſcholis habuit, eas, quæ noſtro iudicio elaboratiores viſæ ſunt, tibi damus, Candide Lector: qua in re ſi forſan aberrauit electio, id factum eſt, partim quòd deficere & cæcutire proprium ſit homini, partim quòd ei, cui labor hic demandatus fuerat, tempus & otium emergentia aliunde negotia præripuerint.

A citationibus Doctorum maximè Theologorum Scholaſticorum quos frequenter laudauerat in ſuis lecturis Autor, conſultò abſtinuimus: tum quia apud alios, præſertim recentiores paſſim recenſentur; tum vt hæc citiùs in lucem prodirent: varia nihilominus ſanctorum Patrum & Conciliorum loca ab ipſo citata, tantùm, à nobis recognita, in tuum ſolum commodum apponenda duximus. Quocirca poſtumam hanc ſobolem P. PVTEANI, *eodem animi affectu, quo illum dum viueret es proſecutus & veneratus, excipe; in qua ſi quid boni occurrerit, illi, à quo omne bonum & datum optimum eſt, gratias age; ſin aliquid quod minùs placeat, offenderis, ignoſce, rogamus ſaltem ne diſpliceat animus. Vale.*

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. MAGISTRI GENERALIS.

MAGISTER FRATER HIERONYMVS ROMANVS Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis indignus.

TIbi Venerabili Patri, Magistro Simpliciano Sammartino eiusdem Ordinis, ac voti, in facultate Tolosana Regio Professori Theologiæ, tenore præsentium, & nostri muneris autoritate facultatem impertimur in lucem edendi, Opera Scholasticæ Theologiæ super vniuersam Summam D. Thomæ R. P. Magistri Fratris IOANNIS PVTEANI in eadem facultate quondam Theologiæ Regij Professoris à te summo labore & industria elaborata, & in ordinem redacta, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. In quorum fidem. Datum Romæ die 27. Maij 1625.

Officij affixa sigillo.

F. HIERONYMVS Romanus Generalis indignus.

APPROBATIO PROFESSORVM ACADEMIÆ TOLOSANÆ.

NOs Professores Regij sacræ Theologiæ in Vniuersitate Tolosana, Commentarios in vniuersam Summam Theologicam D. Thomæ scriptos a religiosissimo, simul & consummatissimo Theologo, nec vnquam satis laudato viro Reuerendo admodum Patre IOANNE PVTEANO *Augustiniana familiæ ornamento maximo, nec non in praedicta Vniuersitate Professore Theologiæ celeberrimo, ac nobilissimo, diuturno multorum annorum cursu lucis donãdos esse censemus, nec sub modio seruandos, vtpotè magnopere vtiles ad omnium difficultatum Theologicarum perspicuam intelligentiam, & in omnibus doctrinæ Catholicæ plenè conformes. In quorum fidem subscripsimus die 24. Aprilis anno 1624.*

DEPELISSIER Regens. SIMPLICIANVS Augustinianus.

FACVLTAS D. VICARII GENERALIS.

VIsa attestatione supra inserta Professorum Regiorum sacræ Theologiæ permittimus impressionem libri supra dicti, defuncti Patris PVTEANI Ordinis sancti Augustini. Datum Tolosæ, die vigesima quinta mensis Aprilis, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto.

DE CLARET *Vicarius Generalis.*

APPROBATIO DOCTORVM VNIVERSITATIS CADVRCENSIS.

HÆc Commentaria in Summam sancti Thomæ, Reuerendi admodum Patris ac præstantissimi Theologi, & in Academia Tolosana dum viueret meritissimi Professoris Regij IOANNIS PVTEANI *Augustiniani, multimoda, & solida eruditione referta, quibus omnes Theologiæ partes mirificè illustrantur, nihilque fidei aduersum, nihil bonis moribus contrarium continent, suo planè Autore dignissima: illius enim exquisitam sapientiam, & altissimam speculationem vndiquaque redolent. Quare in omnium vtilitatem (Theologorum in primis a quibus diu desiderata sunt) prælo committi & continuè in omnium oculis manibusque versari merentur.*

F. COSMAS PELAPRATVS Eremita Augustinianus in Academia Cadurcorum Professor Theologus.

F. GER. SAIVS Carmelita in eadem Academia Cadurcorum Professor Theologus.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A Nos amez & feaux Conseillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, ou leurs Lieutenans, & à tous autres nos Iusticiers & Officiers, & à chacun d'eux ainsi qu'il appartiendra Salut. Nostre bien amé Pierre Bosc Marchand Libraire à Tolose, nous a faict remonstrer qu'il a reconuert vn liure intitulé *Commentarij in vniuersam Summã Theologicã D. Tho. scripti à R.P.* IOANNE PVTEANO *Augustiniana familiæ ornamento maximo*, lequel il desireroit mettre en lumiere, s'il auoit sur ce nos lettres à ce requises & necessaires. A ces causes desirant bien & fauorablement traicter ledit exposant, & qu'il ne soit frustré du fruict de son labeur, apres qu'il nous est apparu de l'acte d'approbation d'iceluy cy attaché, sous le contreseel de nostre Chancellerie, luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons de grace speciale par ces presentes imprimer ou faire imprimer en tel marge & charactere que bon luy semblera ledit liure, iceluy mettre & exposer en vente & distribuer durant le temps de cinq ans, à commencer du iour qu'il sera acheué d'imprimer, defendant à tous Imprimeurs, Libraires, estrangers, & autres personnes, de quelque qualité qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer ny mettre en vente durant ledit temps ledit liure, sous couleur de fausses marques & autres desguisements, sans le consentement & permission dudit exposant, ou de ceux ayant charge de luy, sur peine de confiscation d'iceluy, de mil liures d'amande, & de tous despens dommages & interests enuers luy, à la charge d'en mettre deux exemplaires en nostre Bibliotheque, publique auant que l'exposer en vente, suiuant nostre reglement, à peine d'estre descheu du present priuilege. Si vous mandons que du contenu en ces presentes, vous faisiez souffriez, & laissiez, iouïr ledit Bosc plainement & paisiblement, & à ce faire souffrir & obeyr tous ceux qu'il appartiendra, & en mettant au commencement ou à la fin dudit liure, ces presentes, ou vn bref extraict d'icelles, voulons qu'elles soient tenuës pour deuement signifiées, & qu'à la collation foy soit adiouste comme au present original Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le XIX. iour de Decembre, l'an de grace mil six cens vingt quatre, & de nostre regne le quinzieme.

Par le ROY en son Conseil. RENOVARD.

Acheué d'imprimer le vingthuictiéme Nouembre mil six cens vingtsix.

Digitized by Google

ERRATA GRAVIORA, IN QVÆ HVNC PRIOREM TOMVM irrepſerunt operarum incuria, ſic corrigito.

PRIOR NVMERVS PAGINAM, ALTER COLVMNAM, maiuſculæ verò A.B.C.D.E. quæ vtramque columnam interecant, totum illud ſpatium, quod ab vna illarum ad proximè ſequentem intercedit, denotant.

PAg. 8. col. 2. lit. C. offenſiua, *lege*, oſtenſiua. 35. 2. C. inuiſibili, *lege*, indiuiſibili. 36. 2. D. ſimiliter, *lege*, ſimpliciter. 39. 2. A. intrinſecè, *lege*, extrinſecè. 60. 1. D. qualitas, *lege*, charitas. 65. 1. A. præmium, *lege*, præuium. 72. 2. D. ex, *lege*, in. 73. 1. C. concretas, *lege*. concreatas. 75. 1. D. tamen, *lege*, namque. 78. 2. D. cauiæ rationalis, *lege*, efficacis. 80. 1. D. productione, *lege*, proditione. 98. 2. B. erigere, *lege*, dirigere. 106. 1. D. idem non ſit, *dele*, non. 113. 2. C. *adde*. περὶ ἀρχῶν eadem. 2. D. recedit, *lege*, recidit. 121. 1. B. at rationes, *lege*, actiones. 133. 1. D. ſed, *lege*, aut. ead. 2. D. amittunt, *lege*, admittunt. 148. 1, A. receptæ, *lege*, conceptæ. 152. 1. E ſecunda, *lege*, tertia. 155. 1. E. vt & in filio ſpirent, *lege*, & in filio vt ſpirent. 167. 2. D. at quod ſedem habet in recto ductu categoriæ ſubſtantiæ nequit eſſe reſpectiuum, *lege*, at ſuppoſitum creatum habet ſedem in recto ductu categoriæ ſubſtantiæ, ergo nequit eſſe reſpectiuum. 187. 1 D. ſubſtantiam bis, *lege*, bis ſubſtantiam. eadem. 2. D. ac proinde quod eſſet, *lege*, ac proinde dixit quod eſſet. 188. 1. A. vnde erit, *lege*, vnde non erit. 197. 1. A. Deo, *lege*, ideò. 198. 1. E. quod procedat, *lege*, quod qui mittitur, procedat. 202. 1. D. non fatemur, *lege*, nos fatemur. 204. 1. A. ergo & fiunt, *lege*, non fiunt. 211. 1. D. res creatas, *lege*, res ſpirituales creatas. 216. 1. D. non differentibus, *lege*, numero differentibus. 218. 2. D. verum atque, *lege*, verum neque. 220. 2. B imagini, *lege*, imaginationi. 228. 2. B. impropriè dictus, *lege*, propriè dictus. 229. 1. A. & definitiuè, *lege*, ſed definitiuè. 232. 1. C. circa, *lege*, ſupra. 234. 2. C. eſt, *lege*, ex. ead. æqualiter velocitari, *lege*, æquali velocitate. 238. 2. B. nulla cognoſcere, *lege*, nulla nos cognoſcere. 277. 1. A. *ſtatim initio. adde*, maiorem ſiquidem habet Deus prouidentiam corporis humani. 295. 2. B. *dele*: inquit Iob. 299. 1. E. partiali, *lege*, principali. 301. 2. C. quæ *lege*, qui. 309. 1. E. quo medio Deus, *lege*, medio illo. 314. 1. D. in ſepulchra animo, *lege*, in ſepulchro animæ. 316. 1. B. plus, *lege*, minus. 331. 1. E. ſeorſum, *lege*, ſurſum. 317. 1. A. intellectus, *lege*, exiſtentes. 356. 2. B. beatis, *lege*, brutis, 375. 1. C. *lege ſic Concluſionem.* Bonitas vel malitia quæ dicitur de actibus externis, non eſt communis iſtis per ſe, & intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè. 173. 1. B. ſermo, *lege*, ſeruo. ibid D. ergo poteſt, *interpone*, non. 380. 1. B. actum, *lege*, rectum. 382. 2. C. *lege*, quia in virtute ſunt tot bonitates. 386. 2. D. poſitionum, *lege*, poſitum. 387. 1. E. phyſicè, *lege*, phyſicum. 397. 2. E. partim priuatiua, *adde*, conueniet. 397. 2. E. quare, *lege*, circa. 400. 1. A. obiecto, *lege*, ſubiecto 407. 2. C poſt ſit, *dele*, à. 410. 1. B. voluntatis eius, *lege*, ſuæ. ibid. quo, *lege*, quod. 415. 2. C. depoſitum, *lege*, poſitum. ead. lin poſt præcepti, *adde*, de. 417. 1. A. non, *lege*, aut. 420. 1. B. rationalem rationem, *lege*, propagationem. 426. 1. C. quæ, *adde*, carentia. 429. 2. D. propriam, *lege*, voluntariam. 432. 1. C. quo, *lege*, quod. 443. 2. E. extrinſecè, *lege*, intrinſecè. 450. 1. A. *poſt* venialia, *adde*, dari. 458. 1. D. eſſe electionem, *lege*, non eſſe 484. 2. E. quàm humana, *lege*, Eccleſiaſtica. 485. 1. B. conſulto, *lege*, inconſulto. 514. 1. A. gratiam, *lege*, charitatem 524. 1. C. Chriſto, *lege*, Chriſtus. 515. 1. E. *lege*, quis hominum ſcit, quæ ſunt hominis. 540. 1. B. quæ, *lege*, quod 555. 2. E. quandocumque, *lege*, quodcumque. 586. 1. E. falſi, *lege*, falli. 611. 1. C. ſubſtantia, *lege*, ſubſiſtentia. 624. 2. E. vbi noluit, *lege*, vbi voluit. 654. 2. lin. 21. *poſt verba*, cum igitur, *adde*, fides. 660. 1. A. operandi, *lege*, ſperandi. 687. 2. C. fundamenta ciuitatem, *adde*, habentem ciuitatem. 692. 2. C. quilibet licèt, *lege*, quilibet licitè.

Cetera cuique vel mediocriter verſato obuia ſunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, ET DVBITATIONVM,

QVÆ HIS IN PRIMAM PARTEM D. THOMÆ Commentarijs discutiuntur.

PROOEMIVM. pag. 2.

QVÆSTIO I.
De Theologia in communi.

ART. I. *An præter philosophicas disciplinas, aliqua alia sacra doctrina diuinitus reuelata sit necessaria.* 2
Dubit. 1. *Quid nomine doctrinæ reuelatæ intelligat S. Thomas tota hac quæstione.* ibid.
Dubit. 2. *An præter scientias philosophicas aliqua doctrina diuinitus inspirata sit ad salutem necessaria.* 3
Art. II. *An Theologia sit scientia.* 6
Dubit. 3. *An Theologia sit certissima.* 8
Dubit. 4. *An Theologia sit simpliciter supernaturalis.* ibid.
Dubit. vlt. *Quomodo nuncupandus sit assensus, quem nos præbemus conclusionibus Theologicis: seu, quod idem est, a quanam causa pendeat hic assensus.* 9
Art. III. *An Theologia sit vna scientia specie.* 10
Art. IV. *An Theologia sit practica, vel speculatiua.* 12
Art. VII. *Vtrum Deus sit obiectum Theologiæ.* 15
Art. VIII. *An Theologia sit argumentatiua.* 15
Dubit. 1. *An sit argumentatiua Theologia, & quanam ratione.* ibid.
Dubit. 2. *Vndenam depromat Theologus argumenta ad proprias Conclusiones confirmandas, & ad alienas refellendas.* 16
Art. IX. *Vtrum sacra Scriptura debeat vti metaphoris.* 20
Art. X. *An Scriptura sacra sub vna littera habeat plures sensus.* 21

QVÆSTIO II.
De Deo.

Art. I. *An Deum esse sit per se notum.* 21
Dubit. 1. *An Deus sit ens simpliciter necessarium.* ibid.
Dubit. 2. *An Deum esse sit per se notum.* 22
Art. II. *An Deum esse sit demonstrabile.* 23
Art. III. *An Deus sit.* ibid.
Dubit. 3. *An de Deo demonstrari possit quid sit, vel à priori, vel à posteriori, vel vtroque modo.* 23

QVÆSTIO III.
De simplicitate Dei.

Art. I. *Vtrum Deus sit corporeus.* ibid.
Art. III. *Vtrum sit idem Deus quod sua essentia, vel natura.* 26
Art. IV. *An essentia & existentia diuina distinguantur inter se.* ibid.
Art. VII. *An Deus sit simplicissimus.* 27
Art. Vlt. *Vtrum Deus veniat in compositionem aliorum.* 28

QVÆSTIO IV.
De perfectione Dei.

Dubit. vnic. *An perfectiones rerum omnium creatarum sint in Deo, & qua ratione.* 29

QVÆSTIO V.
De bonitate in communi.

Dubit. vnic. *In quo posita sit ratio boni.* 31

QVÆSTIO VI.
De bonitate Dei.

Art. III. *Vtrùm Deus sit bonus per suam essentiã.* 32

QVAESTIO VII.
De infinitate Dei.

Dubit. 1. *An Deus sit infinitus secundum suam essentiam.* 33
Dubit. 2. *An infinitas diuina ratione naturali probari possit.* ibid.
Dubit. 3. *Qua sit ratio cur Deus solus sit infinitus per suam essentiam.* 34

QVAESTIO VIII.
De existentia Dei in rebus.

Dubit. 1. *An Deus sit in omnibus rebus.* 35
Dubit. 2. *An ratio existendi Dei in omnibus rebus sit operatio diuina, an verò aliquid aliud.* ibid.
Dubit. vlt. *An esse in omnibus rebus actu dicat in Deo perfectionem simpliciter simplicem, an verò posse esse in eisdem tantum.* 36

Digitized by Google

Index

QVAESTIO IX.
De Immutabilitate diuina.

QVAESTIO X.
De Æternitate.

Dubit. 1. *Quid sit æternitas.* 38
Dubit. 2. *An æternitas admittat vel admittere possit successionem aliquam.* ibid.
Dubit. 3. *An æternitas dicatur de Deo ante omnem intellectus nostri operationem, & item, an hæc eadem soli Deo competat.* 39
Dubit. 4. *An æternitas sit propria mensura diuinæ essentiæ.* ibid.
Dubit. vlt. *Qua ratione distinguatur æternitas per essentiam à ceteris durationibus.* 40

QVAESTIO XII.
De Visione Dei.

Art. I. *An aliquis intellectus creatus possit videre diuinam essentiam prout in se est.* 41
Art. II. *An essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur.* 42
Dubit. 1. *An Deus videatur in cœlis à beatis per speciem aliquam repræsentantem diuinam essentiam vt in se est.* 43
Dubit. 2. *An detur in beatis species expressa ex eo actu quo vident diuinam essentiam prout in se est.* 45
Dubit. 3. *An per omnipotentiam Dei fieri possit, vt detur species impressa perfectissimè repræsentans diuinam essentiam vt in se est.* ibid.
Art. III. *An Deus videri possit oculis corporeis.* 48
Art. IV. *An detur in nobis potentia naturalis ad videndum diuinam essentiam.* 49
Dubit. 1. *An detur in nobis causa totalis & adæquata, quæ naturaliter producat actum visionis, circa diuinam essentiam prout in se est.* ibid.
Dubit. 2. *An detur saltem in nobis potentia aliqua partialis naturalis respectu visionis & amoris diuinæ essentiæ prout in se est.* 50
Dub. vlt. *An lumen gloriæ possit esse connaturale alicui creaturæ rationali.* 55
Art. V. *An intellectus creatus, ad videndam diuinam essentiam indigeat aliquo lumine creato.* 56
Dubit. 1. *An lumen gloriæ sit simpliciter necessarium ad videndam diuinam essentiam vt in se est.* ibid.
Dubit. 2. *An lumen gloriæ habituale, ità sit necessarium ad videndum Deum, vt huius actualitatem nequeat supplere Deus.* 57
Dubit. 3. *An visio per quam beati vident diuinam essentiam sit illa eadem per quam Deus videt seipsum; an verò aliqua alia à solo Deo producta, & recepta passiuè in intellectu cuiuslibet beati: ità vt beati nullo modo concurrant effectiuè, nec item lumen gloriæ ad visionem istam.* ibid.
Art. VI. *An videntium diuinam essentiam vnus alio perfectiùs videat.* 58
Dubit. 1. *An visio, seu, quod idem est, beatitudo subiectiua seu formalis sit in omnibus beatis æqualis.* ibid.
Dubit. 2. *Vnde sit desumenda inæqualitas beatitudinis formalis.* 59
Dubit. vlt. *An stante hac inæqualitate visionis essentiæ diuinæ satietur appetitus cuiuslibet beati.* 60
Art. VII. *Verùm videntes Deum per essentiam, ipsum comprehendant.* ibid.
Art. VIII. *An videntes Deum per essentiam, omnia quæ in eo sunt videant.* 62
Dubit. 1. *An omnia attributa necessaria, quæ sunt in Deo formaliter, videantur à quolibet beato.* ibid.
Dubit. 2. *An attributa quæ dicuntur de Deo liberè, cognoscantur ab omnibus & singulis beatis ex vi visionis essentiæ diuinæ.* 63
Dubit. 3. *An vi visionis diuinæ videantur à beatis omnia & singula possibilia.* 66
Dub. 4. *An ex vi visionis diuinæ essentiæ videantur à beatis omnia & singula futura, in certa temporis differentia.* 67
Dub. vlt. *Quæ sint illa quæ videntur à beatis in cœlis.* 69
Art. X. *An videntes Deum per essentiam, omnia quæ sunt in seipso simul videant.* 70
Art. XI. *Verùm aliquis in hac vita constitutus possit videre Deum, prout in se est.* 71

QVAESTIO XIII.
De Nominibus Dei.

QVAESTIO XIV.
De Scientia Dei.

Art. I. *An in Deo sit scientia.* 73
Art. V. *An Deus cognoscat alia à se.* 74
Art. VIII. *An scientia Dei sit causa rerum.* 75
Art. X. *Verùm Deus cognoscat mala.* 76
Art. XI. *An Deus cognoscat futura contingentia.* 77
Dubit. 2. *Quæ sit ratio cognoscendi Deo futura contingentia libera à creatura rationali producta.* 78
Dubit. 3. *An Deus cognoscat futura conditionata certò & indubitanter.* 82
Dubit. vlt. *An præscientia Dei destruat libertatem.* 84
Art. XIV. *An Deus cognoscat omnes & singulas propositiones quarumcumque rerum.* ibid.

QVAESTIO XV.
De Ideis.

Dubit. 1. *An ideæ sint admittendæ respectu Dei.* ibid.
Dubit. 2. *Quid sit illud quod habet rationem ideæ respectu Dei.* ibid.
Art. II. *An in Deo dentur plures ideæ.* 86
Dubit. vnic. *An ideæ sint in Deo respectu eorum omnium, quæ Deus intelligit.* ibid.

QVAESTIO XVI.
De Veritate.

QVAESTIO XVII.
De Falsitate.

QVAESTIO XVIII.
De Vita Dei.

QVAESTIO XIX.
De Voluntate Dei.

Art. I. *An in Deo sit voluntas.* 88
Art. II. *An Deus velit alia à se.* ibid.
Art. III. *Verùm velit Deus alia à se necessariò.* 90
Art. IV. *An voluntas Dei sit causa rerum.* 91
Art. V. *An voluntatis Dei possit assignari causa aliqua.* ibid.
Dubit. 1. *An voluntatis diuinæ possit assignari causa aliqua, vel ratio, respectu illius actus, quo voluit producere creaturas.* ibid.
Dubit. 2. *An voluntas diuina determinetur per aliquid in suis actionibus exercendis & quid sit illud à quo determinatur.* ibid.
Art. VI. *Verùm voluntas Dei semper impleatur.* 92

Art. VII.

Digitized by Google

Quæst. Art. & Dubit.

Art. VIII. *An voluntas diuina imponat rebus volitis necessitatem.* 95

Art. IX. *Virum Deus velit peccata.* 96

Dubit. vnic. *An voluntas signi seu antecedens sit aliquis actus verus & realis in Deo, non minus quam est voluntas consequens, seu beneplaciti.* ibid.

QVAESTIO XX.

De Amore Dei.

QVÆSTIO XXI.

De Iustitia & Misericordia Dei.

QVÆSTIO XXII.

De Prouidentia diuina.

Dubit. 1. *An in Deo sit prouidentia de rebus omnibus.* 98

Dubit. 2. *An Deus habeat æqualem de rebus omnibus prouidentiam.* 99

Dubit. 3. *An prouidentia nedum respiciat media, sed etiam finis adeptionem.* ibid.

QVÆSTIO XXIII.

De Prædestinatione.

Art. I. *Virum omnes homines a Deo prædestinentur.* ibid.

Dub. 1. *Quid nomine prædestinationis significetur, & ne quid sit prædestinatio propriè.* ibid.

Dubit. 2. *An Deus prædestinauerit omnes omnino homines.* 101

Dubit. 3. *An prædestinatio sit actus intellectus, an verò voluntatis diuinæ.* ibid.

Dubit. 4. *An aliquis sit de sua prædestinatione certus.* 102

Art. II. *An prædestinatio ponat aliquid in prædestinato.* 105

Dubit. 1. *An collatio gratiæ & gloriæ sit effectus prædestinationis.* ibid.

Dubit. 2. *An perseuerantia sit effectus prædestinationis.* 106

Dub. 3. *An vocatio efficax, iustificatio à peccato mortali, & denique augmenta gratiæ sint effectus prædestinationis in prædestinatis.* 107

Dubit. 4. *An opera qualibet ordinis supernaturalis antecedentia iustificationem in prædestinatis, sint effectus prædestinationis, & item subsequentia iustificationem.* ibid.

Dubit. 5. *An bona animi, corporis & fortunæ sint effectus prædestinationis.* ibid.

Dubit. 6. *An mala culpæ & pœnæ sint effectus prædestinationis in prædestinatis.* 108

Dubit. vlt. *An permissio peccati sit effectus prædestinationis.* 109

Art. III. *An Deus aliquem hominem reprobet.* ibid.

Dubit. 1. *An inflictio pœnarum æternarum computetur inter effectus reprobationis.* ibid.

Dubit. 2. *An peccatum sit effectus reprobationis.* ibid.

Dubit. 3. *An permissio peccati sit effectus reprobationis.* 110

Art. V. *An præscientia meritorum sit causa prædestinationis.* 112

Dubit. 1. *Quis sensus istius quæstionis, in qua quæritur, An detur aliqua causa prædestinationis.* 113

Dubit. 2. *De erroribus circa causas prædestinationis.* ibid.

Dubit. 3. *Quæ sint Catholicorum de hac re sententiæ.* 114

Dubit. 4. *Quid sit sentiendum in hac sententiarum varietate.* 116

Dubit. 5. *Quæ fuerint sententia D. Augustini de vltima Conclusione nostra.* 118

Dubit. 6. *Qua ratione satisfaciendum sit argumentis primæ & secundæ sententiæ de causis prædestinationis.* 120

Dubit. 7. *An prædestinatio facta sit nedum ad gloriam in communi, sed ad certum aliquem gradum gloriæ ante merita.* 121

Dubit. 8. *An omnes prædestinati fuerint a Deo simul prædestinati.* ibid.

Dubit. 9. *An lapsus Angelorum fuerit causa prædestinationis hominum.* 122

Dubit. 10. *An obstinatio Iudæorum fuerit causa prædestinationis Gentilium.* ibid.

Dubit. 11. *An Christus sit causa prædestinationis nostræ efficacis.* ibid.

Dubit. vlt. *An in statu innocentiæ fuerint homines prædestinati.* 123

QVAESTIO GENERALIS.

An detur in reprobis causa reprobationis.

Dubit. 1. *Quid sentiant Hæretici de causis reprobationis.* ibid.

Dubit. 2. *Quid censeant Catholici de causa reprobationis.* 126

Dubit. 3. *Qua ratione respondendum sit argumentis Catholicorum primæ & secundæ sententiæ de causis reprobationis.* 129

Art. VII. *Virum numerus prædestinatorũ sit certus.* 131

Dubit. 1. *Quotus sit numerus prædestinatorum, & cui notus.* ibid.

Dubit. 2. *An detur aliqui inter homines, qui nec sint prædestinati, nec reprobi.* 132

Dubit. 3. *An numerus reproborum sit maior numero prædestinatorum.* ibid.

Dubit. vlt. *An de prædestinatis concedendum sit quod consequantur salutem necessariò, an verò infallibiliter tantum.* 133

Art. Vlt. *Virum prædestinatio possit iuuari precibus Sanctorum.* 134

QVAESTIO XXIV.

De Libro vitæ.

QVAESTIO XXV.

De Omnipotentia Dei.

Dubit. 1. *An in Deo detur potentia.* 136

Dubit. 2. *An præter intellectum & voluntatem diuinam admittenda sit in Deo potentia aliqua actiua, & productiua eorum quæ sunt in naturæ vniuersitate.* ibid.

Art. II. *An potentia Dei sit infinita.* 139

Art. III. *An in Deo detur omnipotentia.* 140

Art. IV. *An possit Deus facere, vt præterita non fuerint præterita.* 142

Art. Vlt. *An Deus possit facere meliora ijs quæ fecit.* 143

Dubit. 1. *An in potestate Dei sit facere meliora quoad quidditatem & rationes formales, quam quæ hactenus effecit.* ibid.

Dubit. 2. *An data qualibet re creata possit Deus producere perfectiorem in infinitũ.* ibid.

QVAESTIO XXVI.

De Beatitudine Dei

Quæ pertinet ad omnia attributa diuina de quibus hactenus diximus.

Dubit. vlt. *An & qua ratione attributa ista diuina distinguantur inter se.* 144

QVAESTIO XXVII.

De Processione diuinarum personarum.

Art. I. *An in Deo dentur processiones.* 145

Dubit. 2. *An dentur plures in diuinis processiones.* 147

Digitized by Google

Dubit. 3. *An de processionibus istis concedendum sit, quòd sint actiones, vel productiones propriè dictæ.* ibid.
Dubit. 4. *An in diuinis sit admittenda Verbi processio.* 148
Dubit. vlt. *An terminus processionis in diuinis, seu, quod idem est, intellectionis Patris sit verus Deus.* 149
Art. II. *An processio Verbi, sit generatio.* 151
Art. III. *An in diuinis sit alia processio à Verbi processione.* ibid.
Art. IV. *An processio amoris in diuinis sit generatio.* 152
Dubit. vnic. *Qui fiat vt processio Spiritus sancti nequeat dici generatio* ibid.
Art. Vlt. *An dentur in diuinis plures processiones duabus.* 155

QVAESTIO XXVIII.

De Relationibus.

Art. I. *An relationes reales dentur in diuinis.* 156
Art. II. *An relatio in Deo sit idē quod diuina essentia.* 157
Dubit. 1. *An relationes distinguantur à diuina essentia.* ibid.
Dubit. 2. *An relationes sint de ratione formalis conceptus essentiæ diuinæ, ità vt nequeat concipi sinè relationibus.* 159
Dubit. 3. *An essentia diuina sit de ratione intrinseca relationum diuinarum; ità vt nequeat concipi vlla relatio diuina formaliter, quin etiam concipiatur essentia diuina.* 160
Dubit. 4. *An relationes dicant perfectionē.* 161
Art. IV. *An sint tantùm quatuor relationes reales.* 163

QVAESTIO XXIX.

De Persona.

Dubit. 1. *Quid sit persona.* 165
Dubit. 2. *An ratio personæ dicatur propriè de Patre, Filio, & Spiritu sancto in diuinis.* 166
Dubit. 3. *An in Deo dentur tres subsistentiæ relatiuæ, tres hypostases, & tres substantiæ.* ibid.
Dubit. 4. *An ens per se subsistens, & vltimò completum, suppositum, & suppositalitas, séque subsistentia sint vnum & idem in Deo, & in rebus creatis.* 167

QVAESTIO XXX.

De Pluralitate personarum.

QVAESTIO XXXI.

De his quæ pertinent ad vnitatem vel pluralitatem personarum diuinarum.

QVAESTIO XXXII.

De diuinarum personarum cognitione.

Art. I. *An Trinitas personarum diuinarum possit ratione naturali cognosci.* 169
Dubit. 1. *An mysterium Trinitatis naturaliter possit cognosci ab hominibus & Angelis.* ibid.
Dubit. 2. *An mysterium sanctissimæ Trinitatis possit euidenter demonstrari ex sacris litteris.* 172
Art. III. *Quot sint in Deo notiones; seu, an plures sint in Deo notiones.* ibid.
Dubit. 1. *Quid sit notio.* ibid.
Dub. 2. *Quot sint notiones.* ibid.
Dubit. 3. *An notio, relatio, & proprietas personalis sint vnum & idem in diuinis.* 175

QVAESTIO XXXIII.

De Persona Patris.

QVAESTIO XXXIV.

De Persona Filij.

Art. I. *Vtrùm Verbū in diuinis sit nomen personale.* 175
Art. III. *An in nomine verbi importetur respectus ad creaturas?* ibid.
Dubit. 1. *An Verbum diuinum dicat respectum ad creaturas.* ibid.
Dubit. 2. *An Verbum diuinum producatur ex cognitione solius essentiæ diuinæ, & personæ Patris; An verò, nedum ex cognitione istorum duorum, sed etiam personarum Filij, & Spiritus sancti, creaturarum possibilium & futurarum in certa temporis differentia.* 176

QVAESTIO XXXV.

Vtrùm imago in diuinis dicatur personaliter.

QVAESTIO XXXVI.

De Persona Spiritus sancti.

Dubit. 1. *An Spiritus sanctus procedat à Patre, & à Filio.* 178
Dubit. 2. *An Spiritus sanctus procedat à Patre, & à Filio, tamquàm ab vno principio.* 180
Dubit. 3. *An processio Spiritus sancti ex se, & sua natura postulet esse à Patre & Filio: ità vt nulla ratione possit hæc consurgere, quin sit à Patre & Filio.* 181
Dubit. vlt. *An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, sed à solo Patre, distingueretur nihilominus realiter à Filio.* 182

QVAESTIO XXXVII.

De nomine Amoris, quod de Spiritu sancto dicitur.

QVAESTIO XXXVIII.

De nomine, Doni, quod dicitur de Spiritu sancto.

QVAESTIO XXXIX.

De Personis comparatis cum essentia.

Art. III. *An nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis: hoc est, an nomina personalia dicantur de personis diuinis in numero plurali.* 184
Dubit. 2. *An nomina essentialia diuina dicantur in numero plurali de personis diuinis.* 185
Art. IV. *An nomina essentialia concreta supponant, vel supponere possint pro persona.* 186
Dubit. 1. *An in diuinis detur subsistentia aliqua absoluta præter relatiuas.* ibid.
Dubit. 2. *An dentur in diuinis vna existentia absoluta & item tres existentiæ relatiuæ.* 188
Dubit. 3. *Quid significet nomen, Deus, positum in propositionibus de Deo.* 190
Dubit. 4. *An propositiones istæ sint concedendæ, Deus generat, Deus non generat, Deus genuit se, Deus genuit alium, & denique, Deus genuit eumdem Deum.* ibid.
Dub. vlt. *An propositiones istæ sint concedendæ, Essentia generat, Essentia generatur.* 191

QVAESTIO XL.

De Personis in comparatione ad relationes & proprietates personales.

Dub. vnic. *An personæ diuinæ constituantur; & qua ratione.* 192

QVAESTIO XLI.

De Personis in comparatione ad actus notionales.

Dubit. 1. *An actus notionalis quo Pater producit diuinū Verbū possit dici voluntarius.* 194
Dubit. 2. *An actus quo Pater & Filius producunt Spiritum sanctum sit liber* ibid.
Dubit. 3. *An admittenda sit potentia respectu actuum notionalium in diuinis.* 195

QVAESTIO XLII.

De Æqualitate personarum diuinarum.

Dubit. 1.

Digitized by Google

Quæſt. Artt. & Dubit.

Dubit. 1. *An concedendum ſit de perſonis diuinis quòd ſint inter ſe æquales, & qua ratione.* 195
Dubit. 2. *An æqualitas ſit relatio realis; an vero rationis.* 196
Dubit. 3. *An detur aliquis ordo inter perſonas diuinas.* 197
Dubit. vlt. *An vna perſona ſit in alia.* ibid.

QVAESTIO XLIII.

De Miſſione perſonarum diuinarum.

QVAESTIO XLIV.

De Proceſſione creaturarum à Deo.

Art. I. *An neceſſarium ſit omne ens eſſe creatum à Deo.* 199

QVAESTIO XLV.

De modo emanationis rerum à primo principio.

Art. I. *An creare ſit aliquid ex nihilo facere.* 200
Art. III. *An creatio ſit in re creata.* 201
Dubit. vnic. *An creatio ſit actio.* ibid.
Art. IV. *An creatio ſit rerum per ſe ſubſiſtentium, ſiue compoſitorum.* 202
Art. V. *An creare ſoli Deo conueniat.* 203
Dubit. 1. *An creatura poſſit eſſe cauſa præcipua & principalis creationis.* 204
Dubit. 2. *An ſaltem creatura poſſit eſſe cauſa inſtrumentaria creationis.* ibid.

QVAESTIO XLVI.

Dub. vlt. *An rerum diſtinctio facta fuerit in inſtanti, an verò in tempore.* 208

QVAESTIO L.

De Angelis.

Dubit. 1. *An Angelorum exiſtentia ratione naturali demonſtrari poſſit, an vero ſola fide.* ibid.
Dubit. 2. *An hominis natura ſit imperfectior Angelica.* 212
Dubit. 3. *An Angeli ſint corporei.* 213
Art. III. *An Angeli ſint in magno aliquo numero.* 215
Art. IV. *An Angeli differant ſpecie.* 216
Art. V. *An Angeli ſint incorruptibiles.* 217

QVAESTIO LI.

De Comparatione Angelorum ad corpora.

Art. I. *An Angeli habeant naturaliter corpora ſibi vnita.* 219
Art. II. *An Angeli ſibi aſſumant corpora.* ibid.
Dubit. 1. *An Angeli appareant in veris & phyſicis corporibus, mortalibus, an verò imaginarijs & phantaſticis tantùm.* ibid.
Dubit. 2. *Quânam ratione vtantur Angeli boni vel mali corporibus veris & naturalibus, in quibus videntur aliquando, & qua aſſumuntur interdum ab iſtis Angelis.* 220
Dubit. vlt. *An Deus apparuerit per ſeipſum proximè & immediatè in veteri Teſtamento, & item in nouo, in aliquo corpore ab eodem aſſumpto, an verò id præſtiterit tantummodo per Angelum.* 223
Art. III. *An Angeli exerceant opera vitæ in corporibus aſſumptis.* 224

QVAESTIO LII.

De Comparatione Angelorum ad locum.

Dubit. 1. *An Angeli ſint in loco, & qua ratione.* 226
Dubit. 2. *An locus Angeli ſit circumſcriptiuus vel definitiuus: & item an ſit ſenſilis.* 228
Dubit. 3. *An Angelus poſſit eſſe vbique tamquam in loco.* 229
Dubit. 4. *An Angelus poſſit eſſe in pluribus locis adæquatis: & item inadæquatis; eſto nihil operetur intrà ſpatium quod intercipitur inter huiuſmodi loca inadæquata.* 230
Dubit. vlt. *An plures Angeli poſſint eſſe in vno & eodem loco ſimul & ſemel.* 231

QVAESTIO LIII.

De Motu locali Angeli.

Dubit. 1. *An Angelus vere, & propriè moueatur.* 231
Dubit. 2. *An motus localis, qui datur in Angelis ſit eiuſdem ſpeciei cum eo qui deprehenditur in iſtis rebus ſenſibilibus, quando hæ mouentur localiter.* 232
Dubit. 3. *An Angelus moueatur neceſſario in tempore: an vero in inſtanti tantùm.* 233
Dubit. 4. *An Angelus poſſit tranſire naturaliter ab vno extremo ad extremum diſtans non tranſeundo per medium.* 234
Dubit. vlt. *An facultas motrix Angelorum diſtinguatur ab intellectu & voluntate eorumdem.* 235

QVAESTIO LIV.

De cognitione Angelorum.

Art. I. *An intellectio Angeli ſit idem cum ſubſtantia eiuſdem.* 236
Art. II. *An intelligere Angeli ſit idem cum exiſtentia.* ibid.
Art. III. *An vis intelligendi ſit idem cum Angelo.* ibid.
Art. IV. *An Angelis ſit intellectus agens & patiens.* ibid.

QVAESTIO LV.

De Medio cognitionis Angelorum.

Dubit. 1. *An ſpecies ſeu ſimilitudines rerum ſint neceſſariæ, ad cognoſcendum res iſtas creatas in Angelis.* 238
Dubit. 2. *An ſpecies per quas Angeli intelligunt ſint à rebus acceptæ, an verò concreatæ in inſtanti creationis in ipſis Angelis.* 239
Dubit. vlt. *An Angeli ſuperiores intelligant per ſpecies magis vniuerſas; inferiores verò, per minus vniuerſas, ac proindè per ſpecies minus perfectas.* 241

QVAESTIO LVI.

De Cognitione Angelorum, reſpectu rerum immaterialium.

Art. I. *An Angelus cognoſcat ſeipſum.* 241
Art. II. *An vnus Angelus cognoſcat alium Angelum.* 242
Dubit. vnic. *An Deus cognoſcatur ab Angelis & qua ratione.* 243

QVAESTIO LVII.

De Cognitione Angelorum reſpectu rerum materialium.

Art. IV. *An Angelus cognoſcat cogitationes cordis.* 244
Dubit. 1. *An cogitationes liberæ futuræ cognoſcantur certo ab Angelis bonis vel malis, idque naturaliter.* ibid.
Dubit. 2. *An cogitationes liberæ extra ſuos cauſas poſitæ, innoteſcat naturaliter Angelis.* 245
Dub. 3. *An Angeli inter ſe loquantur, & qua ratione.* 472
Dubit. 4. *An Angeli illuminentur, alij ab aliis.* 248
Dubit. 5. *An Angeli diſcurrant, ac proindè componant & diuidant in intelligendo.* ibid.
Art. V. *An Angelus cognoſcat myſteria gratiæ.* 249

Index Quæſt. Artt. & Dubit.

QVAESTIO LVIII.

De Modo cognitionis Angelorum.

Dubit. vnic. *An Angeli cognoſcant plura, vel plura ſimul.* 250

QVAESTIO LIX.

De Voluntate Angelorum.

QVAESTIO LX.

De Amore & dilectione Angelorum.

QVAESTIO LXI.

De Productione Angelorum in eſſe naturæ.

Dub. vnic. *Quandonam Angeli fuerint a Deo procreati.* 251

QVAESTIO LXII.

De Perfectione naturæ Angelorum in eſſe gratiæ.

Dubit. 1. *An Angeli fuerint beati in primo inſtanti ſuæ creationis.* 252

Dub. 2. *An Angeli fuerint omnes in gratia gratum faciente procreati.* 253

Dubit. vlt. *An Angeli ſibi promeruerint vitam æternam, & quando.* 254

QVAESTIO LXIII.

De Malis Angelis.

Dubit. 1. *An Angeli fuerint impeccabiles, vel certè eſſe potuerint, relicti intra terminos propriæ naturæ.* 256

Dubit. 2. *Quod fuerit primum peccatum Angelorum.* ibid.

Dubit. 3. *Quódnam fuerit obiectum peccati primi Angelorum.* 259

Dubit. vlt. *An Angelus peccauerit in primo inſtanti ſuæ creationis, aut in aliquo alio.* 260

QVAESTIO LXIV.

De Pœnis Angelorum.

Dubit. 1. *An detur eadem cognitio in Angelis nunc, quæ fuit ante peccatum in iiſdem.* 261

Dub. 2. *An Dæmones poſſint reſipiſcere à peccatis commiſſis; & ſi non poſſint, unde tanta obſtinatio in illis circa peccata commiſſa.* ibid.

Art. IV. *An aliqui iſte ſit boni paruli. Dæmonum.* 263

TRACTATVS DE DÆMONIACIS.

DVBIT. 1. *Qui dicendi ſint propriè Demoniaci.* 267

Dubit. 2. *An fuerint aliquando veri Dæmoniaci.* ibid.

Dubit. 3. *Quæ ſint ſigna per quæ certò & indubitanter dignoſcendi ſint Demoniaci.* 269

Dubit. 4. *Quæ ſint cauſæ propter quas patitur Deus aliquos a Dæmone poſſideri.* 273

Dubit. 5. *Cuius ſit ſuppoſita cauſa & demerito ex parte hominis, efficere vt quis a Dæmone poſſideatur.* 274

Dubit. 6. *Quæ mala Dæmoniaci patiantur, aut pati poſſint a Dæmone.* 275

Dubit. 7. *Penes quos ſit poteſtas curandi Dæmoniacos.* 277

Dubit. 8. *Quibus remedijs liceat pellere Dæmones.* ibid.

Dubit. vlt. *Quæ ſint ſigna ex quibus colligere licet quempiam eſſe a Dæmone liberatum.* 280

Finis Indicis Quæſtionum, Articulorum, & Dubitationum, Primæ Partis.



Digitized by Google

INDEX QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, ET DVBITATIONVM,

QVÆ IN PRIMÆ SECVNDÆ Commentarijs reſoluuntur.

PROOEMIVM. pag. 281.

QVAESTIO I.

De Vltimo hominis fine.

ARTI. *Vtrum conueniat hominis agere propter finem.* 281

Dubit. 1. *Quid ſit actio humana.* ibid.

Dubit. 2. *An omnis actio humana ſit propter finem.* 283

Dubit. 3. *An finis moueat voluntatem noſtram tantum ad operandum: ſeu, an ſolus finis ſit obiectum voluntatis noſtræ adæquatum.* 284

Dubit. vlt. *Qua ratione finis moueat voluntatẽ noſtram in actionibus ſuis exercendis.* 286

Art. II. *An ſit proprium creaturæ rationali agere propter finem.* 287

Art. III. *Vtrum actus hominis recipiat ſpeciem ex fine.* 289

Art. IV. *Vtrum detur aliquis finis vltimus humanæ vitæ.* ibid.

Art. V. *Vtrum fieri poſſit vt quis operetur propter plures vltimos fines.* 290

Art. VI. *An omnia quæ vult homo, velit propter vltimum finem.* 291

QVAESTIO II.

De his in quibus Hominis beatitudo conſiſtit.

Art. I. *An obiectum beatitudinis ſint diuitiæ.* 293

Art. VIt. *An beatitudo poſita ſit in aliquo bono creato* ibid.

QVAESTIO III.

De obiecto formali Beatitudinis.

Art. I. *An aliquid creatum ſit beatitudo formalis.* 296

Art II. *An beatitudo formalis ſit operatio.* 298

Dub. 1. *An beatitudo formalis ſit operatio.* ibid.

Dubit. 2. *An operatio iſta quæ cenſetur eſſe beatitudo formalis creaturæ rationalis producatur à ſolo Deo; an etiam à creatura rationali.* ibid.

Art. IV. *An beatitudo ſit actus voluntatis & intellectus.* 300

Dubit. 1. *An beatitudo formalis ſupernaturalis creaturæ rationalis poſita ſit in vna tantum operatione, an vero in pluribus.* ibid.

Dubit. 2. *In qua ex duabus operationibus ſupradictis magis poſita ſit beatitudo noſtra eſſentialis.* 302

Art. VIII. *An beatitudo ſit viſio eſſentiæ diuinæ.* 305

QVAESTIO IV.

De his quæ requiruntur ad Beatitudinem.

Art. I. *Vtrum delectatio requiratur ad beatitudinem.* 305

Dubit. 1. *An delectatio ſit actio, an verò paſſio.* 306

Dubit. 2. *Quidnam ſit proximum & immediatum obiectum delectationis beatorũ.* 307

Dubit. vlt. *An delectatio ſit neceſſaria in beatis, an verò libera.* 308

Art. III. *An ad beatitudinem requiratur comprehenſio.* 309

Art. IV. *An rectitudo voluntatis requiratur ad beatitudinem.* 310

Dubit. 1. *An beati de facto peccent pro eo tempore quo ſunt beati.* ibid.

Dubit. 2. *Vndenam repetenda ſit impeccabilitas in beatis.* 311

Art. V. *An ad beatitudinem requiratur corpus.* 313

Dubit. 1. *An beati donentur ſua beatitate eſſentiali ante diem iudicij, an verò cogantur expectare corporum reſurrectionem.* ibid.

Dubit. 2. *An anima ſit futura beatior poſt reſurrectionem.* 316

Art. VI. *An ad beatitudinem requiratur aliqua perfectio corporis.* 318

Dubit. 1. *An proprium corpus ſit neceſſarium ad conſummatam beatitudinem.* ibid.

Dubit. 2. *An actiones ſenſuum externorum & internorum futuræ ſint in corporibus glorioſis poſt reſurrectionem.* ibid.

Dubit. 3. *An dentur aliquæ dotes, vel potius perfectiones, in corporibus glorioſis.* 320

QVAESTIO V.

De Adeptione Beatitudinis.

Art. II. *An vnus ſit, vel eſſe poſſit alio beatior.* 321

Art. IV. *An beatitudo habita amitti poſſit.* 323

Digitized by Google

Index

QVÆSTIO VI.

De Voluntario & Inuoluntario.

Dubit. 1. *Quid sit voluntarium.* 324
Dubit. 2. *An voluntarium reperiatur in actibus humanis.* 325
Art. II. *An voluntarium reperiatur in beatis.* ibid.
Dubit. 1. *Quotuplex sit voluntarium.* ibid.
Dubit. 2. *Qua ratione voluntarium reperiatur in actibus elicitis a potentijs inferioribus imperatis a voluntate, & item obiectis volitis.* 326
Dubit. 3. *An voluntarium sit idem cum libero.* ibid.
Dubit. vlt. *An voluntarium detur in brutis & in hominibus.* 327
Art. III. *An voluntarium possit esse sinè aliquo actu.* 328
Art. IV. *An possit voluntati vis inferri.* 329
Art. V. *An violentum impediat voluntarium.* 331
Art. VI. *An metus causet inuoluntarium.* 332
Dubit. 2. *An contractus celebrati ex metu cadente in constantem virum sint validi.* 333
Dubit. vlt. *An qua fiunt ex metu cadente in constantem virum contra precepta iuris naturalis, diuini, & humani positiui, sint simpliciter peccata, vel mortalia, vel venialia.* 334
Art. VII. *An concupiscentia causet inuoluntarium.* 335
Art. VIII. *Vtrum ignorantia causet inuoluntarium.* 337

QVAESTIO VII.

De Circumstantijs actuum humanorum.

Dubit. 1. *Qua ratione circumstantia se habeant ad actus humanos.* 338
Dubit. 2. *Que, & quot sint circumstantia actus humani.* ibid.
Dubit. 3. *An circumstantia iste consequantur rationem circumstantia respectu actus humani & in genere entis, & in genere moris simul.* 339

QVÆSTIO VIII.

De voluntate quorum sit volitorum.

Dubit. 1. *An voluntas possit ferri in bonum tantum quatenus bonum est.* 340
Dubit. 2. *An actus qui habet ortum a voluntate, nedum circa finem, sed etiam circa media, dicendus sit voluntas.* 341
Dubit. vlt. *An detur aliquis actus voluntatis qui nec versetur circa finem, nec circa media.* ibid.

QVAESTIO IX.

De Motiuo voluntatis.

Art. I. *Vtrum voluntas moueatur ab intellectu.* 342
Dubit. 1. *An voluntas moueat ceteras potentias inferiores, & qua ratione.* ibid.
Dubit. 2. *An intellectus sit causa effectiua actionum voluntatis; an vero sola voluntas.* 344
Dubit. vlt. *Qua ratione actus intellectus sit necessarius ad actus voluntatis producendos.* 346
Art. II. *An voluntas moueatur ab appetitu sensitiuo.* 347

QVAESTIO X.

De Modo quo voluntas mouetur.

Dubit. 1. *An detur in nobis libertas.* 349
Dubit. 2. *An libertas detur in nobis hoc nomine, quòd non cogamur inter operandum. An vero, quia non necessitamur.* 350
Dubit. 3. *In quo posita sit ratio libertatis precisè & formaliter.* 351
Dubit. 4. *An libertas formaliter & intrinsecè sit in intellectu, an vero voluntati conueniat.* 353
Dubit. vlt. *An voluntas nostra, qua est intrinsecè libera, necessitetur ab obiectis propositis in hac vita mortali.* 355

QVAESTIO XI.

De Fruitione.

QVAESTIO XII.

De Intentione.

QVAESTIO XIII.

De Electione voluntatis.

QVAESTIO XIV.

De Consilio.

QVAESTIO XV.

De Consensu.

QVAESTIO XVI.

De Vsu.

QVAESTIO XVII.

De Actibus imperatis.

Dubit. vnic. *Quinam sint actus imperati proprie* 360

QVAESTIO XVIII.

De Bonitate & Malitia actuum humanorum.

Dubit. 1. *Vndenam repetenda sit moralitas in actibus humanis.* 360
Dubit. 2. *Vndenam petenda sit bonitas moralis in actibus humanis moralibus.* 364
Art. VIII. *An aliquis actus humanus sit tantum indifferens secundum suam speciem.* 370
Art. IX. *Vtrum aliquis actus sit indifferens secundum individuum.* 371

QVAESTIO XIX.

De Bonitate & Malitia actus interioris.

QVAESTIO XX.

De Bonitate & Malitia actuum externorum.

Art. I. *An bonitas & malitia sint in actu voluntatis, vel in actu exteriori.* 374
Art. III. *An cadem sit bonitas & malitia actus interioris & exterioris,* 376
Art. IV. *An bonitas vel malitia actus exterioris, addat aliquid supra bonitatem, & malitiam actus interioris.* 377

QVAESTIO XXI.

QVAESTIO LXXI.

De Vitijs & Peccatis.

Art. I. *An vitium opponatur virtuti.* 381
Art. II. *An vitium sit contra naturam.* 385
Art. IV. *Vtrum peccatum possit esse simul cum virtute.* 384
Dubit. 1. *An habitus vitiosus coniunctus cum peccato mortali possit stare cum virtutibus aliquibus per se infusis, & cum virtutibus per se acquisitis.* ibid.
Dubit. 2. *Qua ratione peccatum mortale destruat in nobis virtutes per se acquisitas, aut per se infusas in ratione virtutis simpliciter.* 385
Art. V. *Vtrum in quolibet peccato sit aliquis actus.* 386
Dubit. 1. *An possit dari omissio culpabilis sinè vllo actu.* ibid.
Dubit. 2. *An ille actus, vel quasi actus, qui dicitur necessarius ad omissionem culpabilem sit vere peccatum.* 388
Art. VI. *Vtrum conuenienter dematur peccatum, dicatur*

Digitized by Google

dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. 390
Dubit. 1. Quæ sit ratio formalis constitutiua peccati commissionis. ibid.
Dubit. 2. An in omni peccato detur auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. 395
Dub. vlt. An ad hoc vt aliquid sit peccatum, debeat esse necessario contra legem. 396

QVAESTIO LXXII.
De Peccatorum distinctione.
Dubit. 1. Vndènam desumenda sit vnitas specifica in quolibet peccato. 397
Dubit. 2. Vndènam desumenda sit vnitas numerica cuiuslibet peccati. 399
Dubit. vlt. An illi omnes actus qui fiunt à nobis successiuè circa obiectum peccati sint vnum, an verò plura peccata numero distincta. 400

QVAESTIO LXXIII.
De Peccatorum ad inuicem comparatione.
Dub. 1. An peccata sint inter se connexa. 402
Dubit. 2. An peccata sint per se æqualia. ibid.
Dubit. vlt. Vndènam sumenda sit totalis & adæquata malitia peccati. 403

QVAESTIO. LXXIV.
De Subiecto peccati.
Dubit. 1. Quódnam sit subiectum peccati cuiuslibet. 404
Dubit. 2. An motus qui dantur in nobis, tam in appetitu sensili, quàm in parte superiori deordinati sint peccata. 406
Dubit. vlt. Quid sit necessarium tam ex parte intellectus, quàm voluntatis, ad hoc vt motus deordinati sint peccata. 408

QVAESTIO. LXXIX.
De Causis externis peccati.
Dub. vnic. An Deus sit author peccati. 409

QVAESTIO LXXX.
De causa peccati ex parte Diaboli.

QVAESTIO LXXXI
De Causa peccati ex parte hominis.
Dubit. 1. An peccatum originale transfundatur in posteros primi parentis. 413
Dubit. 2. An existentia peccati originalis possit demonstrari naturaliter. 416
Dubit 3. Vtrùm omnes posteri Adæ concipiantur in peccato originali. ibid.
Dubit. 4. An peccatum originale sit verè voluntarium. 418
Art. II. An nedum peccatum primi parentis, sed etiam alia eiusdem vel proximorum parentum transfundantur in posteros. 419
Art. III. Vtrùm peccatum primi parentis transfundatur in posteros Adæ per originem. ibid.

QVAESTIO LXXXII.
De Causa peccati originalis.
Dub. 1. An peccatũ originale sit concupiscentia, seu appetitus sensilis qui datur in nobis. 422
Dubit. 2. Quæ sit ratio formalis constitutiua peccati originalis. 423
Dubit. 3. Quid sit illud, quod opponitur peccato originali, vt sic. 426
Dubit. vlt. An culpa originalis habeat rationem peccati propriè dicti; itavt genus proximum istius culpæ sit peccatum propriè dictum 428

QVAESTIO LXXXIII.
De Subiecto peccati originalis.
Dubit. vnic. Quod sit proximum & immediatum subiectum peccati originalis. 430
Dubit. 1 An naturalia & gratuita per peccatum originale fuerint in posteris Adæ destructa vel diminuta. 432
Dubit. 2. An mors, infirmitates distractiones, & alia huius generis incommoda humanæ naturæ, sint effectus peccati originalis. 434
Dubit. 3. An mors sit habitura locum in omnibus posteris Adæ. 435
Dubit. 4. An nedum pœna damni, sed etiam sensus locum sit habitura in pueris, qui moriuntur sinè baptismate. 436
Dub. vlt. An tristitia aliqua futura sit in pueris qui sinè baptismo moriuntur, ex priuatione beatitudinis æternæ. 438

QVAESTIO LXXXIV.
De Causa peccati, prout vnum peccatum est causa alterius.

QVAESTIO LXXXV.
De Effectis peccati.

QVAESTIO LXXXVI.
De Macula peccati.
Dubit. 1. An peccatum causet, seu inducat maculam post se. 440
Dubit. 2. Quæ sit macula ista, quam peccatum relinquit in nobis post se. ibid.

QVAESTIO LXXXVII.
De Reatu pœnæ.
Art. II. An vnum peccatũ possit esse pœna alterius. 444
Art. III. Vtrùm aliquod peccatum inducat reatum pœnæ æternæ. 446
Art. V. An peccatum veniale inducat reatum pœnæ æternæ. 448

QVAESTIO LXXXVIII.
De peccato veniali & mortali.
Dubit. 1. Quid intelligatur nomine peccati mortalis & venialis. 448
Dubit. 2. An omnis culpa sit lethalis; an verò concedenda sint aliqua venialia. 449
Dubit. 3. Vndènam desumenda sit diuersitas peccati mortalis, & venialis. 451
Dubit. vlt. An ratio peccati dicatur synonymè, an verò analogicè de mortali & veniali. 452
Art. II. Vtrùm aliqua peccata sint venialia. 454
Art. IV. Vtrùm peccatum veniale possit fieri mortale. ibid.

QVAESTIO LXXXIX.
De Peccato veniali secundùm se.

QVAESTIO XC.
De Legibus.
Art. I. An lex sit aliquid rationis. 456
Dubit. 1. Quibus nominibus lex in communi vocetur. ibid.
Dubit. 2. An lex sit actus intellectus, an verò voluntatis. 457
Dubit. 3. An ratio legis magis posita sit in actu insinuationis, seu intimationis voluntatis superioris, quàm in actu quo Legislator vult inferiorem obligare ad aliquid agendum vel prætermittendum. 459
Dubit. vlt. An lex æterna & naturalis includant actus intellectus & voluntatis. ibid.
Art. II. An lex ordinetur in bonum commune. 460
Art. III. Vtrùm superior, vel communitas possit condere leges. 462
Art. IV. An promulgatio sit de ratione legis. ibid.
Dubit. vnic. Quódnam sit subiectum legis. 465

Digitized by Google

Index

QVAESTIO XCI.

De Diuisione legum.

Dub. 1. *Quotuplex sit lex.* 465
Dubit. 2. *Quid sit lex aeterna.* 466
Dubit. 3. *An lex aeterna sit vna vel multiplex.* 467
Dubit. vlt. *An lex aeterna sit verè & propriè lex.* ibid.

QVAESTIO XCIV.

De Lege naturali.

Dubit. 1. *An lex naturalis sit actus, vel habitus.* ibid.
Dub. 2. *An lex naturalis obliget, & quando incipiat obligare.* 469
Art. II. *Vtrum lex naturalis varijs & diuersis constet praeceptis, ea tamen emanente vna.* ibid.
Art. V. *An lex naturalis imutari possit.* 470
Dubit 1. *An lex naturalis imutari queat.* ibid.
Dub. 2. *An lex naturalis dispensationem authoritate diuina admittere queat.* 471

QVAESTIO XCV.

De Lege humana vt lic.

Dubit. 1. *An detur potestas in hominibus Ecclesiasticis condendi leges aliquas.* 475
Dubit. 2. *Penes quos sit potestas condendi leges Ecclesiasticas, item ciuiles seu publicas.* 477
Art. II. *An omnis lex humana derivetur a naturali & diuina.* 478
Art. III. *Vtrum conditiones legis humanae sint ab Isidoro bene constitutae.* 479
Dubit. vnic. *An promulgatio sit de ratione legis humanae.* ibid.

QVAESTIO XCVI.

De Potestate legis humanæ.

Dubit. 1. *An lex humana, nedum Ecclesiastica, sed etiam ciuilis obliget ad culpam.* 481
Dubit. 2. *Ex quo capite possit quis deprehendere leges humanas obligare ad culpam, vel ad poenam, vel ad vtrumque simul.* 482
Dubit. 3. *An lex humana prohibeat, aut praecipiat nedum actus externos; sed etiam internos.* 483
Dubit. 4. *An lex humana ciuilis aut Ecclesiastica obliget cum dispendio vitae ad sui obseruationem.* 484
Art. V. *Vtrum Legislator suis teneatur legibus.* 487

QVAESTIO XCVII.

Dubit. 1. *Quid sit lex diuina.* 488
Dubit. 2. *Quotuplex sit lex diuina.* ibid.
Dubit. 3. *Qua ratione distinguantur lex Euangelica & Mosaica.* ibid.
Dubit. 4. *Quibus sit data lex Mosaica.* 489
Dubit. vlt. *Quando fuerit lex Mosaica antiquata, & noua introducta, cum obligatione ad eius obseruationem.* ibid.

QVAESTIO CIX.

De exteriori principio humanorum actuum, scilicet Dei gratia.

Art. I. *An gratia sit necessaria ad qualibet vera cognoscenda.* 490
Dubit. 1. *An gratia sit homini necessaria in statu, in quo iam agit, ad quaslibet veritates Theoreticas, & practicas intelligendas.* 491
Dubit. 2. *An quae sunt ordinis supernaturalis possit homo sine speciali Dei gratia inuestigare.* 492
Art. II. *An homo possit velle & facere bonum absque gratia.* 495
Dubit. 1. *An sine gratia Dei possit aliquis in statu naturae corruptae constitutus exercere bona aliqua moralia.* ibid.
Dubit. 2. *An quilibet actus hominis constituti in statu peccati mortalis, sit peccatum.* 497
Art. III. *Vtrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus principijs sine gratia.* 499
Dubit. 1. *An in statu naturae integrae potuerit homo diligere Deum super omnia sine Dei speciali auxilio.* ibid.
Dubit. 2. *An homo in statu naturae integrae constitutus cum solo concursu Dei generali possit omnia Decalogi praecepta, nedum distributiue, sed etiam collectiue spectata obseruare, & hoc sine gratuito Dei dono.* 502
Dubit. vlt. *An possit homo in statu naturae corruptae obseruare Dei mandata collectiue spectata sine peculiari eiusdem auxilio.* 503
Art. VIII. *An homo sine gratia possit non peccare.* 506
Dubit. 1. *An homo possit in statu naturae corruptae vitare quodlibet peccatum distributiue, vel collectiue spectatum, sine speciali Dei dono.* ibid.
Dubit. 2. *An constitutus in gratia pro statu naturae corruptae possit sine speciali fauore omnia & singula peccata venialia ad finem vsque vitae declinare.* ibid.
Dubit. vlt. *An homo in gratia constitutus egeat auxilio speciali ad perseuerandum ad vltimum vitae spiritum in accepta gratia.* 508

QVAESTIO CX.

De gratia Dei quantum ad eius essentiam.

Dubit. 1. *An gratia sit res aliqua creata inhaerens animabus nostris, an vero increatum quidpiam.* 510
Dubit. 2. *An gratia haec sit qualitas aliqua transiens, vel permanens tantum.* 512
Art. III. *An gratia sit idem quod virtus.* 513
Art. VIt. *An gratia Dei sit in essentia animae tanquam in subiecto; an vero in aliqua potentiarum eiusdem.* 516

QVAESTIO CXI.

De Diuisione gratiae.

Dub. 1. *Quot sint diuisiones gratiae, & quae.* 517
Dubit. 2. *An gratia sufficiens detur omnibus & singulis mortalibus in hoc mundo constitutis.* 519
Dubit. 3. *An in omni conuersione, per quam quis auertitur a peccato, & conuertitur in Deum, vt in vltimum finem, detur auxilium praeueniens & subsequens, excitans & adiuuans, operans & cooperans.* 521
Dubit. 4. *An gratia praeueniens, cum qua omnes illi qui conuertuntur de facto respiciunt, ac proinde qua est efficax, praedeterminet physice, an vero moraliter humanum liberum arbitrium.* 522
Dub. 5. *Vnde desumenda sit efficacia gratiae.* 529
Dubit. vlt. *Vndenam desumenda sit inaequalitas intrinseca effectiua gratiae efficacis.* 530

QVAESTIO CXII.

De Causa gratiae.

Art I. *Vtrum Deus sit causa gratiae.* 532
Art. III. *An necessario detur gratia praeparanti se ad eam.* 533
Art. VIt. *Vtrum possit homo esse certus de sua gratia.* 534

QVAE-

Digitized by Google

Quæſt. Art. & Dubit.

QVAESTIO CXIII.

De Iuſtificatione.

Dubit. 1. *An iuſtificatio ſit effectus formalis gratiæ habitualis.* §36

Dubit. 2. *An conferre ius ad vitam æternam ſit effectus formalis gratiæ iuſtificantis.* ibid.

Dubit. 3. *An remiſſio peccati ſit effectus formalis gratiæ iuſtificantis.* ibid.

Art. II. *An ad remiſſionem culpæ, quæ eſt iuſtificatio impij, requiratur infuſio gratiæ.* ibid.

Dubit. 1. *An quilibet noſtrum ſit iuſtus formaliter per illam numero iuſtitiam quæ datur in Chriſto; an verò per entitatem aliquam realem & poſitiuam ordinis ſupernaturalis receptam in animabus noſtris proximè & immediatè.* §37

Dubit. 2. *Quid ſit illud à quo iuſtificamur formaliter, & intrinſecè.* §39

Dubit. 3. *An præter gratiam deſideretur aliquid aliud ad iuſtificationem noſtram formaliter, vt ſic.* §43

Dubit. 4. *An de potentia Dei abſoluta fieri poſſit vt aliquis iuſtificetur ſinè infuſione alicuius doni actualis, vel habitualis, quod recipiatur in eo qui eſt in peccato mortali.* §44

Dubit. 5. *Qua ratione peccatum mortale & gratia opponantur inter ſe.* §45

Dub. vlt. *An gratia & peccatum mortale poſſint eſſe in vno & eodem ſubiecto.* §46

Art. III. *An ad iuſtificationem impij requiratur motus liberi arbitrij.* §47

Art. IV. *Vtrum ad iuſtificationem impij requiratur motus fidei.* §48

Dubit. 1. *An fides ſit ſimpliciter neceſſaria ad hominis iuſtificationem.* ibid.

Dubit. 2. *An ſola fides ſinè operibus ſufficiat ad hominis iuſtificationem.* ibid.

Art. V. *Vtrum ad iuſtificationem impij requiratur motus liberi arbitrij peccata deteſtantis* §49

Art. VI. *An remiſſio peccatorum numerari debeat inter ea quæ requiruntur ad iuſtificationem impij.* §50

Art. VII. *Vtrum iuſtificatio impij fiat in inſtanti, vel ſucceſſiuè.* ibid.

Art. VIII. *An infuſio gratiæ ſit prima ordine naturæ inter ea quæ ad iuſtificationem impij requiruntur.* §51

Dubit. 1. *An actus charitatis ſit prior actu penitentiæ, in iuſtificatione impij adulti.* ibid.

Dubit. 2. *An actus dilectionis, ſeu penitentiæ ſint elicitiuè à gratia habituali, vel actuali tantùm.* ibid.

QVAESTIO CXIV.

De Merito.

Dubit. 1. *An inter Deum & creaturam poſſit dari meritum, aut, vt volunt alij, An poſſit creatura mereri aliquid apud Deum.* §52

Dubit. 2. *Quæ ſint conditiones neceſſariæ ad meritum propriè dictum inter Deum & creaturam.* §54

Dubitatiuncula 1. *An libertas ſit ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno inter Deũ, & creaturam.* ibid.

Dubitatiuncula 2. *Quæ libertas ſit neceſſaria ad meritum de condigno.* ibid.

Dubit. 3. *An bonitas moralis vel ſupernaturalis ſit neceſſaria ad meritum inter Deum & creaturam.* §55

Dubit. 4. *An ſtatus viæ ſit neceſſarius ad meritum inter Deum & creaturam.* ibid.

Dubit. 5. *An promiſſio diuina de remunerandis bonis operibus ex gratia factis ab homine in via conſtituto, ſit ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno inter Deum & hominem.* §56

Dubit. 6. *An gratia ſit ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno reſpectu vitæ æternæ.* §57

Dubit. 7. *An merita de condigno ſupponant merita Chriſti.* §58

Dubit. 8. *An retributio vitæ æternæ ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ, vel diſtributiuæ.* ibid.

Dubit. vlt. *An ſaltem concedendum ſit de Deo quòd ſit debitor creaturæ rationali, reſpectu retributionis vitæ æternæ.* §60

Art. II. *Vtrùm aliquis ſinè gratia poſſit mereri vitam æternam.* §61

Art. VII. *Vtrùm poſſit aliquis mereri reparationem poſt lapſum.* §62

Finis Indicis Quæſtionum, Articulorum, & Dubitationum, Primæ Secundæ.

INDEX QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, ET DVBITATIONVM,

QVÆ IN HAC SECVNDA SECVNDÆ D. Thomæ continentur.

PROOEMIVM, pag. 565

QVAESTIO I.

De obiecto fidei.

ARTI. I. *Vtrum prima veritas sit obiectum fidei.* 565

Dubit. 1. *Quid nomine fidei significetur hoc loco.* ibid.

Dubit. 2. *Quod sit obiectū materiale fidei.* 566

Dubit. 3. *Quódnam sit obiectum formale fidei diuinæ.* 567

Dubit. 4. *An sola prima veritas constituat obiectum formale fidei intrinsecè: an verò concurrat reuelatio diuina obscura ad constitutionem eiusdem.* 568

Dubit. 5. *An authoritas Ecclesiæ concurrat ad assensum fidei Christianæ vt obiectum formale eiusdem, an verò aliqua alia ratione.* 572

Dubit. 6. *Quid sit illud in quod vltimò resolvitur assensus fidei Christianæ.* 575

Dubit. vlt. *An omnia reuelata a Deo computentur inter obiecta materialia fidei Catholicæ, sintque adeò credenda propter testimonium primæ veritatis.* 579

Art. II. *Vtrum obiectum fidei sit aliquid complexum per modum enunciabilis.* 580

Dubit. 1. *An obiectum fidei sit simplex, vel complexum per modum enunciationis.* ibid.

Dubit. 2. *An Conclusio deducta ex præmissis de fide, vel ex altera tantùm, & alia lumine veræ rationis nota, sit de fide, seu, quod idem est, Catholica, an non.* 581

Art. III. *Vtrum fidei possit subesse falsum.* 583

Dubit. 1. *An fides diuina possit mouere aliquem ad assensum rei falsæ.* ibid.

Dubit. 2. *An Deus vel se solo, vel cum alio aliquando fallum, seu mendacium aliquod dixerit.* 584

Art. IV. *Vtrum obiectum fidei possit esse aliquid euisum.* 588

Dubit. 1. *An fides sit de rebus visis, & euidentibus; an verò de obscuris & inuidentibus, ita vt obscuritas & inuidentia sint de ratione formali fidei diuinæ.* ibid.

Dubit. 2. *An saltem de rebus fidei Christianæ concedendum sit eas esse euidenter credibiles* 590

Art. V. *Vtrum obiectum fidei possit esse aliquid scitum.* 593

Dubit. 1. *An euidentia in testificante destruat fidem, seu, quod idem est, an quando euidens est Deum solum proponere aliquid credendum, & nullum alium, fides stet cum ista euidentia.* ibid.

Dubit. 2. *An de vno & eodem planè obiecto possit esse simul & semel in nobis fides & scientia.* 594

Dubit. vlt. *An actus, aut habitus fidei detur in beatis.* 596

Art. VI. *An credibilia per certos articulos fuerint distinguenda.* 599

Dubit. 1. *Quis primus omnium credenda distinxerit & mortalibus credenda proposuerit.* ibid.

Dubit. 2. *A quo facta fuerit in lege naturali, Mosaica & Euangelica distinctio mysteriorum fidei & propositio credendorum.* ibid.

Dubit. 3. *Cuius sit explicare iam, & proponere credenda, sublato Christo secundum præsentiam visibilem ab Ecclesia militante Catholica, & item translatio Apostolis ad beatitudinem æternam.* 600

Dubit. vlt. *An sit de fide Catholica Paulum V. verbi gratia esse verum Vicarium Christi, & successorem Petri.* 603

Art. VII. *An articuli fidei secundum successionem temporum creuerint.* 604

Art. IX. *Vtrum articuli fidei conuenienter ponantur in Symbolo.* 605

QVAESTIO II.

De actu interno fidei.

Dubit. 1. *Quid sit actus internus fidei nostræ.* 608

Dubit. 2. *Quotuplex sit actus fidei.* 609

Dubit. 3. *Qualis sit actus internus fidei diuinæ.* ibid.

Art. III. *An credere aliquid supra rationem naturalem sit necessarium ad salutem.* 611

Dubit. 1. *An sit aliquod præceptum de credendis*

Digitized by Google

dendo, ſiue, an teneamur elicere actum fidei internum & externum. 612
Dubit. 2. *An cognitio naturalis de Deo, & cultus eidem redditus ex dictamine rectæ rationis ſufficiant ad primam vel ſecundam ſalutem obtinendam: an vero deſideretur cognitio alicuius rei, quæ ſit ſecundum ſuam ſubſtantiam ſupernaturalis.* ibid.
Dubit. 3. *Quæ ſit res iſta ſupernaturalis ſecundum ſuoſtantiam, quæ eſt neceſſario credenda ad primam & ſecundam ſalutem obtinendam.* 615
Dubit. 4. *An fides Chriſti explicita fuerit omni tempore ad primam & ſecundam ſalutem neceſſaria, an verò implicita tantùm.* ibid.
Dubit. vlt. *Quæ ſint explicitè credenda cuilibet Catholico adulto neceſſitate præcepti, ex iis quæ ſunt fidei Chriſtianæ.* 617
Art. IX. *An credere ſit meritorium.* 618

QVAESTIO III.
De actu externo Fidei.

Art. I. *Vtrùm confeſſio ſit actus fidei.* 619
Art. II. *An confeſſio fidei ſit neceſſaria ad ſalutem.* 620
Dubit. 1. *An poſſit fides opere, vel verbo negari ab aliquo inculpatè, propter vitam conſeruandam, aut declinandum aliquod graue nocumentum, exilium perpetuum, bonorumque omnium amiſſionem.* ibid.
Dubit. 2. *An in aliquo caſu liceat homini Catholico, ob honeſtum finem ſimulare ſe eſſe idololatram, atque adeò ritus idololatrarum vſurpare.* 623

QVÆSTIO IV.
De Natura & eſſentia Fidei.

Dubit. 1. *An definitio fidei tradita à D. Thoma ex Paulo, ſit legitima.* 624
Dubit. 2. *An charitas ſit forma fidei.* 625
Dubit. 3. *An fides ſeparata a charitate ſit vera fides.* 626
Dubit. 4. *An fides multiplicetur in Catholicis ſecundum ſpeciem, aut ſecundum numerum.* ibid.
Dubit. vlt. *An fides ſit virtus.* 627

QVAESTIO V.
De habentibus Fidem.

Dubit. 1. *Quod ſit proximum & immediatum ſubiectum fidei.* 628
Dubit. 2. *An fides fuerit in primis parentibus & Angelis in primo inſtanti creationis.* 629
Art. II. *An fides ſit in dæmonibus.* ibid.
Art. III. *An qui diſcredit vnum articulum fidei, poſſit habere de aliis fidem informem.* 630
Art. IV. *Vtrum fides ſit maior in vno quàm in alio.* 631

QVAESTIO VI.
De cauſa Fidei.

Dubit. 1. *An fides producatur à ſolo Deo, vt a cauſa principali.* 633
Dubit. 2. *An fides informis infundatur alicui ſinè charitate & gratia.* ibid.

QVAESTIO VII.
De effectibus Fidei.

QVAESTIO VIII.
De Dono intellectus.

QVAESTIO IX.
De Dono ſcientiæ.

QVAESTIO X.
De Infidelitate.

Art. I. *Vtrùm infidelitas ſit peccatum.* 636
Art. II. *An infidelitas ſit in intellectu tamquam in ſubiecto.* ibid.
Art. V. *An dentur plures ſpecies infidelitatis.* 637
Art. VII. *Vtrùm cum infidelibus ſit publicè diſputandum.* 638
Art. VIII. *Vtrùm infideles cogendi ſint ad fidem.* 639
Art. X. *Vtrùm infideles poſſint habere prælationem ſeu dominium ſupra fideles.* 640

QVAESTIO XI.
De Hæreſi.

Dubit. 1. *Quid nomine hæreſis ſignificetur.* 641
Dubit. 2. *An hæreſis ſinè errore poſſit conſurgere.* ibid.
Dubit. 3. *An ad hæreſim propriè dictam requiratur profeſſio fidei Chriſtianæ & Catholicæ.* 642
Dubit. 4. *An pertinacia ſit ſimpliciter neceſſaria ad hæreſim.* 643
Art. III. *Vtrum hæretici ſint tolerandi.* 645
Dubit. 2. *Quæ pœna ſunt peccato hæreſis indicta.* 647
Art. IV. *Vtrùm reuertentes ab hæreſi ſint ab Eccleſia recipiendi.* ibid.
Dubit. 1. *An hæretici redeuntes ad Eccleſiam ſint admittendi,* ibid.
Dubit. 2. *A quo ſint hæretici recipiendi quando ad Eccleſiam reuertuntur.* 648

QVAESTIO XII.
De Apoſtaſia.

QVÆSTIO XVII.
De Spe.

QVAESTIO XVIII.
De ſubiecto Fidei.

Dubit. 1. *Quid nomine ſpei ſignificetur.* 653
Dubit. 2. *An ſpes ſit virtus propriè dicta.* ibid.
Dubit. 3. *Qualis ſit virtus ſpes, & qua ratione diſtinguatur a fide & charitate.* 654
Dubit. 4. *An ſpes ſit præſtantior charitate & fide.* 655
Dubit. 5. *Quódnam ſit obiectum materiale ſpei Theologicæ.* 656
Dubit. 6. *Quod ſit obiectum formale ſpei.* 658
Dubit. vlt. *Quodnam ſit obiectum ſpei.* 659

QVAESTIO XXIII.
De Charitate.

Dubit. 1. *Quid nomine charitatis ſignificetur.* 661
Dubit. 2. *An amicitia ſit virtus.* ibid.
Dubit. 3. *An charitas ſit amicitia propriè dicta: ſeu, an dilectio illa qua diligimus Deum propter ſemetipſum, & ea qua Deus diligit nos, ſit vera amicitia.* ibid.
Art. II. *An charitas ſit aliquid creatum in anima.* 663
Art. III. *An charitas ſit virtus.* 664

Index Quæſt. Artt. Dubit.

Art. V. *An charitas ſit vna virtus.* 667
Dubit. 1. *An charitas ſit ſpecialis aliqua virtus.* ibid.
Dubit. 2. *An concedendum ſit dari in nobis duplicem amorem Dei, naturalem ſcilicet & ſupernaturalem, ita vt illo diligamus Deum, vt eſt author naturæ, hoc vero eundem amemus, vt eſt author gratiæ.* 668
Dubit. vlt. *Quodnam ſit obiectum charitatis.* 669
Art. VII. *Vtrum ſinè charitate poſſit eſſe vera aliqua virtus.* 670
Dubit. 2. *An fides & cetera virtutes per ſe infuſæ ſint veræ virtutes vbi ſeparantur a charitate.* 672
Art. Vlt. *Vtrum charitas ſit forma virtutum.* 673

QVAESTIO XXIV.

De ſubiecto Charitatis.

Art. I. *Vtrùm ſubiectum charitatis ſit voluntas.* 673
Art. II. *Vtrum charitas cauſetur in nobis ex infuſione.* 674
Dubit. 1. *Quæ ſit cauſa precipua & principalis productiua charitatis.* ibid.
Dubit. 2. *An per actus charitatis, quos exercemus dum in charitate agimus, producatur aliquis habitus.* 675
Dubit. 3. *An charitas de potentia Dei abſoluta poſſit eſſe alicui creaturæ connaturalis.* 676
Art. V. *An charitas augeatur per additionem.* 677
Dubit. 1. *An charitas augeatur.* ibid.
Dubit. 2. *An charitas poſſit in infinitum intendi.* 678
Art. VI. *An quouis actu charitatis augeatur charitas.* 679
Dub. 1. *Qua ratione charitas intendatur.* ibid.
Dubit. 2. *An quouis actu charitatis intendatur charitas.* 680
Dubit. vlt. *Quando detur in nobis augmentum charitatis, & a quo producatur effectiuè.* 681
Art. VIII. *An charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta.* 682
Dubit. vnic. *An charitas alicuius viatoris poſſit eſſe tanta, quanta eſt charitas comprehenſoris.* ibid.
Art. X. *An charitas poſſit diminui.* 683
Dubit. vnic. *An charitas de facto diminuatur per peccata venialia.* ibid.
Art. XI. *An charitas ſemel habita poſſit amitti.* 685
Dubit. 1. *An charitas verè deſtruatur in nobis per quodlibet peccatum mortale commiſſum.* ibid.
Dubit. 2. *Qua ratione peccatum mortale deſtruat charitatem.* 686

QVAESTIO XXV.

De obiecto charitatis, ſeu, quod idem eſt, de rebus ex charitate diligendis.

Dubit. 1. *An detur aliquod præceptum de rebus aliquibus ex charitate diligendis.* 687
Dubit. 2. *Quandonam obliget præceptum charitatis de diligendo Deo, & proximo.* 688
Dubit. vlt. *An quilibet noſtrùm teneatur ad diligendum Deum actu intenſiſſimo charitatis, ſeu, quod idem eſt, ex toto conatu qui poteſt dari in nobis.* 689
Art. III. *Vtrum creaturæ irrationales ſint ex charitate diligendæ.* 691
Dubit. 1. *An Deus, qui charitas dicitur in ſacris litteris, & proximus ſint ex charitate diligendi.* ibid.
Dubit. 2. *An charitas & aliæ res inſenſibiles ſint ex charitate diligendæ.* ibid.
Art. V. *An debeat homo ex charitate corpus ſuum diligere.* 692
Art. VI. *An peccatores ſint ex charitate diligendi.* 693
Art. VIII. *An ſit de neceſſitate charitatis vt inimici diligantur.* 694
Dubit. 1. *An poſſit aliquis ſinè diſpendio charitatis velle mala pœnæ ſuis inimicis.* ibid.
Dubit. 2. *An dilectio inimici ſit in præcepto, an in conſilio tantùm.* ibid.
Dubit. 3. *An præceptum de diligendis inimicis fuerit in noua tantùm lege, vel etiam in alia.* 696
Dubit. 4. *An detur præceptum de non habendis odio inimicis.* 697
Art. IX. *An ſit de neceſſitate ſalutis quòd aliquis ſigna & effectus dilectionis inimico exhibeat.* 698
Dubit. 1. *An iniuria nobis illata ab inimico ſit remittenda ſtatim atque veniam petit inimicus.* ibid.
Dub. 2. *An teneamur inimicum, qui ex hypotheſi iniuriam nobis intulit, intra proprias ædes conuenire, aut etiam in publicis locis ſalutare, vel etiam familiariter alloqui, & alia id genus officia erga eum exercere.* ibid.
Dubit. 3. *An inter dandum beneficium communitatis alicui poſſit quis inimicos ſuos, qui ex hypotheſi in hac communitate numerantur, a tali beneficio excludere.* ibid.
Dubit. vlt. *An dilectio amici ſit præferenda dilectioni inimici.* 699

QVAESTIO XXVI.

De ordine Charitatis.

Dubit. 1. *An ſit aliquis ordo charitatis.* 699
Dubit. 2. *An teneamur magis diligere Deum quam nos, aut etiam proximum.* 700
Dubit. 3. *An nos magis quam proximos diligere teneamur ex charitate.* ibid.
Dubit. vlt. *An vnus proximus ſit alio magis diligendus, & ſi ita, qui ſint illi.* 703

QVÆSTIO XXVII.

De principali actu charitatis qui eſt dilectio.

Finis Indicis Quæſtionum, Articulorum, & Dubitationum Secundæ Secundæ.

INDEX

INDEX
PRÆCIPVORVM LOCORVM
SCRIPTVRÆ SACRÆ.

QVI IN HIS COMMENTARIIS IN PRIMAM Partem, Primam Secundæ, & Secundam Secundæ D. Thomæ, vel citantur, vel explicantur, iuxta ordinem librorum vtriusque Testamenti digestus.

IN QVO PRIOR NVMERVS PAGINAM, posterior Columnam indicat.

Ex Genesi.

CAP. 1. v. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* pag. 172. col. 2. 186. 1. 202. 2. 207. 1. 252. 1.

v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* 172. 2. 432. 2. 692. 1.

v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* 432. 2.

Cap 2. v 16. & 17. *De omni ligno, quod est in Paradiso, comedes; de ligno autem scientiæ boni, & mali non comedes: in quacumque hora comederis, morte morieris.* 413. 1. 415. 2. 434. 2.

v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* 615. 2. 704. 2.

Cap 3. v. 14. *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: supra pectus tuum gradieris.* 434. 2.

v. 17. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo.* 415. 2.

v 22. *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est.* 20. 2. 172. 2.

Cap. 4. v. 4 *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* 516. 2.

v. 7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* 345. 1. 347. 2 349. 1. 353. 2. 355. 2.

Cap. 6. v. 4. *Videntes filij Dei filias hominum.* 224. 1.

Cap. 8. v. 21. *Sensus, & humani cordis cogitatio prona sunt in malum, ab adolescentia sua.* 406. 2. 422. 2.

Cap. 9. v. 3. *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnem carnem.* 486. 1.

Cap 11. v. 7. *Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* 72. 2.

Cap. 15. v. 1. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* 103. 2. 289. 2. 293. 2. 314. 1. 321. 2. 553. 1. 656. 2.

Cap. 17. v. 14. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* 334. 1. 413. 2. 426. 1.

Cap. 20. v. 3. & 4. *En morieris propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum: Abimelech verò non tetigerat eam.* 585. 1.

Cap. 22. v. 17. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* 604. 2.

Cap. 26. v. 3. *Ero tecum complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo.* 103. 2.

v. 4. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* 615. 2.

Cap. 27. v. 22. *Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esaü.* 587. 2.

v. 24. *Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum.* 103. 2.

Cap. 43. v. 14. *Deus autem meus, omnipotens nomen eius.* 136. 1.

Cap. 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* 615. 2.

Ex Libro Exodi.

CAp. 3. v. 14. *Qui est, misit me ad vos.* 21. 2.

Cap. 4. v. 13. *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* 615. 2.

v. 17. *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* 574. 2.

Cap. 7. v. 12. *Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones* 691. 1.

Cap. 14. v. 1 *Indurabo cor Pharaonis.* 111. 2. 409 2.

v. 17. *Indurabo cor Ægyptiorum.* 409. 2.

Digitized by Google

Cap. 20. ℣. 5. *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem* 273. 2. 436. 1.
℣. 15. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* 585. 2.
℣. 17. *Non concupisces.* 406. 1.
Cap. 22. ℣. 18. *Maleficos non patieris vivere.* 271. 1.
Cap. 23. ℣. 4. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.* 696. 1
Cap. 32. ℣. 6. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* 506. 1.
℣. 31. *Aut dele me Domine de libro tuo, quem scripsisti, aut dimitte illis hanc noxam.* 700. 2.
℣. 34. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro vitæ.* 135. 1.
Cap. 33. ℣. 19. *Ego ostendam tibi omne bonum.* 30. 1. 41. 2. 103. 2. 289. 2 294. 1. 300. 2. 597. 2.
℣. 20. *Non videbit me homo, & vivet* 418. 1.
℣. 33. *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* 71. 2.

Ex Levitico.

Cap. 19. ℣. 11. *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.* 451. 2.
℣. 13. *Non morabitur apud te opus mercenarij, usque manè.* 314. 1.
℣. 17. *Non oderis fratrem tuum* 697. 2.
℣. 18. *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* 696. 2.
℣. 31. *Ne declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid scisciteminì, ut polluamini per eos.* 271. 1.
Cap. 20. ℣. 6. *Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, interficiam illam de medio populi sui.* 271. 2.

Ex Lib. Numerorum.

Cap. 16. ℣. 33. *Descenderunt in infernum vivi, operti humo.* 263. 1.
Cap. 23. ℣. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur.* 586. 1.

Ex Deuteronomio.

Cap. 4. ℣. 2. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, neque auferetis ex eo.* 18. 2.
℣. 8 *Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cerimonias, justáque judicia, & universam legem?* 489. 1.
Cap 6. ℣ 4. *Audi Israël: Dominus Deus noster, Dominus unus est.* 594. 2.
Cap. 10. ℣. 12. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas illum?* 688. 2.
Cap. 17. ℣ 8. & 9. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, quæréque ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem.* 4. 1. 573. 1. 617. 2.
℣. 12. & 13. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* 646. 2.
Cap. 18. ℣ 15 *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo.*
Cap. 21. ℣. 8. *Auferetur ab eis reatus sanguinis.* 441. 1.
Cap. 25. ℣. 2. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* 403. 1. 436. 2. 442. 1. 560. 1.
℣. 17. & 18. *Memento, quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto; quomodo occurrerit tibi, & delebus nomen ejus sub cælo. Cave ne obliviscaris.* 696. 2.
Cap. 23. ℣. 19. *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno.* 473. 1.
Cap. 24. ℣. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* 473. 1.
℣. 16. *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus occidentur.* 436. 1.
Cap. 30. ℣. 19. *Proposui vobis vitam, & mortem, benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum.* 349. 1.
Cap. 32. ℣. 4. *Fidelis Deus est, & absque ulla iniquitate.* 409. 2.
℣. 8. *Divisit gentes juxta numerum Angelorum.* 131. 1.

Ex Lib. Josve.

Cap. 22. ℣. 17. *An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor: & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet?* 440. 2.

Ex Lib. Judicvm.

Cap. 14. ℣. 6. *Irruit autem spiritus Domini in Samson.* 524. 2.

Ex Lib. 1. Regvm.

Cap. 3. ℣. 14. *Juravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum.* 519. 1.
Cap. 7. ℣. 3. *Præparate corda vestra Domino.* 527. 2.
Cap. 16. ℣. 7. *Homo videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor.* 245. 2.

Ex Lib. 2. Reg.

Cap. 2. ℣. 3. *Deus fortis meus, sperabo in eum* 659. 1.
Cap. 12. ℣. 13. & 14. *Transtulit à te Dominus peccatum tuum; verumtamen filius qui natus est tibi, morte morietur.* 273. 2.
Cap. 15. ℣. 10. *Quia ostendisti gratiam, & fidem.* 566. 1.
Cap. 18. ℣. 33. *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* 702. 1.
Cap. 24. ℣. 10. *Peccavi valde in hoc facto: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis.* 685. 2.
℣. 12. *Trium tibi datur optio; elige unum, quod volueris ex his.* 349. 1.

Ex Lib. 3. Reg.

Cap. 8. ℣. 39. *Quia tu solus nosti cor filiorum hominum.* 245. 2.

Cap. 20.

Digitized by Google

Locorum Scripturæ ſacræ.

Cap. 20. ℣. 42. *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus, pro populo eius.* 697. 2.

Cap. 22. ℣. 20. 21. & 22. *Cum dixiſſet Dominus, quis decipiet Achab Regem Iſrael, vt aſcendat & cadat in Ramoth Galaad? & dixiſſet vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter; egreſſus eſt ſpiritus, & ſteterit coram Domino, & ille ait; ego decipiam illum: cui locutus eſt Dominus, in quo? Et ille ait; egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus; decipies, & praualebis: egredere, & fac ita.* 585. 1.

Ex Lib. 4. Reg.

Cap. 19. ℣. 34. *Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* 699. 1.

Ex Lib. 2. Paralipomenon.

Cap. 15. ℣. 7. *Erit merces operi veſtro.* 553. 1.

Ex Lib. Tobiæ.

Cap. 2. ℣. 18. *Filii ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* 656. 1.

Cap. 4. ℣. 11. *Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat.* 505. 2.

℣. 12. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna, omnibus facientibus eam.* 657. 2.

℣. 14. *In ſuperbia ſumpſit initium omnis perditio.* 217. 1.

Cap. 6. ℣. 1. *Profectus eſt Tobias, & canis ſequutus eſt eum.* 580. 1.

℣. 5. *Exenterа piſcem hunc, & cor eius, & iecur eius, & fel repone tibi; ſunt enim hæc ad medicamenta neceſſaria valentia.* 268. 2.

Cap. 12. ℣. 15. *Ego ſum Raphaël Angelus, vnus ex ſeptem qui ſtamus ante Deum.* 215. 2. 241. 1.

Ex Lib. Ivdith.

Cap. 6. ℣. 15. *Non derelinquis præſumentes de te; & præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes humilias.* 657. 2.

Cap. 13. ℣. 17. *Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe.* 659. 1.

Ex Lib. Esther.

Cap. 13. ℣. 9. *Non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati.* 523. 1.

Ex Lib. Iob.

Cap. 1. ℣. 22. *In omnibus his non peccauit Iob, neque aliquid ſtultum locutus eſt.* 507. 1.

Cap. 4. ℣. 18. *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.* 310. 2.

Cap. 7. ℣. 2. *Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui.* 287. 1.

Cap. 8. ℣. 21. *Donec implcatur os tuum riſu, & labia tua iubilo.* 319. 1.

Cap. 9. ℣. 21. *Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* 534. 2.

Cap. 10. ℣. 8. *Manus tuæ Domine fecerunt me.* 411. 1.

Cap. 11. ℣. 14. & 15. *Si iniquitatem quam, quæ eſt in manu tua abſtuleris a te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis.* 657. 2.

Cap. 12. ℣. 24. *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, vt fruſtra incedant per inuium, & errare eos faciat quaſi ebrios.* 409. 2.

Cap. 14. iuxta 70. *Nemo mundus à ſorde, neque infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram.* 428. 2. 435. 2.

Cap. 15. ℣. 15. *Cæli non ſunt mundi in conſpectu eius.* 310. 2.

Cap. 17. ℣. 2. *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* 507. 1.

Cap. 19. ℣. 25. 26. & 27. *Scio, quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; quem viſurus ſum ego ipſe, & & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* 48. 2. 295. 2. 318. 1. & 2. 657. 1.

Cap. 25. ℣. 3. *Numquid eſt numerus militum eius?* 215. 1.

Cap. 28. ℣. 21. *Abſcondita eſt oculis omnium viuentium ſapientia.* 41. 2.

Cap. 31. ℣. 29. *Si gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat; & exultaui, quòd inueniſſet eum malum: non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.* 696. 1.

℣. 31. *Quis det de carnibus eius vt ſaturemur?* 702. 1.

Cap. 35. ℣. 7. *Si iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* 552. 2.

Cap. 38. ℣. *Quando facta ſunt ſydera, laudauerunt me voce magna omnes Angeli mei.* 251. 2.

Cap. 41. ℣. 24. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ compareatur ei.* 212. 2. 233. 2.

Cap. 42. ℣. 5. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* 40. 2.

℣. 17. ex Theodotione & Septuaginta. *Mortuus eſt Iob ſenior & plenus dierum. Scriptum autem eſt ipſum, ſcilicet Iob, rurſus reſurrecturum cum illis cum quibus reſuſcitat Dominus.* 295. 2.

Ex Lib. Psalmorvm.

Pſal. 1. ℣. 1. *Beatus vir, qui non abyt in concilio impiorum.* 358. 1.

Pſal. 2. ℣. 3. *Proijciamus à nobis iugum ipſorum.* 457. 1.

℣. 6. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion.* 462. 1.

℣. 7. *Ego hodie genui te.* 151. 2.

Pſal. 5 ℣. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* 410. 1.

℣. 7. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium.* 585. 2. 617. 1. 693. 1.

Pſal. 8. ℣. 6. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* 212. 2. 675. 1.

℣. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* 99. 1.

Pſal. 10. ℣. 6. *Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.* 693. 2.

Pſal. 12. ℣. 3. *Quamdiu ponam conſilia in anima meâ?* 358. 1.

Pſal. 13. ℣. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo; non eſt Deus.* 292. 1.

Digitized by Google

Index

℣. 3. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* 507. 1. 209. 1.

℣. 21. 22. *Nonne, qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfectò odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* 696. 2.

Pſal. 16 ℣. 15. *Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* 294. 2. 295. 1. 309. 2.

Pſal. 17. ℣. 12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* 294. 1.

Pſal. 18. ℣. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei.* 243. 1.

℣. 4. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c.* 591. 2.

℣. 13. *Delicta quis intelligit.* 76. 1.

Pſal. 21. ℣. 10. *Tu es ſpes mea ab vberibus matris meæ.* 635. 1.

Pſal. 26. ℣. 3. *Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* 659. 1.

Pſal. 31. ℣. 2. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* 537. 1.

Pſal. 33. ℣. 16. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* 25. 1.

Pſal. 35. ℣. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* 60. 1.

℣. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* 56. 1. 298. 1.

Pſal. 39. ℣. 8. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam.* 456. 2.

Pſal. 40. ℣. 5. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* 505. 2.

Pſal. 41. ℣. 2. & 3. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: ſitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* 293. 2. 307. 1. 309. 2. 670. 1.

℣. 8. *Abyſſus abyſſum inuocat.* 506. 1.

Pſal. 44. ℣. 2. *Eructauit cor meum verbum bonũ.* 148. 2.

℣. 17. *Pro patribus nati ſunt tibi filij.* 599. 2.

Pſal. 48. ℣. 8. *Frater non redimit, redimet homo.* 295. 2.

℣. 9. *Qui confidunt in virtute ſua.* 657. 2.

℣. 11. *Simul inſipiens, & ſtultus peribunt.* 209. 1.

Pſal. 50. ℣. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* 355. 1. 428. 2.

℣. 9. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lauabis me* 536. 2.

℣. 12. *Cor meum crea in me Deus.* 200. 1. 202. 2.

Pſal. 53. ℣. 8. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* 338. 1.

Pſal. 58. ℣. 11. *Miſericordia eius præueniet me.* 505. 1.

Pſal. 61. ℣. 12. *Semel loquutus eſt Deus.* 148. 2.

Pſal. 68. ℣. 6. *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* 76. 1.

℣. 28. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* 444. 2.

℣. 29. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* 135. 1.

Pſal. 71. ℣. 10. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus.* 377. 1.

Pſal. 72. ℣. 25. 26. 27. & 28. *Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum eſt; ponere in Domino meo ſpem meam.* 293. 2. 656. 1.

Pſal. 73. ℣. 23. *Superbia eorum, qui oderunt, aſcendit ſemper.* 257. 2. 262. 1. 330. 1. 629. 2.

Pſal. 77. ℣. 5. *Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis, vt cognoſcat generatio altera, filij qui naſcentur & exurgent, & narrabunt filijs ſuis.* 545. 2. 599. 2.

℣. 31. *Electos Iſraël impediuit.* 100. 2.

℣. 57. *Auerterunt ſe, & non ſeruauerunt pactum.* 395. 1.

Pſal. 81. ℣. 6. *Ego dixi, Dij eſtis.* 72. 2.

Pſal. 83. ℣. 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* 532. 1.

℣. 5. *Beati, qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* 323. 1.

Pſal. 84. ℣. 11. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi.* 124. 1.

Pſal. 85. ℣. 11. *Deduc me Domine in via tua.* 508. 1.

Pſal. 88. ℣. 49. *Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem.* 435. 2.

Pſal. 90. ℣. 1. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* 699. 2. 211. 1.

℣. 11. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* 699. 2.

Pſal. 92. ℣. 5. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* 590. 1.

Pſal. 93. ℣. 9. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* 30. 1.

Pſal 94. ℣. 10. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper, hi errant corde: ipſi verò non cognouerunt vias meas.* 126. 2. 445. 1.

Pſal. 96. ℣. 7. *Adorate eum omnes Angeli eius.* 259. 2.

Pſal. 98. ℣. 4. *Tu paraſti directiones* 100. 2.

Pſal. 101. ℣. 3. *Ante Luciferum genui te.* 151. 1.

Pſal. 102. ℣. 4. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.* 560. 2.

℣. 7. *Notas fecit vias tuas Moyſi, & filijs Iſraël voluntates ſuas.* 456. 2.

℣. 5. *Qui replet in bonis deſiderium tuum; renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua.* 293. 1.

Pſal. 103. ℣. 4. *Qui facit Angelos tuos ſpiritus.* 211. 1.

℣. 30. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur.* 152. 1. 200. 1. 202. 2.

Pſal. 104. ℣. 5. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum ſuum, & dolum facerent in ſeruos eius.* 585. 1.

℣. 37. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* 334. 1. 620. 1.

Pſal. 113. ℣. 1. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* 529. 1.

℣. 16. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* 35. 2.

Pſal. 118. ℣. 4. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* 457. 1.

℣. 100. *Super ſenes intellexi.* 604. 1.

℣. 112. *Inclinaui cor meum, ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem.* 187. 1. 670. 1. 687. 2.

℣. 130. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* 591. 2.

℣. 137. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* 559. 2.

℣. 148. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* 518. 1.

℣. 161. *Et à verbis tuis formidauit cor meum.* 635. 1.

Pſal 134. ℣. 6. *Quæcumque voluit Dominus, fecit.* 85. 1. 89. 1.

Pſal. 135. ℣. 4. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* 277. 1.

Pſal. 138. ℣. 8. & 10. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum ades: etenim illuc manus tua deducet me.* 25. 1. 33. 2. 35. 2.

℣. 17. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* 529. 1.

Pſal. 139 ℣. 11. *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijces eos, in miſerijs non ſubſiſtent.* 446. 2.

Pſal. 144. ℣. 13. *Et ſanctus in omnibus operibus ſuis.* 409. 2.

Pſal. 145. ℣. 3. *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* 167. 1.

Pſal. 148. ℣. 5. *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt.* 91. 1.

Pſal. 149. ℣. 5. & 6. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis exaltationes Dei in gutture eorum.* 319. 1

Locorum Scripturæ ſacræ.

Ex Lib. Proverbiorvm.

Cap. 1. v. 24. *Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam: & non fuit qui aſpiceret.* 445. 2. 523. 2.
v. 28. *Inuocabunt me & non exaudiam: mane conſurgent, & non inuenient me.* 519. 1.
Cap. 4. v. 18. *Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectam diem.* 678. 2.
Cap. 6. v. 23. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ.* 457. 1.
Cap. 7. v. 18. *Inebriemur & fruamur cupitis amplexibus.* 356. 1.
Cap. 8. v. 15. *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* 466. 1.
v. 17. *Ego diligentes me diligo.* 588. 1.
v. 23. *Ab æterno ordinata ſum.* 389. 2.
v. 24. *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram* 148. 2.
v. 25. *Ante omnes colles ego parturiebar.* 38. 2.
Cap. 16. v. 1. *Hominis eſt preparare animam.* 527. 2.
v. 4. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* 192. 2. 409. 2. 662. 1. 663. 1.
Cap. 18. v. 10. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur.* 659. 1.
Cap. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato.* 534. 2.
Cap. 24. v. 16. *Septies in die cadet iuſtus, & reſurget.* 684. 2.
Cap. 25. v. 21. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit, da ei aquam bibere.* 696. 1.
Cap. 27. v. 1. *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* 103. 1.

Ex Lib. Ecclesiastis.

Cap. 7. v. 14. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* 519. 1.
v. 21. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* 449 2. 506. 1.
Cap. 9. v. 1. *Neſcit homo, vtrum amore an odio dignus ſit.* 103. 1. 664 2.
v. 10. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.* 555. 2.
Cap. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* 135 2. 446. 2.

Ex Lib. Canticorvm.

Cap. 2. v. 4. *Ordinauit in me charitatem.* 699. 2.
Cap. 4. v. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* 417. 1.
Cap. 8. v. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* 686. 1.

Ex Lib. Sapientiæ.

Cap. 1. v. 7. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* 23. 2. 243. 1. 492. 1.
v. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* 125. 2. 434 1.
Cap 2. v. 6. *Venite fruamur bonis quæ ſunt.* 356. 1.
v. 21. *Excæcauit illos malitia eorum.* 409. 2.
v. 23. *Deus creauit hominem inexterminabilem.* 434. 2.
v. 24. *Invidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* 257. 1.
Cap. 3. v. 7. *Fulgebunt iuſti & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* 320. 2.
Cap. 5. v. 16. *Juſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum merces eſt eorum* 553 1.
Cap. 7. v. 14. *Participes facti ſunt amicitiæ Dei.* 662. 1.
Cap. 8. v 1. *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* 222 1 513. 1.
Cap 9 v. 4. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* 491. 1.
v. 15. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* 348. 1.
Cap. 11. v 25. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti* 409. 2. 538. 1.
v. 26 *Quomodo poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes* 222 1.
Cap. 13. v. 5. *A magnitudine ſpeciei & creatura, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* 249. 1. 492. 1.
Cap. 14. v. 9. *Similiter odio ſunt Deo, impius & impietas eius.* 409. 2. 617. 1. 633. 2. 693. 1.
Cap. 18. v. 15. *Omnipotens ſermo tuus Domine.* 146. 148. 2.

Ex Lib. Ecclesiastici.

Cap. 7. v 14. *Noli velle mentiri omne mendacium: aſſiduitas enim illius non eſt bona.* 451. 2.
Cap. 10. v. 10. *Auaro nihil eſt ſceleſtius; hic enim & animam ſuam venalem habet.* 439. 2.
v. 15. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* 257. 1.
Cap. 11. v. 23. & 24. *Facile eſt in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem. Benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat, & in hora veloci proceſſu illius fructificat.* 555. 2.
v. 28. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vias ſuas.* 313. 2.
Cap. 15. v. 14. 15. 16. & 17. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare conſeruabunt te. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* 328. 1. 349. 1. 504. 1.
Cap. 18. v. 1. *Qui vivit in æternum creauit omnia ſimul.* 199. 1 207. 1. 208. 2.
v. 22. *Non impediaris orare ſemper, & ne vereatis uſque ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* 670 1.
Cap. 19. v. 4. *Qui credit cito, leuis corde eſt.* 574 2 588 2.
Cap. 23. v 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum.* 77. 2.
Cap. 24. v. 5. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* 148. 2
v. 14. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* 200. 1.
Cap. 25. v. 33. *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes moriuntur.* 434. 2.
Cap. 31. v. 8. *Beatus, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit.* 108. 2.
v. 10. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala & non fecit.* 349 1.
Cap. 44. v. 20. *Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non eſt inuentus ſimilis illi in gloria: quia conſeruauit legem Excelſi.* 585. 2.

Ex Isaia.

Cap. 1. v. 3. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit.* 317. 2.
v. 13. *Incenſum abominatio eſt mihi: Neomeniam & Sabbatum & feſtiuitates alias non feram.* 497. 2.
v. 16. *Lauamini mundi eſtote, auferte malum cogitationem veſtrarum ab oculis meis.* 440 2. 498. 2.
v. 19. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* 349. 1. 525. 2.

Cap.7.℣.9. *Si non crediderit is, non permanebitis.* 612.1.
℣.14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* 599.2.
Cap.8.℣.11. *In manu fortis erudiuit me, ne irem in via populi huius.* 524.2.
Cap.9.℣.6. *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis.* 149.2.
Cap.10.℣.1. *Va qui condunt leges iniquas.* 457.2.
Cap.11.℣.2. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis.* 635.2.
Cap.14.℣.12. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris.* 253.2.
℣.13. *In cœlum ascendam super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* 287.2. 629.2.
Cap.29.℣.13. *Timuerunt me, mandato hominum & doctrinis.* 475.2.
Cap.33.℣.22. *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster.* 475.2.
Cap.40.℣.8. *Verbum Domini nostri manet in æternum.* 148.2. 358.1.
℣.31. *Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* 320.2.
Cap.43.℣.25. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* 89.2. 536.2. 552.2.
Cap.45.℣.7. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* 76.1. 409.2. 694.1.
Cap.46.℣.9. & 10. *Ego sum Dominus & non est vltra Deus, nec est similis mei, annuncians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt.* 244.2.
Cap.49.℣.15. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum &c. & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* 99.1.
Cap.53.℣.7. *Oblatus est quia ipse voluit.* 330.2.
℣.7. *Sicut ouis ad occisionem ducetur.* 578.1.
℣.8. *Generationem eius quis enarrabit.* 151.1. 595.2.
Cap.55.℣.7. *Derelinquat impius viam suam & vir iniquus cogitationes suas & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* 254.1. 498.1. 526.1. 690.1.
Cap.60.℣.19. *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* 56.1.
Cap.61.℣.1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me.* 179.2.
Cap.63.℣.1. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra.* 247.1.
℣.17. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis.* 409.2.
Cap.65.℣.18. *Gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum.* 308.2.
Cap.66.℣.9. *Ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus.* 169.2.

Ex Ieremia.

Cap.7.℣.26. *Peius operati sunt, quam Patres eorum.* 402.2.
Cap.10.℣.23. *Scio Domine, quia non est hominis via eius.* 120.2.
Cap.12.℣.1. *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prauaricantur & iniquè agunt?* 99.2.
Cap.15.℣.19. *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam stabis, & si separaueris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* 525.2.
Cap.17.℣.5. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor eius.* 657.1.
℣.9. *Prauum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud. Ego Dominus scrutans cor & probans renes.* 244.2.
℣.13. *Recedentes a te in terra scribentur.* 135.2.
v.14. *Sana me Domine & sanabor.* 505.2.
Cap.20.v.7. *Seduxisti me Domine & seductus sum.* 585.1.
Cap.31.v.3. *In charitate perpetua dilexi te.* 661.1.
v.19. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* 522.1. 529.2.
v.29. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* 436.1.
℣.33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* 488.1.

Ex Threnis.

Cap.3.v.25. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* 659.1.
v.42. & 44. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es. Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio.* 693.1.
Cap.4.v.6. *Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* 402.2.
Cap.5.v.7. *Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitatem eorum portauimus.* 273.2. 436.1.

Ex Ezechiele.

Cap.3.v.4.5.6. & 7. *Fili hominis, Vade ad domum Israël, & loqueris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ, tu mitteris ad domum Israël: neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones, & si ad illos mittereris, ipsi audirent te, domus autem Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me.* 531.1.
Cap.14.v.9. *Propheta cum errauerit, & loquutus fuerit verbum: Ego Dominus decepi Prophetam illum.* 409.2. 585.1.
Cap.18.v.20. *Filius non portabit iniquitatem Patris.* 436.1.
v.23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij?* 93.1.
v.24. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerit non recordabuntur.* 562.2.
v.28. *Si auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & feceris iudicium & iustitiam: ipse animam suam viuificabit.* 539.1.
Cap.24.v.13. *Mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.* 93.1.
Cap.28.v.6. *Elevatum est cor tuum quasi cor Dei.* 258.2.
v.12. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore.* 213.1. 239.1.
v.17. *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* 257.2.
Cap.33.v.11. *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius a via sua & viuat.* 648.1.
v.12. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.* 616.1.
Cap.36.v.25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis spiritum nouum.* 440.2. 522.1. 536.2.
v.27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.* 522.1.

Digitized by Google

Locorum Scripturæ ſacræ.

Ex Daniele.

Cap.4. ℣.24. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* 108. 1. 505. 2.

Cap.7. v.10. *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* 135. 2.

Cap.12. ℣.2. *Qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium; vt videant ſemper.* 314. 2.

℣.3. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* 311. 1. 321. 1.

Cap.13. ℣.56. *Concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* 348. 1.

Ex Oſea.

Cap.2. ℣.1. *Dicite fratribus veſtris, iudicate matrem veſtram, auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio uberum ſuorum, ne forte expoliem eam nudam.* 473. 2.

Cap.6. ℣ 7. *Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum: ibi prauaricati ſunt in me.* 462. 1.

Cap.13. ℣.9 *Perditio tua Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum.* 124. 2. 505. 2. 533. 2.

℣.14. *O mors ero mors tua, morſus tuus ero ô inferne.* 477. 1.

Ex Amos.

Cap.3. ℣.6. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit* 76. 1. 409. 2.

Ex Michæa

Cap.2. ℣.11. *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer.* 700. 1.

Cap.7. ℣.8. *Ne lætere inimica mea ſuper me, quia cecidi: conſurgam cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt, iram Domini portabo quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet.* 446. 2.

Ex Habacvc.

Cap.1. ℣.13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* 410. 1.

℣.13. *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* 99. 2.

Cap.2. ℣.4. *Iuſtus in fide ſua viuet.* 618. 2. 626. 1. 672. 2.

Cap.3 ℣ 2. *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* 635. 1.

Ex Zacharia.

Cap.1. ℣.3. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* 525. 2. 690. 1.

Cap.2. ℣.8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* 99. 1. 277. 1. 699. 1.

Ex Malachia.

Cap.2. ℣ 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius quia Angelus Domini exercituũ eſt.* 573. 1. 599. 2. 617. 2. 639. 1.

Ex 2. Machabæorvm.

Cap.1. ℣.3. *Det vobis Deus cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem.* 456. 2.

Cap.7. ℣.28. *Peto, nate, vt aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt.*

Cap.9. ℣.13. *Orabat hic ſceleſtus Dominum à quo non eſſet miſericordiam conſequuturus.* 519. 1.

EX NOVO TESTAMENTO:

EX EVANGELIO D. Matthæi.

Cap. 1. ℣.20. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* pag. 125. col. 2.

Cap.2. ℣.13. *Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.* 219. 1.

℣.15. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* 21. 1.

Cap.3. ℣.10. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* 386. 2. 436. 2.

℣.17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* 149. 2. 569. 2. 600. 1.

Cap.5. v.8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* 298. 1. 299. 2. 301. 1.

℣.12. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* 553. 1.

℣.13. *Si ſal euanuerit, in quo ſalietur?* 19. 1.

℣.14. *Vos eſtis lux mundi.* 585. 1.

v.17. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* 477. 1.

v.19. *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* 321. 2. 449. 1.

v.20. *Dico vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* 296. 1. 538. 1. 695. 1.

v.22. *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* 450. 1.

v.228. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* 337. 2. 399. 1.

v.39. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram tuam maxillam, præbe illi & alteram.* 694. 2.

v.43. *Audiſtis, quia dictum eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* 488. 2. 694. 2.

v.45. *Vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* 695. 2.

v.48. *Eſtote vos perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* 538. 2. 694 2. 798. 2.

Cap.6. v.10. *Fiat voluntas tua.* 456 2.

v.12. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* 798. 1.

v.14. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra: Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* 695. 1.

v.24. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* 125. 1. 290. 1.

Cap 7. ℣.12. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* 696. 2.

℣.15. *Attendite a falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* 590. 2.

℣.18. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* 497. 2. 506. 1. 685. 2.

Cap.8. ℣.4. *Ait illi Iesus, vade nemini dixeris: sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.* 482. 1.

℣.11. *Multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Filij autem regni eyicientur in tenebras exteriores.* 132. 2.

℣.29. *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* 629. 2.

Cap.9. ℣.13. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* 693. 2.

Cap.10. ℣.5. *In viam gentium ne abieritis.* 464. 1.

℣.9. & 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* 639. 2.

℣.19. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quo loquamini.* 601. 2. 606. 2.

℣.20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri quid loquatur in vobis.* 572. 1. 578. 2. 633. 1.

℣.22. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* 106. 2.

℣.23. *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* 622. 1.

℣.26. *Ne ergo timueritis eos.* 291. 2.

℣.33. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo qui in cœlis est.* 332. 1. 612. 1. 620. 1. 621. 2.

℣.37. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus,* 291. 1. 452. 2. 690. 1. 700. 1.

℣.42. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine Discipuli. Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* 670. 1.

Cap.11. ℣.4. *Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* 690. 2.

℣.11. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* 585. 2. 583. 1.

℣.12. *Regnum cœlorum vim patitur.* 296. 1.

℣.21. *Væ tibi Chorozain, Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* 94. 1.

℣.22. *Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij quàm vobis.* 322. 1.

℣.25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea parvulis.* 170. 1.

℣.30. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* 457. 1. 501. 2.

Cap.12. ℣.32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* 397. 1. 408. 2. 449. 2.

℣.36. *Dico vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* 451. 2.

℣. 39. & 40. *Signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas in diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* 21. 2

Cap.13. ℣.8. *Alia ceciderunt in terram bonam, dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.* 322. 2.

℣.29. & 30. *Sinite crescere vtraque ad messem. Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.* 647. 1.

℣.43. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* 294. 2. 321. 1.

Cap.15. ℣.8. *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me.* 477. 1.

℣.9. *Sinè causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* 477. 1.

℣.19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* 339. 1. 377. 2. 400. 1. 405. 2. 488. 2.

℣.24. *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* 693. 2.

Cap.16. ℣.8. *Quid cogitatis intrà vos modicæ fidei?* 566. 1.

℣.17. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* 170. 1. 568. 2. 577. 2. 593. 2. 633. 1.

℣.18. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* 592. 1. 600. 1.

℣.19. *Dabo tibi claues regni cœlorum.* 476. 2.

℣.25. *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* 334. 2.

℣.26. *Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur.* 700. 1.

Cap.17. ℣.4. *Bonum est nos hic esse: Si vis, faciamus hic tria tabernacula.* 321. 1.

Cap.18. ℣.10. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* 301. 1.

℣.15. *Si peccauerit in te, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* 397. 1. 469. 2. 600. 2. 694. 1.

℣.15. *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum.* 300. 2.

℣.17. *Quòd si non audieris eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* 17. 2. 476. 1. 573. 2. 600. 2. 646. 2. 694. 1.

v.21. & 22. *Domine quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? vsque septies? dicit illi Iesus: non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* 647. 2.

v.32. 33. & 34. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nónne ergo oportuit & te misereri conseruitui, sicut & ego tui misertus sum? & iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum ei.* 798. 1. & 2.

Cap.19. v.5. *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori: & erunt duo in carne vna.* 704. 2.

℣.12. *Sunt Eunuchi qui castrauerunt seipsos propter regnum cœlorum.* 343. 1.

v.13. *Qui potest capere, capiat* 142. 1. v. 343. 1.

v.14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere venire ad me: talium est enim regnum cœlorum.* 296. 1.

v.17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* 345. 1. 452. 1. 457. 1. 612. 2. 687. 2.

v.24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorum intrare.* 293. 1.

v.28. *Vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* 322. 1.

v.29. *Et omnes qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores,*

Digitized by Google

ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet. 343. 1.

Cap. 20 ℣ 6. & 7. *Quid hic ſtatis tota die otioſi? ite & vos in vineam meam, & quod fuerit iuſtum dabo vobis.* 115. 2.

℣. 12. *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt: & pares nobis illos feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* 58. 1. 120. 2.

℣. 22. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* 141. 2. 343. 1.

℣. 28. *Filius hominis venit dare animam ſuam redemptionem pro multis.* 414. 2.

Cap. 22. ℣. 21. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: quæ ſunt Dei, Deo.* 460. 2. 476. 2. 640 1.

℣. 29. & 30. *Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei, in reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* 320. 1.

℣. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* 667. 2. 687. 1. 688. 1.

℣ 38. *Hoc eſt primum & maximum mandatum* 449. 1. 670. 2.

℣ 39. *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* 667. 2. 687. 1. 688. 1. 689. 1.

℣. 40. *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.* 13. 1.

Cap. 23. ℣. 2. & 3. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite.* 477. 2. 642. 2.

℣. 34. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & ſapientes, & Scribas.* 599. 2.

℣. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* 328. 1. 408. 1. 523. 2. 528. 1.

Cap. 24 ℣. 24. *Surgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna & prodigia, ità vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* 590. 2.

Cap. 25. ℣. 21. & 23. *Euge ſerue bone & fidelis, intrà in gaudium Domini tui.* 299 2. 301. 1. 305. 2.

℣. 27. *Recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura.* 474. 1.

℣. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* 108. 1. 293. 2. 296. 1. 314. 2. 555. 1. 657. 2. 670. 1.

℣. 35. *Eſurini & dediſtis mihi manducare: ſitini, & dediſtis mihi bibere.* 108. 1. 293. 2. 670. 1.

℣. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.* 263. 2. 436. 2. 660. 2.

℣. 46. *Ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.* 293. 1. 311. 1. 314 2.

Cap. 26. ℣. 28. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* 414 2.

℣. 35. *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* 622. 2.

Cap. 27. ℣. 19. *Nihil tibi & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* 261. 2.

℣ 46. *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* 304. 1.

Cap. 28. ℣. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* 259. 2.

℣. 19. *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* 3. 2. 573. 2. 591. 2.

℣. 20. *Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.* 475. 2.

℣. 20. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* 478. 1.

Ex Evangelio D. Marci.

Cap. 5. ℣. 12. *Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.* 27. 2.

Cap. 9. ℣. 47. & 48. *Si oculus tuus ſcandalizat te, eijce eum: bonum tibi eſt luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur* 446. 2.

Cap. 13 ℣. 32. *De die illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius.* 65. 1.

Cap. 16. ℣ 9 *De qua ejecerat ſeptem damonia.* 267. 1.

℣. 14. *Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* 124. 2.

℣. 15. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* 93. 2. 573. 2. 578. 1. 590. 2. 591. 2. 601. 2. 612. 1 645. 2.

℣. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* 107. 1. 533. 1. 548 1.

℣. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* 636. 1.

℣. 17. *Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo damonia ejicient: linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent.* 172. 1. 277. 1. 278. 1. 590. 2.

℣. 19 *Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum.* 318. 2.

Ex Evangelio D. Lucæ.

Cap. 1. ℣. 15. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* 417. 2 435. 2.

℣. 28. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* 103. 2.

℣. 51. *Fecit potentiam in brachio ſuo.* 25. 1. & 2.

Cap. 2. ℣ 10. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator qui eſt Chriſtus Dominus.* 584 2.

℣. 52. *Ieſus proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines.* 237. 2.

Cap. 4. ℣. 41. *Exibant damonia à multis, clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei.* 629. 2.

Cap. 6 ℣. 19. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* 264. 1. 532. 1. 674. 2.

℣ 38. *Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum.* 560. 1.

Cap. 7. ℣. 5. *Dignus eſt vt hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis.* 5. 1.

℣. 28. *Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt, qui autem minor eſt in regno Dei, maior illo eſt.* 321. 2. 322. 1.

℣. 47. *Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* 414 2. 539. 1.

Cap. 8. ℣. 33. *Exierunt damonia ab homine, & intrauerunt in porcos.* 270. 2.

℣. 46. *Ego noui virtutem exiſſe de me.* 674. 2.

Cap. 9 ℣. 1. *Dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia damonia.* 275. 1.

℣. 26. *Qui erubuerit me & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua, & Patris & ſanctorum Angelorum.* 612. 1. 620. 1. 622. 1.

℣. 55. *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.* 639. 2.

Cap. 10 ℣ 13. *Væ tibi Chorozain, væ tibi Bethſaïda, quia ſi in Tyro & Sidone facta fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere ſedentes pœnituerent.* 531. 1.

℣. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* 476. 2. 573. 2. 602. 1. 642. 2.

℣. 17. *Domine etiam damonia ſubijciuntur nobis in*

Digitized by Google

nomine tuo. 277. 2. 278. 1.
℣.20. *Gaudete quod veſtra nomina ſcripta ſunt in cœlis.* 103. 2.
℣ 25. & 27. *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo? in lege quid ſcriptum eſt? Diliges Dominum Deum tuum.* 554. 1.
Cap. 11. ℣. 15. *In Beelzebub principe Dæmoniorum ejcit dæmonia* 216. 2.
℣.19. *Si ego in Beelzebub ejcio dæmonia, filij veſtri in quo ejciunt?* 274. 2.
℣.24. *Revertar in domum meam, unde exivi.* 180. 2.
℣.42. *Væ vobis Phariſæis qui decimatis mentham & rutam, & omne olus: & præteritis judicium & charitatem Dei.* 93 2.
Cap. 12. ℣. 7. *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* 74. 1.
℣.20. & 21. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt? ſic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* 293. 1.
℣ 32. *Nolite timere puſillus grex; quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* 117. 1. 132. 2.
℣.47. *Servus qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* 386. 2.
℣.49 *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* 678. 1.
Cap. 13. ℣. 3. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* 3. 2. 414. 1. 605 2. 688 1.
Cap. 14. ℣. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* 124. 2. 700. 1.
Cap. 15 ℣. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* 287. 2.
℣.14 *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* 108. 1.
Cap. 16. ℣. 22. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* 42. 2. 263. 1. 293. 1 314. 2.
℣.41. *Crucior in hac flamma.* 263. 2. 319. 2.
Cap. 17. ℣. 5. *Adauge nobis fidem.* 631. 2 677. 2.
Cap. 18 v. 19. *Nemo bonus niſi ſolus Deus.* 31. 2.
Cap. 19. v. 10. *Venit filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.* 93 2. 693. 2.
Cap 21. v. 19. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* 108 2.
v. 33. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* 536. 1. 610. 2.
Cap. 22. v 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* 179 2. 477. 2. 509. 1. 576. 2. 600. 1. 601. 2. 646. 2.
v. 42. *Non voluntas mea, ſed tua fiat.* 456. 2.
v. 44. *Et factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* 264. 1.
Cap. 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* 42. 2. 203. 1. 313. 1.
Cap. 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam ſuam?* 318. 1.
v. 39. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* 198 2. 319. 2. 571. 1.
v. 41. & 42. *Habetis aliquid, quod manducetur, hic? at illi obtulerunt ei piſcis aſſi partem, & favum mellis, & cùm manducaſſet, ſumens reliquias dedit eis.* 319. 2.
v. 49. *Vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* 535. 1.

Ex Evangelio D. Ioannis.

Cap. 1. v. 1. *In principio erat Verbum.* 148 2. 150. 1.
v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil.* 175. 2. 199. 2.
v. 4. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* 30. 1.
v. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 93. 2.
v. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* 578 2.
v. 14. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* 198. 2. 584 2.
v 15. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* 67. 1.
v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* 532. 1. 553. 2.
v. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt* 488. 1.
v. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* 150. 1. 568. 2. 577 2. 578. 2. 599. 1. 600. 1.
Cap. 2. v. 2. *Nemo poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis: niſi fuerit Deus cum eo.* 277. 1.
v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* 3. 2. 413. 2. 436. 2. 605. 2 612. 1. 688. 1.
v. 8. *Spiritus ubi vult ſpirat.* 675. 1.
v. 14. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ità exaltari oportet filium hominis.* 21. 2.
v. 18. *Qui non credit jam judicatus eſt.* 612. 1.
v. 33. *Qui accepit ejus teſtimonium, ſignavit quia Deus verax eſt.* 586. 1.
Cap. 4. v. 14. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* 511. 2 562 1.
v. 42. *Non jam propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus quia hic eſt verè Salvator mundi.* 596. 2.
Cap. 5. v. 6. *Vis ſanus fieri?* 84. 1. 95. 2. 328. 1. 345. 1.
v. 29. *Procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicij.* 555. 1.
Cap. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* 299. 2. 522. 1. 524. 1. 527. 2. 575. 2. 609. 2.
v. 45. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* 529. 2.
v. 52. *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* 140. 1.
v. 53. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 605. 2.
v. 67. *Numquid & vos vultis abire?* 645. 2.
Cap. 7. v. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego a meipſo loquar.* 662. 2.
v. 19. *Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* 457. 2.
v. 37. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* 648. 1.
Cap. 8. v. 12. *Ego ſum lux mundi.* 585. 2.
v. 24. *Si non crediderit is quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* 616. 2. 637. 1.
v. 31. *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* 640. 1.
v. 34. *Omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati.* 355. 1.
v 42. *Ego ex Deo proceſſi.* 145. 2.
v. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* 536. 2.
Cap. 9. v. 4. *Me oportet operari opera ejus qui miſit me, donec dies eſt, venit nox quando nemo poteſt operari.* 255. 1. 555. 2. 614 2.
Cap. 10. v. 11. *Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus.* 701. 1. 471. 1.
v. 18. *Poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem*

Digitized by Google

ſtatem habeo iterùm ſumendi eam. 571. 1.
℣. 27. & 28. *Oues meæ vocem meam audiunt, & cognoſco eas, & non rapiet quiſquam eas de manu mea.* 99. 1. 103. 1. 105. 2. 529. 2.
℣. 30. *Ego & Pater vnum ſumus.* 149. 2. 184. 2. 196. 1.
℣. 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoſcatis, & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* 142. 1. 590. 2.
Cap. 11. ℣ 50. & 51. *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit.* 330. 1.
Cap. 12. ℣. 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* 125. 1. 620. 1. 692. 2. 693. 2.
℣. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Iſaïas: Excæcauit oculos eorum, & induravit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde: & conuertantur, & ſanem eos.* 123. 2. 126. 1.
℣. 34 *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* 452. 2.
℣. 44. *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me* 577. 2.
Cap. 13. ℣ 2. *Cum diabolus iam miſiſſet in cor Iudæ vt traderet eum* 167. 1.
℣. 10. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet.* 444. 1 449. 2.
℣. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* 688. 1.
Cap. 14. ℣. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.* 566. 2.
℣. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* 58. 2. 296. 2. 321. 2. 402. 1. 538. 1. 677. 2.
℣. 2. *Vado parare locum vobis.* 321. 2.
℣. 6. *Ego ſum via, & veritas, & vita.* 586. 2.
℣. 8. *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* 301. 1.
℣ 9. *Qui videt me, videt & Patrem meum,* 149. 2. 298. 1.
℣. 10. *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* 63. 1. 149 2. 197. 2.
℣. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* 142. 1.
℣. 15. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* 452. 1.
℣. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* 525. 2. 551. 2.
℣. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum facicmus.* 357. 2. 385. 1. 499. 2. 533. 2. 666. 1.
Cap. 15. ℣ 4. *Sicut palmes non poteſt fructum ferre à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* 101. 2. 114. 1. 553. 2. 558. 1.
℣. 5. *Sinè me nihil poteſtis facere.* 299. 2. 355. 1. 553. 2. 558. 1. 615. 1.
℣. 12. *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* 701. 1.
℣. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* 143. 2. 331. 2. 360. 1. 534. 1. 619. 2. 677. 1. 683. 1. 689. 1. 702. 1.
℣. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* 662. 1.
℣. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos: & poſui vos, vt eatis & fructum afferatis.* 117. 1. 602. 1.
℣. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* 574. 1. 590. 2. 600. 1. 616. 2. 636. 1.
℣. 26. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: ille teſtimonium perhibebit de me.* 478. 1. 572. 1. 601. 1. 606. 2. 639. 1. 642. 2.
Cap. 16. ℣. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* 179. 1.
℣. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 3. 1. 5. 2. 599. 1.
℣. 13. & 14. *Non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur: & quæ ſunt venitura annuntiabit vobis: ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* 179. 2.
℣. 20. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium* 301. 1.
℣. 22. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* 135. 2. 293. 1 294. 2. 299. 2. 301. 1. 305. 2. 308. 2. 311. 1. 597. 2.
℣. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum.* 145. 2. 198. 1.
℣. 30. *Nunc ſcimus quia ſcis omnia.* 67. 1.
Cap. 17. ℣ 1. *Pater clarifica filium tuum.* 149. 2.
℣. 3. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* 149 2 294. 1. 297. 2. 298. 1. 299. 1. & 2. 301. 1. 307. 1. 321. 2. 607. 2.
℣. 17. *Sanctifica eos in veritate.* 536. 2.
Cap. 18. ℣. 11. *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* 645. 2.
Cap. 19. ℣. 11. *Non haberes poteſtatem vllam aduerſum me, niſi eſſet tibi datum deſuper.* 466. 2.
℣. 11. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* 402. 2.
Cap. 10 ℣. 19. *Stetit in medio, & dixit eis. Pax vobis.* 318. 2.
℣. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* 478. 1.
℣. 22. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* 453. 1. 476. 1. 484. 1. 585. 1. 685. 1.
℣. 27. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* 318. 2. 319. 1. & 2.
℣. 29 *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* 569. 2. 588. 2.
℣. 30. & 31. *Multa alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt in libro hoc, hæc autem ſcripta ſunt vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei.* 18. 2.
Cap. 21. ℣. 17. *Petre paſce oues meas.* 476. 1. 477. 1. 600. 1. 601. 1.
℣. 18. *Cum eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* 350. 1.

Ex Libro Actvvm Apostolorvm.

Cap. 1. ℣. 3. *Per dies quadraginta apparens eis, & & loquens de regno Dei.* 318. 2.
Cap. 2. ℣. 3. *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſedítque ſuprà ſingulos eorum.* 98. 2.
℣. 4. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt*

Digitized by Google

loqui variis linguis : prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. 600. 1.

℣.42. *Erant autem perſeverantes in communicatione fractionis panis.* 607. 2.

Cap. 4. ℣. 12. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus : in quo oporteat nos ſaluos fieri.* 604. 2.

Cap. 5. ℣. 3. & 4. *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, non es mentitus hominibus, ſed Deo.* 161. 2.

Cap. 7. ℣. 52. *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? & occiderunt eos qui prænuntiabant de aduentu iuſti.* 599. 2.

℣. 56. *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* 313. 2.

℣. 58. *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.* 313. 2.

Cap. 8. ℣. 14. *Cum audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem.* 603. 1.

Cap. 9. ℣. 12. *Saulus autem multo magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.* 638. 2.

Cap. 10. ℣. 4. *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* 616. 2.

Cap. 12. ℣. 7. & 8. *Percuſſo latere Petri, excitauit eum, dicens : ſurge velociter præcingere, & calcea te caligas tuas.* 219. 1.

Cap. 13. ℣. 12. *Tunc Proconſul cum vidiſſet factum, credidit, admirans ſuper doctrina Domini.* 574. 1.

Cap. 15. ℣. 9. *Fide purificans corda eorum.* 635. 1.

℣. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus.* 457. 1. 476. 1. 488. 2.

℣. 28. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum.* 476. 1. 602. 2.

Cap. 17. ℣. 28. *In ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus.* 222. 1. 411. 1. 412. 2.

Cap. 20. ℣. 28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* 481. 2. 618. 1. 639. 1.

EX EPISTOLIS D. PAVLI.

Ex Epistola ad Romanos.

Cap. 1. ℣. 5. *Per quem accepimus gratiam & apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomine eius.* 627. 1.

℣. 8. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* 592. 1. 614. 1.

℣. 17. *Iuſtus ex fide viuit.* 542. 1. 625. 1. 626. 1.

v. 20. *Inuiſibilia ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* 33. 2. 589. 1.

℣. 21. *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt.* 492. 2.

℣. 22. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum vt faciant ea quæ non conueniunt.* 123. 2. 126. 1. 444. 2. 585. 2.

Cap. 2. ℣. 10. *Gloria & honor, & pax omni operanti bonum.* 520. 1.

℣. 13. *Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* 657. 2.

℣. 14. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt.* 396. 2. 457. 2. 504. 1.

Cap. 3. ℣. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit?* 566. 1.

℣. 4. *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* 586. 1.

℣. 20. *Per legem cognitio peccati.* 396. 1.

℣. 22. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum.* 613. 2.

℣. 24. & 25. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* 613. 2.

℣. 28. *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſinè operibus legis.* 549. 1. 566. 2.

Cap. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* 654. 1.

v. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* 557. 1.

v. 5. *Credenti in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei.* 618. 2.

v. 11. *Signum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei quæ eſt in præputio.* 414. 1.

v. 15. *Lex iram operatur. Vbi non eſt lex, nec prævaricatio legis.* 396. 1.

v. 17. *Vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt.* 82. 1.

v. 19. *Nec conſiderauit corpus ſuum emortuum : cum iam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Sarræ.* 549. 1.

Cap. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis,* 293. 2. 500. 1. 506. 1. 654. 2. 663. 2. 666. 1. 674. 1.

v. 7. *Vix pro iuſto quis moritur : nam pro bono forſitan quis audeat mori.* 702. 1.

v. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors : & ita in omnes homines mors pertranſiit : in quo omnes peccauerunt.* 273. 1. 355. 1. 414. 1.

v. 13. *Peccatum non imputabatur, cum lex non eſſet.* 537. 1.

v. 20. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.* 439. 1.

Cap. 6. v. 23. *Stipendia peccati mors.* 128. 2. 434. 2.

v. 23. *Gratia, vita æterna.* 49. 2. 135. 1. 299. 1.

Cap. 7. v. 2. *Mulier viuente viro alligata eſt legi.* 487. 1.

v. 7. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.* 396. 1. 405. 1. 406. 1. 422. 1.

v. 19. *Non quod volo bonum, hoc facio : ſed quod volo malum, hoc ago.* 465. 2.

v. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, captiuantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis.* 344. 1. 348. 1. 383. 2. 406. 2. 422. 2.

v. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* 501. 1.

Cap. 8. v. 12. & 13. *Debitores ſumus non carni vt ſecundum carnem viuamus, ſi enim ſecundum carnem vixeritis moriemini : ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* 504. 1.

v. 15. *In quo clamamus Abba (Pater)* 319. 1.

v. 16. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei.* 102. 2. 534. 1. 578. 2. 662. 1. & 2.

v. 24. *Spe ſalui facti ſumus.* 542. 1. 653. 2.

Digitized by Google

Ibid. *Nam quod videt quis, quid ſperat?* 596. 2. 653. 1. 660. 1.
℣. 26. *Quid oremus ſicut oportet neſcimus, Spiritus ſanctus eſt qui poſtulat pro nobis.* 93. 2.
℣. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* 108. 2.
℣. 29. & 30. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui: quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* 105. 2. 107. 1. 120. 2. 122. 2. 318. 1.
℣. 38. & 39. *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* 102. 2. 700. 2. 534. 1.
Cap. 9. ℣. 11. *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* 94. 1. 123. 1. 124. 2. 127. 1. 528. 2.
℣. 15. *Miſerebor, cuius miſereor: & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor.* 117. 1.
℣. 16. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* 123. 1. 125. 1. 523. 1. 528. 1. & 2.
℣. 18. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* 123. 1. 125. 1.
℣. 22. *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ.* 110. 2.
℣. 23. *Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ.* 288. 1.
Cap. 10. ℣. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* 332. 1. 620. 1.
℣. 14. *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſinè prædicante.* 574. 1. 616. 1.
℣. 16. *Non omnes obediunt Euangelio.* 589. 1.
℣. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* 562. 2. 574. 1. 632. 2. 636. 1.
℣. 18. *Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* 614. 1.
Cap. 11. ℣. 6. *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia non eſt gratia.* 490. 1.
℣. 11. *Illorum delictum ſalus eſt gentibus, vt illos æmulentur.* 122. 1.
℣. 33. & 34. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, & quis cognouit ſenſum Domini?* 117. 2.
℣. 35. *Quis prior dedit illi, & tribuetur ei?* 558. 2.
Cap. 12. ℣. 17. *Nulli malum pro malo reddentes.* 695. 1.
℣. 19. *Mihi vindicta, ego retribuam.* 646. 2. 694. 1.
℣. 20. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi.* 695. 1.
Cap. 13. ℣. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* 462. 1. 478. 2. 640. 1.
Ibid. *Non eſt poteſtas niſi a Deo.* 466. 2.
Ibid. *Quæ ſunt a Deo, ordinata ſunt.* 700. 1.
℣. 2. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* 466. 2.
Ibid. *Qui reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt.* 481. 2.
℣. 4. *Non enim ſinè cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram, ei qui malum agit.* 639. 2. 694. 1. 696. 2.
℣. 7. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui veſtigal, veſtigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* 696. 2.
℣. 8. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* 402. 1. 452. 1.
℣. 10. *Plenitudo legis eſt dilectio.* 13. 1. 500. 2.
Cap. 14. ℣. 17. *Non eſt regnum Dei eſca & potus: ſed iuſtitia, & gaudium, & pax in Spiritu ſancto.* 299. 2. 301. 1. 305. 2.
℣. 23. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* 396. 1. 498. 2. 566. 1.

Ex Epistola 1. ad Corinthios.

Cap. 1. ℣. 30. *Vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* 537. 2.
Cap. 2. ℣. 7. & 8. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt: quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram: quam nemo principum huius ſeculi cognouit.* 170. 1.
℣. 11. *Quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.* 65. 1. 249. 1. 305. 1.
℣. 12. *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt: vt ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis.* 534. 1.
℣. 16. *Nos autem ſenſum Chriſti habemus.* 21. 1.
Cap. 3. ℣. 7. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed, qui incrementum dat Deus.* 529. 2.
Cap. 4. ℣. 4. *Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* 534. 2.
℣. 5. *Nolite ante tempus iudicare.* 529. 1.
℣. 7. *Quis te diſcernit? quid autem habes quod non acceperis? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* 523. 1. 633. 1.
Cap. 5. ℣. 5. *Tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit.* 275. 1.
℣. 12. *Quid mihi de his qui foris ſunt iudicare?* 645. 2.
Cap. 6. ℣. 1. *Audet aliquis veſtrum negotium habens aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* 641. 1.
℣. 10. *Neque adulteri, neque molles, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.* 469. 1.
℣. 11. *Hoc aliquando fuiſtis, ſed abluti eſtis: ſed ſanctificati eſtis.* 536. 2.
℣. 18. *Qui fornicatur, in proprium corpus peccat.* 397. 1.
℣. 20. *Portate Deum in corpore veſtro.* 152. 1.
Cap. 7. v. 10. & 11. *Iis qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit manere innuptam.* 433. 2. 487. 1. 591. 2.
℣. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* 343. 1. 451. 1.
v. 37. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* 343. 1.
v. 38. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.* 343. 1.
v. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit, quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt a lege: cui vult nubat, tantùm in Domino.* 333. 2. 478. 2. 596. 2. 630. 1.
v. 40. *Beatior erit, ſi ſic permanſerit.* 58. 2.
Cap. 9. v. 9. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* 98. 1.
v. 19. *Omnibus omnium me ſeruum feci.* 300. 2.
v. 24. *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. Sic currite vt comprehendatis.* 61. 1. 255. 1. 309. 2.
v. 25. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* 255. 1. 309. 2. 320. 1.
v. 27. *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar.* 534. 685. 1. 692. 2.

Cap. 10. ℣. 11. *Hæc omnia in figura contingebant illis.* 616. 1.
℣. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* 544. 2.
℣. 16. *Panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est?* 608. 1.
Cap. 11. ℣. 2. *Laudo vos quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* 476. 1.
v. 7. *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est: mulier autem gloria viri est.* 295. 1.
v. 18. & 19. *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo, nam oportet & hæreses esse vt & qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* 641. 1.
v. 27. *Quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* 451. 1.
v. 31. *Cetera cùm venero disponam.* 461. 1.
Cap. 12. v. 3 *Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto.* 493. 2. 612. 1.
v. 7. 8 9 10. & 11. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum. Alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu. Alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* 6. 1. 7. 1. 531. 2. 675. 1.
v. 31. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* 677. 2.
Cap. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* 171. 1.
v. 2. *Si habuero omnem fidem ità vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* 514. 1.
v. 3. *Si tradidero corpus meum ità vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 548 2. 662. 2.
v. 4. & 7. *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 517 1. 667. 2.
℣. 8. *Charitas nunquam excidit.* 503. 2.
℣. 10. *Cùm autem venerit quod perfectum, est evacuabitur quod ex parte est.* 596. 2. 630. 1. 654. 1. 683. 2.
℣. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* 68. 2. 298. 1. 299. 2. 307. 1. 567. 1. 569. 2. 581. 1. 588. 2. 589. 1. 596. 2. 608. 2 628. 1. 660. 2.
Ibid. *Tunc cognoscam sicut & cognitus sum.* 299. 2.
℣. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc, major autem est charitas.* 566. 2. 627. 1. 653. 1.
Cap. 15. ℣. 10. *Abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* 518. 1.
℣. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur.* 438 1. 521. 1. 615. 1.
℣. 36. *Tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur.* 435. 2.
℣. 41 & 42. *Stella à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* 58. 2. 296. 2. 321. 2. 402 1. 538. 1. 677. 2.
℣. 42 43. & 44. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale: surget corpus spirituale.* 318. 1. 320. 1. & 2.
℣. 56. *Virtus peccati lex.* 396. 1.

Ex 2. ad Corinthios.

Cap. 1. ℣. 3. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* 410. 2.
v. 9. *Vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo.* 657. 2.
v. 11. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* 534. 2.
Cap. 3. v. 5. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* 355. 1. 492. 1. 558. 2.
v. 6. *Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* 428. 1.
v. 18. *Nos verò omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* 588. 2.
Cap. 4. v. 6. *Illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* 588. 2. 610. 1.
v. 10. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* 287. 1.
v. 13. *Habentes eumdem Spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur.* 619. 2.
Cap. 5. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* 313. 1. 373. 1. 437. 1. & 2. 555. 2. 614. 2. 677. 2. 681. 1.
v. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus.* 416 2.
v. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur justitia Dei in ipso.* 537. 2.
Cap. 6. v. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* 623. 1.
v. 14. & 15. *Quæ societas lucis ad tenebras, & quæ conventio Christi ad Belial?* 536. 2.
Cap. 8. v. 11. *Vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ità sit & perficiendi ex eo quod habetis.* 377. 1.
Cap. 9. v. 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 322. 1. 581. 1.
v. 10. *Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* 462. 1.
Cap. 10. v. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* 589. 1. 608. 2.
v. 15. *Spem habentes crescentis fidei vestræ.* 632. 2.
Cap. 12. v. 2. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cælum.* 597. 2.
v. 3. *Scio hujusmodi hominem &c. quoniam raptus est in paradisum.* 71. 2.
v. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* 267. 2.
v. 9. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* 519. 1.
Cap. 13. v. 5. *Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate.* 534. 2.
v. 7. *Oramus Deum vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus.* 509. 1.

Ex Epistola ad Galatas.

Cap. 1. v. 8. *Licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* 610. 2.
v. 11. & 12. *Notum vobis facio evangelium quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi* 569. 1. 578. 1

Digitized by Google

Cap.2. ℣.11. *In faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* 507. 2.
Cap.3. ℣.11. *Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt quia juſtus ex fide vivit.* 613. 2.
℣.22. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.* 414. 2.
℣.26. *Omnes filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* 613. 2.
Cap.4. ℣.4. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum.* 198. 2.
Cap.5. ℣.4. *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini: à gratia excidiſtis.* 685. 1.
℣.12. *Utinam & abſcindantur qui vos conturbant.* 647. 1. 694. 1.
℣.14. *Omnis enim lex in uno ſermone impletur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* 402. 1.
℣.16. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* 355. 2.
℣.17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem.* 344. 1. 348. 1. 406. 2. 422. 2. 693. 2.
℣.22. & 23. *Fructus Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia.* 500. 1. 663. 2.
Cap.6. v.8. *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet.* 536. 2. 677. 2. 681. 1.

Ex Epistola ad Ephesios.

Cap.1. ℣.3. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.* 122. 2.
℣.4. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti.* 101. 2. 102. 1. 116. 2.
℣.5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum.* 616. 1.
℣.6. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo.* 532. 2.
℣.9. *Secundum beneplacitum ejus.* 101. 1.
℣.11. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* 137. 2. 358. 1. 410. 1.
℣.13. & 14. *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ.* 511. 1.
Cap.2. ℣.3. *Eramus natura filij iræ ſicut & ceteri.* 355. 1. 416. 2. 428. 2.
℣.8. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* 493. 1. 566. 2. 575. 2. 633. 1.
℣.10. *Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis,* 200. 1.
℣.20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.* 579. 1.
Cap.3. ℣.10. *Ut innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.* 64. 1.
℣.14. *Hujus rei gratia flecto genua mea.* 287. 1.
℣.18. *Ut poſſitis comprehendere quæ ſit latitudo.* 61. 1.
Cap.4. ℣.5. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* 579. 1. 626. 2.
℣.7. *Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* 675. 1.
℣.8. *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem.* 313. 2. 315. 1.
℣.11. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* 573. 1. 617. 2.
℣.15. *Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſti.* 677. 1.
v.25. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra.* 585. 2. 587. 2.
Cap.5. v.26. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* 440. 2.
v.27. *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam.* 538. 2. 449. 2.
Cap.6. v.12. *Adverſus mundi rectores tenebrarum harum.* 261. 2.
v.23. *Charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto.* 674. 1.

Ex Epistola ad Philippenses.

Cap.1. v.9. *Oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu.* 677. 1.
v.23. *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* 42. 2. 313. 2.
v.29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* 493. 1.
Cap.2. v.6. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* 196. 1.
v.8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* 554. 2.
v.9. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* 318. 1. 527. 2.
v.10. *In nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* 278. 1. 279. 1. 630. 1.
v.13. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* 522. 1. 493. 2.
Cap.3. v.21. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* 318. 1. 320. 2. 321. 1.
Cap.4. v.3. *Quorum nomina ſunt in libro vitæ.* 134. 2.
v.13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* 504. 2. 666. 2. 693. 1.

Ex Epistola ad Colossenses.

Cap.1. v.13. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum.* 477. 1.
v.15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* 295. 1.
Cap.2. v.3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* 67. 1.
v.8. *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum.* 3. 1. 5. 2.
Cap.3. v.5. *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.* 692. 2.
v.9. & 10. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum.* 200. 1. 433. 1.
v.14. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* 514. 1. 670. 2.

Ex Epistola 1. ad Thessalonicenses.

Cap. 3. ℣. 12. *Vos Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis.* 677. 1.

Cap. 4. ℣ 6. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum,* 587. 2.

℣. 12. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus.* 435. 1.

℣. 15. & 16. *Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* 139. 2. 435. 1.

Ex 2. ad Eosdem.

Cap. 1. ℣. 3. *Gratias agere debemus semper Deo pro vobis fratres, ità ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas unius cujusque vestrum in invicem.* 632. 2. 677. 1.

℣. 5. *Ut digni habeamini in regno Dei.* 561. 1.

℣. 8. & 9. *Qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi pœnas dabunt in interitu æternas.* 446. 2.

℣. 9. *Cujus est adventus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* 590 2.

℣. 10. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio.* 445. 1.

℣. 14. *State, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* 476. 1.

Cap. 3. ℣. 14. *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo.* 476. 1.

Ex Epistola 1. ad Timothevm

Cap. 1. 5. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* 666. 2.

℣. 15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* 288. 1.

℣. 17. *Regi sæculorum immortali.* 218. 1.

℣. 19. *Circa fidem naufragaverunt.* 685. 1.

Cap. 2 ℣. 4. *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 92. 2. 93. 2. 439. 1. 619. 1. 692. 1.

Cap. 3. ℣. 16. *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* 604. 2.

Cap. 4. ℣. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* 432. 2. 629. 1.

Cap. 5. ℣. 12. *Quia primam fidem irritam fecerunt.* 566. 1.

Cap. 6. ℣. 1. *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* 640. 1.

℣. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* 293. 1. 439. 2.

℣. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas.* 257. 2. 293. 1. 439. 2.

℣. 16. *Qui solus habet immortalitatem.* 37. 1. 218. 2.

Ibid. *Lucem inhabitat inaccessibilem.* 294. 1. 296. 2.

Ex 2. ad Evmdem.

Cap. 1. ℣. 12. *Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* 659. 1.

Cap. 2. ℣. 5. *Non coronatur nisi qui legitimè certaverit.* 554. 1.

℣. 12. *Si negaverimus, & ille negabit nos.* 620. 2.

℣. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest* 586. 1. 587. 1.

Cap. 3. ℣. 1. & 2. *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes.* 692. 2.

℣. 16. & 17. *Omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* 580. 1.

Cap. 4. ℣. 7. & 8. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* 141. 1. 254. 2. 314. 1. 529. 1. 553. 1. 607. 2. 657. 2. 670. 1.

Ex Epistola ad Titvm.

Cap. 1. ℣. 2. *In spem vitæ æternæ.* 392. 2.

℣. 7 & 9. *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana & eos, qui contradicunt, arguere,* 15. 1. 271. 1. 617. 2. 639. 1.

℣. 15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum.* 497. 2. 506. 1.

Cap. 2. ℣. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* 412. 2.

Cap. 3. ℣. 1. *Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* 476. 2.

℣. 10. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita.* 647. 2.

Ex Epistola ad Philemonem

Vers. 20. *Ego te fruar in Domino.* 356. 1.

Ex Epistola ad Hebræos.

Cap. 1. ℣. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* 599. 2. 600. 1. 633. 1.

℣. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portánsque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* 295. 1.

℣. 14. *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* 699. 2.

Cap. 2. ℣. 4. *Contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus.* 590. 2.

Cap. 4. ℣. 15. *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* 407. 1.

Cap.

Digitized by Google

Locorum ſacræ Scripturæ.

Cap.6. ℣.4. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutéſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* 520. 1.

℣.10. *Non enim iniuſtus Deus, vt obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* 141. 1. 553. 1. 607. 2.

℣.18. *Impoſſibile eſt mentiri Deum.* 586. 1. & 2.

℣. 17. 19. & 20. *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis, ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus.* 656. 1. 659. 1.

Cap.7. ℣.12. *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat.* 446. 1.

Cap.10. ℣.1. *Umbram habens lex futurorum bonorum.* 616. 1.

℣. 14. *Vna oblatione, conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* 604. 2.

℣ 35. *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* 657. 2.

Cap.11. ℣.1. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* 588. 2. 654. 1. 657. 1.

℣. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei.* 567. 1.

℣. 6. *Sinè fide impoſſibile eſt placere Deo.* 9. 1. 612. 1. 637. 1.

Ibid. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* 3. 2. 9. 1. 538. 1. 566. 2 595. 2. 604. 2.

℣.8. *Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem acceperus erat in hereditatem: & exiit, neſciens quò iret.* 670. 1.

℣.33. *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* 618. 2.

℣.39. *Non acceperunt repromiſſionem.* 42. 2.

Cap.13. v.17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* 476. 2.

Ex Epistola D. Iacobi.

Cap.1. v.12. *Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* 314. 1. 514. 1. 561. 1.

v.13. *Deus intentator malorum non eſt: ipſe autem neminem tentat.* 410. 1.

v.14. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus, & illectus.* 412. 2.

v. 15. *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum.* 348. 1.

Cap.2. v.10. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* 402. 1. 452. 1.

v.11. *Quòd ſi non mœchaberis, occidas autem, factus es tranſgreſſor legis.* 402. 1.

v. 3. *Iudicium ſinè miſericordia illi qui non fecit miſericordiam.* 798. 1.

v.19. *Tu credis quoniam vnus eſt Deus: bene facis: & Dæmones credunt, & contremiſcunt.* 258. 1. 629. 2.

v. 20. *Fides ſinè operibus mortua eſt.* 13. 1. 548. 2. 626. 1. 672. 2.

v.24. *Videris quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm?* 548. 2.

Cap. 4. v.17. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* 386. 2.

Cap 5. v.14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ.* 415. 1.

v. 16 *Orate pro invicem vt ſaluemini: multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* 134. 1. 657. 1.

v 20. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ ſalvabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* 300. 2. 460. 2.

Ex Epistola 1. D. Petri.

Cap. 1. v. 8. & 9. *Quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia invenarrabili, & glorificata: reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum.* 305. 2. 608. 2.

v.16. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* 538. 2.

Cap.2 v.13. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* 476. 2.

Cap. 3. v.9. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes.* 695. 1.

v.15. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.* 171. 1. 574. 1. 579. 1. 617. 2.

Cap 4. v.8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 537. 1.

Ex 2. Eivsdem.

Cap. 1. v.4. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: vt per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* 544 1.

v.5. *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam.* 6. 1. 7. 1.

v.10. *Fratres, magis ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* 525. 2.

v.19. *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* 8. 1. 588. 2. 610. 2.

v. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* 599. 1. 607. 1.

Cap. 2. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reſervari.* 214. 1.

v. 19. *A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſervus eſt.* 355. 1.

Cap. 3. v.9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* 123. 2. 124 1.

Ex Epistola 1. D. Ioannis.

Cap. 1. v. 3. *Quod vidimus & audivimus annuntiamus vobis.* 588. 2.

v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* 507. 1. 537. 2.

Cap. 2. v. 1. & 2. *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* 93. 2. 103. 1. 105. 1. 422. 2.

v. 4. *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* 452. 1. 626. 1.

Digitized by Google

Index locorum Scripturæ ſacræ.

ỳ.16. *Omne, quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* 439. 2.

ỳ.20. *Vos unctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia.* 578. 2.

ỳ.21. *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam.* 578. 2.

Cap.3. ỳ.1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* 536. 1. 674. 1.

ỳ.2. *Nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* 315. 1. 676. 2.

Ibid. *Videbimus eum ſicuti eſt.* 58. 2. 59. 1. 62. 2. 298. 1.

ỳ.4. *Peccatum eſt iniquitas.* 396. 1.

ỳ.6. *Omnis, qui in eo manet, non peccat.* 406. 2.

ỳ.9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet.* 685. 2.

ỳ.14. *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* 534. 1.

Ibid. *Qui non diligit, manet in morte.* 548. 2.

ỳ.16. *Nos debemus pro fratribus animas ponere.* 701. 1.

Cap.4. ỳ.1. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* 588. 2.

ỳ.10. *In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* 500. 1.

ỳ.12. *Deum nemo vidit vnquam.* 42. 1.

ỳ.16. *Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 663. 1. 664. 2.

ỳ.21. *Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* 691. 1.

Cap.5. ỳ.3. *Mandata eius grauia non ſunt.* 501. 2.

ỳ.7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt.* 149. 2. 184. 2. 185. 1. 571. 1. 605. 1.

ỳ.10. *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.* 577. 2. 578. 2.

ỳ.16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem.* 449. 2.

Ibid. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.* 520. 1.

ỳ.18. *Qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſeruat eum.* 511. 2.

Ex 2. Eivsdem.

Vers.10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* 647. 2.

Ex Epistola D. Ivdæ.

Vers.12. *Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ.* 549. 1.

ỳ.24. *Ei autem qui potens eſt vos conſeruare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 509. 1.

Ex Apocalypsi D. Ioannis.

Cap.1. ỳ.4. *A ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.* 215. 2.

Cap.2. ỳ.4. *Habeo aduerſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti.* 685. 1.

ỳ.5. *Memor eſto vnde excideris.* 684. 2.

Cap.3. ỳ.4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* 535. 1.

ỳ.11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* 135. 1. 685. 1.

ỳ.20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* 121. 1. 504. 2. 523. 2. 525. 2.

Cap.6. ỳ.9. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* 315. 1.

ỳ.11. *Dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum.* 42. 2. 315. 1.

Cap.7. ỳ.9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus.* 132. 2. 215. 2.

ỳ.16. *Non eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos Sol, neque vllus æſtus.* 294. 2. 352. 2.

ỳ.17. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* 683. 2.

Cap.12. ỳ.4. *Trahebat ſecum tertiam partem ſtellarum cœli.* 256. 1.

ỳ.8. *Neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.* 226. 2.

ỳ.12. *Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* 257. 2.

Cap.14. ỳ.5. *Sine macula ſunt ante thronum Dei.* 538. 2.

ỳ.11. *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum.* 446. 2.

ỳ.13. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* 322. 1.

Cap.18. ỳ.7. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* 403. 1. 456. 2. 442. 1.

Cap.20. ỳ.9. *Et diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris.* 226. 2.

ỳ.10. *Vbi beſtia, & pſeudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.* 261. 2.

ỳ.15. *Qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* 134. 2.

Cap.21. ỳ.23. *Ciuitas non eget Sole, neque Luna vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam.* 56. 1.

ỳ.27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.* 313. 1. 352. 2. 436. 2. 683. 2.

Cap.22. ỳ.11. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* 445. 1.

Ibid. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* 538. 1. 677. 1. 678. 2.

ỳ.12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.* 336. 2.

ỳ.13. *Ego ſum α & ω.* 89. 2. 289. 2.

ỳ.18. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* 18. 2.

Finis Indicis locorum Scripturæ ſacræ.

IN PRIMAM PARTEM SVMMÆ THEOLOGIÆ SANCTI THOMÆ AQVINATIS DOCTORIS ANGELICI.

DVBITATIONES ET CONCLVSIONES breues, ac dilucidæ R.P.F. IOANNIS PVTEANI, *Auguſtiniani, Profeſſoris Regij meritiſſimi.*

PROOEMIVM.

QVÆ in tradenda Theologia deſiderari eruditorum hominum ſententiâ, & opinione poſſunt, hæc in Diui Thomæ Summa, quam poſt multas ac varias de hac ſcientia tractationes, veluti vltimum lucubrationum ſuarum monumentum, multò accuratiùs elaboratum reliquit, cumulatiſſimè cernere licet. Ea namque methodo, breuitate, facilitate, rerúmque perſpicuitate vtitur, vt quæ apud alios Scholaſticos Doctores de rebus Theologicis videre eſt, illa aucta & facilitata nobis tradiderit: ità vt nihil vel mutilum in ipſa, vel mancum, vel redundans, languidum, aut inconcinnum habeatur.

Vniuerſam autem hanc ſuam Summam in tres partes digeſſit, ordinauit & diuiſit, idque iuxta diuerſum modum, quo Deus qui Theologiæ ſubiectum eſt, vt infrà oſtendetur, conſiderari poteſt: Deus enim ſpectatur primùm in ſe, & vt eſt cauſa rerum omnium efficiens. Deinde, vt cauſa finalis ipſarum, ad quem per media perueniendum eſt. Hinc in prima parte diſſerit de Deo. & de rebus quæ pertinent ad eumdem. In ſecunda, quam propter ſuam nimiam prolixitatem ſubdiuiſit in primam ſecundæ, & ſecundam ſecundæ, tractat, in illa de vltimo fine creaturæ rationalis, de actibus humanis, de habitibus in communi, de vitijs & peccatis, de gratia, iuſtificatione, merito, & legibus: In hac verò de fide, ſpe, charitate, & vitijs iſtis oppoſitis, de donis Spiritus ſancti, de quatuor virtutibus Cardinalibus, & alijs ad virtutes iſtas pertinentibus. In Tertia denique parte diſſerit de Incarnatione, & ſacramentis, veluti de medijs extrinſecis, quibus iuuatur creatura rationalis ad hoc vt conſequatur ſuum vltimum finem, qualis cenſetur eſſe ipſemet Deus clarè, & vt in ſe eſt viſus. Prima autem hæc pars ſubdiuiditur in tres alias: In prima agit de Deo vno; ſeu, quod idem eſt, de diuina eſſentia, prout vendicat ſibi certa quædam attributa abſoluta, idque à quæſtione 2. inclusiuè ad vigeſimam ſextam ſimiliter incluſiuè. In ſecunda tractat de Deo trino; ſeu, quod idem eſt, vt in eo dantur attributa quædam relatiua, idque à quæſtione 27. ad 43. vſque incluſiuè. In vltima denique parte tractat de creatione, Angelis, & Homine, à quæſtione ſcilicet 44. ad 119.

QVÆSTIO PRIMA.

De Theologia in communi.

HANC Diuus Thomas confecit loco proœmij, præmittendo quod reliqui omnes naturalium artium, & scientiarum scriptores, in principio cuiusque scientiæ præstare solent; nempe quædam prolegomena ad aperiendam necessitatem, naturam, obiectum, & modum procedendi illius; cuius modum optimum quemadmodum alia, altè in tota sua Summa ab ipso de Theologia tradita sequemur; Inuocato prius ipsius Dei Opt. Max. auxilio, beatissimæque Virginis Mariæ patrocinio: nec non omnium in cœlo regnantium suffragijs.

ARTICVLVS PRIMVS.

An præter philosophicas disciplinas, aliqua alia sacra doctrina diuinitus reuelata sit necessaria.

RESPONDET affirmatiuè.

DVBITATIO PRIMA.

Quid nomine doctrinæ reuelatæ intelligat S. Thomas tota hac quæstione.

Quorundã sententia. SVNT qui putent significari habitum Theologiæ, idque quòd nomine doctrinæ reuelatæ intelligat sanctus Thomas illud idem de quo posteà quærit, an sit scientia, an vna, an practica, seu speculatiua, subalternata scientiæ beatorum, an argumentatiua: certum autem est Dubitationes istas esse intelligendas de habitu Theologiæ: ergo.

Deinde, in responsione ad 2. huius articuli, docet Metaphysicam distingui à Theologia, quia licèt de vno & eodem planè obiecto disputent, id tamen contingit in Theologia per principia reuelata; in Metaphysica verò per principia naturaliter cognita: hæc autem responsio manifestè loquitur de habitu Theologiæ.

Ruit 1. sent. Ceterùm opinio hæc nulla ratione defendi potest: ratio namque prima est omnino inefficax; nam articulo nono, huius quæstionis quærit S. Thomas, an doctrina ista reuelata admittat varias, & diuersas loquutiones figuratas: & articulo decimo, an patiatur plures sẽsus: Quis autem non videt ex istis non licere colligere Diuum Thomam intellexisse in hac tota quæstione nomine doctrinæ reuelatæ scripturam sacram, de qua tamen istę duę Dubitationes manifestè loquũtur? Scriptura quippe sacra omnium consensione quatuor admittit sensus: & abundat figuratis loquutionibus.

Deinde, in corpore articuli affirmat doctrinam reuelatam, de qua disputat, esse ad salutem necessariam: habitus autem Theologiæ non dicitur singulis, saltem ad salutem necessarius.

Respondent authores contrariæ sententiæ habitum Theologię non esse singulis necessarium, bene tamen toti Ecclesiæ in communi sumptę. *Essignium aduersariorum.*

Ceterùm responsio hęc licèt in se sit vera, non tamẽ est ad mentem S. Thomę, ac proinde neque ad id de quo hoc loco disceptatur: nam tota ratio propter quam in corpore articuli huius quęstionis adstruit doctrinam reuelatam esse ad salutem necessariam, hęc redditur ab eo; quia debuit, inquit, homo ordinari in finem supernaturalem, & finem hunc pręcognoscere; finis autem hic supernaturalis innotescit homini sinè vllo habitu Theologiæ, media sola fide; imò consequitur homo finem hunc sinè adiumento habitus Theologiæ, vt constat ex infinitis rusticis, & illiteratis hominibus, qui consequuntur vitam ęternam. *Refellitur.*

Alij verò putant nomine doctrinæ reuelatæ intellexisse Diuum Thomam habitum fidei. *2. Sentent. refellitur.*

Ceterùm hæc opinio communiter reijcitur; rectè enim ait Caietanus hoc loco Diuum Thomam nusquam in hac Summa vnum, & idem proposuisse bis explicandum: in Secunda autem secundę, quęstione secunda, articulo tertio, quærit an fides sit ad salutem necessaria.

CONCLVSIO. *Licèt difficile sit colligere ex ipsomet Diuo Thoma, quid nomine doctrinæ reuelatæ significare voluerit in hac tota quæstione; probabilius tamen videtur intellexisse cognitionem aliquam diuinitus manifestatam mortalibus, magis communem, & vniuersam, quàm sit habitus Theologiæ, vel fidei.* Prima pars huius Conclusionis probatur multis à Vazq. hoc loco, & manifestè colligitur ex diuersitate opinionum interpretum S. Thomæ. Secunda verò ostenditur: Nomine doctrinæ reuelatæ non intellexit habitum, vel fidei, vel Theologiæ, vt probatum est, neque Scripturam sacram, aut interpretationem eiusdem; nam antelegem Mosaicam nulla planè fuit Scriptura sacra, & tamen infiniti propemodũ homines consequuti sunt salutẽ suã; In nouo item Testamento ante Euangelium Matthęi nihil planè fuit scripto traditum Christianis, & tamen Stephanus, multique alij Christiani vita ęterna donati fuere: ergo. Non intellexit prætereà Diuus Thomas prophetiam, quoniam donum hoc paucis admodum communicatum fuit: Superest ergo vt nomine doctrinæ reuelatæ intelligat cognitionem aliquam diuinitus manifestatam, abstractam à fide, Theologia, Scriptura sacra, & prophetia: non enim plures dantur doctrinæ reuelatę hominibus in statu viæ constitutis, ita Cajet. Pesant. & recentiores Thomistæ. *Mens D. Thom. aperitur.*

Obijcies, doctrinam omnem reuelatam à Deo, vel esse fidem, vel Theologiam. *Obiectio.*

Resp. Negando antecedens: nam Scriptura sacra, itémque prophetia sunt doctrina aliqua reuelata à Deo, vt est per se notum, & docet D. Petrus cap. 1. 2. Canonicæ. *Non enim*, inquit) *voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines.* *Solutio.* 2. Petr. 1. vers. 21.

Deinde, licèt daremus, omnem doctrinam reuelatam, vel esse fidem, vel Theologiam, non tamen propterea sequeretur alteram ex istis certò intellexisse Diuum Thomam: nam potuit ab istis duobus habitibus, ratio quædam commu-

nis abſtrahi, de qua potuit quærere, an eſſet ad A ſalutem neceſſaria.

DVBITATIO SECVNDA.

An præter ſcientias philoſophicas aliqua doctrina diuinitus inſpirata ſit ad ſalutem neceſſaria.

1. Argum. RATIO dubitandi eſt. In articulis fidei, & in ſacris litteris reperitur illud omne, quod eſt ad ſalutem neceſſarium, vt docent Patres, Cyrillus Alexand. lib. 7. contra Iulianum. *Ex ſacris* (inquit) *literis diuinæ Scripturæ omnigenam virtutem* Cyrillus. *diſcimus*: & D. Auguſtin. lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 42. *Quidquid homo extra* (Eccleſiam ſcilicet) *didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur: ſi vtile eſt, ibi inuenitur, cùm ibi quiſque inuenerit omnia quæ vtiliter alibi didicit, multo abundantiùs ibi inueniet ea, quæ nuſquam omnino alibi, ſed in illarum tantummodo ſcripturarũ mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur omnia quæ vtiliter alibi didicit.* & Clemens Alex. lib. 2. Stromat. totus in eo eſt, vt demonſtret omnia quæ ſunt ordinis naturalis, & ſupernaturalis inueſtigari cumulatiſſimè in ſacris litteris. Quod ſi aliqua in illis deſiderentur, aut in articulis fidei, ex his quæ conducere poſſunt ad vitam æternam quilibet aſſequitur media ſpeciali Dei reuelatione, vt videtur colligi ex cap. 16. Ioannis: C *Cùm veneris ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* & ex cap. 2. Ioann. *Spiritus ſanctus docebit vos de omnibus*: ergo.

Clemens Alex. Ioann. 16. v. 13. 1. Ioan. 2. v. 27.

2. Deinde, in Theologia, maximè Scholaſtica reperiuntur quæſtiones variæ, & inutiles, quales ſunt illæ omnes quæ pertinent ad naturalem Philoſophiam, vt videtur colligi ex cap. 2. ad Coloſſ. *Videte* (inquit) *ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam*: & ex Patribus, maximè verò Hieronymo epiſt. 61. ad Pammachium, & 48. ad Magnum oratorem Romanum, & ad cap. 3. Naum, ait enim illic Philoſophos eſſe Patriarchas hæreticorum, & ex Nazianz. tractat. de fide, vbi docet hæreticos omnes eſſe diſcipulos Philoſophorum: Imò Epiphanius hæreſi 79. affirmat Ar- D rianos omnem ſuam hæreſim documentis Philoſophorum confirmâſſe, & comprobâſſe.

Col. 2. v. 8. Hieronym. Nazianz. Epiphan.

3. Tertia & vltima ratio dubitandi. Non licet de rebus diuinis humano more, iudicio, & ſenſu diſputare, vt tradit Epiphanius hæreſi 67. & 69. imò ait Deum non reuelari ijs, qui de Deo ratiocinantur: at Theologia omnis de Deo ratiocinatur: ergo.

Nè Neceſſarium bifariam ſumitur. Aduerte neceſſarium ex doctrina Ariſtotelis, lib. 5. Metaphyſ. vſurpari duobus modis: pro eo ſcilicet, quod ità eſt, vt aliter ſe habere nullo modo queat, & pro eo quod conducit ad finem aliquem obtinendum: contingit autem aliquid ad finem conducere, vel ſimpliciter, putà quotieſcumque res iſta, quæ conducit ad finem obtinendum eſt medium, vel ex ſe, & ſua natura; vel ex E lege, & ordinatione diuina, aut etiam humana ad finem conſequendum: Aliàs autem contingit aliquid eſſe vtile tantùm ad finem. Addunt tamen Theologi neceſſarium ſimpliciter ad finem, poſſe dici neceſſarium neceſſitate medij, & præcepti.

Doctrina aliqua reuelata adulto neceſſaria. CONCLVSIO 1. *Doctrina aliqua diuinitus inſpirata cuilibet adulto in omni planè ſtatu ſint ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria.* Primùm, quia quilibet omni planè tempore debuit aliqua credere ex rebus diuinis reuelatis, ad hoc vt conſequeretur ſalutem, vt docent omnes in tract. de fide, & manifeſtè colligitur ex illo Pauli Hebr. 11. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt*: & rurſus, *Sinè fide impoſſibile eſt placere Deo*: at res de fide ſunt doctrina quædam diuinitus inſpirata, omnium planè conſenſione. Addo doctrinam iſtam diuinitus reuelatam neceſſariam fuiſſe ad ſalutem cuilibet adulto, in omni plane ſtatu, neceſſitate medij, & præcepti: nam illud dicitur neceſſarium neceſſitate medij ad finem conſequendum, ſine quo finis haberi nullo modo poteſt; at ſine doctrina reuelata in nullo planè ſtatu potuit adultus conſequi felicitatem æternam; initium ſiquidem ſalutis cuiuſlibet adulti repetendum eſt ex fide explicita, vt dicitur in Concil. Trident. ſeſſ. 6. ergo. Quòd Trident. autem hæc eadem doctrina ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti, colligitur ex eo quòd de omni re ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, extat præceptum de ea obſeruanda, vt manifeſtè colligitur ex baptiſmo, de quo dicitur Ioann. 3. *Niſi* Ioann. 3. *quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non introibit in regnum cœlorum*, & Matth. 28. *Euntes docete* Matth. 28. *omnes gentes, baptizantes eos*, &c. & ex penitentia, v. 19. de qua dicitur: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes peri-* Luc. 13. *bitis*. Ergo, cum doctrina reuelata ſit ſimpliciter v. 5. ad ſalutem neceſſaria cuilibet adulto, extabit præceptum de huiuſmodi doctrina retinenda. Ità recentiores ferè omnes ad hunc articulum.

CONCLVSIO 2. *Doctrina neceſſaria cuilibet adulto ad ſalutẽ diuinitus reuelata, eſt doctrina fidei Chriſtianæ & Catholicæ.* Primò, per fidẽ intelligimus, quę ſit felicitas, & beatitas noſtra ſupernaturalis, & item quę media ſint ſimpliciter neceſſaria ad beatitudinem iſtam. Deinde, concors eſt omnium ſententia, fidem explicitam eſſe ſimpliciter neceſſariam cuilibet adulto. Ità recentiores, plutibus, verò Peſant. ad hunc articulum.

Obiectio. Obijcies Chriſtum conſequutum fuiſſe vitam æternam ſinè fide, & item Angelos.

Solutio. Reſpond concedendo antecedens quantum ad Chriſtum attinet; hic enim à primo inſtanti ſuæ conceptionis diuinam eſſentiam non minùs perfectè conſpexit, quàm faciat iam: de lege autem communi diuina eſſentia non videtur clare, & vt in ſe eſt, ſi credatur; fides enim vt ſic, obſcuritatem, & inuidentiam dicit; non eſt tamen negandum, quin de poteſtate Dei abſoluta fieri poſſit, vt quis ſimul, & ſemel videat diuinã eſſentiã clarè, & eamdem ſimiliter crẽdat; actus enim iſti haberi ortum ab intellectu creato per diuerſa media quorum vnum, nempe fides eſt obſcurum, aliud verò clarũ, nempe lumen gloriæ. De Angelis verò certiſſimè afferendum eſt, quòd habuerint fidem; fuerunt enim iſti viatores, quemadmodum & nos ſumus, ac proinde initium ſalutis Angelorum non minùs fuit repetendum à fide, ſpe, & charitate, quàm ſalus cuiuſlibet mortalium ab iſtis virtutibus eſt ſumenda, ex loco Concil. Trident. citato.

Interpretatio ſcripturarum Eccleſiæ neceſſaria. CONCLVSIO 3. *Interpretatio ſcripturarum, & ſcriptura ipſa ſacra, licèt nulli in particulari ſint ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria, ſecus vniuerſa Eccleſia Catholica.* Primò, quia in ſacris Scripturis continentur multa intellectu difficilia, vt conſtat ex cap. 3. poſterioris Diui Petri. *In quibus* (inquit ſcilicet Scripturis) *extant aliqua intellectu difficilia,* 2. Petr. 3. v. 16. *quæ indocti, & inſtabiles depravant*: & cap. 1. eiuſdem 2. Petr. 1. epiſtolę dicitur de iiſdem Scripturis ſacris, quòd verſ. 21. non ſint ad captum, & mentem cuiuſlibet interpretandę: idque quòd ſcripturę iſtę ſint diuinitus inſpiratę. *Non enim* (inquit) *voluntate humana*

allata eſt aliquando propheta, ſed Spiritu ſancto inſpirati loquuntur ſancti Dei homines. A

2. Deinde, non eſt liberum cuilibet Scripturas ſacras interpretari, ſed ſolis Sacerdotibus, Epiſcopis, & alijs Prælatis, iure diuino id competit, Malach. 2. verſ. 7. Deute. 17. verſ. 9. Ioann. 14. Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius*; & Deut. 17. *Si apud te iudicium eſſe perſpexeris, vade ad Sacerdotem Leuitici generis*, &c. Imò propter hanc cauſam Spiritus ſanctus promittitur Apoſtolis, *Ioann.* 14. & illorum ſucceſſoribus.

3. Tertiò, ſancti Patres nihil frequentiùs inculcant, quàm Scripturas ſacras eſſe arduas, & difficiles. Ità Hieronym. in epiſt. ad Paulinum, D. Auguſtin. cap. 6. lib. 2. de doctrina Chriſtiana, & de Baſilio dicitur apud hiſtoriam tripartitam, lib. 11. cap. 9. quòd ſacras litteras fuerit interpretatus, non ex animi ſententia; ſed iuxta eumdem ſenſum Eccleſiæ Chriſtianę & Catholicę. Hierony. D. Auguſt. Hiſtoria tripart. B

4. Quartò, extant in Scriptura ſacra teſtimonia quædam ſibi quodammodo contraria: dicitur enim Matth. 5. de Apoſtolis. *Vos eſtis lux mundi*, de Chriſto verò Ioan. 8. *Ego ſum lux mundi*. Eſaię 43. dicitur de Deo. *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me*. de Apoſtolis autem Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. 1. Timoth. 2. dicitur. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Prouerb. verò 1. dicitur de Deo; *Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui acciperet*; & paucis interiectis. *Ego in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos, cùm aduenerit vobis id quod timebatis*. & Iſaię 1. *Cùm multiplicaueritis orationes non exaudiam*. & Pſal. 94. *Quibus iuraui, ſi introibunt in requiem meam*. At contradictiones iſtę, non ità ſunt faciles, quin egeant explicatione, quæ non ad captum cuiuſlibet, ſed iuxta dictamen Eccleſię tradenda eſt: huius quippe eſt de vero, ac legitimo ſenſu ſcripturarum definire, ac diſcernere, vt dicitur in Concil. Trident. ſeſſ. 4. in decreto de libris Canonicis, & nos infra ex profeſſo. Matth. 5. verſ. 14. Ioann. 8. verſ. 12. Iſaiæ 43. verſ. 25. Ioann. 20. verſ. 23. 1. Timoth. 2. verſ. 4. Prouer. 1. verſ. 24. Iſa. 1. v. 15. Pſal. 94. verſ. 11. Trident. C

Ex iſtis colliges hæreticos noſtri temporis toto cœlo aberrare, cùm docent Scripturas ſacras eſſe quàm maximè faciles, & cuilibet peruias. D

Sunt autem qui hoc loco quærant, vnde repetenda ſit difficultas Scripturarum ſacrarum: illi videntur magis ad veritatem acceſſiſſe, qui dixerunt eam refundendam eſſe in ipſaſmet Scripturas, quas Spiritus ſanctus voluit eſſe in ſeipſis difficiles; de qua re legendi ſunt Controuerſiſtę, maximè verò Belarm. in Controu. de verbo ſcripto tom. 1. ſuarum Controuerſiarum.

Theologia opera indiget Eccleſia. CONCLVSIO VLTIMA. *Licèt Theologia nulli planè in particulari ſit ad ſalutem neceſſaria, huius tamen operâ nequit carere Eccleſia vniuerſalis.* Prima pars Concl. tatis comprobatur ex dictis; docuimus enim doctrinam reuelatam neceſſariam ad ſalutem cuiuſlibet in particulari eſſe fidem. *Probationes* 1. E

2. Secunda verò pars prob. Tenentur Epiſcopi, & alij Paſtores interrogati de fide reſpondere, vt dicitur cap. 3. 1. Diui Petri: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe, & fide*: & ad Titum 1. de Epiſcopo dicitur, *Vt potens ſit exhortari, & eos qui contradicunt arguere*: at hæc præſtari nequeunt ab Epiſcopis media ſola fide, cum hæc non ſit argumentatiua, cuius generis tamen eſt Theologia. Deinde, omni planè tempore fuerunt in Eccleſia aliqui Catechiſtę, Concionatores, Doctores, & Scribę, qui de rebus fidei contra hæreticos, & docuerunt, & 1. Petr. 3. verſ. 15. Tit. 1. v. 9.

eorum obiectionibus reſponderunt, vt conſtat ex monumentis SS. Patrum, Diui Auguſtini, Iuſtini martyris, Hieronym. & aliorum; at diſputationes iſtæ non potuerunt celebrari ſinè adiumento Theologię, hæc enim eſt quæ tradit definitiones, diuiſiones & ratiocinationes, eorú quę pertinent ad documenta fidei Catholicę. In iſtis Concluſionibus ſunt, Caiet. Bannez, Vazq. ad hunc articulum ſancti Thomę, Triguoſius ad quæſt. 1. Summę D. Bonauenturæ Dubio 2. Peſant. hoc loco, & plerique alij veteres, itémque recentiores.

Obijcies, Theologiam ſcholaſticam natam fuiſſe Pariſijs circa ſæculum vndecimum à Chriſti natiuitate, tempore Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis, & auctam fuiſſe quàm maximè tempore ſancti Thomæ Aquinatis: ergo. *Obiectio.*

Aduerte nomine Theologiæ ſignificari in hac Concluſione facultatem certam & determinatam quæ de Deo, & de rebus diuinis differit, ſub ea ratione, qua res iſtę diuinæ ſunt à Deo reuelatæ; hæc autem nuncupatur interdum poſitiua, qualis eſt iſta quæ reperitur apud Patres. Alia verò Scholaſtica, cuius generis cenſetur eſſe ea quæ reperitur in Theologis ſcholaſticis. Sunt autem Theologia poſitiua & ſcholaſtica, non duæ, ſed vna, & eadem planè ſpecie facultas. Conuenit enim inter omnes vnitatem cuiuſlibet habitus, ſeu facultatis repetendam eſſe ex obiecto, vel ex modo tendendi in obiectum: Poſitiua autem & ſcholaſtica Theologia de Deo, & rebus diuinis reuelatis, ſub ea ratione qua ſunt reuelatæ differunt, ac diſputant; ac proinde vnam taſtum ſpeciem conficient: diſtinguuntur proinde inter ſe ſolùm accidentaliter; putà, quia Theologia ſcholaſtica ſuas definitiones, diuiſiones, & argumentationes, methodo quàm maximè accommodata ad docendum, (qualis eſt ea quæ præcipitur à Logicis) tradit, & explicat: poſitiua verò modum docendi imitatur Oratorum. *Notabile.*

Hoc ità conſtituto. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequutionem; nam licèt Theologia ſcholaſtica ſub ea ratione, qua eſt ſcholaſtica reduplicatiuè non fuerit ante ſæculum vndecimum, præceſſit tamen hæc, ſecundum ſuam ſubſtantiam, idque quòd ſit hæc eadem eſſentialiter cum poſitiua; quam nullus negare poteſt extitiſſe ſemper in Eccleſia. *Solutio argumenti.*

Ex iſtis colligitur euidenter Theologiam ſcholaſticam Reipub. Chriſtianæ eſſe quàm maximè vtilem; diximus enim res de fide faciliori negotio intelligi, & explicari media Theologia ſcholaſtica, quàm poſitiua. *Corollariũ.*

Fauet iſtis quòd ſancti Patres doceant Dialecticam, & ceteras diſciplinas ordinis naturalis plurimum conducere ad res de fide tradendas. Ità D. Auguſt. cap. 25. 28. & 40. lib. 2. de doctrina Chriſtiana: *Doctrina omnes gentilium*, inquit, *non ſolum ſimulata, ſed & ſuperſtitioſa figmenta: liberales diſciplinæ, vſus veritatis aptiores quadam morum præcepta vtiliſſima continent*. Hierony. epiſt. 2. ad Pammachium, & Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. D. Auguſt. Hierony. Clemens Alexand.

Deinde, ex ſacris litteris colligimus Chriſtum, itémque Apoſtolos ratiocinationes quaſdam inſtituiſſe, Matth. quippe 6. ex lilijs colligit Chriſtus diuinam prouidentiam: & cap. 22. ex eo quòd Deus ſit non mortuorum, ſed viuentium Dominus, deducit Chriſtus articulum reſurrectionis mortuorum, & illud idem præſtat Paulus cap. 5. prioris ad Corinth. partim ex teſtibus quibus innotuit Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem, partim

ex ſcri-

Quàm vtilis Theologia ſcholaſtica.

ex ſcripturis. Indubitatum autem eſt Theologiam ſcholaſticam imitari modum docendi Dialecticorum, conducit autem hoc, primùm ad res de fide faciliori negotio tradendas & explicandas.

Deinde, ad dubios in fide confirmandos: ad hæreſes reuincendas, ad fraudes, & artes hæreticorum detegendas: ad demonſtrandum nullas ineſſe propoſitiones contrarias rebus de fide (quemadmodum calumniantur nonnulli hæretici, & ethnici philoſophi) ad vitandos errores inter docendum in claſſe, aut etiam inter concionandum ad populum.

Denique ad deducendas Concluſiones aliquas, nedum ex articulis fidei, ſed etiam ex propoſitionibus erutis ex ipſis articulis fidei, de quibus conſtanter aſſerendum eſt, dicendas eſſe reuelatas. Nam licèt proximè & immediatè non ſint reuelatæ, quia tamen colliguntur, vel remotè, vel proximè ex articulis fidei: ideo cententur eſſe reuelatę, illo eodem modo, quo actus extrinſeci alicuius hominis imperati à voluntate, cenſentur eſſe liberi, non quidem formaliter & intrinſecè, vt loquuntur; hoc enim competit ſolis actibus elicitis à voluntate: ſed tantùm extrinſecè, propter dependentiam, quam dicunt à libera hominis voluntate: Ità Concluſiones Theologicæ cenſentur reuelatæ in ordine ad principia fidei, ex quibus colliguntur medio diſcurſu.

Corollar. 2.

Colligitur etiam ex dictis VViclefum, Lutherum, lib. de abroganda Miſſa priuata, Caluinum lib. 3. ſuæ inſtitutionis cap. 2. ſect. 2. & Eraſmum, referente Melchiore Cano in opere de locis Theologicis grauiter errâſſe, quando docuerunt ſtudia generalia, Vniuerſitates, & ſcholas Theologię ſcholaſticæ, itémque magiſteria quæ in Vniuerſitatibus conferuntur eſſe dæmonum inuenta, & vana gentilitate introducta. Diximus enim Theologiam ſcholaſticam eſſe quàm maximè vtilem.

Ciuitates in quibus ſtudia generalia floruerunt.

Deinde, error VViclefi damnatur verbis expreſſis in Concil. Conſtantienſi, ſeſſ. 8. artic. 29. Joſue 15. legimus ciuitatem Dabir nuncupatam fuiſſe Cariath-ſenna, aut, vt alij legunt, Cariath-ſepher, quòd litteræ Cananæorum apud iſtos habuerint ortum, aut certè quòd Cananæorum ſtudia in hac ciuitate vigerent, vt explicant aliqui

Euſebius.

interpretes: Euſebius item lib. 5. hiſtorię Eccleſiaſt. cap. 10. meminit ſcholæ Alexandrinę, in qua ait docuiſſe dogmata fidei Chriſtianæ & Catholicę, quemdam Parthenium virum doctiſſimum, & ſanctiſſimũ, qui ſtudio propagandæ religionis Catholicę ad Indos ſe contulit, ad hoc vt dogmata de fide Chriſtiana apud iſtos explicaret. Notiſſimum eſt etiam Centurionem conſtruxiſſe ſynagogam Iudæis Luc. 7. *Dignus eſt, vt hoc illi præſtes, ædificauit enim nobis ſynagogam*: eſt autem ſynagoga locus in quo apud Iudæos myſteria religionis Iudaicæ explicabantur à Rabinis, omnium conſenſione, & in Actis cap. 6. dicitur, *Surrexerunt quidam de ſynagoga Alexandrinorum, Cyrenenſium*, &c. & Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. decernit Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis dandos eſſe Doctoribus, vel Licentiatis: & alibi præcipit, vt in qualibet diœceſi erigantur ſeminaria, in quibus juuenes poſſint addiſcere ea, quæ pertinent ad myſteria religionis Catholicę, & in quibus doceantur etiam, quæ pertinent ad bonos mores. Et in Concil. Conſtantienſi præcipitur, vt in omni Eccleſia Cathedrali detur vnus inter Canonicos, qui conciones ad populum habeat,

Luc. 7. v. 5. *Apud Iudæos ſynagoga vice Iudicum.* Actor. 6. verſ. 9.

Ex Trid. Canonicatus conferendi Doctoribus.

& præterea ſacras litteras ceteris Eccleſiaſticis explicet.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. nego maiorem: multa enim aſſequimur per traditionem, quæ non continentur in ſacris litteris, aut etiam in articulis fidei: imò Auguſtinus ait ſe euangelio non crediturum, niſi ad id cogeretur authoritate Eccleſię: Patres verò qui propoſitionem maiorem confirmare videntur, nihil aliud voluerunt, quàm neceſſaria cuilibet ad ſalutem reperiri in articulis fidei, aut etiam ſacris litteris. Multa tamen ſunt neceſſaria toti Eccleſiæ, quæ non continentur in iſtis, ſaltem explicitè, & maxima cum difficultate colliguntur hæc ex articulis fidei, vel etiam ex ſcripturis: ac proinde ad id eſt neceſſaria toti Eccleſię Theologia ſcholaſtica, vel poſitiua. Teſtimonia autem ſcripturę in hoc argumento adducta tantùm probant Spiritum ſanctum manifeſtâſſe Apoſtolis, quæ erant ad ſalutem neceſſaria, in ordine ad miniſterium Apoſtolicum pro eo tempore: Non autem omnia ſimpliciter neceſſaria, vel pertinentia ad fidem Catholicam. Quotidie enim Eccleſia de nouo aliqua definit, & proponit credenda, quæ non fuere propoſita primis Chriſtianis.

Diſſoluũtur argumenta. 1.

Ad 2. Reſpond. apud pleroſque Theologos ſcholaſticos extare certas aliquas quæſtiones, quæ non ità ſunt vtiles homini Chriſtiano ad bene, beatéque viuendum, quemadmodum dantur innumeræ aliæ apud iſtos Theologos ſcholaſticos, quibus iuuatur Reſpub. Chriſtiana in gubernandis, & inſtruendis hominibus; defectus tamen hic non eſt tribuendus facultati Theologię, ſed vitio artificis, ſeu hominis docentis Theologiam ſcholaſticam. Paulus autem eo in loco non quamcumque philoſophiam improbat, & damnat; ſed Stoicorum, Epicureorum, & aliorum quorumdam, qui rationibus quibuſdam probabilibus conabantur eo tempore auertere ſimplices, & minùs circũſpectos homines à profeſſione religionis Catholicę. Iſtorum ergo hominum admonet conuerſationẽ eſſe vitandã, non autem eorum quorũ philoſophia ad bene, beatéq; viuendum conducere poteſt: Patres verò ideò nuncupãt philoſophos Patriarchas hæreticorum, quòd extent apud iſtos documenta aliqua articulis fidei noſtræ contraria, qualia ſunt: Ex nihilo nihil fit: Mundus eſt ab æterno. Duo quippe iſta pronunciata aduerſantur articulo illi fidei noſtræ, quo credimus Deum creâſſe cœlum & terram ex nihilo.

2.

Ad vltimam reſp. Non eſſe philoſophandum de rebus diuinis humano more, ità vt fas ſit anteponere documenta rationis, aut alicuius hominis, documentis fidei Chriſtianę & Catholicę; nituntur enim teſtimonio primæ veritatis, quæ nec falli, nec fallere poteſt; licet tamen de rebus diuinis more diuino diſceptare definiendo, diuidendo, & argumentando, ex certa methodo: hac quippe ratione, faciliori negotio inueſtigamus, & intelligimus myſteria fidei noſtræ. Atque ità ſunt explicandi Patres in argumento citati.

Vltimum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Theologia ſit ſcientia.

CONVENIT inter omnes Theologos ſcholaſticos Theologiam eſse ſcientiam: controuertitur tamen inter eoſdem; an ratio ſcientiæ propriè dictæ dicatur de habitu Theologiæ.

Sent. 1. Fundamẽt. 1. Sunt igitur qui putent partem affirmantem eſſe indubitatam; Scripturæ ſiquidem ſacræ ſemper ſunt ad litteram intelligendæ, niſi ex eis ſequatur aliquid abſurdi, vt author eſt D. Auguſtinus in lib. de doctr. Chriſtiana, Scripturæ autem ſacræ verbis expreſſis habent Theologiam eſſe ſcientiam, Pſal. 93. verſ. 10. *Qui docet hominem ſcientiam*; iſte quippe locus explicatur à Patribus nonnullis, maximè verò ab Optato Mileuit. de illis rebus quas nos ſcire & intelligere debemus, itemque præſtare cum ſpeciali Dei auxilio, & cap. 12. prioris ad 1. Cor. 12. verſ. 8. Corinth. computatur Theologia inter dona Spiritus ſancti. *Alij* (inquit) *datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ in eodem ſpiritu.* & cap. 2. D. Petri 2. Petr. 1. verſ. 5. *Miniſtrate* (inquit) *in fide virtutem, in virtute verò ſcientiam*, quo loco fidem diſtinguit à ſcientia, Theologiæ ſcilicet, quia vtitur articulis fidei noſtræ tanquam principijs ſibi propriis: Patres item hanc eandem rationem loquendi vſurpant, D Hieron. Hierony. in epiſt 107. ad Paulinum prope finem *Diſcamus* (inquit) *in terris quorum ſcientia perfruamur cum ſanctis in cælo.* & D. Auguſt. cap. 1. lib. 14. de Trinit. ità de D. Auguſt. Theologia loquitur; *Hæc eſt ſcientia, qua fides ſalubberrima gignitur.*

2. Deinde, ſi qua eſſet ratio propter quam diceremus Theologiam non eſſe ſcientiam propriè dictam, hæc maximè eſſet, quòd euidentia ſit de ratione ſcientiæ propriè dictæ: at hæc ratio nulla planè eſt: Ariſtoteles enim lib. 1. Poſteriorum, & in Topicis non ponit in definitione ſcientiæ euidentiam ſaltem expreſsè: ergo.

3. Tertiò. Ad hoc vt aliquid rationem ſcientiæ propriè dictæ conſequatur, ſatis eſt ſi res iſta fuerit certiſſimè cognita per ſuam cauſam, ſeu quod idem eſt, vt ſit cognitio certiſſima effectus per cauſam; ità vt nulla ſuperſit dubitatio, quin effectus hic ſit à tali cauſa, vt colligi videtur ex Ariſtotele lib. 1. Poſteriorum, ait enim, *Scire nihil aliud eſſe, quàm effectum per cauſam cognoſcere*, ità vt aliter ſe habere non poſſit: at multa cognoſcuntur in Theologia per ſuas cauſas, vel rationes: ità vt nulla occaſio ſuperſit dubitandi de huiuſmodi rebus cognitis, quin pendeant ab iſtis cauſis ſeu rationibus: ergo. In hac ſententia ſunt Alenſis 1. parte, quæſt. 1. membro 1. Albertus 1. parte, quæſt. 1. primi tractatus, Thomas Argentinenſis, quæſt. 2. Prologi. Ioann. Salas, Caiet. & communiter Thomiſtæ.

Scientia duplex acceptio. Aduerte ſcientiam vſurpari duobus modis; interdum enim ſumitur latiſſimè pro quacumque cognitione certiſſima, & indubitata quouis modo parta; interdum verò propriè, prout ſcilicet hæc cenſetur eſſe cognitio quædam ex præmiſſis veris, immediatis, prioribus, notioribuſque cauſis comparata: Non tamen conuenit de hac re inter omnes Theologos ſcholaſticos.

Opinio 1. de ſcientia. Sunt enim qui exiſtiment ad rationem ſcientiæ propriè dictæ ſatis eſſe, ſi res aliqua cognoſcatur per ſuam cauſam, certò & indubitanter ita vt res iſta aliter ſe habere nequeat. Ità authores proximè citati; ac proinde dicunt effectū per ſuam cauſam A poſſe cognoſci duobus modis certò, & indubitanter, obiectiue, & ſubiectiuè: priori modo quotieſcumque cauſa, & effectus ſimul cognoſcuntur & quidem ità certò, vt cognitio iſta aliter ſe habere nequeat ex parte obiecti cogniti: poſteriori verò modo quotieſcũq; prius cognoſcitur cauſa, quàm effectus, & ex cognitione cauſę inueſtigamus effectũ, & quidem certiſſimè, & indubitanter. De ratione ergo ſcientiæ propriè dictæ putant eſſe cognoſcere effectum per ſuam cauſam priori modo. Poſteriori verò modo minimè, niſi termo ſit de ſcientia humana, ſeu diſcurſiua, qualis eſt ea, quæ datur in nobis per veras demonſtrationes.

Ceterùm res hæc non ſatis probatur ab autho- *Non placet.* B ribus iſtis, propter hanc enim cauſam nonnulli exiſtimant Theologiã eſſe ſcientiam propriè dictã, quòd hæc ſit euidens non quidem in nobis, ſed in Theologia beatorum, cui putant noſtram eſſe ſubalternatam.

Verùm hæc ratio loquendi eſt planè impertinens; nam ad hoc vt aliqua ſcientia ſubalternetur alteri, ſimpliciter & abſolutè requiritur, vt idem ſit obiectum ſcientię ſubalternantis & ſubalternatæ, & quòd ſubiectum hoc contrahatur in ſcientia ſubalternata per conditionem aliquam veram, & realem additam ſubiecto ſcientię ſubalternantis. vt conſtat ex Muſica quæ ſubalternatur Arithmeticæ, differtq; de numero, de quo diſputat Arithmetica, ceterum contracto per ſonorum menſuram, ità vt huius ſubiectum ſit numerus ſonorus: Non poteſt autem dici quæ ſit illa conditio realis, & vera quam addit Theologia noſtra ſupra Theologiam beatorum. Præterea ſcientia ſubalternans, & ſubalternata in vno, & eodem ſubiecto reperiuntur, vt conſtat ex Muſica, & Arithmetica: Theologia autem noſtra, & Theologia beatorum ſimul ſtare non poſſunt: cùm de ratione noſtræ Theologiæ ſit obſcuritas. Beati autem omnes Concluſiones Theologicas habent manifeſtas in Verbo.

Alij verò putant, ad hoc vt aliquid rationem *Sentent. 2. reijcitur.* ſcientię propriè dictę conſequatur ſatis eſse, ſi cognitio fuerit certiſſima & diſcurſiua. Ceterũ neq; iſti videntur ad veritatẽ accediſſe: nam diſcurſus qui fit per medium probabile non eſt certiſſimus, ac proinde neq; ſcientificus. Cognitio item parta medijs ſenſibus externis poteſt eſse certiſſima; & tamen hæc non parit ſcientiam.

Alij denique autumant ſufficere ad rationem *Sentent. 3.* ſcientiæ propriè dictæ, quòd effectus per cauſam cognoſcatur, idque ſimul, & ſemel, modò tamen cognitio hæc aliter ſe habere nequeat.

Verùm neque iſti videntur defendendi; ſcien- *Refellitur.* tia quippe eſt effectus demonſtrationis, ex doctrina communi Ariſtotelis lib. 1. Poſter. quando autem cauſa, & effectus ſimul cognoſcuntur, & quidem certiſſimè; ità vt cognitio hæc aliter ſe habere nequeat, nulla interuenit hic demonſtratio; nam de ratione demonſtrationis eſt, vt conſtet tribus terminis, quorum vnus debet neceſſariò eſſe medium neceſſarium. Confirmatur. Demonſtratio includit diſcurſum, diſcurrere autem eſt eſt vnum poſt aliud, & ex alio colligere, ex veriori doctrina Theologorum, & Philoſophorum, propter hanc enim cauſam negant ſcientiam; quam habent beati de rebus diuinis intrà diuinam eſſentiam proſpectis, habere rationem ſcientiæ propriè dictę, & item ſcientiam iſtam eſſe diſcurſiuam. Nos ergo ad rationem ſcientiæ propriè dictę deſiderari euidentiam, & certitudinem in-

dubitatum contendimus, ex doctrina Scoti & omnium Nominalium in prologo Magiſtri ſententiarum.

Theologia non eſt ſcientia proprie dicta. Probat. 1.

CONCLVSIO 2. *Theologia non eſt ſcientia proprie dicta.* Primùm, quia definitur ſcientia communiter, habitus certus, verus, & euidens rei neceſſariæ per propriam cauſam: at nulla datur euidentia in præmiſſis, ex quibus colligitur concluſio Theologica: omnes quippe concluſiones Theologicæ colliguntur, vel ex duabus præmiſſis reuelatis à Deo, vel certè ex vna reuelata, & altera lumine naturali cognita; quod autem deducitur ex præmiſſis obſcuris quales ſunt omnes præmiſſæ Theologicæ, vel certè altera ex iſtis, obſcurum & incuidens eſſe debet.

2. Deinde, omnis concluſio Theologica petitur ex art. fidei proximè vel remotè: ſunt enim iſti Heb.11. v.1. principia Theologiæ; at de articulis fidei docet D. Paulus cap. 11. Hebræorum quod ſint obſcuri & incuidentes; *Fides* (inquit) *eſt ſubſtantia verum ſperandarum, argumentum non apparentium.* & Iſai. 7. 3. *Niſi credideritis, non intelligetis*: iuxta Septuaginta.

Tertiò, intellectus noſter non poteſt non aſſentiri concluſioni demonſtratæ, colligitur enim hæc in euidenti & neceſſaria conſequutione ex præmiſſis euidentibus: at cuilibet concluſioni Theologiæ poteſt intellectus noſter non aſſentiri: ergo. Ità Scotus quæſt. 3. prologi, & in 3. diſt. 24. quæſt. vnica §. ad quæſt. & in reportatis quæſt. 1. prologi, Ockam, Major, quæſt. 4. Gabriel, quæſt. 2. art. 2. prologi, Gilius lib 1. tract. 4. de natura Theolog. cap. 6. num. 9. & cap. 7.

Theologia reuocatur ad ſcientiam.

CONCLVSIO 2. *Licèt Theologia non ſit ſcientia propriè; dicta reuocatur tamen potius ad ſcientiam, quam ad vllum alium habitum naturalem.* Primùm, quia propter hanc cauſam nuncupatur hæc in ſacris litteris, & apud Patres; item apud Theologos Scholaſticos ſcientia. Deinde, quia magis conuenit cum ſcientia, quàm cum alio habitu ordinis naturalis; eſt enim hæc primò certiſſima, deinde diſcurſiua, tertiò habet ortum ex principijs indubitatis, & concluſiones reſpectu conſequentiæ ſemper euidentes; ex communi doctrina. Ità ſentiunt authores proximè citati: pluribus verò Gilius concluſionem iſtam confirmat.

Diſſoluuntur fundamenta cõtra.

Ad rationes verò authorum primæ ſententiæ, reſpondeo. Ad 1. ſcripturam ſemper eſſe ad litteram intelligendam, niſi ex ea ſequatur aliquid abſurdi: ſi autem admitteremus Theologiam eſſe ſcientiam propriè dictam, ſequeretur hoc abſurdum, articulos fidei, ſeu præmiſſas argumentationum Theologicarum debere eſſe euidentes, quod tamè cum Apoſtolo loco proximè citato pugnat.

1.

Ad 2. probare concluſionem poſteriorem, ità vt Patres velint Theologiam eſſe ſcientiam impropriè dictam, vel reuocari potius ad ſcientiam, quàm ad vllum alium habitum ordinis naturalis.

2.

Argumentum autem 3. & poſtremum petit explicationem huius difficultatis, AN ſcilicet concluſiones Theologiæ ſint euidentes; qua de re ſit.

Ratio 1. dubitãdi: Cõcluſio quælibet Theologica procedit ex principijs certiſſimis & neceſſarijs, per euidentem conſequentiã. Deinde concluſio quælibet Theologica colligitur ex principijs euidentibus in teſtificante, notiſſimum eſt enim in lumine naturali Deum nec falli, nec fallere poſſe: eſt autem euidens Deũ manifeſtaſſe articulos fidei. Denique in tractatu de fide docent omnes cum ſancto Thoma art. fidei eſſe euidenter credibiles: ergo ſunt etiam euidenter veri, ergo Concluſio deducta ex iſtis erit euidenter vera.

Non datur euidentia in Theologia. 1.

CONCLVSIO 3. *Nulla datur euidentia in Concluſionibus vere Theologicis:* Probatur primò, quia diximus Concluſiones omnes Theologicas repetendas eſſe ab articulis fidei, vel certè à præmiſſis deductis ex articulis fidei; & ſi non ambæ, ſaltem altera ex iſtis debet eſſe neceſſariò ex ijs propoſitionibus quas Deus reuelauit. Cùm ergo concluſio ſequatur debiliorem partem, omnis concluſio Theologica erit incuidens. Confirmatur: Euidens cenſetur illud, cui mens diſſentiri non poteſt perſpecta terminorum ſignificatione, & corũdẽ debita connexione: at rebus Theologicis quilibet diſſentire poteſt, vt conſtat experientia quotidiana ex hæreticis, qui aliquibus articulis fidei noſtræ ſubſcribunt, alijs verò diſſentiunt.

Deinde, ſi concluſiones Theologicæ eſſent euidentes, ſequeretur poſſe nos cogere Ethnicos, & hæreticos ad acceptanda documenta de fide Chriſtiana; cuius tamen oppoſitum dictat experientia eſſe falſum. 2.

Denique, Concilia Mileuitanum, Araufica-num, & Trident. definiunt neminem poſſe credere, ſperare, & diligere, vt oportet, ſinè ſpeciali dono ordinis ſupernaturalis: at definitio iſta Conciliorum falſa eſſet, ſi res Theologicæ eſſent euidentes; nam ad aſſenſum propoſitionis euidentis non deſideratur ſpeciale Dei auxilium, omnium conſenſu. Ità authores communiter omnes in 1. Sent. maximè verò circa prologum. 3.

Solutio. 1.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. conceſſo antecedente, negando conſequutionem: neque enim ſufficit ad hoc vt concluſio aliqua ſit euidens, conſequentiã argumentationis eſſe euidentem, ſed deſideratur euidentia præmiſſarum; Imitatur enim concluſio naturam, & eſſentiam præmiſſarũ ex communi doctrina Logicorũ: præmiſſæ autẽ argumentationis Theologicæ non ſunt euidentes, vel enim ambę ſunt reuelatæ, vel certè vna ex iſtis debet perſtingere ad ea, quæ reuelata ſunt à Deo obſcurè.

2.

Ad 2. Reſp. euidentiam in teſtificante non deſtruere fidem, vt manifeſtè colligitur ex ſcriptoribus librorum ſacrorum: iſtis enim fuit euidens Deum dictare ſibi Scripturas ſacras, neque tamen propterea deſiit in iſtis fides Catholica: fuerunt enim verè viatores, ac proinde tam bene credide-runt in Deũ, quàm faciat aliquis inter nos. Addo non eſſe nobis euidens Deũ reuelaſſe art. fidei noſtræ; imò Auguſtinus ait de ſeipſo: Euangelio non crederẽ, niſi ad id me cogeret auctoritas Eccleſiæ.

3.

Ad 3. Magnum eſſe diſcrimen inter id quod eſt euidenter credibile, & id quod eſt euidenter verũ; ad hoc quippe ſimpliciter, & abſolutè requiritur, vt ità cognoſcamus attributum ineſſe ſubiecto de quo enunciatur, vt de hac re nulla ſuperſit occaſio dubitandi; ad illud verò ſufficit quod id quod proponitur credendũ, iudicio, & exiſtimatione virorũ prudentum, ſit fide dignum: putà quòd vbique locorum res iſtę creduntur à prudentioribus & ſapientioribus, vel quòd facta fuerint miracula quędam per omniporentiã Dei, ad hoc vt res iſtæ credãtur, idque multis, & diuerſis in locis. Articuli ergo fidei noſtrę ſunt euidẽter credibiles: fides enim Catholica vbique locorũ ferè eſt acceptata, idque à Philoſophis, principibus, & deniq; à plebeis hominibus: Concluſiones tamen deductę ex iſtis articulis non ſunt euidenter verę, idque quòd non conſtent nobis certò, & euidenter attributa

quæ enunciantur de ſubiecto aliquo ineſſe eidem, ſed ſupereſt nobis occaſio dubitandi de oppoſito, & certè de facto dubitaremus, niſi captiuaremus intellectũ in obſequiũ fidei noſtræ.

DVBITATIO TERTIA.

An Theologia ſit certiſſima.

Triplex ſpecies certitudinis.

ADuerte 1. certitudinem aliam eſſe obiectiuã, aliam ſubiectiuam, aliam ex parte modi cognoſcendi. Ad 1. ſimpliciter, & abſolutè deſideratur, vt obiectum cognitum ſit certiſſimum, idque vel in ſe, vel prout ſubiicitur teſtimonio primæ veritatis, per quam nobis innoteſcit. Secunda verò ſe tenet ex parte intellectus cognoſcentis rem aliquam, ità vt cognitio iſta, eò ſit certior, quò magis firmiter adhæret intellectus rei cognitę: propter hanc cauſam docet Ariſtoteles cap. 7. lib. 3. Rhetoricorum, quempiam ſua peruicacia firmiùs adhęrere ſuis erroribus, quàm faciat alius veritatibus innumeris per veram demonſtrationem ſibi cognitis. Tertia poſtulat vt intellectus penetret certitudinem ipſiuſmet obiecti. Fit autem hæc vel potius conſurgit ex medio neceſſario, quo obiectum aliquod cognoſcimus, huius generis eſt demonſtratio, definitio, &c.

Notabile 2. Aduerte 2. Concluſiones Theologicas eſſe in duplici differentia; aliæ namque ſunt ſimpliciter de fide Catholica, putà illæ omnes quæ in euidenti, & neceſſaria conſequutione colliguntur ex articulis fidei; & iſtis opponitur hæreſis. Aliæ verò non pertinent per ſe ad fidem Chriſtianam, & Catholicam, cuius generis ſunt illæ quæ deducuntur ex articulis fidei, vel ex vno articulo tantùm, id tamen ità contingit, vt non euidenter colligantur ex iſtis articulis fidei, & iſtis opponitur error; non autem hæreſis.

Theologia certior aliis ſcientijs. Probat. 1. CONCLVSIO 1. *Theologia in ordine ad Concluſiones quæ ſunt de fide, certior eſt quibuſuis ſcientijs naturalibus.* Primùm, quia hõc videtur manifeſte colligi ex cap. 1. poſterioris D. Petri; pluris enim facit eo in loco Petrus ad probandam diuinitatem filij, teſtimonium Scripturarum ſacrarum, quàm authoritatem cuiuſlibet alterius rei: *Habemus* (inquit) *& nos firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes.*

2. Pet. 1. verſ. 19.

2. Deinde, non datur maior certitudo ea, quæ habetur teſtimonio primæ veritatis, non enim poteſt hæc falli, aut fallere quempiam: at concluſiones Theologicæ, quæ ſunt de fide ſuam certitudinem mutuantur à teſtimonio primæ veritatis, omnium conſenſu: ergo.

3. Tertiò, omnis certitudo, quæ datur in ſcientijs naturalibus repetenda eſt, vel ab obiectis ipſarum, vel à diſcurſu, & à modo cognoſcendi, vel denique à ſenſibus externis: certum autem eſt poſſe nos inter diſcurrendum hallucinari, imò & inter exercendas actiones ſenſuum externorum; obiectum item cognitum aliter poteſt nobis innoteſcere, quàm ſit; diuina autem reuelatio, iſtorum omnium defectuum eſt expers, ac proinde poterit Concluſio Theologica multis partibus eſſe certior, quàm ſit vlla propoſitio ex his quæ cognoſcuntur à nobis naturaliter. Ità docet Diuus Thomas articulo 5. huius quæſt. Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. Ægidius quæſt. 4. prologi parte 1. quæſt. 8. Henricus Gandauenſis in ſua Summa quæſt. 2. art. 7. 1. partis, & communiter recentiores.

Aliqua ratione minus certa Theologia. Probat. 1. CONCLVSIO 2. *Licèt Theologia ſit certior quibuſuis habitibus, & ſcientijs ordinis naturalis, quoad Concluſiones quæ ſunt de fide, & quibus aſſentimur media fide diuina; non eſt tamen ità certa, quoad omnes ſuas concluſiones quemadmodum ſunt concluſiones demonſtratæ in ſcientijs naturalibus.* Prima pars ſatis probata fuit, concluſione proximè antecedenti. Secunda verò probatur. Certitudo quam conſequitur medium probabile, non eſt tanta, quanta ea quam conſequitur medium demonſtrabile, vt fatentur cõmuniter omnes: at concluſiones multę Theologicæ conſequuntur medium probabile, imò hæreticus non aſſentitur vllis propoſitionibus Theologicis, media fide diuina, ſed ſola authoritate humana; ergo non ſuppoſita diuina reuelatione alicui facta, certitudo hæc non erit tanta, quanta illa, quæ datur in ſcientijs naturalibus per medium demonſtrabile. *Confirmat.* Confirmatur. Loquimur in hac Concluſione de certitudine, quæ ſe tenet ex parte modi cognoſcendi propoſitionem aliquam Theologicam: ergo cum medium hoc ſit tantum probabile, ſolam opinionem parere poteſt; opinio autem non eſt tanta, quanta eſt ſcientia, vt eſt per ſe notum.

2. Deinde, non eſt denegandum Theologiæ quod competit ceteris ſcientijs ordinis naturalis; atqui ad vnam, & eamdem ſcientiam pertinet verum, & probabile, & item quòd ſcientia ſit ſuaſiua & offenſiua, vt docet Ariſtoteles: ergo. In hac concluſione ſunt plerique recent. & item veteres ſcholaſtici.

Corollariũ. Ex his colliges, in Theologia admittendos eſſe duos habitus, quorum vnus eſt topicus, alius verò neceſſarius: ille conſequitur propoſitiones probabiles; hic verò neceſſarias: huius generis ſunt omnes illæ quibus aſſentimur eo nomine, quòd ſint diuinitus reuelatæ, ſuppoſito tamen diſcurſu.

DVBITATIO QVARTA.

An Theologia ſit ſimpliciter ſupernaturalis.

Theologia non eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Probat. 1. CONCLVSIO 1. *Theologia non eſt ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſimpliciter ſupernaturalis.* Probatur 1. Quia ſi ità res haberet Theologia eſſet vna qualitas ſimpliciſſima, quemadmodum ſunt fides, ſpes, charitas, & gratia gratum faciens, quæ ex ſententia Diui Thomæ diſtinguitur realiter à charitate, lumine gloriæ, penitentia, & religione: at certum eſt Theologiam conſurgere ex multis concluſionibus Theologicis, ſub ea ratione, qua concluſiones iſtæ conueniunt in vna ratione formali, vt probabitur articulo proximè ſequenti S. Thomæ: ergo.

2. Deinde, non computatur hęc inter habitus per ſe infuſos, ſed inter acquiſitos, acquiſiti autem habitus ex iteratis actibus producuntur in nobis.

3. Tertiò, concluſiones omnes Theologiæ nõ habent infallibilitatem; diximus enim Dubitatione proximè antecedenti extare concluſiones aliquas Theologiæ minùs certas, quàm ſint concluſiones demonſtratæ in ſcientiis naturalibus.

4. Quarto, Theologia verè perſeuerat in eo, qui labitur in hæreſim; ſi autem Theologia eſſet ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſimpliciter ſupernaturalis, non maneret hæc in hæretico: nam

radix

radix & fundamentum cuiuslibet qualitatis habitualis supernaturalis, quę datur in nobis, est fides infusa, ex illo Pauli Hebræor. 11. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est, & quia inquirentibus eum remunerator est.*

5. Denique, quod producitur media causa aliqua naturali, nequit esse ordinis supernaturalis secundùm suam substantiam: definitur enim supernaturale, *Id ad quod res creata ordinis naturalis relicta intrà terminos propriæ naturæ attingere non potest:* Theologia autem producitur in nobis, quemadmodum & cetereę scientiæ ordinis naturalis. Ità multi Scholastici recentiores & veteres.

Obiectio. Obijcies Theologiam disputare de attributis diuinis absolutis, & respectiuis; de incarnatione, & alijs mysterijs legis gratiæ, quæ sunt ordinis simpliciter supernaturalis; de fide, spe, charitate & aliis, quæ ex veriori sententia secundum substantiam sunt supernaturalia; ergo Theologia erit supernaturalis secundum substantiam; nam natura specifica cuiuslibet habitus derivanda est à suo obiecto.

Solutio. Respondeo, Concesso antecedente, negando consequutionem: Nihil enim repugnat, quo minùs vna, & eadem res ordinis supernaturalis, cognoscatur per media ordinis naturalis; illa eadem ratione, qua vna, & eadem propositio cognoscitur per medium de fide Catholica, & per medium demonstrabile, & denique probabile: istis enim omnibus mediis cognoscuntur hæ duæ propositiones: *Deus est ens, & Deus est vnus.*

Ad probationem verò Resp. vnitatem specificam cuiuslibet habitus esse repetendam, vel ab obiecto formali, vel certè à modo tendendi in illud obiectum; modus autem quo cognoscimus propositiones Theologicas, non est semper supernaturalis; vt constat ex homine hæretico Theologo, sed naturalis; ac proinde erit etiam habitus hic naturalis ex modo tendendi in suum obiectum.

Replica. Instabis, concursum vnius causæ supernaturalis sufficere cum re naturali ad productionem alicuius actus, vel habitus ordinis supernaturalis, vt constat ex voluntate informata charitate, quæ, omnium consensu, elicit actum dilectionis Dei super omnia ordinis supernaturalis; ergo cum reuelatio diuina sit ordinis supernaturalis, faciet hæc omnem conclusionem Theologicam esse supernaturalem: dicemus enim rationem formalem Theologiæ esse reuelationem diuinam.

Refellitur. Resp. Propositionem maiorem esse veram, quotiescumque res ista supernaturalis, quæ concurrit cum principio naturali ad aliquid producendum, ordinatur per se, & sua natura, ad id quod producitur ab istis duabus causis ordinis naturalis & supernaturalis: certum autem est reuelationem diuinam non ordinari per se, & sua natura ad producendum habitum Theologiæ; sed tantum ad producendam in nobis fidem, aut prophetiam: ergo. Deinde diuina reuelatio non est ratio formalis, vt quæ, Theologiæ, vt probabitur art. sequenti: ab hac autem desumenda est vnitas specifica Theologiæ.

Obiectio. Obijcies denique, docuisse nos art. 1. huius quæst. Theologiam esse simpliciter necessariam ad salutem: quod autem necessarium est ad salutem simpliciter ordinis supernaturalis esse debet.

Solutio 1. Resp. 1. Negando minorem: sacramenta quippe baptismi, & penitentiæ sunt simpliciter necessaria cuilibet ad vitã æternam obtinendam, ex c. 3. Ioan. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. & ex illo Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis*, &c. Duo autem hæc sacramenta non sunt secundùm suam substantiam ordinis supernaturalis, sed tantũ ratione effectus, quem producunt, & propter finem in quem ordinant hominem. Ioan. 3. vers. 5. Luc. 13. vers. 5.

Resp. 2. Data hac hypothesi, res scilicet simpliciter necessarias ad salutem, esse supernaturales, possumus tamen adhuc respondere Theologiam non esse scientiam ordinis supernaturalis. propositio namque illa proximè commemorata erit explicanda de rebus necessarijs cuilibet ad salutem: non autem de rebus necessarijs Ecclesiæ vniuersę: nam debet Ecclesia necessariò intelligere, quæ sit materia baptismatis, & cuiuslibet alterius sacramẽti: & tamẽ materia baptismi, itémque Eucharistiæ non est supernaturalis, vt est per se notum. *Solutio 2.*

CONCLVSIO 2. *Licèt Theologia non sit secundum suam substantiam simpliciter supernaturalis, non est tamen negandum: quin dici possit quodam modo supernaturalis.* Probatur 1. Quia differt de Deo, & de quolibet eius attributo: Deus autem per se, & sua natura superat quodcumque ens creatum & creabile. *Theologia aliqua ratione supernaturalis.*

Deinde, tractat Theologia de mysterijs gratiæ, & alijs innumeris, quæ sunt secundùm suam substantiam supernaturalia, vt constat ex spe, fide, charitate, & alijs. 2.

Tertiò, ratio assentiendi conclusionibus Theologicis potest esse fides diuina, vt posteà probabitur.

Denique conducit hæc ad vitam æternam obtinendam, vel saltem conducere potest: nempe in ordine ad sua principia, quæ sunt articuli fidei: ità authores proximè citati.

DVBITATIO VLTIMA.

Quomodo nuncupandus sit assensus, quem nos præbemus conclusionibus Theologicis: seu, quod idem est, à quánam causa pendeat hic assensus.

CAnus, Vega, & alij nonnulli existimant assensũ circa cõclusiones Theologicas repetẽdũ esse in nobis, à solo habitu fidei: definitur enim fides: *habitus humanis mentibus diuinitus infusus, quo assentimur rebus omnibus à Deo reuelatis:* at conclusiones istæ Theologicæ sunt omnes omnino reuelatæ, si non in seipsis proximè, bene tamẽ in principijs, ex quibus colliguntur. Addunt nullum alium extare habitum, quo possimus assentiri conclusionibus istis Theologicis. *Melchioris Cani sent.*

Ceterùm hæc opinio meritò improbatur à recentioribus Scholasticis, nam habitus principiorũ maximè communissimorũ distinguitur ab habitu conclusionum deductarum ex huiusmodi principijs: habitus quippe principiorum communissimorum censetur esse intellectus ex doctrina Aristotelis; Conclusionum verò deductarum ex huiusmodi principijs per medium demonstrabile, est scientia: at conclusiones Theologicæ deducuntur ex principijs fidei nostræ: ergo. Deinde habitus fidei per se inclinat tantùm ad assentiendum articulis fidei nostræ. Tertiò propositio quæ opponitur articulis fidei censetur esse hæretica, quæ verò opponitur cõclusioni Theologicæ interdum saltem erronea. Quartò fides nequit vlla ratione stare cum hæresi: opponuntur enim hæc duo veré contrarie vel priuatiuè: at Theologia perseuerat cum hæresi, in eo videlicet, qui post adeptam Theologiam labitur in hæresim. *Infirmatur.*

CONCLVSIO 1. *Assensus quem præbemus conclusionibus Theologicis potest esse assensus fidei diuinæ.* PRO- *Assensus Theologicus potest esse fidei diuinæ.*

Digitized by Google

batur 1. Quia nihil repugnat quominùs assentiamur cõclusionibus Theologicis, hoc solo nomine, quia conclusiones istæ sunt à Deo reuelatæ; fides enim diuina per se, & sua natura inclinat ad assentiendum rebus reuelatis à Deo obscurè.

2. Deinde, assensus circa Conclusiones Theologicas potest esse secundum suam substantiam supernaturalis, & meritorius vitę æternę: at ratio ista supernaturalitatis accipienda est, vel ab auxilio actuali, vel habituali ordinis supernaturalis, cum quo creatura rationalis assentitur conclusionibus istis Theologicis; ergo cũ fides diuina sit auxilium habituale, potest mouere intellectum ad assensum conclusionum Theologicarum.

Conclusio 2. CONCLVSIO 2. *Assensus circa conclusiones Theologicas potest esse in nobis dependenter ab habitu opinionis.* Primùm, quia assentus, qui consequitur medium probabile, ab opinione ortum necessariò habet: at dantur multæ cõclusiones Theologicæ quibus assentimur per media tantũ probabilia, vt manifestè constat ex Theologo hæretico; hic enim non media fide diuina annuit articulis fidei, ac proinde neque conclusionibus deductis ex ijsdẽ, sed media fide humana, aut certè quia iudiciũ priuatum, & peculiare dictat huic hæretico illas propositiones esse verissimas, & indubitatas, alias verò falsas. Confirmatur. Habitus Theologię verè manet in hæreticis, at non assentiuntur vllis conclusionibus Theologicis media fide diuina.

Obiectio. Obiicies, Conclusiones istas seiptas destruere.

Solutio. Resp. Hoc esse falsum. Diximus enim, in Theologia duos dari habitus, quorum vnus est topicus, alius verò necessarius.

Deinde, non repugnat quo minùs vni, & eidem propositioni assentiamur, & media fide diuina & demonstratione vera, & denique medio probabili.

Notabile. Aduerte, quando diximus Theologiam manere in homine hæretico, id non esse ità intelligẽdum, quasi perseueret in hæreticis secundũ omnem perfectionem, quam habet in quolibet homine: nam in homine Catholico qui assentitur conclusionibus Theologicis, hoc solo nomine, quòd res istæ sint à Deo reuelatæ, Theologia censetur habere modum quemdam supernaturalem; hic autem modus nõ datur in homine hæretico Theologo; perseuerat ergo in isto in ratione notitiæ acquisitæ cùm maneant species intelligibiles, quæ fuerunt in eo antequàm laberetur in hæresim.

Notabile aliud. Aduerte tandem, omnem assensum quem præbemus conclusionibus Theologicis vel esse à forma syllogismi Theologici, ita vt tota ratio assentiendi conclusioni deductę ex præmissis sit forma syllogistica; vel etiam mediũ probabile, qualis est fides humana; ità vt assentiamur conclusioni propter solam fidẽ humanam, vel propter aliquod aliud medium probabile tantùm; vel denique assensus hic potest esse à fide diuina: duo priores assensus, vt à causis naturalibus pendent, ità etiam reuocantur ad habitus ordinis naturalis. Posterior verò, seu vltimus, quemadmodum pendet à principio ordinis supernaturalis, & ab intellectu creaturæ rationalis, ità censetur esse assensus hic ordinis supernaturalis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Theologia sit vna scientia specie.

EXPLICANDA est hoc loco dubitatio illa, an Theologia sit vna scientia specie: de qua re conuenit inter authores omnes Theologiam constituere vnicum habitum, quodammodo specie distinctum à ceteris omnibus alijs. Nam vnitas specifica cuiuslibet habitus repetenda est ex vnitate formali obiecti eiusdem: Idem namque iudicium est de habitibus, & actibus; at vna datur ratio formalis obiecti Theologici, nempe Deitas: quæcumque enim tractantur in Theologia, sub ea ratione tractantur in ea, quatenus sunt, vel Deus, vel aliquid Dei, vel certè aliquid quod dicit ordinem, & habitudinem ad Deum, vt probabitur articulo 7. huius quæst.

Deinde, licèt Conclusiones Theologicę distinguantur inter se, iuxta diuersitatem rerũ de quibus ratiocinatur Theologus: conclusiones tamen istæ conueniunt in ratione Deitatis, ac proinde in ordine ad Deitatem absoluunt, & perficiunt vnũ habitum specie distinctum à ceteris omnibus habitibus: ità docẽt D. Thomas hoc loco, & in 1. q. 2. prolog. Caiet. Molina, Zumel, & Pesant. Nominales item omnes in prologo; licèt isti differant in eo à Thomistis, & item à ceteris Scholasticis, quòd existiment quamlibet conclusionem Theologicam conficere vnum habitum distinctum specie à ceteris omnibus alijs, & ex istis multis habitibus putant conturgere vnam Theologiam per aggregationem. Thomistæ verò putant vnum tantummodò conturgere habitum Theologiæ propter conuenientiam, quam dicunt omnes conclusiones Theologicæ ad Deitatem. Duæ autem istæ sententiæ nullo negotio defendi possunt. *Conclusiones Theologicæ conueniunt in ratione Deitatis.*

Dubitatur tamen, *An vnitas specifica Theologiæ repetenda sit à ratione formali Qua; An verò à ratione formali, sub Qua?* illa censetur esse Deitas; hæc verò reuelatio diuina obscura, vt dicemus art. 7. huius quæst. & item quid vtraque sit.

Sunt igitur qui putent Theologiam sumere suã vnitatem specificã à diuina reuelatione, non autẽ à Deitate, nam vnitas specifica Theologię desumẽda est ab eo, quod est ratio assentiendi quibusuis conclusionibus Theologicis: certum autem est nos assentiri omnibus conclusionibus Theologicis nõ propter Deitatem, sed propter solam diuinã reuelationem, interueniente tamẽ discursu; hac quippe ratione separatur Theologia à fide diuina, quæ nullo vtitur discursu. Deinde, disputat Theologia de Deo, de Angelis, de homine, de mysterijs gratiæ, & alijs innumeris, quæ nequeunt conuenire in ratione Deitatis; bene tamen conueniũt in ratione reuelationis diuinę, ergo. Denique differit Theologia de actibus humanis, & item de vitijs, & peccatis: at quis non videt, vitia, & peccata non esse Deum, neque aliquid Dei, neque dicere vllum ad Deum ordinem? *Quorumdã placitum.*

CONCLVSIO. *Vnitas specifica Theologiæ attendẽda est à Deitate, non autẽ à diuina reuelatione.* Primùm, quia vnitas specifica cuiuslibet rei considerãda est ex eo quod ei conuenit intrinsecè, non autem ex eo quod dicitur de eadem extrinsecè tantùm: nam principia constitutiua speciei cuiuslibet debent esse de intrinseca ratione eiusdem, vt est per se notũ; Deitas autem competit intrinsecè rebus Theologicis; reuelatio verò diuina solùm extrinsecè: est enim Theologia nostra secundum suã substantiam eiusdem planè naturę cum Theologia beatorũ, distinguũturq; tantũ inter se ratione modi cognoscẽdi res Theologicas; beati quippe euidenter, nos verò obscurè conclusiones Theologicas assequimur. *Vnitas specifica Theologiæ à diuina reuelatione petitur.*

Deinde, codẽ planè modo se habet reuelatio diuina

Digitized by Google

uina ad Theologiam noſtram, quo abſtractio à materia ad ſcientias Phyſicas, & naturales; eſt enim hęc abſtractio ratio formalis ſub Qua in iſtis ſcientijs, ex communi doctrina Philoſophorum; at ſciętiæ naturales non ſumunt ſuam vnitatem ſpecificą ex abſtractione à materia; eadę enim datur abſtractio in omnibus Mathematicis diſciplinis, tamen Mathematicæ diſciplinæ diſtinguũtur inter ſe ſpecie.

Tertiò, reuelatio diuina obſcura, tam verè competit fidei diuinæ, quàm Theologiæ: ergo ſi ab hac repetenda eſſet vnitas ſpecifica Theologiæ, non diſtinguerẽtur inter ſe habit⁹ fidei & Theologiæ, cuius tamẽ oppoſitũ docent communiter Theologi.

Obiectio. Obijcies Diuum Thomam in corpore articuli affirmare, vnitatem ſpecificam habituum & actuum accipiendam eſſe ex obiecto formali, non autem ex materiali; obiectum autem formale Theologiæ eſſe reuelationem.

Solutio. Reſp. conceſſa maiore, negando minorem; reuelatio enim diuina eſt dumtaxat conditio neceſſaria ad vnitatem formalem Theologiæ conſtituendam, non autem eſt ipſamet ratio formalis conſtitutiua intrinſecè Theologiæ.

Notabile. Aduerte D. Thomam nomine obiecti formalis viſus, non intellexiſſe aſpectabile, ſeu viſibile, ſed tantùm colorem, ſiue coloratum: color enim eſt qui confert ſpeciem viſui, non autem res colore affecta præcisè ſpectata, aut viſibile, vt ſic; hoc enim eſt tantùm conditio neceſſaria ad hoc vt coloratum conferat ſpeciem viſui.

Diuina reuelatio neceſſaria ad vnitatem Theologiæ.

Conclvsio 2. *Licèt diuina reuelatio non conferat vnitatem ſpecificam Theologiæ intrinſecè, eſt tamen hæc ſimpliciter neceſſaria, ad hoc vt Theologia ſecundùm ſuam ſpeciem detur in nobis.* Primùm,

1. quia reuelatio diuina obſcurè facta, eſt conditio ſimpliciter neceſſaria ad Theologiam noſtram conſtituendam, hæc enim ſe habet ad illam eodem modo quo abſtractio à materia ſe habet ad Phyſicam, Metaphyſicam, & mathematicas diſciplinas; eſt enim hæc ratio formalis ſub Qua Theologiæ, quemadmodum abſtractio à materia eſt ratio formalis ſub Qua, in ſcientijs proximè commemoratis: arqui Phyſica, & aliæ ſcientiæ proximè explicatæ nequeunt inter ſe ſpecie differre, niſi interueniente abſtractione à materia, hoc, vel illo modo, ex communi doctrina: ergo.

2. Deinde, Theologia noſtra diſtinguitur à Theologia beatorum. Imò ex multorum opinione non perſeuerat in cœlis; at diuerſitas iſta ex eo maxime petitur, quòd Theologia noſtra reſpiciat Deum ſub ea ratione qua reuelatus eſt obſcurè, & ſub ea ratione, qua ex principijs reuelatis colligimus aliquas cõcluſiones modo ſyllogiſtico: Theologia verò beatorũ licet differat de Deo, & de rebus diuinis, diſputat tamen de iſtis clarè & euidenter.

3. Denique, probatur hæc Concluſio, ex illis omnibus authoribus qui volunt vnitatem ſpecificam Theologiæ exigendam eſſe à reuelatione diuina; Iſti enim tantùm videntur voluiſſe affirmare Theologiam noſtram, nulla ratione poſſe conſurgere ſinè reuelatione diuina obſcura in nobis, idque quòd principia ipſius ſint articuli fidei; de ratione autem fidei eſt obſcuritas, & ineuidentia.

Diſſoluuntur rationes contrariæ. Ad rationes verò Authorum prioris ſententię reſpondeo. Ad 1. negando minorem: tot enim ſunt variæ, & diuerſæ rationes aſſentiendi concluſionibus Theologicis, quot ſunt media diuerſa, ex quibus colliguntur huiuſmodi concluſiones: Idem quippe dicendum eſt de aſſenſu concluſionum Theologicarum, quod de aſſenſu concluſionum demonſtratarũ in ſcientiis naturalibus: Certum autem eſt aſſenſum in iſtis cõcluſionibus naturalibus demonſtratis, ſumendum eſſe à medio debitè diſpoſito in præmiſſis. Ex iſtis autem concluſionibus Theologicis omnibus diuerſis conſurgit vna ſpecie Theologia, ſecundum habitudinem quam dicunt ad rationem formalem Theologiæ, quæ eſt Deitas reuelata, quæcumque enim tractantur in Theologia, ſub ea ratione tractantur, qua ſunt, vel Deus, vel aliquid Dei, vel dicunt habitudinem, & ordinem ad Deum reuelatũ.

Ad 2. Theologiam diſputare de Deo, Angelis, & hominibus, qui inter ſe, nec genere, nec ſpecie conueniunt; ſi ſpectentur ſecundum ſuas proprias quidditates, proprietates, & eſſentias, vt eſt per ſe notum: conueniunt tamen inter ſe, vt ſunt conſiderationis Theologicæ; agit enim Theologia de iſtis, vel vt ſunt Deus, vel vt dicunt ordinem, & habitudinem quamdam ad Deum. 2.

Ad vltimam. Theologiam tractare de vitijs, & peccatis, non quidem per ſe, ſed per accidens, quatenus ſcilicet hæc auertunt hominem à Deo, qui eſt vltimus finis noſter ſupernaturalis. Tractat etiam de actibus humanis; ceterùm interdùm per principia ſola lumine rectæ rationis nota: interdum verò per principia reuelata, ac proinde vt dicunt ordinem, & habitudinem quamdam ad Deum: priori modo diſcurrit Theologia de actibus humanis per accidens tantùm; poſteriori verò modo per ſe, vt conſtat ex dictis. 3.

Mouetur quæſtio. Rogabis, *Quid ſentiendum ſit de Concluſione ducta ex duabus præmiſſis, quarum vna eſt de fide, alia verò lumine tantùm rectæ rationis cognoſcitur.*

Satisfit q. ex mente aliquorum. Reſpondent 1. aliqui Cõcluſionem iſtam pertinere ad fidem Catholicam, eâ tantùm lege, quòd fuerit per euidentem conſequutionem deducta ex præmiſſa de fide: ità Peſantius, Canus, Vega, & alij multi, quorum opinio non vacat probabilitate; ſunt enim qui exiſtiment propoſitionem contrariã iſti concluſioni eſſe manifeſtè hæreticã; hæreſis autem opponitur fidei, omnium conſenſu.

Deinde, præmiſſa lumine rectæ rationis cognita in data hypotheſi non concurrit per ſe, & ſua natura, ſeu (quod idem eſt) quatenus talis eſt, ad aſſenſum Concluſionis deductæ; ſed proponit, explicat, & deducit præmiſſam de fide, ità vt inſeruiat ei tantùm ad hoc, vt ſuos producat effectus: præmiſſa autem de fide inclinat ad aſſenſum fidei: ergo.

2. Reſpõſ. Reſpondeo 2. Concluſionem deductam iuxta datam hypotheſim non pertinere ad fidem, quotieſcumque deducitur ex præmiſſis, non per euidentem & neceſſariam conſequentiam, ſed per incertam tantùm, aut dubiam. Primùm, quia Cõcluſio ſequitur debiliorem partem ſyllogiſmi.

Deinde, præmiſſa ſolo lumine rationis nota in hac hypotheſi, non minùs concurrit ad aſſenſum Concluſionis deductæ, quàm faciat præmiſſa de fide: eſt enim aſſenſus à præmiſſis, veluti à cauſis partialibus, & inadæquatis: ergo.

3. Reſpõſ. Denique reſpondeo, Concluſionem iſtam poſſe conſiderari ſecundum certitudinem, & euidentiam: illam mutuatur Concluſio à præmiſſa de fide; hanc verò à præmiſſa lumine rectæ rationis nota: non repugnat autem vnum, & idem in ordine ad diuerſa media pertinere ad fidem, & præterea ad ſcientiam aliquam per ſe acquiſitam; quèadmodum non repugnat vnam, & eamdem numero Concluſionem inueſtigari per medium neceſſarium, & probabile.

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

An Theologia ſit practica, vel ſpeculatiua.

Qui dicantur habitus practici & ſpeculatiui.

ANTEQVAM res hæc explicetur à nobis, Aduerte illos habitus cenſeri ſpeculatiuos, quorum obiecta ſunt nuda, & ſimplex cognitio; illi verò dicuntur practici, quorum obiecta ſunt operatio, factio, ſeu opus, vt colligi videtur ex Ariſtotele lib. 3. de Anima, capit. 10. & lib. 2. Metaphyſ. cap. 2. & lib. 6. Ethicor. cap. 1. & ex D. Thom. 1. p. quæſt. 14. Ferrarienſi lib. 3. contra Gentes, cap. 20. Gregor. Ariminenſi, quæſt. 5. prologi, & alijs innumeris. Fauet iſtis ratio; nam illud idem videtur dicendum de habitibus, quod de actibus; actus autem illi cenſentur eſſe practici, quorum obiectum eſt factio, ſeu operatio: Theoretici verò quorum obiecta ſunt nuda, & ſimplex cognitio.

Corollarijs. Ex iſtis colliges, peccare eos Scholaſticos, qui putant omnes habitus eſſe formaliter practicos, ad quorum poſitionem ſequitur aliqua operatio, putà amor ſeu delectatio: nam ſi ità res haberet concedendum eſſet de Metaphyſicis, Phyſicis, & Mathematicis diſciplinis, quòd eſſent habitus practici; ad poſitionem quippe iſtarum ſcientiarum ſequitur aliqua operatio: ex doctrina enim Ariſtotelis cognitio perfectiſſima parit delectationem perfectiſſimam; Metaphyſica autem cenſetur eſſe cognitio perfectiſſima.

Nota diligenter. Deinde, ad hoc vt aliquid practici rationem conſequatur, ſimpliciter, & abſolutè requiritur, vt verſetur circa operabile, modo operabili, & quidem ex vi ipſiuſmet cognitionis, & præterea intentione elicientis cognitionem iſtam: At hæc dici non poſſunt de qualibet cognitione, ſeu habitu ad cuius poſitionem ſequitur operatio aliqua, vt eſt per ſe notum; ergo.

Obiectio. Obijcies Ariſtotelem lib. 3. de Anima affirmare eos habitus eſſe theoreticos, quorum fines ſunt theoretici. *Reſp.* Nomine finis non ſignificari illic finem propriè dictum, ſed obiectum, vt pluribus obſeruat Vazq. diſp. 8. c. 5. numer. 11.

Reſpon.

His ità præmiſſis, explicatur res iſta, omiſſis varijs de hac re Theologorum opinionibus, ſequentibus Concluſionibus.

1. Ratio. CONCLVSIO 1. *Theologia noſtra eſt ſimul theoretica, & practica formaliter.* Probatur primò, quia ille habitus cenſetur eſſe formaliter theoreticus cuius obiectum eſt nuda & ſimplex cognitio: at obiectum multarum concluſionum Theologicarum eſt nuda, & ſimplex cognitio, vt conſtat ex iſtis: *Deus eſt trinus, & vnus: Deus eſt omnipotens,* & ſic de alijs innumeris.

Secundò probatur Theologiam eſſe practicam: Illa cognitio cenſetur eſſe practica formaliter, quę verſatur circa operabile modo operabili, ex vi ipſiuſmet cognitionis, & præterea ex intentione illius, qui huiuſmodi cognitionem practicam elicit: at obiecta infinitarum concluſionum Theologicarum ſunt res operabiles modo operabili, ex vi ipſiuſmet cognitionis, & intentione elicientis huiuſmodi cognitionẽ, vt conſtat ex iſtis: Omnia, & ſingula peccata mortalia poſt baptiſmũ commiſſa, ſunt in confeſſione manifeſtanda. Item: Panis & vinum ſunt conſecranda inter ſacrificandum. Itẽ: Inter baptizandum quilibet debet vti aqua naturali, & proferre verba iſta, *Ego te baptizo,* propoſitiones quippe iſtæ reſpiciunt praxim modo operabili, id eſt, regulando, & dirigendo actionem productam, & quidem ex vi ipſarummet propoſitionum, & ex intentione eorum, qui eliciunt propoſitiones iſtas: ergo.

2. Probat. Concluſ. Secundò probatur Concluſio. Non repugnat vnam, & eamdem numero concluſionem ſimul eſſe practicam & theoreticam, vt conſtat ex iſta: Quilibet recenter natus eſt baptizandus: nam Concluſio hæc poteſt elici ab aliquo, ad hoc vt tantùm intelligat hominem recenter natum eſſe baptizandum, quo caſu Concluſio iſta eſſet theoretica; & item, vt de facto aliquem baptizet, qua ratione Concluſio hęc eſſet verè practica, ex quorumdam opinione.

3. Vltima. Tertiò, de vna, & eadem Concluſione aſſerimus quòd poſſit probari, & per medium de fide, & per demonſtrabile, & denique per probabile.

Denique, nihil repugnat quominus Theologus vtatur ſcientia Theologica ad rectè inſtituendas omnes ſuas, & ſingulas operationes: dicit enim Theologia ordinem, & reſpectum aliquem ad bene beatéque viuendum, ex illo Matth. 22. *In his duobus præceptis vniuerſa lex pendet & prophetæ:* at verſ. 40. in iſto caſu Theologia eſſet verè practica, ergo. Ità Diuus Thomas hoc loco, & interpretes eiuſdem ferè omnes. *Matth. 22.*

Obiectio. Obijciunt Authores contrariæ ſententiæ: practicum & ſpeculatiuum ſunt differentię oppoſitæ; propter hanc enim cauſam Ariſtoteles lib. 6. Ethicor. ait habitus vel eſſe practicos, vel ſpeculatiuos.

Reſponſio. Reſp. Negando maiorem ſaltem abſolutè, & ſimpliciter: nam ex doctrina S. Thomæ hoc loco, Theologia dicitur formaliter practica, & ſpeculatiua; quod tamen dici non poſſet, ſi practicum & ſpeculatiuum eſſent differentiæ oppoſitæ.

D. Thom. Deinde, idem Diuus Thomas in 2. 2. quæſt. 2. art. 2. ad 3. fatetur fidem eſſe theoreticam, & practicam: illud idem docent multi de donis ſcientiæ, intellectus, & ſapientiæ Spiritus ſancti: anima item noſtra eſt ex multorum ſententia formaliter vegetans, ſentiens, & intelligens, licèt anima ſentiens, & vegetans diſtinguantur realiter, & formaliter in brutis & plantis. Ad probationem verò reſp. diuiſionem iſtam Ariſtotelis, intelligendam eſſe de ſolis habitibus dependenter à principijs tantùm naturalibus, hos enim habitus tantùm habuit ſibi cognitos: ſecus tamen ſentiendum eſt de Theologia, quæ eſt habitus longè nobilior, & perfectior illis omnibus, qui dantur in nobis dependenter à ſolis principijs naturalibus, vt docet D. Thomas art. 9. huius quæſt. Hæc ergo cenſetur eſſe, & formaliter theoretica, quia Concluſiones eiuſdem aliquæ habent pro obiecto nudam & ſimplicem cognitionem, & etiam practica formaliter, quia habet multas Concluſiones, quarum obiecta ſunt res operabiles modo operabili: habitus verò de quibus agit Ariſtoteles eo in loco, vel ſunt quoad ſubiectum totale, & adæquatum omni ex parte theoretici, vel certè practici; ac proinde non eſt mirum ſi diuidat illos habitus in practicos & theoreticos tantùm. Inſtant: Verſari circa operabile, modo operabili, & non verſari circa operabile modo operabili ſunt contradictoria: ergo.

Reſp.

Diſſolvitur Reſpond. hæc duo eſſe contradictoria ſi ſint ad idem, ſecundum idem, & eodem modo: reſpectu verò Theologiæ non ſunt ad idem, nec eodem modo: Theologia ſiquidem quoad ſolas Concluſiones practicas quas habet, verſatur circa operabile modo operabili: quoad verò Concluſiones theoreticas, non verſatur circa operabile, modo operabili; ac proinde hæc duo non ſuntcontradictoria reſpectu Theologiæ.

Obiectio Peſantij. Objcit 1. Peſantius, theoreticum, & practicum ſumi à fine intrinſeco habitibus practico, & theoretico: quod autem ſumitur à fine intrinſeco cenſetur pertinere ad naturam, & eſſentiam illius.

Reſponſio. Reſpond. negando maiorem, diximus enim practicum cenſeri illud quod habet pro obiecto operabile modo operabili: theoreticum autem quod habet pro obiectonudam & ſimplicem cognitionem: non ergo àfine, ſed ab obiecto reperenda ratio theoretici, & practici.

Obiectio 2. Objcit 2. nullus actus datur apud nos, qui ſimul ſit formaliter theoreticus & practicus: ergo neque dabitur etiam aliquis habitus.

Solutio. Reſpond. antecedens eſſe verum, ſi ſermo ſit de nobis conſtitutis in hac vita, & de lege communi, nulla quippe datur ſpecies intelligibilis, quæ repræſentet theoreticum, & practicum ſecundùm ſuas formales rationes. Negatur tamen conſequutio: idque propter cauſas in antecedentibus explicatas.

Deinde, quia conſequens hoc verum eſt de habitibus, qui dantur in nobis naturaliter tantùm; iſti enim ideò ſunt tantum formaliter practici, quia eorum obiecta ſecundum ſe tota ſunt res aliquæ operabiles, modo operabili. Sunt etiam ſimiliter theoretici, quia habent pro obiecto nudam, & ſimplicem cognitionem. Theologia verò habet aliquas Concluſiones, quæ verſantur circa operabile modo operabili, alias autem quæ verſantur circa res, quæ ſunt ex parte theoreticæ propter nudam, & ſimplicem cognitionem, quam dicunt.

Reiicitur ſententia, quæ aſſerit Theologiam eſſe tantum practicam formaliter. Rom. 13. verſ. 10. Iacob. 2. verſ. 20. Qui verò putant Theologiam eſſe tantùm practicam formaliter, ità nobis objciunt: Finis Theologiæ eſt charitas, ex Matth. 22. *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetæ.* & ex illo Pauli, *Legis plenitudo eſt dilectio*; fides item dicitur operari in ſacris litteris per charitatem, Galat. 5. & ex illo Iacobi. *Fides ſinè operibus mortua eſt.*

Reſpond. finem Theologiæ non eſſe charitatem. Ad teſtimonia autem Scripturæ reſpond. hæc eſſe intelligenda de fine, qui intenditur ab eo, qui Theologiam docet, vel addiſcit; hic enim cenſetur eſſe mandatorum Dei, & Eccleſiæ obſeruator; ab hoc autem fine, non eſt repetenda natura & eſſentia alicuius habitus, ſed ab obiecto formali, aut à modo tendendi in obiectum. Dicimus autem obiectum Theologiæ eſſe Deitatem reuelantem ſe, & alia à ſe, obſcurè: ergo.

Theologia eſt magis theoretica quàm practica. Conclvsio 2. *Theologia eſt magis theoretica, quàm practica.* Primùm, quia ità docet D. Thomas in corpore art.

Deinde, denominatio debet fieri à parte nobiliori; at pars theoretica Theologiæ eſt multò nobilior, quàm ſit practica, illa enim verſatur circa Deum, quo nihil nobilius, aut præſtantius eſſe poteſt: ità communiter interpretes ſancti Thomæ: non eſt tamen exiſtimandum multò plures dari Concluſiones theoreticas in Theologia, quàm practicas; hoc enim patet eſſe falſum, ex tota tractatione 2. & 3. partis ſancti Thomæ: iſtæ enim duæ verſantur circa ea, quæ pertinent maximè ad praxim.

Conclvsio vltima. *Theologia eſt quodammodo affectiua.* Probatur, quia cognitio rerum, quæ traduntur in Theologia, allicit, & inuitat nos, ad ea quæ ſunt legis diuinæ obſeruanda: imò finis Theologiæ reſpectu ſaltem docentis, & addiſcentis cenſetur eſſe charitas, ex D. Auguſtino lib. de laudibus charitatis. *Ille rerum ſcit quod latet, & patet in ſacris voluminibus qui charitatem retinet in moribus.* & lib. 1. de Doctrina Chriſt. cap. 35. ait Theologiam ordinari ad obſeruanda præcepta dilectionis Dei, & proximi. Ità ſentiunt Albertus, Bonauent. Ægidius in prologo 1. ſentent. Trigoſius quæſt. 1. art. 1. Dubit. 4. ad Diuum Bonauenturam, Peſant. diſp. vnica ad hunc articulum & alij multi. Dixi, *quodammodo*, quia ex capite quo Theologia eſt theoretica tantùm, non eſt affectiua ſaltem ex ſe, & ſua natura, quemadmodum accidit ex eo capite quo eſt practica. *Theologia eſt affectiua quodammodo.* D. Auguſt

Articvlo 5. Docet ſanctus Thomas Theologiam præſtantiorem eſſe ceteris omnibus ſcientijs, quæ dantur in nobis naturaliter, de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio: præſtantia quippe cuiuſlibet ſcientiæ ab obiecto eiuſdem eſt deſumenda, ex doctrina Ariſt. in libb. de anima: at obiecto Theologico nihil poteſt eſſe præſtantius; docet enim art. 7. huius quæſt. Theologiam habere pro obiecto Deũ, vt Deus eſt.

Deinde, nobilitas ſcientiæ repoſcenda venit ex certitudine eiuſdem: at certitudo, quæ datur in Theologia ſuperat certitudinem ceterarum ſcientiarum, quæ reperiuntur in nobis naturaliter tantùm, id eſt dependenter à principijs naturaliter tantummodo notis. Addunt interpretes ſancti Thomæ, certitudinem iſtam Theologiæ refundendam eſſe in eum actum, quo quis animaduertit ſe aſſentiri Concluſionibus Theologicis non tam vi diſcurſus, aut ex aliquo alio capite, ſed propter teſtimonium primæ veritatis reuelantis principia, ex quibus colliguntur Concluſiones Theologicæ.

Articvlo 6. Docet ſanctus Thomas Theologiam eſſe ſapientiam, & quidem merito, definitur enim ſapientia, ab Ariſtot. cognitio exactiſſima earum rerum quæ ſummo honore dignæ ſunt; rebus autem Theologicis nulla poſſunt eſſe præſtantiora, aut digniora, cum res iſtæ ſint præcipuè veritas ipſa.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm Deus ſit ſubiectum Theologiæ.

ADVERTE difficultatem iſtam explicandam eſſe de ſubiecto materiali & formali Theologiæ: extant autem de hac re quindecim ſententiæ, quas refert Peſantius hoc loco, iſtis verò omiſſis ſit *Deus eſt ſubiectum principium, principale, materiale Theologiæ eſt Deus.* *Deus eſt ſubiectum principium, principale materiale Theologiæ.*

Conclvsio 1. *Subiectum principium, principale, materiale Theologiæ eſt Deus.* Primùm, quia hoc videtur ſignificare vox iſta, *Theologia*, idem enim eſt, ac ſermo de Deo.

Deinde, diximus Theologiã eſſe præſtantiſſimã propter nobilitatem ſubiecti de quo diſſerit.

Digitized by Google

Tertiò, idem eſt ſubiectum materiale fidei, & Theologiæ: deducit enim Theologia Concluſiones ſuas ex articulis fidei, qui ſunt ſubiectum fidei omnium conſenſione. A

Denique, ſubiectum proprium, principale, materiale cuiuſlibet ſcientiæ cenſetur eſſe id de quo differitur præcipuè, & principaliter in illa ſcientia; at in Theologia differitur maximè de Deo, vt conſtat ex ordine, quem tenet ſanctus Thomas in tractanda Theologia in hac Summa. Ità communiter omnes hoc loco.

Res à Deo reuelata ſubiectum minus principale.

CONCLVSIO 2. *Qualibet res à Deo reuelata, prout ex ea elicit Theologia Concluſiones aliquas medio diſcurſu, pertinet ad ſubiectum materiale Theologiæ.* Nam tractat ipſa de huiuſmodi rebus, vt ſupponimus. B

Deinde, tam verè demonſtrat de rebus iſtis reuelatis aliquas proprietates, & affectiones, quàm de Deo.

Obiectum formale Theologiæ eſt Deitas ſub ratione Deitatis.

CONCLVSIO 3. *Obiectum formale Theologiæ cenſetur eſſe Deus, vt Deus, ſeu* (quod idem eſt) *ratio formalis, vt Quæ Theologia cenſetur eſſe Deitas*, ſub ea ratione, qua Deitas eſt. Primùm, quia ratio formalis vt Quæ cuiuſlibet ſcientiæ, tenetur eſſe illud de quo differitur primò, & per ſe in illa ſcientia, & de ceteris omnibus aliis in ordine ad illud, de quo diſputatur primò & per ſe, vt obſeruat Henricus Gandauenſis; at Theologia differit primò, & per ſe de Deo, vt de ceteris omnibus aliis rebus, ſub ea ratione, qua vel ſunt Deus, vel aliquid Dei, vel denique dicunt ordinem, & habitudinem quamdam ad Deum; ità vt Deitas prædicetur de iſtis omnibus in recto, vel certè ad minus in obliquo. 1. C

2. Deinde, ratio formalis vt Quæ, cuiuſlibet ſcientiæ, debet continere vel expreſsè, vel virtute ea omnia, quæ pertractantur in ſcientia, cuius eſt ratio formalis; at Deus, vt Deus, complectitur, ſi non formaliter, & expreſsè, virtute tamen, & eminenter totum illud, quod traditur in Theologia: ergo.

3. *Rationis formalis vt Quæ tres ſunt conditiones.*

Tertiò, tres conditiones requiruntur ex multorum ſententia, ad hoc vt aliquid ſit ratio formalis vt Quæ, alicuius ſcientiæ, 1. quòd res iſta ſit ſimplex. 2. quòd primò, & per ſe tractetur in illa ſcientia; cetera verò omnia ratione illius. 3. quòd de iſta re demonſtrentur aliqua veluti paſſiones, & affectiones eiuſdem. Huius vltimæ conditionis quæſt. 5. prologi, cauſam reddit Durandus, quia (inquit) quælibet ſcientia de ſuo ſubiecto demonſtrat proprietates, & paſſiones: indubitatum autem eſt conditiones iſtas rectè conuenire Deo, ſub ea ratione, qua Deus eſt; quis enim non videt Deum eſſe ſimpliciſſimum? quis neſcit Theologiam differere præcipuè de Deo, & de rebus pertinentibus ad Deitatem? & denique, quem latet Theologiam demonſtrare multa de Deo, & à priori, & à poſteriori? Ità docet Dionyſius lib. myſticæ Theologiæ ſub initium: ait enim Theologiam dirigere nos in ſupremè incognitum, lucidiſſimum, & eminentiſſimum verticem: Nomine autem verticis, intelligit D. Thomas Deum hoc loco, & interpretes eiuſdem ferè omnes, Henricus Gandauenſis 1. parte ſuæ Theologiæ, art. 19. quæſt. 1. Richardus quæſt. 3. prologi, Alenſis quæſt. 1. membro 3. 1. partis. D. Dionyſ. D

Obiciunt Authores contrariæ ſententiæ: quælibet ſcientia demonſtrat aliqua de ſuo ſubiecto per veras cauſas. *Obiectio.*

Reſpond. maiorem iſtam eſſe veram de illis ſubiectis, quæ admittunt veras cauſas; non autem de illis, quæ reſpuunt omnem omnino cauſam efficientem, cuius generis eſt Deus; de quo tamen tractat præcipuè, & principaliter Theologia. Addo tamen Theologiam, multa demonſtrare de Deo, à poſteriori, & item de quibuſdam attributis intrinſecis à priori, non quidem per veras cauſas efficientes; ſed tantùm per rationes, & cauſas virtuale, vt loquuntur aliqui. *Reſponſio.*

Obiciunt 2. nullam ſcientiam demonſtrare de ſuo ſubiecto, quòd ſit: D. autem Thomas quæſt. proximè ſequente huius part. probat Deum eſſe, & illud idem faciunt omnes ferè Scholaſtici. *Obiectio 2.*

Reſpond. conceſſa maiore, minorem probari à ſcholaſticis Theologis, non ex officio, ſed ſuſtinendo vices Philoſophi Metaphyſici, in odium ſcilicet eorum hominum, qui eò dementiæ peruenerunt, vt minimè pudeat illos affirmare Deum non eſſe. *Solutio.*

Obiciunt 3. ſi ità res haberet, nullum daretur diſcrimen inter Theologiam, & Metaphyſicam; hæc quippe differit de Deo. *Obiectio 3.*

Reſpond. Theologiam diſtingui à Metaphyſica, quia licèt iſta differat æquè de Deo, diſputat tamen Metaphyſica de Deitate per principia tantùm naturaliter nobis nota: Theologus verò per principia diuinitus reuelata. *Solutio.*

CONCLVSIO VLTIMA. *Ratio formalis ſub Qua Theologia cenſetur eſſe diuina reuelatio obſcura.* Primùm, quia ità ſentiunt communiter Thomiſtæ, & probat multis Peſant. hoc loco. *Diuina reuelatio obſcura eſt ratio formalis ſub Qua Theologiæ.*

Deinde, ratio formalis ſub Qua, eſt id quod facit quidpiam eſſe ſcibile in ea ſcientia, cuius eſt ratio formalis ſub Qua, ex communi ſententia: at reuelatio diuina obſcura facit vt illud omne de quo diſputatur in Theologia ſit in ea ſcibile. Nam Concluſiones omnes Theologicæ deducuntur ex articulis fidei noſtræ: qui non aliter nobis innoteſcunt, quàm media reuelatione diuina obſcura.

Dices, ſi ità res haberet, ſequeretur Theologiam non diſtingui à fide diuina: hæc enim habet pro ſua ratione formali, ſub qua reuelationem diuinam obſcuram. *Obiectio.*

Reſpond. negando illationem maioris. Ad probationem autem, Theologiam exigere reuelationem diuinam obſcuram, quemadmodum & illud idem facit fides, ſed diuerſa ratione: Nam fides aſſentitur proximè, & immediatè articulis fidei, ſecluſo omni alio adiumento intermedio: Theologia autem aſſentitur Concluſionibus deductis ex articulis fidei medio diſcurſu: Ità vt vis ſyllogiſtica ſit ratio aſſentiendi Concluſionibus Theologicis proximè & immediatè. Reuelatio autem diuina tantummodo remotè. Ex hac ergo formali ratione, ſub Qua, & Quæ conſurgit vnum totale, & & adæquatum obiectum formale Theologiæ. *Solutio.*

ARTI-

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum Theologia ſit argumentatiua.

CONCLVSIO affirmatiua; circa quam ſit

DVBITATIO VNICA.

An ſit argumentatiua Theologia, & quánam ratione.

ADVERTE Theologiam eſſe argumentatiuam; apud Diuum Thomam hoc loco nihil aliud eſſe, quàm ad refellenda contraria, & ad propria confirmanda, ſyllogiſmos, & argumentationes conficere: hoc igitur vno animaduerſo, ſequentibus Concluſionibus reſpondetur.

Theologia eſt argumentatiua. Tit. 1. v. 9. 2. Petr. 3. verſ. 15.

CONCLVSIO 1. *Theologia eſt argumentatiua.* Probatur primò, ex cap. 1. ad Titum, vbi de Epiſcopo loquitur; *Amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem; vt potens ſit exhortari, & eos qui contradicunt arguere.* & 1. Petri 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem, de ea quæ in vobis eſt ſpe.* & 2. ad Timot. 3. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum.*

2. Secundò probatur ab exemplo. Primùm, Chriſtus Theologorum omnium magiſter ſæpiſſimè ratiocinationibus, ex Scriptura ſacra petitis vſus eſt: vt Luc. 6. concludit rurò ſpicas die Sabbathi, ſinè tranſgreſſione præcepti de Sabbatho ſeruando, manibus confricari poſſe, ad nutriendos & fouendos illos, qui fame pereunt, aut ciborum penuria laborant; idque quoniam ſcribitur 1. Regum cap. 21. Dauidem fame, & egeſtate preſſum, ingreſſum fuiſſe domum Domini, & accepiſſe à ſacerdote Abimelech panes propoſitionis, quatenus illis vnà cum ſocijs veſceretur: & Matth. 21. contendit contra Iudæos probare ſe eſſe verum Meſſiam, allatis illis locis, qui habentur Pſal. 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes; hic factus eſt in caput anguli*; & Pſal. 8. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*; & Matth. 19. infert, nulli licere recedere à propria vxore & cum altera contrahere: quia ſcribitur Geneſ. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*; & Ioann. 6. Luc. 10. & alibi paſſim ratiocinationes conficit.

Pſal. 117. verſ. 22. Pſal. 8. verſ. 3. Geneſ. 2. verſ. 24.

Deinde, Apoſtoli ſunt etiam vſi ſyllogiſmis ad veritates fidei comprobandas, vt conſtat ex cap. 15. prioris ad Corinth. vbi D. Paulus propterea infert nos aliquando reſurrecturos, quoniam Chriſtus reſurrexit. Item in Actis cap. 17. & in Canonicis epiſt. D. Petri, Ioannis, & Pauli. Poſtremò, SS. Patres methodum hanc argumentandi minimè deſpexerunt, vt patet ex illorum monumentis omni eruditione refertis.

Theologia non probat ſua principia, ſed ſupponit.

CONCLVSIO 2. *Theologia non vtitur argumentis ad ſua principia probanda.* Probatur primò, quoniam ex ſententia Ariſt. principia ſunt per ſe nota in propria ſcientia; & ità in ea tanquam nota, & perſpecta ponuntur, vt author eſt Ariſt. libr. 1. Poſter. cap. 2. *Omnis probatio petitur à principio:* ergo ſi in Theologia principia probarentur, regreſſus in infinitum daretur.

Dices, credere reſurrectionem mortuorum conſtituit articulum fidei; at D. Paulus 1. Corinth. 15. probat huiuſmodi articulum, ex eo quod Chriſtus reſurrexit; ergo. *Obiectio 1.*

Deinde, Articuli fidei ſunt euidenter credibiles, vt dicit D. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 5. ergo probari poteſt argumentis illorum euidentia. 2.

Verùm ad hæc facile eſt reſpondere. Ad 1. D. Paulum non probare reſurrectionem mortuorum efficaciter, nec concludendo, neque à priori, aut à poſteriori, qua ratione intelligenda eſt 1. noſtra Concluſio: ſed tantùm probare reſurrectionem mortuorum ex conceſſis, contra illos ſcilicet qui fatebantur Chriſtum reſurrexiſſe, negabant tamen corporum reſurrectionem. *Satisfit 1.*

Ad rationem 2. Reſpond. aliud eſſe articulos fidei poſſe probari ſecundum communem rationem credibilis, & aliud poſſe probari ſimpliciter à Theologo: hoc poſterius intendimus in Concluſione; volumus enim quod principia Theologiæ, in Theologia non probentur ſimpliciter per ipſammet Theologiam: illud autem prius vltrò concedimus. *Satisfit 2.*

CONCLVSIO 3. *Sacra Theologia diſputat contra illos, qui aliqua eius principia negant, & aliqua concedunt.* Probatur: Scientiæ ſuperiori conuenit diſputare contra negantes principia, & ſoluere rationes in contrarium ab aduerſarijs propoſitas, vt conſtat ex Ariſtot. lib. 1. phyſic. qui contra Parmenidem & Meliſſum negantes phyſicæ diſciplinæ principia, diſputat, non vt phyſicus, ſed vt metaphyſicus, cuius ſcientia cenſetur eſſe communis: atqui Theologia ſuperior eſt ſcientia, & communis. *Theologia diſputat cõtra negantes aliqua ſua principia.*

Deinde, in Concil. Lateranenſi dicitur, *Rationes omnes quibus fides Chriſtiana ab hæreticis, aut à quibuſuis alijs impugnatur, falſo nati principio, & ſolum poſſe.* Damnatur præterea ibidem illorum error, qui dicebant animam rationalem eſſe mortalem ſecundum philoſophiam: immortalem verò ſecundum Theologiam. Subijcit autem rationem Concilium, *Quoniam* (inquit) *Philoſophia vera, Theologiæ aduerſari non poteſt: Veruminuerò non contradicit.* *Lateranenſe Cõcil.*

Qua ratione autem poſſit Theologus ſoluere argumenta omnia contra fidei veritatem propoſita, rectè explicat Caiet. hoc loco: vult enim ſolui poſſe, aut ex creditis, vt ſi quis contra myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis obijceret: vnius eſſentiæ, vna eſt tantùm perſona, at eſt vna eſſentia: ergo & vna perſona. *Quæ ratione Theologus ſoluat argumenta contra fidem propoſita?*

Reſponderet Theologus, negando propoſitionem maiorem: quoniam eſſentia diuina eſt vna, & tamen ſubſiſtit triplici ſubſiſtentia. Tunc reſpondet ex proprijs, quoniam fides Catholica dicat, vnum eſſe Deum, & trinum in perſonis: vel ſolui poſſunt ex ſcitis ſimpliciter, aut ex ſcitis ſecundum aliquid, & ex parte: ex ſcitis ex parte, vt ſi quis proximè allatæ obiectioni reſponderet, diſtinguendo maiorem: aut enim eſſentia eſt infinita, aut finita: eſſentiæ finitæ eſt vna tantùm perſona, infinitæ autem nequaquam. Tunc reſpondet ex ſcitis ſecundùm quid, quoniam animaduertit, & ſcit Theologus non pugnare cum ratione, quòd eſſentia infinita habeat multas hypoſtaſes: ex ſcitis verò ſimpliciter, vt ſi quis contra altaris myſterium obijceret: Accidentis eſſe eſt ineſſe: atqui albedo quantitas, ſapor, & odor ſpecierum conſecratarum ſunt accidentia:

ergo alicui substantiæ insunt: Responderet Theologus ex scitis simpliciter, quoniam certò, & indubitatò scit accidentis esse, non esse actu inhærere, sed habere tantum ordinem ad substantiam. A

Gabriel Vazquez disp. 111. cap. 3. subscribit Caietano, ceterùm addit nullum argumentum ex ijs, quæ directè pugnant contra fidei mysterium, quatenus fidei articulus est, solui posse euidenter positiuè, sed solũ negatiuè: si enim argumentũ hoc euidẽter dissolueretur idq; positiue, haberetur euidentia ipsius mysterij, quod tamen est absurdum: nam quemadmodum constare nequit euidenter de veritate mysterij: sic neque falsitate illius, quod assumitur ad probandum contrariũ; vtriusque enim eadem est ratio, vt rectè obseruat Durandus quæst. 1. prologi. B

Adijcit tamen argumenta quæ ex consequenti contra articulos fidei, directè verò contra aliquid quod supponit articulus, posse omnia positiuè euidenter solui, huius generis est argumentum suprà positum contra sacramentum Eucharistiæ, & item si quis contra articulum resurrectionis ità argumentaretur. Resurrectio dari non potest, nisi eadem anima quæ fuit, verè sit; sed anima Socratis v. g. non potest esse de nouo, tum quia est mortalis, tum quia præteritum reuocari non potest: ergo resurrectio non est possibilis. Hoc argumentum euidenter positiuè solui potest, quoniam non pugnat directè contra ipsam resurrectionem, sed tantùm ex consequente: nam articulus resurrectionis in eo solùm consistit, quòd hæc futura sit, hoc autem non colligitur ex eo quòd anima sit mortalis, aut quòd præteritum reuocari non possit; recta siquidem ratio, seclusa fide Catholica, assequitur animam esse immortalem, hoc enim docuit Aristoteles, & plerique alij philosophi, qui nihil audiuerant de fide Catholica. Ratio item naturalis intelligit præteritum formaliter spectatum non posse reuocari, bene tamen rem quæ fuit in præterito tempore, saltem potentia Dei absoluta: Cum autem ista argumenta soluit euidenter Theologus, id non præstat, quà talis, sed vt philosophus; vtitur enim ad id non principijs Theologiæ, cum hæc sint obscura, sed philosophiæ; cuius principia sunt euidenter nota, ac proinde Conclusiones ex ipsis deductæ sunt fidei euidenter notæ. C D

Quid sit soluere argumentum negatiuè euidenter.

Rogabis, quid sit euidenter soluere argumentum fidei contrarium negatiuè. Respondet Caietanus quando non euidens est id quod assumitur ab aduersario contra articulum fidei non conuincere intellectũ ad sui assensum, vt si quis ità contra articulum Trinitatis argumentaretur, vnius essentiæ vna est tantùm subsistentia; diuina subsistentia non est vna essentia: ergo. soluit Theologus euidenter negatiuè, quia maior propositio non cogit euidenter intellectum, vt illi assentiatur simpliciter. E

Principia Theologiæ sunt articuli fidei.

ROGABIS 2. *Quæ sint principia Theologiæ.* RESP. *Esse articulos fidei.* Primùm, quæ præsupponuntur in aliqua scientia, tanquam verissima, illa sunt eius principia, vt patet ex Aristot. lib. 1. poster. At articuli fidei præsupponuntur in Theologia, tanquam verissima: ergo.

Deinde, illæ propositiones, quæ de subiecto scientiæ ità enunciantur, vt à priori demonstrari non possint, sunt prima eius principia; atqui articuli fidei sunt huius generis: ergo.

Tertiò, ea quæ in aliqua scientia creduntur magis vera, rationem principij consequũtur; atqui articuli fidei in Theologia creduntur tanquam verissimi. Postremò hæc est communis opinio Doctorum scholasticorum, Thomæ Argentinens. quæst. 2. prolog. articulo 2.

DVBITATIO SECVNDA.

Vndenam depromat Theologus argumenta ad proprias Conclusiones confirmandas, & ad alienas refellendas.

Vnde sumat argumenta Theologus ad suas Concl. probandas.

CONCLVSIO EST *huiusmodi argumenta desumit Theologus à locis quibusdam, qui in vniuersum diuiduntur in locum internũ, & externum.* Locus internus censetur esse ille, à quo argumentum ductum facit fidem, eius generis sunt authoritates: locus verò externus, à quo argumentum petitum probabiliter tantùm facit fidem; huius generis sunt rationes humanæ, & alia istis similia. Qua in re, aduertere licet discrimen, quod est inter scientias naturales, & Theologiam; hæc enim, quoniam de rebus, quæ captum intellectus humani fugiunt, differit, non vtitur agumentis à ratione petitis, sed multò magis ab authoritate; Illæ verò, quoniam de rebus, quæ humanæ mentis aciem non fugiunt, disputant argumentis à ratione, & ex ipso subiecto emendicatis vtuntur; atque propterea argumenta hæc dicuntur interna, quasi in ipsa re resideant; quæ verò à testimonio, & authoritate ducuntur alicuius, externa appellantur, quoniàm non à rebus ipsis, sed aliunde desumpta sunt: contrà verò in Theologia illa sola censentur interna, quæ ab authoritate Dei reuelantis, externa verò, quæ à ratione ducantur.

Locus alius internus, alius externus quinam sint.

Diuisio locorũ internorum, & externorũ, qui dicuntur sedes argumentorum Theologicorum.

Diuiditur autem locus hic internus ab authoritate decerptus, in authoritatem Scripturæ sacræ, traditionum; Conciliorum, Ecclesiæ Romanæ, sanctorum Patrum, & denique Doctorum scholasticorum. Externus autem diuiditur in rationem naturalem, in authoritatem philosophorum, qui naturam tanquam ducem certissimum sequuti sunt, & in authoritatem historiæ humanæ; de quibus omnibus sigillatim paucula quædam.

Primus locus à quo eruuntur argumenta Theologiæ est sacra Scriptura.

CONCLVSIO 1. *Nomine sacræ Scripturæ, à cuius authoritate primò sua deprompt argumenta Theologus, intelliguntur omnes libri Canonici,* ex Concil. Carthaginensi III. & Laodicæno cap. 15. quales sunt omnes, qui in nostris Biblijs iussu Sixti V. & Clementis VIII. editis inseruntur; 3. & 4. Esdræ exceptis, quod probatum fuit in 6. Synodo generali Constantinopolitana can. 2. ex Innocent. epist. ad Exuperium cap. vltimo, Trident. sess. 4. Porrò quæ à nouatoribus contra authoritatem librorum Machab. Tobiæ, Sapientiæ, Iudith, Daniel, & Ecclesiastici obijciuntur, dilsoluuntur à Belar. & alijs, qui de controuersijs scripserunt: nobis enim sufficere debet huiusmodi libros ab Ecclesia proponi tanquam Canonicos; ad illam namque pertinet solam veros ab adulterinis segernere, vt definitum est in Concilio Toletano I. *Si quis dixerit vel crediderit, alias scripturas esse Canonicas, præter eas quas Ecclesia Catholica recipit, Anathema sit.* Tolean.

Deinde,

Digitized by Google

2. Irenæus. D. Auguſt. Deinde, ità tradunt Irenæus, D. Auguſtinus lib. 13. contra Fauſtum cap. 4. & lib. 28. cap. 2. & 4. & lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. & lib 1. contra epiſt. Manich. cap. 5. *Euangelio*, inquit, *non crederem, niſi me authoritas Eccleſiæ Catholicæ moueret*, & lib. 33. contra Fauſtum cap. 6. propterea vult definitioni Eccleſiæ in controuerſijs fidei decidendis eſſe ſtandum; quoniam nulla alia ratione explorare poſſumus qui libri ſint huius, & illius authoris, quàm teſtimonio eorum qui nos anteceſſerunt.

Eccleſiæ nomine quid intelligatur.

Cùm autem in Concluſione diximus ad Eccleſiam pertinere definire qui libri ſint canonici, & qui apocryphi; nomine Eccleſiæ non intelligimus illam ſolam congregationem fidelium, quæ fuit tempore Apoſtolorum, vt quidam docuerunt; neque etiam illam ſeriem, & colligationem fidelium qui fuerunt à tempore Chriſti, & Apoſtolorum ad noſtra vſque ſecula, quod videntur credidiſſe alij.

Verùm nomine Eccleſiæ intelligimus fidelium congregationem, qui ſunt in hac vita. Probatur primùm, quoniam promiſit Chriſtus ſe adfuturum ſuæ Eccleſiæ vſque ad conſummationem ſeculi, Matth. 28. & Ioan. 14. *Mittam vobis ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, & docebit vos omnem veritatem.* Quæ promiſſio quamuis Apoſtolis fiat, non tamen ad ſolos Apoſtolos pertinet, verùm etiam ad eorum ſucceſſores, vt communiter explicant Patres: ergo, ſi occurrat dubium, an aliquis liber ſit canonicus noſtro tempore, vt patet de libro Baruch, de quo controuertitur, & de libris Machabæorum, aderit Spiritus ſanctus Eccleſiæ ſuæ, ad hoc vt huius difficultatis veritas innotelcat & ſuę ſponſę eam propalet.

Tertiò, Eccleſia quæ fuit multis ſeculis poſt Apoſtolos, definiuit aliquos libros eſſe canonicos, alios verò reprobauit, vt conſtat ex Hieron. in Epiſtola ad Furiam de lib. Iudith, & ex Concilijs Laodicæno, Carthaginenſ. III. & Romano ſeptuaginta Epiſcoporum ſub Gelaſio: ergo. Vide Stapleton lib. 9. controuerſia 5. cap. 12. & cap. 6. Franciſcum à Chriſto. diſt. 23. 24. & 25. quæſt. 2.

Quid nomine fidelium.

Nomine item fidelium, non intelligimus omnes & ſingulos Chriſtianos, vt putauit Thomas VValdenſis lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 19. & 20. Sed tantùm nomine fidelium intelligimus Paſtores & Prælatos, qui quando conueniunt à Romano Pontifice vocati ſuas Eccleſias

Actor. 15. verſ. 6. repræſentant; ſic fuere Apoſtoli, Actor. 15. vbi dicitur quòd cùm orta eſſet quæſtio de obſeruatione legalium res non ad quoſcumque, ſed ad Apoſtolos, & ſeniores delata eſt. *Conuenerunt*, inquit, *Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc*, & cap.

Actor. 18. verſ. 12. 14. & 15. 18. dicitur, *Incipiente autem Paulo aperire os dixit Gallio ad Iudæos: Si quidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum rectè vos ſuſtinerem. Si verò quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus legis veſtræ, vos ipſi videritis. Iudex ego horum nolo eſſe.* & apud

Eccle. 12. verſ. 11. Eccleſiaſt. cap. 12. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt ab vno paſtore. His amplius fili mi, ne requiras.* Aggęi 2. *Interroga ſacerdotes legem:*

Aggęi 2. 2. Paralip. & 2. Paralip. cap. 19. *Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum qui habitant in vrbibus ſuis inter cognationem & cognationem, vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus, oſtendite eis vt non peccent in Dominum.*

A *Amaſias autem Sacerdos & Pontifex veſter in ijs quæ pertinent ad Deum præſidebit. Porrò Sabadias filius Iſmaël qui eſt dux in domo Iuda ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* & Matth. 18. *Dic Eccleſiæ*, id eſt paſtori, vt expli- Matth. 18. cat Chryſoſtom. ad hunc locum: *Si autem Eccleſiam non audierit ſit, tibi quaſi Ethnicus & Publicanus.* Matth. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt* Matth. 23. *Scribæ & Phariſæi.* & ad Galat. cap. 2. *Aſcendi*, verſ. 2. inquit Paulus, *ſecundum reuelationem cum Barnaba, & contuli cum illis Euangelium.* Galat. 2. verſ. 2.

Poſtremò illud ipſum confirmatur teſtimonijs ſanctorum Patrum: Ambroſij epiſto. 32. Ambroſ. B *Quia, inquit, abnuat in cauſa fidei Epiſcopos ſolere de Chriſtianis Imperatoribus, non imperatores de Epiſcopis iudicare? Pater tuus*, (alloquitur enim Imperatorem Valentinianum filium magni Conſtantini) *dicebat, non eſt meum iudicare inter Epiſcopos.*

Traditio ſemper neceſſaria.

Conclvsio 2. *Traditio omni tempore fuit ad ſalutem neceſſaria, non item ſacra Scriptura, ſeu verbum ſcriptum, vnde optimus eſt locus ex quo Theologus ſua depromit argumenta.* Antequàm hoc probetur,

Quid nomine traditionis veniat.

Aduerte nomine traditionis non intelligi quamcumque doctrinam non ſcriptam, & in aure viua voce, aut aliqua alia ratione tradi- C tam poſteris: ſed tantùm doctrinam reuelatam diuinitus; non tamen ſcriptam: inter autem ſcripturam ſacram, & traditionem ſic acceptam, nulla eſt differentia ſecundum rem: vtraque enim eſt verbum Dei, ſed tantùm ratione; quoniam ſcilicet Scriptura ſacra poſteris eſt ſcripto tradita, traditio autem non ſcripto, ſed in aure ſola viua voce, aut aliquo ritu externo, hanc multò magis impugnant hæretici noſtri temporis quàm illum, quamuis verbo etiam ſcripto, non pepercerint. Rationes autem illorum videri poſſunt apud Canum lib. 3. de locis Theologicis cap. 1. Solutiones autem cap. vltimo eiuſdem lib.

4. Notis traditio dignoſcitur.

Porrò quatuor notis dignoſcitur vera traditio ex D. Auguſtino lib. 4. contra Donatiſt. D cap. 24. Prima, quando vniuerſa Eccleſia aliquid tenet, quod nec à Concilijs fuit inſtitutum, ſed ſemper retentum: huius generis eſt ieiunium quadrageſimale, ſolemnitas Ramorum, quæ nec ab Eccleſia aliqua, nec à Concilio aliquo, aut Summo Pontifice fuiſſe inſtituta apud aliquem legere licet: de hac re legendus eſt etiam D. Auguſtinus epiſto. 118. & 119. 1.

Secunda nota: ſi quod fidei dogma Patres ab initio ſecundùm ſuorum temporum ſucceſſionem concordatiſſimè tenuerunt, quod tamen, non habeatur in ſacris litteris, eiúſque contrarium vt hæreticum refutarunt: huius generis eſt quòd Beata Maria perpetuò virginitatem E coluit & retinuit, & quòd ſint tantùm quatuor Euangelia. 2.

Tertia nota: Si quidquam eſt nunc in Eccleſia ex communi omnium fidelium conſenſione, quod tamen humana poteſtate fieri non potuit: huius generis eſt, quod matrimonium ratum, non tamen conſummatum per ingreſſum religionis ſoluatur. 3.

Quarta nota: ſi viri Eccleſiaſtici aliquod dogma, vel vnam quamlibet conſuetudinem vno ore teſtentur, & tanquam Catholicam defendant: huius generis ſunt, & quòd Symbolũ ſit Apoſto- 4.

lorum, & quòd imagines ſint venerandę, & alia id genus. A

Iam verò probatur Concluſio. In omni ſtatu Eccleſię, aliqui conſequuti ſunt ſalutem, & tamen ſcripturam non habuerunt: Abel, Enoch, Seth, vitam æternam ſunt conſequuti, vt conſtat ex cap. 11. Hebr. & tamen iſtorum temporibus nullæ prorſus erant diuinæ Scripturæ: ergo Scriptura ſacra non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem.

Secundò, Apoſtoli fidem docuerunt ſinè ſcriptura. Deinde, in Actis Lucas profitetur ſe Acta Apoſtolorum ſcripto mandaturum, de qua re legendus eſt Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes, & Euſebius lib. 3. Eccleſ. hiſtoriæ. B

Tertiò, traditiones pertinent ad religionem & ſunt ad ſalutem neceſſarię, vt apertè docet Paulus 2. ad Theſſal. cap. 2. *State*, inquit, *& tenete traditiones, quas à me didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam*: ergo. Theſſal. 2. verſ. 14.

Quartò, quando hæretici docent verbum ſcriptum ſufficere ad ſalutem: vel intelligunt per illud, totum canonem ſcripturę qui conſurgit ex veteri & nouo Teſtamento, vel verus tantùm, vel etiam nouum tantùm: At nullum horum dici poteſt. Non primùm, quia ante aduentum Chriſti ſaluabantur multi, & tamen nihil ex Teſtamento nouo erat ſcriptum: Imò neque Hebræi habuerunt ſemper integrum Teſtamentum anti- C quitus Ex Chronologia enim ſacra, & aliorũ ſcriptis conſtat prioribus ſeculis, vſque ad Moyſem, pleroſque ex fide & charitate Deum coluiſſe, & vitam æternam conſequutos, abſque tamen vllo planè verbo ſcripto. Poſteà verò Moyſes Pentatheucum, ſeu quinque libros ſcripſit; ſucceſſu temporis, libri Regum, Prophetarum, prout res geſtæ erant, & illorum authores extiterunt, exarati ſunt: per quod probatur ſecundum: & præterea quia fatentur aduerſarij quatuor Euangelia, & epiſtolas Pauli, & nonnullas alias eſſe ſimpliciter ad fidem neceſſarias Sed neque 3. tum quia ipſi volunt vetus Teſtamentum eſſe verbum Dei; ac proinde neceſſarium: tum etiam, quia inquiro an intendant id omne quod in nouo Teſtamento habetur eſſe ità neceſſarium, vt non poſſit aliter haberi ſalus, vel partem tantùm, & aliqua quæ in ipſo continentur: Non hoc 2. quia reliqua alioquin eſſent ſuperflua: & præterea quæro de illa parte canonis, quænam ſit; nulla enim poteſt aſſignari, in qua omnia myſteria noſtræ fidei recenſeantur. Sed neque primum, nam nec tempore Chriſti degentis in terris erat aliquid ſcriptum. Deinde, Matthæus primò Hebraïcè prædicauit Hebræis Euangelium, quod poſteà ſcripto mandauit, parans tranſitum ad gentes, & ſuis ad memoriam reliquit: quando autem id fecerit declarat Euſebius lib. 5. hiſtor. cap. 8. ex Irenæo E his verbis: *Matthæus Hebræis propria eorum lingua conſcriptum edidit Euangelium*, cum Petrum, & Paulum Romam aduentâſſe ex Actis Apoſtolorum conſtet ſub Neronis imperio, licèt Petrus ante tẽpora Claudij Romã venerit: ergo toto illo tẽpore, atque adeò plus quã viginti annis eccleſia fuit ſinè Euangelio. Marcus item poſteà, & Lucas ſuum conſcripſerunt Euangelium. Vltimò, & multo tempore poſt præfatos, D. Ioannes. Interim tamen quis neget non fuiſſe veram Eccleſiam, multóſque fideles & Deo gratos in ipſa? ac proinde qui ſine fide omnium librorum noui Teſtamenti poterant ſaluari. Euſebius.

Obijciunt hæretici contra traditiones multa. Primùm, in ſcriptura veteri ſtrictiſſimè prohiberi, ne fiat additio vlla verbis ipſius, vt Deuter. 4. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, neque auferetis ex eo.*. Apocal. vltimo, *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Idem plerique ſancti Patres docent, vt Auguſt. lib. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. vltimo. *Obiectiones Hæreticorũ.* Deuter. 4. verſ. 2. Apoc. 22. verſ. 18. D. Auguſt.

Secundò, Scriptura continet omnia, quæ ſunt neceſſaria ad fidem, vt conſtat ex Ioan. 20. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei*, &c. vt tradit D. Auguſtinus tractatu 49. in Ioann. *Sanctus Ioannes Euangeliſta teſtatur multa Dominum Chriſtum, & dixiſſe, & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt, electa ſunt autem quæ ſcriberentur, quæ ſaluis credentium ſufficere videbantur:* Idem habent alij Patres. 2. Ioann. 20. verſ. 30. D. Auguſt.

Tertiò, traditio eſt incerta regula ad confirmandas quæſtiones fidei; aut quia is cui traditur non eam perfectè accipit, aut etiam obliuiſcitur ſucceſſu temporum, aut de aure in aurem creſcit, ſicut quæ voce traduntur, & eo modo euulgantur, quæ maiora fiunt, aut non eadem perſeuerant, aut denique negligentia eius, qui traditionem accepit, vel peruerſitate tradentis eam impuram, falſam, & deprauatam. Ex traditione enim ortus eſt ille error Papię de Millenario Chriſti regno in terris, poſt eius reſurrectionem: & ille Irenæi lib. 2. cap. 39. & 40. de Chriſti morte, anno ætatis ſuæ quinquageſimo, aut circiter, & multi alij: Igitur traditiones non ſunt admittendę. 3.

Ad 1. Reſpond. Scripturam non prohibere additionem aliorum, aliàs malè feciſſent poſteà ſacri Scriptores, cùm poſt Deuteronomium plurima ſcripſerunt illi addita, vt patet ex libris Bibliorum: ſenſus illius loci eſt, ea quæ præcipio ad vnguem facietis. Similiter Ioannes non intendit nullum alium librum ſimilem; ipſe enim poſt Apocalypſim (ſecundum aliquos hæreticos) ſcripſit Euangelium ſuum, ſed prohibet omnem aliam ſcripturam contrariam, & aduerſantem ijs, quæ in illo libro continentur. Qua ratione etiam eſt explicandus D. Auguſtinus, & alij ſancti Patres. *Soluuntur argumenta hæreticorũ.* 1.

Ad 2. Conſtat ex dictis, non omnia quæ ſunt credenda contineri in ſcripturis; loci autem D. Ioannis ſenſus eſt, ea ſigna ſcripſiſſe, quæ ſufficiebant ad fidem ſtabiliendam de Chriſti morte, & reſurrectione præſertim; cum quo ſtat multa alia eſſe ſigna quæ ipſe Ioannes non ſcripſit; & quæ credi debent neceſſariò ad ſalutem conſequendam. Diuus autem Auguſtinus, & Patres ideò dicunt ſufficere eamdem Scripturam ſacram (quam propterea maximè commendant) quia vel illa continet in vniuerſum omnia, quamuis non in particulari, & ſpeciatim; vel quia loquitur de his rebus, quæ adultis ſunt neceſſariò credenda, vt ſunt præcepta Decalogi, & aliqua ſacramenta. 2.

Ad 3. Reſp. eumdem ſpiritum qui dictat, quænam ſit vera, & Canonica Scriptura, ſuggerere Eccleſiæ, quænam ſit vera traditio, & pro fidei conſtanti regula habenda; vnde numquam 3.

Digitized by Google

poterit ſubeſſe falſum ſi ab vniuerſa Eccleſia fuerit accepta, & approbata. Quamuis autem aliqui ſumant occaſionem errandi ex traditione, non propterea eſt reijcienda, alioquin ſacra Scriptura eſſet repudianda, cùm ex illa plures acceperint errorum ſuorum defenſionem, etiam Apoſtolorum tempore, & patet ex 2. ad Theſſal. 2. quinimo & Papias ſuum errorem, non tam ex traditione, quàm ex Scriptura malè intellecta deſumpſit, vt teſtis eſt Hieronym. in cap. 49. Iſaïę, & in cap. 19. Matth. Irenæus etiam non ſolùm ex traditione, ſed ex Scriptura conatur probare Chriſtum Dominum quinquagenarium mortuum eſſe. Ex dictis colligitur probatio vltimæ partis Concluſionis, traditiones eſſe optimum locum; etenim maioris eſt authoritatis ad refellendos hæreticos ſcripturis: Scriptura enim detorqueri poteſt ad varios ſenſus, at traditio nequaquam; imò eam plerumque veluti ſibi in omnibus aduerſantē oppugnant: rectè enim Vincentius Lirin. *Faciunt*, inquit, *hæretici, quod viderunt patrem ſuum diabolum feciſſe, qui Chriſtum Scripturæ teſtimonio aggreſſus eſt*: & Irenæus lib. 1. cap. 1. *Hæretici* (inquit) *Scripturis nituntur confirmare ſua dogmata, ne ſinè teſte videantur; traditiones autem, quia in alium ſenſum torquere non poſſunt, ideo graniter oppugnant, nam nulla eſt maior machina ad conuincendos hæreticos traditione.*

Vincenti Lirinenſis.

Irenæus.

Locus 3. Tertius locus eſt authoritas Conciliorum, quæ ſi generalia fuerint, approbata & confirmata à Summo Pontifice fidem indubitatam continent; cùm Chriſtus dixerit, Matth. 28. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Petro, *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Non item ſi Prouincialia; illa enim errare poſſunt.

Matth. 28. verſ. 20. Luc. 22. verſ. 32.

Probatur, quoniam aſſiſtentia Spiritus Sancti ſit Eccleſiæ vniuerſali, ex locis iam allatis, non autem priuatæ alicui Eccleſiæ, vel perſonæ.

4. Quartus locus eſt ab authoritate Eccleſiæ Romanæ, ſiue Papæ de qua agunt Theologi vel in tractatu de clauibus Eccleſiæ, vel de ordine, vel de fide, vbi nos etiam ex profeſſo quæſt. 1. ad art. 6. dub. 3.

5. Quintus locus eſt, ab authoritate ſanctorum Patrum: in hoc autem conueniunt omnes, teſtimonia duorum, aut trium, aut etiam plurium ſanctorum patrum non facere argumentum neceſſarium, ſed tantùm valere quantùm probant. Addo, ſi de rebus à fide alienis ſermonem inſtituant interdum aberrare, & à verò deficere: huius rei hæc ratio eſſe poteſt, quoniam Deus, Spiritus ſancti aſſiſtentiam non promiſit huic vel illi priuato autori, vel doctori; ergo non eſt mirum ſi errare poſſit. Deinde plerique ex Sanctis Patribus in rebus fidei pertractandis aberrarunt, vt conſtat ex Cypriano, qui baptiſmum ab hæreticis collatum credidit eſſe nullum, Origene qui beatitudinem putauit damnatis tandem foꝛe communicandam.

Omnes tamen Sancti Patres in fidei dogmatibus errare non poſſunt. Probatur primùm, ad Epheſ. 4. *Nos dedit paſtores, & Doctores*, &c. *Vt iam* (inquit) *non ſimus fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in aſtutia, ad circumuentionem erroris*; & Matth. 5. *Si ſal euanuerit, in quo ſalietur.* Secundò, probatur ex epiſt. Concilij Epheſ. ad Neſtorium. Exigitur enim à Neſtorio, vt proteſtetur ſe ſentire, & docere, quæ vniuerſi per Orientem, & Occidentem Epiſcopi, Præſidéſque populorum crederent. Idem quoque ait Auguſtin. lib. 1. contra Iulianum cap. 2. Obiectiones in contrarium, vide apud Canum lib. 7. cap. 1. Præterea ſi omnes Sancti Patres ſimul errare poſſent, ſequeretur errorem tribui poſſe Eccleſiæ: ſunt enim oculi Eccleſiæ Patres, quod tamen conſtat eſſe abſurdum.

Epheſ. 4. verſ. 11. Mat. 5. verſ. 13. *Conſenſus omnium Patrum in fidei dogmatibus errare non poteſt.*

Sextus locus ab auctoritate Doctorum Scholaſticorum, vbi notandum eſt nomine Doctorum ſignificari interdum illos omnes, qui gregem Chriſti Domini verbi pabulo fouent, ſiue id faciant ex officio, vt Epiſcopi, Curati, & alij curam animarum habentes, ſiue ex charitate. Interdum verò nomen Doctoris ſumitur paulò ſtrictiùs, & contractiùs, quatenus ſcilicet ſignificat eos profeſſores, qui de rebus fidei argumentis in vtramque partem propoſitis, contrariiſque ſolutis, diſſerunt, & veritates Theologicas ex principijs fidei, & ſacris Scripturis eliciunt, & & colligunt: idque iuxta methodum Logicorum. Hoc iacto fundamento ſtatuitur hæc

6. Theologus diſputat ex ſententia Doctorum ſcholaſticor. Nomē Doctoris bifariam ſumitur.

Conclvsio, *Temerarium eſt recedere à communi ſententia omnium Doctorum ſcholaſticorum.* Probatur primùm, quia vnicuique experto in ſua arte credendum eſt.

Deinde quia dicitur, *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Qui locus nedum de doctrina Apoſtolorum, verùm etiam omnium planè paſtorum & doctorum, rectè ſentientium explicatur à Patribus.

Temerariū eſt relinquere communē omnium doctorum ſententiam.

Tertiò, quia cum doctores ſcholaſtici vbique ferè inter ſe diſſideant, & magna contentione, inuicem ſtylum perſtringant, non eſt dubium, quin cùm in eamdem ſententiam coëunt, & conueniunt, à Spiritu ſancto ducti fuerint cùm ſcriberent. Hæc Concluſio nedum de Doctoribus Scholaſticis, verùm etiam de Canoniſtis eſt intelligenda: Si enim omnes planè Canoniſtæ de rebus ad illos pertinentibus, cuius generis ſunt ea quæ pertinent ad excommunicationem, ad irrégularitatem, ad ſuſpenſionem, interdictum, & alia id genus, idem planè ſenſerint, & tradiderint, temerarium profectò eſt ab illis recedere; determinatio namque iſtarum rerum debet Theologus emendicare ab illis. Si autem iuriſperiti de rebus tractauerint, quæ pertinent ad fidem, vel ad jus naturale, & diuinum, eorum authoritas parum, aut nihil curare debet Theologus; illi enim harum rerum veritates à Theologis debent accipere.

Septimus locus, eſt ab auctoritate humanæ rationis, qui locus interdum neceſſarium, interdum verò probabile tantùm ſuppeditat argumentum: hoc autem argumento neceſſario vſus eſt Paulus, Actor. 17. *Non longè* (inquit) *eſt Deus ab vnoquoque noſtrùm, in ipſo enim viuimus mouemur, & ſumus.* Et vates Regius Pſalm. 93. *Qui plantauit aurem non audiet? qui docet hominem ſcientiam, non conſiderat?* Luc. 10. *Edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt, digmus eſt enim operarius mercede ſua.* Probabili verò argumento vſus eſt D. Petrus Actor. cap. 1. *Non enim ſicut vos eſtimatis* (viri Iudæi ſupple) *hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia.*

7. Eruit argumentum ab humana ratione interdum neceſſariū, interdum probabile.

Actor. 17. verſ. 27. Pſal. 93. verſ. 9. Luc. 10. verſ. 7. Actor. 2. verſ. 15.

Ex his facile eſt colligere non eſſe rationes naturales ſpernendas à Theologo, vtitur autem illis non ad probanda fidei myſteria, ità vt veritates fidei, ratione naturali velit comprobare; ſi enim id faceret, non fides, ſed ſcientia reſultaret: Vtitur ergo huiuſmodi argumento tum ad

demonſtrãdum myſteria fidei non eſſe rationi naturali contraria; tum etiam ad refellenda, quæ contra myſteria fidei ſolent Philoſophi, vel hæretici obijcere; tum etiam ad oſtendendum fidei myſteria eſſe rationi naturali valde conſentanea.

8. *Sumit argumentum ab authoritate Ethnicorum.* Actor. 17. verſ. 28. 1. Cor. 15. verſ. 33. Timoth. 1. verſ. 12.

Locus octauus depromitur ab auctoritate Philoſophorum, & Ethnicorum qui non eſt etiam Theologo contemnendus: continet enim aliquã probabilitatem: hoc vſi ſunt primùm Paulus Actorum 17. Affert enim illud Arati; *Ipſius enim genus ſumus*, & in epiſtola ad Corinth. illud Terentij; *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* & in epiſt. ad Timoth. illud, *Cretenſes ſemper mendaces, ventres pigri.* Vide hac de re Auguſt. lib. de Doctrina Chriſtiana, cap. 40.

Argumentatur ex auctoritate approbata hiſtoriæ.

Vltimus locus eſt ab auctoritate hiſtoriç, qui interdum neceſſarium, interdum verè probabile ſuggerit argumentum. Neceſſarium quidem, cùm omnes probati hiſtorici in vna re tradenda, & ſcribenda conueniunt, vt omnes hiſtorici probati conſentiunt Petrum Romæ ſediſſe, illicque decreto Neronis vitam cum morte commutáſſe: ergo Romanus Pontifex eſt D. Petri ſucceſſor. Probabile verò, quando duo aut tres in vna aliqua re conueniunt; diſſidet autem vel vnus, vel duo, aut item plures.

Nota diſcrimen inter iſta loca.

Obſerua tandem inter illa loca, quæ certa eſſe cenſentur & neceſſaria, & propria, Theologo hoc intereſſe, quòd omnia fidei principia primis duobus locis continentur: fidei enim principia ſunt reuelata à Deo; reuelatio autem, aut verbotenus aut per Canonicos ſcriptores facta eſt. Cetera autem loca non efficiunt fidei principia, ſed ea declarant, & oſtendunt, quæ in ſcriptura continentur; verũ eſt tamen quando non ſatis conſtat quomodo conueniat traditio cũ Scriptura, aut contra, ſcriptura cum traditione, locum ex concordia aliqua Patrum recidere in locum traditionis Eccleſiæ. Secundum diſcrimen eſt, quòd illa loca, quæ propria, & certa ſunt formaliter pertinent ad habitum fidei: at loca quæ ſunt probabilia tantùm, etſi ſint certa, extranea cenſentur, ac proinde non pertinent formaliter ad habitum ſcientificum Theologiç: ſed vel ad habitum Theologiæ topicum, vel ad habitum euidentem aliarum ſcientiarum, vel ad alios habitus fidei humanæ.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum ſacra Scriptura debeat vti Metaphoris.

DVO ſunt hîc inueſtiganda; Alterum an in ſacra ſcriptura ſit vſus troporũ: Alterum, qui ſint in ſacra Scriptura tropi vſitatiores: priori difficultati reſpondet D. Thomas hac vnica Concluſione.

Ariſtotel.

CONCLVSIO. *Sacra doctrina conuenienter vtitur Metaphoris ſiue tropis.* Probatur primũ, quoniam Deus prouidet rebus omnibus iuxta illarum naturã, ità vt ſe quodammodo accommodet illis; atqui naturale eſt homini res diuinas, & ſpirituales inueſtigare per res ſenſiles, & corporeas. Rectè enim dixit Ariſtoteles: Nihil eſſe in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, in lib. de anima: & in lib. de demonſtratione. Omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſibus; meritò ergo ſacra Scriptura vtitur metaphoris deſumptis à rebus ſenſibilibus ad res diuinas explicandas. Maior eſt Sapient. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Probatur 2. Sacra Scriptura proponitur omnibus, ergo conuenienter ſpiritualia ſub corporalibus rerum ſimilitudinibus tradit. Probatur conſequutio: quãdo aliquid proponitur intelligendum multis, non poſſunt illi eadem facilitate, nec eadem ratione illud inueſtigare, vt rectè Ariſtot. 2. Metaphyſ. Antecedens verò probatur ad Rom. 1. *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Tertiò probatur teſtimonio D. Auguſtin. lib. 3. & 4. de doctrina Chriſtiana, ait enim omnibus ſacris Doctoribus vſum troporum eſſe vſitatiſſimum, & lib. 2. cap. 1. & 5. dicit eſſe diligenter cauendum ne huiuſmodi figuratas loquutiones ad litteram intelligamus. Miſera enim eſt (inquit) ſeruitus pro rebus ſigna rerum percipere: & cap. 6. ait, ex figurata loquutione magis affici homines, quàm ſi nudè, & abſque ſimilitudine proponerentur res diuinæ, & ſpirituales. Propterea autem cernere licèt figuratas loquutiones in ſacris litteris. Primùm, vt magis ducantur, & alliciantur homines ad veritates, ſub illis contentas inueſtigandas: Ingenerant enim neſcio quod deſiderium intelligendi, & cognoſcendi.

Sapient. 8. verſ. 1. Rom. 1. verſ. 14. D. Auguſt.

Cur ſcriptura ſacra ſcatet figuris, & grauis loquutionibus.

Deinde, ne vileſcat, & à perditis hominibus contemnatur ſacra Scriptura; ſi enim facilis eſſet, & ab omnibus intelligeretur, nihili facerent, quod accideret ſi nudè, & ſinè vllis figurarum inuolucris exponeretur.

Tertiò, vt Scriptura ſacra redderetur fœcundior: metaphoricæ enim loquutiones, aliter ab illo, aliter ab iſto explicantur. Ità Auguſtinus lib. contra Mendacium.

Quartò, ad domandam hominum ſuperborum, & arrogantium audaciam, & præterea ad leuandum tædium, & faſtidium eorum, quibus rerum tractatio nuda, & ſimplex omnique fuco verborum ſpoliata minimè grata eſt; ità ipſemet D. Auguſtinus 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 6.

Ad 2. Circa titulum explicandum. Reſpondeo, Scripturam ſacram vti omnibus propemodum tropis, quibus ceteræ diſciplinæ vtuntur, vt Ironia, cùm ſcilicet aliquid per irriſionem dicitur, vt Pſalm. 21. *Speret in Domino, eripiat eum.* Geneſ. 3. *Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Antiphraſi, cùm aliquid cum aliquo per ſuum contrarium effertur: Iob, *Benedic Deo, & morere.* Hyperbole, quando id quod dicitur longè eſt amplius, quàm quod eo dicto ſignificatur, vt rectè aduertit Diuus Auguſtinus 15. de Ciuitate Dei, capit. 21. Exemplum eſt Geneſ. 15. *Numera ſtellas cœli ſi potes, ſic erit ſemen tuum, & ſicut arena, quæ eſt in littore maris.* & ſic de ceteris.

Pſalm. 21. verſ. 9. *Communiores tropi Scripturæ.* Geneſ. 3. verſ. 22. Iob. 2. v. 9. D. Auguſt. Geneſ. 15. verſ. 5.

ARTICVLVS DECIMVS.

An Scriptura ſacra ſub vna littera habeat plures ſenſus.

Interpretatio vocis Senſus.

ADVERTENDVM eſt 1. nomine ſenſus non intelligere Diuũ Thomam facultatem ſenſus externi, aut interni, ſed intelligentiam; qua ratione vſurpatur à Quintiliano lib. 8. cap. 5. Sapient. 7. *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus.* & 1. Corinth. 2. *Nos autem ſenſum Chriſti habemus*, id eſt mentem & intelligentiam Chriſti.

Sap. 7. v. 6. 1. Cor. 2. verſ. 16.

Varia genera ſenſuum quibus ſubeſt ſacra Scriptura.

Secundò aduertendum eſt, ſenſum litteralem eſſe eum quem littera, ſeu voces immediatè ſignificant: ſpiritualem verò (quem alio nomine myſticum appellamus) eſſe eum, quem res ſignificatæ per voces occultant in ſeipſis; ex qua differentia factum eſt, vt ſenſus litteralis, appelletur ſenſus exterior, & hiſtoricus: Senſus verò ſpiritualis dicitur typicus, myſticus, & ſpiritualis. Subdiuiditur autem hic ſpiritualis, in Allegoricum, Moralem, & Anagogicum; Allegoricus contingit quotieſcumque ſignificantur ea, quę fuerunt facta in veteri teſtamento, ad hoc vt repræſentent ea, quæ ſunt futura in nouo. Moralis verò, quandocumque ea quæ fuerunt facta in Chriſto capite, aut in ijs, quæ Chriſtum repręſentant ſignificant ea, quæ à nobis fieri debent. Anagogicus denique quotieſcumque per res geſtas in tempore, ſignificantur ea, quæ futura ſunt in æterna vita, quæ omnia iſtis duobus verſibus continentur.

Littera geſta docet, quid credas Allegoria;
Moralis quid agas: quo tendas Anagogia.

CONCLVSIO 1. *Scriptura ſacra ſub vna littera continet plures ſenſus.* PROBATUR hæc Cõcluſio ratione D. Thomæ ſic: præcipuus author Scripturæ ſacræ eſt Deus, homo enim eſt cauſa inſtrumentalis eiuſdem, vt aperte docet vates regius, Pſalm. 44. *Lingua mea calamus ſcriba.* Ergo vna littera Scripturæ patitur multos ſenſus. PROBATUR conſequutio: Deus poteſt non minùs accommodare res in ſacris Scripturis geſtas, & explicatas ad aliquid aliud ſignificandum, quàm accommodent homines verba & voces ad ſenſa animi alijs aperienda: ergo cùm res geſtæ, & explicatæ in ſacris codicibus aliquid aliud ſignificent, præter id quod litteræ, & verba ſonant, vt conſtat ex ijs, quæ proximè ſubijciemus, aperte ſequitur vnam litteram continere plures ſenſus. EXPLICATUR amplius, Matth. 2. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Hoc enim teſtimonio ſignificatur reditus Chriſti ex Ægypto, & tamen hic locus qui habetur Oſeæ 11. ad litteram intelligitur de populo Iſraëlitico qui eductus eſt de captiuitate Ægyptiorum: Euangeliſta autem adfert hoc teſtimonium in ſenſu ſpirituali & myſtico de Chriſto, quando redijt ab Ægypto in Iudæam, & Ioan. 19. habetur illud teſtimonium Exod. 12. *Os non confringetis ex eo*; qui locus ad litteram ſignificat præceptum de non frangendis oſſibus Agni Paſchalis; D. autem Ioann. in ſenſu ſpirituali teſtimonium hoc explicat de Chriſto; vult enim propterea crura Chriſti non fregile milites, vt adimpleretur Scriptura, *Os non comminuetis ex eo*, & 1. Petri 3. dicitur quòd Arca olim à Noë fabricata ſignificabat ſalutem in Eccleſia, non autem extra eam mortalibus contingere. Et Paulus 1. Cor. 10. ad Coloſſ. 2. ad Hebr. 10. ait Scripturam habere vmbram futurorum bonorum, & Gal. 4. explicat idem Paulus in ſenſu myſtico id quod habetur in libro Geneſis, Abraham ſcilicet duos filios habuiſſe, vnum de ancilla, & vnum de libera.

Psalm. 44.

Sub vna littera plures ſenſus ſacra Script. continet.

Matth. 2. verſ. 15.

Exod. 12. verſ. 46.

Ioan. 19. verſ. 36.

CONCLVSIO 2. *De fide Catholica eſt præter ſenſum litteralem, in ſacris Scripturis haberi ſpiritualem.* Probatur primùm, quoniam ſenſus ſpiritualis is eſt, quem res in ſacris Scripturis explicatæ, & geſtæ ſignificant: at in ſacris Scripturis multa narrantur facta, quæ aliquid aliud præter id quod externus vocum ſonus innuit, ſignificant, vt conſtat ex cap. 12. Matth. quod enim de Iona narrant Scripturæ, ſignificabat Chriſtum fore tribus diebus in corde terræ ſepeliendum: *Generatio*, inquit, *mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ: ſicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus*, & ex c. 3. Ioan. dicitur enim ſerpentis, cuius meminit lib. Numer. cap. 9. exaltationem innuere Chriſtum fore aliquando Cruci, & patibulo affigendum. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ità exaltari oportet filium hominis.*

Eſt de fide præter ſenſum litteralem in Scripturis ſacris adhuc haberi ſpiritualem.

Mat. 12. v. 39. & 40.

Ioan. 3. verſ. 14.

Deinde, hanc concluſionem defendunt omnes Sancti Patres, Hieronym. in lib. de Paſchate, & in epiſt. ad Hedibiam, D. Auguſtinus lib. 4. de Doct. Chriſt. & ad hæc verba, Sapient. 7. *Spiritus intelligentiæ ſanctus illum*; Spiritus intelligentiæ Sanctus, eſt vnus & multiplex; vnicus quidem eſſentia, multiplex intelligentia. EX QUO colligitur non parum errare Iudæos & hæreticos illos quidem, quoniam docent litteris & vocibus Scripturæ ſacræ eſſe ità ſtandum, vt nihil aliud præter voces externas, & ſenſus ab illis expreſſos ſit neceſſariò meditandum aut cogitandum. Iſtos verò, quoniam aiunt ſenſus myſticos non eſſe ſacram Scripturam, & à Spiritu ſancto intentos.

Hieron. Auguſt.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE DEO.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Deum eſſe, ſit per ſe notum.

DVBITATIO PRIMA.

An Deus ſit ens ſimpliciter neceſſarium.

CONCLVSIO 1. *Deus eſt ens ſimpliciter neceſſarium ita vt aliter ſe habere nullo modo queat.* Primùm, quia dicitur, Exod. 3. *Qui eſt, miſit me ad vos*: aut, vt Hebræi legunt, *Qui ero, miſit me ad vos.* & rurſus: *Ego ſum, qui ſum*; Loquutiones quippe iſtæ ſignificant inuariationem, & immutabilitatem diuinæ eſſentiæ, vt docent Patres, Auguſtinus lib. de religione, cap. 49. *Æternus*, inquit, *tan-*

Deus eſt ens ſimpliciter neceſſariũ.

Exod. 3. verſ. 13.

D. Auguſt.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

tummodo eſt, nec fuit, quaſi iam non ſit, nec erit, quaſi adhuc non ſit. Mentis quippe aſpectu omnem mutabilitatem ab æternitate ſeiungo, & in ipſa multa ſpatia temporis cerno: Quare ſola ipſa veriſſimè dicere potuit humanæ menti: Ego ſum, qui ſum. Et de illa veriſſimè dici poterat. Qui eſt, miſit me. Iſidorus lib. 7. Etymologiarum, cap. 1. *Quærenti Moyſi, quod eſſet nomen eius, reſpondit.* Ego ſum qui ſum: & dices filijs Iſraël; Qui eſt, miſit me ad vos, *Tamquam in eius comparatione qui verè eſt, quia incommutabilis eſt: ea quæ commutabilia facta ſunt quaſi non ſint. Quod enim dicitur, fuit, non eſt, & quod dicitur erit, nondum eſt: Deus autem eſſe tantùm nouit, fuiſſe & futurum eſſe, non nouit. Solus enim pater cum Filio, & Spiritu ſancto veraciter eſt: cuius eſſentia comparatum eſſe noſtrum, non eſſe eſt.* Nazianzenus oratione 2. de Theologia, Cyrillus Alexandrinus, Hilarius, & alij multi.

Iſidorus. Nazian. Cyr. Alex. Hilar.

Deinde, omne æternum, & immutabile reſpectu cuiuſlibet principij extrinſeci, aut intrinſeci cẽſetur eſſe ens neceſſarium ſimpliciter: Deus autem eſt æternus & immutabilis reſpectu cuiuslibet principij extrinſeci vel intrinſeci, vt eſt per ſe notum. Ergo eſt ens neceſſarium ſimpliciter.

Deus eſſentiam & exiſtentiam à ſe ipſo habet independenter à quocũque alio.

CONCLVSIO 2. *Deus habet ſuam eſſentiam, & exiſtentiam à ſeipſo.* Primùm, quia id videtur colligi ex Patribus proximè citatis; & item ex locis Scripturæ adductis.

Ioan. 1. v. 3.

Deinde, repugnat eſſe primam abſolutè & ſimpliciter cauſam eorum omnium quę ſunt, & cauſam iſtam primam contequi ſuam eſſentiam ab aliqua alia priori. Certum autem eſt Deum eſſe cauſam efficientem rerum omnium. Ioann. 1, *Omnia per ipſum facta ſunt:* at hæc dici non poſſunt ſi Deus ſuam accipiat eſſentiã & exiſtentiã ab alio.

Quartò, nomine Dei ſignificatur id quo nihil maius; nihilque melius dici, cogitariue poteſt: at ſi Deus accipiat ſuam eſſentiam vel exiſtentiam, ab alio dabitur aliquid, quod erit maius, & melius Deo; putà id à quo accipit ſuam eſſentiam & exiſtentiam: ità communiter omnes.

Obiectio. Obijcies, de ente ſimpliciter neceſſario non poſſe cogitari quod non ſit: eſt enim exiſtentia de ratione formali iſtius entis; de Deo autem dicit impius quòd non ſit, Pſalm. 13.

Reſponſio. Reſp. Propoſitionem maiorem eſſe veram, ſi ſermo ſit de ea cogitatione, qua ens ſimpliciter neceſſarium concipitur verè, & vt poſtulat eius natura à parte rei: Secus verò ſi concipiatur hoc ens ſimpliciter neceſſarium aliter quàm ſit. Deus autem non fuit conceptus, ſeu, quod idem eſt, intellectus ab impio, quando dixit in corde ſuo, quòd Deus non ſit; ſed longè alitèr, quàm poſtulabat natura, & eſſentia Deitatis.

Notabile. Aduerte, non repugnare enti alicui ſimpliciter neceſſario, quòd ab aliquo producatur: filius enim, & Spiritus ſanctus ſunt ens ſimpliciter neceſſariũ; & tamen filius producitur à patre, Spiritus verò ſanctus à Patre & Filio ſimul, veluti ab vno principio, vt probabitur in tractatione de Trinitate.

DVBITATIO SECVNDA.

An Deum eſſe, ſit per ſe notum.

ADuerte aliqua eſſe per ſe nota natura; alia verò nobis, vt colligitur ex multis locis Ariſtot. lib. quippe Poſter. & de Demonſtrat. ait extare propoſitiones aliquas per ſe, & ſua natura notas; alias verò nobis: & rurſus eorum, quæ ſunt, quædam eſſe nobis notiora, alia verò natura notiora, & nobis minus nota: & alibi; *Sub-ſtantia* (inquit) *prior eſt, & notior natura, cognitione, & tempore, definitione, accidente.* Ex quibus colligo Nominales non eſſe audiendos, quando affirmant illa eadem eſſe nobis nota, quæ ſunt notiora ſua natura.

Duplex genus propoſitionum, vnũ per ſe & naturâ notum; aliud verò nobis tantùm notarium.

CONCLVSIO 1. *Non eſt per ſe notum nobis Deum eſſe, ſeu quod idem eſt, hæc propoſitio, hac, Deus Deus eſt, non eſt per ſe nobis nota.* Primùm, quia *eſt, non eſt* audita propoſitione iſta, Deus eſt, nullus eſt *nobis nota* noſtrũm, qui aſſentiatur illi, ſed poſtulamus *per ſe* maiorem aliquam probationem ad præbendum aſſenſum circa dictam Concluſionem.

Deinde, non concipitur Deus à nobis ſecundum ſuam propriam quidditatem, & eſſentiam, ſed confuſè, & ſecundum attributa quædam communia: imò ex doctrina Dionyſij Areopagitæ, rectiùs intelligimus quid Deus non ſit; quàm id quod eſt verè à parte rei.

Tertiò, ex creaturis cognoſcitur à nobis Deus naturaliter, vt author eſt Paulus, Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur,* ac proindo medio diſcurſu: certum autem eſt diſcurſui noſtro poſſe ſubeſſe falſum. Rom. 1. verſ. 20.

Quartò, non eſt ità manifeſtè notum lumine naturali non dari progreſſum in infinitum in cauſis efficientibus, quin de hac re ſuperſit aliqua occaſio dubitandi.

Poſſumus diſſentire huic propoſitioni, Deus eſt. Quintò, illud cenſetur per ſe eſſe nobis notum, cui diſſentire non poſſumus, perſpecta terminorum ſignificatione, & eorumdem debita connexione: at poſſumus diſſentire huic propoſitioni, *Deus eſt*, vt conſtat ex Diagora apud Tullium lib. 1. de Natura Deorum, Plutarcho, lib. 1. de placitis Philoſophorum, cap. 7. & ex D. Auguſtino lib. 3. contra litteras Petiliani, & ex inſipiente loco proximè citato Dauidis. *eſt.*

Sextò, nihil eſt per ſe notum nobis, de quo etiam non ſit notũ nobis quid ſit, vt autor eſt Scot. in 1. diſt. 1. at non eſt nobis notũ quid Deus ſit, ſed potiùs quòd non ſit; ità ſentiunt Patres, maximè verò D. Auguſtinus lib. 11. de Ciuitat. cap. 4. *Viſibilium omnium maximus eſt mundus, inuiſibilium omnium maximus eſt Deus: Sed mundum eſſe conſpicimus; Deum verò eſſe credimus.* Gregorius lib. 27. Moral. cap 3. ad illud Iob. 36. *Omnes homines vident Deum, vnuſquiſque intuetur procul: Omnis homo,* ait, *eo ipſo quo rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere, eum qui ſe condidit Deum eſſe. Quem minimum iam videre, eſt dominationem illius ratiocinando conſpicere. Omnes enim homines vident eum; vnuſquiſque intuetur procul. Procul ſiquidem eum intueri, eſt non iam illum per ſpeciem cernere, ſed adhuc ex ſola operum ſuorum admiratione penſare.* D. Auguſt. Gregor. Iob. 36. verſ. 25.

Denique, ità Scholaſtici: Diuus Thomas hoc loco, & quæſt. 12. de veritate, art. 1. & lib. 1. contra Gentes, c. 12. Caietan. Bannez, Greg. de Valentia, Molina, & Sumel hoc loco. Suarez lib. 1. ad hanc 1. partem Diui Thomæ, numer. 9. Gillius lib. 1. tract. 8. cap. 3. Concluſ. 3. qui innumeros citat in huius rei confirmationem authores Scholaſticos, & Philoſophos. D. Thom.

Obiectio. Obijciunt authores contrariæ ſententiæ, Sanctos Patres communiter affirmare inſitam nobis eſſe à natura Deitatis notitiam: ità Hieronym. in Pſal. 95. & in epiſt. ad Galat. Iſidorus lib. 2. de diuinis officijs capit. 4. Nazianzenus oratione 14.

tione 14. & Damaſcen. lib. 1. de fide, cap. 3.

Reſponſ. Reſpondeo, nuſquam veniſſe Patribus iſtis in mentem definire, an Deum eſſe ſit per ſe notum nobis, an verò naturâ tantum? de qua tamen re diſputatur hoc loco; ſed docent Patres iſti, & alij multi in poteſtate cuiuſlibet noſtrûm eſſe, inueſtigare Dei cognitionem ex meditatione rerum creatarum, quod nos vltrò fatemur. Cognitio tamen iſta nuſquam exit diſtincta, licèt tantum confuſa.

Obiectio 2. Obijciunt 2. quilibet noſtrûm tenetur ſe conuertere in Deum, veluti in vltimum finẽ quamprimum peruenit ad ætatem rationis, vt auctor eſt S. Thomas 1. 2. quæſt. 89. at id fieri non poteſt, niſi Deus ſit per ſe notus nobis. Conuerſio quippe in Deum, præſupponit neceſſariò eiuſdem cognitionem, cùm voluntas non feratur in incognitum.

Reſponſ. Reſpond. Quemlibet noſtrûm obligari ad agnoſcendum, & laudandum Deum, quàmprimùm peruenit ad ætatem rationis; ceterum non ſimpliciter, & abſolutè; ſed eò tantùm modo, quo cognoſcimus Deum pro eo inſtanti temporis: ac proinde, ſi in eo inſtanti primo vſus rationis nulla datur in nobis cognitio Deitatis, neque etiam vlla datur in nobis obligatio, ad hoc vt conuertamur in Deum; ac proinde neque etiam peccamus, ſi non fuerit ſubſequuta conuerſio in eum: nemo enim peccat in his, quæ vitare non poteſt.

Colliges ex iſtis poſſe dari ignorantiam inculpabilem in aliquo de exiſtentia Deitatis.

Obiect. 3. Obijciunt 3. Præceptum hoc (*vnum cole Deum*) eſt per ſe nobis notum: ergo & hæc propoſitio quoque, (*Deus eſt*) præſupponit quippe illa ſcilicet (*Deus eſt colendus*) propoſitionem iſtam, (*Deus eſt.*)

Reſponſ. Reſp. Conceſſo antecedẽte, negando conſequentiam. Ad propoſitionem iſtam, *Deus eſt colendus*, eſſe in genere moris, propoſitionem verò iſtam, *Deus eſt*, pertinere ad propoſitiones entis ſimpliciter; ex notitia verò propoſitionis in genere moris, non ſequitur neceſſariò exiſtentia alicuius rei in genere entis, vt conſtat ex eo, qui perfectiſſimè intelligit parentes eſſe colendos, iuxta præſcriptũ Philoſophiæ moralis; non tamen propterea ſequitur parentes extare inter viuentes: Ità, licèt per ſe notum ſit in genere moris, Deum eſſe colendum, non ideò tamen ſequitur neceſſariò, Deum eſſe, eſſe per ſe nobis notum.

Deum eſſe eſt per ſe notum. CONCLVSIO 2. *Deum eſſe, eſt per ſe, & ſua natura notum.* Probatur 1. quia illa propoſitio cenſetur eſſe per ſe, & ſua natura nota, cuius attributum eſt de natura, & eſſentia ſubiecti, vt fatentur multi, hoc loco: maximè verò Peſantius proximè citato, & plerique alij in libros Ariſtotelis de Demonſtrat. ait exiſtentia eſt de intrinſeca ratione Deitatis. Diximus enim Dubitatione 1. articul. proximè antecedentis, Deum eſſe ens ſimpliciter neceſſarium; de ratione autem entis ſimpliciter neceſſarij eſt exiſtentia: Quia tamen maior huius ſyllogiſmi negatur à multis.

Probat. 1.

2. Ideò probatur Concluſio 1. illud cenſetur per ſe, & ſua natura notum, quod caret omni medio priore per quod demonſtretur, vt fatentur recentiores, hoc loco, præſertim Gabriel Vazquez: at exiſtentia diuina caret omni plane medio priore, per quod demonſtretur; eſt enim hæc idem pedum realiter, ſed etiam formaliter cum diuina eſſentia; ità vt eſſentia diuina nequeat concipi, niſi exiſtens: ergo.

3. Tertiò, quò magis in ſe aliquid coloratum, & luminoſum eſt; magis eò quoque cenſetur eſſe aſpectabile, & viſibile natura ſua; ergo illud etiam erit quoque per ſe, & ſua natura cognoſcibile, quod habet rationem entis: at ratio entis magis competit Deo, quàm vlli alteri rei; eſt enim Deus primum ens infinitum, ſimpliciſſimum, & perfectiſſimum, à quo dependent cetera omnia entia, in eſſe, fieri, & conſeruari: Deus autem à nullo planè dependet.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Deum eſſe ſit demonſtrabile.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Deus ſit.

CIRCA duos iſtos Articulos explicanda eſt difficultas hæc vnica An de Deo demonſtrari poſſit quòd ſit, vel à priori, vel à poſteriori, vel vtroque modo: de qua re ſunt qui putent nullas poſſe dari de Deo demonſtrationes, contra quos ſit

CONCLVSIO 1. *Error, non tamen hæreſis eſt, exiſtimare nullas poſſe tradi de Deo demonſtrationes, reſpectu exiſtentiæ eiuſdem.* Prima pars Concluſionis probatur, ex cap. 1. Rom. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt conſpiciuntur.* Et Sapien. 1. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia*: id eſt mundus hic, *ſcientiam habet vocis*, Deum laudantis ſcilicet: & cap. 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ, poterit cognoſcibiliter creator horum videri.* Rom. 1. verſ. 20. Sap. 1. v. 7. Idem 13. verſ. 5.

Reſpondent aliqui teſtimonijs iſtis, & aliis ſimilibus innumeris ſuaderi quidem exiſtentiam diuinitatis aliqua ratione, non autem euidenter probari; quod tamen videtur eſſe neceſſarium, ad demonſtrationem exiſtentiæ diuinitatis. Ceterùm reſponſio hæc non ſatisfacit; nam verbis expreſſis aſſerit Paulus loco proximè citato, eos eſſe inexcuſabiles, qui non agnoſcunt Deum ex cognitione rerum iſtarum creatarum; quod tamen dici non poteſt ſi euidenter non innoteſceret nobis exiſtentia Deitatis ex cognitione, & meditatione creaturarum. *Præcluditur quorundam reſponſio.*

Deinde, docent Paulus, & Sapiens: Ex creaturis videri diuinitatem, viſio autem eſt cognitio certiſſima.

Tertiò, non ſatis ſufficienter egiſſent contra Atheos vates regius, & ceteri ſcriptores Eccleſiaſtici, Pſalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Pſalm. 88. *Confitebuntur cœli mirabilia,* Pſal. 113. *Nequando dicant gentes vbi eſt Deus eorum? Deus autem noſter in cœlo.* Pſalm. 18. verſ. 1. Idem. 88. verſ. 6. Idem 113. verſ. 24.

Deinde, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, maximè verò Baſilii, oratione de Verbi incarnatione, quæ extat Tom 2. Bibliothecæ veterum Patrum: *Siquis* (inquit) *pietatis ſectator eſt, is, quod ſit Deus curioſe non inquirat: Verum ex iis, quæ ab eo facta ſunt eum eſſe cogitet: illúdque certò apud ſe ſtatuat. Siquidem ex procreatarum rerum magnitudine & pulchritudine illarum molitor, & opifex certa quadam ratione dignoſcitur & ſpectatur.* *Probat. Concluſ.*

Chrysost. Chrysostom. homil. 9. ad populum Antiochen. ex republica optimè gubernata, exercitu optimo ordine disposito colligit, esse gubernatorem aliquem & ducem: ita in hoc mundo, ex admirabili harmonia illius colligit vnicam causam dirigentem omnes res in suos fines.

Tertiò, quælibet causa demonstratur à posteriori per suos effectus, ex doctrina Aristotel. lib. 1. de demonstratione, & D. Thomæ hoc loco: at res omnes istæ sunt effectus diuinitatis, ex illo, Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

Ioann. 1. vers. 3. 2. *Partis probat.*

Secunda verò pars Conclus. probatur: nulla extat de hac re definitio Ecclesiastica, nulla item traditio, nullus denique locus Scripturæ in quo euidenter doceatur Deum esse posse demonstrari, imò non potest colligi ex vllo loco Scripturæ in euidenti, & necessaria consequutione, quod Deum esse demonstrari possit: ergo oppositum istius propositionis, *Existentia Dei demonstrari potest*, non est hæresis manifesta.

Non est hæresis negare demonstrationes existentiæ Dei.

Deinde, licèt Sancti Patres doceant conformiter sacris litteris Deum intelligi per creaturas, & item sciri; non tamen propterea colligere licet hæresim esse, affirmare, non posse demonstrari de Deo, quòd sit: Nam cum istis rectè cohæret, vt Deus à nobis cognoscatur, cognitione aliqua minus certa, & euidente, quam sit ea, quę datur in nobis per veram demonstrationẽ.

Tertiò, quamuis Patres doceant impossibile esse Deum ignorari à nobis: non tamen propterea verum est oppositum Conclusionis nostræ: hoc enim explicare possumus de impossibilitate morali: In hac autem Conclusione conueniunt D. Thomas hîc, & lib. 1. contra Gentes: recentiores item omnes hoc loco. D. Thom.

Rationes autem quibus probatur existentia Deitatis à posteriori, legendæ sunt apud S. Thomam hoc loco, & lib. 1. contra Gentes, cap. 13. Gilium, cap. 6. lib. 1. & tractatu 8. cap. 5. Pesantium ad artic. 2. huius quæst. Vazquesium, & Albertum in sua Summa, tractat. 3. quæst. 18. & apud Alensem 1. part. quæst. 3. membro 11.

Obiectio.

Obijciunt 1. Authores contrariæ sententiæ: Conclusioni demonstratæ nullus dissentire potest; at Diagoras, itèmque Athei omnes dissentiunt huic propositioni, *Deus est.*

Respons.

Resp. Atheos ideò negare propositionem istam, *Deus est*; licèt ex hypothesi fuerit verè demonstrata, quia intellectus istorum hominum errore aliquo obscuratur ne vim demõstrationis aduertere possint; voluntas item istorũ Atheorum non vult ob prauum aliquem affectum, quo detinetur, sequi dictamen rectæ rationis; sed iudicium intellectus alió deducit, ne aduertat ad rectam compositionem demonstrationis formatæ.

Obiectio 2.

Obijciunt 2. Quælibet ratio, qua probatur existentia Deitatis nullo negotio soluitur: ergo.

Resp.

Resp. Antecedens esse falsum; non est tamen negandum, quin quælibet ratio quantumuis manifesta & euidens, malitiâ hominis possit alió detorqueri, & quodammodo eludi.

Obiectio 3.

Obiiciunt 3. Demonstratio quælibet fit per veras causas, existentiæ autem diuinæ nullæ dantur causæ.

Respons.

Resp. Omnem demonstrationem pendere à causis, vel veris, vel certè virtualibus, aut, quod idem est, à ratione aliqua priori, si fermo sit de demonstratione à priori, quo modo fatemur existentiam Dei demonstrari non posse: demonstratio tamen à posteriori non fit per causas veras, aut virtuales, sed causa demonstratur per suum effectum, vt constat ex documentis Aristotel. in lib. de demonst. hac autem ratione contendimus Deum demonstrari.

Denique obijciunt: Sancti Patres docent nos scire creaturas existere, Deum verò esse, nos credere. Ità Diuus Augustinus verbis expressis. cap. 4. lib. 11. de Ciuit. Dei. *Obiect. vlt.*

Resp. Neminem ex Patribus affirmare, Deum tantummodò credi à nobis, quod tamen debuerunt dicere, ad hoc vt ex eorum documentis possint Authores contrariæ sententiæ probare Deum nullo modo demonstrari posse à nobis. *Respons.*

Deinde, conuenit inter omnes saltem communiter, de vna & eadem planè Conclusione posse haberi scientiam, & fidem: inter istas autem computatur hæc propositio, *Deus est*; innotescit enim nobis, & lumine diuinæ reuelationis, & præterea per veras demonstrationes à posteriori.

Conclvsio vltima. *Licèt existentia Deitatis nequeat demonstrari à priori, concedendum tamen est, de quibusdam attributis diuinis, quòd possint demonstrari à priori.* Ità authores proximè citati.

Deinde, prima pars Conclusionis ex eo innotescit, quòd demonstratio quælibet à priori consurgat ex causis, vel veris, vel certè virtualibus: aut, quod idem est, ex ratione aliqua priori: Existentiæ autem diuinæ nullæ sunt causæ, nec veræ, nec virtuales, nec vlla ratio prior; hæc enim includitur in conceptu formali essentiæ diuinæ, & quidem ità, vt impossibile sit concipere essentiam diuinam, quin concipiatur existens: est enim essentia diuina ens simpliciter necessarium, repugnat autem enti simpliciter necessario, non habere existentiam. Definitur enim hoc communiter, id quod ità est, vt non esse queat. Posterior verò pars constat ex eo, quòd æternitas demonstretur per immutabilitatem hoc modo; *Omne immutabile est æternum, Deus est immutabilis, ergo Deus est æternus.* Vbiquitas etiam diuina demonstratur communiter per immensitatem, & sic de alijs multis. *Quamuis existentia Dei nõ possit probari, vnum tamẽ attributum per aliud potest ostendi à priori.*

QVÆSTIO TERTIA,

De simplicitate Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Deus sit corporeus.

STOïci omnium primi docuerunt, referente Damasceno, lib. de hæresi, Deum esse corporeum. Idẽ asseruit Thales Milesius, vt referunt alij nonnulli probati authores; Ex Catholicis verò postea subscripsit huic errori Audius, vel (vt alii volunt) Audeus, referente Epiphanio, hæresi 7. & Theodoreto lib. 4. hæreticarum fabularum, & lib. 4. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 19. Hæresis autem ista, potiùs quàm error comprobari videtur ex illis locis Scripturæ, in quibus *Absurda aliquot hæresis.*

partes

partes humani corporis tribuuntur Deo; manus enim adſcribuntur illi, Iob. 10. *Manus tuæ fecerunt me*, & Pſalm. 138. *Etenim illuc manus tua deducet me* : Oculi item & aures, Pſalm. 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces.* Brachia, Luc. 1. *Fecit potentiam in brachio ſuo* : Facies & pedes, Iſaiæ 6. *Duabus velabant faciem eius, & duabus pedes eius*: Loquitur enim manifeſtè de Deo, vt conſtat ex iſtis verbis antecedentibus; *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.*

Iob. 10. v. 8. Pſal. 138. verſ. 10. Idem 33. verſ. 16. Luc. 1. v. 51. Iſai. 6. v. 2.

Deinde homo, Geneſ. 1. dicitur, *Facius ad imaginem, & ſimilitudinem Dei*: de homine autem certum eſt, quòd ſit verè corporeus.

Geneſ. 1. verſ. 26.

Denique Chriſtus cenſetur eſſe imago Patris, Hebræorum 1. Chriſtus autem dicit duas naturas, humanam, & diuinam; quarum prima intrinſecè corporea eſt, quemadmodum ſecunda omnino ſpiritualis.

B

CONCLVSIO. *Citra manifeſtam hæreſim non licèt affirmare eſſentiam diuinam eſſe formaliter corpoream.* Primum, quia in ſacris litteris verbis expreſſis dicitur de Deo, quòd ſit ſpiritus, Ioann. 4. *Deus* (inquit) *Spiritus eſt.* De ſpiritu autem dicitur, Luc. 24. quòd carnem & oſſa non habeat, quod idem eſt ac ſi diceret, rationem ſubſtantiæ ſpiritualis, vt ſic, reijcere à ſe, & oſſa, & carnem, & quodlibet aliud materiale, ſeu ſenſile.

Eſt hæreſis aſſerere eſſentiam diuinam eſſe formaliter corpoream. Ioan. 4. verſ. 24. Luc. 24. verſ. 39.

Deinde, de Deo dicitur in ſacris litteris, quòd ſit omnino inuiſibilis, 1. Timoth. 1. *Regi ſeculorum immortali, & inuiſibili.* Et rurſus: *Qui habitat lucem inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* De re autem ſenſili, & corporea hæc dici nequeunt.

C

1. Tim. 1. verſ. 17. Idem 6. verſ. 16.

Tertiò, hæc eſt expreſſa ſanctorum Patrum ſententia. Diui Auguſtini 3. Confeſſionum, capit. 7. *Neſciebam*, inquit, *vtrùm forma corporea Deus finiretur, & haberet capillos & vngues. Quod vnde viderem, cuius videre vſque ad corpus erat oculis, & animo vſque ad phantaſma. Et non noueram Deum eſſe ſpiritum, non cui membra eſſent per longum & latum, nec cui moles eſſet.* Idem ferè habet epiſtola 111. & 119. & lib. de quinque hæreſibus, hæreſi 5. Baſilij homil. 10. in Hexameron. *Figura, omnis expers eſt Deus. Simplex enim nec ipſum vlla poſſis (quantumlibet imaginere molem) circumſcribere, & metiri magnitudine aut quantitate. Nequam opinere Deo conſiſtentem formam, neque in animum inducas Deum comprehendi corporali complexione. Ne confidas circumſcribi poſſe Deum anguſtis mentis tuæ cancellis. Magnitudine reuera eſt incomprehenſibilis.* Iuſtini in dialogo cum Tryphone, paulò poſt initium, Irenæi lib. 2. contra hæreſes, cap. 16. Origenis, lib. 7. contra celſum, Nyſſen. homil. ad hæc verba, Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, & aliorum.

Probat. Concluſ. D. Auguſt. Baſil. Iuſtin. Irenæus. Origen. Nyſſen.

D

4. Quartò, ſi eſſentia diuina eſſet in ſe corporea formaliter; poſſet hæc per imaginem aliquam repræſentari: quemadmodum repræſentantur homines, & cetera ſenſilia: at nulla poteſt dari imago, quæ diuinam eſſentiam repræſentet, vt in ſe eſt. Paulus capit. 1. ad Romanos: propter hanc cauſam arguit iſtos homines, quod ſcilicet imaginem aliquam adſcripſiſſent Deo; & Damaſcenus, in lib. de fide, ait: *Extremam dementiam eſſe credere Deum poſſe depingi, vt eſt in ſe*, non tamen, negandum quin de Deo poſſint dari imagines aliquæ: quatenus ſcilicet humanam naturam aſſumpſit, propter hanc enim cauſam rectè depingitur vt homo; verè quippe ſecunda perſona Trinitatis humanam naturam aſſumpſit, & eamdem terminat, ſupplendo vicem ſubſiſtentiæ creatæ. Poteſt etiam repræſentari Deus per Agnum, & per certas res alias creatas: quòd nomen Agnus, dicatur de Deo in ſactis litteris, Ioann. 1. Denique de nulla re ſenſili verum eſt, quòd ſit ſimpliciter infinita, & immenſa; de Deo autem concedendum eſt, quòd ſit ſimpliciter infinitus, & immenſus: ità docent D. Thomas hoc loco, & interpretes eiuſdem omnes, maximè vero Vazq. diſp. 21. cap. 2.

E

Ratio vlt.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. Scripturam iſtis in locis, non eſſe ad litteram, ſed per metaphoram intelligendam; loquuntur enim Scripturæ de Deo illa eadem ratione qua homines de ſeipſis verba faciunt: Sunt enim Scripturæ in vſum hominum à Deo introductæ. Vſus autem obtinuit inter homines, vt ea quæ vident oculis deprehendant, & quæ audiunt, mediis item auribus aſſequantur, quæ verò faciunt, & extrinſecè operantur id manibus maximè præſtant: ac proinde dicitur iſtis in locis quòd Deus videat, quod audiat, &c. quia datur ſumma vis intelligendi in Deo: ſumma item potentia exequendi ea, quæ vult præſtare & efficere; potentia tamen iſta, & vis intelligendi, non ſunt res aliquæ ſenſiles, ſed omnino ſpirituales. Ità communiter omnes locis proximè citatis.

Satisfit rationibus ex.

Ad 2. Hominem eſſe factum ad imaginem Dei, ratione intellectus, & voluntatis; ad ſimilitudinem verò, reſpectu gratiæ & ſanctitatis: hæc enim fuit primis parentibus data in primo inſtanti ſuæ creationis, vt docent omnes in tract. de iuſtificatione, aut etiam de homine in ſtatu innocentiæ producto, ac proinde ex iſtis non licet colligere Deum eſſe corporeum, licèt homo ſit intrinſecè corporeus.

2.

Ad vltimam reſpond. Chriſtum eſſe imaginem Patris, reſpectu Verbi; hoc enim eſt ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis producta per intellectionem notionalem Patris: ac proinde ex vi ſuæ productionis aſſimilatur perfectiſſimè Patri, vt communiter docent omnes in tractatione de Trinitate: hoc autem Verbum non minus eſt res aliqua ſpiritualis, quàm Pater. Aduerte tamen poſſe concedi de Chriſto, quòd ſit etiam imago Patris, quatenus ſcilicet omnis gratia quæ datur in nobis, dependet à gratia quæ datur in Chriſto, quatenus hic homo eſt.

Vlt.

ARTICVLO 2. docet Sanctus Thomas in Deo non dari materiam, neque formam, quæ res indubitata eſt: diximus enim articulo proximè antecedente, Deum eſſe incorporeum.

Deinde, quod conſurgit ex materia, & forma præſtantius eſt qualibet parte ex iſtis duabus ſeorſim ſumptis: in Deo autem non datur aliquid, quod ſit magis, & minus perfectum: eſſentia quippe diuina eſt in ſe ſimpliciſſima: lege de iſtis S. Thomam.

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm sit idem Deus, quod sua essentia vel natura.

Diuersa opinio.

ARTICVLVS hic postulat explicationem illius difficultatis in qua quæritur; An Deus & Deitas sint vnũ, & idẽ: & item, An Deitas dicatur de Deo, & vice versa. Sunt igitur qui putent propositionem istam; *Deus est Deitas, Bonitas, magnitudo*, &c. esse veras eatenus, quatenus resoluuntur in istas: Deus est Deus, bonus, magnus, &c. Non autem formaliter, & præcisè loquendo, vt sonant Bonitas, Deitas, & magnitudo, &c. sit igitur

CONCLVSIO. *Deus, & Deitas nulla ratione distinguuntur in diuinis: ac proinde Deus verè est sua Deitas.* Primùm, quia dicitur 1. Ioan. 5. *Deus verax est & veritas.* & Ioann. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* Sapientia item dicitur de Deo, Sapien. 7.

1. Ioan. 5. vers. 20. Idem 14. vers. 6.

Deinde, res hæc ità definita videtur in Concilio Rhemensi & in Lateran. sub Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter*, de summa Trinitat. & fide Catholica.

Deus & Deitas nulla ratione distinguũtur in diuinis, saltem nec realiter, nec formaliter.

Tertiò, hæc est expressa Patrum sententia: ità enim habet D. Augustinus, cap. 11. lib. 5. de Trinitat. *Sicut* (inquit) *Trinitas vnus Deus dicitur magnus, bonus, æternus, omnipotens, idémque ipse sit sua diuinitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas*: & lib. 11. de Ciuitat. cap. 10. & lib. 12. cap. 2. & libro de moribus Manichæorum: Bernardus serm 80. in Cantica: *Iam de magnitudine, bonitate, iustitia, sapientiáque, idem per omnia quod de diuinitate sentimus, vnum in Deo sunt, & cum Deo: Nec enim alunde bonus, quàm vnde magnus: nec alunde iustus, aut sapiens, quàm vnde magnus & bonus. Nec alunde denique simul hæc omnia est, quam vnde Deus, & hoc quoque nisi seipso.* Simile quid habet Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum, Isidorus de summo bono, cap. 6. Boëtius lib. 1. de Trinitate, cap. 7. Iustinus martyr, quæst. 114. Nazianzenus tract. de fide: Cyril. lib. 1. Thesauri, & alij.

D. Augustin. Bernard. Fulgent. Isidorus. Iustin. Nazian.

Rationes.

Accedit ratio: Prima: Nomine Dei, significatur individuum Deitatis, vel certè aliquid quod concipitur à nobis ad modum individui respectu essentiæ diuinæ: at individuum non distinguitur in diuinis, nec realiter, nec formaliter à diuina essentia; non enim hæc inducit aliquam compositionem, sed sunt vna res simplicissima cum diuina essentia; ergo.

Deinde, si Deus, & Deitas distinguerentur inter se aut realiter, aut formaliter, Deus perficeretur ab aliquo, qui non esset Deus, & illud idem dicendum esset de Deitate; nam Deitas aduenit Deo secundum nostrum modum concipiendi, illationes autem istæ, nequeunt vlla ratione sustineri: est enim propositio indubitata apud omnes; Quidquid est in Deo, Deus est: ergo.

Tertiò, quandocumque dantur duo ità inter se affecta, vt vnum sit de conceptu formali alterius, & quidem ità vt impossibile sit concipere vnum, non concepto alio, illa recte de se inuicem enunciantur: at Deitas ità includitur in conceptu Dei, vt impossibile sit concipere Deum sine Deitate; & illud idem dicendum est de Deitate respectu Dei: nam hæc ità vna, & simplicissima est, vt nequeat vlla ratione multiplicari in ratione essentiæ Deitatis: quod dico propter personas diuinas, quæ distinguuntur inter se realiter propter oppositas relationes, & proprietates, quibus constituuntur istæ personæ diuinæ, & ab inuicem similiter separantur: ergo. Ità communiter omnes.

Obiectio.

Obiciunt authores contrariæ sententiæ: Deitas & Deus sunt concretum, & abstractum.

Responsio.

Respondeo, nomine concreti significari formam aliquam existentem in subiecto; nomine verò abstracti significatur hæc eadem forma: cetèrum quasi per se subsistens, & à subiecto separata, ac proinde concretum addit supra abstractum significationem subiecti in quo recipitur forma: verùm distinctio hæc locum tantùm habet in rebus creatis; nam in diuinis abstracta, & concreta distinguuntur tantùm secundùm nostrum modum concipiendi, vt pluribus alibi probabitur. Vide infinita de istis apud Gilium libro 2. tractatu 7. qui est de veritate prædicationum in terminis diuinis, cap. 7. 8. & sequentibus.

ARTICVLVS QVARTVS.

An essentia, & existentia diuina distinguantur inter se.

CONCLVSIO 1. *Essentia & existentia diuina non distinguuntur inter se realiter.* Hæc videtur esse de fide, dicitur enim Exod. 3. *Ego sum, qui sum.*

Exod. 3. vers. 14.

Deinde, hæc est patrum sententia, Bernardi serm. 80. in Cantica, & lib. 5. de consideratione ad Eugenium Summum Pontificem, Damasc. lib. 1. de fide, cap. 2. imò & Aristot. cap. 7. lib. 12. Metaphys.

Essentia & existentia diuina non distinguuntur inter se realiter. Bernard. Damascen.

Tertiò, in diuinis omnia sunt vnum, & idem, nisi vbi interuenit oppositio relationis, omnium Theologorum consensu: at essentia, & existentia in diuinis non opponuntur inter se; sola enim relata opponuntur, cuius generis non sunt essentia, & existentia.

Denique essentia, & existentia nullam inducunt in Deo compositionem, est enim essentia diuina simplicissima, vt probabitur quæst. proximè sequenti S. Thomę. Ità D. Thomas, & communiter omnes.

Obiectio.

Obiicies, Hieron. ad hæc verba cap. 3. Ephesior. *Ex quo omnis paternitas nominatur*, affirmare diuinam essentiam esse causam, & principium sui esse: idem docent Lactan. lib 1. suarum institut. cap. 7. D. August. lib. 7. de Trinitat. cap. 1. sub finem.

Ephes. 3. vers. 15.

Resp.

Resp. Patres istis loquutionibus noluisse significare existentiam Dei produci ab essentia diuina, in ratione alicuius causalitatis veræ, & propriè dictæ; repugnat quippe idem producere seipsum, saltem in ratione causæ præcipuæ, & principalis: existentia autem diuina, est idem planè realiter, & formaliter, cum essentia diuina.

Deinde, omnis causa est prior suo effectu, saltem natura, si non tempore: in Deo autem nihil est prius, neque posterius, ex symbolo Athanasij.

Volunt

Egregia diſtinctio. Volunt ergo Patres exiſtentiam diuinam eſſe ab A omnino perfectionem.

eſſentia diuina non poſitiuè, ſed negatiuè, ità vt ſenſus ſit, eſſentia diuina eſt cauſa exiſtentiæ diuinæ, id eſt, à nullo planè eſt exiſtentia diuina; ſed à ſeipſa. Ità communiter recentiores, pluribus verò Gilius, lib. 2. tract. 1. de eſſentia Dei in ſe, cap. 3. numer. 6.

Deinde, ſi in Deo daretur aliquod accidens, concedenda eſſet compoſitio aliqua in Deo, nempe ex ſubiecto, & accidente: de fide tamen eſt Deum eſſe ſimpliciſſimum, ac proinde reijcere à ſe omnem compoſitionem, vt probabitur art. 7. huius quæſt.

Obiectio. Obiicies eum actum, quo Deus voluit mundi productionem, potuiſſe non eſſe in Deo, putà ſi Deus determinâſſet ſe ex omni æternitate ad non producendum mundum: ergo.

Reſpond. Reſpondeo, actum hunc, quo Deus voluit mundum producere, ſpectari duobus modis, vel ſecundùm ſuam entitatem: vel ſecundùm terminationem, quam dicit ad mundum extra B Deum productum: priori modo non potuit hic non eſſe in Deo, ità enim eſt idem cum ipſomet Deo, ex illo axiomate: *Quidquid eſt in Deo, Deus eſt.* Poſteriori verò modo potuit hic actus non eſſe in Deo; fuit enim quàm maximè liberum Deo definire, & determinare ſe ex omni æternitate ad mundum producendum, vel non producendum.

Axioma Theologicũ.

Vna creatè entitas diuina eſt neceſſaria & formaliter libera.

Aduerte concedendum eſſe de vna, & eadem numero entitate diuina, quòd hæc ſit, & ſimpliciter neceſſaria, & ſimpliciter libera; idque propter infinitatem diuinæ eſſentiæ. Deinde, eſſe liberum formaliter, non minùs eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quàm ſit eſſe ens ſimpliciter neceſſarium: ergo, cùm in Deo nulla detur diſtinctio reſpectu eorum, quæ ſunt eſſentiæ diuinæ, ſed tantùm reſpectu perſonarum, de vna, & eadem planè entitate eſſentiali concedendum erit, quòd ſit, & formaliter libera, & formaliter ſimpliciter neceſſaria: neque hoc magis abſurdum eſt, quàm eſſentiam diuinam eſſe communicabilem, & incommunicabilem; eſt enim hæc communicabilis, vt habet rationem eſſentiæ abſolutæ; & eſt incommunicabilis, vt habet rationem proprietatis perſonalis, vt pluribus probabitur in tractatione de Trinitate.

Conclusio. Conclvsio 2. *Eſſentia diuina non diſtinguitur ab exiſtentia formaliter, neque contrà.* Primùm, quia quando nomina ſunt impoſita rebus à ſapientia increata, non poſſunt hæc non explicare earum naturas, & eſſentias: at nomen impoſitum ab increata ſapientia diuinæ eſſentiæ, ſeu, quod idé Deo, eſt verbum hoc, Sum, vt conſtat ex cap. 3. Exodi, particula autem, Sum, exiſtentiam omnium planè conſenſione ſignificat.

Eſſentia diuina non diſtinguitur ab exiſtentia, nec vice verſa.

Probat.

D. Auguſt. Damaſcen. Bernard. Nazian.

Deinde, non potuit dari aliquid, quod perfectius exprimeret eſſentiam diuinam verbo *Sum*; vt docêt SS. Patres D. Auguſt. de vera religione, cap. 49. Bernard. lib. vlt. de conſideratio. ad Eugenium, Nazian. orat. 4. de Theologia. *Quantum nobis aſſequi conceſſum eſt, ens, & Deus magis quodammodo eſſentiæ nomina ſunt, ex iſque etiam entis vox ad eam indicandam aptior eſt, non hoc ſolum nomine, quòd ipſe, cum Moyſi in monte oraculum ederet, quæreréque ille, quo nomine vocaretur, ità ſeipſum appellauit. Qui eſt, ens enim proprium eſt Dei.* Et Damaſc. lib. 1. de fide cap. 12.

Tertiò, repugnat concipi diuinam eſſentiam ſinè exiſtentia: eſt enim eſſentia diuina ens ſimpliciter neceſſarium quod communiter definitur: *Id quod ità habet eſſe, vt ei repugnet ſimpliciter non eſſe.* C

Obiectio. Obijcies, eſſentiam diuinam poſſe concipi, ſinè proprietatibus relatiuis, ex doctrina ferè communi: ergo poterit etiam hæc concipi ſine exiſtentia.

Reſpond. Reſp. Conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ratio diſparitatis eſt, quia eſſentia diuina conſtituitur in ſua entitate actuali per exiſtentiam, ſecundum noſtrum modum concipiendi. & hæc eſſentia ità conſtituta per exiſtentiam, eſt res aliqua ſimpliciter neceſſaria: ac proinde dicit in ſuo conceptu formali exiſtentiam. Proprietates autem relatiuæ non conſtituunt eſſentiam diuinam in ſua entitate actuali: ſed præſupponunt illam ità conſtitutam in ſua entitate actuali; abſoluta quippe in diuinis præintelliguntur relatiuis, vt fatentur omnes in tractatione de Trinitate. D

Axioma Theologicũ.

Arvicvlvs 5. Docet D. Thomas Deum, nec per ſe, nec reductiuè collocari in aliquo genere categorico: de qua re grauis ſatis eſt controuerſia inter Nominales & ceteros Theologos Scholaſticos: Illi enim contendunt Deum verè collocari in categoria ſubſtantiæ: iſti verò contrà contendunt in nulla planè categoria collocari. Ceterùm quia res hæc explicatur communiter in E Logicis, aut etiam Metaphyſicis, ideò prætermittitur hîc à nobis.

Nullum in Deo datur accidens.

Arvicvlvs 6. Affirmat in Deo nullũ planè dari accidens, quod videtur probari ex Conc. Rhemenſi tempore D. Bernardi celebrato, & ex Lateranenſi ſub Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitat. & fide Catholica, & ex Patribus ſupra citatis. Fauet & ratio: nam quod recipit in ſe aliquod accidens præſupponit potentialitatem aliquam in ſe, ac proinde & defectum aliquem: at Deus cùm ſit actus purißimus, & prima cauſa ſimpliciter omnem omnino potentialitatem reſpuit, & includit intrinſecè omnem

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An Deus ſit ſimpliciſſimus.

DVA explicantur hoc loco breuiſſimæ dubitatiunculæ. Prima, An Deus ſit ſimpliciſſimus. 2. An ſimplicitas dicat perfectionem in Deo. Quòd attinet ad primam ſit

Obiectio.

Conclvsio. *Deus eſt ſimpliciſſimus.* Primùm, quia ità videtur explicari in Concilio Rhemenſi ſupra citato, & in Lateranenſi ſub Innocentio III. & in cap. *Firmiter*. de ſumma Trinit. & fide Catholica. Idem docent verbis expreſſis Patres, D. Auguſt. lib. 11. de Ciuitat. cap. 10. *Eſt itaque bonum ſolum ſimplex, & ob hoc ſolum incommutabile, quod eſt Deus: & quod de ſimplici bono genitum eſt, pariter ſimplex eſt. Aliud eſt autem quam Pater & Filius, quia nec Pater eſt, nec Filius: ſed aliud dixi, non aliud, quia & hoc pariter ſimplex, pariterque bonum eſt incommutabile & coæternum: & hæc Trinitas vnus eſt Deus: nec ideò non ſimplex quia Trinitas.* Idem habet cap. 15. & cap. 17. Iſidorus de Summo bono, lib. 1. cap. 1. Bernard. lib. 5. de conſiderat. ad Eugenium, cap. 6. & plerique alii.

Deus reſpuit omnem omnino cõpoſitionem.

D. Auguſt.

Iſidorus.

Digitized by Google

Accedit ratio. Illud cenſetur eſſe ſimpliciſſimum quod reijcit à ſe omnem omnino compoſitionem: at Deus reſpuit omnem omnino compoſitionem; non enim componitur ex eſſentia, & exiſtentia; ex eſſentia & ſubſiſtentia; ex eſſe & non eſſe, ex actu, & potentia; ex genere, & differentia; ex accidente, & ſubiecto; ex partibus denique concurrentibus ad compoſitionem alicuius tertij.

Deinde, ſimplicitas diuina fundatur in ſumma, & infinita actualitate, ità vt propterea Deus ſit ſimpliciſſimus, quia totus eſt actus, & conſequenter excludens omnem omnino potentialitatem.

Denique, quod præſtantius, dignius, & nobilius eſt, eſt maximè Deo concedendum: at ſimplicitas ſumma cenſetur eſſe perfectio ſimpliciter ſimplex, vel præſupponit ſaltem perfectionem ſimpliciter ſimplicem: ergo hæc erit Deo adſcribenda: cùm omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices in Deo locum habeant, idque formaliter ex doctrina S. Thomæ, quæſt. proximè ſequente: ità D. Thomas hoc loco, & interpretes eiuſdem.

Obiectio 1.

Obiicies 1. in Deo dari conſtitutum, & conſtitutiuum: perſona quippe Patris conſtituitur in eſſe Patris, per paternitatem; & perſona Filij per filiationem; & Spiritus ſanctus conſtituitur per proceſſionem, ſeu inſpirationem paſſiuam; ergo.

Reſpenſ.

Reſp. In Deo non dari conſtitutum, & conſtitutiuum quę ſint inter ſe diſtincta realiter, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium ad veram compoſitionem; ſed datur conſtitutum, & conſtitutiuum, ſecundum conſtitutionem tantummodò rationalem, qualis eſt ea, quæ concipitur à nobis de diuinis perſonis: cum enim nos nequeamus perfectiſſimè intelligere myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, pro eo tempore, quo ſumus in hac vita mortali, & fides doceat perſonas illas diſtingui inter ſe realiter, concipimus de perſonis iſtis, quòd prima conſtituatur in eſſe talis perſonæ per paternitatem; à parte tamen rei paternitas non eſt aliquid realiter, aut formaliter diſtinctum à patre, & illud idem dicendum eſt de filiatione comparata cum Filio; & de proceſſione collata cum Spiritu ſancto.

Obiectio 2.

Obijcies ſecundò, quod eſt vnum tantùm, ſimplicius eſſe eo, quod eſt vnum, & trinum ſimul: Deus autem eſt trinus in perſonis, & vnus in eſſentia.

Solutio.

Reſp. Propoſitionem maiorem eſſe verâ ſi quod eſt trinum, & vnum ſimul, ſit trinum & vnum per veram compoſitionem; minimè verò ſi fuerit trinum & vnum per identitatem perfectiſſimam: perſonæ autem diuinæ licèt inter ſe diſtinguantur realiter, identificantur perfectiſſimè cum eſſentia diuina, ità vt ſint idem omnibus modis cum ipſa; vnde nullam inducunt multiplicitatem, neque item compoſitionem, prout comparantur cum eſſentia diuina.

Quod verò attinet ad ſecundam, ſunt qui putent ſimplicitatem non dicere perfectionem in Deo: ità D. Thomas in primum, diſt. 1. quęſt. 1. art. 1. quæſt. 7. Caiet. hoc loco. Molina, diſp. 2. ad hunc art. D. Thomæ, & alij nonnulli recentiores. Alij verò contrà putant eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem; vt autem res hæc faciliori negotio intelligatur.

Aduerte communiter res omnes eò eſſe perfectiores, quò ſunt ſimpliciores, vt manifeſtè colligitur, ex cap. 16. lib. 1. contra Gentes ſancti Thomæ, ait enim illic in vnoquoque genere, eò D. Thom. magis aliquid eſſe perfecti, quo dicitur ſimplici.

Deinde, propter hanc cauſam communiter dicimus cœlos perfectiores eſſe elementis, & rebus iſtis mixtis; item Angelos perfectiores eſſe homine, & Deum quibuſuis creatis.

Denique, præſtat habere omnem ſuam perfectionem dependenter tantùm ab vna entitate, quàm à multis.

Conclvsio. *Simplicitas non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ex vi ſignificationis nominis ſimplicitatis; præſupponit tamen perfectionem ſimpliciter ſimplicem in Deo.* Prima pars Concluſionis probatur. Simplicitas, vt ſic, dicit negationem cuiuſlibet compoſitionis, veræ, & realis: at negatio, vt ſic, non eſt perfectio; reſpuit enim hæc à ſe omnem omnino rationem entis phyſici. Confirmatur. Perfectio, & bonitas, ſunt vnum, & idem: at negatio compoſitionis cuiuſlibet excludit ex vi negationis omnem omnino bonitatem: ergo. *Simplicitas non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, tamen in Deo talē præſupponit.*

Secunda verò pars Concluſionis probatur. Simplicitas eadem ratione cenſetur eſſe perfectio diuina, qua innaſcibilitas reſpectu perſonę Patris, aut indiuiſibilitas reſpectu cuiuſlibet ſubſtantiæ ſpiritualis; ſed innaſcibilitas ex vi ſuę ſignificationis dicit negationem tantummodò natiuitatis; cōnotat verò in Patre perfectionem ſummam, nępe Patrem eſſe à ſeipſo: indiuiſibilitas item dicit negationem diuiſionis, connotat verò vnitatem aliquam in re omnino ſpirituali: hæc autem perfectio verè eſt à parte rei: ergo.

Denique, fundatur ſimplicitas, in ſumma, & infinita actualitate diuinæ eſſentiæ, ſeu, quod idem eſt, in eo quòd Deus ſit actus puriſſimus: at actualitas iſta, ſeu actus puriſſimus eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; melius quippe eſt ſemper in omni planè ente eſſe actum puriſſimum, quàm non eſſe, & perfectio hæc ſtare poteſt cum omni alia perfectione ſibi æquali, vel etiam magis perfecta; ità docent Pelantius diſp. vnica ad hunc artic. Trigoſius dub. 2. ad quæſt. 3. D. Bonauent. art. 1. Molina diſp. 1. ad hunc art. & plerique alij recentiores.

Obiect.

Obijciunt Scotus, & alij, qui contrariam ſequuntur ſententiam: quodlibet attributum diuinum dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem, vel ſaltem ſecundum quid; nomine enim attributi diuini ſignificatur res aliqua; quæ de facto datur in Deo: at ſimplicitas computatur inter attributa diuina, vt conſtat ex D. Thoma hoc loco.

Solutio.

Reſp. Negando maiorem. Ad probationem autem dico attributa diuina, vel dicere, vel certè connotare rem aliquam in Deo exiſtentem: ſimplicitas autem connotat tantùm perfectionem ſummæ actualitatis, quæ datur in Deo: ſignificat verò negationem omnis compoſitionis reſpectu diuinæ eſſentiæ.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vtrùm Deus in compoſitionem alterius veniat.

Articvlvs hic poſtulat explicationem illius difficultatis, in qua quęritur, An Deus concurrat cum creatura, vel concurrere poſſit ad componendum aliquod tertium de qua re ſit

Conclvsio. *Deus non concurrit, nec concurrere poteſt cum creatura ad aliquid componendum:*

Deus nõ potest concurrere in ratione partis propriè ad componendũ aliquid tertium.
Leo. Mag.
Dionyſ.
Clemens Alexand.
Athanaſ.
D. Auguſt.
Euſebius.

dum: veluti pars aliqua, ſalicet, nomẽ partis ſumatur propriè, prout communiter vſurpatur à Philoſophis. Primùm hæc videtur eſſe mens Leonis Pontificis Maximi epiſtola 93. capit. 5. & Concilij Toletani I. & Dionyſij, cap. 2. de diuinis nominibus Clementis Alexandrini lib. 5. Stromat. Athanaſij in oratione contra idola. D. Auguſtini 7. de Ciuitat. cap. 13. Euſebij in lib. de præparatione Euangelica, & D. Thomæ hoc loco, interpretúmque eiuſdem.

Deinde, quod concurrit ad compoſitionem alicuius tamquam pars proprie dicta, minùs perfectum eſt toto compoſito, quod conſurgit ex huiuſmodi parte, vt eſt per ſe notum: ſed impoſſibile eſt Deum eſſe minus perfectum, quam ſit vlla planè res creata: eſt enim Deus perfectiſſimus in omni ratione entis.

Deinde, omnis imperfectio remouetur à Deo; atqui ratio partis propriè dictę dicit imperfectionem ex communi doctrina Philoſophorum.

Tertiò, partes componentes aliquod totum ſeſe quodammodo actuant, & perficiunt: at impoſſibile eſt Deum perfici, aut actuari ab aliquo alio, cùm Deus ſit expers omnis potentialitatis. Ità communiter Sententiarij, & Thomiſtæ hoc loco.

Dixi autem in Concluſione: *Si nomen partis*, &c. quoniam ſi nomine partis ſignificetur tantùm componibile, non eſt negandum, quin Deus cum creatura poſſit aliquid componere: non quidem quòd habeat rationem entis per accidens, ſed quòd ſit ens per ſe. Diuus enim Thomas 3. part. quæſt. 2. artic. 4. ad 3. verbis expreſſis fatetur perſonam Chriſti eſſe compoſitam; imò ſacra Concilia videntur idem definire. Præterea, illud in quo duo conueniunt ad vnum aliquod perficiendũ rectè compoſitum dici poteſt. Certum autem eſt diuinam eſſentiam, aut potius Verbum diuinum concurrere cum humanitate Chriſti, ad Chriſtum perficiendum: ex humanitate ſiquidem Chriſti, & diuino Verbo conſurgit vna per ſe ſubſiſtens natura humana; facit enim Verbum diuinum in humana natura Chriſti illud idem quod faceret ſubſiſtentia creata ſi adeſſet: propterea autem dixi Deum non poſſe concurrere cum creatura, ad componendum ens per accidens, quoniam compoſitio hæc manifeſtam arguit imperfectionem in ijs quæ componunt ens tale: dicit enim compoſitio hæc potentialitatem aliquam in componentibus.

QVÆSTIO QVARTA,

De perfectione Dei.

ARTICVLO 1. Docet Sanctus Thomas Deum eſſe perfectum.

ARTICVLO 2. Habere rerum omnium perfectiones. Circa hunc ſecundum Articulum ſit

DVBITATIO VNICA.

An perfectiones rerum omnium creatarum ſint in Deo, & qua ratione.

DVPLEX 1. Perfectiones rerum creatarum eſſe in duplici differentia; aliæ namque ſunt ſimpliciter ſimplices: aliæ verò ſecundum quid: perfectio ſimpliciter ſimplex definitur, Quę melior eſt ipſa, quam non ipſa. Ità Anſelmus in Monologio, cap. 14. adijcitur tamen ob maiorem explicationẽ à quibuſdam recentioribus, & quę eſſe poteſt cum alia perfectione maiori; vel ſibi æquali. Ità vt velint perfectionem ſimpliciter ſimplicem perfectè, & completè definiri, eam rem quę melior eſt ipſa, quàm non ipſa, & quę ſimul poteſt, cum omni alia perfectione maiori, vel ſibi æquali: huius generis ſunt bonitas, ſapientia, intellectus, voluntas, & ſimilia: perfectio verò ſecundum quid, cenſetur eſſe ea, quę in proprio genere, & formaliter ſpectata dicit perfectionem, ceterùm ità coniunctam cum imperfectione, vt ab ea remoueri nullo modo poſſit, quamdiu manet eius ratio formalis. Huius generis ſunt, ſenſile, tactile, corporeum, & alia innumera.

Definitur perfectio ſimpliciter ſimplex.

Perfectio ſecundũ quid.

Aduerte 2. perfectiones iſtas contineri duobus modis in aliquo, formaliter ſcilicet & eminenter ſeu virtute: Continere formaliter aliquid, nihil aliud eſt, quàm habere in ſe formam aliquam, ſeu perfectionem ſecundùm totam ſuam naturam, & eſſentiam: aut (vt alij loquuntur) quidditatem: hac ratione cenſetur homo continere formaliter intellectum, voluntatem, & ſanctitatem, quotieſcumque habet in ſe gratiam gratum facientem. Quidditas quippe ſignificata per intellectum, & voluntatem propriè, & verè eſt in homine, ità vt denominetur homo formaliter intelligens, & volens, quàm maximè propriè. Continere verò virtute, & eminenter, nihil eſt aliud quàm habere in ſe formam aliquam perfectiorem, quę continet totum illud quod continetur in forma, quę dicitur contineri in alio: idque vel quia poteſt totam iſtam formam producere, vel quia hęc eſt ſufficiens ex ſe perfectionis alterius, quaſi radix eiuſdem: vel denique, quia poteſt illud omne præſtare quod faceret forma iſta, quę dicitur contineri ſi adeſſet, ſeclaſa tamen omni imperfectione, v. g. Continetur hac ratione calor in ſole & vino. Sol enim

Quid ſit continere formaliter & quid eminenter.

Digitized by Google

tam verè excitat in nobis calorem, quàm faciat calor, qui de facto reperitur in igne: illud idem vinum præſtat.

Omnes omnino perfectiones reperiuntur in Deo.

CONCLVSIO 1. *Perfectiones quælibet rerum creatarum continentur in Deo.* Primùm, quia dicitur Ioann. 1. *Quod factum eſt, in ipſo (ſcilicet Deo) vita erat*, & Pſalm 93. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* Rom. 11. *In ipſo (ſcilicet Deo) ſunt omnia.* 1. Corinth. 15. *Omnibus omnia erit*, (ſupple Deus) Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum*, id eſt meipſum ait Deus ad Moyſem, quaſi diceret hoc ipſo quòd tibi monſtrabo eſſentiam meam, manifeſtabo quoque tibi omne bonum, idque quòd omne bonum in me contineatur.

Ioan. 1. v. 3. Pſalm. 93. verſ. 9. Rom. 11. verſ. 35. 1. Cor. 15. verſ. 28. Exod. 33. verſ. 19. Clemens Alexand. D. Auguſt. Anſelm. D. Thom.

Idem docent Patres, Clemens Alexandr. lib. 5. Stromat. D. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litteram, cap. 10. & lib 4. de Trinit. cap. 6. & ſermon. 4. de verbis Domini. Anſelmus, cap. 15. Monologij, Victorinus in lib. de Trinitat. & Diuus Thomas hoc loco.

Ratio. 1.

Probatur etiam rationibus. Primùm; Omnis perfectio quæ reperitur in effectu, admittenda quoque eſt neceſſariò in ſua cauſa; nihil enim eſt in effectu quod non pendeat à ſua cauſa: at res iſtæ omnes creatæ ſunt effectus omnipotentiæ diuinæ, Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

Ioan. 1. v. 3

Deinde, viſio diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt, explet appetitum creaturæ rationalis cumulatiſſimè, Pſal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*; at hæc dici non poſſent ſi eſſentia diuina non contineret omnes omnino rerum perfectiones: intellectus namque creaturæ rationalis poteſt omnia & ſingula intelligere, ex doctrina Ariſtotel. in lib. de anima, & manifeſtè colligitur ex eo quòd quælibet potentia æquè latè pateat, atque eius obiectum adæquatum. Obiectum autem adæquatum intellectus eſt intelligibile quodcumque, omnium conſenſione.

Pſalm. 16. verſ. 15.

Tertiò, Deus cenſetur eſſe perfectiſſimus, & quidem in omni plane genere, & ratione entis.

Denique, in Deo ſunt ideæ rerum omnium; imò res omnes creatæ cenſentur eſſe imitationes & participationes quædam eorum, quæ ſunt intrà diuinam eſſentiam.

Obiectio.

Dices, ſi ità res haberet, ſequeretur eſſentiam diuinam non continere per ſe rerum omnium perfectiones, ſed tantùm ratione ſuæ ſcientiæ & cognitionis.

Solutio.

Reſpondeo, negando ſequelam antecedentis; radix enim continentiæ perfectionum, quæ ſunt in rebus creatis intrà diuinam eſſentiam, eſt perfectio ipſius diuinæ eſſentiæ, licèt continentia hæc explicetur à nobis per ſcientiam, & cognitionem diuinam; eò quòd magis continentia hæc innoteſcat per ſcientiam iſtam diuinam, quàm per eſſentiam eiuſdem præcisè ſpectatam.

Perfectiones ſimpliciter ſimplices in Deo ſunt formaliter.

CONCLVSIO 2. *Perfectiones rerum creatarum ſimpliciter ſimplices, ſunt in Deo formaliter.* Primùm, hæc eſt expreſſa ſententia Sancti Thomæ hoc loco, & omnium interpretum eiuſdem.

Deinde, tam verè & propriè Deus eſt ſapiens, iuſtus, intelligens, & volens, quàm vlla planè res creata rationalis: at conuenit inter omnes attributa hæc dicere perfectiones ſimpliciter ſimplices: ergo.

Obiectio.

Dices, ſi hæc ratio eſſet bona, ſequeretur dari accidentia aliqua in Deo; nam intellectus, & voluntas ſunt potentiæ quædam: iuſtitia verò, & ſapientia ſunt habitus aliqui, qui collocantur in categoria qualitatis.

Solutio.

Reſpond. Nomina iſta, iuſtitia, ſapientia, &c. ex doctrina Sancti Thomæ quæſt. 14. huius partis, ſpectantur duobus modis: interdum ſecundùm formam, quam præcisè ſignificant præſcindendo ab omni imperfectione; interdum verò ſecundùm modum ſignificandi formas iſtas, prout reperiuntur in rebus creatis. Priori modo nomina hæc dicuntur de Deo propriè, & formaliter; forma quippe ſignificata per iſta nomina, proverè, & formaliter eſt intra eſſentiam diuinam: ità enim ſapientia, & ſcientia dicunt perfectiſſimam cognitionem præſcindendo à modo qualitatis, & cuiuſlibet alterius accidentis: intellectus item, & voluntas eatenus dicuntur de Deo, quatenus ſignificant ſummam vim intelligendi, & volendi abſtrahendo ab omni ratione potentiæ finitæ, & limitatæ; & item ab omni planè ratione accidentis.

Perfectiones quæ Deo attribuũtur poſſunt ſpectari dupliciter.

Probat. 3.

Tertiò, probatur Concluſio: ex Concluſione proximè antecedente perfectiones quælibet rerum creatarum ſunt in Deo: at perfectiones ſimpliciter ſimplices rerum creatarum, non ſunt in Deo eminenter: ità enim concedendum eſſet de Deo, quòd non eſſet formaliter intelligens, volens, viuens, & ſic de alijs innumeris.

Confirmatur hæc minor: perfectio ſimpliciter ſimplex definitur ea, quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa, & quæ ſtare poteſt cum omni alia perfectione ſibi æquali: aut etiam magis perfecta, huius autem generis ſunt perfectiones proximè explicatæ: ergo ſunt in Deo formaliter.

Obiectio.

Dices, ex iſtis manifeſtè colligi ſubſtantiam viuentem enunciari formaliter de Deo; modus enim prædicandi ſequitur modum eſſendi: at Sancti Patres negant Deum eſſe ſubſtantiam, ſed ſupra ſubſtantiam: imò Dionyſius, cap. 12. ſuæ myſticæ Theologiæ ait, *Deum veſtius intelligi à nobis per remotionem perfectionum rerum creatarum, quàm per attributionem earumdem.*

Dionyſ.

Solutio.

Reſpondeo, Subſtantiam, ens, & alia huius generis ſpectari à Patribus duobus modis: primùm ſecundum proprias quidditates, & eſſentias præſcindendo tamen ab omni imperfectione.

Deinde, prout hæc reperiuntur in rebus creatis; & contingit homines loqui de iſtis: poſteriori modo docent Deum non eſſe ens, neque ſubſtantiam; ità enim ſignificant hæc perfectiones aliquas creatas, & limitatas, ac proinde contractas, vel ad certum aliquod genus, vel ad ſpeciem, vel individua, qua ratione certum eſt Deum non eſſe ens, neque ſubſtantiam, ſed aliquid præſtantius quolibet ente, & ſubſtantia finitis: priori verò modo non negant Patres, quin Deus ſit ens, & ſubſtantia, ità enim ſignificant hæc perfectionem aliquam ſimpliciter infinitam, verè exiſtentem, & ſubſiſtentem per ſe, ceterùm modo infinito.

Perfectiones ſecundum quid ſunt in Deo tantũmodò eminenter.

CONCLVSIO VLTIMA. *Perfectiones ſecundum quid rerum creatarum non ſunt in Deo formaliter: ſed tantummodò eminenter.* Prima pars ex eo innoteſcit, quòd aures religioſæ nequeant ſuſtinere propoſitiones

iſtas. *Deus eſt bos propriè, & formaliter; Deus eſt capra*, & ſic de alijs innumeris, quæ tamen eſſent omnino admittendæ, ſi perfectiones bouis, & capræ eſſent in Deo formaliter.

Secunda verò pars ex eo ſatis probatur, quia perfectiones quælibet rerum creatarum ſunt in Deo neceſſariò: at perfectiones ſecundùm quid non ſunt in Deo formaliter, vt conſtat ex dictis: ergo ſunt in eo eminenter ſeu virtute.

QVÆSTIO QVINTA.

De bonitate in communi.

ARTICVLO 1. docet ens, & bonum eſſe vnum, & idem realiter.

ARTICVLO 2. ens prius eſſe bono, ratione.

ARTICVLO 3. ens quodlibet eſſe bonum.

ARTICVLO 4. ens poſſe habere rationem finis, quatenus ſcilicet ens conſequitur rationem boni, & quodlibet bonum, vt ſic, poteſt eſſe appetibile.

ARTICVLVS autem quintus petit explicationem difficultatis ſequentis.

DVBITATIO VNICA.

In quo poſita ſit ratio boni.

DVRANDVS in 2. diſt. 34. quæſt. 1. numer. 11. & Capreolus ibidem putant rationem boni poſitam eſſe in conuenientia, ac proinde docent quidditatem bonitatis diuinæ repetendam eſſe ex conuenientia, quam dicit diuina eſſentia ad ceteras omnes res creatas bonas.

Refellitur. Ceterùm hæc opinio defendi nullo modo poteſt, ſaltem reſpectu bonitatis diuinæ. Primùm, quia bonitas diuina computatur inter attributa abſoluta diuina, vt conſtat ex ſancto Thoma, & interpretibus eiuſdem hoc loco: ratio autem rei abſolutæ non poteſt eſſe poſita in re aliqua relatiua, qualis eſt conuenientia cum alio, vel ad aliud.

D. Thom.

Deinde, quælibet res, eadem planè ratione eſt bona, qua cenſetur eſſe ens. Conuertuntur enim hæc duo ens & bonum, omnium conſenſione; at certum eſt Deum habere ſuam eſſentiam à ſe, ac proinde eſſe ens independenter ab omni alio: ergo & illud idem erit dicendum de bonitate eiuſdem. Confirmatur: Res quælibet ſubſtãtialis creata cenſetur per ſe & ſua natura bona, ac proinde ſinè vllo reſpectu, & habitudine, ad vllam aliam creaturã, vt colligitur ex cap. 1. Geneſ. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, & 1. Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt.*

Geneſ. 1. verſ. 31. 1. Timoth. 4. verſ. 4.

Denique Deus dicitur iuſtus, ſanctus, volens, & intelligens, ſinè vlla dependentia à creatura: ergo dicetur etiam bonus ſinè vlla conuenientia quamdicat ad creaturas.

Bonitas eſt adeptio perfectionum omnium.

CONCLVSIO. *Ratio bonitatis præcisè poſita eſt in adeptione quarumcumque perfectionum debitarum cuilibet enti.* Primùm, quia propter hanc cauſam videtur Ariſtoteles affirmãſſe bonum, & perfectum conuerti inter ſe.

In 1. partem D. Thom.

Deinde, quia propoſitio eſt indubitata ex Dionyſio Areopag. apud omnes Theologos: Bonum conſurgere ex integra cauſa, malum autem ex quolibet defectu.

Axioma Theologicũ.

Tertiò, bonitas alia eſt eſſentialis, alia modalis, alia denique accidentalis, ex communi doctrina Theologorum, & Philoſophorum: at bonitas eſſentialis nequit eſſe poſita in aliquo alio, præterquàm in adeptione & reali poſſeſsione eorum omnium, quæ debentur alicui eſſentialiter: modalis item, cóſurgit ex omnibus modis qui debentur alicui rei: & denique accidentalis ex omnibus accidentibus, quæ debent adeſſe ei rei, quæ dicitur accidentaliter bona: Ità D. Thomas art. 3. huius quæſt. & interpretes eiuſdem.

D. Thom.

Moneo tamen hæc eſſe intelligenda de bonitate quæ conuenit enti vero, & reali, ſeu phyſico. Nam de bonitate entis moralis longè aliter ſentiendum eſt; hæc enim cenſetur eſſe poſita in tendentia, habitudine ſeu reſpectu, qui datur in re aliqua bona morali, prout hæc reſpicit ſuum obiectum, bonitate morali bonum, in ordine ad legem, ſeu præceptum ſuperioris, vt dicemus in 1. 2. quæſt. 18.

Bonitas moralis in quo poſita.

Aduerte præterea, non eſſe negandum, quin in omni ente phyſico & reali detur conuenientia aliqua, quæ conſequitur bonitatem eiuſdem; hoc enim tantùm probant argumenta authorum contrariæ ſententiæ.

In omni ente phyſico datur aliqua conuenientia.

Deinde, omnis res bona, bonitate phyſica, ſeu reali, eſt appetibilis ex doctrina Ariſtotelis; at tota ratio, cur aliquid appetatur de facto repetenda videtur ex conuenientia, quæ datur inter id quod appetitur & res quæ appetunt.

ARTICVLO VLTIMO docet ſanctus Thomas bonum prout habet rationem appetibilis, ſeu conuenientis, diuidi rectè in honeſtum, vtile, & delectabile. De qua re legendi ſunt interpretes ſancti Thomæ, & pluribus diſputatur in Ethicis.

QVÆSTIO SEXTA.

De bonitate Dei.

ARTICVLO 1. docet Deum eſſe bonum, & quidem rectè, nam in Pſal. 117. dicitur, *Confitemini Domino, quoniam bonus*, Pſal. 118. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.* Pſal. 71. *Quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde.* Deinde, idem docent Patres ad cap. 19. Matth. 18. Luc. & 10. Marc. Tertiò, Deus eſt ſummè appetibilis, Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ità deſiderat anima mea ad te Deus: ſitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* & ex D. Auguſtino cap. 1. lib. 1. Confeſſion. *Inquietum eſt cor noſtrum Domine donec requieſcat in te:* at omne appetibile eſt bonum, ex doctrina communi Ariſtot. in Ethic. Deniq; ens, & bonum conuertuntur.

Pſal. 117. verſ. 1. Pſal. 118. verſ. 8. Pſal. 71. verſ. 1. Pſal. 41. verſ. 1. Auguſt.

ARTICVLO 2. docet Deum eſſe primum, præcipuum, & ſummum bonum; dicitur enim Marc. 10. Luc. 18. & Matth. 19. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Deinde, idem planè docent Patres ad

Deus eſt ſummum bonum.

Digitized by Google

hæc loca proximè commemorata. Tertiò, prima, & summa bonitas consequitur primam, & summam entitatem; at Deus est prima & summa entitas, ab hac enim pendent cetera omnia entia quæ
Ioann. 1. sunt, fuerunt, aut futura sunt, ex illo Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil.*

Corollariũ. Ex istis colligo bonitatem diuinam nulla ratione posse intendi intrinsecè: nam repugnat aliquid infinitè, & simpliciter bonum, perfici, præsertim si huiusmodi infinitum, sit infinitum in omni ratione entis, cuius generis est bonitas diuina.

Bonitas diuina nulla ratione potest intendi intrinsecè. Deinde, bonitas ista diuina, cùm sit actus purissimus, vel saltem coniuncta cum actu purissimo, omnem potentialitatem excludit. Non est tamen negandum, quin ex Deo, & mundo consurgat maius aliquod bonum extensiuè, non tamen intensiuè: nam bonum additum bono facit maius bonum, præsertim quando ista duo bona sunt inter se realiter distincta.

Obiectio 1. Objciunt 1. authores contrariæ sententiæ inter quos est Molina, finitum additum infinito, non facit magis infinitum, vt colligitur ex cap. 8. lib. 6. de Trinitate D. Augustini, ait enim quod quando creaturæ adhærescunt Deo, hic non efficitur maior; sed tantùm creaturæ censentur esse maiores.

Solutio. Resp. hoc argumento probari ex creaturis, & Deo non posse fieri maius aliquod bonum intensiuè, quod nos vltrò concedimus, & hæc videtur
D. August. esse mens D. Augustini eo in loco: nam ex mysterio incarnationis euidentissimè constat humanam Christi naturam, perfectiorem esse, ex eo quòd diuinum Verbum terminet eius dependentiam. Deinde, certum est Deum nunquam adhærere creaturæ informando creaturam per seipsum proximè, & immediatè, bene tamen medio aliquo dono, quod producit Deus in creatura: extensiuè tamen ex Deo, & creaturis consurgit aliquid maius. Sunt enim hîc duo bona realiter inter se distincta.

Instant, nihil dari quod habeat rationem perfectionis in mundo, & creaturis, quod non sit in Deo, ac proinde non posse consurgere maius bonum. Resp. hoc esse verum intensiuè, non autem extensiuè.

Obiectio 2. Objciunt 2. Pater, & Filius non sunt maius bonum, quàm sit solus Pater, ex cap. 7. lib. 6. de Trinit. D. Augustini: ergo illud idem erit dicendum de Deo, & mundo simul sumptis.

Solutio. Resp. negando consequentiam: est enim maximum discrimen inter patrem, & filium, comparatos cum essentia diuina, & inter mundum, & Deum comparatos inter se & simul sumptos: Nam pater, & filius licèt inter se distinguantur realiter; identificantur tamen perfectissimè cum essentia diuina: ità vt nulla planè detur distinctio realis, aut formalis inter patrem, & filium comparatos cum ipsa: imò bonitas omnis, quæ datur in patre, & filio ab essentia diuina est omnino repetenda. Deus autem, & mundus sunt duo entia realiter distincta, ac proinde vendicat sibi distinctas bonitates realiter. Poterit ergo ex istis duabus entitatibus maius aliquod consurgere extensiuè: etiam ex opinione authorum contrariæ sententiæ: fatentur enim de Deo, & mundo concedendum esse quòd sint plura bona.

Addo controuersiam istam potius esse de nomine, quàm de re. nam maius & minus censentur esse proprietates quantitatis finitæ, ex communi doctrina physicorum: nihil autem vetat quominus nomina hæc, maius & minus dici possint de rebus ipsis infinitis, saltem extensiuè: nam si darentur infiniti binarij, infinitum hoc esset minus saltem extensiuè infinito centenarij, plures enim continentur vnitates in infinito centenario, quàm in binario.

Obiect. vlt. Objciunt denique, mundum comparatum cum Deo, minorem esse puncto comparato cum linea: punctum autem nequit extendere vlla ratione lineam: ergo.

Responsio. Respond. concessa maiori, & minori, negando consequutionem; est enim maximum discrimen, inter punctum, & mundum comparatum cum Deo. Nam propterea punctum nequit extendere lineam, quòd hoc sit simpliciter impartibile, & indiuisibile: linea autem non aliter extenditur, quàm per partes diuisibiles secundùm longitudinem, mundus verò res in se verè bona est, & quidem distincta realiter à Deo, ac proinde ex Deo, & mundo consurget saltem extensiuè maius aliquod bonum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Deus sit bonus per suam essentiam.

Sent. 1. DOCET D. Thomas solum Deum esse bonum per suam essentiam, de qua re conuenit inter omnes Theologos scholasticos; non tamen res hæc, vna & eadem ratione explicatur.

Sunt qui existiment, propterea solum Deum esse bonum per suam essentiam, quòd solus Deus habeat essentiam suam à seipso, res autem omnes aliæ, à Deo Opt. Max. Cetertùm istorum ratio *Refellitur.* loquendi defendi nullo modo potest: Nam de fide est, filium accipere suam essentiam à patre, & item Spiritum sanctum à patre, & filio simul: at filius, & Spiritus sanctus sunt boni per suam essentiam, cum sint verè Deus.

Sentent. 2. Alij verò putant, ideò Deum solum censeri bonum per suam essentiam, quia solus Deus est ens per se: cetera verò per participationem.

Non placet. At neque isti videntur difficultatem vlla ratione sustulisse: nam non explicant quid sibi velit Deum esse ens per se. Deinde, esse ens per se, ex communi sententia Patrum, & Theologorum, nihil aliud significat, quàm habere essentiam à seipso, non autem ab aliquo alio: at ex hoc capite, non potest dici de Deo, quòd sit per suam essentiam solus bonus, vt constat ex filio, & Spiritu sancto. Denique, habere essentiam à se, & à nullo alio impertinens est ad bonitatem alicuius rei, hæc enim respiciunt potius causam productiuam alicuius rei, quàm naturam & essentiam, aut bonitatem eiusdem.

Sentent. 3. Alij verò arbitrantur propterea Deum esse solum bonum per essentiam, quòd hic habeat essentiam à qua petitur eius bonitas: Ceteræ verò res creatæ sumunt suam bonitatem ab existentia, subsistentia, & alijs, quæ dicuntur de huiusmodi rebus creatis. Verùm neque isti videntur vlla ratione difficultati satisfacere, quia diximus perfectum, & bonum reciprocari, ex doctrina Aristotelis, essentia autem cuiuslibet rei creatæ, est perfecta. *Improbatur*

Deinde, licèt fateremur res creatas consequi suam bonitatem dependenter ab existentia, sub-

Digitized by Google

ſiſtentia, & alijs; non tamen propterea ſequeretur res creatas nō eſſe bonas per ſuam eſſentiam: diximus enim tres dari bonitates, eſſentialē videlicet, modalem, & accidentalem, quod venit explicandum de omni planè ſubſtantia creata.

Tertiò. Authores huius ſententiæ plerique concedunt res creatas eſſe ſecundùm ſuam eſſentiā bonas, ſaltē radicaliter. Ità Caiet. & aliqui alij.

Sententia authorum.

RESPONDEO ERGO, *Propterea ſolum Deum eſſe bonum per ſuam eſſentiam, quod bonitas diuina ſit ſimpliciter infima, & ſimpliciter neceſſaria. Bonitas verò cuiuſlibet rei creatæ cenſetur eſſe quodammodo contingens*; quemadmodum enim res iſtæ liberè fuerunt creatę à Deo: ità quoque ab eodem libertimè conſeruantur; ac proinde in eius poteſtate eſt eaſdem deſtruere, licèt dentur multæ res creatæ, quæ carent principio intrinſeco, vergente in interitum, vt conſtat ex anima rationali, Angelis, & cœlis.

Fundamentum.

Deinde, bonitas diuina eodem modo competit Deo, quo eſſentia, & exiſtentia eiuſdem; docebimus enim attributa abſoluta eſſentiæ diuinæ, non diſtingui inter ſe, nec realiter, nec formaliter; ſed tantùm ſecundum noſtrum modum concipiendi. At certum eſt eſſentiam diuinam, & exiſtentiam eiuſdem eſſe infinitam ſimpliciter, & neceſſariam ſimiliter; ità vt repugnet, eſſentiam diuinam non eſſe: ergo & bonitas quoque diuina erit ſimpliciter infinita & neceſſaria: ergo ex eo quòd hæc bonitas ſit ſimpliciter neceſſaria, dicetur Deus ſolus per ſuam eſſentiam bonus. Confirmatur. Propterea entia quælibet creata cenſentur eſſe contingentia; quia non ſunt ſimpliciter neceſſaria: ergo & illud idem dicendum eſt de bonitate rerum creatarum.

Corollariū nullam malitiam aduerſari bonitati Dei.

Ex iſtis colligo nullam malitiam aduerſari diuinæ bonitati. Docet enim Ariſtoteles cap. de oppoſitis, contraria ſe mutuo perimere. Certum autem eſt exiſtentiam diuinam à nullo planè poſſe perimi, cùm ſit ens ſimpliciter neceſſarium, ſecus tamen dicendum eſt de omni bonitate creata; hæc enim à Deo in nihilum redigi poſſet, ſubſtrahendo tantùm ab eadem conſeruationem ſuam. Deinde, dantur aliqua compoſita ex contrarijs, ac proinde ſeipſa tandem deſtruunt, vt conſtat ex omnibus mixtis.

ARTICVLO VLTIMO, docet res creatas eſſe intrinſecè bonas, per propriam bonitatem, quam habent; extrinſecè verò propter bonitatem diuinam cum ab ea ortum habeant.

QVÆSTIO SEPTIMA,

De infinitate Dei.

ARTICVLO 1. docet Deum eſſe infinitum per ſuam eſſentiam.

ARTICVLO 2. ſolum Deum eſſe infinitum per ſuam eſſentiam ſimpliciter; creata verò ſecundùm quid tantùm.

ARTICVLO 3. non poſſe Deum producere infinitam magnitudinem.

ARTICVLO VLTIMO, non poſſe producere Deum infinitam multitudinem.

Doctrina iſtorum duorum Articulorum negatur à Nominalibus, & à pleriſque alijs Theologis Scholaſticis, maximè verò à Vazq. diſputat. 25. & ab alijs nonnullis recentioribus. Cetèrum, quia res iſtæ accuratiſſimè pertractantur in phyſicis, prætermittuntur à nobis hoc loco, eritque in poteſtate cuiuſlibet, vel ſancti Thomæ; vel Nominalium ſententiam defendere, iuxta principia ſibi in philoſophia tradita.

DVBITATIO PRIMA.

An Deus ſit infinitus ſecundum ſuam eſſentiam.

RESPONDEO, *de fide eſſe, Deum eſſe infinitum ſecundùm ſuam eſſentiam*; dicitur enim Pſal. 144. *Et magnitudinis eius non eſt finis.* Pſal. 138. *Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades.* & alibi dicitur, quod ſit excelſior cœlo & profundior abyſſo; & Baruch 3. *Magnus eſt Dominus & non habet finem.* Idem docent Patres, Clemens Alexand. lib. 5. Stromatum. *Neque verò eum totum dixerit quiſpiam, cùm ſit infinitus, in magnitudine enim totum ponitur, & eſt Pater vniuerſorum. Sed neque dicendum eſt eſſe aliquas eius partes: in vnum namque non cadit diuiſio; & eſt etiam infinitus, non quòd mente cogitetur, vt peruadi non poſſit, ſed quatenus nullam diſtantiam ſuſcipit, ac dimenſionem, & finem non habet, & ideò eſt figuræ expers, & quod nominari non poteſt.* Dionyſius de diuinis nominibus, cap. 4. Irenæus 2. de hæreſibus, cap. 2. D. Auguſt. aut, vt alij volunt Fulgentius, cap. 12. de fide ad Petrum. Athanaſ. in Symbolo, *Immenſus Pater, immenſus Filius*, &c. & refertur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinit. & fide Catholica, & D. Thom. art. 1. huius quæſt. poſt Magiſtr. diſt. 43. lib. 1.

Pſal. 144. verſ. 3. Pſal. 138. verſ. 8. *Deus eſt infinitus.* Baruch. 3. verſ. 25. Clemens Alex. Dionyſ. Irenæus. D. Auguſt. Athanaſ. D. Thom.

DVBITATIO SECVNDA.

An infinitas diuina, ratione naturali probari poſſit.

CONCLVSIO. *Pars affirmans eſt de fide*: dicitur enim Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius diuinitas.* Deinde, quæſt. 2. huius partis docuimus exiſtentiam diuinitatis à poſteriori demonſtrari poſſe, & item multa alia attributa diuinitatis à priori poſſe comprobari. Non conuenit tamen inter Theologos ſcholaſticos, quæ ſit illa ratio naturalis, per quam probatur infinitas diuinæ eſſentiæ.

De fide eſt infinitatem, ratione naturali poſſe demonſtrari. Rom. 1. verſ. 20.

Sunt igitur, qui ità Concluſionem noſtram demonſtrent: vbicumque datur potentia creandi, illic etiam datur infinitas eſſentiæ, deſideratur enim infinita vis ad creandum; ex doctrina ſancti Tho. q. 44. huius part. At de fide eſt in Deo dari potentiam creandi: dicitur enim Ioann. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* & apud Eccleſiaſt. *Qui vivit in æternum, creauit omnia ſimul.*

Probatio 1. Ioa. 1. v. 1. Eccleſ. 18. verſ. 1.

Ratio tamen iſta cauillari facillimo negotio poteſt. Scotus enim negaret propoſitionem maiorem, cùm credat vim infinitam non eſſe neceſſariam ad creandum. Deinde, ex eo quòd admittatur potentia creandi infinita in Deo, non licet ſtatim neceſſariò colligere Deum eſſe infinitum per ſuam eſſentiam: Nam res aliqua infinita in ſubiecto finito locari poteſt, modò roboretur per omnipotentiam Dei capacitas finita ſubiecti recipientis qualitatem aliquam infinitam, vt conſtat ex opinione eorum, qui volunt gratiam habi-

Infirmatur.

Digitized by Google

tualē collatā humanitati Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis, eſſe verè infinitam. Item, certum eſt humanitatem Chriſti terminari in ratione ſubſiſtentiæ completæ, per perſonam filij, quæ verè infinita eſt; neque tamen propterea dicimus naturam humanam Chriſti habere eſſentiam infinitam: ergo.

Aliorum probatio. Alij verò probant Concluſionem noſtram, ex eo quòd omne ens per ſe ſubſiſtens, & in nullo receptum debet eſſe per eſſentiam infinitum; Deus autem eſt ens per ſe ſubſiſtens, & in nullo planè recipitur: ergo.

Improbatur Verùm neque ratio hæc eſt ſatis explicata: Non enim aperit quid ſibi velit ens per ſe ſubſiſtens, & in nullo alio receptum. Deinde, vltima Sphæra cenſetur eſſe ens per ſe ſubſiſtens, & in nullo planè recipitur, ſaltem ratione ſuperficiei extimæ, & tamen certum eſt de hac Sphæra quòd non ſit infinita ſecundùm eſſentiam. Denique, indubitatum eſt poſſe Deum in ſpatijs imaginarijs, quæ ſunt extra cœlos de nouo res aliquas producere: & tamen res iſtæ non propterea eſſent infinitæ ſecundum ſuam eſſentiam.

Probat. 3. Sunt etiam qui propterea velint Deum eſſe infinitum ſecundum ſuam eſſentiam, quòd data quacumque re creata poſſit Deus producere perfectiorem in infinitum. *Inefficax.* Poſſet tamen aliquis huic rationi reſpondere; probare tantùm, in Deo dari potentiam infinitam, non autem eſſentiam; diximus autem potentiam infinitam locari poſſe in ſubiecto finito ex multorum ſententia.

4. item nihil probat. Alij 4 probant, in Deo ſunt omnes perfectiones rerum creatarum: ergo Deus erit per eſſentiam infinitus. Ceterùm reſponderet aliquis negando conſequutionem; perfectiones enim rerum creatarum ſunt finitæ: infinitum verò nuſquam conſurgere poteſt ex finitis, vt eſt per ſe notum, ex illo, quælibet pars infiniti debet eſſe infinita.

Nec 5. Quintò probant alij: quod ſatiat cumulatiſſimè appetitum cuiuſlibet creaturæ rationalis, debet eſſe per ſuam eſſentiam ſimpliciter infinitum; eſt enim appetitus cuiuſlibet creaturæ rationalis infinitus, ex doctrina Ariſtotelis reſpectu capacitatis intelligendi: certum autem eſt Deum clarè viſum explere appetitum cuiuſlibet creaturæ rationalis. *Pſal. 16.*

Reſpondent tamen aliqui, rationem iſtam non demonſtrare Concluſionem noſtram: contendunt enim capacitatē intellectus creaturæ rationalis, eſſe tantùm infinitam poteſtate, non autem formaliter, & actu; ac proinde poſſe expleri interueniente obiecto aliquo infinito poteſtate: diſputamus autem hoc loco, non de infinito poteſtate, ſed de infinito actu, & quidem ſecundùm ſuam eſſentiam.

Duplex ratio authoris. Alij verò ità probant: Nomine Dei ſignificatur id quo nihil maius aut melius dici, cogitariúe poteſt: ergo Deus eſt infinitus ſecundùm ſuam eſſentiam, alioquin concedendum eſſet poſſe dari aliquid Deo maius aut melius: nempe illud quod ex hypotheſi eſſet ſecundùm ſuam eſſentiam infinitum.

1.

2. Denique adducitur, & iſta ratio ab alijs: illud eſt ſecundùm ſuam eſſentiam infinitum, quod ſecundùm eamdem eſt immenſum, & ſimpliciter neceſſarium: attributa quippe diuina, aut etiam entis ſimpliciter neceſſarij nulla ratione diſtinguuntur inter ſe, ſaltem ſi ſermo ſit de attributis abſolutis: At Deus eſt ſimpliciter immenſus & ſimpliciter neceſſarius ſecundùm ſuam eſſentiam: ergo erit etiam ſecundùm eamdem infinitus.

DVBITATIO TERTIA.

Quæ ſit ratio, cur Deus ſolus ſit infinitus per ſuam eſſentiam.

VARIANT in hac re explicanda Scholaſtici: Alij enim docent propterea Deum ſolum per ſuam eſſentiam dici infinitum, quòd habeat in ſe infinitas perfectiones eſſentiales. *Sententia 1.*

Verùm iſta ratio ſuſtineri nullo modo poteſt: Sunt enim qui velint vnam tantùm dari in Deo perfectionem abſolutam, quæ concipitur à nobis propter imbecillitatem intellectus noſtri quaſi varia & multiplex. Deinde, eſt quàm maximè probabile non dari in Deo plura attributa, quàm explicet in hac parte ſanctus Thom. Tertiò, linea ſi ſecundùm longitudinem eſſet infinita, verè eſſet infinita licèt careat omni alia perfectione.

Alij verò docent propterea Deum eſſe infinitum per ſuam eſſentiam, quòd mens noſtra infinita adſcribat Deo. *Sentent. 2.*

Ceterùm, minus iſti videntur defendendi quàm proximè confutati authores: Nam ſi ità res haberet, ſequeretur Deum eſſe tantùm infinitum extrinſecè: cùm tamen fateantur Patres, Deum eſſe intrinſecè infinitum. Deinde, vel Deus eſſet actu, vel poteſtate infinitus, ex eo quod mens noſtra tribueret Deo infinitas perfectiones? 2. dici non poteſt, quia non magis infinitus eſſet Deus, quàm continuum aliquod; neque item primum, quia fieri non poteſt vt aliquid ſit actu infinitum, niſi de facto à parte rei infinitas conueniat huiuſmodi rei: quod tamen non docent authores iſti. *Inefficax.*

Gabriel verò Vazq. & alij nonnulli propterea volunt Deum eſſe infinitum per eſſentiam, quod careat cauſa efficiente, & productiua, per quam definiatur ad certam aliquam perfectionem limitatam.

Verùm neque iſti ſunt audiendi: Nam ex doctrina Patrum, maximè verò ſancti Thomæ in hac parte, & Theodoreti ſerm. 2. de prouidentia, attributa improductionis, & increationis diſtinguuntur in Deo, ab attributo infinitatis; ait enim quod Deus ſit improductus, & increatus, & præterea immenſus itémque infinitus. Deinde, habere cauſam efficientem vel productiuam, vel non habere, nihil planè conducit ad infinitatem alicuius rei vel finitatem: ſunt enim hæc extrinſeca cuilibet rei. *3. Infirma eſt.*

Tandem, docent aliqui propterea Deum eſſe infinitum ſecundum eſſentiam quòd careat genere, & differentia: itémque principio, & fine durationis. *Sentent. 4.*

Reijcitur tamen hæc opinio communiter ab alijs: ex doctrina quippe Nominalium, non minus genus, & differentia dicuntur de Deo quàm propoſitio, aut attributum, ſeu ſubiectum. Denique, ex eo quòd aliquid careat principio, vel fine durationis, ſequitur tantum, quod res iſta ſit æterna, æternum enim dicitur illud, quod nuſquam incæpit, neque eſſe deſinit. *Reijcitur.*

Illi ergo ſoli videntur difficultatem iſtam euacuâſſe qui voluerunt propterea ſolum Deum eſſe infinitum per eſſentiam, quòd ſolus Deus careat omni planè termino reſpectu cuiuſlibet perfectionis ſibi eſſentialiter debita. Probatur primò, quòd infinitum definiatur, *Illud quod caret* *Sententia authoris.* *Probationes 1.*

omnis

omni termino: perfectiones autem diuinæ ſunt omnino illimitatę.

Corollariũ. Secundò, tota ratio cur doceamus de rebus iſtis creatis, quòd ſint finitæ, hæc redditur ab omnibus, quia earum perfectiones ſunt contractæ, & definitè ad certam aliquam ſpeciem, & ad certum aliquod genus categoricum: ergo propterea Deus erit infinitus per ſuam eſſentiam, quòd perfectio quælibet eſſentiæ diuinæ careat omni planè termino.

Ex iſtis colligo, infinitatem eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem in Deo; licèt enim infinitas ex vi ſuæ ſignificationis negationem termini ſignificet; connotat tamen ſummam perfectionem intrà diuinam eſſentiam, illa eadem ratione, qua diximus ſimplicitatem dicere negationem compoſitionis, ſupponere tamen in Deo ſummam perfectionem à parte rei: ità & illud idem dicendum eſt de infinitate. Deinde, quodlibet attributum eſſentiale diuinum, dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem in Deo ex communi doctrina. At infinitas computatur inter attributa diuina.

QVÆSTIO OCTAVA.

De exiſtentia Dei in rebus.

Summariũ articulorũ.

RTICVLO 1. docet Deum eſſe in omnibus rebus.

ARTICVLO 2. Deum eſſe vbique, quo loco diſputant multi, an Deus ſit in ſpatijs imaginarijs quæ ſunt extra cœlum: de qua re, alij affirmant, vt Suarez, & Molina diſp. 1. ad hunc locum, & Peſant. diſput. vnica: alij verò contra negant, vt Vazq. diſp. 29. cap. 2. 3. 4. & 5.

ARTICVLO 4. docet Deum eſſe vbique per eſſentiam, quòd hæc intimè rebus quibuſuis cõiungatur propter ſuam immenſitatem per præſentiam, quòd nulla planè res ſit quæ effugiat, aut effugere poſſit cognitionem diuinam: & præterea quòd præſentia ità coniuncta ſit cum eſſentia diuina, vt impoſſibile ſit eſſentiam diuinam eſſe in re aliqua, cui non ſit hæc eadem præſens.

Denique, per potentiam, quoniam Deus poteſt omnia, & ſingula prout vult, vel conſeruare, vel deſtruere.

ARTICVLO VLTIMO, docet eſſe proprium Dei, eſſe vbique repletiuè.

DVBITATIO PRIMA.

An Deus ſit in omnibus rebus.

Deus vbique eſt. Hiere. 23. verſ. 24. 3 Reg. v. 8. 2. Paral. 6. verſ. 18. Iob. 11. verſ. 8. Sap. 1. v. 7. Pſal. 138. verſ. 8. Actor. 17. verſ. 28.

FIDES prohibet, ne quis affirmet extare rem aliquam, vel locum verum & realem in quo non ſit Deus. Dicitur enim Hieremiæ 23. *Ego cœlum & terram impleo.* 3. Reg 8. & 2. Paralip. 6. *Si cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto minus domus hæc quam ædificaui tibi?* Iob 11. *Excelſior cœlo eſt, & profundior inferno* Loquitur autem manifeſtè de Deo. Sap. 1. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum*, Pſal. 138. *Si aſcendero in cœlum tu illic es*, &c. Actorum 17. *Deus non eſt longè ab vnoquoque noſtrùm.* Idem docent ſancti Patres, A Nazianz. oratio. 2. de Theolog. Aug. 7. de Ciuitate, cap. 30. *Deus vbique totus, nullo incluſus loco, nullis vinculis alligatus, in nullas partes ſectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum & terram, præſente potentia, non abſente natura*: Damaſcen. lib. 1. de fide cap. 8. Baſilius, homil. ad cap. 1. Euangelij Ioan. Chryſoſtom. ad cap. 2. ad Coloſſ. & alij innumeri. Nazianz. D. Auguſt. Damaſcen. Baſilius. Chryſoſt.

Denique omne infinitum ſimpliciter, & immenſum eſt in omnibus planè rebus, & locis: Nam quò Angelus aliquis eſt perfectior, eò quoque maiorem ſibi vendicat locum, propter potentiam diffundendi ſeipſum maiorem, quam habet, ex communi doctrina philoſophorum: at Deus eſt ſimpliciter infinitus, & immenſus ex dictis: ergo. Ità D. Thomas & Interpretes eiuſdem omnes ad art. 1. huius quæſt. & Sentent. ad diſt. 37. lib. 1.

Error Eugubini & Ariſtotel. Hæc Theſis eſt contra Auguſtinũ Eugubinum in Pſal. 138. & contra Ariſtotel. lib. de mundo ad Alexandrum, & lib. 1. de cœlo: ait enim illic Deum vertari tantùm in cœlis. Probat Eugubinus ex illo Dauidis Pſal. 117. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.*

Reſpond. locum hunc minimè fauere opinioni Eugubini: Nam vult pſalter regius ibi cœlum pertinere ſpeciali aliqua ratione ad Deum; putà quòd in cœlo, maximè empyreo viſionem ſuæ eſſentiæ manifeſtet beatis, vt communiter explicant ſancti Patres: nón autem quòd Deus tantum agat in cœlis.

2. Fundamentum diſſoluitur. Obijcit 2. Deum eſſe impartibilem, & indiuiſibilem, ac proinde repugnare, vt ſit in rebus ità ſeparatis ab inuicem, & tam longè à ſe diſiunctis. Reſp. antecedens eſſe verum de inuiſibili mathematico, cuius generis eſt punctum, non autem de indiuiſibili ſubſtantiali, maximè ſi indiuiſibile hoc ſubſtantiale ſit ſimpliciter infinitum, & immenſum: Certum autem eſt Deum eſſe infinitum, & ſimpliciter immenſum, & quidem in ratione cuiuſlibet entis veri & realis. Lege de hac re Hilarium 8. de Trinitat. paulò ante medium, Gregor. homil. 3. in Ezechiel. Anſelmum, & Interpretes ſancti Thomæ hoc loco. Hilar. Gregor. Anſel.

DVBITATIO SECVNDA.

An ratio exiſtendi Dei in omnibus rebus, ſit operatio diuina; An verò aliquid aliud.

Opinio Thomiſtarum. THOMISTÆ in ea ſunt opinione, vt putent operationem Dei in omnibus rebus eſſe rationẽ exiſtendi Dei in illis. Probãt, quia in Actis cap. 17. dicitur Deum non eſſe longè ab vnoquoque noſtrùm. Subiungit autem rationem iſtam Lucas ibidem. *In ipſo enim* (ſcilicet Deo) *viuimus, mouemur, & ſumus* & Pſal. 138. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Idem videntur affirmare Patres, Anſelmus, Theophylact. Antiochenus lib. ad Anthoninum. D. Auguſtinus lib. 1. de Trinitat. & lib. 1. Confeſſionum, & Damaſcenus lib. 1. de fide, cap. 16.

Denique, fieri non poteſt vt aliquid operetur vbi non eſt: ergo operatio erit ratio cur aliquid ſit in alio.

Rejicitur. Ceterùm opinio contraria videtur verior. Primùm, quia poſterius nequit eſſe cauſa prioris: operari autem, eſt poſterius eſſe, ſi non tempore, ſaltem naturâ. Deinde, ſi quæ eſſet ratio, propter

quam diceremus operationem Dei esse rationem existendi in omnibus rebus, hæc maximè esset, quæ redditur ab authoribus contrariæ sententiæ, nempe fieri non posse, vt aliquid operetur vbi non est; at hæc ratio vel est manifestè falsa, vel ad minus quàm maximè dubia: Nam dicemus in tract. de incarnatione, humanitatem Christi existentem in dextera Patris, esse causam effectiuam cuiuslibet operis gratuiti, quod producitur in nobis, & quidem in ratione causæ efficientis physicæ: humanitas autem ista non coniungitur immediatione suppositi, saltem cuilibet nostrûm. Idem dicimus de Sacramentis respectu gratiæ, quæ datur nobis dependenter ab illis. Deinde, Deus verè produxit mundum, & tamen non erat in eo antequàm illum produceret. Tertiò, voluntas Dei est efficacissima; dicitur enim quod nullus possit voluntati diuinæ resistere, in sacris litteris frequentissimè. Quartò, Sol agit in viscera terræ, & tamen non est illic immediatione suppositi, sed virtutis tantùm. Denique, tota ratio, cur agentia sensibilia postulent contactum patientis & agentis, hæc redditur ab omnibus; quòd sint hæc nimis imperfecta: Deus autem est perfectissimus. Ità sentiunt omnes illi qui putant Angelos non esse in loco per operationem transeuntem.

Immensitas est ratio Dei existẽdi in rebus. 1.

Conclvsio. *Ratio existendi Dei in omnibus rebus & locis est immensitas eiusdem.* Primùm, quia propterea Deus est in omnibus rebus, & locis, aut quia est æternus, aut infinitus, aut quia operatur in istis omnibus, aut denique, quia est immensus. Primum dici non potest, ideò enim Deus dicitur æternus, quòd careat principio, & fine durationis: Neque item secundum; tota siquidem ratio cur Deus sit infinitus hæc assignata fuit à nobis, quòd careat termino, respectu cuiuslibet perfectionis, quæ in eo datur. Neque 3. quia diximus fieri posse, vt aliquid operetur vbi non est, saltem immediatio ne suppositi.

Deinde, operatio est tantummodo ratio àposteriori, per quam probatur aliquid esse vbi operatur; nos autem quærimus causam à priori, per quam Deus est in omnibus rebus & locis: superest ergo vt dicatur propterea esse in omnibus rebus & locis, & quidem intimè, propter suam immensitatem. Deinde, quò magis corpus aliquod est extensum, eò quoque maius spatium sibi vendicat.

Quid nomine immensitatis significetur.

Aduerte, nomine immensitatis diuinæ significari virtualem quamdam quantitatem infinitam, cui repugnat dari aliquam rem, vel locum verum & realem, in quo non sit hæc immensitas, vt rectè admonet Vazq. & Gillius; ac proinde ex hac immensitate sequitur Deum esse præsentissimum rebus omnibus, & quidem quàm maximè intimè; ità vt nulla planè detur pars, etiam minima, in qualibet re in qua non sit Deus, idque etiam intimè præsens; ac proinde ex sola immensitate diuina, non consurgit præsentia Dei in rebus omnibus, vt rectè obseruarunt Albertus in 2. dist. 8. & nonnulli alij recentiores cum eo: sed præter immensitatem diuinam desideratur ad istam præsentiam immaterialitas, & summa subtilitas diuinæ essentiæ, vt patet in Angelis: non enim vnus dicitur esse in alio Angelo, licèt isti sint ex hypothesi in vno, & eodem planè puncto indiuisibili extrinseco. Namvnus Angelus non penetrat intrinsecè naturam, & essentiam alterius Angeli. Deus autem penetrat quàm maximè intimè naturam cuiuslibet rei spiritualis, aut etiam corporeæ: propter hanc eamdem causam docent communiter Sententiarij Deum solum illabi rebus quibuscuis, ità vt nulli dentur recessus in vlla planè creatura in quibus tota diuina essentia non reperiatur: hæc est expressa sententia Alberti in 1. dist. 37. art. 5. quod confirmat ex Anastasio Sinaïta lib. 2. de rectis fidei Catholicæ documentis, & ex Greg. lib. 2. Moral. cap. 8. atque ex authoritate lib. de speculo, apud D. Augustinum, cap. 32.

Ad rationes verò contrarias, respond. ex istis omnibus solùm posse colligi ex operatione diuina in rebus omnibus, à posteriori, quòd Deus sit in omnibus locis, & rebus, quod nos vltrò fatemur: Non autem operationem diuinam esse causam à priori, per quam Deus est in omnibus locis, & rebus; de qua tamen re disputatur à nobis: contendimus ergo operationem diuinam non esse rationem existendi in omnibus rebus à priori; nam si per impossibile daremus Deum non operari in hoc vniuerso, non propterea sequeretur Deum non esse in hoc mundo: fatentur enim multi Deum verè esse in spatijs imaginarijs, quæ sunt extra cœlos, & tamen certum est Deum nihil illic operari. Deinde, sunt multi qui docet Angelum esse in loco, etiamsi ex hypothesi nihil operetur in eo, idque per præsentiam suæ essentiæ. *Satisfit rationibus Thomist.*

DVBITATIO VLTIMA.

An esse in omnibus rebus actu dicat in Deo perfectionem simpliciter simplicem; An verò posse esse in eisdem tantùm.

Svnt qui putent actualem existentiam Dei in rebus omnibus, dicere perfectionem simpliciter simplicem in Deo, idque quòd autument omne diuinum attributum, quod nec est operatio, neque principium operationis, esse perfectionem simpliciter simplicem in Deo. Huius autem generis est diuinam essentiam esse in omnibus rebus. Deinde, quia aliter concedendum esset creaturam aliquam de facto posse reperiri virtute diuina in omnibus planè locis, & rebus: quod tamen non videtur admittendum. *Opinio aliquorum.*

Conclvsio. *Esse actu in omnibus rebus, non est perfectio simpliciter simplex respectu Dei; sed actu in re tantùm posse esse in omnibus locis & rebus.* Prima pars Conclusionis probatur: Posse creare, producere, aut aliquid operari, licèt dicat perfectionem simpliciter simplicem in Deo, ex communi doctrina, in tractatu de creatione; non tamen creare actu, aut operari. *Posse esse perfectionẽ. Probationes* 1.

Deinde, si esse actu in omnibus rebus, & locis: diceret perfectionem similiter simplicem respectu Dei, sequeretur aliquam perfectionem aduenire Deo de nouo, & item pati Deum dispendium alicuius perfectionis. Nam conuenit inter omnes Deum incipere esse in rebus, quæ de nouo producuntur, quemadmodum & desinit esse in eisdem, quando corrumpuntur. 2.

Tertiò, non propterea dicimus diuinum Verbum perfectius esse, quia humanam naturam assumpsit de nouo. 3.

Secunda verò pars Conclusionis probatur: Immensitas diuina dicit perfectionem simpliciter simplicem, existentem intrà Deum: habet enim hæc rationem attributi essentialis affirmatiui respectu diuinæ essentiæ, ex communi doctrina sancti Thomæ hoc loco: at attributa absoluta positiua

Digitized by Google

tiua diuina habent rationem perfectionis ſimpliciter ſimplicis: ergo.

Argumenta ſoluuntur. Ad rationes autem contrarias reſpondeo. Ad 1. maiorem eſſe falſam, neque enim ſatis eſt, ad hoc vt aliquod attributum eſſentiale diuinum ſignificet perfectionem ſimpliciter ſimplicem in Deo, quod huiuſmodi attributum nec ſit operatio, nec principium operationis: ſed præterea requiritur, vt ſupponat aliquam operationem, vel aliquid quod concipitur à nobis ad modum operationis: eſſe autem actu in omnibus locis, & rebus, licèt non ſit propriè operatio quædam diuina; concipitur tamen à nobis ad modum alicuius operationis, ac proinde non dicit res iſta perfectionem ſimpliciter ſimplicem in Deo: ſed tantùm poſſe eſſe in omnibus locis, & rebus.

2. Ad 2. poſſe Deum producere corpus ità extenſum vt repleat omnem verum, & realem locum; non enim poteſt dari repugnantia aliqua vel ex parte Dei, vel ex parte corporis producti, licèt autem produceretur huiuſmodi corpus à Deo, non tamen propterea eſſet hoc ſimpliciter immenſum: nam non poſſet hoc, ſaltem naturaliter loquendo penetrare quaſlibet partes loci. Deinde, immenſitas diuina non eſt poſita in eo, quòd Deus ſit actu in omibus rebus; ſed in poſſe eſſe in omnibus rebus, & in eo, quod repugnat dari rem aliquam, vel locum in quo non ſit Deus, vt admoner Vazq. conditiones autem iſtæ duæ nec conueniunt, nec conuenire poſſunt vlli planè rei creatæ quæcumque illa ſit.

Immenſitas ſpectatur, vel in actu 1. vel in actu 2. Vt autem quæ hactenus diximus de immenſitate diuina, faciliùs intelligantur. Aduerte, immenſitatem iſtam ſpectari & in actu 1. & in actu 2. priori modo immenſitas nihil aliud eſt, quàm ipſamet diuina eſſentia, prout eſſe poteſt in omnibus, & ſingulis locis, & rebus: poſteriori vero modo immenſitas eſt hæc eadem diuina eſſentia, prout de facto eſt in omnibus locis, & rebus; ac proinde diſtinguitur ab vbiquitate, & præſentialitate diuina: hæc namque præſentialitas cenſetur eſſe veluti reſpectus aliquis, qui aduenit diuinæ eſſentiæ, ex eo quòd diuina eſſentia ſit intimè coniuncta rebus quibuſuis, ità vt ſit indiſtans ab omni planè loco, & à qualibet re, quantumuis minima: vbiquitas verò eſt diuina eſſentia prout de facto eſt in omnibus locis, & rebus.

Diſcrepantia inter immenſitatem, præſentialitatẽ & vbiquitatẽ.

QVÆSTIO NONA.

De immutabilitate Diuina.

ARTICVLVS 1. docet Deum eſſe immutabilem.

ARTICVLVS 2. tradit ſolum Deum eſſe immutabilem; cetera verò omnia mutabilia, vel reſpectu potentiæ, quæ ineſt intrinſecè rebus à Deo productis; vel reſpectu potentiæ alienæ: igitur circa hanc quæſtionem

Deus eſt immutabilis. CONCLVSIO EST. *Deum eſſe ſimpliciter immutabilem.* dicitur enim Numer. 23. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur: aut vt filius*

A *hominis vt mutetur.* Malach. 3. *Ego Dominus & non mutor.* Iacob. 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicißitudinis obumbratio.* Pſal. 101. *Tu autem in æternum permanes.*

Deinde, ſubſcribunt Patres D. Auguſt. lib. 1. de Trinitate cap. 1. ità enim explicat verba Pauli cap. 6. prioris ad Timoth. *Qui ſolus immortalitatem tenet*, id eſt, immutabilitatem: loquitur autem Paulus manifeſtè de Deo, & tract. 99. in Ioann. *Quamuis*, inquit, *natura illa immutabilis non recipiat Fuit, & Erit, ſed tantum Eſt; ipſa enim veraciter eſt, quia mutari non poteſt:* & Richardus à ſancto Victore, Chryſoſt. & alij nonnulli ad locum proximè

B citatum Pauli.

Malach. 3. verſ. 6. Iacob. 1. verſ. 17. Pſal. 101. verſ. 27. Auguſt. Chryſoſt.

Tertiò, fauet iſtis recta ratio: quòd enim æternum eſt per ſuam eſſentiam, debet eſſe neceſſariò immutabile; æternitas quippe per eſſentiam ſoli Deo competere poteſt, de quo concedendum eſt, quod ſit ens ſimpliciter neceſſarium: at Deus eſt æternus, vt probabitur quæſtione proximè ſequenti ſancti Thom.

Probatur ratione.

Deinde, quod reſpuit omnem potentialitatem debet eſſe neceſſariò immutabile, non enim fieri poteſt, vt aliquid ſit expers potentialitatis ſimpliciter, & abſolutè, niſi fuerit ens ſimpliciter neceſſarium, quod proinde nullo modo poteſt non eſſe. At fatentur omnes de Deo

C quòd ſit expers omnis potentialitatis.

2.

Denique, ex doctrina ſancti Thom. art. 2. huius quæſtionis, quod mutatur debet habere principium, vel intrinſecum, vel extrinſecum ſibi ſuæ mutationis; atqui Deus caret omni principio intrinſeco mutationis, nam eſſentia diuina eſt res ſimpliciſſima, & omnino ſpiritualis, caret etiam omni principio extrinſeco à quo poſſit corrumpi; eſt enim primum ens, & cauſa ceterorum omnium entium.

3.

Neque verò oppoſitum huius doctrinæ colligere licet ex eo quod dicitur cap. 3. Sap. *Omnium mobilium mobilior eſt ſapientia Dei:* nam locus hic venit explicandus, non de diuina ſapientia, quæ eſt idem realiter, & formaliter

D cum eſſentia diuina, ſed de effectibus, quos producit Deus per ſuam ſapientiam; iſti enim ſunt verè mutabiles, vt docet experientia in mixtis omnibus, & in rebus ſpiritualibus; gratia enim, fides, ſpes, charitas, & ſimilia corrumpuntur in nobis interueniente peccato infidelitatis, deſperationis, & peccato quolibet alio mortali: anima autem rationalis, & Angelus, licet de facto nuſquam intereant, diuina tamen virtute interire poſſunt.

Occurrit obiectioni.

Interdum effectus nomen cauſæ ſortitur.

Obijcies 1. Deum nunc amare Petrum, poſteà verò eumdem odio habere.

Obiectio.

Reſpond. hoc eſſe verißimum, neque tamen

E propterea concedendum de Deo, quod mutetur in ſe, tota quippe mutatio tenet ſe ex parte creaturæ, quæ modò amatur, & poſteà odio habetur: Deus enim ex omni æternitate voluit creaturam iſtam amare & item habere odio; reſpectu tamen illius temporis in quo erit in gratia vel in peccato mortali, ac proinde amatur à Deo reſpectu illius temporis in quo agit in gratia; eſt verò hæc eadem creatura ingrata Deo reſpectu illius temporis in quo agit in peccato mortali.

Solutio.

Obijcies 2. diuinum Verbum aſsumpſiſse humanam naturam, & in tempore fuiſſe incarnatum ex non incarnato.

Obiectio 2.

Conditiones veræ, & realis mutationis.

Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſequutionem: nam ad hoc vt aliquid mutetur verè, & de facto, deſideratur ſimpliciter, vt aliquid ei adueniat per modum informationis, quod anteà illi non inerat; aut certè quòd aliquid ab eo tollatur quod ſibi anteà vere inerat; iam verò diuino Verbo nihil acceſſit per modum informationis aſſumendo humanam naturam, ſed incæpit terminare dependentiam illius, quam anteà non terminabat: hoc autem factum eſt, ſinè vlla mutatione Verbi diuini, illa eadem ratione (ceteris tamen paribus) qua centrum alicuius circuli incipit de nouo terminare lineam aliquam à ſe eductam ad peripheriam ſine vlla ſui mutatione, per mutationem ſolius lineæ, quæ de nouo producitur.

QVÆSTIO DECIMA.

De Æternitate.

Summariũ articulorũ.

ARTICVLO 1. docet D. Thomas æternitatem rectè definiri, interminabilis vitæ totam ſimul, & perfectam poſſeſſionem.

ARTICVLO 2. Deum eſſe æternum.

ARTICVLO 3. ſolum Deum eſſe æternum.

ARTICVLO 4. æternitatem diſtingui ab æuo, & tempore.

ARTICVLO 5. æuum differre à tempore.

ARTICVLO VLTIMO, eò plura dari æua, quò plura ſunt æuiterna: vnum tamen æuum eſſe menſuram omnium æuiternorum.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Æternitas?

Definitio æternitati.

CONCLVSIO EST, *Æternitas eſt duratio interminabilis vitæ, tota ſimul & perfecta poſſeſſio*; ità Boëtius lib. 3. de Conſolatione, proſa 2. Anſelmus in proſologio cap. 14 & D. Thom. art. 1. huius quæſt. & communiter interpretes eiuſdem omnes ibidem. Duratio, habet locum generis, per particulam ſiquidem iſtam conuenit æternitas cum ceteris durationibus ea ratione, qua cum illis conuenire poteſt: dixi autem habere locum generis, quoniam æternitas definiri proprie nequit, cùm ſit idem realiter, & formaliter cum eſſentia diuina, ac proinde non minùs caret genere proprio, quàm Deus ipſe.

Explicantur partes definitionis.

Adieci, *Interminabilis*; vt æternitas ſeparetur ab illis durationibus, quæ habent principium, & finem; cuius generis eſt tempus, & ab illis, quæ habent principium, non tamen finem durandi, cuius generis eſt æuum. Dixi, *Vitæ*; ad hoc vt intelligamus æternitatem per eſſentiam, aut (vt alij loquuntur) independentem, nulli alteri quàm Deo viuenti competere poſſe; de Deo enim dicitur Ioann. 14. quod ſit via, veritas, & vita, per eſſentiam ſcilicet. *Tota ſimul*; vt excludatur ſucceſſio ab æternitate. Denique, *Perfecta poſſeſſio*, vt ſeparetur æternitas per eſſentiam ab æternitate participata, & ab æuo: duæ quippe iſtæ durationes, licèt ſecundùm ſe totæ ſimul habeantur, poſſunt tamen diuina virtute deſtrui, ac proinde non poſſidentur perfectiſſimè. Æternitas autem per eſſentiam nullo modo deſtrui poteſt; vnde dicit perfectiſſimam poſſeſſionem.

DVBITATIO SECVNDA.

An æternitas admittat, vel admittere poſſit ſucceſſionem aliquam.

Opinio aliquorum.

GABRIEL, & alij nonnulli in ea ſunt opinione, vt credant æternitatem admittere verè ſucceſſionem: nam quod habet prius, & poſterius, illud dicit aliquam ſucceſſionem: Æternitas autem habet prius & poſterius, cum de hac concedamus, quòd hodie ſit maior, quàm fuerit heri. Imò Prouerb. 8. dicitur de ſapientia increata. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* & rurſus. *Ante omnes colles, ego parturiebar.* Deinde, res omnes ſunt in æternitate, ex doctrina D. Thom. & multorum Patrum: ergo cum res iſtę aliquę ſint ſucceſſiuę; æternitas dicet verè ſucceſſionem aliquam. Eccleſ. 24. verſ. 14. Prouer. 8. verſ. 25.

Æternitas excludit prorſus ſucceſſionẽ.

CONCLVSIO. *Æternitas, nec ſucceſſionem habet, nec habere poteſt.* Primò, quia diximus dubio 1. huius quæſt. æternitatem eſſe totam ſimul, id eſt, excludere omnem omnino ſucceſſionem; & item eſſe perfectam poſſeſſionem, quòd nulla ratione poſſit hęc deperdi. Prętereà ſancti Patres docent in ęternis nihil eſſe prius, aut poſterius; *Nihil maius, aut minus*: ità Athanaſius in ſuo ſymbolo. Symb. Athanaſ.

Tertiò. Duratio cuiuſlibet rei eſt idem cum exiſtentia eiuſdẽ; exiſtẽtia namq; nihil aliud eſt, quàm eſſentia durans, & extra ſuas cauſas poſita, ex veriori opinione metaphyſica; at æternitas diuina eſt duratio diuinę eſſentię, omnium conſenſu.

Quartò, ęternitas per eſſentiam excludit omnem omnino potentialitatem. Denique, hęc eſt expreſſa Patrum ſententia, D. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 1. & tract. 99. in Ioann. ait enim iſtis in locis, de Deo non poſſe enunciari verbum *Fuit*, aut, *erit*, ſed ſolum, *eſt*: idem docet Richard. à ſancto Victore, & alij nonnulli ad cap. 6. 1. Timoth. ſubſcribunt communiter Thomiſtę, & alij Scholaſtici hoc loco. D. Auguſt.

Duplex acceptio ſucceſſionis.

Aduerte, ſucceſſionem poſſe ſpectari duobus modis, formaliter ſcilicet, & eminenter, vt obſeruat Caiet. ad art. 2. huius quęſt. & Peſantius Dub. 1. ad artic. 1. formalis extenſio, ſeu ſucceſſio cenſetur eſſe poſita in eo, quod eſt habere partes extra partes; virtualis verò cenſetur ea, quę datur in re ęterna, ratione coëxiſtentię, quam habet ad eam rem quę verè dicit ſucceſſionem. Prima nequit eſſe in Deo, hęc enim reperitur tantum in illis rebus, in quibus datur quantitas; fatentur enim philoſophi communiter rationem quantitatis poſitam eſſe, in eo quod eſt habere partes, extra partes; in Deo autem nulla datur pars, neque dari poteſt, cum ratio partis, vt ſic, dicat imperfectionem. Hæc eadem res probatur ex D. Auguſtino, in Pſal. 2. ad hæc verba, *Ego hodie genui te*, & ex Gregor. lib. 16. Moral. cap. 21. Virtualis autem extenſio, ſeu ſucceſſio, admittitur à Scholaſticis proximè citatis in Deo, idque quod per ſuam ęternitatem rebus omnibus ſucceſſiuis coëxiſtat, pro eo tempore, in quo ſunt res ſucceſſiuę.

In Deo vitè admittitur ſucceſſio virtualis, minimè verò formalis.

Ad ra-

Digitized by Google

Diſſolutio argumenta

Ad rationes autem contrarias reſpond. Ad 1. conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem maioris, æternitatem ſpectari duobus modis; 1. in ſeſe, 2. vt comparatur cum rebus ipſis ſucceſſiuis, ſecundum noſtrum modum loquendi. Priori modo nuſquam concedendum eſt de æternitate quòd ſit maior, aut minor; idque propter cauſas anteà adductas. Poſteriori verò modo nihil repugnat quominus fateamur eſſe hodie maiorem, quàm fuerit heri: denominatio enim iſta nihil ponit intrinſecè ipſtà diuinam æternitatem, ſed tantùm intrinſecè in ordine ſcilicet ad intellectum noſtrum, comparantem æternitatem cum rebus iſtis ſucceſſiuis, & hoc tantùm probatur ex illo Prouerb. cap. 8. in argumento adducto.

2. Ad 2. reſpond. Res omnes eſſe in æternitate, non quidem ſecundùm omnes ſuas formalitates; etenim diximus perfectionem rerum omnium eſſe in Deo formaliter, ſi ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices: virtute verò & eminenter, ſi ſermo ſit de perfectionibus tantùm ſecundum quid, inter quas computatur duratio ſucceſſiua alicuius rei; nam duratio hæc in ſuo conceptu formali dicit imperfectionem, cùm conſurgat ex præterito & futuro, veluti ex ſuis partibus, ex communi doctrina philoſophorum: præteritum autem, & futurum, vt ſic, dicere imperfectionem nullus eſt qui negare audeat. Propter hanc cauſam ſancti Patres docent rationem præteriti, & futuri de Deo minimè enunciari poſſe.

DVBITATIO TERTIA.

An æternitas dicatur de Deo ante omnem intellectus noſtri operationem; & item, An hæc eadem ſoli Deo competat.

Nullo negotiante intellectu æternitas Deo veriſſimè competit.

Prouer. 8. verſ. 23. Eccleſ. 18. verſ. 1. Rom. 16. verſ. 26. D. Auguſt.

CONCLVSIO 1. *Æternitas dicitur de Deo verè, & realiter, ità vt forma ſignificata per dictionem, Æternitas, conueniat Deo a parte rei ante omnem operationem intellectus creati.* Primùm, quia dicitur de ſapientia increata, Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata ſum.* & Eccleſiaſt. 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* & Rom. 16. *Secundum præceptum æterni Dei.*

Deinde, ſancti Patres docent in æternis nihil eſſe prius, neque poſterius, ſed omnia eſſe ſimul, & vnà. Ità docent, Auguſtin. lib. 5. de Trinitate, cap. 2. *In Deo mutabilitas nullo modo eſt, qui ſola eſt incommutabilis ſubſtantia, vel eſſentia, qua Deus eſt, cui profectò ipſum eſſe, vnde eſſentia nominata eſt, maximè ac veriſſimè competit. Quod enim mutatur non ſeruat ipſum eſſe, & quod mutari poteſt, etiamſi non mutetur, poteſt quod fuerat non eſſe: ac per hoc illud ſolum, quod non tantùm non mutatur, verùm etiam mutari omnino non poteſt, ſinè ſcrupulo occurrit quod veriſſimè dicatur eſſe.* Idem habet 12. de Ciuitat. cap. 5. & Gregor. 16. Moral. & Boëtius lib. 5. de Conſolatione, proſa 6. at certum eſt in Deo non dari prius, & poſterius ex Patribus citatis in antecedentibus.

Gregor.

3. Tertiò, quodlibet attributum eſſentiale diuinum abſolutum conuenit Deo ante omnem intellectus noſtri operationem, maximè ſi fuerit hoc attributū affirmatiuum: atqui æternitas eſt attributum eſſentiale diuinum, & quidem affirmatiuū.

Denique æternitas non minùs competit Deo, quàm faciat omnipotentia, ſapientia, bonitas, & ſic de alijs: atqui omnipotentia, bonitas, & ſa-

A pientia conueniunt Deo ante omnem intellectu noſtri operationem: ergo. Ità communiter omnes cum S. Thoma, art. 2. & 3. huius quæſt.

Æternitas per eſſentiam ſoli Deo competit, & quidem ità vt nulli alteri conuenire queat.

CONCLVSIO 2. *Æternitas per eſſentiam ità Deo quadrat, vt nulli alteri queat.* Primùm, quia propter hanc cauſam dicitur 1. Timoth. 6. de Deo, quòd ſolus immortalitatem tenet; immortalitatis quippe nomine, ex multorum ſententia, ſignificatur incommutabilitas, quæ ſoli Deo competere poteſt; ſaltem ſi ſermo ſit de eo quod eſt incommutabile reſpectu cuiuſlibet principij intrinſeci, & extrinſeci.

Deinde, quia ſancti Patres verbis expreſſis docent æternitatem ſoli Deo competere. Ità D. Auguſtinus lib. de natura boni, cap. 39. *Illa*, inquit, *vera eſt æternitas, quæ vera eſt immortalitas quam ſolus Deus habet.* & author libri de fide ad Petrum: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites ſolum Deum eſſe æternum, & immutabilem:* imò hoc ipſum videtur colligi ex illo Dauidis, *Tu autem in æternum permanes*, ex quo teſtimonio Paulus Hebræor. 1. docet Chriſtum eſſe verum Deum.

Auguſt. Probationes

Tertiò, nomine æternitatis ſignificatur duratio, quæ caret principio, & fine durationis, & quæ tota ſimul exiſtit: ità vt per nullam planè potentiam mutari, aut deſtrui poſſit; at huius generis eſt ſola diuina eſſentia: nam cetera omnia diuina virtute perire poſsūt: pendent enim hæc, & in eſſe, & in fieri, & in conſeruari à libera Dei voluntate.

Obiectio. Matth. 25. verſ. 46. Tit. 1. v. 2. *Reſponſio 1.*

Obijcies multa nuncupari æterna in ſacris literis præter Deū, vt conſtat de beatitudine, Matth. 25. *Ibunt hi in vitam æternam.* & ad Titum 1. *In ſpem vitæ æternæ.* Reſp. 1. iſtis locutionibus ſcripturam ſignificare tantùm durationem quæ caret fine, non tamen principio durandi: non autem ſignificatur propriè duratio æternitatis, quæ poſita eſt in carentia durationis reſpectu principij, & finis durandi; ità vt æternitas per eſſentiam poſtulet quòd ſit tota ſimul, & per nullam planè potentiam deſtrui poſſit, aut etiam mutari. Reſp. 2. in ſacris litteris aliqua nuncupari æterna, quòd multo tempore durent, etiamſi habeant iſta principium & finem durandi.

Reſponſio 2.

Ratio æternitatis eſt immutabilitas.

CONCLVSIO VLTIMA. *Ratio æternitatis eſt immutabilitas diuina.* Primùm, quia ſi æternitas diuina poſſet habere cauſam, nullam aliam haberet præter immutabilitatem. Deinde, de ratione æternitatis, eſt permanentia, ſeu perſeuerantia in durando; at permanentia iſta præſupponit neceſſariò immutabilitatem: nam ſi mutaretur res hæc ſecundum ſuam ſubſtantiam, adeò vt aliquid deperiret ab ea, aut etiam aliquid adueniret ei de nouo, non permaneret hæc in ſe, neque duraret, illo eodem modo, quo antea. Denique, negatio principij, & finis durandi eſt de ratione æternitatis; at hoc præſupponit immutabilitatem: ergo æternitatis ratio eſt immutabilitas.

DVBITATIO QVARTA.

An æternitas ſit propriè menſura diuina eſſentiæ.

Opinio aliorum.

SVNT qui putent æternitatem habere propriè rationem menſuræ, reſpectu Dei Opt. Max. Caiet. ad hanc quæſt. ſancti Thomæ, Ferrarienſis, Bonauent. Molina, & alij nonnulli Recentiores; non tamen vna, & eadem ratione loquuntur. Nam Caiet. putat ante omnem intellectus noſtri opera-

Digitized by Google

tionem æternitat ẽeſſe perfectè menſuram diuinitatis Bonauent. verò, Ferrar. & alij nonnulli Thomiſtæ exiſtimant id competere æternitati poſt intellectus noſtri operationẽ completè; imperfectè verò, & incompletè ante intellectus noſtri operationem: Molina verò autumat æternitatem habere rationem menſuræ reſpectu diuinitatis: ceterùm nobiliori, & perfectiori modo, quàm tempus, aut æuum ſit menſura rerum creatarum.

Fundamenta contraria.

Argumenta autem iſtis authoribus communia ſunt iſta. Primum: Deus eodem modo eſt in æternitate, quo res iſtę ſublunares in tempore, vt videtur colligi ex Patribus ſupra citatis: at res iſtæ ſublunares ſunt in tempore, veluti in propria menſura, ex communi philoſophorum Peripateticorum doctrina.

Secundò, menſura propriè dicta eſt eiuſdem ordinis cum re menſurata, vt patet ex tempore continuo, quod eſt menſura rerum omnium ſenſibilium: at æternitas eſt eiuſdem ordinis cum diuina eſſentia, imò non diſtinguitur ab eſſentia diuina realiter: ergo.

Denique, duratio intrinſeca rei cuiuſlibet, cenſetur eſſe menſura eiuſdem: At æternitas eſt duratio diuinæ eſſentiæ, & quidem intrinſeca, omnium planè cõſenſione: ergo æternitas eſt menſura Dei.

Concluſio. Æternitas non eſt menſura Dei.

Contraria ſententia, quæ videtur verior, explicatur hac vnica Concluſione: *Æternitas non eſt menſura diuina eſſentiæ; ſi tamen nomine menſuræ intelligatur id quod hactenus fuit intellectum à phyſicis per menſuram propriè dictam.* Primùm, quia Ariſtot. lib. 11. Metaphyſ. definit menſuram, id quod eſt ratio cognoſcendi quantitatem rei alicuius, ſeu (quod idẽ eſt) id quo cognoſcitur quantitas alterius: at in Deo nulla datur quãtitas: ergo.

Reſponſio aduerſariorum infirmatur.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, quantitatem molis nullum habere locum in Deo; hæc enim eſt poſita in eo, quod eſt habere partes, extra partes, ex veriori opinione Metaphyſ. partes autem formaliter loquendo, & quidditatiuè, cùm dicant imperfectionem, nequeunt eſſe in Deo: quantitatem tamen virtutis vendicare ſibi locum intrà diuinam eſſentiam, conſtanter aſſerunt, quam volunt eſſe poſitam in perfectione aliqua, quæ conſequitur naturam, & eſſentiam rei cuiuſlibet, ac proinde ratione iſtius quantitatis æternitatem eſſe menſuram diuinæ eſſentiæ.

Menſura virtualis nõ competit propriè æternitati.

Ceterùm, licèt reſponſio hæc in ſe ſit vera; non tamen propterea ſatisfacit argumento à nobis adducto: nam quod menſuratur propriè ſecundum quantitatem virtutis, debet menſurari per illud, quod eſt primum, præcipuum & perfectiſſimum in eo genere: ait enim Ariſtotel. & communiter omnes Philoſophi cum eo, primum, & perfectiſſimum in vnoquoque genere eſſe menſuram eorum omnium, quæ continentur ſub eo genere: propter hanc cauſam docent communiter Thomiſtæ cum ſancto Thoma hoc loco, primum Angelorum eſſe menſuram ceterorum omnium, reſpectu videlicet perfectionis, ſeu (quod idem eſt) quantitatis virtutis quæ datur in Angelis: at non poteſt dici de Deo, quòd habeat aliquid prius, perfectius, aut nobilius ſeipſo, aut quòd ſit ſub aliquo genere categorico, ſaltem ex ſententia ſancti Thomæ: ergo. Deinde, de ratione menſuræ propriè dictæ eſt, vt diſtinguatur realiter à re menſurata, vt patet ex tempore, quod conſequitur motum primi mobilis, quod tempus cenſetur eſſe menſura rerum iſtarum caducarum, ex doctrina Ariſtotel. hoc autem realiter diſtingui à rebus iſtis caducis, cuilibet eſt peruium; at æternitas non diſtinguitur realiter ab eſſentia diuina, neque formaliter: ergo. Denique, menſura propriè dicta debet eſſe vna, communis, & notior re menſurata, ex documentis Metaphyſicorum communiter receptis; at conditiones iſtæ nequeunt dici de æternitate comparata cum eſſentia diuina, vt eſt per ſe notum: & conſtat, ex eo quòd æternitas diuina non minùs ſit nobis nota, quàm ipſamet eſſentia diuina: Ità docent Gabriel in 2. diſt. 4. quæſt. 1. art. 3. Dub. 1. Ockam quæſt. 13. lib. 2. Albertus diſt. 9. lib. 1. art. 3. Vazquez, Peſant. & multi alij recentiores.

Conditiones propriè dictæ menſuræ.

Addunt tamen non eſſe negandum de æternitate, quin poſſit dici menſura diuinæ naturæ, ceterùm impropriè tantum, quatenus nomine menſuræ ſignificatur duratio intrinſeca rei alicuius: certum autem eſt æternitatem eſſe durationem intrinſecam diuinę eſſentię.

Æternitas poteſt gaudere appellatione mẽſuræ impropriè.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. negando maiorem: res enim iſtæ ſublunares ſunt in tempore, tanquam in menſura ſibi propria: at Deus eſt in ſua æternitate, tanquam in duratione ſibi propria: neque verò oppoſitum docent ſancti Patres, tantùm enim affirmant Deum, per ſuam æternitatem coëxiſtere rebus omnibus, & quidem non ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm reſpectu illius temporis, vel potius inſtantis temporis, in quo res iſtę ſucceſſiuę exiſtunt.

Satisfit rationibus cõtrariorum.

Ad 2. Non eſſe ſatis ad hoc vt aliquid rationem menſuræ propriè dictæ cõſequatur, quod ſit eiuſdẽ ordinis, cum re menſurata: ſed deſideratur vlteriùs quod ſit diſtincta realiter à re menſurata; quòd ſit vna, communis, & eadem apud omnes; & denique quòd ſit notior nobis re menſurata. Quæ conditiones nequeunt æternitati per eſſentiam competere. 2.

Ad vltimam reſpond. probare tantùm æternitatem eſſe impropriè menſuram diuinitatis: diximus enim durationem intrinſecam cuiuſlibet rei nuncupari impropriè menſuram eiuſdem. Quare cùm æternitas, ſit duratio intrinſeca diuinę eſſentię, ſequitur non debere dici menſuram reſpectu Dei. 3.

DVBITATIO VLTIMA.

Qua ratione diſtinguatur æternitas per eſſentiam, à ceteris durationibus.

Definitio creationis.

CONCLVSIO 1. *Differt in eo quòd æternitas per eſſentiam ſit increata*; eſt enim hæc idem realiter cum diuina eſſentia: certum autem eſt diuinam eſſentiam, nec eſſe creatam, nec potuiſſe creari, cùm creatio definiatur productio totius entis ex nihilo, quę proinde præſupponit cauſam aliquam efficientẽ. Conſtat autem Deum non potuiſſe habere cauſam, cùm ſit prima, & independens cauſa rerum omnium. Deinde, implicat Deum tranſire de non eſſe ad eſſe; eſt enim ens ſimpliciter neceſſarium, durationes verò ceterorum omnium ſunt creatę, vt colligitur ex illo Eccleſiaſt. 18 *Qui vixit in æternum, creauit omnia ſimul.*

Eccleſiaſt. 18. verſ. 1.

Aduerte non eſſe propterea concedendum de omni re verè æterna, æternitate per eſſentiam, quòd ſit improducta: filius namque, & Spiritus ſanctus ſunt verè æterni, & tamen filius producitur per intellectionem Patris, Spiritus item ſanctus producitur per actum voluntatis Patris, & Filij, vt probabitur in tract. de Trinitate.

CONCLV-

Digitized by Google

Quomodo diſtinguatur æternitas ab aliis durationibus.

CONCLVSIO 2. *Æternitas per eſſentiam diſtinguitur à ceteris durationibus, quòd hæc ſit infinita ſimpliciter & actu, in omni planè ratione durationis, præciſa tamè imperfectione.* Eſt enim æternitas per eſſentiã vnũ ex attributis eſſentialibus diuinis affirmatiuis, ac proinde quemadmodum cetera attributa diuina affirmatiua ſignificant formas aliquas abſolutas actu infinitas (imitantur enim iſtæ naturam, & eſſentiam diuinam) ſic etiam æternitas erit infinita in omni ratione durationis, præſcindendo tamen ab omni imperfectione; ceteræ verò durationes omnes ſunt finitę.

Æternitas caret omni principio & fine.

CONCLVSIO 3. *Æternitas per eſſentiam caret omni principio, & fine durationis propter cauſas ſuperiùs explicatas: reliqua verò omnes durationes habent vel principium, & finem ſimul durands,* vt tempus eſt inſtans temporis diſcreti, *vel principium, non tamen finem,* vt æuum propriè dictum.

Dices, æternitatem participatam carere principio & fine durationis ex communi doctrina.

Reſpond. Hoc eſſe verum reſpectu principij intrinſeci, in ordine tamen ad Deum Opt. Max. in cuius poteſtate eſt producere rem aliquam æternam per participationem: æternitas hæc poteſt de facto deſtrui, ſi daretur, cum Deus ſit quàm maximè liber in ſuis omnibus actionibus ad extra.

Vltimum diſcrimen.

Denique, Reſp. æternitatem per eſſentiam eſſe adæquatam menſuram diuinæ eſſentiæ, & proceſſionum, ſeu operationum omnium quæ dantur intrà diuinam eſſentiam: durationes verò ceterarum rerum minimè, vt conſtat ex Angelis: iſti enim menſurantur Æuo, reſpectu ſuæ eſſentiæ, reſpectu verò volitionum & intellectionum quas exercent liberè, menſurantur non Æuo, ſed inſtanti temporis diſcreti, ex veriori ſententia. Qui plura de natura Æui, æternitatis participatæ, & temporis diſcreti volet ſcire, legat Molinam diſp. 1. & 2. ad art. 4. & 5. huius quæſt. Peſantium diſp. 1 & 2. ad artt. proximè citatos, & diſp. vnica ad art. vltimum huius quæſt. Vazq. à diſp. 33. ad 36. incluſiuè.

Quæſtione vndecima Sanctus Thomas diſputat de Vnitate diuinæ eſſentiæ; hæc autem ex Metaphyſicis manet ſatis explicata.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De viſione Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

An aliquis intellectus creatus poſſit videre diuinam eſſentiam prout in ſe eſt.

Senſus articuli.

DVBITE difficultatem iſtam intelligendam eſſe de viſione intuitiua, qualis eſt ea, qua res aliqua videtur per propriam ſpeciem, vel certè per ſeipſam proximè, & immediatè, quia videlicet conſtituitur præſens per ſeipſam proximè, & immediatè potentiæ cognoſcitiuæ:

In 1. partem D. Thom.

non autem de cognitione abſtractiua, qualis eſt ea per quam aliquid cognoſcitur media ſpecie aliena: hac ratione cognoſcitur à nobis Deus per creaturas, ex doctrina Pauli cap. 1. Rom.

Ratio ergo dubitandi 1. eſt quod dicatur in ſacris litteris de Deo, quod ſit inuiſibilis, ità Timoth. 1. *Regi ſeculorum immortali & inuiſibili*, &c. & capit. 6. *Inhabitat lucem inacceſſibilem.* & cap. 28. Iob. *Abſcondita eſt oculis omnium viuentium ſapientia*, ſcilicet Dei. Et Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, & 1. Petri, cap. 1. dicitur de Angelis quòd deſiderent videre Deum. *1. Dubitandi ratio.* 1. Tim. 1. verſ. 17. Idem 6. verſ. 16. Iob. 28. verſ. 21. Ioann. 1. verſ. 18. 1 Petr. 1. verſ. 12.

Patres item Græci fere omnes de Deo docent quod ſit inſpectabilis & inuiſibilis, ità Chryſoſt. homil. 14. in Ioann. Theodoret. Theophylact. Nyſſenus, Cyrillus Hieroſolym. catechęſi 6. & plerique alij. 2. Chryſoſt. Theodor.

Item, magis diſtat Deus ab intellectu creato, quàm faciat Angelus ab oculo corporeo; eſt enim Deus ſimpliciter infinitus, Angelus autem & oculus corporeus finiti; atqui per nullam potentiam fieri poteſt, vt oculus corporeus intuitiuè videat Angelum, ex doctrina communi ad art. 3. huius quæſt. ſancti Thomę. *3. dubitandi ratio.*

Denique, intellectus noſter intelligere naturaliter tantùm poteſt intuitiue res ſenſibiles, nihil quippe eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu, ex doctrina Ariſtot. & rurſus oportet intelligentem ſpeculari phantaſmata; at nulla datur ſpecies ſenſilis, nec forte dari poteſt, quæ repræſentet Deum, eſt enim hic ſimpliciter ſpiritualis: ergo. 4.

CONCLVSIO. *Intellectus creatus poteſt videre diuinam eſſentiam prout in ſe eſt, ac proinde intuitiuè:* hæc eſt fide, videtur enim expreſsè definita in cap. *Damnamus*, de ſumma Trinitat. & fide Catholica, & in Extrauaganti Benedicti XI. quam refert Alphonſus à Caſtro, verbo, *Beatitudo*, hęreſi 7. *Intellectus creatus poteſt videre Deum intuitiuè.*

Deinde, dicitur cap. 3. 1. Canonicæ Ioan. *Videbimus eum ſicuti eſt.* & 1. Corinth. 13. *Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* & Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* & cap. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* & Exod. 13. *Oſtendam tibi omne bonum*, ait Deus ad Moyſem: nomine autẽ omnis boni ſignificatur Deus, quòd in Deo ſint omnes omnino rerum perfectiones: bonũ autem, & perfectũ conuertuntur. Idem docent Patres; Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 29. *Et illa*, inquiens, *actio, vel potius quies, atque otium, quale futurum ſit, ſi verum dicere velim, neſcio. Non enim hoc vnquam per ſenſus corporis vidi: ſi autem mente, id eſt, intelligentia vidiſſe me dicam, ibi eſt pax Dei quæ ſuperat omnem intellectum.* & paucis interiectis: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Sic iam vident ſancti Angeli qui etiam noſtri Angeli dicti ſunt, quia eruti de poteſtate tenebrarum & accepto ſpiritus pignore tranſlati ad regnum Chriſti ad eos Angelos iam capimus pertinere, cum quibus nobis erit ſancta atque dulciſſima Dei ciuitas ipſa communis. Præmium itaque fidei, nobis viſio iſta ſeruatur, de qua Ioann. dicit. Cum apparuerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* & 12. de Geneſ. ad litteram cap. 34. & 14. de Trinit. cap. 22. Gregor. Moral. lib. 18. cap. 28. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris; Deum quippe vident, & videre deſiderant, & ſitiunt intueri, & intuentur*, & infra. *Sic quoque & nos erimus, quando ad ipſum fontem vitæ venerimus. Videbimus igitur Deum, ipſéque erit præmium laboris noſtri, vt mortalitatis huius tenebræ accenſa eius* 1. Ioann. 3. verſ. 2. 1. Cor. 13. verſ. 12. Matth. 5. verſ. 8. Idem 18. verſ. 10. Exod. 13. verſ. 19. D. Auguſt. 1. Cor. 13. 1. Ioann. 3. Gregor.

Epiphan. Ambroſ. Bernard. Clemens. Alexand. Martialis.

luce gaudeamus. Epiphanius hæreſi 70. Ambroſius ad cap. 1. Lucæ, Bernardus ſerm. 31. in Cant. Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. Martialis in epiſt. ad Toloſanos, cap. 18.

Probatio 1.

Tertiò, probatur ratione: Quælibet potentia cognoſcitiua ſenſilis fertur circa quodlibet eius obiectum, aut certè ferri poteſt intuitiuè, vt conſtat ex potentia viſiua, & auditiua: illa enim quodlibet coloratum, & luminoſum; hæc verò quemlibet ſonum attingere poteſt: ergo intellectus etiam creatus poterit videre quodlibet ex ſuis obiectis; nam omnis perfectio quæ reperitur in rebus inferioribus, (cuius generis ſunt omnes ſenſus externi reſpectu intellectus creati) nobiliori modo reperitur in rebus ſuperioribus. Accedit Deum contineri intrà latitudinem obiecti adęquati intellectus creati: nam obiectum intellectus creati cenſetur eſſe ens, vt ens, ex doctrina communi Metaphyſ. rationem autem entis conuenire Deo indubitatum eſt. Ità probat Scotus concluſionem iſtam.

Scoti ratio infirmatur.

Verùm ratiocinatio hęc, non eſt aperta demonſtratio, reſpectu Concluſionis noſtrę; falſum enim eſt abſolutè loquendo omne quod reperitur in rebus inferioribus, reperiri in ſuperioribus, ſi ſermo ſit de perfectionibus quæ dantur in rebus inferioribus: nam generare ſibi ſimile, & item ſentire ſunt perfectiones in quibuſuis animalibus; neutra tamen ex iſtis reperitur in Angelis qui ſunt ſuperiores animalibus. Euidentia item habet rationem perfectionis in qualibet ſcientia naturali, nihilominus hæc nullum habet locum in cognitione fidei, quæ tamen nobilior, & dignior eſt quacumqi cognitione naturali. Denique, ſenſile perfectiſſimum lædit ſenſum, ex doctrina Ariſtot. imò experientia quotidiana docet oculos noſtros non poſſe ſuſtinere directè radios ſolares, tempore quàm maximè ſereno & lucente ſole. Non eſt etiam ſatis exploratũ, an Deus prout in ſe eſt, contineatur intrà latitudinẽ obiecti intellectus creati. Nam impoſſibile eſt, ſaltem naturaliter loquendo, Angelum aut etiam hominem per ſola auxilia naturalia videre diuinam eſſentiam, vt probabitur inferiùs, & videtur colligi ex eo 1. Ioa. 1. *Deum nemo vidit vnquam.*

2. Aliquorũ probatio. Ioann. 17. verſ. 3.

Ab alijs verò probatur Concluſio, ex eo quòd Deus ſit obiectum beatitudinis noſtræ, Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum.* & Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum:* at obiectum beatitudinis poteſt intuitiuè cognoſci à creatura rationali, alioquin fruſtra eſſet obiectum beatitudinis: ergo.

2. ratio non demonſtrat Cõcluſionẽ.

Ceterùm neque hæc ratio Concluſionem demonſtrat. Nam nullus noſtrùm expeteret beatitudinem, quæ poſita eſt in viſione diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, niſi fides doceret beatitudinem, ſitam eſſe in clara Dei viſione. Deinde, expetimus naturaliter beatitudinem tantũ in communi, non autem in particulari.

3. Aliorum probatio.

Alij denique, ſic probant Concluſionem noſtram. Cognitis (inquiunt) effectis, quilibet expetit cognitionem cauſæ eorumdem; at Deus eſt cauſa rerum omnium: ergo cum quilibet noſtrùm, intuitiuè cognoſcat multas res à Deo creatas, poterit etiam Deus videri à nobis intuitiuè.

Refutatur etiam iſta.

At neque hæc ratio plenè declarat id de quo diſputatur hoc loco. Ex cognitione quippe effectuum quorumdam ſequitur cognitio cauſæ, non quidem diſtincta, & intuitiua, ſed confuſa vel indiſtincta; nam omnium conſenſione cauſæ aliæ ſunt ſynonymæ, aliæ verò æquiuocæ.

Fide diuina innoteſcit Deum videri poſſe clarè.

Ex iſtis colligo nobis innoteſcere potiùs fide diuina, quàm vlla ratione naturali, Deum poſſe videri à creatura rationali intuitiuè, prout in ſe eſt: in hac Concluſione ſunt D. Thom. hoc loco, Bannez, Molina, Trigoſius, Vaſq. Suarez, & Peſant. ad hunc art. ſancti Thomæ.

Mouetur quæſtio & reſoluitur. Luc. 23. verſ. 43. Auguſt. Epheſ. 4. verſ. 8. 2. Cor. 5. verſ. 1. Philip. 1. verſ. 23. Trident.

ROGABIS, *An beati de facto videant diuinam eſſentiam in cœlis.* Reſp. affirmatiuè. Primò, quia dicitur Luc. 23. de anima boni latronis, *Hodie mecum eris in paradiſo*, cæleſti ſcilicet, vt explicat D. Auguſt. epiſt. 99. ad Epheſ. 4. *Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem.* 2. Cor. 5. *Scimus quoniam ſi domus noſtra terreſtris diſſoluatur, quod ædificationem habemus, domũ non manu factam in cœlis.* & ad Philip. 1. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Deinde, in Concil. Trident. ſeſſ. 5. cano. 5. de peccato originali dicitur, ità deleri per Baptiſmum in nobis, vt nihil planè remaneat, quod poſſit nos remorari à conſequutione vitæ æternę. & ſeſſ. 25. dicitur de ſanctis agentibus in cœlis, quòd viuant, & regnent cum Chriſto; viuere autem, & regnare cum Chriſto nihil aliud eſt, quàm potiri beatitudine æterna, quam diximus poſitam eſſe in clara, & aperta Dei viſione. Idem docet Innocent. III. in cap. *Maiores*, de Baptiſmo & eius effectu, & cap. 2. De presbytero non baptizato, & Eccleſia in orat. de D. Gregorio precatur, *Deus qui anima famuli tui Gregory æternæ beatitudinis præmia contuliſti*: & aperte docent ſancti Patres allegati paulò ante. Tertiò, ità definiuit Benedictus loco ſupra citato. Quartò, idem docent Patres quos citat Caſtro, verbo, *Beatitudo.* hæreſi 6. Sixtus Senenſis lib. 6. annotatione 347. & alij.

Beati vidẽt modò Deũ. Luc. 16. verſ. 22.

Accedit ratio, nihil eſt in beatis, quod poſſit eos remorari à viſione intuitiua diuinæ eſſentiæ: ſupponimus enim quòd ſint in gratia, & charitate & quòd plenè ſatisfecerint pro peccatis commiſſis in hac vita: ergo. Denique, damnati ſtatim atque eorum anima ſeparata eſt à corpore adiudicantur pœnis æternis, ex illo Luc. 16. *Mortuus eſt diues & ſepultus eſt in inferno:* ergo illud idem dicendum erit de iuſtis, ſi nihil habuerint purgandum. Ità communiter omnes in 4. diſt. 49. & in 1. 2. q. 4. art. 5. ſancti Thomæ. Eſt autem hæc doctrina contra Caluinum lib. 3. ſuæ Inſtitut. & Contra Vigilantium, & nonnullos Patres Græcos, putarunt enim iſti ante diem iudicij neminem viſurum diuinam eſſentiam in cœlis.

Obiectio.

Obijciunt hæretici, mercedem debitam ex hypotheſi bonis operibus, non dari ante diem iudicij generalis, quod probare nituntur ex cap. 20. Matth. dicitur enim illic, aduentante veſpere datam fuiſſe remunerationem agricolis, & ex cap. 4. prioris ad Timoth. repoſita eſt mihi corona iuſtitię, quam reddet iuſtus iudex in illa die, & cap. 11. Hebr. *Non acceperunt repromiſſionem*, & Apocal. *Suſtinete adhuc modicum omnes, donec impleatur numerus fratrum veſtrorum*, & cap. 1. Ioan. *Cum apparuerit ſimiles ei erimus.* Apocal. 6. verſ. 22.

Reſponſio.

Reſp. Teſtimonia hæc manifeſtè loqui de vniuerſali iudicio, non tamè excludere priuatum iudicium, quod fit poſt mortem cuiuſlibet, in quo Chriſtus reddit animabus quorumcumque priuatorum hominũ, vel vitam æternam ſi deceſſerint in gratia, & cumulatiſſimè ſatisfecerint pro peccatis, vel pœnam æternam ſi moriantur in ſtatu peccati mortalis, vt colligitur ex cap. 4. poſterioris ad Corinth. *Vnuſquiſque recipiet in corpore ſuo, prout ſe geſſerit, ſiue bonum, ſiue malum:* ergo.

Digitized by Google

Reſponſ. 2. Reſp. 2. loca ſcripturæ proximè commemorata ab hæreticis, intelligenda eſſe de abſoluta, & completa beatitudine cuiuſlibet hominis in particulari. Hæc ergo beatitudo, ac proinde merces totalis, & adæquata debita cuilibet homini fiet in iudicio generali: cum iſtis tamen rectè cohæret, vt anima cuiuſlibet hominis in particulari mercedem ſibi debitam conſequatur ſtatim poſtquam ſeparata eſt à proprio corpore.

Obiectio 2. Obijciunt 2. Ioannem XXII. Pont. Maxim. præcepiſſe Academiæ Pariſienſi, ne quempiam admitteret ad gradum Doctoratus, qui priùs iuramento ſolemni non affirmaſſet neminem ante diem iudicij generalis donari beatitudine æterna.

Reſponſ. Reſp. Factum hoc admitti ab aliquibus, negari tamen communiter à Catholicis, & religioſis hominibus, vt conſtat ex Villano lib. 10. de geſtis Florentinorum, cap. 229. & referunt Bellarm. lib. 1. de beatitud. Sanctorum, & Peſant. Dubitatio vnica ad hunc articul. Diui Thomæ.

Deindè, quis credat Pont. Max. præcepiſſe credendum Scholæ Pariſienſi, id de quo Pontifex ipſe plurimum dubitabat? certum enim eſt Ioannem XXII. paulò ante ſuam mortem voluiſſe audire vota, & ſuffragia Epiſcoporum, itémque Cardinalium de propoſitione proximè explanata, vt refert Villanus citatus, & alij nonnulli. Demũ indubitatum eſt Pontificem prædictum, antequàm ex hac vita deceſſerit reuocaſſe errorem, quem antea veluti priuatus doctor ſuſtinuerat, vt referunt authores prox. citati.

Obiectio 3. Obijciunt 3. Dæmones non experiri pœnas propriis peccatis debitas, vt docet Irenæus lib. 5. contra hæreſes, Iuſtinus Apolog. 1. & 2.

Reſponſ. 1. Reſp. 1. Non eſſe defendendos hac in re Patres iſtos: ceteri verò omnes contrarium docent, vt D. Auguſt. conſtat ex D. Auguſtino in lib. de corrept. & Ambroſ. grat. cap. 10. Ambroſ. ad cap. 8 Luc Hieronym. ad Hieron. cap. 8. Matth. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 10.
Gregor.

Reſponſ. 2. Deinde, nihil vetat quominus dicamus Iuſtinum. & Irenęum loqui non de quibuſuis dæmonibus, ſed de illis qui agunt in media aëris regione, & de iſtis affirmare, quòd non ſuſtineant omnes omnino pœnas ſibi debitas, idque quod de facto non degant in inferno, ſeu abyſſo; poſt diem tamen iudicij de facto deſcendent ad inferos, ac proinde quodammodo conſequentur, extenſiuè ſcilicet, maiorem aliquam pœnam, quàm de facto iam non experiantur.

Obiect. Obijciunt denique, maximè verò Caluinus, lib. 3. ſuarum Inſtitutionum, cap. 20. Si (inquit) animæ ſanctorum de facto ſunt in cœlis, quomodo erit verum dicere in die iudicij; *Venite benedicti, poſſidete regnum?*

Solutio. Reſp. Id propterea veriſſimè dicturum Chriſtum, quòd totus homo nuſquam ſit conſequutus vitam æternam completè, totaliter, & adæquatè, ſed tantùm reſpectu ſolius animæ; anima autem vnietur proprio corpori, & quilibet in proprio corpore ſtabit ante tribunal Chriſti, conſequetúrque mercedem ſibi debitam.

Satisfit argumentis. Ad rationes verò huius Dubitationis initio propoſitas, reſp. Ad 1. Deum eſſe inuiſibilem. vel
1. reſpectu oculi corporei cuiuſlibet (dicemus enim artic. 3. huius quæſt. per omnipotentiam Dei fieri non poſſe, vt oculus corporeus eleuetur ad viſionem diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt) vel reſpectu hominis agentis in hac vita de lege com-
in 1. partem D. Thom.

muni; de hoc quippe ſcriptum eſt, *non videbit me homo, & viuet*: vel denique dicitur Deus inuiſibilis, id eſt, incomprehenſibilis qua ratione explicandi ſunt Græci Patres in argumẽto citati.

Ad 2. Reſp. Deum, intellectum noſtrum, *2.* itémque Angelum, & oculum corporeum ſpectari duobus modis; vel vt ſunt entitates aliquæ; vel vt poſſunt habere rationem potentiæ, & obiecti. Priori modo certum eſt Deum magis diſtare ab intellectu noſtro, quàm Angelum ab oculo corporeo: eſt enim Deus ſimpliciter infinitus ſecundùm ſuam entitatem; intellectus verò noſter, Angelus, & oculus corporeus, ſunt finiti, vt eſt per ſe notum: poſteriori verò modo, magis diſtat Angelus ab oculo corporeo, quàm faciat Deus ab intellectu noſtro: nam Angelus eſt extra latitudinem obiecti adæquati oculi corporei; habet ſiquidem oculus corporeus pro obiecto ſibi adæquato coloratum, & luminoſum, omnium conſenſione: de Angelis autem dici non poteſt quòd ſint colorati, neque lumine ſenſili affecti: Deus verò prout in ſe eſt continetur intrà latitudinem obiecti adæquati intellectus noſtri, cùm conueniat inter omnes Metaphyſ. ens vt ens, eſſe obiectum adæquatum intellectûs noſtri. Ratio autem entis magis dicitur de Deo, quàm de vlla planè re creata; ac proinde poterit intellectus creatus videre Deum, prout in ſe eſt; licet oculus corporeus nequeat videre Angelum & ceteras ſubſtantias creatas ſpirituales.

Ad vltimam reſp. Intellectum noſtrum habere duplicem modum intelligendi; alterum ſibi connaturalem, nempe eum, qui datur nobis dependenter à ſolis auxilijs ordinis naturalis; alterum ſupernaturalem, qui datur dependenter ab intellectu noſtro, & auxilio ordinis ſupernaturalis, quod vulgò nuncupatur lumen gloriæ. Primus modus datur in nobis dependenter à ſpecie intelligibili emendicata ab obiecto, & ità explicandi ſunt loci Ariſtotel. adducti in argumento. Poſterior verò modus intelligendi reſpectu diuinæ eſſentiæ datur in beatis, ſinè vlla dependentia à ſpecie intelligibili: dicemus enim articulo proximè ſequente, beatos conſpicere diuinam eſſentiam clarè, & vt in ſe eſt, ſinè vlla planè ſpecie intelligibili repreſentante diuinam eſſentiam. Fauet iſtis quòd doceant communiter Theologi obiectum adæquatum intellectus noſtri non eſſe ens naturale præcisè, neque etiam ſupernaturale tantùm ſed ens naturale, & ſupernaturale: de qua re legendus erit Antonius Perez, certamine 5. ſcholaſtico, in ſuis Quodlibetis, quod totum eſt de obiecto intellectus noſtri. *3.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

An eſſentia Dei ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem videatur.

DVBITATIO PRIMA.

An Deus videatur in cælis à beatis per ſpeciem aliquam repræſentantem diuinam eſſentiam vt in ſe eſt.

ADVERTE, ſpeciem aliam eſſe impreſſam, aliam verò expreſſam. Illa cenſetur eſſe ea, quæ exit ab obiecto, vt obiectũ eſt, ac proinde debet eſſe tanta, quantum eſt obiectum, ſi non in eſſendo, *Duplex ſpecies impreſſa, & expreſſa.*

Digitized by Google

bene tamen in repreſentando ; eſt enim hæc perfecta, & adæquata ſimilitudo, ſeu expreſſio obiecti, quod cognoſcitur omnium conſenſione: expreſſa verò ſpecies, non exit ab obiecto quatenus obiectum eſt abſolutè, & ſimpliciter, ſed tantùm ſub ea ratione qua obiectum cognitũ eſt ; ac proinde imitatur hæc naturam cognitionis obiecti, imò eſt ipſamet cognitio, vel terminus cognitionis. Differunt præterea duæ iſtæ ſpecies, in eo quòd impreſſa cõcurrat ad intellectionem obiecti, vel effectiuè (vt probabilius mihi videtur) vel motiuè alliciendo intellectum noſtrum, & definiendo eumdem ad hanc potius, quàm ad aliam rem intelligendam: eò quòd intellectus noſter, ſit ex ſe, & ſua natura indefinitus, & indeterminatus ad intelligendum. Poſita autem iſta ſpecie impreſſa in eo, determinatur ad intelligendam rem repræſentatam per huiuſmodi ſpeciem ; ſpecies autem expreſſa non concurrit dicta ratione ad intellectionem, ſed eſt ipſamet intellectio, vel terminus eiuſdem.

Tertiò, differunt in eo, quòd ſpecies impreſſa ſit ratio cognoſcendi obiectum repreſentatum, minimè verò res cognita. Cognitio quippe noſtra, non terminatur ad ſpeciem impreſſam, ſed ad obiectum repreſentatum per huiuſmodi ſpeciem: ità vt obiectum cognoſcatur tantùm, non autem ſpecies impreſſa. Expreſſa verò nec eſt ratio cognoſcendi obiectum, nec obiectum cognitum, ſed tantùm cognitio ipſa, vel terminus cognitionis; propter hanc quippe cauſam dicitur de iſta ſpecie quod ſit verbum mentis.

Denique, differunt in eo quòd ſpecies impreſſa repreſentet habitu obiectum, ac proinde dicitur ſpecies habitualis : expreſſa verò refert obiectum cognitum actu, & formaliter, ac proinde dicitur formalis, & actualis ſimilitudo obiecti.

Sententia 1. Hoc ità conſtituto. Sunt qui putent beatos non videre diuinam eſſentiam proximè, ſed media ſpecie impreſſa repreſentante illam, credunt enim ſpeciem impreſſam, non minùs eſſe neceſſariam ad cognoſcendum aliquod obiectum intuitiuè, quàm ſit neceſſaria cognitio alicuius obiecti, ad hoc vt voluntas noſtra feratur in illud: exiſtimant ſiquidem obiectum cognoſcendum poſſe conſtitui tantùm præſens potentiæ cognoſcitiuæ per ſpeciem impreſſam, quemadmodum obiectum voluntatis ſit præſens eidem per cognitionem, quæ datur in intellectu : at voluntas noſtra nequit ferri in vllum planè obiectum, quod non fuerit ab intellectu cognitum : idque quòd voluntas noſtra ſit potentia cæca.

Probat. 2. Deinde, ſpecies impreſſa concurrit ad actum intellectionis in ratione cauſæ formalis : cauſam autem formalem non poteſt Deus ſupplere, ex communi doctrina.

Probat. 3. Denique, intellectus noſter conſtituitur potens in actu primo ad intelligendum per ſpeciem impreſſam : ergo cùm actus ſecundus nuſquam detur in nobis ſinè actu primo, non poterit intellectus videre diuinam eſſentiam ſinè ſpecie impreſſa. Ità docet Aureolus apud Capreolum in 4. diſt. 49. quæſt. 5. artic. 2. & apud Gandauenſem, art. 33. quæſt. 2. ad 3.

Sinè vlla ſpecie vicaria diuina eſſentia, eadèm a beatis conſpicitur.

Contraria tamen ſententia eſt indubitata, *beatos ſcilicet, ſinè vlla ſpecie impreſſa repræſentante diuinam eſſentiam, videre eamdem proximè & immediatè per ipſaminet diuinam eſſentiam.* Primùm, quia

2. ſpecies impreſſa deſideratur tantùm ad actum intellectionis in nobis, vt intellectus noſter, & obiectum eiuſdem vniantur inter ſe, ſeu (quod idem eſt) ad hoc vt detur vnio inter intellectum, & rem intellectam ; at poteſt intellectus noſter vniri eſſentiæ diuinæ, ſinè vlla planè ſpecie intelligibili illam repræſentante, vt in ſe eſt, idque quòd Deus ſit intimè præſens intellectui beatorum propter ſummam immaterialitatem, & immenſitatem, quæ in ipſo datur : ergo.

1. Deinde, ſpecies impreſſa eſt tantùm neceſſaria ad actum intellectionis, quando obiectum per ſeipſum nequit eſſe præſens potentiæ cognoſcitiuæ, ex D. Auguſtino lib. 7. de Trinitat. cap. 3. & 4. & ex communi doctrina Philoſophorum : at eſſentia diuina per ſeipſam eſt præſentiſſima mentibus quorumcumque beatorum propter cauſam proximè explicatam. D. Auguſt.

3. Tertiò, quilibet Angelus intelligit ſeipſum ſinè vlla planè ſpecie impreſſa, ex communi doctrina ; & illud idem fatentur omnes de Deo: per ſuam quippe eſſentiam proximè, & immediatè intelligit Deus illud omne quod intelligit : ergo.

4. Quartò, actiuitas ſpeciei impreſſæ reſpectu actus intellectionis, eſt in genere cauſæ efficientis phyſicæ, ergo poterit iſtam actiuitatem, ſupplere Deus ; nam quidquid poteſt media cauſa ſecunda, poteſt ſe ſolo facere in ratione cauſæ efficientis : ergo poterit conſtituere ſeipſum præſentem, proximè, & immediatè mentibus beatorum, ſine vlla ſpecie impreſſa. Ità docent D. Thom. hoc loco, & interpretes eiuſdem, Albertus in 4. diſt. 49. artic. 5. Durand. quæſt. 2. Thomas Argent. quæſt. 2. art. 2. Gabriel. quæſt 2. Ockam quæſt. 13. Richardus in 3. diſt. 14 quæſt. 3. art. 1. & Recentiores in tract. de Beatitudine.

Diſſoluun turr rationes. Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. negando maiorem. Cognitio quippe ideò deſideratur ad actum voluntatis, quoniam obiectum voluntatis nequit aliter fieri præſens illi, quàm per actum intellectus ; licet ſecus ſentiant nonnulli Thomiſtæ : obiectum autem intellectus noſtri, nedum per ſpeciem impreſſam, ſed etiam per ſeipſum proximè, & immediatè ſit ei præſens, ſaltem ſi ſermo ſit de obiecto quod eſt ſimpliciter immenſum, & ſimpliciter immateriale, cuius generis eſt ſolus Deus qui proinde videtur à beatis in cœlis prout in ſe eſt.

2. Ad 2. Reſp. Speciem impreſſam concurrere ad actum intellectionis mouendo, & definiendo potentiam intellectiuam, ad hanc potiùs quàm ad vllam aliam rem intelligendam, quando obiectum non eſt per ſeipſum præſens intellectui.

3. Ad vltimam Reſp. Intellectum noſtrum eſſe potentem in actu primo, ad intelligendum per ſeipſum, nedum reſpectu cuiuſlibet rei creatæ, ſed etiam reſpectu Dei, non quidem totaliter, & adæquatè, ſed inadæquatè, & partialiter : adæquatè verò per ſeipſum, & per lumen gloriæ, ità vt poſitis iſtis ſimul ſequatur infallibiliter intellectio eſſentiæ diuinæ, vt probabitur inferius.

Intellectio beatorum

Rogabis, *An intellectio qua datur in beatis de Intellectio diuina eſſentia ſit vera, & realis aliqua actio.*

Reſp. 1. *Affirmatiuè.* Primùm quia intellectio *eſt vera actio.* iſta exit ab intellectu beatorum quatenus beati intelligunt ; at actio definitur, id quod exit ab agente, quatenus agens eſt.

Deinde, viſio, & cognitio omnium conſen-

ſione

ſunt actiones immanentes. Secundò Reſp. intellectionem beatorum de diuina eſſentia non eſſe actionem categoricam; ſed tantùm Grammaticalem, vt loquuntur: nam per actionem categoricam aliquid ſemper producitur extra agens, vt conſtat ex calefactione, dealbatione, & alijs innumeris: per intellectionem autem beatorum non producitur aliquid extra intellectum eorumdem. Deinde, actio categorica eſt idem realiter cum paſſione. Tertiò, actio eſt id quod exit ab agente, & recipitur in patiente, tamquam in ſubiecto. Denique, intellectio eſt actio immanens, ac proinde recipitur in illo intellectu, qui eam elicit. Dicitur autem Grammaticalis actio, vt ſeparetur à categorica, ſeu (quod idem eſt) ab actione tranſeunte, non autem quod non habeat locum in categoria. Collocatur enim intellectio beatorum de diuina eſſentia in Categoria qualitatis, ex communi doctrina.

Intellectio beatorum eſt actio Grãmatic.

DVBITATIO SECVNDA.

An detur in beatis ſpecies expreſſa, ex eo actu, quo vident diuinam eſſentiam prout in ſe eſt.

1. Sententia eſt] negatiua.

SVnt qui putent nullam conſurgere ſpeciem in beatis ex actu viſionis diuinæ eſſentiæ: ità Henricus Gandauenſis, quodlibeto 3. quæſt. 4. Caiet. Canus, & alij nonnulli Thomiſtæ, idque quòd exiſtiment ſpeciem expreſſam produci tantùm in nobis quotieſcumque obiectum cognitum non eſt præſens per ſeipſum potentiæ cognoſcitiuę, ſed tantùm per ſuam ſpeciem impreſſam.

Beati producunt verbũ mentis.

1.

D. Auguſt.

Anſelm.

2.

Ceterùm contraria opinio videtur certiſſima. Primùm, quia Sancti Patres docent beatos in cęlis agentes, videndo diuinam eſſentiam producere verbum mentis, ſeu (quod idem eſt) ſpeciem expreſſam ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ. Ità D. Auguſtinus lib. 14. de Trinit. capit. 17. *Hinc* (inquit) *apparet tunc in iſta imagine Dei fieri eius plenam ſimilitudinem, quando eius plenam perceperit viſionem*, ſcilicet homo; & Anſelm. in Monologio, cap. 20. & alij nonnulli.

Deinde, obiectum intellectionis Patris cenſetur eſſe eidem præſentiſſimum; eſt enim hoc obiectum eſſentia diuina Pater, Filius, Spiritus ſanctus, & creaturæ omnes poſſibiles, omnium conſenſione, quæ omnino ſunt intellectui Patris præſentiſſima; & tamen de fide eſt Patrem per iſtam intellectionem producere Verbum, ſeu (quod idem eſt) Filium, qui eſt ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ eſt expreſſa ſimilitudo Patris.

3.

Tertiò, repugnat dari actionem veram, & item agens, quin detur etiam actum; quemadmodum repugnat dari producens, & productionem, & non dari productum: atqui beati agentes in cœlis verè & realiter agunt, vident enim diuinam eſſentiam per veram, & realem intellectionem: ergo producetur etiam aliquid per iſtam intellectionem: hoc autem cenſetur eſſe verbum mentis, ſeu ſpecies expreſſa, quemadmodum, & in ceteris alijs intellectionibus contingit. Hæc eſt expreſſa ſententia multorum Thomiſtarum, & Scotiſtarum in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. art. 3. poſt 2. Concluſ. Ferrarienſ. lib. 1. contra Gentes, capit. 23. (licèt contrariam putet eſſe probabilem) Sylueſtri, Peſantij diſputatio. vnica ad artic. iſtum S. Thom. Suar. Vazq. & fere recent. omnium.

Obiectio.

Obijcies in Patre, Filio, & Spiritu ſancto dari veram, & realem intellectionem, & tamen per iſtam intellectionem, nihil planè producitur intrà diuinam eſſentiam, ſed tantùm per notionalem, quę ſoli Patri competit.

Intellectio communis Sanctiſſimæ Trinitati non eſt propria actio.

Reſp. Intellectionẽ communem tribus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, non eſſe actionem prorſus dictam, ſed tantùm concipi à nobis, per modum actionis; ac proinde non eſſe mirum, ſi per iſtam intellectionem nihil planè producatur.

Deinde, productiones admittuntur intrà diuinam eſſentiam, inter ea tantùm quæ opponuntur & diſtinguuntur inter ſe realiter; reſpectu verò diuinæ eſſentiæ nulla datur oppoſitio, nulla item diſtinctio realis, ſed ſumma ſimplicitas, & omnimoda identitas; intellectio autem per quã beati vident diuinam eſſentiam eſt vera, & realis actio, vnde debet neceſsariò habere terminum productum, propter cauſas ſupra explicatas. Terminus autem hic nihil aliud eſt, quàm verbum mentis, ſeu expreſsa ſimilitudo eſſentiæ diuinæ, provt hæc videtur à beatis.

DVBITATIO TERTIA.

An per omnipotentiam Dei fieri poſſit, vt detur ſpecies impreſſa perfectiſſimè repræſentans diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt.

Probabile eſt non dari poſſe huiuſmodi ſpeciẽ. Probationes

CONCLVSIO 1. *Probabile eſt non poſſe dari ſpeciem impreſſam quæ repræſentet diuinam eſſentiam vt in ſe eſt.* Primum, quia ſpecies impreſſa ex Dubit. 1. huius art. exit ab obiecto, quatenus obiectum eſt, vnde debet eſſe tanta, quantum eſt obiectum in ſe: at impoſſibile eſt dari quidpiam productum extra Deum, quod tantum ſit, quantum Deus eſt in ſe. Nam ſi ità res haberet, productum hoc extra Deum, non minùs eſſet Deus, quàm Deus ipſe; vindicaret quippe ſibi omnes omnino perfectiones diuinæ eſſentiæ: diuinitas autem multiplicari nullo modo poteſt ex omnium planè doctrina.

1.

2.

Deinde, res ſuperioris ordinis nequit repræſentari per ſpeciẽ inferioris ordinis, vt author eſt Dionyſius; ſed ſpecies iſta producta ex hypotheſi, quæ diuinam eſſentiam repræſentaret, prout in ſe eſt, eſſet inferioris ordinis à diuina natura: nam eſſentia diuina ex ſe, & ſua natura eſt ſupernaturalis, & improducta; ſpecies autem iſta impreſſa eſſet ſaltem producta, & fortè ordinis naturalis, ſi non in repræſentando, ſaltem in eſſendo.

3.

Tertiò, ſequeretur ſpeciem iſtam impreſſam non minùs eſſe infinitam, & perfectam, quàm ſit Deus: eſt enim de natura ſpeciei impreſſæ, quòd ſit ſimilitudo adæquata perfectiſſimè obiecto per eam repræſentato; at non poteſt dari infinitum in omni ratione entis, neque item perfectiſſimum in omni ratione entis, præter Deum.

4.

Quartò, ſequeretur ſpeciem iſtam impreſſam eſſe tuum eſſe: exiſtentia quippe in Deo, eſt idem nedum realiter, ſed etiam formaliter cum eſſentia diuina: at nulla res creata poteſt eſſe idem formaliter cum ſua exiſtẽtia, ex veriori opinione.

5.

Quintò, ſequeretur Deum non poſſe producere aliquid præſtantius ſpecie iſta impreſſa. Nam hæc tanta eſſet, quantus Deus eſt; ſed illatio eſt contra illud axioma communiſſimum: data quacumque re creata poteſt Deus producere perfectiorem in infinitum.

Digitized by Google

6. Sextò, ſequeretur inter Deum, & iſtam ſpeciem impreſſam dari relationem realem; eſt enim de ratione ſpeciei impreſſæ quòd ſit adæquata ſimilitudo obiecti: at in Deo nulla datur relatio realis reſpectu creaturæ.

7. Septimò, ſequeretur per ſpeciem iſtâ comprehendi Deum, & ſpeciem iſtam poſſe quempiam beare, quorum tamen neutrum probabile eſt: eſt enim Deus incomprehenſibilis, reſpectu cuiuſlibet rei creatæ: beatitudo item creaturæ rationalis poſita eſt in viſione ipſiuſmet diuinæ eſſentiæ, omnium conſenſione.

D. Thom. Denique, ità D. Thomas hoc loco, & lib. 3. contra Gentes, cap. 49. Durand. diſt. 49. lib. 4. quæſt. 2. Gandauenſis quodlibet. 2. & 4. & in ſua Summa quæſt. 2. art. 32. Caiet. Bannez, & Molina hoc loco, & plerique alij.

Multo probabilius eſt, non poſſe dari impreſſam ſpeciem.

CONCLVSIO 2. *Probabilius multò videtur poſſe dari ſpeciem impreſſam perfectiſſimè repræſentantem diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt.* Primùm, quia de facto datur ſpecies expreſſa in omnibus beatis de diuina eſſentia, clarè, & vt in ſe eſt viſa: ergo poterit etiam dari impreſſa.

1. Reſpondent Authores prioris Concluſionis, concello antecedente, negando conſequutionẽ, Aiunt enim propterea dari ſpeciem expreſſam de Deo viſo, prout in ſe eſt, quòd ſpecies expreſſa, non exeat ab obiecto, quatenus in ſe eſt, ſed tantùm quatenus cognitum eſt, ac proinde ſpecies expreſſa naturam cognitionis imitatur: imò eſt ipſamet cognitio. Species autem impreſſa poſtulat ex ſe, & ſua natura, vt exeat ab obiecto, quatenus obiectum eſt; vnde debet eſſe tanta quantum illud: implicat autem rem aliquam creatam eſſe tantam perfectiſſimè, & adæquatè quantus Deus eſt.

Reſponſio aduerſariorum ad primum argumentum diluitur.

Verùm reſponſio hæc non ſatisfacit plenè argumento. Primùm, quia non videtur eſſe magis difficile Deum repræſentari habitu, quàm actu, & formaliter: imò difficilius videtur aliquid repræſentari actu, quàm habitu ſeu poteſtate, vt videtur colligi ex creaturis, quæ in ſuo conceptu formali dicunt imperfectionem: iſtæ enim non poſſunt eſſe in Deo ſecundum ſuas rationes formales, bene tamen ſecundam virtuales, ſeu (quod idem eſt) ſecundùm eſſe eminens quod habere poſſunt: at ſpecies expreſſa repræſentat actu, & formaliter Deum in mente cuiuſlibet beati: ergo.

Deinde, falſum eſt abſolutè, & ſimpliciter quod aſſerunt authores iſti, ſpeciem ſcilicet impreſſam debere eſſe tantam, quantum eſt obiectũ: nam ſpecies v. g. hominis impreſſa, non eſt ſubſtantia, ſed tantùm accidens; ac proinde non eſt ſimpliciter tanta, quantus eſt homo.

Tertiò, ſpecies impreſſa debet adæquare tantùm ſuum obiectum in repræſentando, non autem in eſſendo.

Denique, per rationem iſtam loquendi, *Species impreſſa exit ab obiecto, quatenus obiectum eſt*, vel volunt ſignificare ſpeciem, non poſſe produci ab vllo alio, quàm ab obiecto repræſentato, vel debere eſſe perfectiſſimè æqualem obiecto repræſentato, ità vt nullum detur diſcrimen inter hæc duo; neutrum horum dici poteſt: Non quidem primum, quia in Angelis dantur ſpecies iſtarum omnium rerum ſenſilium, & tamen illę ſpecies non ſunt à rebus ſenſilibus productæ, ſed à ſolo Deo; intelligunt enim per ſpecies concreatas, ex communi doctrina, non autem per ſpecies emendicatas ab obiectis cognitis: Neque ſecundum; quia diximus ſpeciem impreſſam hominis non eſſe æquè perfectam, atque eſt ipſe homo: homo enim eſt verè ſubſtantia, & ſpecies eius impreſſa eſt accidens receptum in intellectu hominis, per quod accidens repręſentatur omnis perfectio, quæ datur in homine.

Aliorum Solutio. Alij verò reſpondent, propterea non dari ſpeciem impreſſam Dei, nec poſſe dari, licèt detur ſpecies expreſſa eiuſdem; quia ſpecies impreſſa debet eſſe magis ſpiritualis, quàm ſit obiectum repræſentatum: impoſſibile autem eſt dari aliquid, quòd ſit magis ſpirituale quàm Deus. *Enervatur.* Sed neque iſti aliquid dicunt; nam licèt ſpecies impreſſæ rerum ſenſilium ſint magis ſpirituales, quàm res ſenſiles intellectæ ab intellectu creato, non tamen propoſitio hæc vera eſt, de qualibet ſpecie impreſſa. Species enim impreſſæ, quibus Angeli intelligunt, non ſunt magis ſpirituales quàm ſint ipſimet Angeli. Denique ſpecies expreſſa de Deo viſo, verè conſequitur naturam ſpeciei, & tamen nullus eſt qui audeat fateri ſpeciem iſtam magis ſpiritualem eſſe, quàm ſit Deus.

Aliorum Reſponſio. Alij reſpondent propterea non poſſe dari ſpeciem impreſſam de Deo, licèt detur expreſſa, quoniam ſi ſpecies iſta impreſſa daretur, à ſolo Deo produceretur, ac proinde non minùs eſſet infinita, quàm Deus: implicat autem aliquid eſſe æquè infinitum, vt Deus eſt.

At neque iſti argumento ſatisfaciunt: nam quod creatur, à ſolo Deo producitur tamquam à cauſa præcipua & principali, & tamen res creata non propterea æquè eſt infinita, atque Deus ipſe; ſed verè finita, vt conſtat ex hoc vniuerſo.

Deinde, Deus eſt quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extra. Denique, tota ratio cur aliqua res producta habeat has, & iſtas tantùm perfectiones, repetenda eſt ex ſola Dei voluntate, & ex natura, atque eſſentia eiuſdem ex communi doctrina.

Aliorum effugium præcluditur. Alij denique reſpondent, propterea non poſſe dari ſpeciem impreſſam de Deo, licèt detur expreſſa, quòd illa detur tantùm, quando obiectum non eſt per ſeipſum præſens proximè, & immediatè potentiæ cognoſcitiuæ: Deus autem nequit eſſe indiſtans ab vlla planè re creata, aut ab vllo loco propter ſuam immenſitatem, quæ poſtulat vt ſit neceſsariò in omnibus locis, & rebus intimè præſens.

Ceterùm neque iſti ſatisfaciunt argumento, loquuntur enim de lege communi, non autem de poteſtate Dei abſoluta, qua ratione contendimus non implicare dari ſpeciem impreſsam de Deo.

Probat 2. precedens Concluſio. Secundò probatur concluſio: Ea tantùm ſunt potentiæ diuinæ hęganda, quæ manifeſtam inuoluunt contradictionem: at nullam dicit contradictionem productio ſpeciei impreſsæ, reſpectu repręſentationis diuinę eſsentię, aut ſi dicat aliquam, afferatur ab authoribus primę ſententię. Item, duo videntur tantùm eſse neceſsaria ad hoc vt detur ſpecies impreſsa de re aliqua: primùm, vt res iſta poſsit repręſentari prout eſt à parte rei ſecundùm omnem ſuam perfectionem, & proprietatem.

Deinde, vt ſpecies iſta poſſit recipi in intellectu, tamquam in ſubiecto; atqui certum eſt Deum poſsę repręſentari, beati quippe videndo diuinam eſsentiam formant ſpeciem aliquam de

Deo

Deo viſo : imò Verbum diuinum dicitur expreſſa ſimilitudo Patris : certum eſt etiam ſpeciem impreſſam ſi ex hypotheſi daretur de Deo, poſſe locari in intellectu noſtro tamquam in ſubiecto : ergo. In hac ſententia ſunt Scotus in 4. diſt. 49. & quodlibet. 8. Aureolus apud Capreolum, diſtinct. proximè citata, quæſt. 5. & Richardus diſt. 14. art. 1. quæſt. 3. quo loco docent animam Chriſti videre diuinam eſſentiam media ſpecie aliqua, Gregorius Ariminenſis, & communiter Nominales. Molina 1. parte quæſt. 12. artic. 2. diſp. 1. concluſ. 4. Suarez diſp. 13. ſuæ metaphyſ. ſect. 11. num. 27. & lib. 2. de diuinis attributis, ad hanc partem Sancti Thomæ, cap. 13. numero 10. Vazq. diſp. 18. cap. 2. & 19. & 43. cap. 7. eamdem probabilem putat Salas in 1. 2. quæſt. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. num. 19. & 13. Ægidius de Præſent. art. 2. quæſt. 2. lib. 8. partis 2. à 1. ad vltimum, & alij multi.

Si daretur ſpecies eſſet ordinis ſupernaturalis.

Vt autem Concluſio hæc faciliori negotio defendi queat. Aduerte 1. ſpeciem impreſſam, ſi daretur de Deo futuram ordinis ſupernaturalis: Conuenit enim inter omnes ſpeciem impreſſam rei cuiuſlibet imitari naturam, & eſſentiam ſui obiecti in ratione ſpecici. Deus autem in ſe eſt ſupernaturalis ordinis.

Deinde, ſupernaturale cenſetur eſſe illud, quod nequit cognoſci à creatura, relicta intrà terminos ſuæ naturæ, ſed eget ad id ſpeciali aliquo auxilio : at ſpecies iſta, ſi ex hypotheſi daretur non poſſet hæc intelligi, ab vlla planè creatura naturaliter : imò non poſſet produci hæc ab vllo planè agente naturali, ſed deberet habere ortum à ſolo Deo, ſaltem tamquam à cauſa præcipua, & principali.

Denique, fides, ſpes, charitas, & alia huius generis, ideò ſunt ordinis ſupernaturalis, quòd perficiant hominem in ordine rei alicuius ſupernaturalis. Species autem iſta impreſſa ſi daretur in homine perficeret eumdem, in ratione entis ſupernaturalis; nam conſtitueret eum potentem (interueniente tamen lumine gloriæ) ad cognoſcendum Deum clarè, & vt in ſe eſt. Ità fere omnes autores proximè citati.

Foret diſtincta cognitio per ſpecies.

Aduerte 2. cognitionem, quæ daretur in nobis de Deo media ſpecie impreſſa ſi daretur, futuram diſtinctam, & intuitiuam, non autem confuſam & abſtractiuam : nam cognitio illa cenſetur eſſe intuitiua, quæ fit de re aliqua per propriam ſpeciem; Deus autem cognoſcitur à nobis per propriam ſpeciem.

Deinde, nō minùs perfectè cognoſceretur Deus per iſtam ſpeciem impreſſam, quàm cognoſcatur homo per ſpeciem ſibi propriam impreſſam cognoſcenti.

Tertiò, cognitio confuſa, & abſtractiua fit per ſpecies alienas: hac ratione cognoſcitur Deus à nobis per creaturas.

Euentilātur argumenta in fauorem Concluſ. 1. allata.

Ad rationes verò adductas in confirmatione 1. Concluſionis, reſp. Ad 1. Speciem impreſſam ſi daretur de Deo futuram tantam, quantus Deus eſt, non quidem in eſſendo, ſed in repræſentando. Ex iſtis autem nulla ſequitur abſurditas. Nam quemadmodum imago Dei verè adorari poteſt latriâ ſinè vllo periculo idololatriæ, licèt imago ipſa non ſit Deus; ſed res aliqua creata, & producta: ità ſpecies producta perfectiſſimè repreſentaret Deum, ac proinde eſſet ei æqualis; in ſe tamen, & à parte rei, ſecundum propriam entitatem, res eſſet aliqua creata, & finita, quemadmodum imago Dei eſt verè res aliqua creata.

Inſtabis, rationem ſpeciei poſitam eſſe tantùm in repræſentando. Reſp. Hoc eſſe verum, ſi ſumatur ſpecies impreſſa reduplicatiuè: ità enim dicit, tantummodò expreſſam obiecti ſimilitudinem. Specificatiuè tamen aliquid aliud dicit præter repræſentationem obiecti : nam à parte rei verè eſt entitas aliqua realis, & producta, quæ proinde reuocatur ad certam aliquam categoriā; res autem omnis collocatur in categoria finita, vt eſt per ſe notum. *Replica.*

Ad 2. Reſp. Primò, propoſitionem iſtam, res ſuperioris ordinis nequit repræſentari per rem inferioris ordinis, eſſe abſolutè falſam: homo enim perfectiſſimè repræſentatur per propriam ſpeciem; & tamen hæc, res eſt aliqua inferior homine, cùm ſit accidens, homo autem ſubſtantia. 2.

Dices, propoſitionem prædictam extare apud Dionyſium, cap. 1. de diuinis nominibus. Reſp. Dionyſium velle tantùm rem ſuperioris ordinis, quæ eſt ipſummet obiectum cognitum, non poſſe repræſentari quidditatiuè per rem inferioris ordinis ſimpliciter ſpectatam, vt eſt res inferioris ordinis; non autem vt eſt ratio tantummodo cognoſcendi obiectum repræſentatum, qua ratione ſpecies impreſſa explicata fuit à nobis in antecedentibus, ac proinde vult D. Dionyſius hominē v.g. non poſſe cognoſci eſſentialiter, & quidditatiuè per Bouem capram, aut aliquid aliud ſimile. Non negat autem poſſe cognoſci per propriam ſpeciem impreſſam, idque quòd ſpecies impreſſa hominis perfectiſſimè repræſentet hominem ſecundùm quodlibet eius attributum eſſentiale, & ſibi proprium, ſitque ſpecies iſta, ratio cognoſcendi hominem, non autem obiectum cognitum.

Notabile. Aduerte, per ſpeciem ſuperioris ordinis poſſe repræſentari res inferioris ordinis, ac proinde poſſe etiam res iſtas inferiores intelligi per ſpecies iſtas altioris ordinis; propter hanc quippe cauſam fatentur omnes Thomiſtæ in tractat. de Angelis, per ſpecies quàm maximè vniuerſales Angelos ſuperiores vnico actu ſimpliciſſimo cognoſcere omnes naturas genericas, & ſpecificas ſubſtantiæ : minimè verò per ſpecies rerum inferiorum poſſunt intelligi quidditatiuè res ſuperiores.

Ad 3. Reſp. Non propterea ſpeciem impreſſam futuram eſſe infinitam ſecundum ſuam entitatem, & æquè perfectam, atque Deus eſt perfectus, ſed tantùm in repræſentando, vt diximus ad 1. 3.

Ad 4. Speciem impreſſam, non propterea futuram eſſe formaliter idem cum ſua exiſtentia; nam idem eſt iudicium de iſta ſpecie, quod de ceteris omnibus alijs repræſentantibus ſubſtantiam aliquam; conueniunt enim ex æquo in ratione ſpeciei impreſſę; certum autem eſt ſpeciem v. g. hominis impreſſam, non eſſe formaliter, & intrinſecè ſuam exiſtentiam, quemadmodum neque vlla ſpecies impreſſa eſt ſubſiſtentia rei, quam repręſentat. 4.

Ad 5. Reſp. Negando illationem maioris; poſſet enim Deus reddere ſpeciei iſti impreſſę perfectionem aliquam, ſi ſpectetur ſpecies iſta ſpecificatiuè, non autem ſi reduplicatiuè: neque hoc magis abſurdum eſt quàm nihil addi poſſe homini reſpectu ſuę eſſentię, licèt aliquid ei ad- 5.

Digitized by Google

di poſſit in ratione ſubſtantiæ recipientis de nouo aliquam perfectionem.

6. Ad 6. Reſp. Non propterea dari relationem æqualitatis realem inter Deum, & ſpeciem impreſſam: idem quippe dicendum de iſta æqualitate, quam diceret Deus ad ſpeciem impreſsam eiuſdem, ſi daretur, quod de creatione reſpectu Dei, & creaturæ: certum autem eſt Deum non dicere relationem realem ad creaturam: idque quòd hic nullo modo pendeat à creatura, ſed tantùm dicimus de creatura quòd referatur ad Deum relatione reali: ità ſpecies impreſſa diceret relationem realem reſpectu Dei, Deus verò diceret tantùm ad ſpecié relationem rationis, neque enim daretur vna, & eadem planè forma in Deo, & in ſpecie impreſſa, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium ad hoc vt ſequatur relatio æqualitatis inter duo extrema.

7. Ad vltimam Reſpond. Expoſitione ſpeciei impreſſæ repræſentantis diuinam eſſentiam non poſſe colligi, comprehendi illam ab eo, qui haberet eiuſmodi ſpeciem. Diximus enim illam non futuram ſimpliciter æqualem Deo in eſſendo, ſed tantùm in repræſentando. Deinde, ad hoc vt Deus comprehendatur ab aliquo ſimpliciter, & abſolutè requiritur, vt nihil planè ſit intrà diuinam eſſentiam, quod non cognoſcatur ab eo, qui videt eamdem: per ſpeciem autem impreſſam, ſi daretur de Deo, non cognoſceretur illud omne, quod de facto datur intrà diuinam eſſentiam: nam attributa libera ſunt ex ſe, & ſua natura occulta, ac proinde nequeunt intelligi, ex vi viſionis ſolius diuinæ eſſentiæ, ſed deſideratur aliquid aliud, vt probabitur inferiùs, ac proinde non viderentur iſta attributa ex vi viſionis ſpeciei intelligibilis repræſentantis eſſentiam diuinam; neque etiam ſpecies iſta quempiam beare poſſet, primùm quia ſpecies impreſſa eſt tantummodò ratio videndi obiectum repręſentatum, non autem eſt res cognita; fieri autem nequit vt àliquis ſit beatus niſi de facto videat Deũ; eſt enim hic obiectum beatitudinis noſtrę. Deinde, beatitudo creaturæ rationalis ſumenda eſt ex obiecto ſimpliciter infinito in omni planè ratione entis: Species autem impreſſa, ſi daretur de Deo, non eſſet infinita ſecundùm ſuam entitatem, ſed finita: ergo non poſſet creaturam rationalem beare, licèt in repræſentando eſſet infinita.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Deus videri poſſit oculis corporeis.

DVo conſueuerunt hoc loco explicari, Alterum an oculus corporeus hactenus diuinam eſſentiam conſpexerit, prout in ſe eſt; Alterum an ſaltem diuina virtute fieri poſſit, vt Deus videatur ab oculo corporeo clarè, & vt in ſe eſt.

Quod attinet ad 1. fatentur omnes neminem hactenus vidiſſe Deum oculis corporeis, eò quòd Deus ſit extra latitudinem obiecti adæquati ipſius oculi; habet enim hic pro obiecto ſibi adæquato coloratum, & luminoſum ſenſile. Certum autem eſt rationem colorati, & luminoſi ſenſilis non reperiri formaliter intrà diuinam eſſentiam; imò neque in ea dari poteſt, cùm dicant hæc duo manifeſtam imperfectionem.

Quod attinet ad 2. ratio dubitandi occurrit, prima, quòd cap. 19. Iob dicatur. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die, &c. Et in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt, &* cap. 42. *Auditu auris audiui te, & oculus meus videt te.* *Rationes dubitandi.* Iob. 19. v. 25. & 26. Idem 42. verſ. 5.

Deinde, D. Auguſtinus videtur affirmare beatos poſt reſurrectionem viſuros eſſe diuinam eſſentiam oculis corporeis; ità enim ait, cap. 29. lib. 22. de Ciuitat. *Dico itaque quòd viſuri ſint Deum in ipſo corpore, ſed vtrum per ipſum, ſicut per corpus nunc videmus Solem, Lunam, ſtellas mare, ac terram, non parua quæſtio eſt.* Et paucis interiectis. *Sed vtrùm videbunt & per oculos corporis, cùm eos apertos habebunt, inde quæſtio eſt. longe itaque alterius erunt potentiæ, ſi per eos videbitur in corporea illa natura, quæ non continetur loco, ſed vbique tota eſt:* Loquitur autem manifeſtè de oculis glorificatis. & Epiphan. hæreſi 48. verbis expreſſis fatetur beatos poſt reſurrectionem viſuros eſſe diuinam eſſentiam per oculos corporeos. D. Auguſt.

Denique, ignis inferni agit in animas in ipſo exiſtentes, licèt iſte ignis ſit ſenſilis, & animæ ſint ſubſtantiæ ſpirituales: idem concedendum eſt de igne purgatorij reſpectu animarum, quæ ibidem agunt: ergo.

Conclvsio. *Per nullam potentiam fieri poteſt vt oculus corporeus eleuetur ad viſionem diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt.* Primùm quia Scripturę docent ſimpliciter, & abſolutè Deum eſſe inuiſibilem, 1. Timoth. cap. 6. & Rom. 1. Teſtimonia autem iſta explicantur à multis Patribus de Deo comparato cum oculis corporeis. *Non poteſt eleuari oculus corporeus.*

Deinde, id docent verbis expreſſis SS. Patres, Irenæus lib. 4. contra hæreſ. cap. 37. Epiphan. hæreſi 70. D. Auguſtinus epiſtol. 110. 111. & 112. & lib. de Geneſ. ad liter. 8. cap. 27. & Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 8. Irenæus. D. Auguſt. Ambroſ.

Tertiò, fieri non poteſt vt aliquid agat ea quæ ſunt extra latitudinem ſui obiecti adæquati, vt communiter fatentur omnes, & ratio manifeſtè conuincit; repugnat enim eſſe obiectum adæquatum, & dari aliquid extra huiuſmodi obiectum quod poſſit à potentia aliqua attingi: ità enim eſſet obiectum adæquatum, & non adæquatum: at Deus eſt extra latitudinem obiecti adæquati potentiæ viſiuæ ſenſilis, nam obiectum iſtius potentiæ adæquatum eſt coloratum & luminoſum ſenſile.

Reſpondent tamen aliqui propoſitionem minorem, veram eſſe de oculo corporeo relicto intrà terminos propriæ naturæ, ſeu (quod idem eſt) de oculo corporeo ſpectato ſecundùm modum agendi ſibi connaturalem; non autem de oculo prout ſubijcitur diuinę omnipotentię reſpectu potentię obedientialis, qua ratione poteſt attingere aliquid quod non ſit coloratum: illa eadem ratione, qua ignis inferni attingit animas, licèt iſtę non ſint capaces ſuſceptionis caloris, quem tamen ignis naturaliter tantùm producere poteſt. *Reſponſ. aliquorum.*

Ceterùm reſponſio hęc non ſatisfacit argumento: nam illud cenſetur eſſe obiectum adęquatum cuiuſlibet potentiæ, per quod potentia diſtinguitur ſpecie à ceteris omnibus alijs. Conuenit enim inter omnes, vnitatem ſpecificam cuiuſlibet potentiæ repetendam eſſe ab obiecto eiuſdem; at coloratum, & luminoſum ſenſile ſunt obiectum adęquatum potentię viſiuę; quemad- *Refutatur.*

Digitized by Google

modum & obiectum adæquatum potentiæ auditiuæ cenſetur eſſe ſonorum.

Deinde, oculus corporeus quatenus corporeus eſt, nullam aliam elicit actionem præter viſionem ſenſilem: at viſio Dei nequit eſſe ſenſilis, cùm Deus ſit ſubſtantia ſimpliciter ſpiritualis. In hac Concluſ. tunt Sanctus Thomas hoc loco, & in lib. contra Gentes, maximè verò lib. 3. capit. 44. & Interpret. eiuſdem omnes hoc loco, & Sent. in 4 diſt. 49.

D. Thom.

Satisfit rationibus dubitandi.

Ad rationes verò reſpon. Ad 1. Ex illis locis Scripturæ aliquos colligere Deum videndum eſſe à beatis in ſpecie aliqua ſenſili, repræſentante aliqua ratione diuinam eſſentiam. Verùm reſponſio hæc non videtur defendenda. Diximus enim de communi lege nullam dari ſpeciem impreſſam, quæ repræſentet Deum prout in ſe eſt.

Deinde, quia verior videtur opinio Sancti Thomæ, Caiet. & multorum aliorum interpretum, cap. 19. Iob. qui aiunt caput hoc (quod attinet ad locum in argumento explicatum) intelligendum eſſe de humanitate Chriſti, quam quilibet beatus videbit oculis ſenſibilibus poſt reſurrectionem. Adde Iob affirmare ſe viſurum in carne Deum, non autem per ipſammet carnem, ſed in carne, quoniam anima in die reſurrectionis vnietur proprio corpori, & hęc ità cõſtituta in corpore, diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt conſpiciet, ceterùm oculis mentis, non corporis.

D. Auguſt.

Ità D. Auguſtinus lib. 22. de Ciuitat. Vide multa de hac re apud interpret. cap. 19. Iob, maximè verò apud Pinedam.

2.

Ad 2. Reſp. D. Auguſtinum nihil de hac re affirmaſſe, vt conſtat ex eo capite quod citatur in argumento, ſed tantùm dubitaſſe: alibi tamen expreſsè docuit Deum non poſſe videri oculis corporeis, vt conſtat ex locis citat. in confirmatione noſtræ Concluſionis.

Vltima.

Ad vltimam reſpondent aliqui 1. Deum propterea non poſſe videri oculis corporeis, licèt animæ rationales patiantur in inferno ab igne, & in purgatorio, quia nullus datur in Deo modus ſenſilis per quem vniri poſſit oculo corporeo, quod tamen putant eſſe ſimpliciter neceſſarium, vt aliquid videatur ab illo. Ceterùm hæc reſponſio eſt planè impertinens: nam fides docet Verbum diuinum vnitum eſſe hypoſtaticè humanitati Chriſti, & tamen nullus datur modus ſenſilis in Verbo diuino, neque dari poteſt per quem vniatur humanæ naturæ: eſt enim hoc ſimpliciter ſupernaturale, & immutabile.

Alij verò reſp. 2. Ignem habere rationem cauſæ inſtrumentalis reſpectu animarum inferni, & purgatorij; oculum verò corporeum non poſſe eſſe inſtrumentum reſpectu viſionis eſſentiæ diuinæ. Verùm neque hæc reſponſio plenè ſatisfacit, nam quælibet res creata comparata cum Deo, poteſt eſſe eius inſtrumentum; omnia quippe ex æquo ſubijciuntur Deo.

Deinde, inſtrumentum definitur communiter, id quod eatenus agit, quatenus ab alio mouetur, & quidem extrinſecè: at quælibet res creata quæcumque illa ſit, mouetur à Deo in ſuis actionibus exercendis extrinſecè, & aſſiſtenter, vt loquuntur, ergo.

Reſpondeo igitur, propterea oculum corporeum non poſſe eleuari ad viſionem diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, quod viſio diuinæ eſſentiæ ex ſe, & ſua natura ſit intellectio; impoſſibile autem eſt aliquid intelligere, niſi detur in eo vis intellectiua: hæc autem nec eſt nec dari poteſt in oculo corporeo, cùm vis intelligendi ſit potentia quædam manans intrinſecè à ſubſtantia quadam rationali.

Vera argumenti ſolutio.

Deinde, de ratione viſionis diuinæ eſſentiæ eſt, vt ſit actio vitalis, non cuiuſlibet vitæ, ſed ſpiritualis; vita autem ſpiritualis nequit competere oculo corporeo, ac proinde licèt rationes iſtæ ſint à poſteriori, non poterit tamen oculus corporeus eleuari ad viſionem diuinæ eſſentiæ; etſi ignis inferni de facto torqueat animas in ratione cauſæ efficientis phyſicæ; habet enim ignis reſpectu huius actionis rationem cauſæ merè inſtrumentalis.

ARTICVLVS QVARTVS.

An detur in nobis potentia naturalis, ad videndam diuinam eſſentiam.

DVBITATIO PRIMA.

An detur in nobis cauſa totalis, & adæquata, qua naturaliter producat actum viſionis, circa diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt.

Non datur totalis cauſa viſionis in nobis.

CONCLVSIO. *Non datur de facto, neque dari poteſt.* Primùm, quia ex ſacris litteris Deus eſt ſimpliciter inuiſibilis.

Deinde, quia ex ijſdem Scripturis viſio diuinæ eſſentię datur gratuitò, & liberaliter à Deo quibuſuis beatis, Pſalm. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, & Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.*

Pſal. 83. verſ. 12. Rom. 6. verſ. 23.

Tertiò, Sancti Patres precibus, & ſuffragijs poſtulant à Deo viſionem eſſentię diuinę, Exod. 33. *Oſtende mihi Domine faciem tuam*, ait Moyſes, & Philip. 15. Ioan. 14. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.*

Exod. 33. verſ. 18.

Probat.

Quartò, nulla datur in nobis totalis, & adęquata potentia reſpectu actuum fidei, ſpei, & charitatis, vt manifeſtè colligitur ex Concilijs Mileuitano, Arauſicano 11. & Trident. ſeſſion. 6. can. 3. dicitur enim illic, *Si quis dixeris hominem ſinè ſpeciali Dei auxilio poſſe credere, ſperare & diligere, vt oportet, anathema ſit:* atqui actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ non minùs ſunt ſupernaturales, quàm actus fidei, ſpei, & dilectionis, omnium planè conſenſione.

Ioan. 14. verſ 8. Concilia Tridentin. Arauſ. Mileuit.

Confirmat.

Confirmatur. Actus ordinis ſupernaturalis nequit eſſe à potentia ſimpliciter naturali: at omne principiũ quod datur in nobis naturaliter productiuum alicuius operationis, eſt ordinis naturalis: ergo.

5.

Quintò modus agendi, qui datur in nobis naturaliter, reſpectu intellectus pendet à ſenſibus externis, ex communi doctrina Ariſtotelis, ſed eſſentia diuina, prout in ſe eſt à nullis ſenſibus externis deprehendi poteſt, idque quod ſit ſimpliciter inſenſilis.

D. Auguſt.

Denique, ità docent Patres, Auguſt. epiſt. 111. cap. 7. *Inuiſibilis*, inquit, *eſt natura Dei, non tantũ Pater, ſed ipſa Trinitas, vnus Deus. Et quia non tantũ inuiſibilis, ſed etiam incommutabilis, ſic apparet in qua voluerit ſpecie, vt apud eum integra maneat eius inuiſibilis, incommutabiliſque natura.* Et poſt pauca. *Ipſe ergo erat in ea ſpecie, qua apparere*

voluerat, non autem ipſe apparebat in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat; quia Deum nemo vidit unquam, nec videre poteſt: idem ferme habet epiſtol. 102. & 112. Chryſoſtomus homil. 17. in Ioan. Theodoret. in dialogo qui dicitur immutabilis. Epiphanius, hæreſi 7. Theophylactus ad cap. 1. Ioann. Ambroſius ad cap. 1. Luc. & Scholaſtici in 4. diſtinct. 49. & Thomiſtæ ad 1. 2. quæſtion. 2. art. 1.

Chryſoſt. Theodor. Epiphan. Theophyl. Ambroſ.

Obiectio. Dices, Chriſtum quatenus homo eſt, à primo inſtanti ſuæ conceptionis, & item beatos in cœlis videre diuinam eſſentiam clarè, & vt in ſe eſt.

Solutio. Reſpondeo, ex iſtis probari tantùm dari in anima Chriſti, & cæterorum agentium in cœlis potentiam videndi diuinam eſſentiam, non quidem totalem, ſed tantùm partialem remotam, & imperfectam, vt probabitur Dubitatione proximè ſequenti. Non enim vident beati diuinam eſſentiam medio ſolo intellectu, relicto intrà terminos propriæ naturæ, ſed illuſtrato, & perfuſo lumine gloriæ, ità vt eleuetur intellectus cuiuſlibet beati medio lumine gloriæ, ad eliciendum actum viſionis circa diuinam eſſentiam: ità communiter omnes hoc loco.

DVBITATIO SECVNDA.

An detur ſaltem in nobis potentia aliqua partialis naturalis reſpectu viſionis, & amoris diuina eſſentiæ prout in ſe eſt.

Sentent. 1. DE qua re tres ſunt Theologorum ſententiæ. Prima, contendit nullam dari in nobis potentiam naturalem reſpectu actuum viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt, etiamſi ſermo ſit de potentia partiali remota, & imperfecta. Addunt potentiam reſpectu prædictorum actuum totam eſſe in nobis obedientialem; ità vt quemadmodum aqua calida verbi gratia non eſt cauſa productionis caloris, qui ex hypotheſi producitur ab huiuſmodi aqua calida, niſi ex eo ſolo nomine, quòd in ſe ſuſtineat calorem: ità de intellectu noſtro affirmant, quòd eatenus producat viſionem diuinæ eſſentiæ, quatenus in ſe ſuſtinet lumen gloriæ, ac proinde tota vis producendi viſionem diuinæ eſſentiæ refunditur ab iſtis authoribus in lumen gloriæ receptum intrà intellectum creatum.

Fundam. 1. Probant 1. quia ſacra Concilia, & item Patres affirmant gratiam, & cetera auxilia ordinis ſupernaturalis, infundi à Deo Optim. Maxim. ad operandum ſimpliciter, non autem ad faciliùs, & magis expeditè operandum: ergo nulla planè datur in nobis potentia reſpectu actus viſionis & amoris diuinæ eſſentiæ. Confirmant. Hoc intereſt (inquiunt) inter habitus naturales, & ſupernaturales, quòd illi iuuent, & facilitent potentias in ſuis actionibus exercendis; propter hanc enim cauſam, ex doctrina communi Sancti Thomæ habitus iſti locantur in potentijs, quòd difficultas operandi ſit in ipſiſmet potentijs: iſti verò faciunt ſubiectum, in quo recipiuntur ſimpliciter & abſolutè potens ad operandum: ergo.

Fundam. 2. Deinde, ſi daretur in nobis aliqua potentia partialis, imperfecta & remota reſpectu viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ, ſequeretur hominem naturaliter poſſe conſequi beatitudinem æternam, ſaltem ex eo capite, quòd potentia eſſet in nobis naturalis, ad actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ exercendos: at illatio iſta ſapit hæreſim Pelagij, exiſtimantis hominem poſſe conſequi vitam æternam per principia ſibi tantùm à natura tributa.

Fundam. 3. Denique, actus viſionis, & amoris eſſentiæ ſimpliciter, & abſolutè ſpectati, ſunt ordinis ſupernaturalis: ergo producuntur neceſſariò à principio aliquo totaliter ſupernaturali Ità docent Thomiſtæ recentiores: pluribus verò Sotus in 4. diſt. 49. §. 3. art. 2.

Sentent. 2. Secunda ſententia eſt eorum, qui putant in nobis dari potentiam à natura inſitam reſpectu actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ, vt in ſe eſt: addunt tamen potentiam iſtam non eſſe cauſam per ſe actus viſionis, & amoris, ſed tantùm inſtrumentalem. Ità docent plerique recentiores, maximè verò Suarez diſp. 31. ad 3. partem Sancti Thomæ ſect. 5. 6. & 7. & diſp. 29. ſect. 2. §. ex iſtis infertur.

1. Probant. Si intellectus & voluntas eſſent cauſæ per ſe actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ clarè, & vt in ſe eſt viſæ, eſſent cauſæ vel homonymæ, vel ſynonymæ; at neutrum ex iſtis dici poteſt. Non quidem primùm, quia concedendum eſſet de intellectu, & voluntate relictis intrà terminos propriæ naturæ, quòd eſſent præſtantiores actibus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ, quod tamen manifeſtè falſum eſt; cùm actus iſti ſint ſimpliciter ſupernaturales, & quidem ſecundùm ſe toti; intellectus autem & voluntas, ſunt ordinis naturalis. Ratio hæc nititur hoc fundamento apud omnes receptiſſimo; Cauſam ſcilicet æquiuocam præſtantiorem eſſe ſuo effectu. Neque ſecundum dici poteſt; ità enim concedendum eſſet de intellectu, & voluntate noſtra, quòd eſſent eiuſdem ordinis, & perfectionis cum actibus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ: effectus enim vniuocus reſpondet perfectiſſimè cauſæ vniuocæ ità vt eadem planè ſit vtriuſque natura, & eſſentia; ergo intellectus, & voluntas erunt tantùm cauſæ inſtrumentales, non autem per ſe, actuum viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ vt in ſe eſt.

Argum. 2. Deinde, de ratione cauſæ per ſe alicuius effectus eſt, vt nulla detur perfectio in effectu, quæ non reperiatur in cauſa, vel formaliter, vel certè nobiliori modo, quàm ſit in effectu: at in actibus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ datur aliqua perfectio formaliter, quæ non eſt in intellectu, & voluntate noſtra, neque formaliter, neque eminenter: nam actus prædicti ſunt ſimpliciter ſupernaturales formaliter; intellectus autem, & voluntas relicti intrà terminos propriæ naturæ, nulla ratione ſunt ſupernaturales.

Argum. 3. Tertiò, cauſa per ſe producit ſuos effectus per virtutem aliquam ſibi intrinſecam, & per concurſum ſibi naturaliter debitum: at intellectus, & voluntas non producunt actum viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, per virtutem aliquam ſibi debitam naturaliter, neque item per concurſum ſibi connaturalè, ſed medio lumine gloriæ, quod cõfertur liberalitate diuina cuilibet beato; ità vt tota vis pro-

Digitized by Google

producendi actum viſionis diuinæ eſſentiæ repetenda ſit ab iſto lumine gloriæ : ergo cùm non concurrat intellectus ad iſtam viſionem, in ratione cauſæ per ſe, debet concurrere in ratione cauſæ inſtrumentalis : non enim dantur plura genera cauſarum.

Probat. vlt. Denique, cauſa inſtrumentalis cenſetur eſſe ea quæ eatenus agit, quatenus ab alio mouetur, & quidem extrinſecè, & aſſiſtenter, vt conſtat ex penna quæ nuſquam ſcribit, niſi moueatur ab homine ſcribente : at intellectus noſter nunquam elicit actum viſionis diuinæ eſſentiæ, niſi fuerit hic motus à Deo Optim. Maxim. medio lumine gloriæ : ergo ſe habet vt cauſa inſtrumentalis in ordine ad ipſam.

Addunt authores iſti, intellectum noſtrum comparatum cum viſione, & item voluntatem, cum amore eiuſdem, habere rationem potentiæ actiuæ obedientialis, idque quòd nulla detur in intellectu & voluntate capacitas naturalis in ratione cauſæ per ſe, reſpectu actuum viſionis, & amoris diuinæ naturæ ; ſed vis agendi tota refundenda eſt in lumen gloriæ.

Deinde, cuilibet potentiæ paſſiuæ obedientiali reſpondet aliqua alia actiua : datur autem paſſiua, nam intellectus recipit lumen gloriæ verè, & realiter, & voluntas recipit similiter ſpeciale aliquod aliud auxilium ordinis ſupernaturalis, per quod conſtituitur potens ad hoc vt amet diuinam eſſentiam clarè viſam.

Sententia 3. Tertia ſententia docet in nobis dari potentiam à natura inſitam reſpectu actuum viſionis, & amoris Dei prout in ſe eſt. Ceterùm imperfectam, partialem, remotam, & veluti radicalem, nempe intellectum & voluntatem. Addunt potentiam iſtam, compleri in ratione potentiæ totalis, & adæquatæ per lumen gloriæ ; ità vt ex iſtis conſurgat vna cauſa totalis, & per ſe productiua actus viſionis, quarum neutra ſeorſim ſumpta ſatis eſt ad producendum actum viſionis, bene tamen ſi ſimul, & vnà ſumantur : hæc autem ſententia explicatur ſequentibus Concluſionibus, & refutantur duæ priores.

Intellectus non eſt cauſa inſtrumentalis.

CONCLVSIO 1. *Intellectus, & voluntas non ſunt cauſæ inſtrumentales reſpectu viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ, prout hæc videtur à beatis.*

Probat. 1. Primò, intellectus, & voluntas non ſunt cauſæ inſtrumentales reſpectu intellectionum, & volitionum naturalium : ergo neque ſunt etiam cauſæ inſtrumentales intellectionum, & volitionum ſupernaturalium : cuius generis ſunt viſio, & amor Dei, prout ſunt in beatis. Nam tota ratio, cur intellectus, & voluntas non ſunt cauſæ inſtrumentales volitionum, & intellectionum naturalium, hæc redditur ab omnibus, quòd actus iſti producantur ab intellectu, & voluntate per formas ſibi naturaliter debitas, & intrinſecè in eiſdem exiſtentes : ſed viſio, & amor, qui dantur in beatis de diuina eſſentia clarè, & vt in ſe eſt viſa, & amata, eliciuntur per formas ſibi naturaliter, & intrinſecè debitas. Nam intellectus, & voluntas ſunt in ſe vitales, & vitalitatem iſtam à ſeipſis mutuantur, quemadmodum & intellectus eſt intellectiuus per ſeipſum, & voluntas eſt volitiua per ſeipſam : ergo viſio de diuina eſſentia producta ab intellectu beati, erit tantùm vitalis dependenter ab intellectu beati eliciente huiuſmodi viſionem. Idem eſt dicendum de amore producto à voluntate.

Euaſio præcluditur. Dices, non eſſe parem rationem, inter volitiones, & intellectiones naturales & inter ſupernaturales ; iſtæ enim præſupponunt principium aliquod ſupernaturale à quo producantur ; illæ vero arguunt tantùm principia naturalia : ac proinde intellectus, & voluntas habebunt rationem inſtrumenti reſpectu actionum ſupernaturalium, cùm ſint cauſæ per ſe actionum naturalium.

Ceterùm obiectio hæc nihil planè dicit ; producere quippe actionem aliquam dependenter à forma naturali, vel ſupernaturali, impertinens eſt ad hoc vt dicatur cauſa per ſe alicuius operationis, vt manifeſtè colligitur ex humanitate Chriſti ; hæc enim cenſetur eſſe cauſa per ſe omnium operationum, quas exercuit pro eo tempore quo fuit in hac vita, & tamen principium per quod exercuit huiuſmodi operationes non fuit in eo naturale, neque naturaliter debitum : principium namque actionum humanarum Chriſti fuit ſuppoſitum diuinum, actiones autem ſunt ſuppoſitorum, omnium conſentione. At ſuppoſitum in Chriſto eſt diuinum Verbum, quod gratuitò, & liberaliter fuit vnitum humanæ naturæ Chriſti, omnium planè opinione : ergo.

Confirmatur. Quod conſurgit ex humana Chriſti natura, & ex perſonalitate increata Verbi diuini, tam verè eſt cauſa per ſe actionum Chriſti, quàm id quod conſurgit ex perſonalitate creata, & ex humana natura cuiuſlibet noſtrûm, ex communi doctrina ; at quod conſurgit ex perſonalitate creata, & ex natura ſubſtantiali cuiuſlibet noſtrûm eſt ſuppoſitum humanum, quod eſt per ſe cauſa omnium operationum noſtrarum : ergo & illud idem erit dicendum de ſuppoſito increato Chriſti.

Deinde, quilibet noſtrûm eſt cauſa per ſe actionum fidei, ſpei, & charitatis, quæ dantur in nobis : at fides, ſpes, & charitas non debentur nobis naturaliter, ſed gratuitò conferuntur nobis diuina liberalitate : ergo.

Vltimus. Denique, ad hoc vt aliquid dicatur cauſa per ſe alicuius actionis, ſatis eſt, quòd res iſta producat huiuſmodi actiones per formas ſibi intrinſecè conuenientes, licèt formæ iſtæ ſint naturales, aut ſupernaturales : at intellectus, & voluntas producunt actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ per formas ſibi intrinſecè conuenientes & naturaliter debitas, ſaltem vt viſio, & amor ſunt actus vitales, & vt conſequuntur rationem intellectionis, & amoris ; ergo actus iſti erunt ab intellectu, & voluntate, tamquam à cauſis per ſe, non autem veluti à cauſis inſtrumentarijs.

2. Probat. Concluſ. Secundò probatur Concluſio. Cauſa non vitalis coniuncta intrinſecè principio vitali, cenſetur eſſe cauſa per ſe actionis vitalis, ex multorum ſententia : propter hanc enim cauſam fatentur lumè gloriæ coniunctum cum intellectu

beatorum eſſe cauſam intellectionis productæ à beatis; ità vt hæc viſio, ſeu intellectio tota ſit & à lumine gloriæ, & item tota ab intellectu beato: ergo cauſa etiam non ſupernaturalis coniuncta cauſę ſupernaturali intrinſecè, erit quoque cauſa per ſe totius actionis ſupernaturalis productæ à cauſa ſupernaturali, ſaltem in ea hypotheſi, quæ ſupponitur à nobis, hoc loco, tamquam certa & indubitata; neutram ſcilicet ex iſtis duabus cauſis ſatis eſſe ad effectum producendum, ſi cauſæ iſtæ ſeorſim ſumantur; bene tamen ſi fuerint ſimul coniunctæ.

Probat. Concluſ. 3. Tertiò, effectus vitalis nequit eſſe à cauſa vitali tamquam ab inſtrumento, ſed debet esſe ab ea neceſſariò, tamquam à cauſa per ſe: at viſio, itémque amor diuinæ eſſentiæ ſunt actus vitales, vt eſt per ſe notum: ergo nequeunt eſſe ab intellectu, & voluntate tamquam ab inſtrumento; nam de ratione cauſæ inſtrumentalis eſt, vt tamdiu operetur, quamdiu mouetur à principali agente, & quidem extrinſecè; viſio autem, & amor non ſunt ab intellectu & voluntate extrinſecè, ſed intellectus & voluntas proximè & immediatè per vires ſibi à natura inditas, eliciunt, & recipiunt in ſeipſis viſionem, & amorem; ſunt enim actus immanentes omnium conſenſione, quia recipiuntur neceſſariò in illis potentijs à quibus exeunt: ergo.

4. Quartò probatur Concluſio: Cauſa libera reſpectu effectus liberi nequit eſſe cauſa inſtrumentalis, eſt enim de ratione cauſæ liberæ, vt per virtutem aliquam ſibi intrinſecam, & connaturalem moueat ſeipſam ad agendum, & item vt ſeipſam determinet: at dantur in beatis variæ & dtuerſæ intellectiones, itémque volitiones liberæ, ergo ſaltem iſtæ actiones nequeunt eſſe in beatis veluti à cauſis inſtrumentarijs.

Vltima. Denique ex doctrina Sancti Thomæ, & Thomiſtarum, fere omnium calor productus ab igne nequit eſſe cauſa inſtrumentalis calefactionis productæ ab huiuſmodi calore, eò quòd calor ex ſe, & ſua natura vim habeat calefaciendi: idem docent de grauitate reſpectu deſcenſus lapidis deorſum; at intellectus, & voluntas producunt in beatis viſionem, & amorem diuinæ eſſentiæ, per virtutes ſibi connaturales, & intrinſecè conuenientes. Nihil enim magis eſt connaturale intellectui, quàm videre, & intelligere, & item nihil tam proprium eſt voluntati, quàm velle & nolle: in hac Concluſione ſunt Gabriel Vazquez, Salas & alij recentiores.

Concluſ. 2. CONCLVSIO 2. *Intellectus, & voluntas non ſunt in potentia obedientiali actiua, reſpectu actus viſionis, & amoris diuina eſſentia, ſaltem ex eo capite ex quo actus iſti ſunt viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ præciſè in ratione viſionis, & amoris.*

Probat. 1. Primùm, quia potentia actiua obedientialis, itémque paſſiua ſunt indefinitæ, & indeterminatæ, ad hoc vel ad illud producendum, vel recipiendum, vt manifeſtè colligitur ex illo communi axiomate inter Theologos: *Quod poteſt Deus media cauſa aliqua, poteſt media aliqua alia*, ſaltem ſi ſermo ſit de cauſis efficientibus ſpectatis in ratione cauſæ efficientis: at intellectus, & voluntas beatorum, non ſunt indefiniti, & indeterminati, ad actus viſionis & amoris, vt eſt per ſe notum: ergo.

2. Deinde, potentia actiua obedientialis habet rationem cauſæ inſtrumentalis reſpectu cuiuſlibet effectus à ſe producti: agit enim hæc non per virtutem ſibi intrinſecam, ſed per vim quæ tota exiſtit in cauſa principali intrinſecè: at intellectus & voluntas eliciunt actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ per vim aliquam ſibi intrinſecam, & connaturalem. Diximus enim nihil magis eſſe connaturale intellectui, quàm intelligere, & voluntati, quàm velle, & amare; ergo.

3. Denique, potentia obedientialis actiua non reſpicit effectum productum, per vim aliquam ſibi intrinſecam, ſed ſola denominatione extrinſeca, dependenter ſcilicet à cauſa præcipua, & principali; viſio autem, & amor diuinæ eſſentiæ cùm ſint vitales formaliter, & intrinſecè pendent neceſſariò ab intellectu & voluntate; mutuantur enim ab iſtis ſolis vitalitatem, & item rationem intellectionis, & volitionis.

Obiect. Obijcies, omnem vim intelligendi quæ datur in nobis eſſe naturalem: ergo cùm viſio, & amor diuinæ eſſentię ſint actus ordinis ſupernaturalis, intellectus, & voluntas erunt in potentia obedientiali ad actus viſionis & amoris diuinę eſſentię, prout in ſe eſt.

Reſponſ. Reſpondeo, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: intellectus ſiquidem, & voluntas poſſunt ſpectari duobus modis. Primùm, vt ſunt entitates aliquę pręſcindendo ab omni modo naturali, & ſupernaturali.

Deinde, vt coniunguntur iſtis modis naturalibus, vel ſupernaturalibus, ſeu formis ordinis naturalis & ſupernaturalis: priori modo certum eſt intellectum, & voluntatem eſſe in potentia obedientiali, tam actiua, quàm paſſiua reſpectu Dei Optim. Maxim. Nam res quęlibet ex ęquo ſubijcitur Deo, ac proinde cum cetera entia creata poſſint in ſe recipere nouam, aliquam perfectionem ſibi accidentalem: ità & hoc quidem concedendum eſt de intellectu, & voluntate creata.

Denique, quemadmodum poteſt Deus vti Angelo ad quemlibet effectum in ratione cauſæ efficientis phyſicæ producendum: ità poterit etiam vti intellectu & voluntate cuiuſlibet rei creatæ, ad effectum quemlibet producendum in ratione tamen cauſæ efficientis. Si autem ſpectentur intellectus, & voluntas poſteriori modo, nulla ratione ſunt iſti in potentia obedientiali actiua ad actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ producendos: intellectus ſiquidem, & voluntas per formas ſibi intrinſecè & connaturaliter debitas, remotè ſaltem, & partialiter attingunt viſionem, & amorem diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, vt conſtat ex dictis: ergo non erunt in potentia obedientiali actiua reſpectu iſtorum effectuum; ſed tantùm ad recipiendum lumen gloriæ, & ſpeciale illud auxilium ordinis ſupernaturalis, quod eſt neceſſarium in voluntate ad eliciendum actum amoris circa diuinam eſſentiam clarè viſam.

CONCLVSIO VLTIMA. *Datur in nobis vis aliqua connaturalis ad actus viſionis & amoris diuinæ eſſentiæ producendos, nō quidē totalis, ſed partialis,* vis *Hæc autho-Concluſ. imper-*

Digitized by Google

Reſpondet dubio, & è regione opponitur ſentent. 1. *imperfecta, eſt remota, hac autem, totalis ſcilicet, & cõpleta conſurgit ex intellectu, & lumine gloriæ ita vt nec ſolus intellectus, nec ſolum lumen gloriæ ſufficiant ad actum viſionis producendum: bene tamen ſi fuerint intellectus, & lumen ſimul conuncta: idem dicendum eſt de actu amoris. Hic enim nec à ſola voluntate, nec ab auxilio ordinis ſupernaturalis, benè tamen ab iſtis duobus ſimul conjunctis produci poteſt.*

Probat. 1. partis. Hæc Concluſio tres habet partes: prima probatur. Viſio diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt, & item amor eiuſdem, ſunt actus vitales; ergo datur in nobis vis aliqua à natura inſita partialis, & remota, ad actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ eliciendos. Antecedens ab omnibus admittitur, & manifeſtè colligitur eius veritas, ex eo quòd viſio diuinæ eſſentiæ ſit intellectio, hæc autem nequit eſſe niſi à principio intellectiuo, quòd verè eſt vitale cùm habeat ortum à ſubſtantia ſupernaturali rationali: Conſequutio verò probatur; effectus vitalis nequit habere ortum, niſi à principio vitali vitaliter operante, ex communi doctrina, at viſio diuinæ eſſentiæ, & amor ſunt actus vitales, omnium conſenſione: ergo cùm detur in nobis naturaliter & intellectus, & item voluntas, qui producant in nobis intellectionem omnem, & amorem, dabitur in nobis principium à natura inſitum, reſpectu viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ lumen gloriæ habere vim intelligendi, non quidem formaliter, & actu, ſed tantùm virtute, & poteſtate, ac proinde intellectum noſtrum perfuſum lumine gloriæ poſſe diuinam eſſentiam videre vt in ſe eſt; non autem per virtutem aliquam ſibi à natura inſitam.

Refellitur reſponſio aduerſariorum. Cæterùm reſponſio hæc nulla ratione eſt defendenda: Primò, quia lumen gloriæ nullam habet planè in ſe vitam, quod tamen eſt neceſſarium ad actum viſionis producendum.

Deinde, ſi lumen gloriæ eſſet eminenter, & poteſtate vitale, vt volunt authores iſti; ſe ſolo poſſet lumen hoc producere effectum vitalem extra ſe: virtus quippe eminens ſufficit ad effectus ſuos producendos, vt colligitur clarè ex ſole, qui producit calorem extra ſe, quòd ſit nõ formaliter, ſed virtute calidus: ſed lumẽ gloriæ ſe ſolo nequit producere extra ſe viſionem, nedum diuinæ eſſentiæ, ſed neque alicuius alterius rei: imò poſtulat ſimpliciter, & abſolutè principium aliquod formaliter cognoſcitiuum; ad hoc vt poſſit producere viſionem: ergo non eſt lumen gloriæ eminenter intellectiuum vt putant authores iſti.

2. Probatur 2. hæc eadem pars Concluſionis: Intellectus cuiuſlibet beati concurrit ad viſionem diuinæ eſſentiæ, vel tamquam inſtrumentum tantùm, vel tamquam cauſam, quæ in ſe recipit, & ſuſtinet formas actiuas ordinis ſupernaturalis: vel denique ex ſe, & per vim aliquam ſibi à natura inſitam: at non concurrit intellectus ad actum viſionis diuinæ eſſentiæ, vt inſtrumentum tantùm; diximus enim in confirmatione prima Concluſionis effectum vitalem non poſſe habere ortum à principio vitali, quatenus vitale eſt, veluti à cauſa inſtrumentali. Neque item ſecundum, quoniam aliter viſio diuinæ eſſentiæ, non magis eſſet ab intellectu beati, quàm calefactio producta ab aqua calida cenſetur eſſe effectus eiuſdem; quod dici nullo modo poteſt, cùm viſio ſit actus immanens, & vitalis, ac proinde præſupponit intrinſecè cauſam aliquam vitalem, à qua producatur. Supereſt ergo vt dicatur tertium.

Dices, omnem vim intelligendi, quæ datur in nobis eſſe naturalem: viſionem autem diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt, eſſe ſupernaturalem, & quidem ſecundum ſe totam, ergo. *Præcluditur inſtantia.*

Reſpondeo, Conceſſo antecedente, nego conſequutionem: iuſtificatio quippe hominis à peccato mortali cenſetur eſſe tota ordinis ſupernaturalis, & tamen de fide eſt liberum hominis arbitrium, quod eſt ordinis naturalis ad eam concurrere actiuè, non autem merè paſſiuè, ex can. 4. ſeſſion. 6. Concilij Tridentini, *Si quis* (inquit) *dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum non concurrere actiuè, ſed merè paſſiuè ſe habere, anathema ſit.* Trident.

Deinde, Diuus Paulus de ſeipſo ait; *Abundantiùs illis omnibus laborauì, non ego, ſed gratia Dei mecum*: ac proinde loquitur hîc de actionibus ordinis ſupernaturalis; & tamen certum eſt totum illud quod fuit in Paulo non fuiſſe ordinis ſupernaturalis, natura enim, & ſuppoſitum illius fuerunt ordinis naturalis, vt eſt per ſe notum. 1. Cor. 15. verſ. 10.

Denique, ſpecies per quas Deus cognoſcitur à nobis pro eo tempore, quo ſumus in hac vita mortali, ſunt ordinis naturalis, & tamen cognitio, quæ datur in nobis de Deo per iſtas ſpecies eſt, vel ſaltem eſſe poteſt ordinis ſupernaturalis: ergo actus ſupernaturalis poteſt produci à principio naturali, veluti à cauſa partiali; modò tamen cauſa iſta naturalis partialis coniuncta fuerit cum cauſa alia ſupernaturali partiali: ac proinde, cum lumen gloriæ detur in intellectu cuiuſlibet beati, licèt ſit hic res aliqua naturalis, producere poteſt viſionem ordinis ſupernaturalis.

Dices, ex iſtis manifeſtè colligi Concluſionem noſtram, quoad hanc partem eſſe Pelagianam; fatemur enim in nobis dari potentiam aliquam naturalem ad actum viſionis diuinæ eſſentiæ exercendum. *Obiectio.*

Reſpondeo, negando illationem antecedentis: Pelagius enim voluit nulla deſiderari in nobis auxilia ad vitam æternam conſequendam præter ea, quæ dantur in nobis naturaliter; nos autem fatemur ſimpliciter, & abſolutè requiri ad actum viſionis diuinæ eſſentiæ auxilium ordinis ſupernaturalis, nempe lumen gloriæ; ità vt impoſſibile ſit quempiam videre diuinam eſſentiam ſine iſto auxilio, vel certè aliquo alio, quod huic æquiualeat, & quod ſit ſimiliter ordinis ſupernaturalis. *Soluitur.*

Deinde, nos admittimus dari in nobis potentiam à natura inſitam partialem, & imperfectam reſpectu viſionis diuinæ eſſentiæ; & addimus potentiam iſtam compleri in ratione cauſæ totalis, &

adæquatæ viſionis diuinæ eſſentiæ medio lumine gloriæ, ità vt ex intellectu & lumine gloriæ conſurgat vna totalis cauſa, quę producit in beatis actum viſionis eſſentiæ diuinæ.

2. Par. Concluſio. probat. Secunda verò Concluſionis pars probatur: nempe intellectum eſſe tantùm cauſam partialem viſionis diuinæ eſſentiæ. Illa cenſetur eſſe cauſa partialis alicuius effectus, quæ ipſa per ſe non eſt ſatis ad effectum producendum, ſed poſtulat ſimpliciter, & abſolutè concurſum alterius cauſæ: ità vt ſinè iſta cauſa effectum ſuum producere nequeat, vt manifeſtè colligitur ex duobus trahentibus nauim in ea hypotheſi, in qua neuter ex iſtis ſatis eſt ad trahendam nauim; at de fide eſt creaturam rationalem intrà terminos ſuæ naturæ relictam, non eſſe ſatis ad viſionem diuinæ eſſentiæ producendam, vt definitum fuit in Concilijs Mileuitano, Arauſican. II. & Tridentino ſeſſion. 6. canon. 3. ergo.

Mileuita. Arauſican. Tridentin.

Obiectio. Dices, eam cauſam non cenſeri partialem alicuius effectus, quæ perficit & complet alteram, ità vt cauſa altera partialis intrinſecè efficiatur potentior, per aliam cauſam partialem, vt colligi videtur ex duobus trahentibus nauim in hypotheſi ſupra data: certum enim eſt vnum ex his, qui trahunt nauim non fieri potentiorem intrinſecè ab alio: intellectus autem redditur potentior ad videndum Deum dependenter à lumine gloriæ.

Solutio. Reſpondeo, propoſitionem maiorem eſſe veram quando cauſæ partiales ità ſunt inter ſe diſtinctæ, vt vna non recipiatur in alia, tamquam in ſubiecto; iam verò lumen gloriæ recipitur in intellectu tamquam in ſubiecto: ac proinde non eſt mirum ſi perficiatur intellectus à lumine gloriæ, licèt lumen gloriæ ſit cauſa partialis viſionis diuinæ eſſentiæ, & ſimiliter intellectus ſit cauſa partialis eiuſdem actus.

Probat. 3. part. Tertia pars Concluſionis probatur; nempe ex intellectu & lumine gloriæ conſurgere vnam cauſam totalem, & adæquatam reſpectu viſionis diuinæ eſſentiæ. Intellectus, & lumen gloriæ ſe habent ad actum viſionis diuinæ eſſentiæ, quemadmodum Pater, & Filius ad productionem Spiritus ſancti, (ceteris tamen paribus) at Pater, & Filius ſunt vnum principium productiuum Spiritus ſancti totale, & adæquatum, nedum vt Quo, ſed etiam vt Quod, vt probabitur in tract. de Trinitat. ergo & illud idem erit dicendum de intellectu, & lumine gloriæ reſpectu viſionis diuinæ eſſentiæ.

Obiectio.

Solutio.

1. Deinde, intellectus & lumen gloriæ, eadem planè ratione producunt actum viſionis diuinæ eſſentiæ, qua intellectus & habitus aliquis ordinis naturalis in eo exiſtens producunt actum conformem habitui exiſtenti in intellectu, aut quemadmodum duo trahentes nauim in eo caſu, in quo neuter ex iſtis ſeorſim ſumptus, ſatis eſt ad trahendam nauim: at intellectus, & habitus, qui ex hypotheſi in eo eſt, & item trahentes nauim cenſentur eſſe cauſæ partiales, ſi ſeorſim ſumantur; totales verò & adæquatæ, ſi ſumantur ſimul: ergo. In hac Concluſione ſunt Antonius Perez certamine 6. Scholaſtico; Salas tract. 1. in 1. 2. Sancti Thomæ diſput. 5. quæſt. 3. Ægidius de Præſentat. in 1. 2. lib. 10. quæſt. 3. articul. 1. §. 3. 4. & 5. & in additionibus, ſeu appendice queſtionis proximè citatę, articul. 4. §. 4. num. 37.

Moneo tamen authorem iſtum non affirmare intellectum, & lumen gloriæ eſſe cauſas partiales reſpectu viſionis diuinæ eſſentiæ, ſed tantùm habere vim à natura inſitam videndi Deum, & compleri vim iſtam medio lumine gloriæ, & Peſantius ad articul 5. huius quæſt. diſp. 1.

Notabile. Aduerte effectum ordinis ſupernaturalis non poſſe produci niſi dependenter à principio ſupernaturali, ſaltem ſi ſermo ſit de cauſa totali, & adæquata effectus ſupernaturalis. Nam cùm effectus hic tranſeat de non eſſe, ad eſſe per ſuam cauſam totalem, & adæquatam, & impoſſibile ſit dari aliquid, quod non eſt in nobis, vel formaliter, vel virtute, certè concedendum eſt de cauſa totali alicuius effectus, quod habeat in ſe omnem omnino perfectionem, quæ reperitur in ſuo effectu: non eſt tamen neceſſe omnem perfectionem reperiri in cauſa partiali, quę reperitur in effectu eius; nam cauſa verbi gratia partialis non vitalis, coniuncta cauſę vitali effectum vitalem producere poteſt, licèt careat hęc vitalitate, vt conſtat ex habitibus fidei, ſpei, & charitatis qui dantur in nobis: iſti enim cenſentur eſſe cauſę partiales actuum fidei, ſpei, & charitatis, qui ſunt verè vitales, cùm habeant ortum à potentijs vitalibus, intellectu ſcilicet, & voluntate, & tamen nulla datur vitalitas in iſtis habitibus: idem dicendum eſt de cauſa naturali coniuncta cauſæ ſupernaturali; illa enim poteſt eſſe cauſa totius actus ſupernaturalis, etiam ſi in ſe formaliter, & intrinſecè nullam habeat ſupernaturalitatem, modò tamen inter agendum coniuncta fuerit cum cauſa ſupernaturali.

Rogabis, quî fiat vt viſio diuinæ eſſentiæ cenſeatur eſſe tota ſupernaturalis, cùm habeat ortum ab intellectu illuſtrato lumine gloriæ, per vim aliquam connaturalem intellectui?

Viſio diuinæ eſſentiæ cenſetur triplici de cauſa ſupernaturalis. Reſpondeo, viſionem iſtam dicendam eſſe abſolutè, & ſimpliciter ſupernaturalem, non autem naturalem: habet enim ortum ab intellectu illuſtrato lumine gloriæ, & quidem ità vt impoſſibile ſit viſionem produci ab intellectu, niſi fuerit hic perfuſus lumine gloriæ actuali, vel habituali.

Deinde, quia denominatio ſolet fieri à cauſa pręſtantiori.

Tertiò, quia effectus productus à multis cauſis denominatur à cauſa, quæ definit, & determinat ceteras ad huiuſmodi effectum producendum, vt conſtat ex productione hominis, & ex alijs omnibus productionibus ordinis naturalis. Lumen autem gloriæ definit intellectum ad productionem viſionis diuinæ eſſentię, vt in ſe eſt, ac proinde viſio hęc erit ſimpliciter ſupernaturalis maximè cùm intellectus concurrat naturaliter ad productionem viſionis, inadęquatè, & partialiter, & item remotè, & quaſi radicaliter. Ità Antonius Perez loco proximè citato.

Enodantur argumenta Sententiæ 1. Ad rationes verò authorum primę ſententię, reſpondeo, ad 1. propterea Patres, & item Theologos Scholaſticos affirmare de auxilijs ſupernaturalibus, quòd dentur nobis ad ſimpliciter

Digitized by Google

operandum, non autem tantùm ad facilius operandum, quemadmodum loquuntur iſti de actibus ordinis ſupernaturalis, ſub ea ratione, qua ſunt ſupernaturales; certum autem eſt non dari in nobis à natura inſita præſidia aliqua per quæ poſſimus actus ordinis ſupernaturalis exercere; cú iſtis tamen rectè cohæret, vt detur in nobis vis aliqua partialis, & imperfecta ordinis naturalis, per quam concurrere poſſimus ad actum ordinis ſupernaturalis producendum; modo tamen vis iſta connaturalis, fuerit coniuncta principio ſupernaturali.

2. Ad 2. probare tantùm, dari in nobis virtutem imperfectam partialem & quaſi radicalem, ad actus ordinis ſupernaturalis exercendos: ex iſtis tamen non licet colligere doctrinam hanc eſſe Pelagianam; nam diximus Pelagium reiecciſſe neceſſitatem cuiuſlibet auxilij ſupernaturalis ad vitam æternam obtinendam, & ſufficere ad conſequutionem iſtius vitæ æternę, facultates à natura nobis conceſſas. Nos autem contendimus impoſſibile eſſe quempiam poſſe conſequi vitam æternam, quæ poſita eſt in viſione diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt, & in amore eiuſdem, ſine auxilijs aliquibus ordinis ſupernaturalis.

Vlt. Ad vltimam. Reſpond. viſionem diuinę eſſentię totam eſſe ſupernaturalem, & item totam vitalem, penderéque ſecundùm ſe totam, & ab intellectu, & item à lumine gloriæ, veluti à duabus cauſis, quarum neutra ſeorſim ſumpta, ſatis eſt ad productionem iſtius viſionis, bene tamen ſi fuerit vnà & ſimul, vt conſtat ex dictis.

2. Sententia fundamenta euertuntur. Ad rationes verò authorum 2. ſententię reſpondeo. Ad 1. intellectum & voluntatem antequàm eleuentur mediis auxilijs ordinis ſupernaturalis, nec eſſe cauſas æquiuocas, nec vninocas actuũ viſionis, & amoris diuinę eſſentię, ſed tantùm poſt eleuationem ad eſſe ſupernaturale: tunc enim intellectus, & voluntas producunt actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentię in beatis, tanquam cauſæ ſynonymę: viſio quippe, & amor diuinæ eſſentiæ, & ſunt ſupernaturales, & præterea vitales, non minùs quàm ſint intellectus, & voluntas illuſtrati lumine gloriæ, & auxilio aliquo alio ordinis ſupernaturalis.

1. Ad 2. effectum in quo reperitur aliqua perfectio, quæ non eſt in cauſa partiali, non ſemper eſſe ab iſta cauſa partiali, tanquam ab inſtrumento, ſed in eo tantùm caſu, in quo perfectio iſta non reperitur, nec in cauſa partiali, nec in cauſa totali, & adæquata; nulla autem datur perfectio, in actu viſionis diuinæ eſſentiæ, quæ non reperiatur in cauſa totali iſtius actus; pendet enim viſio diuinæ eſſentiæ, ab intellectu, & à lumine gloriæ ſimul coniunctis: hæc autem duo ſimul ſumpta verè, & viuunt, & præterea ſunt ordinis ſupernaturalis, quemadmodum & viſio.

3. & 4. Ad tertiam, & quartam. Reſp. effectum productum ab intellectu, & lumine gloriæ in beatis non pendere ab iſtis cauſis, veluti ab inſtrumento; nam intellectus, & voluntas ſe habent ad actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ producendos, per virtutes aliquas ſibi connaturales, & intrinſecas ſaltem remotè, & radicaliter: cauſa autem inſtrumentalis non attingit effectum per virtutem aliquam ſibi intrinſecam, ſed exiſtentem in cauſa præcipua, & principali.

DVBITATIO VLTIMA.

An lumen gloriæ poſſit eſſe connaturale alicui creaturæ rationali.

ADVERTE difficultatem iſtam intelligendam eſſe de creatura rationali ordinis naturalis.

CONCLVSIO. *Lumen gloriæ nulli planè creaturæ rationali poteſt eſſe connaturale, nedum de lege communi, ſed neque de poteſtate Dei abſoluta.* *Lumen gloriæ nulli cõnaturale.*

Primùm, quia fieri nequit, vt effectus ordinis ſupernaturalis producatur ſubea ratione, qua ſupernaturalis eſt à cauſa, quæ non ſit ordinis ſupernaturalis (nemo enim dare poteſt, quod non habet) at ſupponimus creaturam rationalem eſſe tantùm ordinis naturalis. 1.

Deinde, quod creatum eſt nequit per principia ſibi connaturalia effectus ordinis ſupernaturalis exercere, ex cap. 1. lib. 12. de Ciuitat. D. Auguſtini; res autem iſta rationalis naturalis eſſet à Deo creata vel proximè, vel remotè: ergo. 2. D. Auguſt.

Tertiò probatur. Viſio diuinæ eſſentiæ nequit conſurgere, niſi eſſentia diuina fuerit præſentiſſima potentiæ viſiuæ in ratione obiecti: at nulla planè res creata poteſt conſtituere eſſentiam diuinam præſentem, in ratione obiecti, intellectui creato: ergo. 3.

Ceterùm ratio hæc, licèt ſit Scoti in 4. diſt. 49. nihil planè probat: lumen quippe gloriæ, quod datur in quolibet beato conſtituit diuinam eſſentiam præſentem, intellectui cuiuſlibet beati in ratione obiecti, ex communi doctrina. *Non eſt efficax.*

Quartò. Si lumen gloriæ eſſet alicui creaturæ connaturale ſequeretur creaturam iſtam eſſe impeccabilem ex ſe, & ſua natura: impeccabilitas enim conſurgit ex ſtatu beatitudinis ſupernaturalis; at fatentur omnes nullam rem creatam eſſe impeccabilem ex ſe, & ſua natura, ſed tantummodò dono & gratia ſingulari Dei Opt. Max. 4.

Verùm neque hæc ratio Concluſionem demonſtrat: nam ratio naturalis non dictat beatitudinem conferre impeccabilitatem homini beato, ſed tantum hoc docet ſola fides. *Infirmatur.*

Denique, probatur Concluſio à ſancto Thoma in corpore huius art. Eſſe diuinum (inquit) eſt infinitis partibus nobilius, perfectius, & dignius, quàm ſit eſſe cuiuſlibet rei creatæ, aut eſſe cuiuſlibet rei creabilis: ergo modus quoque quo cognoſcitur prout in ſe eſt, infinitis partibus ſuperat omnem modum cognoſcendi, qui datur, aut dari poteſt in omni re creata. 5. D. Thom.

Ceterùm ratio hæc tantùm probat media re creata non poſſe cognoſci Deum omnibus modis, quibus eſt cognoſcibilis, non autem certa aliqua ratione. *Non concludit.*

Concluſio ergo hæc defenditur à nobis maximè propter rationem primam à nobis aſſignatam in probatione iſtius Concluſionis; & adhuc multò magis propter omnium planè Scholaſticorum ſententiam; aſſerunt enim Sententiarij in 4. diſt. 49. & Thomiſtæ hoc loco, & in quæſtionibus de beatitudine, lumen gloriæ nulli planè creaturæ rationali poſſe eſſe connaturale. *1. Ratio efficacior cenſetur.*

Obijcies, omnem perfectionem quæ datur in lumine gloriæ poſſe Deum conferre creaturæ rationali. *Obiectio.*

Reſp. hoc quidem eſſe verùm, non tamen ea ratione, vt perfectiones luminis gloriæ ſint con- *Reſpoſio.*

naturales creaturæ iſti rationali; ſupponimus enim creaturam rationalem eſſe ordinis naturalis, lumen verò gloriæ eſſe ordinis ſupernaturalis, repugnat autem vnum, & idem eſſe ſimul ordinis naturalis, & ſupernaturalis, & item connaturale, & non connaturale, quod tamen concedendum eſſet, ſi lumen gloriæ eſſet connaturale alicui creaturæ ordinis naturalis. A

Neque refert quod aliquietiam dicunt, luminoſum in ſummo poſſe communicari alicui alteri: nam hoc venit tantùm intelligendum de eo quod eſt luminoſum intrà idem genus; nos autem contendimus lumen glorię eſſe diuerſi generis, & ordinis à creatura rationali, cui ex hypotheſi communicaretur lumen hoc. B

ARTICVLVS QVINTVS.

An intellectus creatus, ad videndam diuinam eſſentiam indigeat aliquo lumine creato.

DVBITATIO PRIMA.

An lumen gloria ſit ſimpliciter neceſſarium ad videndam diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt.

Duplex genus luminis gloriæ.

ADVERTE, lumen gloriæ aliud eſſe habituale, aliud actuale. Illud cenſetur eſſe qualitas ordinis ſupernaturalis intellectui cuiuſlibet beati impreſſa, per quam conſtituitur intellectus, in eſſe ordinis ſupernaturalis, & completur ad hoc vt de facto eliciat actum viſionis, circa diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt: hoc verò cenſetur eſſe motio, ſeu concurſus, quo Deus vnà cum intellectu creato producit viſionem diuinę eſſentię ex hypotheſi. De hoc vtroque lumine difficultas iſta eſt explicanda. C

Lumen gloria actuale aut habituale ſimpliciter neceſſarium. Clemẽtin. Pſal. 35. verſ. 10. Eſaï. 16. verſ. 19. Apoca. 21. verſ. 23. D. Thom.

CONCLVSIO 1. *Lumen gloriæ actuale, vel habituale eſt ſimpliciter neceſſarium ad producendum actum viſionis circa diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt.* Hęc eſt de fide, expreſsè definita in Concil. Viennenſi, & refertur in Clementina, *Ad noſtrum*, de hæreticis. Deinde, Pſal. 35. dicitur, *Domine in lumine tuo videbimus lumen.* Et Eſaï. 60. propter hanc cauſam dicitur, *Dominus erit tibi in lucem ſempiternam.* & Apocal. 7. & 21. *Ciuitas non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam.* D

Subſcribit ſanctus Thomas hoc loco cum interpretibus eiuſdem & Sententiarij in 4. diſt. 43. & in 1. 2. quæſt. 3.

Ratione probatur.

Accedit ratio: tota viſio diuinæ eſſentiæ eſt ſimpliciter ſupernaturalis: ergo cum lumen gloriæ actuale, vel habituale ſit ordinis ſupernaturalis, & hoc vnico eleuetur intellectus creatus ad eſſe ſupernaturale, compleatúrque in ratione potentię totalis, ſeu cauſæ reſpectu viſionis diuinę eſſentię, lumen glorię actuale, vel habituale erit ſimpliciter neceſſarium ad videndum Deum in qualibet creatura rationali. Confirmatur. Inæqualitas beatitudinis formalis, ſeu ſubiectiuę ſumenda eſt ex lumine gloriæ, vt poſtea probabitur: ergo cum de fide ſit beatitudinem Sanctorum formalem eſſe inæqualem, lumen gloriæ actuale, vel habituale erit ſimpliciter neceſſarium ad videndum Deum. E

Obiectio.

Dices 1. lumen gloriæ eſſe qualitatem cæcam, ac proinde ineptam eſſe ad iuuandum intellectum in intelligendo.

Reſponſio.

Reſpond. lumen gloriæ ſeorſim ſumptum ſinè facultate aliqua cognoſcitiua, ineptum planè eſſe ad videndum, & cognoſcendum; ſecus tamen ſentiendum eſt, quando coniungitur cum potentia aliqua cognoſcitiua: diximus enim Dub. 2. articuli proximè anteced. ex lumine gloriæ, & intellectu ſimul ſumptis, conſurgere vnam cauſam totalem, & adæquatam per quam producitur viſio diuinæ eſſentiæ in quolibet beato.

Obiectio 2.

Dices 2. eſſentiam diuinam eſſe in ſe quàm maximè luminoſam, & efficaciſſimè mouere poſſe intellectum, ad hoc vt videat ipſam: ergo lumen gloriæ non erit neceſſarium.

Solutio.

Reſpond. conceſso antecedente, nego conſequutionem; ad viſionem quippè diuinæ eſſentiæ non ſufficit quòd ſit hæc præſens intellectui, nec item quòd eſſentia iſta ſit lucidiſſima, nec item quòd poſſit efficaciſſimè mouere potentiam intellectiuã ad intelligendũ; ſed deſideratur præſentia diuinæ eſſentiæ, in ratione obiecti reſpectu talis potentiæ, vt manifeſtè colligitur ex eo quòd eſſentia diuina intimè cõiuncta ſit intellectui cuiuſlibet noſtrũm, & tamen nullus eſt inter nos, qui diuinam eſſentiam conſpiciat: de nocte item obiecta colorata tranſmittunt ſpecies ſuas ad potentias viſiuas, & de facto recipiuntur in iſtis, & tamen potentia non videt obiecta colorata, idque quòd non ſint præſentia potentiæ in ratione obiecti, quatenus obiectum eſt; eſſentia autem diuina conſtituitur præſens mentibus beatorum in ratione obiecti, per lumen glorię habituale, quod datur in omni planè beato, ac proinde non poterit actiuitas iſtius luminis glorię ſuppleri per omnipotentiam Dei, ſaltem ſi ſermo ſit de lumine glorię actuali & habituali.

Temerariũ eſt negare lumen habituale non tamen de fide eſt dari.

CONCLVSIO 2. *Licèt non ſit euidenter de fide Catholica beatos videre diuinam eſſentiam medio lumine habituali, accedit tamen opinio hæc ad fidem Catholicam; ità vt citra ſummam temeritatem noſtris ſeculis non liceat affirmare beatos videre Deum ſinè lumine gloriæ habituali.*

Prima pars Concluſionis probatur. Non eſſe ſcilicet de fide Catholica euidenter, beatos videre Deum medio lumine glorię habituali, nam licèt Concilium Viennenſe definierit lumen glorię eſſe neceſſarium ſimpliciter ad videndum Deum; non tamen adiecit particulam iſtam, *Habituale.*

Deinde, fuerunt multi Theologi, qui docuerunt antiquitus, imò & poſt Concil. Viennenſe lumen glorię habituale non eſſe neceſſarium ad videndum Deum, ſed ſufficere actuale: ità Durandus, hic enim deceſſit anno Chriſti 1318. ex Trithemio, & tamen Concilium Viennenſe fuit abſolutum anno Chriſti 1311. vt author eſt Onuphrius in Chronico Pontificum Maximorum; Durandus tamen non propterea relatus eſt hactenus inter hæreticos.

2. pars Concluſionis.

Secunda verò pars Concluſionis probatur; accedere ſcilicet ad fidem Catholicam beatos videre Deũ medio lumine glorię habituali: nam definitio Conc. Viennenſ. proximè citati videtur intelligẽda de eo lumine glorię, de quo diſputabant Theologi eo tempore; at diſputabant Scholaſtici de neceſſitate luminis gloriæ habitualis. Deinde, de fide eſt hominem iuſtificari formaliter per gratiam & charitatem, vt conſtat ex Concil. Trident. ſeſs. 6. cap. 7. at accedit ad fidem Catholicam, gratiam, & charitatem eſſe qualitates permanentes,

tes, ex communi doctrina. Denique fides, A ſpes, & charitas ſunt auxilia quædam habitualia: ergo illud idem erit dicendum de lumine gloriæ.

3. Pars. Tertia denique pars probatur; temerarium ſcilicet eſſe negare, beatos videre diuinam eſſentiam ſine lumine gloriæ habituali: Nam illa opinio cenſetur eſse temeraria, quæ aſſeritur contra omnes, & ſingulos Theologos; at omnes omnino Doctores qui ſcripſerunt poſt Concilium Viennenſe de hac controuerſia docuerunt beatos videre diuinam eſſentiam medio lumine gloriæ habituali. Nam quod diximus de Durando, & alijs nonnullis, qui vixerunt poſt Concil. Viennenſe, & tamen deficiunt ab hac Concluſione, ſua ſcripta B publicarunt ante celebrationem eiuſdem Concilij.

Vindicatur Durandus à nota temeritatis.

DVBITATIO SECVNDA.

An lumen gloriæ habituale, ità ſit neceſſarium ad videndum Deum, vt huius actuitatem nequeat ſupplere Deus.

1. Opinio eſt negatiua. SVNT qui putent partem negantem eſse indubitatam, idque quòd exiſtiment totam potentiam videndi diuinam eſſentiam eſse ſolum lumen gloriæ habituale. C

2. Eſt affirmatiua. Cæterum contraria opinio eſt verior: quod enim Deus poteſt media re aliqua creata, in ratione ſolius cauſæ efficientis, poteſt & ſe ſolo, & media re qualibet alia creata, ex communi doctrina; at medio lumine gloriæ habituali, & intellectu creato poteſt Deus producere viſionem ſuæ eſſentiæ: ergo poterit hoc idem ſinè lumine gloriæ habituali, modò tamen adfuerit actuale, aut aliquid aliud quod æquiualeat lumini gloriæ habituali: habet enim ſe lumen gloriæ habituale ad viſionem Dei producendam in ratione ſolius cauſæ efficientis; intellectus verò ſe habet in ratione cauſæ efficientis, & præterea vitalis, vnde huius actuitas ſuppleri nullo modo poteſt. Denique, D actus amoris Dei ſuper omnia, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam & charitatem obtinendam, eſt à ſolo Dei actuali auxilio, ex multorum ſententia, non autem ab habitu charitatis, vt volunt Thomiſtæ: ergo eadem facilitate qua datur actus charitatis ſinè habitu; poterit etiam dari actus viſionis diuinæ eſſentiæ ſinè habituali lumine gloriæ: ità Paludanus in 4. diſt. 49. quæſt. 1. artic. 3. Concl. 2. & recentiores.

Poteſt ſuppleri cõcurſus luminis gloriæ.

Ruit fundamentum 1. ſententiæ. Ex iſtis colliges falſùm eſſe quod docent aliqui Theologi, potentiam videndi diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt, eſſe ſolum lumen gloriæ habituale; hoc enim tantùm eſt verum de lege communi, etſi nomine potentiæ videndi diuinam eſſentiam intelligatur cauſa partialis, quæ producit in beatis actum viſionis: hæc enim viſio producitur etiam tota ab intellectu beato, ſuppoſita tamen informatione luminis gloriæ. E

DVBITATIO TERTIA.

An viſio, per quam beati vident diuinam eſſentiam ſit illa eadem, per quam Deus videt ſeipſum; An verò aliqua alia à ſolo Deo producta, & recepta paſſiuè in intellectu cuiuſlibet beati: ità vt beati nullo modo concurrant effectiuè; nec item lumen gloriæ ad viſionem iſtam.

RESPONDEO 1. *Citra manifeſtum errorem defendi non poſſe beatos videre diuinam eſſentiam per illam eandem numero viſionem, qua Deus videt ſeipſum.* Primùm, quia ſi Deus videretur à beatis per illum eumdem numero actum, quo Deus videt ſeipſum, quilibet beatus comprehenderet diuinam eſſentiam. Eſt enim propoſitio indubitata apud omnes, actum quo Deus videt ſeipſum eſſe comprehenſiuum diuinæ eſſentiæ: at de fide eſt neminem poſſe comprehendere diuinam eſſentiam præter ſolum Deum, vt probabitur in ſequentibus. *Beati non vident per illam eandem viſionẽ qua Deus ſe videt.* 1.

Deinde, ſi quilibet beatus per viſionem, qua Deus videt ſeipſum, conſpiceret diuinam eſſentiam viſio eſſet æqualis in omnibus beatis (viſio enim qua Deus videt ſeipſum eſt ſimpliciter infinita, ac proinde non poteſt ſuſcipere magis, & minus) at viſio eſſentiæ diuinæ in beatis eſt inæqualis, vt probabitur artic. ſequenti ſancti Thomæ, & inæqualitas iſta eſt ſuſtinenda, tanquam de fide, vt probabitur ibidem. 2.

Reſpond. 2. viſionem, qua beati vident diuinam eſſentiam non eſſe à ſolo Deo productam, & receptam tantùm paſſiuè in intellectu cuiuſlibet beati. Primùm, quia ſi ità res haberet, ſequeretur actum vitalem, non recipi proximè, & immediatè in ea potentia à qua producitur. Nam viſio eſt verè actus vitalis, & ex hypotheſi producitur à ſolo Deo, & tamen recipitur in intellectu beati paſſiuè, ità vt nulla ratione effectiuè producatur ab intellectu beati ex hypotheſi. At illatio iſtius antecedentis negatur ab omnibus; eſt enim viſio actus immanens, ac proinde poſtulat ex ſe & ſua natura, vt recipiatur tantùm in ea potentia, à qua elicitur. *Viſio beatorum non eſt à ſolo Deo.*

Deinde, ſi intellectus beati nulla ratione concurrit ad actum viſionis actiuè, ſequeretur beatos ab illa viſione non poſſe nuncupari videntes: nemo quippe videns nuncupatur formaliter & intrinſecè per actum viſionis ab aliquo alio tantùm productum: at de fide eſt beatos eſſe videntes reſpectu eſſentiæ diuinæ, Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* & cap. 18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei.* & 1. Corinth. 13. & 1. Ioann. 3. ſimile quid dicitur. Matth. 5. v. 8. & 18. verſ. 17.

Obiectio. Obijcies, præmium eſſe tantùm ad remunerandum; non autem ab eo, qui meretur: viſio autem diuinæ eſſentiæ eſt merces debita bonis operibus omnium Catholicorum conſenſione.

Solutio. Reſpond. viſionem diuinæ eſſentiæ poſſe ſpectari duobus modis. Primò, in ratione præmij, & remunerationis tantùm. Deinde, vt hæc eſt effectus aliquis ſimpliciter vitalis & ſupernaturalis, productus proinde à certis quibuſdam cauſis, veluti efficientibus propriè. Priori modo certum eſt viſionem eſse à ſolo Deo; ſolus enim Deus eſt qui remunerat hominem præmio vitæ æternæ propter merita in hac vita facta: ſolus namque Deus

Digitized by Google

ſeipſum liberè obſtrinxit daturum ſe vitam æternam cuilibet propter bona opera in hac vita facta; ità vt detur perfectiſſima æqualitas inter dignitatem bonorum operum, & inter remunerationem viſionis diuinæ eſſentiæ, vnde in genere moris, ſeu (quod idem eſt) præmij & mercedis viſio eſſentiæ diuinæ in beatis à ſolo Deo eſt. Poſteriori verò modo, viſio eadem eſt à ſolo Deo tanquam à cauſa præcipua, & principali vniuerſali, & præterea ab intellectu illuſtrato lumine gloriæ cuiuſlibet beati, veluti à cauſa præcipua, & prinpali particulari, ità vt intellectus effectiuè concurrat, & item lumen gloriæ ad viſionem iſtam producendam in ratione cauſæ efficientis phyſicæ: Nam ſi Concilium Trident. ſeſſ. 6. cano. 4. definit liberum arbitrium hominis non ſe habere merè paſſiuè ad actum iuſtificationis: certè illud idem doceret de actu viſionis, comparato cum intellectu cuiuſlibet beati: præſertim cum de ratione actus vitalis, & immanétis ſit, quod recipiatur in ea tantùm potentia, à qua producitur. Deinde, lumen gloriæ tam verè eſt qualitas actiua, quàm ſit habitus fidei, ſpei, & charitatis; certum autem eſt habitus iſtos concurrere effectiuè ad actus fidei, ſpei, & charitatis. Denique, docuimus artic. 4. huius quæſt. ex intellectu & lumine glorię conſurgere vnam cauſam totalem, & adæquatam reſpectu actus viſionis diuinæ eſſentiæ, idque in ratione cauſæ efficientis: ità docent recentiores.

A B C

ARTICVLVS SEXTVS.

An videntium diuinam eſſentiam vnus alio perfectius videat.

DVBITATIO PRIMA.

An viſio, ſeu (quod idem eſt) beatitudo ſubiectiua, ſeu formalis ſit in omnibus beatis æqualis.

D

Duplex beatitudo alia obiectiua, alia ſubiectiua.

ADVERTE beatitudinem ſupernaturalem creaturæ rationalis aliam eſſe obiectiuam, aliam verò ſubiectiuam, ſeu formalem. Prima poſita eſt in ſola diuina eſſentia, ità vt ſola diuina eſſentia ſit obiectum beatitudinis creaturæ rationalis, vt communiter docent omnes in tractatione de beatitudine, & manifeſtè colligitur ex illo Exod. 33. *Oſtendam tibi* (inquit Deus ad Moyſem) *omne bonũ*, id eſt, meipſum; in quo ratio cuiuſlibet boni reperitur, & ex illo Ioann. 17. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum verum Deum*; formalis verò, ſeu ſubiectiua beatitudo cenſetur eſſe poſita in viſione diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt, ac proinde de hac quæritur hoc loco, an ſit in omnibus beatis æqualis: nam de prima conuenit inter omnes eam eſſe ſolum Deum.

Exod. 33. verſ. 19.

Ioann. 17. verſ. 3.

E

Rationes hæreticorũ. 1.

Iouinianus ergo ante mille ducentos annos docuit beatitudinem ſubiectiuam, ſeu formalem eſſe in omnibus beatis æqualem, vt referunt Hieronym. in lib. contra eumdem, Prateolus de vitis & ſectis hæreticorum, verbo, *Iouinianus*; & alij multi. Conabatur autem hunc errorem ſequentibus comprobare rationibus. Prima: Denarius vnicus redditur agricolis poſt laborem inæqualem conſumptum in vinea patrisfamilias excolenda, Matth. 20. at nomine denarij ſignificatur beatitudo ſubiectiua, ex communi doctrina. Matth. 20.

Deinde, quilibet beatus videt Deum prout in ſe eſt 1. Ioann. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*: ergo cùm ſimpliciſſimum vel ſecundùm ſe totùm videatur, vel nihil illius, & Deus ſit ſimpliciſſimus, ex æquo videbitur ab omnibus beatis. 2. 1. Ioan. 3. verſ. 2.

Tertiò, in die iudicij generalis vna profertur à Chriſto ſententia in gratiam omnium electorum, & vna ſimiliter in punitionem damnandorum. 3.

Quartò, beatitudo ſubiectiua definitur, *Status omnium bonorum aggregatione perfectiſſimus*. & iterum de hac eadem dicitur, quòd ſummo bono nihil planè detur maius: ergo cùm viſio diuinæ eſſentiæ ſit ſummum bonum reſpectu cuiuſlibet beati, erit in omnibus æqualis. Placuit etiam hic error noſtris ſeculis Luthero & alijs nonnullis Caluiniſtis, vt referunt Coccius, Bellarminus, & alij nonnulli. 4.

CONCLVSIO. *Viſio diuinæ eſſentiæ in omnibus beatis non eſt æqualis, ac proinde neque beatitudo ſubiectiua, ſeu formalis*; hæc eſt de fide; dicitur enim Ioann. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*: locus quippe hic non eſt explicandus de diuerſitate Eccleſiarum quæ dantur apud nos, pro illo tempore, quo ſumus in hac vita mortali, vt explicabat Iouinianus rc, referente Hieronymo loco ſupra citato, ſed de inęqualitate beatitudinis, ſeu viſionis diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, vt manifeſtè colligitur ex verbis ſubſequentibus Chriſti; *Si* (inquit) *abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis*: at verba iſta loquuntur manifeſtè de beatitudine æterna: ergo & antecedentia de hac eadem ſunt explicanda. *Beatitudo formalis inæqualis.* Ioann. 14. verſ. 2. Ibidẽ v. 3.

Deinde, 1. Corinth. 3. dicitur, *Vnuſquiſque recipiet mercedem propriam, ſecundum ſuum laborem.* & cap. 7. eiuſdem epiſt. caſtis, & pudicis promittitur maior beatitudo, quàm matrimonio copulatis. *Beatior* (inquit Apoſtolus) *erit, ſi ſic permanſerit*, ſcilicet ſinè vxore, & cap. 15. *Sicut differt ſtella, à ſtella in claritate, ità & reſurrectio mortuorum.* & cap. 5. poſterioris ad Corinth. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* & cap. 9. eiuſdem epiſtolæ, *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* 1. Cor. 3. verſ. 8. Idem 7. verſ. 40. Eiuſdẽ 15. verſ. 41. 2. Cor. 5. verſ. 10. Euſdem 9. verſ. 6.

Tertiò, ex ijſdem ſacris litteris manifeſtiſſimè colligitur inter beatos alios eſſe maiores, alios verò minores. Nam Matth. 11. dicitur de minimo agente in cœlis, quòd ſit maior D. Ioanne Baptiſta, *Qui* (inquit) *minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo.* & Matth. 18. *Qui ſe humilianerit, ſicut parvulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum.* & alibi; *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Matth. 11 verſ. 7. Eiuſdẽ 18. verſ. 4. Eiuſdẽ 5. verſ. 19.

Quartò, Concilium Trident. ſeſs. 6. cap. 10. & 16. & cano. 24. & 32. definit merita inæqualia poſtulare quoque præmia inæqualia: at certum eſt merita iuſtorum non eſſe æqualia: Paulus quippe de ſeipſo loquens, ità ait, *Abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum.* Trident. 1. Cor. 15. verſ. 10.

Quintò, pœnæ damnatorum ſunt inæquales, ex illo Apocal. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum*, & *pro menſura peccati, erit & plagarum modus*: ergo & merces debita bonis operibus erit etiam inæqualis, vt manifeſtè colligitur ex parabolis. Luc. 19. & Matth. 13. Apoca. 18. verſ. 7. Deute. 25. verſ. 2.

Denique,

Digitized by Google

D. Auguſt. Denique, ità docent Patres, D. Auguſtinus de ſancta virginitate, cap. 26. *Hic eſt ille denarius*, inquit, *merces omnium Sanctorum. Stella tamen à ſtella differt in gloria, ſic & reſurrectio mortuorum. Hæc ſunt merita diuerſa Sanctorum. Si enim cœlum ſignificaretur illo denario, nónne in cœlo eſſe omnibus eſt commune ſideribus? & tamen alia eſt gloria Solis, alia Lunæ, alia Stellarum. Quia verò in ipſa vita æterna, diſtinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ ſunt manſiones apud Patrem: in multis autem manſionibus honoratur alius, alio clariùs:* & tractat. 67. in Ioann. Cyrillus Alexandr. lib. 9. in Ioan. cap. 31. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Capacitatem cœli oſtendit, quæ tanta eſt, vt nulla egeat ad ſuſcipiendos electos præparatione. Hæc multitudo manſionum, differentiam gloriæ ſignificat: omnes enim vita ſua congruentem honorem ſuſcipient.*

Cyrillus Alexand.

Satisfit rationibus hæreticis.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. parabolam illam intelligendam eſſe de beatitudine obiectiua, vt author eſt Nazianz. oratione 4. Chryſoſtom. homil. 65. in Matth. D. Auguſtinus ſermo 59. de verbis Domini, Anſelmus ad cap. 2. Matth. & D. Thom. 1. 2. quæſt. 5. art. 2. ad 1. Soto in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 2.

Nazianz. Chryſoſt. Auguſt. Anſelmus. D. Thom.

Obiectio.

Dices, reſponſionem iſtam pugnare cum iis quæ habentur apud Matth. loco proximè citato, dicitur enim illic agricolas, qui à crepuſculo matutino ad tempus vſque ſerotinum, vineam excoluerunt, excitaſſe querimonias contra Patremfamilias. *Nos* (inquiunt) *qui portauimus pondus diei, & æſtus, hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & illos pares nobis feciſti:* conqueruntur ergo de æqualitate mercedis, cùm tamen præceſſiſſet inæqualis labor.

Matth. 20. verſ. 12.

Solutio.

Reſpond. ex iſtis nihil planè poſſe colligi, rectè enim Chryſoſto. loco proximè citato admonet verba quæ ponuntur in parabolis inepta eſſe planè ad fidem faciendam, niſi conducant ad finem parabolæ: parabola autem iſta fuit introducta ad hoc vt conſtaret debitam eſſe mercedem operanti, non autem ad hoc vt oſtenderetur hanc vel illam mercedem eſſe debitam operanti, vt docent authores proximè citati. Addo non deeſſe qui parabolam prædictam exiſtiment intelligendam eſſe de vocatione ad primam gratiam, quæ datur omnibus & ſingulis, ſinè vlla dependentia à proprijs meritis; ſed ex ſola Dei voluntate, & miſericordia: Ità Vazq. & alij nonnulli recent.

Nota.

2. Ad 2. Reſp. beatos videre diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt, & id ſignificari à Ioanne eo in loco; non tamen videtur eſſentia diuina infinito modo, ſed finito; licèt videatur vt infinita.

Ad aliud verò quod ſubiungitur: ſimpliciſſimum vel ſecundum ſe totum videri, vel nihil illius. Reſpond. hoc eſſe verum de ſimpliciſſimo, quod excludit omnem omnino multiplicitatem, cuius generis eſt punctum Mathematicum: Deus autem licèt ſit ſimpliciſſimus cùm excludat omnem omnino compoſitionem, eſt tamen virtute & eminenter multiplex; ità vt dentur in eo attributa, & neceſſaria, & libera, quæ diſtinguuntur ab inuicem, ſecundum noſtrum modum concipiendi, ſeu ratione ratiocinata; nam attributa libera licèt ſecundùm ſuam entitatem à quolibet beato perfectiſſimè videantur, non minùs, quàm neceſſaria, non tamen videntur ſecundùm terminationem, quam dicunt ad ea, quæ ſunt extra diuinam eſſentiam, ex communi doctrina. Deinde, quodlibet attributum diuinum ſiue liberum, ſiue neceſſarium, habet latitudinem quamdam gradualem, quaſi infinitam, ac proinde in ordine ad iſtam latitudinem quilibet beatus non videt ex æquo iſto attributa, vt pluribus explicabitur alibi; ac proinde in ordine ad iſtam latitudinem quilibet beatus non videt ex æquo iſta attributa.

Ad 3. Duas tantummodò pronunciari ſententias à Chriſto in iudicio contra malos, & in fauorem bonorum; ſed quàm diuerſos & inæquales producent effectus in beatis, & damnatis? iuxta videlicet æqualitatem meritorum, & demeritorum cuiuſlibet. 3.

Ad vltimam. Beatitudinem poſſe ſpectari, vel reſpectu tantùm illius, cuius eſt beatitudo, vel comparatè ad alios: priori modo certum eſt ſummo bono non dari aliquid maius, neque melius, reſpectu ſcilicet illius cuius eſt ſummum bonum: & illud idem dicendum eſt de illa definitione beatitudinis. Poſteriori verò modo indubitatum eſt ſummum bonum vnius, ſeu (quod idem eſt) beatitudinem eſſentialem comparatam cum beatitudine alterius, aut etiam multorum poſſe eſſe aliquid minus, & item aliquid non ità perfectum. Diximus enim beatitudinem reſpondere meritis; ac proinde quemadmodum merita ſunt inæqualia, ità & illud idem de beatitudine ſubiectiua, ſeu formali dicendum erit.

DVBITATIO SECVNDA.

Vnde ſit deſumenda inæqualitas beatitudinis formalis.

Formalis beatitudo maior oritur proximè ex maiori cognitione gloriæ.

RESPOND. 1. *proximè repetendam eſſe ex lumine gloriæ præcipuè, & principaliter: ità vt ratio, cur beatitudo vnius ſit maior beatitudine alterius, oriatur ex lumine gloriæ maiori, quod datur in aliquo præcipuè, & principaliter.* Primùm, quia tota viſio, ſeu (quod idem eſt) beatitudo ſubiectiua, ſeu formalis, eſt ordinis ſupernaturalis: at ratio ſupernaturalis competit iſti, ex eo ſolo capite, quòd producatur à lumine gloriæ ſaltem proximè. Deinde, lumen gloriæ ordinatur ad huiuſmodi effectum producendum, ità vt detur perfecta æqualitas inter lumen gloriæ, & viſionem productam. Tertiò, ità docent commmuniter omnes hoc loco & in 4. diſt. 49.

Mouetur dubium.

Dixi, *Proximè*, quoniam non eſt negandum, quin inæqualitas iſta ſumatur ex intellectu creaturæ rationalis, ſaltem remotè, & quaſi radicaliter, ac proinde non præcipuè, & principaliter. Diximus enim art. 2. huius quæſt. ex intellectu, & lumine gloriæ conſurgere vnam cauſam totalem reſpectu viſionis diuinæ eſſentiæ: ità vt neutra ex iſtis ſeorſim ſumpta ſufficiat ad actum viſionis producendum, bene tamen coniunctim. Deinde, docuimus ibidem intellectum non habere rationem inſtrumenti reſpectu productionis viſionis diuinæ eſſentiæ, ſed concurrere per virtutem aliquam ſibi innatam à natura ad actum viſionis vnà cum lumine gloriæ.

An autem lumen gloriæ collatum intellectui perfectiori ſecundum ſuam naturam, producat faciliori negotio viſionem eſſentiæ diuinæ dependenter à maiori vi quæ datur in intellectu.

Perfectior intellectus perfectiorem elicit viſionem cum eodem luſuos exequitur actus, quod nedum verum eſt, mine gloriæ.

Sunt qui negent, ſunt etiam qui affirment: vtraque ſententia ſatis eſt probabilis. Verior tamen videtur poſterior; nam gratia non deſtruit ſed perficit naturam. Deinde, quò magis potentia aliqua eſt vegetior eò quoque faciliori ratione

Digitized by Google

quando naturaliter, ſed etiam quando ſupernaturaliter operatur; cùm gratia, vt modò dictum eſt, non deſtruat naturam, ſed potiùs eam perficiat. Deinde, art. 4. huius quæſt. docuimus totam viſionem diuinæ eſſentiæ eſſe, & à lumine gloriæ, & ab intellectu, nedum ſub ea ratione, qua eſt vitalis, ſed etiam ſupernaturalis.

Beatitudinis ſubiectiua inæqualitas ad eſſentialitatem remotè ex meritis.

RESPONDEO 2. *Inæqualitatem beatitudinis formalis remotè reperendam eſſe ex meritis, idque in genere moris, ſeu moraliter, ità vt maior ſit beatitudo eius in quo plura fuerint merita*; Ità fatentur omnes locis proximè citatis. Deinde, de fide eſt, nulla dari merita, quæ non remunerentur in cœlis, ità vt detur perfectiſſima æqualitas inter præmium, & meritum, vt colligunt Theologi ex cap. 9. poſterioris ad Corinth. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet*: ergo cùm merita in genere moris ſint cauſa præmij, & remunerationis vitæ æternę, ex iſta inæqualitate meritorum erit inæqualitas beatitudinis deſumenda.

2. Cor. 9. verſ. 6.

Viſio Angeli, & hominis de eſſentia diuina eſt eiuſdem ſpeciei.

ROGABIS, *An viſio producta ab homine, & Angelo de diuina eſſentia, prout in ſe eſt, ſit eiuſdem ſpeciei.* Reſpond. affirmatiuè: Actus quippe imitatur naturam principij à quo habet ortum, viſio autem tam in homine, quàm in Angelo de diuina eſſentia proximè, & immediatè habet ortum à lumine gloriæ præcipuè & principaliter: eleuatur enim intellectus hominis & Angeli ad viſionem iſtam producendam medio lumine glorię, vt docuimus. Deinde, vnitas ſpecifica cuiuſlibet actus ſumitur vel ab obiecto; vel à modo tendendi in obiectum, vel denique ab iſtis duobus ſimul: at viſio Angeli & hominis habet diuinam eſſentiam pro ſuo obiecto, & idem planè eſt modus tendendi in hoc obiectum, tam in homine, quàm in Angelo: ergo.

Obiectio.

Dices, hominem & Angelum diſtingui inter ſe ſpecie: ergo & viſio producta ab iſtis circa diuinam eſſentiam; nam actus imitatur naturam illius rei à qua producitur. Reſp. conceſſo anteced. neg. conſequutionem. Ad probationem autem; actum imitari naturam principij proximi, à quo producitur, non autem remoti, aut etiam ſubiecti in quo recipitur, alioquin qualitas recepta in homine, & Angelo pertineret ad diuerſas ſpecies, & illud idem dicendum eſſet de actibus eiuſdem elicitis ab homine & Angelo, quod nullus hactenus dixit. Dicendum præterea eſſet Adamum diſtingui ſpecie à nobis, cùm ille per creationem à ſolo Deo, quilibet verò noſtrûm per generationem à proprio parente productus ſit: proximum autem, & immediatum principium productiuum viſionis eſſentiæ diuinæ in homine, & Angelo eſt lumen glorię habituale.

Solutio.

DVBITATIO VLTIMA.

Licèt viſio beatifica ſit inæqualis, appetitum eiuſlibet vbertim explet.

An ſtante hac inæqualitate viſionis eſſentiæ diuinæ ſatietur appetitus cuiuſlibet beati.

Pſal. 16. verſ. 15. Idem 102. verſ. 5. Idem 35. verſ. 9. Auguſt. Greg. Mag.

CONCLVSIO affirmatiua; nam ſatietas eſt de intrinſeca ratione beatitudinis cuiuſlibet, ex Dauide Pſal. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Pſal. 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* & alibi: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Idem docent ſancti Patres, maximè verò D. Auguſtinus cap. 1. lib. 1. Confeſſ. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* & Greg. lib. 12. magnorum Moralium cap. 14. Quî inquit fieri poteſt, vt qui videntem omnia vident, non omnia videant? viſis autem omnibus abſolutè, non poteſt non ſatiari poteſtas viſiua. Damaſcenus, Boëtius, & alij innumeri idem planè adſtruunt quotieſcumque de beatitudine diſputationem inſtituunt. *Damaſcen.*

Tertiò, poſito obiecto adæquato alicuius potentiæ in ratione obiecti, & potentię, non poteſt potentia iſta non ſatiari: at cuilibet beato proponitur obiectum adæquatum reſpectu intellectus eiuſdem: nam obiectum intellectus eſt ens vt ens, aut intelligibile quodlibet ſub ea ratione, quâ eſt intelligibile: Deus autem eſt verè ens, & præterea continet in ſe rationem cuiuſlibet entis, & conſequitur rationem intelligibilis, non minùs, quàm entia producta: ergo cùm Deus prout in ſe eſt, ex cap. 3. 1. Ioann. videatur à beatis, intellectus beatorum cumulatiſſimè per iſtam viſionem ſatiabitur. Ità communiter omnes in tract. de beatitudine, & multi Thomiſtæ, hoc loco. *1. Ioann. 3. verſ. 2.*

Obiectio.

Dices, D. Petrum v.g. videre Diuam Virginem Mariam, multis partibus eſſe beatiorem ſe: ergo poterit expetere D. Petrus beatitudinem D. Virginis, cùm voluntas noſtra poſſit omne bonum cognitum ab intellectu, expetere.

Reſpoſio.

Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſecutionem. Ad probationem autem, pertinere ad ſuauem Dei prouidentiam non concurrere cum voluntate D. Petri ad expetendam viſionem maiorem diuæ Virginis, idque quòd dixerimus ſatietatem eſſe de ratione beatitudinis formalis cuiuſlibet beati.

Rtplica.

Inſtabis, ſi poſſit Petrus expetere viſionem diuæ Virginis, & negetur ei concurſus diuinus neceſſarius ad huiuſmodi effectum producendum, ſequeretur triſtari ex eo diuum Petrum; at triſtitia nullum habet, nec habere poteſt locum in beatis: ergo.

Diſſoluitur.

Reſpond. negando illationem maioris; nam propterea non triſtaretur D. Petrus ex negatione iſtius concurſus, quia ſcit beatitudinem formalem ſupernaturalem deberi cuilibet beato, iuxta condignitatem propriorum meritorum: bene autem nouit D. Petrus merita ſua non eſſe tanta, quanta fuere merita diuæ Virginis. Præterea nullus eſt inter plebeios, qui triſtetur ex eo quod non conſequatur vel dignitatem regiam, vel pontificiam, idque quòd ſciat ſe ad iſtam dignitatem nullum habere, aut habuiſſe ius: ità D. Petrus bene nouit ſe nuſquam habuiſſe ius ad tantam beatitudinem, quanta eſt diuæ Virginis beatitudo.

Illuſtre exemplum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm videntes Deum per eſſentiam, ipſum comprehendant.

Duplex ſignificatio verbi Comprehendere.

COMPREHENDERE vſurpatur duobus modis: interdum enim idem eſt comprehendere, atque rem proſecutam apprehendere, & tenere: ità vt Comprehenſio nihil aliud ſit, quàm detentio ſeu adeptio rei inſecutæ: iuxta hanc ſignificationem dicimus rectè, ſatellites comprehendiſſe furem fugientem, quando de facto tenent eum ligatum: interdum verò Comprehendere idem eſt, atque rem aliquam ità continere, ſeu conſcribere, vt nihil illius ſit extra id, quod dicitur

Digitized by Google

dicitur comprehendere, ac proinde comprehenſio iuxta iſtam ſignificationem nihil aliud eſt, quàm perfecta incluſio rei comprehenſæ: iuxta hunc vtrumque modum ſignificandi quærimus hoc loco, an Deus comprehendatur à beatis per actum quo vident diuinam eſſentiam.

Quo ſenſu dicantur beati comprehendere Deum.

CONCLVSIO 1. *Beati comprehendunt Deum, ſi comprehendere primo modo ſumatur:* dicitur enim 1. Corinth. 9. vnicuique noſtrùm; *Sic currite vt comprehendatis.* & ad Philippenſ. 3. *Si quo modo comprehendam.* & ad Epheſ. 3. *Vt poſſit is comprehendere, quæ ſit latitudo.*

Deinde, propter hanc cauſam beati dicuntur comprehenſores à Patribus, & à Theologis Scholaſticis communiter, maximè verò à D. Auguſtino ſerm. 38. de verb. Domini, Nazianz. orat. 34. Origene lib. 1. periarchon, & Cypriano de cardinalibus Chriſti operibus, Irenæo, & alijs multis.

Auguſt. Nazianz. Origen. Cyprian.

Proprie non poteſt comprehendi Deus.

CONCLVSIO 2. *Deus nec comprehenditur, nec poteſt comprehendi à beatis, ſi comprehendere ſumatur poſteriori modo:* Concilium quippe Lateranenſe ſub Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, definiuit Deum eſſe incomprehenſibilem, reſpectu cuiuſlibet creaturæ; nam reſpectu ſui ipſius verè comprehenditur à ſeipſo, omnium conſenſione. Deinde, apud Hieremi. cap. 32. dicitur de Deo, quòd ſit incomprehenſibilis cogitatu, & ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius.* & Iob. 11. *Forſitan comprehendes veſtigia Dei?* Idem docent Patres, D. Auguſtinus epiſt. 112. & ſermo. de tempore 38. & de verbis Apoſtoli; & lib. de cognitione veræ vitæ cap. 31. Ambroſius lib. 1. in Luc. & Damaſcenus lib. 1. de fide, cap. 4. D. Thomas hoc loco, & interpretes eiuſdem.

Rom. 11. verſ. 33. Iob. 11. verſ. 7. Auguſt.

Ponuntur rationes incomprehenſibilitatis Dei.

Licèt autem de hac re conueniat inter omnes Theologos Scholaſticos, non tamen vnâ, & eadem ratione comprobatur ab omnibus. Franciſcus quippe à Victoria, Ferrarienſis, Soto, & alij nonnulli Thomiſtæ, propterea contendunt Deum eſſe incomprehenſibilem, reſpectu cuiuſlibet creaturæ rationalis, quòd in Deo dentur infinita attributa, & item quòd quodlibet ex iſtis attributis contineat infinitam latitudinem graduum, ex quibus quaſi conſurgit quodlibet ex iſtis attributis: fieri autem nequit vt infinita attributa cognoſcantur per cognitionem aliquam finitam; ità vt comprehendantur hæc attributa, per iſtam cognitionem: certum autem eſt cognitionem cuiuſlibet creaturæ, etiam de Deo viſo, prout in ſe eſt, eſſe finitam.

1. Ratio.

Refellitur.

Ceterùm ratio iſtorum authorum nullo modo doctrinam communem demonſtrat; nam falſum eſt in Deo dari attributa ſecundum numerum ſimpliciter infinita; eſt enim quàm maximè probabile, non plura dari in Deo attributa, quàm ſunt ea, quæ referuntur à D. Thoma in hac parte; imò non deſunt, qui ſentiunt in Deo dari vnum tantùm attributum abſolutum, præter reſpectiua quod virtute, & eminenter tantùm cenſetur eſſe varium, & multiplex. Tertiò, Deus eſt ſimpliciter infinitus, & tamen videtur à quolibet beato prout in ſe eſt, omnium planè conſenſione: ergo ratio infinitatis non impedit, quominùs aliquid videri comprehenſiuè poſſit.

2. Ratio.

Alij verò contendunt, propterea diuinam eſſentiam non comprehendi à beatis, nec comprehendi poſſe, quòd ex doctrina D. Auguſtini epiſt. 112. ad comprehenſionem ſit neceſſarium ità rem aliquam cognoſcere, vt nihil illius cognoſcentem lateat: nullus autem eſt inter beatos, qui ità Deum cognoſcat, vt non lateant iſtum multa, ex his quæ continentur intrà diuinam eſſentiam. Nam licèt quilibet beatus videat omnia attributa, quæ ſunt in Deo formaliter, non tamen videt, nec videre poteſt omnia, & ſingula attributa, quæ ſunt in Deo eminenter, & virtute, cuius generis ſunt ea attributa quæ dicuntur de Deo, prout reſpicit creaturas extra ſe poſitas. Ità plerique recent. maximè verò Suarez ad 3. part. ſancti Thomæ tom. 1. diſp. 26. ſect. 2. & lib. 2. de diuinis attributis, cap. 29. & Vazq. diſp. 53. cap. 4. huius part. licèt hic paulò aliter loquatur quàm Suar. ait enim propterea beatos non poſſe comprehendere Deum, quòd non cognoſcant, nec cognoſcere poſſint Deum ſecundum omnem modum, quo creaturæ habent ortum ab eo.

Infirmatur hæc ratio.

Verùm authores iſti difficultatem non ſatis explicant: nam attributa, quæ ſunt in Deo tantùm eminenter, & virtute, & in creaturis formaliter nihil addunt ſupra entitatem attributorum, quæ ſunt in Deo formaliter & quidditatiuè præter ſolam denominationem extrinſecam, aut relationem, & tendentiam aliquam; atqui relatio iſta, ſeu denominatio extrinſeca eſt impertinens planè ad comprehenſionem diuinæ eſſentiæ, cùm non ſit aliquid, quod de facto teneat ſe ex parte eſſentiæ diuinæ; & licèt dentur aliqui, qui exiſtiment relationem iſtam eſſe tranſcendentalem, & tenere ſe ex parte diuinæ eſſentiæ intrinſecè, non tamen propterea ſequeretur, eſſentiam diuinam non comprehendi: relatio quippe realis ex verioni ſententia non diſtinguitur realiter à ſuo fundamento, ſed eſt vnum & idem cum ipſo fundamento; at fundamentum iſtius relationis tranſcendentalis eſt eſſentia diuina, aut omnipotentia eiuſdem, aut idea; aut denique ſcientia viſionis, ſeu ſimplicis intelligentiæ, quæ non diſtinguuntur ab eſſentia diuina, nec realiter, nec formaliter; ſed ſunt cum eſſentia diuina vna res ſimpliciſſima, & imparibilis: ergo viſa eſſentia diuina, videtur etiam, & relatio iſta tranſcendentalis (quæcumque illa ſit ad creaturas) ſaltem entitatiuè; ità proinde non minùs comprehenditur eſſentia diuina, cum iſtis relationibus, quàm ſine eiſdem.

Denique, contra ipſum Vazq. peculiariter arguitur, tum quia ipſe exiſtimat eſſentiam diuinam eſſe omnino abſolutam, & tam perfectam, ac ſi nullæ forent creaturæ poſſibiles; ità diſp. 50. ex quo euincitur creaturam non pertinere ad perfectam cognitionem eſſentiæ diuinæ: tum etiam, quia Verbum diuinum procedit ex cognitione ſolius eſſentiæ, & non rerum poſſibilium, ex eodem authore diſp. 145. hæc autem cognitio eſt comprehenſiua. Demum ex eodem poteſt Deus omnia poſſibilia & libera reuelare alicui: ergo tunc comprehenderetur Deus.

Ex ſententia propria variè vincitur, & coarctatur Vazquez.

Diluitur.

Alij prætorea volunt Deum eſſe incompre-

henſibilem reſpectu creaturæ rationalis, quòd licèt videatur Deus totus à quolibet beato, non tamen videtur totaliter, neque item videri poteſt. Ità plerique recentiores, veteréſque Sententiarij in 4. diſt. 49. & hoc loco aliqui Thomiſtæ. Ceterùm deficiunt iſti in eo quòd non explicent, quid ſit videre Deum totaliter, & licèt ſint aliqui, qui dicant Deum videri totaliter, nihil aliud eſſe, quàm cognoſci omnibus modis, quibus cognoſcibilis eſt; non tamen propterea ſatisfaciunt: nam ſi iſtorum doctrina eſſet vera, ſequeretur nec Angelum, nec hominem comprehendere muſcam, nec formicam; neque enim Angelus, aut homo vllus intelligit iſta omnibus modis, quibus intelligi poſſunt, quia non cognoſcuntur nec ab homine, nec ab Angelo illo eodem modo, quo Deus cognoſcit iſta, vt eſt per ſe notum.

Ratio authoris.

Dico igitur propterea Deum eſſe incomprehenſibilem reſpectu cuiuſlibet creaturæ, quia ad veram comprehenſionem ſimpliciter & abſolutè requiritur, vt tanta ſit cognitio comprehendentis, quanta eſt cognoſcibilitas obiecti comprehenſi, ità vt detur perfectiſſima æqualitas inter cognitionem comprehenſiuam, & obiectum comprehenſum: fieri autem nequit vt detur cognitio in vlla planè creatura tam perfecta, & tanta, quanta eſt cognoſcibilitas eſſentiæ diuinæ; hæc enim eſt ſimpliciter infinita & quidem in omni planè ratione entis: eſt ſiquidem hæc eiuſdem ordinis & rationis cum Deo, imò eſt ipſemet Deus: Ità docent D. Thom. Bonauent. in 4. diſt. 14. Richardus, Scotus & alij nonnulli: & præterea in 4. diſt. 49. ex recentioribus verò pluribus Ægidius de Præſentat. in appendice ad duos primos tomos de beatitudine, quæſt. 1. art. 2. §. 2.

Cùm autem dicimus incomprehenſibilitatem repetendam eſſe ex adæquata cognitione, cum cognoſcibilitate diuinæ eſſentiæ, id non eſt exiſtimandum eſſe de fide; nam dantur plerique Theologi, qui ſecus ſentiant, & tamen non damnantur de hac re tanquam hæretici.

Deinde, ad hoc vt aliquid cenſeatur eſſe de fide Catholica debet eſſe, vel expreſsè definitum in aliquo Concilio, vel debet contineri formaliter & expreſsè in ſacris litteris; vel denique debet colligi in euidenti, & neceſſaria conſecutione ex ſacra Scriptura; vel ex propoſitione aliqua definita ab Eccleſia. Nihil autem hactenus conſtitutum eſt ab Eccleſia, aut habetur expreſſum in ſacris litteris de ratione iſta, qua comprobatur à nobis incomprehenſibilitas diuinæ eſſentiæ reſpectu cuiuſlibet creaturæ rationalis: ergo.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An videntes Deum per eſſentiam, omnia quæ in eo ſunt videant.

HABET hic Articulus varias, & diuerſas difficultates, & quidem ſatis intricatas; eæ autem explicantur ſequentibus Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

An omnia attributa neceſſaria, quæ ſunt in Deo formaliter, videantur à quolibet beato.

CONCLVSIO eſt affirmatiua: dicitur enim 1. Ioan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Deinde, in Concil. Florent. dicitur animas ſeparatas à corpore ſtatim reperere cœlos, ſi nihil habuerint purgandum, & videre Deum trinum, & vnũ. Florent.

Tertiò, SS. Patres conſtanter docent, beatos videre intrà diuinam eſſentiam omnia: Ità enim ait Gregor. lib. 12. magnorum Moral. cap. 14. *Qui imus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt quia foris ſit aliquid quod ignorent:* colligunt hoc Patres ex illo Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum*, ait Deus ad Moyſem, id eſt meipſum in quo datur ratio cuiuſlibet boni; omnia enim quæ ſunt in creatis ſunt participationes quædam diuinæ bonitatis. Greg. Mag.

Quartò, quælibet res eatenus videtur, quatenus manifeſtatur potentiæ, in ratione obiecti: at diuina eſſentia manifeſtatur mentibus beatorum ſecundum omnem perfectionem, quam habet in ſe neceſſariam; videtur enim hæc prout in ſe eſt à quolibet beato, ex loco proximè citato Ioan. ergo. Ità docent ſanctus Thom. hoc loco, & art. 7. ad 2. huius quæſt. & in 4. diſt. 49. & interpretes eiuſdem, paucis excepris.

Obiectio.

Dices, ex iſtis manifeſtè colligi eſſentiam diuinam non poſſe videri ſine perſonis: neque item vnam perſonam ſine alia; computantur enim hæc omnia inter attributa neceſſaria, quæ ſunt in Deo formaliter.

Vt huic obiectioni reſpondeatur ſit

Abſoluta poteſtate ſinè perſonis eſſentia diuina intuitiuè videri nequit.

CONCLVSIO 1. *Eſſentia diuina nequit videri ſinè perſonis omnibus diuinis, nedum de lege communi; ſed neque de poteſtate Dei abſoluta.* Primùm, quia loquimur hic de viſione Dei intuitiua, non autem de abſtractiua, ſeu iudicatiua. 1.

Deinde, viſio intuitiua cuiuſlibet rei terminatur ad rem iſtam exiſtentem, prout in ſe exiſtit, ex communi doctrina; at eſſentia diuina eſt in ſe vna, & trina in perſonis. 2.

Tertiò. Si daretur vna tantum perſona in diuinis, non poſſet eſſentia diuina videri intuitiuè ſinè huiuſmodi perſona, idque quòd cognitio intuitiua, vt ſic, terminetur ad rem cognitam, prout in ſe exiſtit: ergo. 3.

Quartò. Minus diſtinguitur eſſentia diuina à perſonis Patris, Filij, & Spiritus ſancti, quàm diſtinguatur eſſentia cuiuſlibet rei creatę à propria ſubſiſtentia: nam ſubſiſtentia rei creatę eſt modus, qui aduenit ſubſtãtię creatę, ac proinde diſtinguitur hęc ad minus modaliter, aut, vt alij volunt, diſtinctione reali minori à ſubſtãtia creata: perſonæ autem diuinæ neo realiter, nec formaliter, nec modaliter diſtinguuntur ab eſſentia, ſed ſunt vna res ſimpliciſſima cum eſſentia diuina: ergo cùm nulla ſubſtantia creata videri poſſit intuitiuè 4.

Digitized by Google

ſinè ſua perſonalitate, non poterit etiam videri diuina eſſentia intuitiuè ſinè perſonis.

Vna perſona nō poteſt videri ſinè alijs. 1. Ioann. 14. v. 9. & 10. 2.

CONCLVSIO 2. *Vna perſona diuina non poteſt videri ſinè alijs intuitiuè etiā de poteſtate Dei abſoluta.* Primum, quia de facto non videtur vna perſona ſinè alijs in cœlis, ex cap. 14. Ioan. *Philippe qui videt me, videt & patrem meum.* & rurſus, *Non credis quia ego in patre & pater in me eſt?* quæ ratio loquendi dicitur à Patribus circumineſſio.

Deinde, ratio propter quam vnum attributum neceſſarium non videatur à beatis ſinè alijs, intrà diuinam eſſentiam, hæc redditur ab omnibus; quia attributa iſta quæ ſunt in Deo formaliter, nullam dicunt inter ſe diſtinctionem, nec item ab eſſentia diuina, ſed ſunt vna res ſimpliciſſima; atqui perſonæ diuinæ, licèt inter ſe diſtinguantur realiter, ſunt tamen vna res ſimpliciſſima, cum diuina eſſentia, ità vt nec formaliter, nec realiter ab ea diſtinguantur: ergo non poterit eſſentia diuina videri intuitiuè, quin videantur etiam perſonæ omnes. Confirmatur. Quandocumque dantur duo aliqua, quæ ità inter ſe ſunt connexa, vt habeant naturam poſitam in impartibili, & in indiuiſibili, fieri nequit vt vnum ex iſtis videatur intuitiuè, quin cognoſcatur etiam aliud; at perſonæ diuinæ & eſſentiæ habent naturam poſitam in impartibili & indiuiſibili: diximus enim Deum eſſe ſimpliciſſimum, & excludere omnem omnino compoſitionem: ergo &c. In hac ſententia ſunt communiter Sententiarij & Recentiores.

Hæc obiectio agit directè in 1. Concluſionem. Obijcit 1. Scotus: Quotieſcumque datur aliquis actus, qui habet duo obiecta, quorum vnum eſt primarium, aliud verò ſecundarium, poteſt vnum ex iſtis videri ſinè alio; at viſio diuinæ eſſentiæ habet duplex obiectum, eſſentiam ſcilicet & perſonas diuinas: ergo poterit eſſentia videri ſinè perſonis. Minor probatur; Pater in eo inſtanti in quo producit filium eſt verè beatus, & tamen nondum cenſetur eſſe conſtituta perſona filij, neq; item perſona Spiritus ſancti, nihilominùs de hac perſona Patris concedendum eſt, quòd ſit beata; ac proinde quòd videat eſſentiam diuinam ſinè perſonis filij & Spiritus ſancti.

Solutio. Reſp. conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem autem, inſtantia rationis reſpectu productionis filij, & Spiritus ſancti admitti quidem à nobis in diuinis; cæterùm ſecundum modum noſtrum concipiendi tantùm, non autem à parte rei, idque quòd in æternis nihil ſit priùs, aut poſteriùs: diximus enim q. 10. huius partis, de ratione æternitatis eſſe, vt ſit tota ſimul, ac proinde excludere omnem omnino prioritatem, & poſterioritatem, nedum temporis ſed etiam naturæ: Pater ergo non eſt ante filium, & Spiritum ſanctum beatus, licèt concipiatur à nobis beatus, ſine filio & ſinè Spiritu ſancto.

Hæc obiectio militat contra 2. Concluſionem. Obijcit 2. Scotus, perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis diſtingui ab inuicem realiter: ergo poterit vna videri ſinè alia intuitiuè. Reſp. conceſſo antecedente, negando conſequutionem: ad hoc enim vt aliqua duo realiter inter ſe diſtincta videantur intuitiuè ſeorſim ſumpta, non ſufficit, quòd iſta duo diſtinguantur inter ſe realiter, ſed præterea deſideratur, vt non identificentur hæc duo cum aliquo alio tertio, in quo non ſint vnum & idem realiter, & formaliter, ac proinde vt habeant eſſentias, & quidditates realiter inter ſe diſtinctas: iam verò perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis, licèt ſint inter ſe realiter diſtinctæ in ratione perſonæ, identificantur tamen perfectiſſimè cum eſſentia diuina, ità vt nec realiter, nec formaliter ab ea diſtinguantur, ſed ſunt vnà cum eſſentia diuina, vnà res ſimpliciſſima, impartibilis, & indiuiſibilis: vnde cùm viſio intuitiua terminetur ad rem exiſtentem, prout in ſe exiſtit, & eſſentia diuina in ſe ſit trina, & vna, non poterit eſſentia diuina videri ſinè omnibus perſonis.

Replic. Dices, Patrem, & filium, vt ſic, non referri ad Spiritum ſanctum, ſed tantùm inter ſe: ergo poterunt iſtæ duæ perſonæ videri ſinè Spiritu ſancto. Reſp. nego conſequutionem. Nam licèt Pater, & filius reduplicatiuè, non referantur ad Spiritum ſanctum, certum tamen eſt Patrem, & filium, reſpicere Spiritum ſanctum fundamentaliter, aduenit quippe Patri, & filio conſtitutis, in ratione Patris, & filij, ratio ſpirandi Spiritum ſanctum; ac proinde eum reſpiciunt intrinſecè. Deinde, diximus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum identificari perfectiſſimè cum eſſentia diuina, quæ videtur neceſſariò cognitione intuitiua, prout in ſe eſt, à parte rei, à quolibet beato: vnde debet eſſentia iſta videri neceſſariò cum perſonis ſimul. *Diſſoluitur.*

DVBITATIO SECVNDA.

An attributa, quæ dicuntur de Deo liberè cognoſcantur ab omnibus, & ſingulis beatis ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ.

Rationes dubitandi. RATIO dubitandi 1. Attributa quæ dicuntur de Deo liberè, ſunt ſecundùm ſuam entitatem idem planè cum attributis neceſarijs, quæ ſunt in Deo formaliter, omnium plane conſenſione, & manifeſte colligitur, ex eo quòd eſſentia diuina ſit in ſe ſimpliciſſima, & quę nullam admittit diuerſitatem, præter eam quæ conſequitur oppoſitionē: atqui quælibet attributa neceſaria videtur ex vi viſionis eſſētię diuinę intrà ipsā: ergo. *1.*

Deinde, tota ratio cur attributa neceſaria, quæ ſunt in Deo videantur à quolibet beato, ex vi viſionis illius, hæc redditur ab omnibus, quòd attributa iſta neceſario repræſententur intrà diuinam eſſentiam, & quòd ſint idem realiter, & formaliter cum ipſa: at attributa quæ dicuntur de Deo libere, repræſentantur neceſariò intrà ipſum Deū, & ſunt idem realiter, & formaliter cum illo, ſaltem ſecundum omnē entitatē quam habent: ergo non minùs videbūtur hæc neceſariò quàm Deus. *2.*

Non omnia attributa Dei libera videntur à beatis. CONCLVSIO 1. Non omnia attributa libera, quę ſunt in Deo videntur à quibuſuis beatis, intrà diuinā eſſentiam. Hęc eſt communis inter Theologos; docent enim neminem ex beatis videre actus liberos diuinę voluntatis. Ità Thomiſtæ multi hoc loco, & in quartum, diſt. 49. & in 3. diſt. 14. quando diſputant de ſcientia Chriſti.

Probationes 1. 2. Deinde, ſi quælibet attributa libera viderentur ab omnibus beatis ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, ſequeretur quemlibet beatum habere perſpectas cogitationes cordium eorum, qui agunt in hac vita mortali, & item eorum omnium qui ſunt in cœlis; nam cogitationes iſtæ præſupponunt intrà diuinam voluntatē liberum aliquem actum eiuſdem: at illatio hæc eſt manifeſte contra illud Hierem. 17. *Inſcrutabile eſt cor hominis; & quis cognoſcet illud? ego Dominus.* Hiere. 17. verſ. 9.

Deinde, ſequeretur myſterium incarnationis fuiſſe notiſſimum Anglis beatis, antequàm de facto produceretur extra ſuas cauſas, & per Apoſtolos publicaretur; nam indubitatum eſt myſterium hoc pendere ab aliquo actu, quàm maximè libero diuinæ voluntatis: at illatio iſtius antecedentis

Digitized by Google

Epheſ. 3. vers. 10. eſt contra illud Pauli ad Epheſ. 3. *Vt innoteſcat principibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia. Dei* qui locus manifeſtè diſ- A
rit de myſterio Incarnationis.

3. Tertiò, ſequeretur diem iudicij eſſe quàm maxime perſpectum, & certum cuilibet beato, de hoc quippe dubitari nequit, quin ponat in Deo ſpeciale attributum liberum; at Matth. cap. 24. & Marc. 13. dicitur, *De die autem illa, vel hora nemo ſcit, neque Angeli de cœlo, neque filius, ſed ſolus Pater, & cui Pater voluerit reuelare.*

Matth. 24. vers. 36. Marc. 13. vers. 32.

4. Denique, ſi omnia iſta attributa libera, quæ ſunt intrà diuinam eſſentiam viderentur à quolibet beato, ex vi viſionis ipſius, non poſſet hæc videri ſinè iſtis: at certum eſt aliqua ex iſtis attributis B
non videri ab omnibus, & ſingulis beatis ex omnium planè Theologorum ſententia: ergo non omnia videntur ab omnibus.

Probabile eſt nulla videri libera in diuina eſſentia. Probationes

CONCLVSIO 2. *Probabile eſt nulla ex attributis liberis, quæ ſunt intrà diuinam eſſentiam videri à beatis, ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens ſancti Thom. 1. part. q. 57. art. 5. licèt alibi ſecus doceat: ait enim Angelos viſione beatifica cognoſcere myſteria gratiæ, non quidem omnia, ſed ſecundùm quod Deus voluerit eis reuelare: ergo videtur manifeſtè docere myſteria gratiæ innoteſcere Angelis beatis per ſpecialem Dei reuelationem: ac proinde per cognitionem omnino diuerſam ab ea, qua videtur diuina C
eſſentia. Addit ibidem quædam ab Angelis cognoſci ab initio ſuæ beatitudinis, alia verò decurſu temporis; at quæ cognoſcuntur per viſionem diuinæ eſſentiæ ſimul & eodem inſtanti temporis cognoſcuntur; eſt enim de ratione viſionis diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt, quòd ſit inuariata, & immutabilis, idque quod hæc ſit beatitudo formalis creaturę rationalis, quæ nullam admittit, aut admittere poteſt mutationem, ex communi doctrina.

1. Ratio Cõcluſionis.

Accedunt rationes aliquæ. Prima, ſi attributa libera, quæ ſunt intrà diuinam eſſentiam viderentur à beatis, ex vi viſionis eſſentiæ diuinæ, ſequeretur eſſentiam non poſſe videri ſinè iſtis attributis liberis (nam ea dicuntur videri ex vi viſionis eſ- D
ſentię, ſinè quibus eſſentia videri nullo modo poteſt) at eſſentia diuina videri poteſt ſinè vllis attributis liberis; conuenit ſiquidem inter omnes beatitudinem creaturæ rationalis poſſe cumulatiſſimè conſurgere ex vi viſionis ſolius eſſentiæ diuinæ, & ſic nullę cognoſcerentur creaturę, quæ tamen pertinent quodammodo ad attributa libera diuina.

2. Deinde, ſi attributa iſta libera viderentur ex vi viſionis diuinę eſſentię à quibuſuis beatis; videretur vel dependenter ab ipſamet eſſentia; vel à lumine gloriæ, neutrum dici poteſt; nam quodcumque admittatur, colligitur neceſsariò quemlibet beatum videre omnia, & ſingula attributa Dei li- E
bera, quod tamen aduerſatur Concluſioni primæ huius Dubit. nam illud omne quod videtur ex vi viſionis neceſsariò, & immutabiliter, id ſimul cognoſcitur à quolibet beato.

Quorundã reſpõſiones.

Reſpondent authores contrarię ſententię, propterea plura ex iſtis attributis liberis videri ab vno, quàm ab alio beato, quia Deus manifeſtat ſua ſingulari bonitate plura vni, quàm alteri, idque per directionem, illo eodem modo, quo vnus Angelus ſuas cogitationes manifeſtat alteri Angelo, non autem ceteris alijs, aut eleuando viſionem vnius beati ad intelligenda plura attributa libera, non autem alterius beati viſionem, aut denique per ſpecialem aliquam motionem, quam confere vni beato, minimè verò ceteris.

Refellũtur.

Verùm reſponſiones iſtæ vel nihil, vel parum admodum dicunt, nam indubitatũ eſt lumen gloriæ eſſe qualitatem, quæ neceſſitat intellectum ad illud omne intelligendum, quod poteſt intelligere eo medio intrà diuinam eſſentiam, ſine vlla eleuatione varia, & diuerſa ab ea, quæ aduenit intellectui per lumen gloriæ, ac proinde fruſtra eſt iſta manifeſtatio diuina, aut concurſus ſpecialis. Deinde, longe difficilius eſt eſſentiam diuinam videri, quàm attributa iſta libera; & tamen ſine vlla manifeſtatione, aut eleuatione diuerſa ab ea quæ pendet à lumine gloriæ, & motione ſpeciali diuina, ſimiliter diuerſa ab ea, quæ debetur intellectui illuſtrato lumine glorię, videtur diuina eſſentia. Poſtremò, vel mutatur viſio in beatis, quando cognoſcunt attributa iſta libera per manifeſtationem diuinam vel non. Si poſtremum, nulla poteſt aſſignari ratio, cur dicantur beati videre nunc attributa libera cùm anteà non viderent; ſi autem dicatur primum, manifeſtè ſtatuendum eſt attributa iſta non videri per viſionem, qua videtur diuina eſſentia: diximus enim viſionem habere rationem beatitudinis eſſentialis, ac proinde nullam admittere variationem.

Obiectio.

Dices D. Auguſt. & veteres omnes Theologos ſcholaſticos ex eo admittere duplicem rerum cognitionem in beatis Angelis, matutinam ſcilicet, & veſpertinam: nomine verò matutinæ cognitionis intelligere noritiam rerum creatarum intrà Verbum, ſeu, quod idem eſt, diuinam eſſentiam; nomine vero cognitionis veſpertinæ ſignificari cognitionem quam habuerunt Angeli de rebus creatis in ſeipſis.

Reſponſio 1.

Reſp. 1. rationem iſtam loquendi D. Auguſt. intelligendam eſſe cauſaliter, non autem formaliter, & actu, ità vt voluerit Angelos bonos intellexiſſe intrà diuinam eſſentiam res iſtas creatas, non quidem formaliter, & actu, ſed illo eodem modo, quo Concluſiones aliquæ cognoſcuntur in ſuis principijs, aut illa eadem ratione qua effectus cognoſcuntur in ſua cauſa.

2. Reſp. 2. Propterea D. Auguſt. affirmaſſe beatos Angelos cognouiſſe res iſtas creatas in Verbo, quòd media cognitione aliqua omnino diſtincta ab ea, qua vident Deum, prout in ſe eſt, cognoſcant res iſtas intrà diuinam eſſentiam.

Probabilius aliquã ex attributis liberis, non tamen omnia, videri à beatis, ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, ac proinde per illã quã attributum libera ex vi viſionis eſſentia.

CONCLVSIO 3. *Eſt tamen multo probabilius aliquã ex attributis liberis, non tamen omnia, videri à beatis, ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, ac proinde per illã quã attributum libera eadem numero viſionem, quã videtur diuina eſſentia.* Primùm, quia hæc eſt expreſſa ſententia D. Auguſt. lib. 9. de Ciuit. cap. 22. quærit enim illic, quî *nis eſſentia.* hiat vt Angeli boni minimè fallantur inter præui- Auguſt.
denda futura, bene tamen mali: reſpondet propterea bonos, & beatos Angelos non errare in rebus iſtis præuidendis, quòd eas habeant notas, & perſpectas intrà Dei voluntatem; *Mutationes* (inquit) *temporum præuidere Deique voluntatem, quæ tam certiſſima, quàm potentiſſima eſt diuini ſpiritus participatione cognoſcere, quod ſanctis angelis donatum eſt.* & rurſus. *Ideò certius temporalia iſta, & mutabilia nouerunt*, ſcilicet Angeli beati, *quia eorum principales cauſas in Verbo Dei conſpiciunt.* & lib. 12. cap. 7. dicit creaturas cognoſci in Dei ſapientia, veluti in arte, qua factæ ſunt: & cap. 29. eiuſdem libri idem repetit, & lib. 4. de Geneſ. ad litteram cap. 24. & lib. 65. quæſtionum, quæſt. 26. ſi tamen liber hic ſit D. Auguſtini, & Bernard. lib. 5.

Digitized by Google

Authoritas Bernardi. lib. 5. de conſider. ad Eugenium, cap. 1. *Videt*, inquit, ſcilicet beatus, *Verbum, & in Verbo facta per Verbum.* & cap. 4. ad hæc verba, Pſal. 26. *Vt videam voluntatem Domini*, ait, *Quidni ibi videatur cor Dei? quidni ibi probetur qua ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta?* & rurſus. *Patent viſcera miſericordiæ, patent cogitationes pacis, myſteria bonæ voluntatis.* & Concilium Senonenſe in decreto fidei; *Beatis* (inquit) *præmium eſt vniforme ſpeculum, in quo quidquid eorum interſit, illuceſcit.*

Senonenſ.

Deinde, hæc videtur eſſe mens ſancti Thomæ, q. 84. huius part. art. 5. Ægidij à Preſent. art. 1. quæſt. 21. lib. 5. ad 1. 2. & multorum aliorum.

Rationes 1. Accedit ratio: Non eſt magis difficile beatos intrà diuinam eſſentiam conſpicere attributa libera Dei Opt. Max. quàm attributa neceſſaria eiuſdem, nam eſſentia diuina tam bene eſt expreſſiua, & repræſentatiua attributorum liberorum, quàm neceſſariorum, licèt non eodem modo: attributa quippe libera continentur in Deo tantùm eminenter, & virtute ſecundum terminationem, quam dicunt ad creaturam extra Deum poſitam; attributa verò neceſſaria repræſentantur, & ſunt intrà diuinam eſſentiam formaliter, & actu: ergo æquè poſſunt attributa libera videri intrà diuinam eſſentiam, atque neceſſaria, præſertim cùm Deus cognoſcat iſta omnia attributa per ſuam eſſentiam, & in ſua eſſentia.

2. Deinde, non repugnat aliquid videri in eo, in quo continetur, vt conſtat ex ſpeculo, in quo videntur omnia, quæ in eo repreſentantur: at attributa libera Dei verè continentur intrà diuinam eſſentiam: ergo poterunt à beatis videri ibidem.

Obiectio. Dices, Concluſionem iſtam aduerſari Paulo 1. Cor. 2. cap. 2. prioris ad Corinth. ait enim: *Quæ ſunt* verſ. 11. *Dei, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei.* Reſp. Paulum eo in loco, eadem ratione affirmare cogitationes Dei, & humanas eſſe incognitas, ait enim: *Quæ ſunt hominis, nemo nouit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt*: ac proinde quemadmodum dicimus cogitationes humanas tamdiù eſſe nobis incognitas, quamdiù non manifeſtantur nobis abillis, à quibus habent ortum; ità & cogitationes Dei liberæ, tamdiù ſunt occultæ beatis, quamdiù non manifeſtantur illis, intrà diuinam eſſentiam ab ipſomet Deo; aſſerimus autem per illam numero viſionẽ, qua Deus videtur, manifeſtari beatis aliquas ex iſtis cogitationibus liberis intrà ipſammet diuinam eſſentiam.

Reſponſio explicans locum D. Pauli.

Non omnia libera videntur. Quòd autem non omnia attributa libera videantur à beatis manifeſtè probant rationes aſſignatæ in fauorem Concluſionis proximè antecedentis; dies quippe iudicij nullis creaturis innoteſcit, vnico excepto Chriſto etiam quatenus homo eſt: fatentur enim omnes animam Chriſti cognoſcere illud omne quod futurum eſt in certa temporis differentia, ac proinde & diem iudicij: neque oppoſitum colligere licet ex eo Marc. 13. *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neque filius hominis.* Contendunt enim locum hunc ità eſſe intelligendum, vt dicatur filium Dei neſcire diem iudicij, non quidem ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm ad hoc vt reuelet aliquibus. Deinde, Angeli inferiores illuminantur à ſuperioribus. Tertiò. Attributa iſta libera, hoc ipſo quòd ſunt libera, ſunt etiã occulta; vnde pẽdet à libertate Dei Opt. Max. ea vel manifeſtare, vel certè occultare. Ex ſacris autem litteris habemus beatos aliqua ex iſtis ignorare: ità ſanctus Tho. art. 7. & 8. huius quæſt. & 3. part. quæſt. 10. art. 2. & 1. part. q. 106. art. 1.

A ad 1. & expreſſiùs multò q. 8. dé veritate art. 4. ad 1.

Ad rationes verò adductas in confirmationem primæ Concluſ. Reſp. 1. 2. & 3. probare tantùm nõ omnia, & ſingula attributa libera diuina videri à beatis ex vi viſionis intrà diuinam eſſentiam, non autem aliqua, de qua tantum re quæritur à nobis hoc loco.

Reſp. 2. myſterium incarnationis ſecundùm ſuam ſubſtantiam videri à beatis Angelis intrà Verbum diuinum: docebimus enim in tractat. de Angelis primùm peccatum Angelorum habuiſſe ortũ ex inuidia aſſumptionis humanę naturę ad eſſe diuinum. Ad id verò quod dicitur ex Apoſtolo, myſteriũ incarnationis innotuiſſe Angelis per Eccleſiam. Reſp. hoc eſſe intelligendum non de ſubſtantia myſterij incarnationis, ſed de quibuſdam circumſtantijs: quemadmodum enim Angeli in via crediderunt myſterium incarnationis, ex multorum opinione; ità cognitio huius myſterij debuit innoteſcere Angelis intrà diuinam eſſentiam, ex vi viſionis eſſentię diuinę: debuit enim præmium reſpondere merito Angelorum.

Satisfit argumentis allatis in 1. Concluſione.

Mouetur dubium. Reſoluitur. Ad ea verò omnia, quæ ſubiunguntur in confirmationem dictæ 1. Concluſionis. Reſp. poſtulare explicationem illius difficultatis, in qua quæritur, *Quî fiat vt non omnia, ſed aliqua tantùm ex attributis liberis diuinis, videantur à beatis in Verbo?* Reſp. diuerſitatem iſtam non eſſe repetendam vel ex eſſentia diuina præciſè ſumpta (hæc enim ex æquo, licèt non eadem ratione repræſentat attributa libera, & neceſſaria) neque item ex libero arbitrio, aut intellectu; intellectus enim beati cuiuſlibet neceſſitatur à lumine gloriæ, quod in ſe habet ad videnda ea omnia quæ videre poteſt intrà diuinam eſſentiam, prout viſio hæc conſequitur rationem beatitudinis eſſentialis: certum autem eſt eum, qui minùs beatus eſt longè plura videre poſſe ex attributis liberis diuinis, quàm faciat is qui magis beatus eſt.

Videre plura attributa libera, vel pauca pendet à voluntate Dei ità reuelantis. Dico igitur inæqualitatem viſionis iſtorum attributorum refundendam eſſe in ſolam Dei voluntatem, qua vult vni reuelare plura ex iſtis attributis intra diuinam eſſentiam, quàm faciat alteri, idque per illam eamdem viſionem, qua videtur diuina eſſentia ab iſto beato, quia attributa iſta, licèt neceſſariò repræſententur intrà Deum; eſſunt tamen in ſe formaliter libera, & conſequenter occulta: ergo voluntaris diuinæ erit hæc manifeſtare liberè quibus volet, & item alijs celare.

Aliqua attributa libera videntur decurſu temporis. Aduerte ex attributis liberis diuinis quædam videri à principio beatitudinis, alia verò decurſu temporis; hæc nuſquam videntur, per illam eamdem numero viſionem, qua videtur eſſentia diuina, ſed vel per diuerſam intra diuinam eſſentiam, vel per ſpecies aliquas infuſas intellectui beatorum perfectiſſimè repræſentantes iſta attributa libera: illa verò videntur intra diuinam eſſentiam ex vi viſionis eſſentię diuinę, idque quòd viſio hęc nequeat eſſe viſio diuinę eſſentię niſi, videantur quoq; iſta attributa libera ex vi huius viſionis.

Ad rationes verò dubitandi propoſitas initio huius Dubit. reſpondeo. Ad 1. Attributa libera diuina ſpectari, & ſecundum ſuam entitatem, & ſecundum terminationem quam dicunt ad creaturas extra Deum poſitas: priori modo omnia attributa libera videntur; ſunt enim idem ſecundum iſtam entitatem cum diuina eſſentia, ac proinde cum tota eſſentia videatur, videntur etiam & iſta attributa. Poſteriori verò modo non videntur omnia, ſed aliqua tantùm, vt conſtat ex dictis.

Digitized by Google

Attributa neceſſaria repræſentãtur intrà diuinã eſſentiam formaliter & actu, libera verò virtute, & eminenter.

Ad vltimam. Reſp. intrà diuinam eſſentiam repræſentari neceſſariò omnia attributa libera, non minùs quàm neceſſaria, non tamen eodem modo; neceſſaria quippe repræſentantur formaliter, & actu; libera verò, virtute, & eminenter: vnde ex eo quòd videantur attributa neceſſaria omnia & ſingula, non licet colligere videri omnia attributa libera. Diximus enim hæc ſecundùm terminationem, quam dicunt ad creaturas eſſe libera, ac conſequenter eſſe occulta; imò ex parte diuinæ voluntatis elicientis actus liberos attributa hæc adhuc magis ſunt libera, & idcircò intrinſecè occulta, debentque neceſſariò manifeſtari per actum aliquem diuinæ voluntatis liberum.

DVBITATIO TERTIA.

An vi viſionis diuinæ videantur à beatis omnia, & ſingula poſſibilia.

Poſſibilia dupliciter conſiderantur.

ADVERTE poſſibilia ſpectari duobus modis; nempe, & vt ſunt intrà diuinam eſſentiam; & vt ſunt extra eamdem. Priori modo certum eſt iſta poſſibilia videri, non minùs, quàm attributa libera ſecundum entitatem, quam habent intrà diuinam eſſentiam. Tota difficultas eſt de poſſibilibus, vt ſunt extra, & quidem quatenus ſunt res aliquæ, quæ poſſunt à Deo produci, etiamſi de facto nuſquam producantur. Si enim poſſibile ſumptum fuerit in cõmuni & formaliter loquendo, præſcindendo ab hoc, vel illo poſſibili; indubitatum eſt hoc etiam poſſibile notum eſſe cuilibet beato, ex eo capite quo perfectiſſimè intelligit omnipotentiam Dei; hæc enim verſatur circa poſſibile, veluti circa ſuum obiectum adæquatum: potentia autem omnis dicit habitudinem, ſeu tendentiam in ſuum obiectum.

A nulla anima, etiã Chriſti, videntur omnia poſſibilia.

CONCLVSIO 1. *Attributa omnia poſſibilia, quæ ſunt intrà diuinam eſſentiam, à nulla planè creatura beata conſpiciuntur, ac proinde neque ab anima Chriſti.* Primum, quia ſi viderentur iſta omnia poſſibilia à beatis, cognoſceretur etiam ab iiſdem illud omne, quod intelligit Deus per ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ; obiectum quippe ſcientiæ diuinæ, & omnipotentiæ ſunt poſſibilia, & futura in certa temporis differentia, omnium conſenſu: at impoſſibile eſt ea omnia quæ Deus intelligit per ſuam ſcientiam cognoſci ab vlla planè creatura pura: nam ſi irà res haberet comprehenderetur perfectiſſimè & omnipotentia diuina, & ſcientia eiuſdem: tanta namque eſſet iſta cognitio beati, quanta eſt cognoſcibilitas obiectorum omnipotentiæ diuinæ, & ſcientiæ diuinæ, quod ſufficit ad comprehenſionem. Diximus enim art. 7. huius quæſt. ex D. Auguſtino, comprehendere nihil aliud eſſe, quàm rem aliquam ità cognoſcere, vt nihil illius cognoſcentem lateat.

Probationes 1.

Cõfirmatio.

Confirmatur. Nihil eſt cognoſcibile in obiecto ſcientiæ, & omnipotentiæ diuinæ, quod non cognoſcatur, per eam viſionem, qua beatus intrà diuinam eſſentiam conſpicit quodlibet obiectum diuinæ eſſentiæ & omnipotentiæ: idque ſecundum omnem perfectionem, quam in ſe habet; cognitis enim iſtis obiectis omnibus, perfectiſſimè, & quàm maximè diſtinctè, cognoſcitur etiam omnis cognoſcibilitas quæ datur in obiectis iſtis: ergo comprehenditur omnipotentia, itémque ſcientia diuina à beato ex hypotheſi, quando cognoſcuntur ab eo omnia obiecta diuinæ omnipotentiæ, & ſcientiæ: datur enim perfectiſſima æqualitas inter cognitionem beati, & inter obiecta diuinæ ſcientiæ, & omnipotentiæ: eſt autem certum Deum comprehendi nullo modo poſſe ab vlla planè creatura.

2. Confirm.

Confirmatur rurſus; Cognitio, quam Deus habet de ſua omnipotentia, & ſcientia eſt verè comprehenſiua ſcientiæ, & omnipotentiæ eiuſdẽ; nihil enim eſt ex iſtis obiectis, quod lateat Deum: ergo illud idem dicendum eſſet de eo beato, qui intrà Deum videret omnia, & ſingula poſſibilia, ſecundùm omnem perfectionem, quam in ſe habere poſſet.

Effugium aliquorum.

Reſpondent aliqui, non propterea comprehendi omnipotentiam & ſcientiam Dei à beatis, licèt omnia poſſibilia viderentur ab iiſdem intrà diuinam eſſentiam; non enim adæquaret cognitio iſta beatorum obiecta omnipotentiæ & ſcientiæ diuinæ actiuè, ſed tantummodò paſſiuè: ad comprehenſionem autem deſideratur perfectiſſima adæquatio, & reſpectu principij, ſeu luminis producentis cognitionem iſtam, & præterea reſpectu obiecti cogniti.

Præcluditur.

Verùm reſponſio iſta, non ſatisfacit argumento; impoſſibile quippe eſt obiectum ſimpliciter infinitum, cognoſci ſecundùm omnem cognoſcibilitatem, quam in ſe habet, niſi etiam detur lumen aliquod actiuum, quod ſit principium productiuum iſtius cognitionis: at ſcientiæ, & omnipotentiæ diuinæ obiecta cognoſcuntur ex hypotheſi à beatis ſecundùm omnem cognoſcibilitatem, quam in ſe habent, & ſunt ſimpliciter infinita: ergo non poſſunt hæc cognoſci obiectiuè, ſeu paſſiuè, ſimpliciter, & abſolutè, niſi cognitio quoque iſta actiuè ſpectata, ſit ſimpliciter infinita.

Aliorum ſolutio.

Alij verò reſpondent, comprehendi attributa ſcientiæ, & omnipotentiæ diuinæ in hypotheſi data, non tamen propterea comprehendi diuinam eſſentiam, quia intrà eam ſunt infinita infinitiès attributa, & nequeunt hæc cognoſci à beatis.

Refellitur.

Ceterùm reſponſio hæc fuit à nobis exploſa in antecedentibus; diximus enim non eſſe plura attributa intrà Deum, quàm referantur à ſancto Thoma in hac Summa Theologiæ. Deinde, nulla poteſt aſſignari ratio cur vnum attributum poſſit, comprehendi à beatis; minimè verò cetera, cùm quodlibet ex iſtis ſit ſimpliciter infinitum.

Probatio 2. Concluſion.

Secundò probatur Concluſio. Futura in certa temporis differentia non videntur à beatis intrà diuinam eſſentiam ſaltem omnia & ſingula: ergo multò minùs poſſibilia quælibet.

Non eſt de fide omnia poſſibilia nõ videri.

CONCLVSIO 2. *Non eſt de fide Catholica omnia, & ſingula poſſibilia non videri à beatis intrà diuinam eſſentiam.* Sunt enim Theologi ſcholaſtici veteres plerique qui ſecus ſentiant, neque tamen propterea damnantur tanquam hæretici.

Authoritas Inquiſitorũ non facit aliquid de fide.

Deinde, licèt Arnaldus à Mediauilla damnatus fuerit tanquam hæreticus, eò quòd docuerit tantam eſſe ſcientiam animæ Chriſti, quanta eſt ſcientia diuinitatis eiuſdem; damnatio tamen hæc, ſeu cenſura non eſt facta à Pontifice Max. neque ab vllo Concilio generali, aut prouinciali, aut etiam ſynodali confirmato à Pontifice Maximo; ſed à ſolis Inquiſitoribus Eccleſiæ Tarraconenſis, vt refertur in decretis Inquiſitorum 2. part. q. 11. authoritas autem Inquiſitorum non poteſt inducere tantam certitudinem, quanta deſideratur ad hoc vt aliquid ſit de fide Catholica, omnium conſenſu.

Digitized by Google

Obiect. Obiciunt Chriſtum, quatenus homo eſt, omnia & ſingula, nedum futura in certa temporis differentia, ſed etiam poſſibilia, & nuſquam futura perfectiſſimè intelligere, & nulla eum latere, ex doctrina Patrum, & videtur colligi ex illo cap. 2. ad Coloſſ. *In eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* & ex illo, Ioann. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* & 16. *Nunc ſcimus quia ſcis omnia.*

Col. 2. v. 3. Ioann. 1. verſ. 14. Idem 16. verſ. 29.

Reſponſ. Reſpondeo, hæc intelligenda eſſe de ſcientia diuinitatis Chriſti, ex communi Patrum interpretatione. Deinde, licèt daremus, teſtimonia iſta agere de ſcientia humanitatis Chriſti, ſupereſſet adhuc quod reſpõderemus; põſſunt enim iſta teſtimonia explicari de plenitudine ſcientiæ pertinentis ad dogmata, & myſteria fidei; hæc enim pleniſſimè fuerunt in Chriſti humanitate: ab eo quippe communicata fuerunt hæc myſteria nobis. Patres verò quando affirmant animam Chriſti omnia ſcire, & nulla ignorare, loquuntur de ijs, quæ futura ſunt in certa temporis differentia; hæc enim omnia, & ſingula ſunt notiſſima animæ Chriſti, etiam intrà diuinam eſſentiam; vel per ſcientiam beatam, vel certè per ſpecialem aliquam cognitionem communicatam; aut intrà diuinam eſſentiam, aut certè extra eamdem, vt docent communiter Theologi in 3. diſtinct. 14. & Thomiſt. ad 3. part. in quæſt. de ſcientia Chriſti.

Obiectio. 2. Obijcies cuilibet beato, hoc ipſo, quòd manifeſtatur ei diuina eſſentia manifeſtari quoque omnia poſſibilia, & rationes eorumdem, repræſentantur ſiquidem hæc neceſſariò intrà diuinam eſſentiam: ergo videntur hæc poſſibilia à quolibet beato; viſa namque diuina eſſentia, videtur etiam neceſſariò illud omne quod neceſſariò repræſentatur intrà eamdem.

Reſponſio. Reſpondeo, negando antecedens: Diximus enim interea, quæ repræſentantur intrà diuinam eſſentiam quædam eſſe libera; hæc autem ex ſe, & ſua natura ſunt occulta, ſaltem quamdiu non manifeſtantur ab eo, qui huiuſmodi libera produxit, vel à Deo, cui nihil occultum eſſe poteſt.

Deinde, licèt diuina eſſentia ſeipſam manifeſtet cuilibet beato, non tamen id præſtat ſecundùm omnem intelligibilitatem, quam in ſe dicit, & habet; ſed iuxta menſuram illius viſionis, ad quam producendam concurrit cum intellectu cuiuſlibet beati in ratione ſpeciei intelligibilis, vel ſupplendo potius defectum ſpeciei intelligibilis; vnit ergo ſe eſſentia diuina inadæquatè, & diuiſiuè mentibus beatorum iuxta diuerſitatem, & inæqualitatem principij actiui, quod datur in beatis ad producendam viſionem circa diuinam eſſentiam.

Ad id verò quod dicitur omnia poſſibilia repræſentari neceſſariò intrà diuinam eſſentiam.

Reſpondeo, hoc eſſe verum, non tamen ex iſtis colligere licet videri propterea neceſſario omnia poſſibilia à quolibet beato; nam præter rationes proximè adductas, hoc etiam diligenter aduertendum eſt poſſibilia iſta repræſentari indiſtincta, & indiuiſa formaliter, & actu; non enim inducunt intrà Deum vllam planè diuiſibilitatem, aut compoſitionem actualem: cum iſtis tamen rectè coharet, vt hæc eadem poſſibilia virtute & eminenter diuiſa repræſententur intrà diuinam eſſentiam, vnde pendet à libera Dei voluntate, vt poſſibilia iſta prout à ſe inuicem diſtinguuntur manifeſtentur plura vni, pauciora verò alteri.

Ex iſtis rectè intelligitur, quî fiat, vt ex poſſibilibus plura ab vno, quàm ab alio videantur intrà diuinam eſſentiam.

Inſtantia. Inſtant authores contrariæ ſententiæ: eſſentiam diuinam nuncupari à Patribus, ſpeculum; vilo autem ſpeculo videntur neceſſariò ea omnia quæ in huiuſmodi ſpeculo repræſentantur.

Eſſentia diuina metaphoricè vocatur ſpeculum. Reſpondeo, eſſentiam diuinam nuncupari ſpeculum, non quidem propriè, ſed metaphoricè, quatenus ſcilicet intrà illam omnia poſſunt cognoſci perfectiſſimè, non minùs, quàm factant repræſentata in ſpeculo. Differt tamen à ſpeculo, quòd eo viſo videntur etiam neceſſariò omnia quæ in eo repræſentantur; quæ autem intrà diuinam eſſentiam ſunt, non omnia videntur neceſſariò, ſed dependenter à libera Dei voluntate: quemadmodum enim Deus videtur, quando vult; ità & eodem planè modo, quo vult reſpectu creaturarum, quæ intrà diuinam eſſentiam repræſentantur.

Aliqua ex poſſibilibus videntur à beatis. Aduerte, probabile eſſe aliqua ex iſtis poſſibilibus numquam futuris, videri à beatis intrà diuinam eſſentiam, maximè verò ab anima Chriſti; nam eadem facilitate, qua futura in certa temporis differentia videntur à beatis intrà diuinam eſſentiam; poſſunt etiam & aliqua ex iſtis poſſibilibus cognoſci intrà Deum.

Deinde, certum eſt Chriſtum, quatenus hominem, multa poſſibilia nuſquam futura perfectiſſimè intellexiſſe, pro eo tempore, quo fuit in hac vita mortali, vt conſtat ex illo Matth. 2. *Væ tibi Bethſaïda, væ tibi Chorozaïm, quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes quæ in vobis facta ſunt, egiſſent olim pœnitentiam in cinere & cilicio.* Et ex illo, *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Anima autem Chriſti à primo inſtanti ſuæ conceptionis, ex communi doctrina Theologorum eſſentiam diuinam tam perfectiſſimè conſpexit quàm de facto iam videat: eſt ergo veriſimile conſpexiſſe animam Chriſti iſta poſſibilia, nuſquam futura, intrà diuinam eſſentiam.

Mat. 11. verſ. 21. Idem 26. verſ. 53.

DVBITATIO QVARTA.

An ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ videantur à beatis omnia, & ſingula futura, in certa temporis differentia.

Probabile eſt nulla futura videri ex vi viſionis. CONCLVSIO 1. *Probabile eſt nullas ex iſtis rebus creatis videri à beatis intrà diuinam eſſentiam, ex vi viſionis eſſentiæ diuinæ.* Primum, quia eſſentia diuina nequit eſſe medium cognoſcendi creaturas, aut certè hoc videtur eſſe quàm maximè difficile; nã medium cognoſcendi creaturas videtur dicere neceſſariò relationem realem, ad id cuius eſt medium cognoſcendi, vt conſtat ex ſpecie qualibet impreſſa; hæc enim dicit relationem realem ad obiectum, quod repreſentat: at certum eſt eſſentiam diuinam nullam dicere relationem realem ad creaturas; relata ſiquidem iſta pendent à ſe inuicem ex doctrina Ariſtotelis. Deus autem à nullo pendere poteſt.

Deinde, vix poteſt aſſignari ratio, quæ ſatisfaciat intellectui, per quam demonſtretur aliquas ex iſtis creaturis videri intrà diuinã eſſentiã, alias vero minimè; poſita verò Cõcluſione noſtra, nullo negotio explicatur, quî fiat vt aliquæ creaturæ videantur à beatis; aliæ verò minimè: nam dicimus creaturas aliquas videri à beatis per ſpecialem Dei reuelationem, aliàs verò non

Digitized by Google

videri, quia non reuelantur beatis.

Occurritur obiectioni. Tertiò, quando SS. Patres docent, itémque veteres Theologi Scholaſtici creaturas videri in Verbo, dicimus hæc intelligenda eſſe cauſaliter, non autem formaliter, & actu: aut etiam creaturas iſtas videri in Verbo per viſionem omnino diſtinctam ab ea, qua videtur diuina eſſentia, & per quam quilibet conſtituitur formaliter beatus: Ità Gabriel Vazq. diſp. 50. ad hanc partem Sancti Thomæ.

Probabilius aliqua ex futuris videri ex vi viſionis. CONCLVSIO 2. *Multò probabiliùs eſt aliqua ex futuris in certa temporis differentia videri à beatis intrà diuinam eſſentiam, per illam eamdem viſionem, qua videtur Deus ab ijſdem, quàm oppoſitum.* Probatur primùm, ex D. Auguſtino, ait enim lib. 2. de Geneſ. ad litter. cap. 8. Angelos beatos non egere rebus iſtis inferioribus, ad eas intelligendas, ſed eaſdem perfectiſſimè cognoſcere intrà Deum, ab eo tempore quo potiuntur beatitudine æterna: *Ex quo*, inquit, *facti ſunt*, ſcilicet Angeli, *ipſa Verbi æternitate ſancta, & pia contemplatione perfruuntur; atque inde iſta deficientes ſecundùm id quod intus vident, vel rectè facta approbant, vel peccata improbant.* & lib. 9. de Ciuit. cap. 22. propterea affirmat cognitionem angelorum beatorum certiorem eſſe cognitione malorũ, ſcilicet angelorum, de rebus iſtis creatis, verò maximè de futuris, quòd boni angeli perſpectas habeant in voluntate diuina iſtorum futurorum cauſas; ſimile quid dicit lib. 11. cap. 7. de Ciuit. & cap. 29. & lib. 4. de Geneſ. ad litter. cap. 22. docet idem D. Auguſtinus in angelis dari duplicem cognitionem de rebus iſtis creatis, matutitinam ſcilicet, & veſpertinam: primam dicit eſſe eam, qua angeli cognoſcunt res iſtas creatas in Verbo; poſteriorem verè qua cognoſcunt eaſdem in ſeipſis.

Probat. 1. D. Auguſt.

Probat. 2. Deinde, hæc eſt expreſſa ſententia S. Thom. art. quippe 9. huius quæſt. & quæſt. 8. de veritate, art. 5. ait, creaturas videri à beatis non per ſimilitudines aliquas creatas, ſed per ipſammet diuinam eſſentiam vnitam beatis, ad modum ſpeciei intelligibilis, & quæſt. 57. huius part. art. 5. in medio corpore articuli, docet angelos beatos cognoſcere myſteria gratiæ nedum viſione beatifica, ſed in ipſamet viſione; ità enim loquitur: *Eſt autem & alia cognitio angelorum, qua eos beatos facit, qua vident Verbum, & res in Verbo*, & quæſtion. 84. huius part. articul. 5. ait beatos cognoſcere creaturas iſtas in Verbo, & in rationibus æternis Dei, tamquam in obiecto cognito.

D. Thom. Locus autem qui citatur à Vazq. ex eod. Diuo Thoma in confirmationem noſtræ Concluſionis primæ, non diſcrepat ab iſta 2. Concluſione; loquitur enim illic D. Thom. de illis myſterijs gratiæ, quæ innoteſcunt angelis poſt adeptam beatitudinem eſſentialem; hæc enim cognoſcuntur, omnium conſenſione ab angelis per ſpecialem cognitionem diſtinctam ab ea, qua quis conſtituitur eſſentialiter beatus.

D. Bonau. Idem docent Bonauent. in 3. diſt. 14. artic. 2. quæſt. 1. numer. 25. ait enim diuinum Verbum eſſe rationem beato cognoſcendi ſe, & alia à ſe, non poteſt autem eſſe ratio cognoſcendi ſe, & alia à ſe, niſi intrà Verbum cognoſcantur res iſtæ creatæ, & num. 28. & 29. ait beatos videre res in Verbo, vt eſt idea, & exemplar ipſarum rerũ, & numer. 30. beatum per ipſam ſummam veritatem cognoſcere, & Verbum, & res in Verbo, & art. 2. quæſt. 1. numer. 31. ait in fine, Deum oſtendere in ſeipſo beatis, quæ illis oſtendit, & numer. 32. beatum creaturas in Verbo cognoſcere affirmat non immediatè, ſed mediante Verbo, & Scotus diſtinct. 14. lib. 3. quæſt. 2. littera, O. §. Sed ſi iſta via, ait, animæ Chriſti per viſionem, qua videt Verbum, fieri in actu primo omnia præſentia, quæ relucent in Verbo; ità vt Verbum cognitum ſit manifeſtatiuum in actu primo eorum omnium quæ relucent in illo, & in ead. littera, O. ait, cognitionem creaturę cauſari intrà diuinam eſſentiam. Marcilius quæſt. 10. art. 2. lib. 3. in tertia parte artic. docet beatos videre creaturas in Verbo, illa eadem viſione, qua vident Verbum. Ockam quæſt. 13. lib. 3. art. 2. Gabriel diſtinct. 14. lib. 3. quæſt. 1. Almainus quæſt. 1. diſt. prox. citat. Maior ibidem quęſt. 3. & Petrus de Aliaco in 1. quæſt. 12. & Palud. in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 2. Scotus.

Ex quibus colligere licet quàm parùm candidè authores iſtos omnes citet Vazq. in fauorem noſtræ Concluſionis primæ. *Improbat lectionem Vazq. circa 1. Concluſio.*

Probat. à ratione 1. 1.Cor. 13. verſ. 12. D. Auguſt. Accedunt rationes aliquæ: Prima ſumitur ex cap. 13. prioris ad Corinth. *Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, id eſt in Verbo: ergo aliqua ex illis quæ credidimus videbuntur à nobis in cœlis intrà diuinam eſſentiam. Confirmatur, ex D. Auguſtino, cap. 21. lib. 20. de Ciuit. *Videbimus illa, qua nunc non videntes credimus*: Et rurſus, *Hîc credimus*; *ibi* (ſcilicet in cœlis) *videbimus.*

2. Pſalm. 16. v. 15. Secunda, appetitus cuiuſlibet beati ſatiatur cumulatiſſimè in cœlis, Pſalm. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

3. Tertia, Poſita iſta ſententia, faciliori negotio defenditur inæqualitas beatitudinis Sanctorum.

4. Denique beatitudo cuiuſlibet noſtrûm eſt participatio beatitudinis animæ Chriſti; eſt enim Chriſtus exemplar noſtræ prędeſtinationis, ac proinde & beatitudinis: at anima Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis cognouit in Verbo omnia futura in certa temporis differentia, ex opinione Thomiſt. ergo reliqui beati videbunt aliqua.

Mouetur quæſtio. Rogabis, an eſſentia diuina habeat rationem medij cognoſcendi creaturas reſpectu cuiuſlibet beati videntis aliquas intrà ipſam?

Reſpond. Reſpondeo, affirmatiuè; ità enim docent communiter Thomiſtæ, hoc loco, alij in 3. diſt. 14. & in 4. diſt. 49. Deinde, ad hoc vt aliquid conſequatur rationem medij cognoſcendi creaturas aliquas, ſatis eſt quòd perfectiſſimè repræſentet illas ſecundùm omnem perfectionem, quam in ſe habent, & quòd cognitio terminetur ad res repræſentatas, non autem ad id quod repræſentat; atqui eſſentia diuina perfectiſſimè repræſentat creaturas intrà ſeipſam ſecundùm omnem perfectionem, quam habent; & cognitio non terminatur ad eſſentiam, ſaltem ſub ea ratione, qua repræſentat creaturas, ſed ad creaturas repræſentatas, ità vt iſtæ dicantur verè cognitæ: ergo, Ità docet multis Ægidius à Præſentat. articul. 3. quæſt. 18. lib. 5. & art. 4. eiuſdem quæſt. ad 1. 2. Sancti Thomæ.

Soluuntur probatio. 1. Concluſ. dũtaxat probabiles. Ad rationes verò adductas in confirmationem noſtræ Concluſionis primæ reſpondeo. Ad 1. eſſentiam diuinam non poſſe eſſe medium cognoſcendi creaturas, ſi nomine medij cognoſcendi creaturas, intelligatur ſpecies impreſſa, vel à ſolo Deo, vel à creaturis repræſentatis per huiuſmodi

Digitized by Google

modi ſpeciem impreſſam: certum enim eſt omnem A ſpeciem impreſſam habere rationem accidentis, & recipi in intellectu, tamquam in ſubiecto; neutrum autem ex iſtis de Deo dici poteſt: ſi verò nomine medij cognoſcendi creaturas intelligatur, id quod eſt ratio cognoſcendi illas, hoc tantùm nomine, quòd eas perfectiſſimè repræſentet, quódque proximè, & immediatè vnitur intellectui ſupplendo vicem ſpeciei intelligibilis, indubitatum eſt eſſentiam diuinam eſſe medium cognoſcendi creaturas reſpectu cuiuſlibet beati, vt conſtat ex dictis.

Ad id verò quod ſubiungitur, medium cognoſcendi dicere relationem realem ad creaturas cognitas.

Reſponſ. 1. Reſpond. 1. Hoc eſſe verum de eo medio B quod eſt medium cognoſcendi creaturas, tamquam ſpecies impreſſa producta ab obiectis, vel certè à ſolo Deo, huius autem generis non eſt eſſentia diuina; hæc enim neq; eſt, nec eſſe poteſt ſpecies impreſſa, poteſt tamen ſupplere vicem ſpeciei impreſſæ.

Solutio. Reſpond. 2. Eſto daremus creaturas non cognoſci intrà diuinam eſſentiam tamquam per medium cognoſcendi, non tamen propterea ſequeretur eas non poſſe cognoſci in Verbo; ratio quippe iſta diſputandi laborat fallacia, à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter; idem enim eſt, ac ſi quis diceret: propoſitio hæc non cognoſcitur per demonſtrationem; ergo nullo modo co- C gnoſcitur: concluſio hæc deducta ex antecedenti eſſet planè falſa, poſſet enim propoſitio prædicta cognoſci, vel per fidem, vel per medium probabile, vt eſt per ſe notum: ità licèt creaturæ non cognoſcerentur intrà diuinam eſſentiam à beatis per eſſentiam, tamquam per medium cognoſcendi, poſſent cognoſci intrà eamdem aliqua alia ratione; nam Gabriel cum ſuis fatetur cognoſci creaturas in eſſentia diuina cauſaliter.

2. Ratio diſſoluitur. Ad 2. reſpond. Longè rectiùs explicare authores noſtræ ſententiæ qui fiat, vt ex creaturis repræſentatis intrà diuinam eſſentiam, non omnes, ſed aliquæ tantùm videantur à beatis; dicimus enim refundendam eſſe diuerſitatem iſtam in libe- D ram Dei voluntatem, quæ vult concurrere, cum vno ex beatis, minimè verò cum alio ad videndas eaſdem creaturas. Omnes verò creaturæ à nullo planè beato videntur, quia ſunt infinitæ ſyncategorematicè: eſt autem de ratione infiniti ſyncategorematici, vt cognita qualibet eius parte, ſuperſit alia ſemper cognoſcenda.

Solutio vltima. Ad vltimam reſpondeo, Opinionem eorum, qui dicunt creaturas videri in Verbo tantùm cauſaliter, non ſatis explicare mentem Diui Auguſtini, &. veterum Theologorum Scholaſticorum; nam Sanctus Auguſtinus, vt conſtat ex locis ſupra citatis verbis expreſſis docet creaturas videri intrà diuinam eſſentiam à beatis ſecundùm illud eſſe quod E habent in ſeipſis; hoc autem dici nequit de eo, quod videtur tantùm in ſua cauſa.

DVBITATIO VLTIMA.

Quæ ſint illa quæ videntur à beatis in cœlis,

Vident beatis omnes naturas genericas & ſpecificas futuras. CONCLVSIO 1. *Omnes naturæ generica, & ſpecifica futura in certa temporis differentia videntur à quibuſuis beatis in cœlis: & quidem ex vi viſionis eſſentiæ diuinæ; per illam proinde eamdem numero viſionem, qua videtur eſſentia diuina.* Prima pars huius Concluſionis probatur: Naturæ genericæ, & ſpecificæ futuræ in certa temporis differentia pertinent ad perfectionem huius vniuerſi: ergo ſpectabunt etiam ad perfectionem ſtatus beatifici cuiuſlibet creaturæ rationalis. Deinde, quilibet naturaliter expetit cognitionem iſtorum generum & ſpecierum: ergo. Tertiò, ità communiter omnes hoc loco, & in 4. diſt. 49.

Obiectio. Dices, extare multos inter homines, qui perfectas habeant naturas illas genericas, & ſpecificas, pro eo tempore, quo ſunt in hac vita mortali, ad quid ergo in illis ſaltem cognitio hæc dabitur in cœlis?

Reſp. Reſpond. Permanſuram in illis cognitionem, quam habuerunt in hac vita mortali de naturis genericis, & ſpecificis rerum creaturarum; futuram tamen cognitionem illarum longè præſtantiorem, neque enim repugnat vnum, & idem diuerſis rationibus cognoſci: concluſio quippe aliqua, & per fidem, & per demonſtrationem, & per opinionem rectè cognoſci poteſt: anima item Chriſti vnum, & idem per ſcientiam beatam, per infuſam, & denique per acquiſitam, omnium conſenſione cognouit.

Probat. 2. par. Secunda verò pars reſponſi probatur: Illa omnia videntur ex vi viſionis intrà diuinam eſſentiam, quæ cognoſcuntur à beatis intrà eamdem, quamprimum donantur beatitudine æterna: at naturæ iſtæ genericæ & ſpecificæ cognoſcuntur à quolibet beato in illo eodem inſtanti, in quo donantur beatitudine æterna, & quidem intrà ipſammet diuinam eſſentiam.

Vident individua cuiuſlibet ſpeciei ſaltem aliqua. CONCLVSIO 2. *Individua cuiuſlibet ſpeciei futura in certa temporis differentia cognoſcuntur à beatis: ſi non omnia, ſaltem aliqua, exceptis tamen effectis liberis, ex quibus eò plures cognoſcuntur ab aliquo beato, quò plures pertinent ad eius ſtatum.* Prima pars huius documenti probatur, ex eo quòd individua iſta pertineant aliquo modo ad perfectionem huius vniuerſi. Deinde, exopramus nedum cognoſcere naturas genericas & ſpecificas creatas, ſed etiam individua. Tertiò, individuum addit ſupra genus & ſpeciem, conditiones aliquas individuantes.

Obiectio. Dices, ſine iſtis individuis cumulatiſſimè expleri appetitum cuiuſlibet beati, viſa tamen eſſentia diuina, vt videtur colligi ex illo Pſalm. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Pſalm. 16.

Solutio. Reſpondeo, non propterea affirmare nos individua quædam videri in cœlis, vt expleatur appetitus beatorum, ſed ad perfectionem aliquam accidentalem cuiuſlibet. Ex quo colliges individua iſta non videri neceſſariò ex vi viſionis *Pars 2.* eſſentiæ diuinæ, licèt naturæ genericæ videantur ex vi viſionis eiuſdem eſſentiæ diuinæ.

Secunda verò pars huius Concluſionis confirmatur, ex ijs omnibus quæ docuimus Dubit. 2. huius artic. Diximus enim cogitationes liberas

ex ſe, & ſua natura eſſe occultas: ac proinde à nemine prorſus intelligi poſſe, niſi fuerint manifeſtatæ, vel à Deo, vel certè ab eo, qui huiuſmodi cogitationes liberas exercuit.

3. Pars. Tertia denique pars ex eo comprobatur, quòd fateantur omnes quemlibet ex beatis intelligere omnia quæ ſpectant ad ſuum ſtatum in cœlis, idque vel per ſpecialem aliquam reuelationem factam intrà diuinam eſſentiam, ac proinde per viſionem omnino diuerſam ab ea qua videtur Deus, vel per ſpecies aliquas creatas repræſentantes huiuſmodi cogitationes liberas, quæ infunduntur mentibus illius beati, ad cuius ſtatum pertinent cogitationes iſtæ liberæ.

Vident myſteria gratia præterita non futura.

CONCLVSIO 3. *Myſteria gratiæ, præterita, non tamen futura intelliguntur à quolibet beato in cœlis: etſi ſermo ſit de hominibus conſtitutis in hac vita, ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ: ità vt poſt iſtam vitam per illam eamdem numero viſionem qua vident eſſentiam diuinam, videant iſta myſteria præterita.* Prima pars probatur, ex cap. 13. prioris ad Corinth. *Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*. j. in Verbo: at myſteria gratiæ creduntur à nobis, dum ſumus in hac vita mortali. Deinde, fides tollitur in cœlis, ex illo proximè citato Pauli, & ratio manifeſtè conuincit; obſcuritas namque nequit conſiſtere cum clara & manifeſta rei alicuius cognitione: fides autem dicitobſcuritatem, ex illo Pauli; *Fides eſt* Hebr. 11. verſ. 1. *ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium*: viſio verò eſt in ſe quàm maximè euidens & clara: ergo cùm fides deſinat eſſe in cœlis, myſteria credita in hac vita, ſaltem præterita, clarè, & intuitiuè videbuntur in cœlis. Ità communiter omnes locis ſupra citatis.

2. Pars. Secunda pars Concluſionis probatur, ex eo quòd dies iudicij & reſurrectionis generalis pertineat, omnium conſenſu, ad myſteria gratiæ, & tamen certum eſt diem iſtum à nullo ex beatis intelligi, ita enim dicitur, Matth. 24. & Marc. 13.

Marc. 13. *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neque Angeli de cælo*: ita communiter omnes.

Intelligunt etiam beati preces & actiones noſtras ad ipſos directas.

CONCLVSIO VLTIMA. *Quilibet ex beatis videt in cœlis preces, & actiones, quæ diriguntur ad eum ab hominibus in hac vita conſtitutis.* Ità D. Thomas 2. 2. quæſt. 88. artic. 4.

Deinde, quilibet beatus aſſequitur omne quod pertinet ad ſuum ſtatum in cœlis, ex dictis: at preces iſtę pertinent ad ſtatum illius beati, ad quem diriguntur à mortalibus. Demum fides docet Sanctos agentes in cœlis ritè & quàm maximè vtiliter inuocari à nobis, vt colligere licet ex D. Auguſtino lib. 22. de Ciuitat. cap. 8. videntur enim preces iſtæ à beatis, non ex vi viſionis eſſentiæ diuinæ, ſed per ſpecialem aliquam reuelationem factam, aut intrà diuinam eſſentiam per cognitionem diuerſam ab ea per quam ſunt beati eſſentialiter, aut per ſpecies creatas repræſentantes huiuſmodi preces, quæ ſpecies infunduntur cuilibet beato, in illo eodem puncto, in quo donatur beatitudine æterna, ex veriori opinione Sancti Thomæ, aut velut alij volunt per reuelationem factam ab Angelo cuſtode illius, qui huiuſmodi preces format, pro eo tempore, quo eſt in hac vita mortali.

D. Auguſt. *Quî videantur preces hominum à beatis.*

Articul. 9. declarat. ARTICVLO 9. Docet D. Thomas, quæ videntur in Verbo à beatis, ex vi viſionis eſſentiæ diuinæ videri ſine vlla ſimilitudine, ſeu quod idem eſt, ſine vlla ſpecie impreſſa, quæ ſit ratio videndi ea, quæ videntur intrà diuinam eſſentiâ, de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio: ſimilitudo quippe, ſeu ſpecies impreſſa eſt tantùm neceſſaria ad intellectionem quando obiectum intelligibile non poteſt per ſeipſum conſtitui præſens potentiæ intellectiuæ, ex communi doctrina; atqui eſſentia diuina eſt præſentiſſima mentibus quorumcumque beatorum, & item repræſentat hæc omnes res creatas perfectiſſimè, quæ videntur à beatis intrà diuinam eſſentiam, vt conſtat ex dictis: ergo non eſt neceſſaria ſimilitudo.

ARTICVLVS DECIMVS.

An videntes Deum per eſſentiam, omnia quæ ſunt in ſeipſo ſimul videant.

HIc Articulus ſufficienter explicabitur certis quibuſdam adnotamentis.

Aduertendum eſt ergo; primùm, omnia quæ videntur in Deo, à beatis, per illam eamdem numero viſionem, qua videtur eſſentia diuina videri ſimul, & vnica numero viſione; non enim repugnat multa, vt multa ſunt, videri cognitione diſtincta, per vnam & eamdem numero viſionem; ſatis enim eſt ad cognitionem iſtam quòd omnia quæ cognoſcuntur per vnam & eamdem numero ſpeciem perfectiſſimè repræſententur.

Deinde in tractatu de Angelis docent communiter omnes, propterea Angelos cognoſcere ſimul naturas genericas, & ſpecificas, itémque proprietates earumdem vna numero intellectione, quòd naturæ iſtæ genericæ, & ſpecificæ, proprietatéſque earumdem repræſententur perfectiſſimè per vnam numero ſpeciem intelligibilem.

Tertiò, quandocumque dantur multa quæ identificantur perfectiſſimè vni tertio, in quo tamen perfectiſſimè repræſentantur, viſo vno poſſunt cætera omnia videri, idque diſiunctiſſimè: at quæ videntur à beatis intrà diuinam eſſentiam, licèt pertineant ad creaturas, repræſentantur tamen perfectiſſimè intrà illam, & vt continentur in eadem, ſunt idem cum ipſa; ergo videbuntur etiam ſimul cum eſſentia diuina. Ità D. Thom. hoc loco, & in 4. diſt. 49. & omnes Thomiſtæ, hoc loco.

Aduerte 2. Quæ videntur à beatis in Verbo, ex vi viſionis eſſentiæ diuinæ, videri ſemper, & ſine vlla intermiſſione: hæc eſt expreſſa ſententia D. Auguſtini lib. 4. de Geneſ. ad litter. cap. 33. & lib. 12. Confeſ. cap. 13. *In illa viſione, non modò hoc, modò illud, ſed noſce ſimul ſinè vlla vicissitudine temporum.* & cap. 16. lib. 15. de Trinitat. *Volubiles* (inquit) *non erunt cogitationes noſtræ ab alys, in alias euntes, atque redeuntes: ſed omnem ſcientiam noſtram vno ſimul conſpectu videbimus.* *Quæcumque videntur ſinè vlla intermiſſione fit.* D. Auguſt.

Deinde, de ratione beatitudinis eſt, vt ſit inuariata, & immutata; hoc autem dici non poteſt, ſi intermittantur intellectiones aliquarum rerum in beatis, reſpectu eorum, quæ vident per illam eamdem numero viſionem, qua videtur ab eis eſſentia diuina; ſecus tamen dicendum eſt de cæteris viſionibus, ſeu intellectionibus, per quas beati vident aliqua in cœlis; nam ſiue hæc videantur intrà diuinam eſſentiam, vel extra per ſimilitudinem aliquam perfectiſſimè exprimentem res iſtas, quas intelligunt, intelle-

Digitized by Google

lectionis iſtæ ſunt verè mutabiles; ità vt aliæ deſinant eſſe in beatis, & aliæ de nouo incipiant in ijſdem.

Poſtremò, hoc manifeſtè colligitur ex eo quod refert Daniel; ſcribit enim vnum ex Angelis rogaſſe Deum, vt condonaret culpas populo Perſarum; alium verò poſtulaſſe vt eaſdem vlciſceretur: huius autem diuerſitatis cauſa aſſignatur à patribus, quòd neuter ex iſtis duobus Angelis perſpectam haberet de huiuſmodi re futura voluntatem Dei: cognita ergo voluntate diuina debuit vnus ex iſtis duobus Angelis ceſſare à ſua cognitione.

Denique, non repugnat beatum de nouo quædam intelligere; Paulus enim Epheſ. 3. docet Angelos beatos cognouiſſe myſterium Incarnationis per prædicationem Apoſtolorum, ſeu Eccleſiæ.

Solus Chriſtus vidit quæ pertinent ad ſuum ſtatũ in inſtanti ſuæ conceptionis.

Aduerte vltimò, neminem ex beatis (vnico excepto Chriſto) à primo inſtanti ſuæ beatitudinis intellexiſſe ea omnia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum, nam diximus in antecedentibus myſteria gratiæ pertinere ad ſtatum cuiuſlibet Chriſtiani beati; & tamen certum eſt diem iudicij, & reſurrectionis nulli beato eſſe cognitum, ex cap. 13. Marc. & 24. Matth. & ex Dionyſio, Angeli ſuperiores illuminant inferiores; hoc autem dici non poſſet, ſi quilibet beatus à primo inſtanti ſuæ beatitudinis notas habeat omnes res ſpectantes ad ſuum ſtatum.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Virum aliquis in hac vita conſtitutus poſſit videre Deum, prout in ſe eſt.

Nullus de lege communi poteſt videre Deũ in hac vita. Exod. 33. verſ. 20. Ioan. 1. verſ. 18. 1. Tim. 6. verſ. 16. Idem 1. verſ. 17. Probabile eſt B. Virginẽ, & Moyſem vidiſſe Deum.

DOCET Sanctus Thomas neminem in hac vita conſtitutum poſſe videre Deum, prout in ſe eſt, ſaltem de lege communi; & quidem meritò: dicitur enim Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* & Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam, nec videre poteſt.* 1. Timoth. 6. de hoc eodem dicitur, *Quòd habitet lucem inacceſſibilem.* & capit. 1. *Regi autem ſeculorum immortali & inuiſibili.* Denique, dicitur in ſacris litteris propter hanc cauſam quòd Deus poſuerit tenebras latibulum ſuum.

In reſponſione tamen ad 2. tradit Diuus Thomas, Moyſem in hac vita conſtitutum diuinam eſſentiam vidiſſe, prout in ſe eſt, quæ res non vacat probabilitate; fatentur enim multi de Diua Virgine, quòd eſſentiam diuinam perſpexerit, pro eo tempore, quo Chriſtum in vtero materno geſtabat. Ità docet Anthoninus 4. part. titul. 15. cap. 17. §. 1. qui citat Bernard. & Albertum in hanc eamdem opinionem, Catharinus & Rupert. in Cantica. Molina ad 3. part. Sancti Thom. quæſtio. 57. artic. 5.

2. Deinde, anima Chriſti à primo inſtanti ſuæ conceptionis non minùs perfectè vidit diuinam eſſentiam, quàm de facto eamdem nunc conſpiciat, ex doctrina communi quorumcumque Theologorum.

Tertio, capit. 12. Numerorum dicitur de eo, ſcilicet Moyſe, quòd ore ad os, facie ad faciem ſicut amicus ad amicum ſinè figura, & ænigmate cum Deo loqueretur ex quo loco ità argumentamur. Videre Deum facie ad faciem, idem eſt ac videre claræ, & vt in ſe eſt, quemadmodum manifeſtè colligitur ex cap. 13. prioris ad Corinth. *Nunc videmus per ſpeculum*, &c. atqui Moyſes vidit Deum facie ad faciem, ſinè vlla figura & ænigmate. Confirmatur, ex capit. 33. Exod. ità enim Deus affatur Moyſem; *Oſtendam tibi omne bonum.* i. meipſum, in quo ſunt omnia planè bona. Ità ſentiunt Diuus Auguſtinus epiſtol. 112. & lib. 12. de Geneſ. ad litteram, cap. 26. & 27. Lyran. ad cap. proximè citatum Exod. & ad cap. 12. Numer. & Toſtatus ibidem. D. Auguſt.

D. Paulus credit Deum.

Confirmatur: Non deſunt qui ſentiant Diuum Paulum in raptu vidiſſe diuinam eſſentiam. Ità Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 17. articul. 3. 1. Cor. 12. Colligit autem hoc ex capit. 12. poſterioris verſ. 2. ad Corinth. *Scio hominem* (loquitur de ſeipſo Paulus) *quoniam raptus eſt in paradiſum*, qua phraſi ſignificatur viſio diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, vt conſtat ex illo Luc. 22. *Hodie mecum eris in paradiſo*: anima quippe boni latronis ſtatim atque fuit à corpore ſeparata diuinam eſſentiam conſpexit, ex communi doctrina Patrum, licèt manſerit in limbo vſque ad diem Aſcenſionis.

Obiect. Exod. 33. verſ. 33. Reſponſ.

Obijcies, Exod. 33. dici, *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*: at loquitur Deus ad Moyſem.

Reſpondeo, probari hoc teſtimonio Moyſem non vidiſſe eo tempore eſſentiam diuinam; cùm iſtis tamen rectè cohæret vt poſtea conſpexerit, iuxta promiſſionem à Deo factam de hac eadem re, vt conſtat ex loco proximè citato Exodi.

Hanc opinionem ſentiunt quàm maximè probabilem Molina ad hunc artic. licèt contrariam exiſtimet magis probabilem, & Peſant. ad hunc locum, aliique nonnulli recentiores.

ARTICVLO 12. Docet Sanctus Thomas hominem in hac vita conſtitutum poſſe ratione naturali cognoſcere Deum: quatenus eſt prima & ſuprema cauſa rerum omnium; ac proinde cognitione abſtractiua, confuſa, & indiſtincta, non autem prout in ſe eſt, ſeu (quod idem eſt) intuitiuè.

ARTICVLO VLTIMO, docet poſſe nos perfectiorem habere cognitionem de Deo per gratiam, quàm per rationem naturalem, de qua nulla poteſt eſſe Dubitatio.

QVÆSTIO XIII.

De Nominibus Dei.

RTICVLO 1. Docet Sanctus Doctor Deum non posse nominari sicuti est, quia hic non potest concipi, à creatura sicuti est.

ARTICVLO 2. Vbi quærit an aliquod nomen substantialiter dicatur de Deo. Respondet quædam esse nomina negatiua, quædam affirmatiua, vt bonus, iustus, &c. de primis nominibus certum est (cum significent vel remotionem alicuius à Deo vt incorruptibile, immortale, remouent enim à Deo rationem corruptionis, & mortalitatis) non posse dici de Deo substantialiter, cùm illa dicant potius id quod non est, quàm id quod est Deus. De secundis verò affert duas diuersas sententias. Prima est cuiusdam Moysis asserentis nomina positiua signare remotionem alicuius à Deo, ità vt quando dicimus, Deus est viuens, non significemus aliquid in Deo existens. Secunda verò, aliorum existimantium illa nomina significare habitudinem eius ad res creatas, vt cum dicimus, Deus bonus, id est causans bonitatem; vtramque autem sententiam esse falsam ostendit 1. quia eodem modo possemus quodlibet nomen tribuere cum possemus æquè vocare corporatum, & esset sensus, quia causat corpus, vel negatio entis: Duæ aliæ rationes militant contra 2. sententiam quæ sunt huiusmodi, quia sequeretur quòd omnia nomina de Deo dicerentur per posterius, sicut sanum de medicina, & quia illi qui vocant Deum viuentem, aliud intendunt significare, quàm illum esse causam vitæ. Ex quibus concludit nomina affirmatiua, quæ Deo attribuimus, significare Deum substantialiter, id est significare aliquid quod est in Deo; licèt non tantum Deum: atque ità quando dicimus, Deus est bonus, non significamus Deum esse causam bonitatis, aut negationem mali, sed bonitatem quæ in creaturis reperitur, in Deo perfectiori modo reperiri; ex quo prouenit, quod sese diffundit ad entia creata.

ARTICVLO 3. Docet in nominibus Dei affirmatiuis duo considerari posse rem siue perfectionem significatam; videlicet sapientiam, iustitiam, & modũ significãdi, qui est vel in cõcreto vel in abstracto, bonus, sapiens, bonitas, sapientia, primo modo illa nomina dicuntur de Deo propriè, cùm nullam dicant imperfectionem, sed summam perfectionem. Secundo verò modo non dicuntur propriè, quia retinent semper aliquid quod significamus istis nominibus, concreta enim significant per modum compositionis; abstracta verò per modum formæ, quorum vtrumque Deo non competit; in tãtum ergo illa attribuimus Deo, vt illis consummata perfectio significetur, istis verò eiusdem simplicitas, quo non obstante verè dicuntur propriè de Deo, quia proprietas nominis non detumitur ex modo, sed ex re quam significat, ità vt ità sit in re vt effertur.

ARTICVLO 4. Ait illa nomina non esse synonyma, & ratio est, quia licèt significent vnam simplicissimam rem: tamen exprimunt distinctos conceptus quos de illa formamus.

ARTICVLO 5. & 6. Docet de Deo, & creaturis nihil dici vniuocè.

ARTICVLO 7. Dicit aliqua nomina dicentia relationem, dicde Deo in tempore; ad quod præmittit, relationem, cùm sit duorum extremorum tripliciter posse considerari; 1. quando vtrumque extremum est rationis, vt cum dicimus, idem eidem idem: & tunc illa relatio est solum rationis; nam nonalio modo referuntur, nisi quatenus mens apprehendit illa vt duo. Secundò, quando vtrumque extremum est in re, ità vt quodlibet referatur ad aliud, per aliquid in vtroque existens: qualia sunt Pater, & Filius, magnum & paruum. Tertiò, aliquando relatio in vno extremo est res naturæ, inquit, id est realis, in alio verò rationis tantùm, quod contingit quando extrema non sunt eiusdem ordinis; vt sensus respectu sensibilis, & scientia respectu scibilis: similiter dextrum, dicitur de columna, quatenus animal ponitur dextrum, non per aliquid quod ponatur in columna. Hoc ergo posito cum Deus sit extra omnem ordinem creaturæ, omnésque creaturæ ad ipsum ordinentur, non verò è contra, patet creaturas referri ad ipsum relatione reali; ipsum verò solùm rationis relatione: hæc enim, in quantum res productæ in esse naturali, sunt extra ordinem sensibilis & scibilis; ac proinde in sensu & scientia est relatio realis, quatenus ordinantur ad sciendum, & sentiendum; ipsę verò res sunt extra ordinem huiusmodi; vnde in eis reperitur sola relatio rationis ad scientiam in quantum hæ apprehenduntur, vt termini relationum sensus & scientię, vnde quædam nomina poterunt dici de Deo in tempore, quia nempe illa nihil reale dicent in Deo, sed solum rationis; consequenter tota mutatio ex parte creaturarum erit, non verò ex parte Dei, sicut tota mutatio est in animali, non verò in columna. Dum obijcit sibi in tertio quædam esse nomina quæ dicuntur de Deo ab æterno, etiã importantia relationẽ, vtpręsciẽtia, prædestinatio, omnipotentia, &c. ergo & alia. Respondet duo esse genera actionum, aliæ enim sunt transeuntes, vt creatio, saluatio, &c. aliæ verò immanentes qualia sunt supradicta: priores dici ex tempore, non verò posteriores; quia nempe fundamentum illius relationis æternum est, videlicet actio immanens circa possibilia aut futura.

ARTICVLO 8. Tradit hoc nomen Deus, esse impositum ad significandum id quod habet prouidentiam omnium plane rerum, & consequenter esse nomen naturæ, & non operationis.

ARTICVLO 9. Hoc nomen Deus, nulli creaturæ esse communicabile propriè, sed solum per similitudinem; sicut leo propriè communicatur omnibus habentibus naturam leonis, impropriè verò ijs, qui aliquid participant leonis, vt audaciam, fortitudinem, &c. ratio est, quia in nullo reperitur essentia significata hoc nomine, metaphoricè tamen participatiuè reperitur in aliquo vt in Idolis, in iudicibus, Psalm 81. Ego dixi Dij estis. Quare docet

ARTICVLO 10. Hoc nomen Deus, analogicè dici de Deo & creaturis.

ARTICVLO 11. Nomen, quod est, esse proprium

proprium Dei, id eſt, quia ſignificat ipſum eſſe Dei, 2. quia eſt vniuerſalius quolibet alio, 3. quia ſignificat eſſe ſi præſenti ſemper.

ARTICVLO 12. Nos poſſe formare propoſitiones affirmatiuas de Deo, quia licèt Deus ſit ſimplex, noſter tamen intellectus diuerſo modo concipit ipſum, iuxta quem modum diuerſum diſtinctas enunciare poteſt propoſitiones.

QVÆSTIO XIIII.

De ſcientia Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

An in Deo ſit ſcientia?

In Deo datur ſcientia propriè dicta. Rom. 11. verſ. 33.

DOCET ſanctus Thomas in hoc Articulo in Deo dari ſcientiam proprie dictam, & quidem meritò: dicitur enim ad Rom. cap. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* & ad Coloſ. 1. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei reconditi.* & Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Deinde, de Deo dicitur in ſacris litteris, quod omnia intelligat, Eccleſiaſt. 24. *Qui habet omniam ſcientiam.* Heſter. 14. ſimile quid dicitur.

Pſal. 138.

Heſter. 14. verſ. 14.

Ratio D. Thom.

Accedit ratio ſancti Thomæ in hoc eodem articulo: omne immateriale eò magis eſt intellectiuum, quo magis eſt immateriale; Deus eſt ſimpliciter immaterialis: ergo & intellectiuus, ergo habet quoque ſcientiam.

Impugnatio rationis D. Thom.

Maior huius ſyllogiſmi impugnatur à multis Scholaſticis, idque quod fides, ſpes, charitas, lumen gloriæ ſint veræ qualitates ſimpliciter ſpirituales, & tamen certum eſt nullam ex iſtis qualitatibus eſſe intellectiuam. Deinde, producta ſubſtantia aliqua ſpirituali poteſt ei Deus negare ſuum concurſum neceſſarium ad producendam intellectionem; eſt enim Deus quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extra.

Defenditur D. Thom.

Cæterùm reſponſiones iſtæ ſunt nullius planè momenti; propoſitio enim ſancti Thomæ eſt intelligenda de rebus ſpiritualibus per ſe ſubſiſtentibus: eſt autem indubitatum omnem ſubſtantiã ſpiritualem eſſe intellectiuam ex ſe & ſua natura, vt conſtat ex anima rationali, licèt hæc in corpore conſtituta nequeat intelligere ſinè dependentia à phantaſmate. Ariſtoteles tamen, & cæteri Peripatetici agnouerunt quemlibet ex mortalibus eò magis, & faciliùs ratiocinari, quò magis abſtrahitur à ſenſibus externis. Deinde, ratio propter quam Angeli faciliori negotio intelligant, nulla alia poteſt aſſignari, niſi quòd Angeli ſint ſimpliciter immateriales, & habeant ſpecies concretas magis vniuerſas, & perfectiores, quàm ſint illæ, quæ dantur in nobis, & à quibus omnis noſtra pendet intellectio. Denique, propterea Deus eſt ſummè intellectiuus, quia eſt ſubſtantia ſimpliciter immaterialis.

In 1. partem D. Thom.

A Quod verò ſubiungunt authores iſti poſſe Deum negare ſuum concurſum ſubſtantiæ immateriali, neceſſarium ad intelligendam.

Reſpondeo eſſe verum reſpectu actus ſecundi, qui dicitur à nobis actualis intellectio; non autem reſpectu actus primi, ac proinde repugnat dari ſubſtantiam aliquam immaterialem ſimpliciter, quæ non ſit intellectiua in actu primo, ſeu (quod idem eſt) quæ non ſit apta nata producere intellectionem, ſi acceſſerit concurſus primæ & vniuerſalis cauſæ.

4. Probatio concluſ.

Quartò, probatur Concluſio: perfectio quælibet ſimpliciter ſimplex neceſſario admittenda eſt in Deo: Scientia dicit perfectionem ſimpliciter
B ſimplicem; eſt enim melior ipſa, quàm non ipſa, & ſtare poteſt cum omni perfectione ſibi æquali, & qualibet alia ſuperiori ſe: ergo.

Vlt.

Denique, omni agenti propter finem concedenda eſt ſcientia aliqua: at Deus agit propter finem, ex illo Sap. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Altiſſimus:* ergo. Ità communiter in 1. diſt. 38. & Thomiſtæ hoc loco.

Quid nomine ſcientiæ intelligatur.

Cùm autem diximus in Deo dari ſcientiam, nomine ſcientiæ non ſignificatur cognitio per demonſtrationem parta, ſeu (quod idem eſt) per diſcurſum; cùm indubitatum ſit Deum vnico actu
C ſimpliciſſimo cognoſcere illud omne, quod intelligit; ac proinde non aſſequitur vnum, prius quàm aliud. Nomine ergo ſcientiæ ſignificatur hoc loco cognitio veriſſimà, certiſſima, euidentiſſima, & immutabilis; ità vt velimus Deum certò, veriſſimè, euidentiſſimè, & immutabiliter ſcire illud omne quod intelligit, vnde imperfectiones omnes, quæ dantur in noſtra ſcientia ſunt à diuina remouendæ. Non eſt ergo concedendum de ſcientia Dei quòd ſit accidens, aut qualitas habitualis; nam ſcientia eadem planè ratione dicitur de Deo, qua conſilium: at certum eſt conſilium dici de Deo prout abſtrahit hoc à conſultatione, & deliberatione, & ab omni timore, aut certe ſpe de euentu futuro.

Scientia Dei non eſt accidens aut qualitas.

Deus ſeipſum intelligit.

ARTICVLO 2. docet ſanctus Thomas
D Deum intelligere ſeipſum, de qua re nulla eſt difficultas; eſt enim Deus ſummè ſcibilis, & intelligibilis. Deinde, non poteſt Deus non intelligere res iſtas creatas. Tertiò, cognitio qua Deus cognoſcit ſeipſum eſt comprehenſiua diuinæ eſſentiæ, vt author eſt ſanctus Thomas art. 3. huius quæſt. ergo debet hæc eſſe tanta, quanta eſt cognoſcibilitas diuinæ eſſentiæ. Diximus enim quæſt. 12. huius partis, comprehendere nihil aliud eſſe, quàm rem aliquam ità cognoſcere, vt nihil illius cognoſcentem lateat. Poſtremo, quilibet inter res intellectiuas intelligit ſeipſum: ergo à fortiori id præſtabit Deus.

Deus comprehēdit ſe.

ARTICVLO 3. Aſtruit ſanctus Thomas cognitionem, quam Deus habet de ſeipſo eſſe
E comprehenſiuam diuinæ naturæ, de qua nullus ſupereſt ſcrupulus, poſita ratione adducta Articulo proximè antecedenti.

Intellectio eadem realiter cum ſeipſo.

ARTICVLO 4. affirmat intellectionem, qua Deus intelligit ſeipſum non diſtingui à Deo; ſed eſſe idem realiter, & formaliter cũ eo. Subſcribunt omnes interpretes ſancti Tho. Deinde, quicquid eſt in Deo, Deus eſt; at intellectio qua Deus intelligit ſeipſum, eſt vere in eo: ergo. Denique, in diuinis omnia ſunt vnum, & idem realiter, & formaliter, niſi detur inter hæc aliqua oppoſitio; at inter intellectionem & eſſentiam diuinam nulla datur, neque dari poteſt oppoſitio: ergo in-

tellectio qua Deus intelligit ſe non eſt diſtincta realiter, nec formaliter ab ipſo.

ARTICVLVS QVINTVS.

An Deus cognoſcat alia à ſe.

PROPONAT hic articulus explicationem illius difficultatis in qua quæritur; *An Deus cognoſcat res iſtas creatas, ſecundum proprias naturas, quidditates, eſſentias, & omnes omnino modos, quos habent in illis, & qua ratione.*

1. Dubitãdi ratio. Ratio dubitandi eſt. Prima, eatenus Deus intelligit res iſtas creatas, quatenus ſunt in ipſo; non enim mutuatur Deus cognitionem iſtarum rerum ab illis, ſed à ſeipſo, ex doctrina D. Auguſtini lib. 83. quæſtionum, quæſt. 46. atqui res iſtæ non ſunt in Deo ſecundum proprias quidditates, ſaltem illæ quæ in ſuo conceptu formali dicunt aliquam imperfectionem, & conſequenter neque modi earumdem, ſed tantùm virtute, & eminenter: ergo.

2. Ratio. Deinde, ſi cognitio rerum creatarum penderet ab illis exiſtentibus intrà Deum, ſequeretur eſſe cauſam ſcientiæ diuinæ; imò concedendum eſſet quòd in Deo daretur ad minus duplex ſcientia, quarum vna terminaretur ad eſſentiam diuinam, alia verò ad res creatas: at neutra ex iſtis illationibus defendi poteſt; neque enim poteſt ſcientia in Deo à parte rei multiplicari, cùm Deus ſit vna res ſimpliciſſima, & indiuiſibilis: ergo.

Nihil in rebus creatis ſecundũ proprium eſſe quod habẽt extra Deũ, ipſum fugit.

CONCLVSIO 1. *Deus cognoſcit res creatas ſecundùm proprias naturas, & exiſtentias, quas habent in ſeipſis, ſecundùm proprium eſſe quod habent extra Deum, & item omnes omnino modos earumdem quicumque illi ſint.* Hæc videtur eſſe de fide: dicitur enim in ſacris litteris, Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Pſal. 12. *De cœlo reſpexit Deus, vidit omnes filios hominum.* Pſal. 32. *Qui finxit ſigillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum.* & alibi, *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Eccleſ. 1. dicitur de Deo quod enumeret arenam maris, & cap. 25. quòd lucidiores ſunt oculi eius ſuper ſolem, & in Prouerb. *Deus inſpector eſt cordis: ſaluatorem animæ tuæ: nihil fallit,* &c.

Probatio 1. ſcript. Geneſ. 1. verſ. 31. Pſal. 12. Prouerb. 24. v. 12.

2. Gregor. Auguſt. Damaſcen. Clemens. Nyſſen. D. Thom.

Idem tradunt Patres, Gregor. 16. Moral. cap. 1. Ambroſius, & Euthymius ad cap. 10. Matth. & 12. Luc. ad hæc verba: *Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.* & D. Auguſt. in Pſal. 146. *Cur*, inquit, *numerati capilli capitis noſtri ſunt, & arena maris numerata eſt, quidquid infinitum mundus iſte complectitur Deo eſt numeratum.* & lib. 83. quæſtionum, quæſt. 46. ex creatione & prouidentia colligit res omnes creatas Deo eſſe notiſſimas: Damaſc. lib. 1. de fide cap. 22. Clemens Alex. lib. 4. ſtromat. & denique Gregor. Nyſſen. in oratio. quòd non oporteat aſſerere tres eſſe Deos, D. Thom. & omnes interpretes eiuſdem hoc loco & Sententiarij in 1. diſt. 35. alij 38.

3. Ratio. Tertiò. Res iſtæ creatæ ſecundùm proprias quidditates, & omnes omnino modos, quos habent in ſeipſis, ſunt veræ intelligibiles, conſequuntur enim verè rationem entis: ergo verè cognoſcuntur à Deo; ſcientia enim Dei eſt ſimpliciter infinita, quæ eam ob rem neceſſariò circa quodlibet intelligibile verſatur.

Quartò, produxit Deus res omnes, & eaſdem conſeruat: nam quælibet res extra Deum poſita pendet ab eo in eſſe, fieri, & conſeruari; at hæc dici non poſſunt de agente per intellectum, niſi cognoſcantur omnia ab eo, qui ea produxit & conſeruat. Confirmatur. Prouidere ex doctrina D. Tho. q. 22. huius partis, nihil aliud eſt, quàm res aliquas in ſuos fines dirigere, at Deus habet rerum omnium prouidentiam: ergo & cognitionem. 4.

CONCLVSIO 2. *Deus cognoſcit intrà ſuam eſſentiam, & per ſuam eſſentiam, res iſtas creatas ſecundùm proprias quidditates, & omnes modos, quos habent in ſe ipſis, ac proinde eſſentia diuina eſt ratio cognoſcendi ſentiam, & creaturas intellectui diuino.* Primò, quia hæc videtur eſſe mens D. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 46. & eſſentiã res Dionyſij de diuinis nominibus cap. 7. & D. Auguſt. lib. 5. de Geneſ. ad liter. cap. 5. aiunt enim creaturas cognoſci nedum intrà diuinam eſſentiam, ſed etiam per diuinam eſſentiam: idem docent communiter Sententiarij diſt. 35. lib. 1. & fere recentiores omnes.

Deus cognoſcit intrà ſuam eſſentiam, & per ſuam eſſentiam, res iſtas creatas ſecundũ proprias quidditates, & omnes modos, quos habent in ſe ipſis.

Probatio 1. ex patribus. Auguſt. 2.

Deinde, modus agendi perfectiſſimus eſt Deo concedendus: ergo præſtat affirmare Deum intelligere res iſtas creatas intrà ſuam eſſentiam, & per ſuam eſſentiam, quàm medijs rebus creatis: ex primo quippe nulla ſequitur abſurditas; ex 2. verò ſequitur manifeſtè ſcientiam Dei pendere à rebus creatis, quod nulla ratione eſt admittendum, cùm ſcientia Dei ſit cauſa rerũ iſtarũ ex art. 8. huius q. D. Th. non autem res iſtæ ſunt cauſa ſcientiæ Dei.

Tertio, ſcientia Dei eſt perfectiſſimè comprehenſiua eſſentiæ diuinæ, ac proinde attingit illud omne, quod eſt intrà diuinam eſſentiam ſecundũ illud omne quod intelligi poteſt; at creaturæ futuræ in certa temporis differentia ſunt intrà diuinam eſſentiam, virtute ſaltem & eminenter, & ſunt cognoſcibiles ſecundum proprias quidditates, quas habent in ſeipſis, & item ſecundum omnes modos: ergo cognoſcentur ab intellectu diuino intrà diuinam eſſentiam. 3.

Deus vnico actu intelligit ſeipſum & res creatas.

Cùm autem diximus diuinam eſſentiam eſſe rationem cognoſcendi creaturas intellectui diuino, id venit intelligendum ſecundum noſtrum modũ concipiendi, nam à parte rei vnico actu ſimpliciſſimo, ſimul, & ſemel Deus intelligit ſeipſum, & omnes omnino creaturas futuras in certa temporis differentia, itémque poſſibiles, & nuſquam futuras: quia tamen diuina eſſentia ſeipſam repræſentat formaliter, & actu; res verò creatas ſaltem quę dicunt imperfectionem, virtute, & eminenter tantùm: ideò ſecundùm noſtrũ modũ concipiendi nihil vetat quominus dicamus Deum prius intelligere ſuam eſſentiam, poſteà verò per ſuam eſſentiam intelligere res iſtas creatas, veluti per medium cognoſcendi; cognitio namque Dei non terminatur ad ſuam eſſentiam, ſed ad creaturas repræſentatas per eamdem.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. non deeſſe qui putent Deum cognoſcere creaturas ſecundum proprias quidditates, & omnes modos, quos habent in ſeipſis intrà ſuam eſſentiam, non quidem, vt hæc habet rationem ſpeciei impreſſę, ſed vt conſequitur rationem ſpeciei expreſſę: ità Vazq. diſp. 50. & 51. huius partis: certũ enim eſt diuinũ Verbum produci à Patre per intellectionem ſimpliciter infinitam, quæ attingit quodcumque intelligibile; inter intelligibilia autem computantur res creatę, etiã ſecundũ proprias formalitates, ac proinde exprimuntur hę quidditates rerũ creatarum intrà Verbũ diuinũ: eſt enim hoc terminus productus

Explicatis Vazq.

Digitized by Google

productus per intellectionem Patris, vt docebimus in tractat. de Trinitate.

Refutatur reſponſio Vaſquez.

Ceterùm hæc reſponſio non plenè ſatisfacit argumento; nam intellectio eſſentialis diuina prior eſt notionali, ſecundùm noſtrum modum intelligendi; eſt enim commune axioma Theologorum, eſſentialia in diuinis priora eſſe notionalibus; at intellectio hæc eſſentialis eſt ſimpliciter infinita, ideoque attingit creaturas quaſlibet prout habent eſſe in ſeipſis: ergo nedum cognoſcuntur iſtę creaturæ ſecundùm proprias quidditates intrà eſſentiam diuinam prout habet rationem ſpeciei expreſſę (habet enim eſſentia diuina rationem ſpeciei expreſſæ, prout dicit Verbum diuinum productum per intellectionem notionalem Patris, & tamen ſecundùm noſtrum modum intelligendi Verbum diuinum non eſt productum in eo inſtanti rationis in quo datur intellectio eſſentialis diuina) ſed vt habet rationem ſpeciei impreſſę.

Deinde, Verbum diuinum productum per intellectionem Patris nequit formaliter, & actu continere creaturas ſecundum proprias quidditates, quas habent in ſeipſis; dicunt enim in ſuo conceptu formali imperfectionem, omnis autem imperfectio à Deo eſt reijcienda: ergo non poſſunt videri creaturæ intrà diuinum Verbum ſecundum ſuas quidditates, vt Verbum diuinum habet rationem ſpeciei expreſſæ.

Reſponſio authoris.

Reſpondeo ergo creaturas videri intrà diuinam eſſentiam, ſecundùm proprias formalitates, & omnes modos, quos habent, prout eſſentia diuina ſubit rationem ſpeciei impreſſæ; eſſentia enim diuina repræſentat ſeipſam formaliter & actu, res verò creatas non quidem formaliter & actu, ſed virtute tantùm & eminenter: hæc autem repræſentatio virtualis ſatis eſt ad perfectiſſimè cognoſcendas creaturas ſecundùm proprias formalitates, & omnes omnino modos quos habent in ſeipſis. Ità authores ſupra citati.

Fruit Vazquez, ſed corruit.

Obijcit Vazq. fieri non poſſe vt aliquid ſit modus cognoſcendi aliud, niſi ſit idem cum eo cuius eſt modus cognoſcendi, propterea tamen fatentur omnes ſpeciem impreſſam hominis eſſe modum cognoſcendi hominem, quia ſpecies iſta eſt eadem planè cum homine repræſentato, ſaltem in repræſentando: at eſſentia diuina non eſt eadem, cum creaturis ſed omnino diuerſa & varia, nam repræſentat creaturas eminenter tantùm, & virtute, ac proinde hoc eſſe, quod habent creaturæ in Deo, non eſt idem cum eo, quod habent in ſeipſis à parte rei, vt res iſtæ ſunt extra Deum.

Reſp. propoſitionem maiorem eſſe veram de omni medio creato cognoſcendi aliud, non autem de increato; eſſentia autem diuina eſt medium cognoſcendi creaturas, non quidem creatum, ſed increatum: ergo poterit eſſe ratio cognoſcendi creaturas ſecundùm quidditates quas habent in ſeipſis.

Ad 2. Reſpond. ſcientiam diuinam reſpectu creaturarum ſpectari poſſe, & ſecundum ſuam entitatem, & ſecundù terminationem: priori modo, ſcientia quam Deus habet de creaturis nulla ratione pendet ab eis; bene tamen poſteriori modo, idque quòd impoſſibile ſit dari cognitionem aliquam, quæ non dicat ordinem, & tendentiam in ſuum obiectum, & quin terminatiuè pendeat ab huiuſmodi obiecto; hæc autem dependentia nullam ponit imperfectionem in Deo. Ad id verò quod adijcitur in eodem argumento.

Non multiplicantur ſcientiæ in Deo.

Reſp. nó propterea multiplicari ſcientias in Deo licèt fateamur Deum eſſe obiectum ſcientiæ diuinæ, & item creaturas; obiecta quippe materialia non inducunt diuerſitatem ſcientiarum, ſed tantù formalia, vel diuerſi modi tendendi in illa: Deus autem & ſeipſum & creaturas, vno & eodem planè modo cognoſcit, nempe intrà ſuam eſſentiam, idque vnico actu ſimpliciſſimo.

ARTICVLO 6. docet dari in Deo propriam cognitionem de re quahbet.

Scientiâ Dei non eſt diſcurſus.

ARTICVLO 7. tradit ſcientiam Dei non eſſe diſcurſiuam, & quidem meritò; diſcurrere namque idem eſt, atque vnum ex alio, & poſt aliud cognoſcere; Deus autem vnico actu ſimpliciſſimo per ſuam eſſentiam, & in ſua eſſentia intelligit illud omne, quod intelligere poteſt.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An ſcientia Dei ſit cauſa rerum.

Scientia Dei eſt cauſa rerum.

DOCET ſanctus Thomas ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum, non quidem ſolam, ſed coniunctam cum aliquo actu voluntatis eiuſdem, nam dicitur Pſal 103. *Omnia in ſapientia feciſti:* & apud Hieremiam, *Qui præparauit orbem in ſapientia ſua.* Deinde Ioann. 1. dicitur de Deo, quòd fecerit omnia per ſuum Verbum, & Verbum eſt ſapientia Patris, omnium conſenſu. Denique, ſcientia artificis eſt cauſa operis quod fit ab artifice, dirigit enim hæc praxim; atqui Deus cenſetur eſſe artifex huius vniuerſi, Sap 7.

Pſal. 103. verſ. 24. Hiere. 51. verſ. 15.

Quòd autem voluntas diuina ſit vnà cum ſcientia eiuſdem cauſa rerum creatarum, probatur ex cap. 1. ad Epheſ. *Omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* & Apocal. 4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Deinde, regula actionum diuinarum ad extra, eſt voluntas eiuſdem, ex illo Dauid, Pſal. 134. *Quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*; atqui res iſtæ fuerunt verè creatæ à Deo ex illo Eccleſiaſt. *Qui vixit in æternum creauit omnia ſimul:* ità docent omnes Thomiſtæ hoc loco & ceteri interpretes & Sentent. in 1. diſt. 35.

Epheſ. 1. verſ. 11. Apocal. 4. verſ. 11. Pſal. 134. verſ. 6. Eccleſ. 18. verſ. 1.

Eſt tamen aliqua hac in re difficultas, cùm enim admittat in Deo ſcientiam ſimplicis intelligentię, viſionis, & denique approbationis, ſeu practica, ſupereſt explicandum, quænam ex iſtis ſcientijs ſit cauſa rerum creatarum.

Scientia ſimplicis intelligentiæ non eſt cauſa rerum.

Dico primò, *Scientiam ſimplicis intelligentiæ nullo modo eſſe cauſam rerũ creatarum*, nam ſcientia hæc reſpicit tantùm poſſibilia ſub ea ratione, qua ſunt poſſibilia; ac proinde non vt ſunt futura in certa temporis differentia. Deinde, ſcientia ſimplicis intelligentię eſt ſimpliciter theoretica: ergo nec dirigit ad praxim, nec effici. Ità communiter omnes.

Scientia viſionis non eſt cauſa effectiua rerum.

Dico 2. *Scientiam viſionis nullo modo eſſe cauſam effectiuam creaturarum iſtarum*; nam quod præſupponitur ad ſcientiam viſionis, nequit produci per ſcientiam iſtam, omnis enim cauſa effectiua eſt prior, ſaltem natura ſuo effectu: atqui res iſtæ creatæ præſupponuntur ſimpliciter ad ſcientiam viſionis Dei, quælibet enim ſcientia præſupponit neceſſario ſuum obiectum: res autem iſtæ creatæ ſunt obiectum ſcientię viſionis diuinæ, omnium conſenſione.

Confirmatur. Obiectum viſionis ſenſilis nuſquam producitur per viſionem ſenſilem; ergo illud idem erit dicendum de obiecto viſionis intellectiuæ: ità docent multi recentiores.

Scientia approbationis cauſa effectiua rerũ.

Dico 3. *Scientiam approbationis, ſeu practicam Dei, eſſe cauſam effectiuam creaturarum iſtarum.* Primùm, quia hoc probant teſtimonia Scripturę ſupra citata.

Deinde, ſcientia approbationis, ſeu practica cenſetur ea, per quam aliquid verè producitur, attingendo per eam effectum productum, vel certè dirigendo praxim: atqui per ſuam ſcientiam Deus produxit res iſtas omnes creatas, ex locis ſupra citatis Scripturæ; ergo. Ità Suar. Vazq. Bannez, Molina, Peſantius & ceteri interpret. S. Thomę apud quos plura de iſtis videre poteris.

Deus cognoſcit non entia.

ARTICVLO 9. Docet Deum cognoſcere non entia, quod nedum venit intelligendum de negationibus, & priuationibus quæ dicuntur de entibus creatis, ſed etiam de entibus rationis, vel certè moralibus: licèt enim hæc duo poſteriora ſint in proprio genere aliqua, non tamen conſequuntur vllpiam naturam, & eſſentiam alicuius entis phyſici, ſed ab ea deficiunt omni ex parte, ità vt nulla ratio entis phyſici ſit in iſtis admittenda, concedendum eſt tamen omnia iſta entia rationis, & item moralia eſſe Deo notiſſima.

ARTICVLVS DECIMVS.

Virùm Deus cognoſcat mala.

Duplex genus malorum.

ADVERTE, quantum ad rem præſentem attinet, mala alia eſſe culpæ, alia verò pœnæ: hęc cenſentur eſſe dolores, triſtitiæ & anxietates quæ dantur in hominibus, & Angelis propter culpas aliquas in ſtatu viæ commiſſas; illa verò definiuntur à D. Thom. 1.2. quæſt. 71. dictum, factum, vel concupitum, contra legem Dei æternam; de iſtis explicandus eſt hic articulus ſancti Thomę.

CONCLVSIO 1. *Deus intelligit perfectiſſimè omne malum pœnæ antequàm detur hoc in hominibus, & Angelis malis.* Primùm, quia dicitur Amos cap. 3. *Si erit malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* Eſaï. 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*, id eſt bellum.

Mala pœnæ antequam dentur, ſunt maximè ipſi perſpicua.
Amos 3. verſ. 6.
Eſaï. 45. verſ. 7.

Deinde, illius eſt mala pœnę intelligere, cuius eſt hæc eadem immittere, præſertim ſi pertineat ad illum hæc eadẽ ex officio vindicare; at certum eſt pertinere ad Deum Opt. Max. immittere pœnas peccatis quibuſuis debitas; eſt enim Deus iudex cuiuſlibet creaturę rationalis.

Omnia peccata in quouis temporis inſtanti ex omni æternitate Deo ſunt peruia.
Pſal. 68. verſ. 6.
Idem 31. verſ. 5.
Idẽ 50. v. 6.
Idem 18. verſ. 13.

Tertio. Quodlibet futurum in certa temporis differentia eſt Deo notiſſimum, & quidem ab æterno, alioquin mutaretur Deus, & perficeretur in intelligendo; at mala pœnę futura ſunt in certa temporis differentia: ergo.

CONCLVSIO 2. *Mala culpæ futura, præterita, aut præſentia ſunt notiſſima Deo, ex omni æternitate.* Pſal. 68. *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita:* nomine autem delicti intelligit pſaltes regius, mala culpę, ex communi Patrum interpretatione, & Pſal. 31. *Delictum meum cognitum tibi feci.* & Pſal. 50. v. 6. *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* & Pſal. 18. *Delicta quis intelligit?* quaſi diceret Deum ſolum perfectiſſimè peccata noſtra intelligere: ſtatim enim ſubiungit, *Ab occultis meis munda me Domine.*

Deinde, ità tradunt Patres ad loca proximè citata, & Hieronym. in epiſt. ad Ruſticum. *Magna* (inquit) *induta eſt nobis occaſio bene agendi, niſi diſſimulare velimus; omnia quippe agimus ante oculos iudicis cuncta perſpicientis.* Hierony.

Tertiò, Deus perfectiſſimè intelligit quodlibet bonũ opus, idque quod pertineat ad Deum, prę- 3.
mium debitum huic operi tempore, & loco reddere: ergo illud idem erit dicendum de quolibet malo opere; nam tam verè pertinet ad Deum mala iſta opera emendare, quam bona remunerare.

Denique, colligit Deus ex malis operibus in- 4.
numera propemodum bona; ex morte ſiquidem Chriſti colligit ſalutem totius generis humani: ergo, ità D. Thom. & interpretes eiuſdem omnes.

Mala culpæ Deus cognoſcit intuitiuè.

Aduerte tamen Deum intelligere mala proximè commemorata non quolibet modo ſed intuitiuè, aut (vt alij loquuntur) ſcientia viſionis; quod enim futurum eſt in certa temporis differentia, id cognoſcitur à Deo intuitiuè, ſeu (quod idem eſt) per ſcientiam viſionis, at mala iſta culpæ futura ſunt in certa temporis differentia, vt ſupponimus: ergo. Deinde, ſcientia viſionis terminatur ad rem exiſtentem, prout in ſe exiſtit, vt docuimus aliàs; at mala culpæ habitura ſunt exiſtentiam in tempore: ergo.

Obiectio. Reſponſio.

Dices, mala iſta culpæ eſſe nihil. Reſp. hoc eſſe verum in ratione entis phyſici, & naturalis: in ratione tamen entis moralis, hæc verè ſunt aliquid morale, vnde vindicant ſibi exiſtentiam moralem, quam perfectiſſimè intelligit Deus: non enim fieri poteſt, vt detur aliquid morale, aut etiam aliquod ens rationis, quod non ſit Deo notiſſimum cùm cognitio Dei ſit ſimpliciter infinita, & conſequenter verſetur neceſſariò circa quodlibet intelligibile; entia autem rationis, & item moralia ſunt verè intelligibilia.

Addo, Deum cognoſcere mala iſta culpæ per ſuam eſſentiam remotè: proximè verò per bonitatem oppoſitam iſtis malis repræſentatam intrà diuinam eſſentiam.

Secunda pars huius documenti probatur. Priuationes cognoſcuntur proximè, & immediatè per habitus ſibi oppoſitos: mors enim cognoſcitur per vitam, claudicatio per rectitudinem, cæcitas per viſum, & ſic de alijs: at mala culpæ ſunt priuationes rectitudinis debitæ ineſſe actui, vel voluntati, ex veriori opinione: ergo. Ità Peſant. ad hunc locum, Suar. lib. 3. de diuinis attributis cap. 3. numer. 9. 10. & 11. Vaſq. diſp. 32. cap. 2. & communiter Thomiſtæ in 1. diſt. 36.

Probatio 1. partis.

Prima verò pars huius documenti ità probatur. Quidquid intelligit Deus, per ſuam eſſentiã intelligit: non enim pendet hic in intelligendo ab vllo alio vario, & diuerſo à ſe, omnium conſenſu; at intelligit Deus mala culpæ: ergo id per ſuam eſſentiam facit.

Obiectio.

Dices, iſtud documentum ſecum pugnare, nam in prima parte dicimus Deum cognoſcere mala culpę per ſuam eſſentiam: in 2. verò per bonitatem oppoſitam malis culpæ, intrà diuinam eſſentiam repræſentatam.

Reſponſio.

Reſp. negando illationem maioris: Ad probationem autem dico, hæc quæ docuimus intelligenda eſſe ſecundùm noſtrum modũ intelligendi; nam à parte rei Deus intelligit illud omne quod intelligit, vnico actu ſimpliciſſimo, & quidẽ media ſua eſſentia: ſecũdũ tamẽ noſtrũ modũ loquẽdi de Deo, dicimus Deũ prius intelligere ſuã eſſẽtiã,

[citra

poſteà verò creaturas participantes diuinam eſſentiam; & denique ea omnia quæ deficiunt à perfectionibus diuinis: & rurſus de iſtis, quæ deficiunt à perfectionibus diuinis contendimus, quòd cognoſcantur à Deo proximè per bonitates, ſeu perfectiones ſibi oppoſitas; remotè verò per ſuam eſſentiam.

ARTICVLO 11. Docet quodlibet intelligi à Deo.

ARTICVLO 12. Docet Deum cognoſcere infinitum, quod nedũ eſt verum de infinito ſyncategorematico, ſed etiam categorematico: Deus enim veriſſimè, & actu eſt infinitus, in omni ratione entis, & tamen Deus perfectiſſimè comprehendit ſeipſum.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

An Deus cognoſcat futura contingentia.

DVBITATIO PRIMA.

An Deus cognoſcat futura contingentia.

Partis negatiuæ ratio dubitandi. 1. 2.

RATIO dubitandi eſt, D. Auguſtinus, & alij nonnulli Patres dum affirmant in Deo, non dari cognitionem futurorum contingentium. Deinde fieri nequit vt aliquid ſit certò, & indubitanter Deo notum, niſi fuerit in ſeipſo determinatum; deſideratur namque conformitas inter rem intellectam, & intellectum, qui intelligit, omnium planè conſenſu; atqui futura contingentia, non ſunt in ſeipſis determinata, pendent enim à cauſis indeterminatis.

Quid nomine futurorũ contingẽtiũ intelligatur.

Aduerte, nomine futurorum contingentium, intelligi ea, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe; ſunt tamen hæc futura in certa temporis differẽtia, ac proinde fatẽtur omnes de futuris contigentibus, quòd opponantur impoſſibilibus, & item rebus ſimpliciter neceſſarijs: iſtis quidem, quia de ratione rei ſimpliciter neceſſariæ eſt, vt ità ſit, quòd nullomodo eſſe non poſſit; futura autem contingentia poſſunt non eſſe: impoſſibilibus verò, ideò futura contingentia opponuntur, quòd poſſint hæc eſſe & non eſſe, impoſſibilia autem nullo modo eſſe poſſunt.

Duplex cõtingentia, vna intrinſeca, extrinſeca altera.

Admittunt præterea communiter omnes duplicem contingentiam, intrinſecam ſcilicet, & extrinſecam; primam putant conuenire ſolis futuris contingentibus liberis, idque quòd de ratione cauſæ liberæ ſit, poſitis omnibus ad agendum neceſſario requiſitis, poſſe agere, & non agere.

Secundam verò putant reperiri in alijs omnibus contingentibus futuris, quæ habent ortum à cauſis determinatis ad vnum, quæ tamen impediri poſſunt ab agente aliquo extrinſeco, ne ſuos producant effectus, & conſequenter contingentia in iſtis futuris contingentibus rectè dicitur eſſe extrinſeca; non enim competit illis intrinſecè, in ordine ad proprias cauſas, ſed quia eorum cauſæ ab externo aliquo agente impediri poſſunt, ne operentur. De iſtis ergo omnibus futuris contingentibus, Dubitatio propoſita eſt explicanda.

Ab æterno futura contingentia ſũt Deo notiſſima.

CONCLVSIO. *Quælibet futura contingentia ſunt Deo notiſſima, & quidem ab æterno.* Quia, ſi quæ huiuſmodi ſunt Deo incognita, hæc maximè ſunt libera; iſta enim cenſentur eſſe intrinſecè contingentia, ac proinde, vt ſic, poſſunt eſſe, & non eſſe intrinſecè: atqui contingentia futura libera ſunt Deo notiſſima, & quidem ab æterno, Pſalm. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè*: & rurſus: *Tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua*, Hiere. 17. *Inſcrutabile eſt cor omnium, & quis cognoſcet illud? ego Dominus.* & Eccleſiaſtic. 23. *Lucidiores ſunt oculi eius ſuper ſolem, conſpicientes omnes vias hominum.* Pſal. 138. v. 3. & 5. Hierem. 17. v. 9. Eccleſ. 23. v. 28.

Deinde, Concluſio hæc videtur probari ex illo Ioann. 14. *Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis.* & Hebræ. 4 *Omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius.* Idem docent Patres, D. Auguſtinus lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 9. *Nos*, inquit, *vt confitemur ſummum & verum Deum, ità voluntatem ſummámque poteſtatem & præſcientiam eius profitemur. Nec timemus ne ideò non voluntate faciamus, quod voluntate facimus: quia id nos facturos ille præſciuit, cuius præſcientia fallí non poteſt; quapropter & nos dicimus Deum omnia ſcire, antequam fiant: & voluntate nos facere, quidquid à nobis non niſi volentibus fieri ſentimus & nouimus.* Tertullianus lib. 2. aduersùs Marcionem, cap. 5. *De præſcientia*, ait, *quid dicam? qua tantos habet teſtes, quantos fecit prophetas. Quamquam quis præſcientiæ titulus in omnium authore, qua vniuerſa vtique diſponendo præſcyit, & præſciendo diſpoſuit? certè ipſam tranſgreſſionem, quam niſi præſciſſet, nec cautionem eius delegaſſet ſub metu mortis.* Clement. Alexand. lib. 1. ſtromatum. Theodoretus lib. 4. de curatione Græcarum affectionum, Gregorius Nyſſenus, & alij innumeri. Pſal. 138. v. 4. Hebr. 4. v. 13. Tertul. Clemens Alex. Theodor. Gregor. Nyſſen.

Quartò, ſcientia Dei eſt ſimpliciter infinita, & item certiſſima, ac proinde attingit quodcumque intelligibile, huius autem generis ſunt futura contingentia.

Quintò, præſcit Deus perfectiſſimè aliqua eſſe futura, producit item illud omne, quod futurum eſt, proſpicit etiam rebus quibuſuis, ac proinde dirigit eas in ſuos fines: ergo debet quoque iſta omnia intelligere. Ità D. Thom. hoc loco, & interpretes eiuſdem omnes, nullo planè diſcrepante, cum Sententiarijs in diſt. 38.

Soluitur 1. ratio dubit.

AD rationes vero dubitandi reſp. Ad primam, Patres non negare ſimpliciter in Deo dari ſcientiam de futuris contingentibus, ſed tantùm dari in Deo de iſtis, quemadmodum datur in nobis; hęc enim cognoſcuntur à nobis abſtractiuè, à Deo autem intuitiuè: cognitio item iſtorum in nobis pendet ab ipſiſmet futuris contingentibus, minimè vero in Deo; ſed contrà futura contingentia pendent à cognitione diuina, veluti à propria cauſa effectiua. Denique, cognitio, quæ datur in nobis de futuris contingentibus, medio diſcurſu aliquo comparatur; Deus autem omnia quæ intelligit vnico ſimpliciſſimo intuitu aſſequitur.

2.

AD 2. Sunt qui dicant futura contingentia, nec eſſe determinatè vera, nec determinatè falſa, idque quod Ariſtot. cap. 8. lib. 1. de interpret. verbis expreſſis habeat propoſitiones de futuris contingentibus, nec eſſe determinatè veras, nec determinatè falſas. Deinde, quia futura contingentia, ſaltem libera, pendent à cauſis indeterminatis, ac conſequenter poſſunt eſſe, & non eſſe intrinſecè: repugnat autem aliquid eſſe determinatè verum, aut falſum, ſi fuerit intrinſecè indeterminatum ad eſſe, & non eſſe. Denique, quia alioquin futura contingentia neceſſariò euenirent.

Ceterùm contraria opinio videtur multò tutior ; primùm , quia præſcit aliqua ex futuris contingentibus liberis, & proponit hæc credenda authoritate Eccleſiæ, quibuſuis Catholicis; ergo cùm fides nequeat inclinare ad falſum , de iſtis ſaltem futuris contingentibus ſtatuendum erit, quòd ſint in ſeipſis determinata. A

Confirmatur. Cognitio Dei de qualibet re debet eſſe certiſſima, immutabilis , & inuariabilis.

Quæ cenſenda eſt propoſitio determinatè vera.

Deinde, illa propoſitio cenſetur eſſe determinatè vera, quæ ità vera eſt, vt nullo modo poſſit eſſe falſa: atqui propoſitio iſta, *Antichriſtus eſt futurus* ; ità vera eſt, vt nullo modo poſſit eſſe falſa ; eſt enim hæc de fide, cui non poteſt B ſubeſſe falſum omnium conſenſu : ergo.

Demique, propoſitiones de rebus præteritis ſunt determinatè veræ , ex doctrina Diui Auguſtini ; ergo illud idem erit dicendum de propoſitionibus , quæ explicant futura contingentia à Deo prædicta : nam tam verè futurum, vt futurum, eſt determinatum in ſe, quàm præteritum, vt præteritum.

Tandem, veritas & falſitas ſunt proprietates conſequentes naturam cuiuſlibet propoſitionis : ità docent Vazq. diſput. 66. capit. 2. 3. 4. Suar. diſput. 19. ſuæ metaphyſ. ſection. 11. numer. 11. & opuſculo 2. lib. 2. capit. 2. Mendoza quæſt. 7. Scholaſtica, num. 6. & communiter Sententia- C rij, diſt. 39. lib. 1. ſententiarum.

Debiſcunt fundamenta Peripateticorum.

Ad rationes verò contrariæ ſententiæ , reſpondeo, Ad 1. Futura contingentia, ſpectari & vt ſunt contingentia, & vt ſunt futura, vt rectè aduertit S. Thomas in corpore huius articuli. Priori modo certum eſt hæc non eſſe determinatè vera, nec determinatè falſa ; ità enim pendent à cauſis liberis , quæ poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſunt agere , & non agere , atque ità intelligendus eſt Ariſtoteles eo in loco. Poſteriori verò modo contingentia ſunt, vel determinatè vera vel determinatè falſa, ità enim dicunt actualem exiſtentiam , ſi videlicet ſint futura, ac proinde & actualem determinationem. D

Grata ſatis interpretatio Vazqu.

Vazquez verò loco proximè citato putat Ariſtotelem non docuiſſe abſolutè, & ſimpliciter futura contingentia non eſſe determinatè vera, ſed tantùm comparatè ad futura contingentia præterita, & præſentia ; hæc enim duo præſentia ſcilicet & præterita , nedum ſunt determinata in ſeipſis, ſed etiam reſpectu ſuarum cauſarum, quod dici nequit de futuris contingentibus, vt eſt per ſe notum.

Alij putant docuiſſe Ariſtotelem eo in loco errorem fidei contrarium: ceterùm prima ſolutio videtur indubitata; nam ſunt multi veteres Scholaſtici , & item recentiores , qui propoſitionem Ariſtotelis ſuſtinent , neque tamen propterea E notantur labe hæreſeos , nec notari poſſunt cùm de hac re nihil ſit hactenus ab Eccleſia conſtitutum.

Ad 2. Quemadmodum ad primam.

Ad 3. Probare tantùm futura contingentia euenire neceſſariò neceſſitate hypothetica , non autem abſoluta; neceſſitas enim hypothetica non deſtruit rationem contingentiæ, neque libertatis. ex communi doctrina.

DVBITATIO SECVNDA.

Quæ ſit ratio cognoſcendi Deo futura contingentia libera , à creatura rationali producta.

VARIANT Scholaſtici in hac re explicanda. Sunt enim qui doceant propterea Deum cognoſcere certò futura contingentia libera, producta à creaturis rationalibus, ex omni æternitate, quòd perſpectas habeat Deus omnes omnino cauſas , & quidem ab æterno, quæ mouebunt, vel non mouebunt ; quæ concurrent, vel non concurrent; quæ determinabunt , vel non determinabunt voluntatem creatam ad productionem alterius futuri contingentis liberi. *Sentent.* 1.

Iſtorum autem opinio probari poteſt; Primùm, cognitis cauſis neceſſarijs alicuius effectus , cognoſcitur & effectus productus ab huiuſmodi cauſis neceſſariò : atqui ſupponimus Deum ex omni æternitate cognouiſſe omnes omnino cauſas, quæ concurrent in tempore vnà cum voluntate creata ad producendum hoc futurum contingens liberum ; ergo ratio cognoſcendi iſta futura contingentia , erit cognitio omnium omnino cauſarum à quibus producetur in tempore effectus hic liber , ſi ſermo ſit de Deo. *Probat.* 1.

Deinde, præſciuit Deus ex omni æternitate aliqua futura determinata libera , vt conſtat ex penitentia Tyriorum, & Sidoniorum ; ſi facta fuiſſent ſigna quæ in Bethſaïda, & Chorozaïm, Matth. 11. & ex proditione Dauidis, ſi deſcendiſſet in Celam , vt conſtat ex cap. 23. lib. 1. Reg. at non aliter potuit Deus cognoſcere duo iſta contingentia ab æterno ; niſi quia mouere poterant voluntates creatas ad producendos huiuſmodi effectus contingentes conditionatos : ergo. Matth. 11. verſ. 21. 1. Reg. 23. verſ. 13.

Denique , inter cauſas quæ concurrunt ad productionem futuri contingentis liberi, vnà cum voluntate creata , extant aliquæ efficaces, quę conferuntur creaturæ rationali à Deo Optim. Maxim. ad hoc vt effectum contingentem liberum producat : ergo ex cognitione iſtarum omnium cauſarum maximè efficacium, cognoſcet certò Deus effectum contingentem liberum, quem producere debet creatura rationalis in tempore ; nam de ratione cuiuſlibet cauſæ rationalis eſt , vt infallibiliter ſuos attingat effectus. Ità Durand. diſtinct. 38. quæſt. 3. & aliqui recentiores loco proximè citato ad hunc art. Sancti Thomæ. 3.

Struens rationum in iſtam ſententiam non ſatis tutã.

Ceterùm doctrina hęc non ſatis videtur tuta: primùm , quia poſitis iſtis omnibus cauſis, & cognitis à Deo Opt. Max. ex omni æternitate, volũtas creata manet in ſe libera, ac proinde ſimpliciter,& abſolutè potens ad operandum, & nõ operandum ; ergo ex inſpectione cauſarum earũ quę mouebunt, vel nõ mouebunt, concurrent vel non, determinabunt, vel non determinabunt voluntatẽ creatã, non poteſt Deus certò cognoſcere quid factura ſit volũtas creata, non enim neceſſitatur volũtas iſta ab omnibus iſtis cauſis ſimul, vel ſeorſim ſumptis: ſed tam verè libera eſt, quàm eſſet antea. *Ratio* 1.

Deinde, de ratione cauſæ liberæ eſt, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, poſſit agere, & non agere : at voluntas creata poſitis quibuſuis cauſis manet in ſe libera : ergo. 2.

Tertiò, inter cauſas, quæ poſſũt mouere voluntа- 3.

tem creatam ad operandum vel non operandũ extant aliquæ liberæ: ergo debuit Durandus explicare, qua ratione potuit Deus ab æterno certò cognoſcere cauſam iſtam liberam in tempore concurſuram eſſe cum alia cauſa libera, ad effectum aliquem liberum producendum.

4. Quartò, voluntas creata eſſet determinata ad agendum vel à Deo, vel ab obiecto ſuo, vel à iudicio practico intellectus decernentis hîc & nunc hæc, vel illa eſſe agenda, vel denique à ſeipſa: ergo cognitio iſtarum cauſarum non eſt ratio cognoſcendi futura contingentia intellectui diuino. Non primum; nam certum eſt voluntatem creatam non determinari à Deo Opt. Max. neceſſariò in ſuis actionibus exercendis; fatentur enim omnes Deum concurrere cum cauſis neceſſarijs, neceſſario; cum contingentibus, contingenter, & cum liberis, liberè. Neque item 2. dici poteſt, quia ſola eſſentia diuina clarè, & vt in ſe eſt viſa, voluntatem creatam determinare poteſt efficaciter ad productionem actus, reſpectu actus voluntatis, idque quòd eſſentia diuina complectatur in ſe rationem cuiuſlibet boni; fatentur autem omnes obiectum adæquatum voluntatis, propoſitum eidem, neceſſitare voluntatem in ſuis actionibus exercendis. Neque 3. ſimiliter opinionem Durandi confirmat: diximus namque de ratione cauſæ liberæ eſſe, poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, poſſe agere, ac non agere; ac proinde licèt intellectus decernat hæc, vel illa eſſe agenda, non tamen propterea neceſſitabitur voluntas per iudicium hoc practicum intellectus. Supereſt ergo, vt dicamus voluntatem determinare ſeipſam in ſuis omnibus actionibus: quî ergo fieri poterit, vt futura contingentia libera cognoſcantur à Deo certò, ex inſpectione earum cauſarum quæ mouebunt voluntatem creatam ad agendum, vel non agendum?

Huſce ſermones ſi viſſet, duros inuenijſſet Durandus.

Vltima ratio in Durandum.

Denique, impoſſibile eſt effectum aliquem cognoſci certo, & indubitanter, niſi cognita quoque fuerit eius cauſa, & quidem prout eſt determinata ad productionem iſtius effectus: atqui voluntas creata manet libera, & indeterminata ad agendum, vel non agendum: ergo, etſi Deus cognoſcat ex hypotheſi omnes omnino cauſas, quæ concurrent cum voluntate creata ad effectum liberum producendum; non tamen propterea cognoſcet Deus certò effectum hunc liberum, niſi intellexerit etiam voluntatem creatam ſe determinaſſe ad illum producendum.

Ad rationes Durandi initio adductas.

1. Soluitur.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. conceſſo antecedenti, negando conſequutionem; eſt enim maximum diſcrimen inter cauſam neceſſariam, & liberam; illa enim definita, & determinata eſt ad vnum producendum: ità vt nequeat hoc vnum non producere, hîc & nunc, cum his, & illis circumſtantijs; ac proinde poſita cauſalitate iſtius cauſæ, cognoſcitur neceſſariò eius effectus; cauſa verò libera eſt quæ poſitis quibuſuis alijs cauſis neceſſarijs ad agendum & applicatis, indefinita, & indeterminata manet ad agendum, vel non agendum, ità vt poſſit operari, & non operari, hic, & nunc; cum his, & illis circumſtantijs: quamobrem cùm maneat indeterminata non poteſt Deus certò cognoſcere futurum contingens liberum producendum ab huiuſmodi cauſa, ſed deſideratur ad id cognitio determinationis iſtius cauſæ liberæ ad effectum illum efficiendum.

Ad 2. Ad 2. reſpondent aliqui, Deum non cognouiſſe vlla futura conditionata illis in locis, vel potiùs ex iſtis locis Scripturæ; credunt enim Deum ſe habuiſſe ibi ad modum hominum, qui loquuntur de rebus quibuſdam impoſſibilibus, hac ratione, vt dicant: ſi hæc, vel illa fuiſſent factitata, nunquam ſubſecutum fuiſſet v. g. bellum, inter reges Galliarum, & Hiſpaniarum, cùm tamen bellum hoc vere præceſſerit inter duos iſtos Principes.

Non probatur præcedens reſponſio.

Ceterùm reſponſio hæc reſpuitur communiter, idque quod ſit excogitata eo conſilio, vt deſtrueretur natura ſcientiæ conditionalis, quam tamen multi Theologi Scholaſtici recentiores tuentur.

Aliorum ſolutio non placet.

Alij reſpondent, Deum intellexiſſe futura conditionata in decreto conditionato, quod putant extare intrà Deum: ceterum hæc reſponſio nihil planè dicit, docebimus enim non propterea Deum cognoſcere futura contingentia, quòd extent in Deo aliqua decreta de huiuſmodi futuris contingentibus producendis in tempore, vnà cum creatura rationali.

Vlt.

Ad vltimam reſpond. auxilia efficacia poſita de facto in voluntate creata non neceſſitare, neque determinare voluntatem creatam in ſuis actionibus exercendis; nam auxilia efficacia eadem planè ratione ſe habent ad voluntatem creatam, reſpectu operationum eiuſdem, qua ſe habet Deus ad eamdem: atqui fatentur omnes concurſum Dei non neceſſitare voluntatem creatam in ſuis actionibus exercendis: agit enim Deus liberè, cum omnibus cauſis liberis. Deinde, diximus de ratione cauſæ liberæ eſſe ſeipſam determinare: voluntas autem creata verè libera eſt, ac proinde non determinatur in agendo, ab auxilijs efficacibus, licèt ſint in ipſa, tanquam in ſubiecto.

Ad id verò quod dicitur, de ratione auxilij efficacis eſſe, vt ſuos producat effectus. Reſp. hoc quidem eſſe veriſſimum, & conſequenter ex inſpectione iſtius auxilij poſſe Deum colligere voluntatem creatam infallibiliter allenſuram motioni talis auxilij, quod nos vltrò concedimus, non tamen poterit Deus ſimpliciter, & abſolutè inueſtigare quid factura ſit voluntas, poſito iſto auxilio ſolo in ea; nam manet adhuc verè libera, ac proinde indeterminata ad agendum, vel non agendum: deſideratur ergo determinatio voluntatis creatæ ad hoc, vt cognoſcat Deus certò quid voluntas factura ſit præter inſpectionem auxilij efficacis.

2. Sentent.

Alij verò putant, propterea Deum certò cognoſcere futura contingentia, quòd dentur in Deo decreta quædam de futuris iſtis contingentibus liberis producendis, in tempore vnà cum creatura rationali, & quidem in ratione cauſæ efficientis phyſicæ, ſi ſermo ſit de futuris illis contingentibus liberis, quæ dicunt naturam aliquam poſitiuam, & realem, ſeu phyſicam, & naturalem: ſi verò ſermo ſit de futuris illis contingentibus, quæ habent rationem culpæ extat in Deo decretum de permittendis iſtis. Nituntur autem hoc vnico maximè fundamento: quod ſcientia, & voluntas Dei efficax ſit cauſa eorum omnium quæ ſunt, fuerunt, aut futura ſunt in certa temporis differentia. Ità docent communiter Thomiſtæ noſtri temporis, Bannez hoc loco, Scotus in 1. diſt. 39. quæſt. 1. §. contra iſtud argument. & §. Viſo de contingentia, & Richard. diſt. 38. lib. 1. art. 1. quæſt. 5.

Infirmatur 2. ſententia rationibus ſequentibus.

Contra tamen hanc ſententiam, hanc vnicam pono Concluſionẽ; *Decreta quæ ex hypotheſi ſunt intrà diuinam eſſentiam, de rebus quibuſuis in tempore producendis vnà cum creatura libera, non ſunt ratio proxima & immediata, per quam Deus intelligit futura contingentia libera.* Primùm, quia inter contingentia libera computantur peccata; certum autem eſt Deum nullum habere decretum, nec potuiſſe habere de vllo, quantumuis minimo peccato producendo; repugnat enim ſummam, & ſupremam bonitatem peccare, quemadmodum repugnat regulam deficere, aut primam veritatem fallere, vel falli: eſt enim prima, & ſuprema bonitas intrinſecè & eſſẽtialiter bona; malitia autem eſt ità coniuncta cum peccato, vt hæc præſcindi ab eo nullo modo poſſit.

1.

2. Deinde, licèt nulla darentur decreta in Deo de futuris contingentibus liberis in tempore producendis, vnà cum creatura rationali, non tamen propterea deſineret Deus intelligere certò futura iſta contingentia: nam cùm ſcientia Dei ſit ſimpliciter infinita, debet hæc neceſſariò attingere quodlibet intelligibile.

3. Tertiò, ſi decretum diuinum de re aliqua libera in tempore producenda, eſſet ratio cognoſcendi rem iſtam liberam futuram; id eſſet, aut quia Deus ſolus produceret illam, aut quia Deus neceſſitaret voluntatem creatam ad eius productionem; aut denique, quia ſuo decreto determinaret phyſicè voluntatem creatam ad producendum hoc futurum contingens: at nullum ex iſtis dici poteſt. Non primum, quia indubitatum eſt effectum liberum, tam bene eſſe à voluntate creata, quàm à Deo: eſt enim liber à voluntate creata, veluti à cauſa præcipua, & principali, particulari tamen; à Deo verò veluti à ſua cauſa præcipua principali, & vniuerſali. Neque ſecundum, diximus enim Deum concurrere cum omnibus cauſis iuxta earum naturas, ideóque cum liberis libere. Neque denique 3. nam docuimus de ratione cauſæ liberæ eſſe ſeipſam determinare ad agendum, vel non agendum; quod videtur auferri ex hypotheſi quod phyſicè determinetur.

4. Quartò, Cognoſcit Deus certò aliqua futura contingentia libera conditionata, vt conſtat ex penitentia Tyriorum & Sidoniorum, ex cap. 11. Matth. & item ex productione Dauidis futura à Ceilitis, ex cap. 23. lib. 1. Reg. & tamen nullum extat decretum in Deo de iſtis duobus futuris conditionatis liberis.

5. Denique, nunquam determinat ſe Deus ad productionem alicuius futuri contingentis liberi, niſi ſuppoſita determinatione voluntatis creatę, à qua, veluti à cauſa particulari debet futurum hoc contingens produci: docent enim Patres à nobis aliàs citati, non propterea Adamum peccaſſe quòd Deus præſciuerit peccatum eius futurum; ſed contra, propterea Deum præſciuiſſe peccatum Adami, quòd hic eſſet propria voluntate peccaturus: ergo ratio cognoſcendi futura contingentia libera non ſunt decreta diuina de rebus in tempore producendis vnà cùm creatura rationali, reſpectu intellectus diuini, præſertim cùm certiſſimum ſit inter iſta futura computanda eſſe peccata, quæ non ſupponunt aliquod decretum in Deo, ad hoc vt producantur ſaltem dependenter à Deo.

Bannez difficultatẽ tollere molitur.

Reſpondẽt Bannez, & alij nonnulli Thomiſtę, propterea Deum cognoſcere certò peccata futura, quia licèt Deus nec definierit ſe, nec potuerit ſe definire ad producendum peccatum, vt peccatum eſt, decreuit tamen Deus permittere peccata iſta, & item conſtituit ſe non daturum gratiam efficacem, ſed tantùm ſufficientem Petro v. g. conſtituto in his, & in illis circumſtantijs; ac proinde poſitis iſtis duobus decretis intellexit Deus certò, Petrum v.g. negaturum Chriſtum hoc ipſo quod Deus non determinauerit Petrum ad bene operandum in his, & in iſtis circumſtantijs poſitum.

Canus cum aliis reſpondere tentat.

Canus verò aliique nonnulli, propterea putant Deum certò aſſequi peccata futura cuiuſlibet creaturæ rationalis in particulari, quod in omni peccato dentur ratio materialis, & formalis; illa cenſetur eſſe entitas quædam vera, realis, & poſitiua: hæc verò defectus aliquis, qui nequit eſſe à Deo effectiuè, ob rationem in ſuperioribus allatam: ratio tamen materialis peccati cùm ſit entitas realis, & phyſica verè à Deo eſt, veluti à cauſa efficiente, ac proinde præſupponit intrà Deum decretum aliquod, quo poſito potuit Deus certò cognoſcere peccatum futurum illa eadem ratione, qua quis intelligit claudicationem futuram, hoc ipſo quod videat ineſſe homini curuam tibiam.

Reſpuitur reſponſio Bannis, & item Cani.

Ceterùm reſponſiones iſtæ nulla ratione videntur defendendę: nam ad hoc vt aliquid ſit ratio proxima, & immediata cognoſcendi, debet res iſta idem eſſe cum obiecto cognito, ſi non in eſſendo, ſaltem in repræſentando, vt conſtat ex ſpecie impreſſa hominis, quæ ideò dicitur eſſe ratio cognoſcendi hominem, quod hæc ſit idem perfectiſſimè in repræſentando, cum homine repræſentato, vel quia continet, & repræſentat aliud perfectiſſimè: atqui decreta proximè commemorata, nec ſimul, nec ſeorſim ſumpta ſunt idem ſimpliciter cum peccato, nedum in eſſendo, ſed neque in repræſentando: nec præterea continent, aut repræſentant futura peccata: nam decreta iſta ſunt idem cum ipſamet diuina eſſentia, intrà quam nullæ dantur, nec dari poſſunt imperfectiones, cuius tamen generis ſunt peccata: ergo. Deinde, permiſſio peccati, vt ſic, eſt res aliqua in ſe bona: ſupereſt ergo iſtis authoribus explicandum quomodo fieri poteſt, vt permiſſio iſta ſit ratio cognoſcendi malum, vt malum eſt. Denique, poſitis iſtis decretis diuinis voluntas creata manet libera, ac proinde indefinita ad peccandum, vel non peccandum: non ergo decreta iſta ſola poſſunt eſſe ratio cognoſcendi peccata futura. Accedit quod dentur aliqua peccata, in quibus nulla datur entitas materialis, vera & poſitiua realis, cuius generis ſunt peccata puræ omiſſionis, ex quorumdam ſententia.

Dixi, decreta non eſſe rationem proximam, & immediatam cognoſcendi futura contingentia libera reſpectu Dei, quia non eſt negandum quin decreta iſta diuina ſint ratio cognoſcendi futura contingentia libera remota, ſaltem ſi ſermo ſit de futuris contingentibus liberis, quæ habent veram, & naturalem aliquem entitatem: nulla quippe res eſt, fuit, aut erit, quæ non præſupponat aliquod decretum in Deo de huiuſmodi re producenda, & hoc tantùm probat ratio adducta ab authoribus contrariæ ſententiæ.

3. Sentent.

Alij 3. putant propterea cognoſcere Deum certò quælibet futura contingentia, quia in Deo dantur rerum omnium ideæ, quæ ità perfectè exprimunt res quaſlibet, vt nihil planè reperiatur in vlla re creata, aut creabili, quod non repræſentetur perfectiſ-

perfectiſſimè per ideas iſtas. Ità ſentit Bonauent. A diſt. 41. lib. 1. Alenſis, & alij nonnulli.

Concutitur hæc, cùm nõ ſit nobilioris energia ceteris.

Ceterùm opinio hæc non videtur vlla ratione ſuſtinenda. Primùm, quia licèt ideæ diuinæ repræſentent perfectiſſimè quidditates, affectiones, proprietates, & omnes omnino modos intrinſecos, & extrinſecos poſſibiles cuiuſlibet rei, non tamen repræſentant exiſtentiam actualem vllius rei creatæ, aut creabilis, ante decretum diuinum de producendis iſtis rebus in tempore: Scientia namque viſionis reſpectu rerum creatarum non eſt in Deo neceſſaria, ſed tantùm libera, quemadmodum libere determinauit ſe Deus ad producendas creaturas iſtas.

1. Ratio.

2. Deinde, ideæ iſtæ non mouent voluntatem diuinam, nec mouere poſſunt ad hoc vt determinet Deus efficatiter voluntatem creatam ad producendum quodlibet futurum contingens; nam inter hæc dantur aliqua, quæ ſunt peccata, quæ tamen, nec ſunt, nec eſſe poſſunt à Deo, vt probatur in tractatu de peccatis. B

3. Tertiò, ideæ ſunt quaſi imagines aliquæ; at imago ità repræſentat ſuum prototypum, vt tamen præſcindat à præterito, præſenti, & futuro: nam ſtatua Cæſaris, Cæſarem perfectiſſimè exprimit, licèt hic nec ſit, nec futurus ſit, vt eſt per ſe notum.

4. Denique, ſi Deus ab æterno definiuiſſet ſe ad nullas planè creaturas producendas, ideæ diuinæ C nullas repræſentarent ſecundùm proprias, & actuales earumdem exiſtentias, ſed tantùm ſecundum exiſtentias poſſibiles: ergo ex inſpectione iſtarum idearum non poteſt Deus certò intelligere futura contingentia, maximè libera, hæc enim nequeunt intelligi certò, niſi fuerint in ſeipſis determinata, non poſſunt autem eſſe determinata in ſeipſis, niſi prius voluntas à qua produci debent liberè, determinata cognoſcatur: ergo.

4. Sentent.

Alij 4. docent propterea Deum cognoſcere certò futura contingentia etiam libera, quòd hæc ſint præſentia intellectui diuino in æternitate; volunt enim omnes omnino res creatas, & futuras eſſe intrà æternitatem diuinam ſecundùm eſſe D reale, & actuale quod credunt habere intrà æternitatem tanquàm intrà menſuram communem rerum omnium: Ità docent S. Thomas hoc locò, & lib 1. contra gentes cap 63. & 68. & in 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 5. & quæſt. 2. de veritate, art. 12. & 16. & in quæſtionibus de malo, quæſt. 16. art. 3. Caiet. Bannez, Ferrari. Sumel, & alij Thomiſt. communiter. Eſt autem hæc ſententia probabilis propter authoritatem ſolius S. Thomæ, non autem quòd ratione aliqua manifeſta, & euidente comprobetur.

Refellitur.

Probabilior ergo multò videtur opinio, quæ aſſerit non propterea cognoſcere Deum futura contingentia, quòd exiſtant in æternitate, tanquam in menſura communi rerum omnium, ſecundùm eſſe actuale, quod habent intrà æternitatem. Primò, coexiſtere idem eſt, atque ſimul exiſtere, at futura contingentia non ſunt, ſed futura ſunt: ergo. E

1.

2. Deinde, fieri nequit vt aliquid coexiſtat alteri, niſi fuerit hoc in ſeipſo, aut intrà illud, cui dicitur coexiſtere; atqui futura contingentia nec ſunt in ſeipſis, vt eſt per ſe notum; nec intrà æternitatem diuinam ſaltem formaliter, & quidditatiuè; nam extant innumera contingentia futura quæ ſunt coniuncta cum imperfectione aliqua ſecundum proprias quidditates, & formalitates, vt eſt per ſe notum. Non ergo ſunt intrà diuinam æternitatem; omnis enim imperfectio relegatur à diuina eſſentia.

Reſpondent Thomiſtæ.

Reſpondent, futura contingentia habere duplex eſſe, actuale reale vnum in ſeipſis, ſeu (quod idem eſt) in proprio genere; alterum intrà æternitatem, idque tanquam in menſura communi rerum omnium: quoad primum fatentur non coëxiſtere æternitati ab æterno, ſed tantum quoad ſecundum.

Euertitur iſta reſponſio.

Verùm reſponſio iſta non ſatisfacit argumento, nam æternitas neque eſt menſura Dei propria, neque vllius rei creatæ: diximus enim quæſt. 10. huius partis rationem menſuræ competere ſolis rebus quantis, quantitate molis; certum autem eſt quantitatem iſtam non dari in Deo formaliter. Deinde, æternitas eſt idem cum exiſtentia diuina, omnium conſenſione; quis autem credat futura contingentia exiſtere per exiſtentiam diuinam? Tertiò, quæ ſunt intrà diuinam eſſentiam ſunt ipſemet Deus, ex illo. Quidquid eſt in Deo, Deus eſt. Denique futura contingentia ſecundùm proprias quidditates, & rationes formales ſpectata, dicunt imperfectionem ſaltem aliquam: imo hoc idem dicendum eſt de durationibus eorumdem: ergo non ſunt intrà Deum formaliter, ac proinde, neque intra æternitatem.

Fio quadruplici ex carpite.

3. Fundam.

Tertio impugnantur: Si futura contingentia coëxiſterent æternitati, coëxiſterent quoque hæc inter ſe; non enim poteſt aſſignari vlla ratio, cur potius dicantur coëxiſtere æternitati, quàm ſibi ipſis; at non coëxiſtunt ſibi ipſis intrà æternitatem; non enim aliquam dicunt inter ſe diſtinctionem, prout ſunt intrà illam: ſed ſunt vna res ſimpliciſſima cum diuina eſſentia.

Rurſus reſpondent Thomiſtæ.

Reſpondent, futura contingentia diſtingui vt ſunt intrà diuinam eſſentiam, non quidem ſecundum entitatem, quam habent intrà eamdem; ſed ſecundùm terminationem, quam dicunt ad ſeipſa, prout futura ſunt in certa temporis differentia, ac proinde hac ratione, iſta futura contingentia coëxiſtere ſibi ipſis.

Reſpuitur eorum diſtinctio.

Sed contrà 4. quia ſi futura contingentia coëxiſtunt æternitati diuinæ, ſequitur relatio præſentialitatis inter iſta futura, & æternitatem diuinam: conſurgit enim præſentialitas inter duo, ex indiſtantia, quæ datur inter hęc; atqui futura contingentia, etiamſi ſupponamus eſſe intrà æternitatem, vt volunt Thomiſtę, non tamen propterea poſſunt eſſe præſentia æternitati verè, & realiter; nam relatio realis præſentialitatis, non fundatur intrà diuinam eſſentiam, cùm dentur in Deo quatuor tantùm relationes reales; paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, & proceſſio: nec fundatur in futuris contingentibus, quia quælibet relatio realis debet habere fundamentum reale, extra ſuas cauſas poſitum, quod tamen non poteſt dici de futuris contingentibus.

5. Fundam.

Quintò, æternitas diuina non eſt magis infinita, quàm ſit immenſitas eiuſdem; at immenſitas diuina non facit vt Deus ſit in rebus, quæ non ſunt: ergo neque faciet æternitas vt ea quę non ſunt, ſint; futura vero contingentia non ſunt: ergo.

Denique nulla res creata menſuratur communi aliqua menſura, niſi menſuretur quoque propria, & ſibi intrinſeca duratione: non enim dicimus Socratem menſurari tempore primi mobilis, niſi de facto Socrates ſit, ac proinde niſi menſuretur tempore ſibi intrinſeco: ergo futura con-

Digitized by Google

tingentia, cum non ſint, non poterunt menſurati æternitate.

Obiectio. Obijciunt 1. Thomiſtæ, apud Deum nihil eſſe præteritum, nihil futurum, ſed omnia eſſe præſentiſſima, ità docent patres communiter, & videtur colligi ex illo Rom. 4. *Vocat*, ſcilicet Deus, *ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*: ergo cùm Deus cognoſcat illud omne quod intelligit per ſuam eſſentiam, futura contingentia erunt præſentiſſima Deo in æternitate.

Rom. 4. v. 17.

Solutio. Reſp. æternitatem diuinam ſpectari duobus modis; in ſe, & ſecundum ſe ſimpliciter. Deinde in ordine ad res iſtas creatas, quibus coëxiſtit, quando ſunt, & item quibus non coëxiſtit, quando non ſunt: priori modo, docent patres æternitatem non admittere præteritum, aut futurum, ſed tantùm inſtans præſentiſſimum: poſteriori verò modo non eſt abſurdum fateri æternitatem admittere prioritatem, & poſterioritatem, nam prioritas iſta, & poſterioritas dicuntur de æternitate, ſola denominatione extrinſeca, ac proinde propter prioritatem, & poſterioritatem, quæ datur in rebus creatis, quibus ex hypotheſi incipit, & deſinit coëxiſtere æternitas, quia res iſtæ verè in ſeipſis incipiunt & deſinunt.

Ad id autem quod dicitur, Deum cognoſcere per ſuam eſſentiam, illud omne quod intelligit, ac proinde futura contingentia debere eſſe intrà Deum. Reſp. probari tantùm futura contingentia eſſe præſentiſſima intellectui diuino, non quidem prout ſunt in ſeipſis, ſed vt ſunt in eſſe obiectiuo.

2. Obiect. Obijciunt 2. Quando datur aliqua cognitio, quæ eſt idem cum obiecto cognito, vbicumque ponitur cognitio, illic etiam debet eſſe eius obiectum: at cognitio qua Deus cognoſcit futura contingentia eſt idem realiter cum ſuo obiecto; nam illud omne quod cognoſcitur à Deo, per ſuam eſſentiam cognoſcitur, & intrà eandem; eſſentia autem Dei cùm ſit ſimpliciſſima, eſt idem cum cognitione diuina.

Reſponſio. Reſp. negando minorem; cognitio quippe Dei diſtinguitur realiter à futuris contingentibus. Deinde cognitio diuina de futuris contingentibus pendet tantùm terminatiuè ab ipſis, non autem ſecundùm ſuam entitatem, vt manifeſtè colligitur ex eo quòd docuerimus anteà ſcientiam Dei & voluntatem eiuſdem, eſſe cauſam rerum omnium creatarum; vnde pendent res iſtæ creatæ à ſcientia Dei, non autem ſcientia Dei à rebus iſtis creatis.

3. Obiect. Obijciunt 3. Æternitas vel coëxiſtit primo diei, & vltimo huius vniuerſi, vel non; Si primum, coëxiſtunt etiam futura contingentia æternitati, coëxiſtere enim idem eſt, atque ſimul exiſtere, ſiautem dicamus ſecundum, æternitatem ſcilicet non coëxiſtere primo, & vltimo diei huius vniuerſi, dabitur prius, & poſterius in æternitate.

Solutio. Reſp. Æternitatem noncoëxiſtere primo, & vltimo diei huius vniuerſi; nam dies primus vniuerſi præterijt, dies verò vltimus nondum aduenit, ac conſequenter nequit æternitas iſtis coëxiſtere, cum non ſint, neque tamen propterea ſequitur dari prius, & poſterius in æternitate; nam prioritas, & poſterioritas tota tenet ſe ex parte earum rerum, quæ incipiunt, & deſinunt eſſe.

Vlt. obiect. Obijciunt tandem, æternitatem non minùs eſſe infinitam, quàm ſit eſſentia diuina; hæc autem propter ſuam infinitatem continet rerum omnium perfectiones: ergo æternitas propter ſuam infinitatem retinebit etiam omnes omnino alias durationes, aut potius continebit.

Solutio. Reſp. hoc argumento nihil probari, nam intrà diuinam eſſentiam non continentur omnes res ſecundùm ſuas formales rationes, ſaltem formaliter, & quidditatiuè: ſed tantùm eminenter, & virtute. Similiter durationes rerum creatarum continentur intrà æternitatem virtute, & eminenter, non autem formaliter; dicunt enim omnes iſtæ in ſuo conceptu formali imperfectionem aliquam, quæ non poteſt eſſe intrà diuinam eſſentiam.

Authoris ſententia. Vltima ſententia videtur defendenda, idque quòd paucioribus implicetur difficultatibus, qualibet ex proximè confutatis: dico ergo; *Propterea Deum cognoſcere certò qualibet futura contingentia ex omni æternitate, quòd vis intelligendi Dei ſit ſimpliciter infinita, & quòd futura contingentia ſint in ſeipſis, vel determinatè vera vel determinatè falſa:* ità Nominal. in 4. diſt. 38. & multi recentiores: Suarez diſp. 30. ſuæ Metaphyſ. ſect. 15. & in opuſculo de ſcient. lib. 1. cap. 8. & lib. 2. cap. 7. Greg. de Valent. puncto 5. huius quæſt. *Ideo Deus cognoſcit certo futura cõtingentia quòd vis illius intellectus ſit infinita.*

Probatio 1. p. Prima autem pars huius documenti probatur: Cognitio diuina eſt ſimpliciter infinita; eſt enim hæc tanta, quanta eſt eſſentia diuina: ergo attingit quodlibet intelligibile ex vi iſtius infinitatis Confirmatur: cognitio diuina nullam patitur additionem, aut detractionem, neque admittere poteſt, cùm ſit ſimpliciter immutabilis. Denique intellectus diuinus eſt perfectiſſimus, nedum in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo: ergo obijciuntur ei in eſſe obiectiuo in omni æternitate quælibet intelligibilia.

2. Partis probat. Secunda verò pars huius documenti probatur: Cognitio, quam Deus habet de futuris contingentibus eſt certiſſima, & veriſſima: ergo futura iſta contingentia debent eſſe quoque determinatè vera, vel falſa, alioquin non poſſent intelligi certò & veriſſimè, cùm veritas cuiuſlibet propoſitionis poſita ſit in conformitate, ſeu adæquatione cognitionis, ſeu propoſitionis cum ſuo obiecto. Confirmatur: Ab eo quòd res eſt, vel non eſt, res dicitur vera, vel falſa, ex doctrina Ariſtotelis, apud au thores proximè citatos.

Obiectio. Obijcies futura contingentia intelligi à Deo ſcientia viſionis, ac proinde debere eſſe præſentiſſima intellectui diuino ſecundùm ſuam actualem exiſtentiam. *Solutio.* Reſp. conceſſo antecedente, negando conſequutionem; nam præterita cognoſcuntur à Deo ſcientia viſionis, & tamen non ſunt præſentiſſima Deo ſecundùm ſuam actualem exiſtentiam: ſatis ergo eſt ad hoc vt aliquid cognoſcatur à Deo ſcientia viſionis, quòd ſcientia iſta reſpiciat rem aliquam creatam, prout extitit, aut etiam exiſtet in ſeipſa ſecundùm ſuum eſſe actuale.

DVBITATIO TERTIA.

An Deus cognoſcat futura conditionata certò, & indubitanter.

1. Sententia eſt negatiua. ALIQVI partem negantem tuentur, idque quòd ſi ità res haberet concedenda eſſet in Deo ſcientia quædam omnino varia & diuerſa à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Deinde nulla extant futura, quæ non præſupponant *2.* decretum aliquod in Deo de producendis huiuſmodi

modi futuris: atqui nullum eſt decretum diuinum de producendis iſtis futuris conditionatis,
3. non enim ſunt hæc habitura vſpiam eſſe. Tertio, cognitio Dei eſt certiſſima; futura autem conditionata nullam habent in ſe certitudinem,
4. poſſunt enim eſſe, & non eſſe, imò nuſquam futura ſunt. Denique D. Auguſtinus, & alij patres docent in illis locis, in quibus dicitur Deum prædicere aliqua ſub conditione, nulla certò prælagire.

Pars affirmatiua eſt iuſtior. Concluſio. *Futura conditionata ſunt Deo certiſſima, non minus quàm abſoluta futura.* Primum quia in ſacris literis, non minus habentur prædictiones conditionatæ de rebus futuris, quàm de rebus ſimpliciter futuris abſolutis, vt conſtat ex cap. Mat 11. v. 21. 11. Math. *Væ tibi Bethſaïda, væ tibi Chorozaïm: quia* B *ſi in Tyro, & Sidone,* &c. & cap. 23. lib. 1. Reg. prædicitur quippe illic deſcenſus Saülis in ciui-1. Reg. 23. v. 13. tatem Ceilæ, & item proditio Dauidis, ſi permanſiſſet in ea ciuitate, & cap. 11. lib. 3. Reg. 1. Reg. 11. prædicit Deus futurum peccatum idololatriæ Iudæorum, ſi Iudæi acceſſiſſent ad mulieres extraneas, & alienigenas, & Sap. 4. ſimiliter dici-Sap. 4. v. 11. tur de quodam adoleſcente, quòd fuerit ab hac vita liberatus ne ſocietate malorum hominum faceret iacturam ſuæ iuſtitiæ, & integritatis.

Inſulſa quorundam reſponſio explodituꝛ. Reſpondent, iſtis in locis Deum nulla prædicere, ſed tantùm ſignificare quid cauſæ iſtæ eſſent facturæ, ſi contigiſſet eas applicari ad agendum, vel non agendum, aut certè ſignificare tantùm propenſionem & inclinationem iſta- C rum cauſarum ſecundarum.

Regula ſatis de cantata Ceterùm reſponſio hæc defendi nullo modo poteſt: primùm quia fatentur patres ſcripturam ſ[illegible]am ſemper eſſe ad literam intelligendam, niſi ex ea ſequatur aliquid abſurdi, licèt autem dicamus Deum cognoſcere certò futura conditionata
D. Auguſt. nulla hinc ſequitur abſurditas. Deinde, D. Auguſtinus epiſt. 105. & in lib. contra Creſconium Grammaticum cap. 8. docet prædictiones de futuris conditionatis non minùs eſſe veras prædictiones diuinas, quàm ſint illæ quæ habentur in ſacris literis de rebus futuris abſolutis.

Secundò probatur Concluſio: Scientia Dei tanta eſt, quanta eius omnipotentia, etenim pertinent hæc duo ad attributa abſoluta diuina, at- D qui omnipotentia nedum futura abſoluta reſpicit, ſed etiam contingentia; obiectum ſiquidem omnipotentiæ diuinæ eſt poſſibile quodcumque: ergo.

Aduerſariorum effugium præcluditur Reſpondent aduerſarij, futura conditionata non diſtingui à poſſibilibus, vt ſic, verùm reſponſio hæc nihil plane dicit; Nam futurum conditionatum ſupra poſſibile addit futurum: eſt enim futurum ſaltem ſub conditione, ac proinde diſtinguitur à poſſibili tantùm. Tertio probatur Concluſio: Non poteſt Deus ordinare quempiam certò, & infallibiliter in vitam æternam per media libera, niſi quoque videatur quid factura ſit creatura libera hîc, & nunc, cum his, & illis circumſtantijs; atqui indubitatum eſt Deum or- E dinare multos homines in vitam æternam, & quidem infallibiliter obtinendam per actus liberos ab ipſiſimet creaturis rationalibus elucitos: ergo, futura contingentia ſunt Deo præſentiſſima.

Aliorum reſponſio. Reſpondent, propterea Deum cognoſcere certò quid factura ſit creatura libera hîc, & nunc; quoniam confert auxilia efficacia iſtis creaturis
Enervatur. liberis: eſt autem de ratione auxilij efficacis vt ſuos effectus conſequatur infallibiliter. Ceterum reſponſio hæc licet ſit in ſe vera, non tamen ſatisfacit argumento, nam poſito auxilio efficaci A creatura libera tam bene manet in ſe libera, quàm eſſet anteà: ergo debent reddere cauſam quî fiat, vt poſſit Deus certò & infallibiliter ordinare creaturam in vitam æternam per media libera, & liberè à creatura facta. Denique, non eſt magis difficile Deo cognoſcere indubitanter futura conditionata, quàm futura abſolutè, & ſimpliciter, fatentur autem omnes iſta eſſe Deo notiſſima, ex illo: Omnia nuda, & aperta ſunt in conſpectu eius.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. in *Tolluntur* Deo præter ſcientiam viſionis, & ſimplicis intel- *argumenta* ligentiæ, admittendam eſſe ſcientiam, quam nun- *in initio ad-* cupant mediam, idque quòd ſcientia viſionis *ducta.* reſpiciat res prout ſunt in ſeipſis exiſtentes; ſcientia verò ſimplicis intelligentiæ verſatur circa poſſibilia, vt ſunt tantum poſſibilia & nuſquam futura. Scientia autem media reſpicit futura tantum conditionata.

Dices, veteres ſcholaſticos non meminiſſe ſcientiæ mediæ. Reſp. hoc eſſe verum formaliter, & expreſſè, non tamen negant ſcientiam iſtam mediam; imò videntur eam ſatis expreſſiſſe quando dicunt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ verſari circa poſſibilia tantum, & nuſquam futura: ſcientiam verò viſionis verſari circa futura in certa temporis differentia: Nam ſcientia hæc me- *Scientia* dia reſpicit poſſibilia ſub ea ratione qua futura *media.* C conditionata, nuſquam habitura ſunt actualem exiſtentiam: Scientia verò viſionis ſub ea ratione qua futura iſta conditionata ſunt quodammodo futura, nempe cum conditione.

Ad 2. Reſp. nullum extare decretum diuinum *Enodatur* de futuris conditionatis, non enim ſunt hæc verè *2. argumẽ-* futura, ſed tantùm ſub conditione quæ, quia *tum.* nuſquam ponetur in eſſe actualis exiſtentiæ, ità quoque nuſquam erit hoc futurum conditionatum extra ſuas cauſas.

Ad tertiũ, tam certò cognoſcere Deum futura *Soluitur* conditionata, quàm cognoſcat futura abſolutè, *etiam 3. ar-* & ſimpliciter, vt conſtat ex cap. 11. lib. 3. Reg. *gumentum.* dicitur enim illic de peccato idololatriæ Iudæorum, data hypotheſi, quòd acceſſiſſent iſti ad D mulieres alienigenas, & extraneas; *Certiſſimè* inquit, *dauerſent cor veſtra.* Deinde, Ianſenius Sup. 3. cap. 47. ſuæ Concordantiæ in Euangelia, Tole- Reg. tus, Maldon. Titelman. & alij nonnulli docent particulas iſtas. *Forſan, Forte,* & *Forſitan*, quæ leguntur in locis, qui obijciuntur à nobis Thomiſtis non ſignificare dubitationem aliquam, quem- *Aduertẽdum.* admodum habet prima eorum inſtitutio, ſed ſignificare certitudinem indubitatam; ità vt ſint voces hominis, vel Dei, non quidem hæſitantis, aut dubitantis, ſed increpantis, & velit ſcripturæ huiuſmodi rationibus loquendi arcere homines à peccatis committendis, aut certè à rebus quibuſdam alijs exequendis.

Ad vltimam Reſp. D. Auguſtinum illis in lo- *Vltima arg.* E cis diſputare contra Maſſilienſes Semipelagianos hæreticos, qui contendebant hominem nedum conſequi vitam æternam, per bona opera in hac vita facta; ſed etiam per ea quæ feciſſent, ſi diutius in hac vita mortali permanſiſſent: idem dicebant de damnatis. Contra ergo iſtos docet D. Auguſtinus merita futura ex hypotheſi eſſe planè inutilia ad vitam æternam, idque quòd de fide ſit, vnumquemque remunerari iuxta bona opera, quæ fecit, non autem iuxta ea quę facere potuit. Ex iſtis autem non licet colligere Deum

Digitized by Google

non cognoscere futura conditionata. A

DVBITATIO VLTIMA.

An præscientia Dei destruat libertatem.

RESPONDEO, *de fide esse præscientiam, prouidentiam, prædestinationem & voluntatem Dei efficacem, nulla ratione tollere libertatem.* Primùm, quia de fide est hominem mereri suis actionibus vitam æternam: ità definitum fuit in Conc. Trid. sess. 6. can. 32.

Tridentin. astruit libertatem.

Deinde, de fide est hominem esse liberum in suis actionibus exercendis, Ecclesiast. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala & non fecit,* & Prouerb. 1. *Vocaui, & renuistis*; imò hoc ipsum colligunt Chrysostom. Augustinus, & alij nonnulli patres ex illo Ioan. 5. *Vis anus fieri?*

Eccles. 31. v. 10. Prouerb. 1 v. 24.

Tertiò, non minus præscit Deus suas actiones, quàm nostras, neque tamen propterea Deus destruit in seipso libertatem, est enim hic liber ad extra, omnium planè consensione. Quartò si præscientia diuina destruit libertatem in nobis, id præstat quia præcisè præscientia est; vel quia concurrit cum creatura ad aliquid producendum. Primum dici non potest, hæc enim ità spectata nihil planè ponit in nobis: neque 2. dici potest, quia Deus concurrit cum omnibus causis iuxta earum naturas, ac proinde cum liberis liberè.

Stoici & hæretici dicunt destrui libertatem nostram.

Hæc conclusio est contra Stoicos, & hæreticos C nostri temporis, putant enim præscientiam Dei destruere libertatem in nobis, cùm tamen hæc, sicut & prædestinatio, voluntas Dei, atque prouidentia inducat necessitatem tantùm hypotheticam, non autem absolutam.

Obiectio. Responsio.

Obiciunt, omne præscitum à Deo non potest non esse futurum. Resp. hoc esse verum in sensu composito, in sensu tamen diuiso potest non esse futurum: idque quod supponamus hoc præscitum habere ortum à causa libera, liberè operante.

Replica dissoluitur.

Instabis nihil esse in naturæ vniuersitate, quod possit irritare diuinam præscientiam Resp. præscientiam diuinam esse infallibilem & certissimam in sensu tamen diuiso, ac proinde absolutè, & simpliciter concedendum est quòd creatura libera possit operari longe aliter, quàm postulet præscientia diuina, licèt de facto non sit operatura creatura rationalis contra præscientiam diuinam. D

Ex quibus satisfacies huic difficultati: Possibili posito in esse nihil sequitur absurdi; possibile est hominem operari contra præscientiam diuinam: ergo. Non enim concedendum est hominem facturum quidpiam contra præscientiam diuinam, licèt absolutè loquendo possit operari contra illam.

Obiectio. Responsio.

Obijcies denique, præuiso peccato primi parentis nõ potuit primus parẽs nõ peccare. Resp. hoc esse verum ex hypothesi; non autem absolutè & simpliciter; est enim de ratione cuiuslibet agentis liberi, vt positis omnibus ad agendum necessarijs possit agere, & non agere: ex eo autem quòd Deus præuiderit huiusmodi peccatum futurum, solum colligere licet peccatum hoc esse futurum necessitate hypothetica, quæ libertatem minimè destruit. E

ARTICVLVS XIV.

An Deus cognoscat omnes, & singulas propositiones quarumcumque rerum.

RESPONDET affirmatiuè, addit tamen Deum cognoscere istas propositiones, non per diuisionem, aut compositionem, aut vnam per aliam, aut denique vnam post aliam, sed vnico actu simplicissimo: de qua re nulla potest esse dubitatio; tum quia fatentur omnes in disputatione de Angelis, Angelos cognoscere multa, vt multa sunt, cognitione distincta, per vnam, & eamdem numero intellectionem; ergo à fortiori poterit præstare Deus: tum quia fatentur communiter Thomistæ in disput. de beatitudine, & item de visione Dei, multa, vt multa, posse intelligi ab homine cognitione distincta, ea lege quòd intelligat ista multa per vnam, & eamdem numero speciem impressam: tum quia vis intelligendi Dei, est simpliciter infinita, habétque rationem actus purissimi, ac proinde reijcit à se omnem omnino potentialitatem: ergo poteris ista omnia intelligere sine vlla diuisione, aut compositione, aut etiam successione. *Deus cognoscit singulas propositiones quarumcumque rerum.* B

ARTICVLO 15. docet scientiam diuinam esse C omnino immutabilẽ, & inuariabilem, & quidem meritò; scientia namque hæc imitatur naturam, & essentiam Dei; essentia autem diuina est immutabilis, Malach. 3. *Ego Deus & non mutor.* Numer. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur:* Iacob. 1. *Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio.* Deinde mutatio diuinæ scientiæ, si daretur, teneret se vel ex parte ipsius Dei cognoscentis, & intelligentis, vel certè ex parte rerum cognitarum: at neutro modo dici potest; quia cùm Deus sit ens necessarium & habeat rationem actus purissimi, non potest hic recipere in se vllam vicissitudinem; scientia autem Dei est idem quod Deus ipse, nedum realiter, sed etiam formaliter: Neque item secundum, saltem ratione primi, & præcipui obiecti diuinæ scientiæ, hoc enim est Deus ipse, quem diximus esse simpliciter immutabilem. Licèt autem obiecta secundaria diuinæ scientiæ saltem aliqua possint aliter se habere in seipsis, quàm vel sint, vel fuerint aliquando, vel certe futura sint; non tamen propterea variatur diuina scientia in se, nam intelligit Deus ista obiecta semper cum respectu ad res istas, prout sunt in seipsis, ac proinde de hac cognitione concedendum est quòd sit necessaria, non quidem simpliciter, & absolutè; sed tantùm necessitate inuariabilitatis (vt loquuntur) & rectè obseruauit Suarez lib. de diuinis attributis cap. 3. *Scientia Dei est omnino inuariabilis.* Malach. 3. v. 6. Numer. 23 vers. 19. Iacob. 1. vers. 17. *Obiectum primarium scientiæ diuina est ipse Deus.*

Aduerte non esse negandum, quin Deus potuerit scientia visionis plura intelligere, quàm de facto intelligat, idque quòd potuerit se determinare ad productionem multarum rerum ad quam tamen non se determinauit. Neque ex istis licet colligere diuinam scientiam mutari secundum suam entitatem; sed tantùm quoad suam terminationem, aut (vt alij loquuntur) obiecta diuinæ scientiæ mutari, non autem scientiam diuinam. *Notabile.*

ARTICVLO VLTIMO docet scientiam Dei nec esse tantùm practicam, nec tantùm speculatiuam:

sed

ſed vtramque ſimul: res autem hæc explicata fuit à nobis quæſt. 1. huius partis.

QVÆSTIO XV.

De Ideis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Idea ſint in Deo.

DVÆ ſunt hoc loco Dubitationes explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An idea ſint admittenda reſpectu Dei.

Definitur idea à D. Auguſt.

ADVERTE, ideam definiri, *Id ad cuius imitationẽ agens per intellectum aliquid producit extra ſe:* Ità D. Thom. hoc loco poſt D. Auguſt. in lib. 83. quæſtionum quæſt. 46. hæc autem definitio innoteſcit facillimè ex quatuor conditionibus ſimpliciter neceſſarij, ad ideam. Prima eſt ideatum efformari debere neceſſariò ad ſimilitudinem ideæ. Secunda, idea debet eſſe neceſſariò ratio cognoſcendi id, quod producitur ab operante per ideam. Tertia, debet idea eſſe ratio operandi, non quouis modo, ſed ad modum cauſæ exemplaris: ità vt operans per ideam debeat effingere ſuum opus ad imitationem ideæ, & operatio dirigatur ab ipſamet idea. Vltima, debet idea exiſtere in eo, qui operatur: ità communiter interpretes D. Thomæ hoc loco.

Quatuor conditiones ad rationem idea expedita.

In Deo dãtur idea rerum quas producit ad extra.

CONCLVSIO. *Reſpectu Dei producentis quidpiam extra ſe concedenda ſunt idea.* Primò, hæc eſt doctrina Patrum, D. Auguſtini loco proximè citat. Dionyſij cap. 5. de diuinis nominibus, D. Thomæ hoc loco, & interpretum eiuſdem. Accedit ratio: in omni agente ex cognitione, & ex imperio libertatis, deſideratur idea aliqua, idque quatenus agens definiat ſe ad hoc potius, quàm ad illud producendum: at Deus cenſetur eſſe agens per intellectum, & voluntatem in omnibus actionibus ad extra, ex illo, *Quæcumque voluit Dominus fecit.* Confirmatur. Deus in productione rerum ad extra nedum operatus eſt liberè, ſed etiam finem aliquem ſibi propoſuit: *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus:* ergo habuit quoque formam aliquam ad cuius ſimilitudinem rem quamlibet ex iſtis creatis produxit.

Pſal. 134. verſ. 6.

Prouerb. 16. verſ. 4.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit illud quod habet rationem idea reſpectu Dei.

Anceps authorum iudicium de idea natura.

VARIANT in hac re explicanda Scholaſtici. Alij enim dicunt creaturas ſpectatas in eſſe poſſibili fuiſſe ideas reſpectu Dei, quando produxit res creatas.

Alij putarunt creaturas ſpectatas in eſſe cognito habuiſſe rationem ideæ, non quidem præciſè ſecundùm hoc eſſe cognitum, ſed vt ab eſſe cognito tranſierunt ad eſſe actualis exiſtentiæ: Ità communiter Nominales.

D. Thom. ſent.

D. verò Thomas hoc loco ideam diuinam putauit eſſe ipſammet eſſentiam Dei, cognitam tamen ab intellectu diuino, vt imitabilem & participabilem à creaturis, hac vel illa ratione.

Hæc autem ſententia non vno, & eodem modo defenditur à ſequacibus D. Thomæ; nam aliqui credunt eſſentiam diuinam, vt habet rationem ſpeciei impreſſæ eſſe ideam eiuſdem. Alij verò vt habet rationem ſpeciei expreſſæ, de qua re ſit

Cordata authoris mens exprimitur.

CONCLVSIO 1. *Creaturæ ſpectatæ aut in eſſe cognito, aut in eſſe poſſibili, non ſunt idea diuina reſpectu productionis rerum creatarum à Deo factæ.* Primò, quia diximus de ratione ideæ eſſe, vt qui operatur per eam aduertat ad formam quam intendit, & quidem ità, vt ſuum effectum omnino illi ſimilem producat: at in productione rerum creatarum non animaduertit Deus ad creaturas, vel in eſſe poſſibili, vel in eſſe cognito ſpectatas; ſed ad ſuam eſſentiam tantùm, vt docent Patres, D. Auguſt. loco proximè citato, & lib. 5. de Geneſ. ad litter. cap. 3. & Dionyſ. cap. 7. de diuinis nominibus.

1.

D. Auguſt. Dionyſ.

Deinde, eſſe quod habent creaturæ in illo eſſe cognito, quod habuerunt ab æterno, vel quod habent in eſſe poſſibili, eſt idem, vel diuerſum, cum illo eſſe quod habent in ſeipſis: Si dicatur primum, ſequitur euidenter ideam diuinam non eſſe creaturas in illo eſſe ſpectatas, nam idea, & ideatum debent eſſe res inter ſe realiter diſtinctæ; ſi autem dicatur ſecundum, ſequetur ideas non eſſe intrà Deum, ſed extra; cuius tamen oppoſitum anteà docuimus. Confirmatur. Creaturæ ſpectatæ vel in eſſe cognito, vel in eſſe poſſibili, ſunt verè aliquid extra Deum: ergo non habent rationem ideæ diuinæ, cum idea diuina debeat eſſe neceſsariò intrà Deum.

2.

Eſſentia diuina non eſt idea vt gerit vicem ſpeciei impreſſa.

CONCLVSIO 2. *Eſſentia diuina non eſt idea eiuſdem, quatenus rationem ſpeciei impreſſæ conſequitur.* Primò, quia ideæ diuinæ ſunt variæ, & multiplices, vt poſteà probabitur; atqui eſſentia diuina ſpectata in ratione ſpeciei impreſſæ eſt vna ſimpliciſſima entitas. Deinde, idea exprimit perfectiſſimè quidditatem rei ideatæ; at intrà diuinam eſſentiam ſpectatam, vt habet rationẽ ſpeciei impreſſę non continentur formaliter, & quidditatiuè res omnes creatæ; non enim animal formaliter eſt in Deo, aut ſenſibile, aut aquatile, aut volatile, &c. ſed tantùm virtute, & eminenter.

Eſſentia diuina eſt idea, vt eſt ſpecies expreſſa.

CONCLVSIO VLTIMA. *Idea diuina eſt eſſentia diuina ſpectata in ratione ſpeciei expreſſæ.* Ità D. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. cap. 10. *Cæterum diſtinxit, inquit, in Scripturis SS. Spiritus ſapientiæ multiplex, eò quod multa in ſe habeat; ſed quæ habet, hæc & eſt & ea omnia vnus eſt. Neque enim multa, ſed vna ſapientia eſt, in qua ſunt immenſi quidam atque infiniti theſauri rerum intelligibilium; in quibus ſunt omnes inuiſibiles, atque incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium, & mutabilium, quæ per iſtam facta ſunt.* & lib. 6. de Trinit. cap. 10. & 5. de Geneſ. ad litteram, cap. 13. & 14. & lib. 7. de Ciuitat. cap. 28. & lib. 12. cap. 17. & tract. 10. in Ioan. Dionyſius libro de diuinis Nom. Boëtius lib. 3. de Conſolat. Anſelmus in Monologio, cap. 8. D. Thomas hoc loco, & quæſt. 3. de Veritate & lib. 1. contra gentes cap. 54. & omnes omnino interpretes eiuſdem.

D. Auguſt.

Dionyſ. Boëtius. Anſelm. D. Thom.

Deinde, idea eſt id ad cuius ſimilitudinem Deus operatur aliquid extra ſe: at illud omne

quod Deus produxit ad extra, produxit ad ſimilitudinem ſuæ eſſentiæ, prout habet rationem ſpeciei expreſſæ; nam in eſſentia diuina hac ratione ſpectata perfectiſſimè repræſentantur quidditates cuiuſlibet rei creatæ ſecundùm proprias formalitates, Deus enim perfectiſſimè intelligit naturas ſpecificas, & genericas; itémque conditiones omnes indiuiduantes cuiuſlibet entis creati, vt oſtenſum eſt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An in Deo dentur plures ideæ.

1. Sententia eſt negantiua.

SVNT qui putent dari tantùm in Deo vnam ideã, idque. Primò quod multitudo idearum videatur pugnare cum ſumma Dei ſimplicitate.

Deinde, quia in Deo non multiplicantur intellectus, neque intellectiones, minùs voluntates, aut volitiones.

Tertiò, ſi ideæ multiplicarentur in diuinis, id vel eſſet ſecundùm entitatem, quam dicunt intrà diuinam eſſentiam; vel ſecundùm habitudinem, vel reſpectum, quem dicit entitas iſta ad terminos exiſtentes extra diuinam eſſentiam.

Quartò, quodcumq; dicatur, nequit idea multiplicari in Deo; nam idea ſecundum entitatẽ, quam habet intrà diuinam eſſentiã, eſt vna res ſimpliciſſima; non enim dicit oppoſitionem cum Deo. Secundùm vero habitudinem ſpectata eſſentia diuina ad terminos productos ad extra, non eſt etiam varia, & multiplex: nam eſſentia hac ratione ſpectata, non poteſt dici idea, quemadmodum creaturæ non producuntur ad imitationem huiuſmodi reſpectus, vt eſt per ſe notum.

CONCLVSIO. *In Deo dantur plures ideæ.* Ità D. Auguſt. lib. 83. quæſtionum, quæſt. 49. *Singula*, inquit, *propriis ſunt creata rationibus. Has autem rationes vbi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente creatoris? Quæ rerum omnium creandarum creatarúmue rationes in diuina mente continentur: atque has rerum rationes principales appellat Ideas Plato, & non ſolum ſunt ideæ: ſed ipſæ vera ſunt, quia æternæ ſunt, & eiuſmodi atque incommutabiles manent: quarum participatione fit, vt ſit, quidquid eſt, quomodo eſt.* & epiſt. 112. Clem. Alex. lib. 5. ſtromat. & Euſeb. lib. 12. de præparatione Euangelica cap. 12. D. Thom. hoc loco & interpretes omnes.

D. Auguſt. Clem. Alex. Euſebius. D. Thom.

Deinde, eſſentia diuina nedum eſt productiua creaturarum: ſed etiam producit omnem rem creatam iuxta eam imitabilitatem, aut participabilitatem, quæ datur in ea, reſpectu cuiuſlibet creaturæ: ergo tot erunt in Deo ideæ, quot ſunt participationes, & imitationes eſſentiæ diuinæ reſpectu rerum creatarum. Nam idea eſt id ad cuius imitationem agens per intellectum aliquid producit.

Perilluſtris doctrina.

Aduerte, ideam non eſſe nomen abſtractum, vt voluerunt aliqui, ſed concretum, ac proinde quemadmodum concreta multiplicantur in rebus creatis; ità & illud dicendum eſt de ideis, ceteris paribus: quemadmodum ergo in rebus creatis concreta nuſquam multiplicantur, niſi multiplicentur formæ ſignificatæ, & item ſuppoſita vel ſubiecta in quibus reperiuntur huiuſmodi formæ ſignificatæ per nomen hoc concretum; ità ideæ nequeunt multiplicari intrà Deum, niſi multiplicentur quoque formæ ſignificatæ per huiuſmodi nomen, *Idea*, & item niſi multiplicentur quodammodo ſubiecta de quibus enunciantur huiuſmodi formæ, ſeu nomina concreta.

Non eſt tamen neceſſaria tanta diſtinctio inter formas iſtas, & inter ſubiecta, quanta deſideratur in rebus creatis; nam in iſtis debet eſſe diſtinctio ad minus formalis, vel realis; ad multiplicitatem verò idearum non eſt neceſſaria diſtinctio formalis, aut realis, ſed ſatis eſt, ſi virtute, & fundamentaliter formæ iſtæ intrà Deum diſtinguantur, & quòd reſpiciant terminos intrà diuinam eſſentiam conſtitutos, omnes inter ſe diſtinctos realiter, & formaliter.

Diuerſitas ergo idearum repetenda eſt ex diuerſis imitabilitatibus, ſeu participationibus, quæ dantur in rebus creatis ſecundùm diuerſas tendentias, quas dicunt ideæ iſtæ ad terminos productos extra diuinam eſſentiam.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. multiplicitatem quamlibet non deſtruere ſummam Dei ſimplicitatem, vt alias monuimus, ſed eam tantùm quæ inducit veram & realem compoſitionem, cuius generis non eſt multiplicatio idearum diuinarum.

Qualibet multiplicitas non impedit ſummam ſimplicitatem.

Ad 2. Reſp. conceſſo anteced. negando conſequutionem; vnitas quippe intellectus, aut voluntatis diuinæ, ex vnitate eſſentiæ diuinæ deſumenda eſt: idem dicendum eſt de intellectione, & volitione diuina. Vnitas autem idearum diuinarum repetenda eſt ex vnitate eſſentiæ diuinæ prout habet rationem ſpeciei expreſſæ cum tendentia, vel habitudine, quam poteſt natura aliqua creata participare, reſpectu propriæ quidditatis & eſſentiæ: participabilitates autem iſtæ, ſeu imitabilitates ſunt infinitę propemodum infinities, ideoque tot erunt ideæ diuinæ.

Diſſoluitur 2. argumentum.

Ad 3. Reſpondimus in adnotato vltimo; diximus enim vnitatem vel diuerſitatem cuiuſlibet ideæ conſurgere ex eſſentia diuina, vt habet rationem ſpeciei expreſſæ, & imitabilis eſt à creatura, & ex habitudine, quam dicit ad creaturam extra Deum poſitam. 3.

Circa verò Articulum vltimum D. Thom. dubitatio hæc eſt explicanda.

DVBITATIO VNICA.

An ideæ ſint in Deo reſpectu eorum omnium, quæ Deus intelligit.

CONCLVSIO 1. *In Deo non datur idea Patris, Filij, & Spiritus ſancti, vel ſuæ eſſentiæ.* Primò, quia idea eſt tantùm de rebus, quæ ſunt extra Deum, vel certè quæ fieri poſſunt, vt conſtat ex definitione ideæ: at nec Pater, nec Filius, nec Spiritus ſanctus, nec eſſentia diuina fiunt, aut fieri poſſunt; non enim tranſeunt, vel tranſire poſſunt de non eſſe ad eſſe, quod tamen deſideratur ſimpliciter, & abſolutè ad factionem, ſaltem de lege communi.

Non eſt in Deo idea Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. 1.

Deinde, productio Filij, & Spiritus ſancti eſt ſimpliciter neceſſaria, productio verò rerum idearum eſt ſimpliciter libera. Non eſt tamen negandum, quin Filius poſſit dici quodam modo idea Patris; eſt enim productus ex vi ſuæ productionis ad perfectiſſimam ſimilitudinem Patris, & quidem ex vi ſuæ proceſſionis; imò propter hanc cauſam nuncupatur character, & imago Patris: de Spiritu autem ſancto non eſt concedendum quòd ſit idea Patris, & Filij, 2.

Quo ſenſu filius in diuinis dicat ideã patris.

Filij, etiam aliqua ratione, quia licèt perfectiſſimè ſit ſimilis Patri & Filio, id tamen non habet ex vi ſuæ proceſſionis, ſed ex vi proceſſionis in tali natura diuina. A

In Deo non datur idea negationũ, priuationum, &c.

Conclvsio 2. *In Deo non datur idea reſpectu negationum, priuationum, & malorum ſub ea ratione, qua mala ſunt.* Primò, quia hæc non intenduntur à Deo per ſe, ac proinde neque etiam producuntur, ſed tantùm conſequentes, & per accidens.

Deinde, priuationes & negationes formaliter loquendo nihil planè ſunt; vnde non poſſunt produci ad imitationem alicuius.

Denique, ex Patribus, ſacris litteris, & Concilijs habemus Deum non eſſe authorem B mali. Ità D. Thom. hoc loco, & communiter interpretes eiuſdem.

Dãtur ideæ in Deo naturarũ genericarum, ſpecificarum, &c.

Conclvsio 3. *In Deo dantur ideæ omnium planè naturarum genericarum, ſpecificarum, & præterea omnium indiuiduorum, tam ſubſtantialium, quàm accidentalium.* Primò, quia hæc omnia verè prõducuntur à Deo cùm ſint entitates aliquæ reales, & poſitiuæ.

Deinde, cauſæ ſecundæ non operantur, niſi concurrente prima; imò quilibet effectus realis, & phyſicus magis eſt à Deo, quàm ab vlla re creata: ergo cùm iſta omnia liberè producantur à Deo, dabuntur etiam intrà Deum ideæ aliquæ ad quarum imitationem, vel potius ſimilitudinem producit Deus iſta omnia creata: ità D. Thom. hîc. Imò hoc ipſum concedendum eſt de poſſibilibus nuſquam futuris, licèt enim hæc non ſint habitura exiſtentiam in ſeipſis, poſſunt tamen habere, & produci à Deo. C

Obiectio. Obijciunt aliqui 1. Deum non intendere productionem indiuiduorum: ergo. Ceterùm hoc falſiſſimum eſt; intenduntur enim indiuidua ſaltem per accidens ab authore naturæ, tum quia naturæ genericæ, & ſpecificæ, nequeunt conſeruari, niſi in indiuiduis; tum quia idem eſt eſſe naturæ genericæ, ſpecificæ, & indiuidui ſaltem realiter.

Solutio.

Obiectio 2. Obijciunt alij 2. Angelum intelligere per vnam, & eamdem numero ſpeciem genera propemodum infinita, ſpecies & indiuidua: ergo & illud idem dicendum erit reſpectu indiuiduorum in Deo. D

Solutio. Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſequutionem, idea quippe vel potius ſpecies impreſſa, in Angelo eſt ratio cognoſcendi tantùm reſpectu Angelorum naturas genericas, ſpecificas, & indiuiduas; idea verò in Deo nedum eſt ratio cognoſcendi genus, ſpeciem, & indiuiduum, ſed etiam producendi iſta omnia, & conſequenter quemadmodum Deus habet ideam cuiuſlibet generis, itèmque ſpeciei omnino diuerſam, ita hoc idem erit dicendum de indiuiduis.

Diſcrimen inter ideas Angeli, & Dei.

QVÆSTIO XVI.

De Veritate.

Hæc Quæſtio octo complectitur Articulos, in quorum primo docet D. Thom. veritatem principaliter eſſe in intellectu, in rebus autem ſecundariò, & vt dicunt ordinem ad intellectum.

In 2. autem dicit in intellectu componente, & diuidente eſſe propriè loquendo veritatem, non verò in ſenſu.

In 3. verum conuerti cum ente addita comparatione ad intellectum.

In 4. Verum eſſe prius bono, tum quia verum eſt propinquius enti, quàm bonum; tum etiam quia cognitio quæ habet pro obiecto verum præcedit appetitum qui circa bonum verſatur.

In 5. Docet in Deo nedum eſſe veritatem, ſed etiam eſſe ipſam & ſummam veritatem.

In 6. Articulo tradit quodammodo vnam eſſe veritatem, qua omnia ſunt vera, & quodammodo non.

In 7. nullam veritatem creatam eſſe æternam, quia nullus intellectus creatus eſt æternus.

In 8. ait veritatem creatam non eſſe immutabilem.

QVÆSTIO XVII.

De Falſitate.

Articvlo 1. dicit D. Thomam falſitatem eſſe in intellectu & rebus, per ordinem ad intellectum.

Secundò, in ſenſu aliqua ratione eſſe falſitatem, ſicut & veritatem.

Tertiò, docet falſitatem eſſe in intellectu componente & diuidente. E

Quartò tandem verum & falſum opponi vt contraria, non autem vt affirmationem & negationem.

QVÆSTIO XVIII.

De vita Dei.

IN Articulo primo tradit non omnes res eſſe viuentes.

In 2. vitam eſſe ſubſtantiale quoddam eſſe in tali natura, minùs verò propriè eſſe operationem.

In 3. Deo Optimo Maximo vitam maximè propriè competere.

In 4. docet quidquid ineſt, eſſe ipſum eſſe & viuere Dei.

Porrò cir ca tres has Quæſtiones nihil omnino dicendum, quia vel contenta in ipſis ſunt ſatis facilia apud D. Thom. vel de illis ſolet pluribus diſputari à Metaphyſicis.

QVÆSTIO XIX.

De voluntate Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

An in Deo ſit voluntas.

Datur in Deo voluntas.
Pſal. 113. verſ. 3.
Rom. 19. verſ. 19.
Matth. 23. verſ. 22.

DOCET ſanctus Thomas in Deo dari voluntatem; dicitur quippe Pſal. 113. *Omnia quæ voluit Dominus, fecit*; & Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtet?* & Matth. 23. *Quoties volui congregare.* & Matth. 6. *Fiat voluntas tua.*

D. Auguſt. Subſcribunt Patres, præſertim D. Auguſtin. in Enchirid. cap. 100. *Quantum ad ipſos attinet* (loquitur de reprobis) *quod Deus noluit fecerunt, quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere voluerunt. Hoc quippe ipſo quòd contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas eius. Propterea namque magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, vt mirè, & ineffabili modo, non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius ſit voluntatem: quia non fieret, ſi non ſineret: nec vtique nolens ſinit, ſed volens. Nec ſineret bono, fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene.* & de Trinitate cap. 3. & frequentiſſimè in lib. de Ciuitate Dei.

Ambroſ. Anſelm. Ambroſius in Pſal. 61. & Anſelmus in lib. de voluntate Dei.

Tertiò, omnis perfectio ſimpliciter ſimplex locum habet in Deo; voluntas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, melior quippe eſt ipſa, quàm non ipſa, & ſtare poteſt cum omni perfectione maiori, vel æquali.

Denique, vbicumque datur ratio, illic datur & voluntas neceſſariò; radix quippe voluntatis liberæ cenſetur eſſe intellectus, ſeu ratio ex communi doctrina Peripateticorum in Deo autem dari rationem & intellectionem eſt indubitatum apud omnes, nedum Chriſtianos, ſed etiam Ethnicos. Ità Sententiarij in 1. diſt. 38.

Obiectio. Obijcies, ſi voluntas daretur in Deo, ſequeretur in eo admittendam eſſe potentiam, & facultatem volendi, diſtinctam realiter ab eſſentia eiuſdem; nam voluntas diſtinguitur in nobis realiter ab eſſentia, & admittit in ſe actus aliquos immanentes.

Solutio. Reſpond. negando illationem antecedentis; voluntas quippe admittitur in Deo ſecundùm omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quam dicit; & conſequenter præſcindendo ab imperfectionibus, cum quibus hæc reperitur in nobis: voluntatem autem habere rationem potentiæ receptiuæ, & diſtingui realiter à nobis non pertinent abſolutè hæc duo ad naturam, & eſſentiam voluntatis, ſed ſunt imperfectiones voluntatis creatæ; voluntatem autem diuinam non diſtingui ab eſſentia diuina, nec realiter, nec formaliter ex eo manifeſtè innoteſcit, quòd in diuinis omnia ſunt vnum, & idem, niſi vbi interuenit oppoſitio relationis: at nulla datur oppoſitio inter voluntatem, & eſſentiam diuinam, omnium conſenſione.

Axioma Theologũ.

Deinde, conceptus eſſentię diuinę, & è contra, voluntatis eiuſdem, ſe mutuò includunt, ità vt impoſſibile ſit concipere eſſentiam diuinam, quin concipiatur etiam voluntas eiuſdem, ſaltem confuſè, ex communi doctrina Theologorum.

Denique, voluntas diuina non magis diſtinguitur ab eſſentia quàm intellectus eiuſdem: hic autem nec realiter, nec formaliter diſtinguitur ab eſſentia: ergo.

Non eſt tamen negandum de voluntate diuina, quòd habeat pro obiecto bonum, quemadmodum & voluntas creata; licèt enim vnitas formalis voluntatis diuinæ, aut etiam realis, nulla ratione repetenda ſit ex bono, quemadmodum vnitas ſpecifica voluntatis creatæ ſumitur à bono in communi ſumpto (repugnat enim Deum, aut aliquid, quod pertinet ad naturam diuinam pendere ab ijs, quæ ſunt extra Deum) ſecundum tamen noſtrum modum intelligendi vnitas voluntatis diuinæ intelligitur per comparationem ad bonum: ità vt voluntas diuina tendat tantummodo in bonum, veluti in ſuum proprium obiectum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Deus velit alia à ſe.

ROGATVR hic Articulus explicationem illius difficultatis in qua quæritur. An velit Deus res alias à ſe per verum & realem aliquem actum.

Deus vult creaturas verè & realiter.

CONCLVSIO 1. *Deus vult creaturas iſtas verè & realiter.* Primùm, quia id videtur colligi ex cap. 4. 1. ad Theſſal. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* & Roman. 9. *Cùm nondum nati eſſent, aut aliquid boni, vel mali egiſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* & Sap. 11. *Quomodo poſſet aliquis perſeuerare, niſi tu voluiſſet.*

1. Theſſ. 4. verſ. 3. Rom. 9. v. 11. & 12. Sap. 11. verſ. 26.

Deinde,

2. Deinde, res iſtæ creatæ ſunt participationes aliquæ diuinæ naturæ, & eſſentiæ.

3. Tertiò. Nihil eſt in naturæ vniuerſitate quod non conſequatur naturam boni; ens enim, & bonum conuertuntur.

4. Quartò, omnia iſta creata ſunt effectus omnipotentiæ diuinæ & voluntatis eiuſdē; regula enim omnium actionum diuinarum eſt voluntas eiuſdem, vt probat multis ſanctus Tho. in hac quæſt. & colligitur ex illo Dauid; *Quæcumque voluit Dominus fecit.* Idem docent Patres articulo proximè anteced. citati.

Deus vult creaturas per verum & realem actum.

CONCLVSIO 2. *Vult Deus creaturas iſtas, per verum, & realem aliquem actum.* Primùm, quia id videtur colligi ex locis citatis art. 1. Deinde, dicitur in ſacris litteris, quòd res iſtas creatas amet, Ioan. 14. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum*, &c. & Sap. 11. *Omnia quæ ſunt diligis, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti:* at amor dicitur verus, & realis aliquis actus, in eo in quo recipitur. Tertiò, ex iiſdem ſacris litteris habemus Deum elegiſſe aliquos ad vitam æternam: Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius*; at electio eſt aliquis actus à voluntate productus, omnium conſentu. Quartò, Deus cupidiſſimè vult quorumcumque peccatorum conuerſionem. Prouerb. 1. *Vocani & renuiſtis*, &c. & Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos*, &c. & apud Ezech *Nolo mortem impij*, &c. ergo vult etiam Deus medio aliquo actu verè, & realiter creaturas iſtas.

1. 2. Ioann. 14. verſ. 23. Sap. 11. verſ. 25. 3. Epheſ. 1. verſ. 4. 4. Ezech 33. verſ. 11.

Actus quo Deus vult creaturas dicit perfectionem in ipſo.

CONCLVSIO 3. *Hic actus, quo Deus vult creaturas, dicit perfectionem aliquam in Deo; non tamen diuerſam ab ea, quam dicit actus quo Deus vult ſeipſum.* Prima pars Concluſionis probatur; Principium productiuum creaturarum in Deo ſupponit maximam in eo perfectionem; creatio quippe rei cuiuſlibet præſupponit infinitam potentiam in eo, qui creat, ſaltem ex doctrina D. Thomæ communiter recepta: at res iſtæ fuerunt à Deo creatæ, Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* & Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Confirmatur. Principium productiuum Filij in Patre dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem, & illud idem tatentur omnes de principio productiuo Spiritus ſancti: ergo illud idem dicendum erit de eo actu, quo Deus voluit producere creaturas: hic enim cenſetur eſſe principium productiuum creaturarum.

Ioa. 1. v. 3. Geneſ. 1. verſ. 1.

Denique, omne attributum abſolutum in Deo arguit perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ſed actus quo Deus produxit creaturas, eſt attributum abſolutum; eſt enim idem realiter, cum eo actu, quo Deus vult ſeipſum, vt probabitur poſteà: ergo ille actus dicit perfectionem.

2. Partis probatio.

Actus quo Deus vult creaturas nō diuerſus ab eo quo vult ſeipſum.

Secunda verò pars Concluſionis probatur: Actus quo Deus vult productionem creaturarum, nec realiter nec formaliter diſtinguitur ab eo actu, quo Deus vult ſeipſum; idem quippe eſt iudicium de diſtinctione iſtorum actum inter ſe, quod de ceteris aliis diuinis attributis; at cetera attributa diuina abſoluta, ſunt idē inter ſe realiter, & formaliter, ex communi doctrina: ergo perfectio, quam dicit actus, quo Deus vult creaturas, nō diſtinguitur realiter aut formaliter ab ea quam dicit ille actus quo Deus vult ſeipſum. Denique, tota ratio, cur actus quo Deus vult creaturas diſtinguitur ab eo quo vult ſeipſum, petitur maximè à creaturis, quæ ſunt extra illum; atqui creaturæ iſtę, non dicunt neceſſariam connexionem cùm eſſentia diuina, vt eſt per ſe notum, ſed tantùm ſecundùm illud eſſe quod habent intrà Deum: ergo huiuſmodi actus non diſtinguitur ab eo quo Deus ſeipſum vult.

Moneo tamen actum quo Deus vult creaturas, admittere intrà Deum diſtinctionem aliquam, non quidem formalem & actualem, ſed tantùm virtualem, iuxta ea quæ dicemus infrà.

Inſurgit Aureolus.

Obſcit Aureolus: ſi actus, quo Deus vult creaturas ſit idem cum eo actu quo vult ſeipſum, ſequitur Deum produxiſſe neceſſariò creaturas iſtas: actus enim ille quo vult ſeipſum eſt ſimpliciter neceſſarius.

Deijcitur.

Reſp. negando illationem antecedentis; ratio ſiquidem iſta dubitandi tranſit ex ijs, quæ conueniunt actui, quo Deus vult ſeipſum, ad ea quæ conueniunt actui, quo Deus vult creaturas ſpectato ſecundùm ſuam terminationem, ac proinde mutat (vt loquuntur logici) quid inaliquid, aut ſubſtantiam in accidens, quod nulla ratione præſtare licet.

Inanis Aureoli conatus.

Veget Aureolus: ſequeretur ſaltem perfectionem aliquam potuiſſe abeſſe à Deo, nam potuit Deus determinare ſe ad nolendas creaturas, quemadmodum de facto determinauit ſe ad eaſdem producendas.

Reſp. neque id colligi poſſe ex dictis, quod affirmat Aureolus, ex eo enim quòd Deus determinauit ſe liberè ad producendas creaturas, ſolùm colligitur, actum quo Deus voluit producere creaturas in ordine ad ſuam terminationem tantùm potuiſſe non eſſe, quod nos vtrò concedimus; minimè verò ſequitur entitatem huius actus exiſtentem intrà diuinam eſſentiam potuiſſe non eſſe: hæc enim non minùs neceſſaria eſt, quàm Deus ipſe; quidquid enim eſt in Deo, Deus eſt, ac proinde tam ſimpliciter neceſſarium, quàm Deus ipſe.

Deus vult creaturas ob ſuam bonitatem.

CONCLVSIO VLTIMA: *Deus vult creaturas exiſtentes in certa temporis differentia propter ſuam bonitatem*: dicitur enim Sap. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt.* Deinde, remiſſio peccatorum ex ſacris litteris ordinatur in laudem, & gloriam ipſiuſmet nei, Eſai. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Tertiò, in iiſdem ſacris litteris, Deus dicitur principium & finis, *Ego ſum α & ω* ait in ſacra Apocal. Chriſtus ſeu Deus. Quartò, ſancti Patres affirmant mundum hunc productum fuiſſe propter hominem, hominem verò propter Deum: ita D. Auguſt. in lib. Confeſſ. *Inquietum eſt cor noſtrum Domine, donec requieſcat, in te; quia feciſti nos ad te*, &c. Denique, quæcumque ſunt in naturæ vniuerſitate ordinantur in Deum, vel vt eſt author naturæ, vel vt eſt author gratiæ; ità communiter omnes, locis ſupra citatis.

Eſai. 43. verſ. 25. Auguſt.

Mouetur quæſtio.

Diſſoluitur.

Sunt autem qui hoc loco quęrant; *An Deus velit creaturas iſtas amore concupiſcentiæ, vel complacentiæ?* Ceterùm rectiùs illi videntur ſentire, qui putant Deum velle creaturas iſtas amore complacentiæ; nihil enim accedit Deo, aut accedere poteſt ex productione creaturarum, ſed omne commodum, & vtilitas, quæ conſequitur productionem creaturarum, redundat in ipſaſmet creaturas; hoc autem pertinet ad amorem complacentiæ, ex communi doctrina. Præterea amor concupiſcentiæ, ideò dicitur, quod expetat ſibi ipſi bonum aliquod, quod in eo deſideratur: hæc autem de Deo dici nullo modo poſſunt.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm velit Deus alia à ſe neceſſariò.

1. Dubitandi ratio.

QVÆRVNT hoc loco interpretes ſancti Thomæ, qua ratione Deus velit ſeipſum, poſſibilia, vt poſſibilia, & denique creaturas. Ratio dubitandi eſt, quia eſſentia diuina cenſetur eſſe formaliter libera, & modus agendi perfectiſſimus cenſetur eſſe is, qui cum libertate coniunctus eſt: ergo vult Deus ſeipſum liberè; item poſſibilia, & denique creaturas quas producit. Deinde, nihil eſt volitum à Deo quod non habeat in ſe bonitatem aliquam; eſt enim bonum obiectum voluntatis: at in poſſibilibus, vt poſſibilia ſunt, nulla datur bonitas: ergo non vult Deus iſta.

Deus vult ſeipſum neceſſariò.

CONCLVSIO 1. *Deus vult ſeipſum neceſſariò.* Primùm, quia quælibet operatio Dei ad intrà cenſetur eſſe ſimpliciter neceſſaria; hæc quippe eſt eiuſdem planè rationis cum eſſentia diuina; at actus, quo Deus vult ſeipſum computatur inter operationes Dei ad intrà, non quidem quaſi per eum aliquid intrà Deum producatur, ſed quia verè datur in Deo volitio per quam vult ſeipſum.

1.

2. Deinde, volitio iſta eſt ità coniuncta cum diuina eſſentia, vt ab ea ſeparari nequeat.

2.

3. Tertiò. Quælibet potentia neceſſitatur à ſuo obiecto adæquato, quotieſcumque proponitur potentiæ in ratione obiecti: at eſſentia diuina proponitur voluntati eiuſdem, ſub ea ratione, qua eſt ſimpliciter bona in omni ratione bonitatis: ergo neceſſitabitur voluntas diuina ab iſta eſſentia circa ſeipſam. Confirmatur. In tract. de beatitudine, propterea fatentur omnes voluntatem cuiuſlibet beati neceſſitari circa amorem diuinæ eſſentiæ, quòd eſſentia diuina proponatur voluntati cuiuſlibet in ratione boni, quod complectitur omne planè bonum: ergo illud idem erit dicendum de voluntate diuina reſpectu eſſentiæ diuinæ propoſitæ eidem.

3.

Neceſſitari non eſt hic cogi.

Cùm autem dicimus voluntatem diuinam neceſſitari ad actum volitionis eſſentiæ diuinæ, id non eſt ità intelligendum, quaſi velimus voluntatem diuinam cogi ad eliciendum huiuſmodi actum circa diuinam eſſentiam: fieri enim nequit vt aliquid cogatur, niſi exerceat actum ſuæ propenſioni & inclinationi naturali contrarium: voluntas autem Dei quando vult eſſentiam diuinam, non elicit actum contrarium ſuæ propenſioni naturali, ſed quàm maximè conuenientem eidem: nihil enim eſt magis connaturale voluntati, quàm velle. Deinde, coactio quælibet debet eſſe à principio aliquo extrinſeco, omnium planè conſenſu: at nihil eſt quod poſſit cogere Deum ad aliquid operandum, omnia enim à Deo pendent & in eſſe, & in fieri, & in conſeruari, Deus autem à nullo pendet, neque pendere poteſt, cum ſit prima cauſa: neceſſitatur ergo voluntas diuina ad eliciendum actum volitionis circa diuinam eſſentiam, hoc ſolo nomine quod non poſſit, non elicere eiuſmodi actum; idque quòd principium productiuum huiuſmodi actus eſt definitum, & determinatum ad vnum; & quidem ità vt actum hunc intermittere nullo modo poſſit propter hanc cauſam vocatur neceſſitas iſta ineuitabilis, ſeu (vt alij loquuntur) neceſſitas ineuitabilitatis, non autem coactionis.

A CONCLVSIO 2. *Voluntas diuina vult poſſibilia, vt ſunt poſſibilia neceſſariò.* Primùm, quia dicunt hæc neceſſariam connexionem cum diuina eſſentia. Deinde, prius eſt aliquid eſſe poſſibile, quàm de facto producatur. Tertiò, omnipotentia diuina nequit intelligi ſine poſſibili; vt poſſibile eſt: dicit enim omnipotentia diuina tendentiam aliquam ad poſſibile, veluti in ſuum obiectum; at omnipotentiam vult Deus neceſſariò: ergo. *Deus vult poſſibilia vt ſunt poſſibilia.*

CONCLVSIO VLTIMA. *Creata omnia vult Deus liberè, non autem neceſſariò ſimpliciter, ſed tantùm ex hypotheſi:* ità D. Thom. hoc loco, & omnes interpretes eiuſdem. Deinde, poteſt Deus longè plura, quàm velit actu, vt conſtat ex cap. 3. Luc. *Potens eſt Deus ſuſcitare filios Abrahæ de lapidibus iſtis* & Matth. 26. *An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Neutrum tamen ex iſtis præſtitit aliquando, aut facturus eſt Deus: argumento igitur eſt propterea Deum produxiſſe tantùm res iſtas creatas, quod libere ſe determinauerit ad iſtarum rerum productionem. Tertiò, ſi Deus ageret neceſſariò ad extra (vt voluit Ariſtoteles ex mente multorum philoſophorum) ſequeretur Deum produxiſſe illud omne quod potuit producere; quod enim operatur neceſſariò, tantum agit, quantum agere poteſt: at ex locis proximè citatis Scripturæ conſtat Deum longè plura poſſe, quàm velit actu. Denique, ſi Deus non operaretur liberè extra ſe, nulla daretur libertas in eo formaliter loquendo; nam ad intrà certum eſt Deum operari neceſſariò: ergo cum libertas neceſſariò ſit admittenda intrà Deum (eſt enim hæc perfectio ſimpliciter ſimplex) ſtatuendum erit Deum velle res iſtas creatas liberè, & ad ſummù neceſſitate hypothetica, ſtante videlicet hac hypotheſi, quòd creaturas aliquas de facto produxerit. *Deus vult creata liberè, non neceſſariò.* Luc. 3. v. 8. Matth. 26. verſ. 53. *Error Ariſtotelis ex veteri ſententia.*

Ad rationes verò dubitandi reſp. Ad 1. eſſentiam diuinam eſſe intrinſecè liberam, & item neceſſariam, ac proinde concedendum eſſe de vna, & eadem numero entitate diuina, quòd ſit ſimpliciter neceſſaria, & præterea ſimpliciter libera. Ad id verò quod dicitur modum operandi liberè eſſe præſtantiſſimum. Reſp. perfectionem alicuius rei non eſſe deſumendam ex eo quod operetur liberè tantùm, aut neceſſariò, aut vtroque modo ſimul; ſed multò magis ex eo quod poſſit hæc res attingere omnia, & ſingula obiecta, quæ pertinent ad potentiam, quam in ſe habet: quoniam ergo potentia diuina, vel potius principium operandi eiuſdem, & eſt ad vnum determinatum, & præterea indeterminatù ad multa, ideò voluntas diuina aliqua vult neceſſario, nempe ſi ſermo ſit de his, quæ vult intrinſecè; aliqua verò liberè, ſi ſermo ſit de his quæ vult extra ſe. *Enacuãtur rationes dubitandi.*

Ad vltimam reſp. obiectum voluntatis diuinæ eſſe bonum, ac proinde velle Deum neceſſario ſuam bonitatem; idque quòd docuerimus voluntatem Dei neceſſitari ad intrà: poſſibilia tamen vt poſſibilia ſunt vult etiam Deus neceſſario, quia dicunt neceſſariam connexionem cum ſua eſſentia, licèt in iſtis nulla detur actualis ſeu realis bonitas, quia tamen datur bonitas aliqua poſſibilis, ideo voluntas diuina vult hæc poſſibilia, non quidem voluntate efficaci, ſeu practica (vt loquuntur) ſed tantùm ſufficienti, aut inefficaci.

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

An voluntas Dei ſit cauſa rerum.

Voluntas Dei eſt cauſa rerum.

DVo habet hoc loco D. Thom. documenta. Primum eſt, voluntatem Dei eſſe cauſam rerum, de qua nulla poteſt eſſe difficultas; dicitur enim pſal. 113. *Quæcumque voluit Dominus fecit,* & 148. *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Sap. 11. *Quomodo permaneret aliquid niſi tu voluiſſes?* Loquitur autem Sapiens de Deo, & Epheſ. 1. *Omnia operatur Deus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Pſal. 148. verſ. 5.

Sap. 11. verſ. 26.

Epheſ. 1. verſ. 11.

Deinde, voluntas diuina non minùs eſt regula operationum eius ad extra, quàm ſit voluntas creata reſpectu hominis & angeli: at certum eſt voluntatem in hominibus & angelis regulare quaſlibet actiones humanas, & angelicas: maior nititur hoc principio, quod Deus ſit agens per intellectum, ac proinde ex cognitione finis, ex illo Sap. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt.*

Tertiò, ex ſacris literis habemus Deum diligere res iſtas creatas, Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum,* 1. Theſſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* & apud Sap. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti, diligis omnia quæ ſunt:* atqui non poteſt Deus diligere res iſtas creatas, niſi exerceat aliquem actum voluntatis, per quem voluerit prius producere creaturas iſtas; nam nequit Deus diligere quidpiam verè, & de facto, niſi detur in hoc ratio boni, quæ tamen non poteſt dari, in vlla planè re, niſi dependenter à voluntate diuina, idque quòd quælibet res creata ſit ens per participationem, ac proinde pendeat ab ente increato intrinſecè. Ità communiter interpret. S. Tho. hoc loco.

Ioan. 3. verſ. 16.

1. Theſſal. 4. verſ. 3.

Voluntas liberè operans Dei eſt rerum cauſa.

Secundum documentum eſt, Deum eſſe nedum cauſam creaturarum per ſuam voluntatem, liberè operantem. De veritate autem iſtius documenti nullus ſupereſt dubitandi locus; eſt enim concedendum de Deo, quòd ſit formaliter, & intrinſecè liber inter operandum: at Deus non eſt liber in ſuis operibus ad intrà: ergo debet eſſe liber in ſuis actionibus ad extra. Deinde, ſi voluntas diuina eſſet cauſa rerum creatarum ſponte, & voluntariè tantùm, non autem liberè, ſequeretur Deum produxiſſe illud omne, quod poteſt producere: nam quod ſponte tantùm, & voluntariè operatur, agit neceſſario: certum autem eſt Deum longè plura poſſe producere, quàm de facto produxerit, ex locis citatis articulo proximè anteced. ita communiter omnes.

ARTICVLVS QVINTVS.

An voluntati Dei poſſit aſſignari cauſa aliqua.

DVBITATIO PRIMA.

An voluntati diuinæ poſſit aſſignari cauſa aliqua, vel ratio, reſpectu illius actus, quo voluit producere creaturas.

Nulla datur actui voluntatis cauſa.

CONCLVSIO 1. *Illius actus, quo Deus voluit producere creaturas nulla datur, neque dari poteſt cauſa intrà Deum.* Primùm, quia quælibet cauſa efficiens diſtinguitur realiter à ſuo effectu; eſt enim commune axioma Theologicum vſurpatum à D. Auguſt. frequentiſſ. in libris de Trinit. idem non poteſt ſeipſum producere: at actus quo Deus voluit creaturas eſt idem planè realiter, & formaliter cum voluntate diuina, & item cum eſſentia: ergo.

Auguſtin.

Idem non poteſt ſeipſum producere.

Deinde, cauſa definitur id ad cuius eſſe ſequitur aliud; at abſoluta intrà Deum multiplicari non poſſunt: actus item quo Deus voluit producere creaturas, eſt res abſoluta intrà Deum: ergo.

Datur aliquod motiuum, ſeu ratio illius actus quo Deus voluit producere creaturas intrà ipſum.

CONCLVSIO 2. *Illius actus, quo Deus voluit producere creaturas, datur aliqua ratio intrà Deum.* Primo, quia Deus eſt agens per intellectum, ac proinde produxit creaturas in ordine ad finem aliquem, vt conſtat ex illo ſupra citato Sap. 16. ergo bonitas diuina, ſeu (quod idem eſt) manifeſtatio diuini boni, eſt ratio, quæ mouit Deum ad creaturas producendas. Confirmatur. Qui vult media propter finem, hic mouetur ad agendum ex motiuo aliquo, ac conſequenter ſuæ motionis datur aliqua ratio.

Deinde, Deus vult creaturas propter ſemetipſum, & ordinat illas in ſeipſum: ergo. Denique, D. Thomas docet verbis expreſſis hoc loco. Deum velle vnum propter aliud, quod idem eſt ac ſi diceret, inter actus diuinæ voluntatis reperiri ordinem aliquem propter obiecta, ad quæ terminantur actus iſti diuinæ voluntatis: ergo, vnus actus poterit eſſe ratio alterius, quemadmodum & vnum attributum diuinum poteſt eſſe ratio alterius attributi: ità Pelant. & Molina ad hunc art. Sancti Thomę.

DVBITATIO SECVNDA.

An voluntas diuina determinetur per aliquid in ſuis actionibus exercendis & quid ſit illud a quo determinatur.

Rationis aduerſa partis.

SVNT qui putent voluntatem diuinam determinari in ſuis actionibus ad extra per intellectum, idque quòd voluntas diuina ad extra ſit indefinita, & indeterminata ad agendum, vel non agendum; debet autem determinari per potentiam determinatam, qualis eſt intellectus diuinus. Deinde ex ſacris literis habemus Deum omnia operari ex præſcripto rectæ rationis, ad Epheſ. 1. *Omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Denique, Deus facit ſemper quæ meliora ſunt: ergo ad id ab aliquo debet determinari.

Voluntatem diuinam in actionibus ad extra ſufficienter, tantùm intellectus determinat.

CONCLVSIO. *Intellectus determinat voluntatem diuinam in actionibus ad extra tantùm ſufficienter;* terminat.

Digitized by Google

Hæc communiter aſſeritur ab omnibus, & quidem meritò; nam voluntas tunc temporis determinatur ſufficienter, quotieſcumque proponitur ei obiectum cum omnibus conditionibus quæ poſſunt eam mouere ad agendum, vel non agendum, ex communi doctrina; atqui intellectus proponit voluntati diuinæ obiectum eiuſdem, & quidem cum omnibus conditionibus, quæ eam mouere poſſunt ad acceptandum illud, vel reſpuendum: Certum enim eſt voluntatem eſſe cæcam, neque aliter fieri præſens ei ſuum obiectum, quàm per actum intellectus: ergo.

Deinde, ex doctrina Sancti Thom. hoc loco voluntas diuina vult illud omne, quod agit regulariter, ſeu (quod idem eſt) vult media propter finem, finem verò propter ſemetipſum; atqui ſolus intellectus cognoſcit media vt media, & item finem vt finis eſt: ergo determinabitur ſufficienter voluntas diuina ab intellectu diuino.

Voluntas diuina, determinat ſeipſam efficaciter.

CONCLVSIO 2. *Voluntas diuina determinat ſeipſam efficaciter in ſuis omnibus actionibus ad extra; minimè verò ab vllo alio.* Primùm, quia idem eſt iudicium de voluntate increata, quod de creata reſpectu operationum liberarum: at voluntas creata determinat ſeipſam in omni actione libera, quam exercet, ex tractat. de libero arbitrio.

Deinde, de ratione cuiuſcumque cauſæ liberæ eſt, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſit agere, & non agere: Deus autem eſt quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extra.

Tertiò, voluntas diuina non minùs eſt domina ſuarum operationum, quàm ſit voluntas creata; at voluntas creata ideò dicitur domina ſuarum operationum quòd liberè ſe determinet in ſuis actionibus exercendis.

Denique, nihil eſt quod poſſit neceſſitare voluntatem præter obiectum adæquatum eiuſdem, propoſitum in ratione obiecti, & potentiæ, vt communiter docent omnes in tractatu de libero arbitrio, & in diſp. de beatitudine. Propterea enim docent voluntatem cuiuſlibet beati neceſſitari circa amorem diuinæ eſſentiæ, quòd hæc complectatur in ſe omne bonum, & quòd eadem innoteſcat mentibus beatorum prout in ſe eſt; atqui nihil eſt extra diuinam eſſentiam quod poſſit habere rationem cuiuſlibet boni, vt eſt per ſe notum; ergo ſi nihil datur extra Deum, nec dari poteſt quod neceſſitet voluntatem diuinam ad aliquid operandum, voluntas diuina in actionibus ad extra ſeipſam determinabit ad operandum.

Reſpondetur ad argumenta.

Ad rationes verò authorum contrariæ ſententiæ Reſp. 1. Ad 1. voluntatem diuinam cenſeri indeterminatam reſpectu operationum ad extra, non quòd deſideretur in voluntate diuina aliqua perfectio; ſed quia in poteſtate voluntatis diuinæ eſt liberè determinare ſe ad agendum, vel non agendum; non eſt autem neceſſe voluntatem diuinam determinari ab intellectu diuino efficaciter: idque quòd de ratione cuiuſlibet cauſæ liberæ ſit ſeipſam determinare.

1.

2. Reſpond.

Reſp. 2. probari tantùm voluntatem determinari ab intellectu ſufficienter, non autem efficaciter; determinatur autem voluntas efficaciter quotieſcumque de facto acceptat obiectum ſibi propoſitum ab intellectu, aut certè quotieſcumque vere obiectum huiuſmodi reſpicit.

Ad 2.

Ad 2. Deum operari ex præſcripto rectæ rationis illud omne, quod agit ad extra, ceterum non ex ſolo præſcripto rectæ rationis, nam deſideratur præterea aliquis actus diuinæ voluntatis, quo vult de facto producere illud quod recta ratio dictat eſſe producendum: propter hanc quippe cauſam docet Sanctus Thom. art. 8 quæſt. 14. huius partis & interpretes eiuſdem ibidem omnes, ſcientiam Dei, non quamlibet ſed practicam, aut approbationis (vt alij loquuntur) eſſe cauſam rerum omnium, quæ ſunt, aut fuerunt, aut certè futuræ ſunt in certa temporis differentia.

Ad vlt.

Ad vltimam. Deum facere ſemper quæ meliora ſunt, non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed reſpectu poſſibilium: Certum enim eſt primo die creaſſe cælum & terram, vltimo verò creaſſe hominem, & tamen indubitatum eſt, hominem multis partibus perfectiorem eſſe cœlis, & item terra. Comparate tamen adpoſſibilia facit Deus ſemper quæ ſunt meliora, quoniam nulla datur bonitas actualis in poſſibilibus: bene tamen in omni re de nouo producta quantumuis minima.

ARTICVLVS SEXTVS.

Virùm voluntas Dei ſemper impleatur.

DOCET D. Thom. voluntatem Dei ſemper impleri. Circa quod tres ſunt præcipuæ difficultates.

1. Ratio dub.

Prima eſt. Scripturæ ſacræ nihil frequentius inculcant, quàm Deum velle ſalutem quorumcumque mortalium; iuſtificationem item à peccatis; dicitur enim 1. Timoth. cap. 1. *Vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.* Matth. 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos* &c. & in veteri Teſtamento, *Nolo mortem peccatoris*, &c. at certum eſt nec omnes iuſtificari nec conſequi remiſſionem omnium peccatorum, ac proinde neque ſaluari, imò dicitur Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

1. Tim. 1. v. 4. Mat. 15. v. 24. Mat. 23. v. 37. Ezech. 18. v. 32. Mat. 25. v. 41.

2. Ratio.

Secunda eſt. De Deo dicitur quod non velit iniquitates vllas fieri, pſal. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Deinde propter hanc cauſam præcipit ſua mandata ſtrictiſſimè ſeruari; imò indubitatum eſt Deum velle ſua mandata obſeruari, & tamen pauciſſimi ſunt, qui obſequantur ei hac in re.

Pſal. 5. v. 5.

3. Ratio.

Tertia & vltima eſt. Docent patres, itemque Scholaſtici omnes Deum concurrere cum rebus, neceſſarijs neceſſariò; cum contingentibus contingenter; & cum liberis, liberè: ergo vult Deus concurrere cum voluntate creata ad hoc vt creatura operetur contra voluntatem Dei.

Duplex in Deo datur voluntas.

Aduerte in Deo dari duas voluntates; antecedentem ſcilicet & conſequentem. Prima cenſetur eſſe ille actus, quo Deus vult omnibus, & ſingulis mortalibus ſpectatis abſolute, & ſimpliciter, ſecundùm ſuam naturam præſcindendo ab omnibus circumſtantijs, dare vitam æternam: poſterior verò eſt ille actus voluntatis diuinæ, quo vult certis quibuſdam perſonis dare vitam æternam; ceterùm ſpectatis nedum abſolutè, & ſimpliciter, ſed cum his, & iſtis circumſtantijs. Ità communiter omnes Sententiarij in 1. diſt. 46. & Thomiſtæ hoc loco. Prima voluntas nuncupatur alio nomine voluntas ſigni: poſterior verò voluntas beneplaciti. De prima fatentur omnes quòd ſit inefficax, idque quòd nuſquam ſuos conſequatur

Quæ ſit voluntas antecedens, & conſequens.

Voluntas ſigni & voluntas beneplaciti.

ſequatur effectus: de poſteriori verò concedunt omnes quòd ſit efficax, eò quòd ſemper adimpleatur, & ſuos effectus obtineat.

Voluntas conſequens, ſeu beneplaciti ſuos ſemper ſortitur effectus. Iſai. 46. v. 10. Idem. 55. v. 11. Pſal. 134. v. 6. Eccl. 8. v. 3. Iob. 23. v. 13. Daniel. 4. v. 32. Rom. 9. v. 19. Damaſcen. D. Auguſt. Chryſoſt. Ambroſ. D. Thom. *Rationes.*

CONCLVSIO 1. *Voluntas diuinas conſequens ſemper ſuos producit effectus.* Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* & cap. 55. *Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui.* & pſal. 32. & 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt,* pſal. 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Eccleſ. 8. *Omne quod voluerit faciet, & ſermo eius poteſtate plenus eſt.* Iob. 23. *Nemo auertere poteſt cogitationem eius, & anima eius quodcumque voluit, hoc fecit.* Daniel. 4. *Juxta voluntatem ſuam faciet, & non eſt qui reſiſtat manui eius.* Et denique Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtet?* Subſcribunt Sancti Patres, Damaſc. 2. de fide, cap. 29. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit, nec voluntati eius qui reſiſtat, vllus eſt fieri omnia voluit, & facta ſunt. Vult mundum conſiſtere atque conſeruari, & conſiſtit: denique quicquid vult efficitur.* D. Auguſtinus 1. de Trinitat. cap. 14. Chryſoſt. ad cap. 2. prioris ad Timoth. & ad cap. 1. Epheſ. Ambroſ. ibidem & ceteri patres. D. Thomas hoc loco, & Sentent. diſt. 46. lib. 7.

Accedit ratio. Voluntas conſequens diuina, eſt idem cum omnipotentia; at omnipotentia diuina coniuncta cum voluntate efficaci eiuſdem, producit illud omne, quod poteſt producere; eſt enim voluntas diuina regula actionum diuinarũ.

Deinde, ſi voluntas conſequens diuina non ſemper ſortiatur ſuos effectus, ſequeretur Deum non eſſe ſimpliciter omnipotentem, non enim produceret de facto illud omne quod vellet efficaciter producere, ac proinde ſequeretur aliqua triſtitia intrà Deum; experientia quippe quotidiana docet triſtari nos quotieſcumque effectus concupitos aſſequi minimè poſſumus; de Deo autem affirmari nequit, vel quòd ſit impotens, vel quòd triſtitiam aliquam poſſit experiri.

Voluntas diuina antecedens non impletur. Ezech. 24. v. 13. Idem 18. v. 23. Idem 33. v. 11. Prouer. 1. v. 24.

CONCLVSIO 2. *Voluntas antecedens diuina non impletur.* Hæc probatur ex innumeris locis ſcripturæ ſacræ, Ezechiel. 24. *Volui te mundare, & non es mundata à ſordibus.* & cap. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij?* & Et cap. 33. *Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur, & viuat:* & tamen certum eſt non omnes impios conuerti, neque item conſequi vitam æternam, & Prouerb. 1. *Vocaui & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret.* & Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos: & tamen neutra ex iſtis voluntatibus diuinis habuit effectum.

Deinde, voluntate antecedente præcipit Deus obſeruationem ſuorum mandatorum, & conſequenter vult per iſtam voluntatem nulla planè peccata committi; nihilominùs certum eſt, nec mandata ſeruari ab omnibus, nec item peccata quælibet vitari.

Tertiò, tota ratio, cur voluntas diuina conſequens ſemper ſuos attingat effectus, hæc aſſignatur ab omnibus, quòd voluntas conſequens diuina ſit ſimpliciter efficax, at voluntas antecedens non eſt efficax ſed tantùm ſufficiens: ergo. Confirmatur. Voluntas Chriſti antecedens, ſeu (quod idem eſt) inefficax nullum habuit in eo effectum, hac quippe voluntate voluit non mori, ex communi doctrina, & item quorumcumque hominum ſalutem, quid igitur, mirum, ſi voluntas antecedens diuina, cùm ſit inefficax ſuos minimè conſequatur effectus? Ita S. Thom. hoc loco, & interpretes eiuſdem.

Aduerte voluntatem conſequentem, & antecedentem in Deo, ſeu (quod idem eſt) intrà diuinam eſſentiam, nulla ratione inter ſe diſtingui, ſunt enim idem omnibus modis cum eſſentia diuina; diſtinguuntur ergo inter ſe in ordine tantùm ad volita à Deo: ità communiter Sentent. loco proximè citato, & diſt. 45. lib. 1.

Diſcutiuntur difficultates in principio poſitæ. Ioan. 1. v. 9.

Ad 1. verò difficultatem, multi multa reſpondent. Primò, Magiſter diſtinct. 46. lib. 1. putat teſtimonium hoc Pauli, *Deus vult*, &c. intelligendum eſſe non poſitiuè, ſed negatiuè: ità vt ſenſus ſit neminem ſaluari, niſi Deus voluerit iſtum conſequi ſalutem, illa eadem ratione, qua explicatur ab alijs nonnullis locus hic Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem* &c. non enim ſenſus eſt, omnes homines venientes in hunc mundum illuminari in ijs, quę ſunt gratię, & fidei Catholicę à Deo; ſed ſenſus eſt, neminem planè inter mortales peruenire ad cognitionem fidei, & ad conſecutionem gratię, niſi hoc factum fuerit Deo volente.

Variè explicatur D. Paul. 2. *Explicatio.*

Alij verò reſpondent 2. teſtimonium hoc Pauli intelligendum eſſe de generibus ſingulorum, non autem de ſingulis generum, ità vt ſenſus ſit ex omni natione, quæ ſub cælo eſt Deum velle aliquos conſequi ſalutem, non autem omnes, & ſingulos in particulari; illa eadem ratione qua dicitur Luc. 11. *Væ vobis, qui decimatis mentam, & rutam, & omne olus.* Certum autem eſt Iudæos non decimaſſe quamlibet herbam in particulari, alioquin omnia traxiſſent ad ſeipſos, ſed tantùm collegerunt decimas ſacerdotes Iudæorum, ex quolibet herbarum genere. Luc. 11. v. 42.

Alij 3. volunt locum Pauli intelligendum eſſe de ſolis prædeſtinatis, ità vt ſenſus ſit, Deum velle omnium prædeſtinatorum ſalutem. 3.

Alij reſpondent 4. verba Apoſtoli intelligenda eſſe cauſaliter, non autem formaliter, & actu, vt ſenſus ſit, Deum velle ſalutem cuiuſlibet mouendo, & incitando vnumquemque priuatum hominem ad expetendam propriam ſalutem, ac proinde explicant hunc locum Pauli, illo eodem modo, quo & verba iſta Rom. 8. *Quid oremus, ſicut oportet neſcimus: Spiritus ſanctus eſt qui poſtulat pro nobis.* qui facit nos interpellare. Cęterùm nulla ex iſtis reſponſionibus aliquid dicit: nam ex cap. 2. 1. Canõ. Ioan. conſtat Chriſtum de facto ſatiſfeciſſe pro peccatis quotumcumque mortalium, nullo planè excepto, in particulari. *Ipſe* (inquit) *eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed & totius mundi.* 4. Rom. 8. v. 26. *Prædictæ ſolutiones non ſunt ſatis cõgruæ.* 1. Ioan. 2. verſ. 2.

Deinde, de Chriſto dicitur, quòd venerit ad tollenda quęlibet peccata, & ad ſaluandos quoſcumque peccatores Luc. 19. *Venit filius hominis quærere & ſalvum facere, quod perierat.* & Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* & apud Paulum; *Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundauit & gratia, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Luc. 19. verſ. 10. Matth. 15. verſ. 24. Rom. 5. verſ. 20. 1. Cor. 15. verſ. 22.

Tertiò, mittuntur Apoſtoli in vniuerſum mundum indiſtinctè ad hoc vt myſteria fidei Chriſtianę quibuſuis gentibus euangelizẽt Marc. & Matth. vltimo. *Euntes in vniuerſum mundum prædicate euangelium omni creaturæ.* Denique Sancti patres docent Deum de facto velle ſalutem cuiuſlibet hominis in particulari, voluntate antecedente: ita Chryſoſt. Damaſc. & alij multi locis ſupra citatis. Marc. vltimo v. 15. Chryſoſt. Damaſc.

Digitized by Google

Alij denique reſpondent Deum velle omnium ſalutem non quidem abſolutè & ſimpliciter, ſed cum conditione: putà ſi quilibet velit propriam ſalutem, ac proinde vult Deus omnium planè mortalium ſalutem ſuppoſitâ voluntate creaturæ, & præintellecta eadem à Deo Opt. Max.

Refellitur. Verùm neque iſti videntur ad veritatem acceſſiſſe; nam Rom. 9. verbis expreſſis dicitur de Iacob quòd fuerit electus ad vitam æternam efficaciter, ſine vlla dependentia, ab aliquo actu voluntatis eiuſdem, *Cùm* (inquit) *nondum nati eſſent, vel aliquid boni, vel mali feciſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Deinde Sap. 4. dicitur de quodam adoleſcente quòd fuerit ſublatus, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio oculi deciperet animam illius: ac proinde nullo expectato aſſenſu voluntatis eiuſdem, vult Deus iſtius ſalutem. Denique de Tyrijs, & Sidonijs dicitur Matth. 11. *Væ tibi Bethſaida, væ tibi Chorozaïm, quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent olim virtutes, quæ in te facta ſunt, egiſſent pœnitentiam.* Non potuit autem Deus expectare voluntatem Tyriorum, & Sidoniorum reſpectu iſtius pœnitentiæ, quia nuſquam eſt futura, & tamen aſſerit Chriſtus homines iſtos de facto acturos eſſe pœnitentiam, ſi miracula quę facta fuerant in Chorozaïm, & Bethſaida celebrata fuiſſent apud iſtos: ergo modus ille explicandi non eſt efficax.

Rom. 9. v. 11.

Mat. 11. v. 21.

Reſponſ. authoris. Reſp. ergo, Deum velle omnium planè ſalutem, nullo excepto in particulari, voluntate tamen antecedente: ita Damaſc. lib. 2. de fide cap. 29. & Chryſoſt. ad cap. 1. Epheſ. & recentiores tum Scholaſtici plerique, tum interpretes loci illius Pauli. Accedit ratio: Scripturæ ſemper ſunt ad literam intelligendæ, niſi ex eis ſequatur aliquid abſurdum ex regula communiſſima D. Auguſtini apud omnes recepta; at Scripturę manifeſtè dicunt Deum velle omnes omnino mortales ſaluari: ergo.

Obiect. Reſp. Dices, ex iſtis colligi voluntatem Dei non ſemper impleri. Reſp. hoc eſſe veriſſimum; non eſt autem abſurdum fateri omnem Dei voluntatem non adimpleri, ſed tantùm abſurdum eſt affirmare voluntatem Dei conſequentem non ſemper habere ſuum effectum: idque quòd hæc ſemper ſit efficax; voluntas autem antecedens diuina ideò ſuos effectus non conſequitur, quòd hæc ſit inefficax.

2. Difficultatis reſolutio. Secunda verò difficultas poſtulat explicationem illius dubitationis, contra quam voluntatem fiant peccata, quæ quotidie committuntur ab hominibus.

Reſp. 1. hæc peccata minimè fieri contra voluntatem Dei conſequentem: nam voluntas hæc ſemper impletur, ac proinde non poteſt dici de illa quòd nolit peccata fieri.

Quî fiat peccatum contra voluntatem Dei. Reſp. 2. peccata hæc non fieri ſecundùm iſtam voluntatem: nam obiectum voluntatis conſequentis, & item antecedentis eſt bonum, omnium plane conſenſu: peccatum autem quantumuis minimum nequit vllam habere rationem boni. Denique hortatur nos quotidie Deus, vt abſtineamus à peccatis. Non eſt tamen negandum, quin peccata iſta poſſint dici fieri præter voluntatem Dei conſequentem, illo eodem modo, quo communiter fatentur Theologi veniale peccatum, nec eſſe contra legem Dei, nec ſecundum legem eiuſdem; ſed tantùm præter legem.

Reſp. 3. peccata iſta fieri contra voluntatem Dei antecedentem. Deus enim per iſtam voluntatem, vult quibuſuis hominibus dare vitam æternam, & item media neceſſaria ad iſtam aſſequendam, at peccatum quodlibet mortale impedit hominem à conſequutione vitæ æternæ, & peccatum veniale ſimiliter, licèt non priuet hominem gratia.

Obiectio. Dices, peccata quotidie committi ab hominibus infinita, argumento igitur eſt Deum velle peccata iſta fieri; nam ſi Deus nollet nulla committerentur. Reſp. ex eo quòd peccata quotidie committantur à mortalibus, ſolùm poſſe colligi, velle Deum permittere peccata, non autem de facto velle vlla peccata; nam voluntas nequit ferri circa aliquod quod non habet rationem ſui obiecti, obiectum autem voluntatis diuinæ imò & creatæ cenſetur eſſe tantùm bonum, cuius ratio nequit reperiri in vllo planè peccato: propterea enim Deus permittit peccata, quia ex iſtis elicit quamplurima bona. Deinde, quia ordo ſuauis diuinæ prouidentiæ poſtulat, vt patiatur Deus quamlibet cauſam operari conformiter ſuæ naturæ: inter autem res creatas datur rationalis, quæ, ex ſe, & ſua natura poſtulat vt operetur liberè, vndè poteſt hæc liberè ferri in bonum & in malum.

Reſponſ.

Inſtantia. Inſtabis, nedum Deum velle permittere peccata, ſed etiam vere ea velle; nam propterea dicitur velle quorumcumque hominum ſalutem, quia vult iſtis omnibus dare media per quę poſſint conſequi vitam æternã; at ſimiliter dat Deus cuilibet homini voluntatem liberam per quam poteſt peccare, & quidem ità infallibiliter, vt ſinè ſpeciali Dei auxilio, nullus planè ſit, qui omnia, & ſingula peccata vitare queat: ergo.

Satisfit inſtantiæ. Reſp negando illationem antecedentis, non enim eſt par ratio inter media, quæ Deus dat homini vt vitam æternam habeat, & peccata quæ conſequuntur liberam hominis potentiam; nam media per quæ quis conſequitur vitam æternam vel poteſt conſequi, ſunt in ſe verè, & realiter bona, vnde poſſunt eſſe obiectum voluntatis diuinæ: peccata verò quæ conſequuntur voluntatem liberam creatam, nullam habent in ſe rationem boni moralis, ideòque non poteſt Deus hæc vlla ratione velle. Deinde, licèt Deus conferat voluntatem liberam cuilibet homini, non tamen poteſt vlla ratione eſſe author peccati, quod committitur à nobis per iſtam voluntatem liberam: nam peccatum hoc, pendet à voluntate noſtra in ratione cauſæ deficientis, non autem efficientis: Deus autem deficere nullo modo poteſt, eſt enim intrinſecè & eſſentialiter rectitudo, & ſumma perfectio. Tertiò, peccata quęlibet ſunt à voluntate creata in ratione cauſæ moralis; ità vt debeatur iſtis peccatis pœna aliqua, & item vituperium; certum autem eſt Deum non poſſe ſubire pœnam aliquam, aut vituperium: imò indubitatum eſt Deum non eſſe cauſam moralem reſpectu actuum humanorum. Denique, ex doctrina Diui Thomæ peccatum cenſetur eſſe priuatio rectitudinis debitæ; Deus autem nequit eſſe cauſa alicuius priuationis culpabilis, ſaltem primò, & per ſe.

Deus non vult fieri peccata voluntate antecedente. Dico igitur Deum nolle vlla planè peccata fieri, voluntate tamen antecedente; quoniam enim hęc non eſt efficax ideo contingit hominem peccata quotidie committere contra iſtam Dei voluntatem. Deinde, hac voluntate præcipit Deus ſua mandata obſeruari, definitur autem peccatum,

Dictum

Digitized by Google

Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam: vnde & contra voluntatem Dei antecedentem.

Vltima difficultas diuimetur art. 8.

Ad vltimam difficultatem. Reſp. poſtulare explicationem illius dubij in quo quæritur, quî fiat vt libertas non deſtruatur in nobis, ex eo quòd Deus voluerit ex omni æternitate aliqua fieri à nobis in tempore? Ceterùm res hæc explicabitur articulo 8. huius quæſtionis.

Interea tamen dico ex iſta voluntate efficaci, ſeu conſequente diuina, ſolùm poſſe colligi creaturam rationalem facturam in tempore, id quod Deus voluit ab æterno; non quidem neceſſariò, ſed tantùm infallibiliter.

ARTICVLO 7. docet voluntatem Dei eſſe immutabilem: res iſta fuit explicata in quæſt. de immutabilitate Dei.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An voluntas diuina imponat rebus volitis neceſſitatem.

1. Sententia eſt affirmatiua.
D. Auguſt.
Bernard.

STOICI in eo fuerunt errore, vt crediderint omnia accidere fato, referente D. Auguſtino lib. 5. de Ciuit. cap. 9. idque quòd exiſtimarent omnia fieri ex decreto diuinæ voluntatis inter homines: placuit hic error Petro Abailardo, referente D. Bernardo contra eumdem, Ioanni VViclef, aſſerente Alphonſo à Caſtro, verbo, *Futurum contingens.* & Luthero in Apologia contra bullam Leonis X. Denique, Caluino lib. 1. ſuæ Inſtitutionis cap. 15. Argumenta autem quæ aliquid difficultatis in ſe continent, hæc proponuntur ab iſtis hæreticis.

Fundamenta hæreticorum.

1. Primum: Cauſa definita, & determinata ad vnum, determinatum quoque producit effectum, etiamſi operetur cum cauſa ſecunda & inferiore, præſertim quando cauſa iſta eſt ſimpliciter efficax, atqui voluntas diuina ex omni æternitate eſt determinata, & quidem efficaciter ad certos aliquos effectus producendos, cum creatura rationali: ergo effectus iſti erunt omnes determinati: ergo deſtruetur libertas in iſtis creaturis rationalibus, reſpectu ſaltem iſtorum effectuũ, ad quos producendos; ſe determinauit voluntas diuina ex omni æternitate.

2. Deinde, Deus ab æterno voluit mortem Chriſti, conuerſionem Pauli, iuſtificationem Magdalenæ, & boni Latronis, & denique Apoſtolorum prædicationem in toto orbe, & quidem ſinè vlla dependentia à voluntate Chriſti, Pauli, Magdalenæ, & Apoſtolorum: nam incarnatio Verbi cùm ſit ſimpliciter ordinis ſupernaturalis à voluntate Dei ſimpliciter, & abſolute pendet; & illud idem videtur dicendum de effectis alijs proximè explicatis: at non potuit Chriſtus non mori, Paulus item & Magdalena non potuerunt non conuerti, alioquin potuiſſet irritari diuinum decretũ: ergo.

Nota.

Aduerte poſſe peccare, non eſſe de ratione libertatis, Deus enim formaliter, & intrinſecè liber eſt, & tamen fatentur omnes impoſſibile eſſe Deum peccare, idque quòd impoſſibile ſit regulam deficere; Deus autem eſt ipſamet regula. Deinde, agentes in cœlis ſunt verè liberi libertate contradictionis, & tamen peccare non poſſunt; repugnat enim culpa quælibet quantumuis minima, cum ſtatu felicitatis æternę, vt communiter docetur in tract. de beatit. Tertiò, anima Chriſti tam verè fuit libera, quàm ſit anima cuiuſlibet noſtrùm, & tamen non potuit pro eo tempore, quo fuit in hac vita corpori vnita peccare, idque propter vnionem hypoſtaticam: aut (vt alij volunt) propter ſpecialia quædam dona ſibi diuinitus conceſſa. Poſſe ergo peccare eſt imperfectio quædam conſequens naturam, & eſſentiam libertatis creatæ; nulla quippe creatura rationalis datur, quæ in omni planè caſu poſſit vitare peccatum quodlibet ſinè ſpeciali Dei auxilio, vt docent omnes in tractat. de neceſſitate gratiæ: Indifferentia tamen ad agendum, vel non agendum eſt de intrinſeca ratione libertatis creatæ; nam fatentur de ratione libertatis eſſe, quòd poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſit agere, & non agere; ac proinde de voluntate qualibet aſſerendum eſt, quòd licèt in ſe ſit vna tantum modo facultas realis, eſt tamen virtute, & eminenter duplex; operatur enim interdum vt natura, id eſt, neceſſariò; interdum verò, vt ratio, id eſt, liberè.

Indifferentia ad agendum & nõ agendum eſt de intrinſeca ratione libertatis.

Deinde, propter hanc cauſam fatentur communiter omnes voluntatem eſſe dominam omnium ſuarum operationum; dominium autem hoc poſitum eſt in libertate ad agendum, & non agendũ.

Tertiò, concedunt etiam voluntatem, nedum imperare ceteris potentijs inferioribus, ſed etiam ſibi ipſi; ac proinde datur aliquid in voluntate, quod obſequitur, & aliquid quod imperat, non quidem verè, & à parte rei diſtinctum, ſed tantummodò ratione: hæc autem libertas reperitur in omni planè creatura rationali, & item in Deo, idque quòd radix libertatis ſit ratio. Ità communiter omnes in tractat. de libero arbitrio.

CONCLVSIO. *Voluntas diuina quantumuis efficax, non deſtruit libertatem in vlla planè creatura rationali, etiam reſpectu earum operationum, quas Deus voluit abſolutè, & ſimpliciter ab æterno producere in tempore cum illa.* Hæc eſt de fide, definita in Concil. Conſtant. ſeſſ. 8. contra Ioannem VViclef, & à Leone X. contra Luther. art. 36.

Voluntas diuina licet efficaciſſima non deſtruit libertatem.
Conſtant.

Deinde, poſita determinatione diuina de effectu aliquo producendo in tempore à creatura rationali, poteſt hæc abſolutè, & ſimpliciter non producere huiuſmodi effectum à Deo volitum ex omni æternitate, vt manifeſtè colligitur ex cap. 23 Matth. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti.* & Prouerb. 1. *Vocaui, & renuiſtis.*

Tertiò, ex illis locis in quibus dicitur voluntatem creatam eſſe dominam ſuarum operationum. Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Eccleſ. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Eccleſ. 15. *Appoſuit tibi ignem, & aquam, ad quod voluerit porrige manum tuam.*

Geneſ. 4. verſ. 7. Eccleſ. 31. verſ. 10. Idem 15. verſ. 17.

Quartò, inter adultos nullus iuſtificatur à peccato mortali, niſi interueniente aſſenſu libero eiuſdem, Ioann. 5. *Vis ſanus fieri?* ait Chriſtus ad paralyticum. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* & D. Auguſt. *Qui fecit neſcientem, non iuſtificabit niſi volentem.*

Ioa. 5. v. 6. Matth. 19. verſ. 17. D. Auguſt.

Quintò, data quacumque gratia, poteſt creatura rationalis liberè gratiam iſtam acceptare, vel reſpuere, vt definitum fuit in Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4.

Trident.

Sextò, concurrit Deus cum omni planè re creata iuxta naturam eiuſdem, ac proinde cum neceſſarijs neceſſariò; cum contingentibus contingenter, & denique cum liberis liberè.

Poſtremò, voluntas diuina abſoluta, etiam ſi

fuerit efficaciſſima, nihil tamen ponit intrà voluntatem creatam, tametſi velit per voluntatem iſtam creatam effectum à ſe volitum ex omni æternitate producere, cùm ſe habeat voluntas diuina extrinſecè ad voluntatem creatam.

Obiectio Dices, Deum infundere voluntati creatæ ſpecialem aliquam gratiam ad hoc vt producat effectum à ſe volitum; hæc autem gratia nuncupatur efficax communiter, quę illius naturę eſt vt infalliliter ſuos conſequatur effectus.

Solutio. Reſp. ſi ſermo ſit de effectis ordinis ſupernaturalis à Deo volitis ex omni æternitate, creaturam rationalem in tempore nullum ex iſtis effectis producere, niſi poſito ſpeciali Dei auxilio intrà voluntatem illius. Auxilium tamen hoc ſpeciale diuinum non neceſſitat ſimpliciter voluntatem creatam, ſed tantùm inducit infallibilitatem aliquam reſpectu effectus eius, idque quod auxilium hoc, licèt ſit efficax, concurrit tamen cum voluntate iuxta modum agendi connaturalem eiuſdem; eſt autem de ratione voluntatis operari liberè, quotieſcumque agit, vt ratio. Denique voluntas intrinſecè, & formaliter libera eſt: ergo non poteſt neceſſitari per voluntatem efficacem diuinam, alioquin deſtrueretur libertas. Ità D. Tho. hoc loco, & quæſt. 14. 22. & 23. huius partis, & omnes omnino interpretes eiuſdem ibidem.

Soluuntur argumenta hæreticorũ. 1. Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. effectum productum in tempore à voluntate creata, iuxta decretum diuinæ voluntatis æternum, poſſe comparari, vel cum voluntate creata, vel cum Deo: poſteriori modo certum eſt huiuſmodi effectum eſſe determinatum; ſupponimus enim Deum ex omni æternitate ſe determinaſſe ad productionem iſtius effectus, hoc, vel illo tempore: priori vero modo aſſerendum eſt de huiuſmodi effectu, quod ſit contingens: habet enim hic ortum à voluntate creata in cuius poteſtate eſt abſolutè, & ſimpliciter loquendo effectum iſtum producere, vel non producere: diximus enim voluntatem diuinam, licèt efficacem, nihil planè ponere intrà voluntatem creatam, ſed concurrere Deum cum qualibet re libera liberè.

2. Deinde, ex eo quòd Deus voluerit ab æterno, creaturam rationalem in tempore producere iſtum effectum, ſolùm ſequitur ſubordinatio cauſę ſecundę ad primam, ſubordinatio autem iſta non inducit neceſſitatem abſolutam in creatura rationali, ſed tantùm hypotheticam, aut (vt alij loquuntur) infallibilitatem effectus, quæ infallibilitas, aut etiam neceſſitas hypothetica ſtat perfectiſſimè cum libertate.

2. Argumentũ variè ſoluitur. Ad 2. Sunt qui reſpondeant Deum nuſquam determinare ſe ad aliquid volendum efficaciter dependenter à creatura rationali, niſi præuiſa determinatione voluntatis rationalis creatę, ac proinde non neceſſitari voluntatem creatam in ſuis actionibus, licèt velit Deus voluntate conſequente aliquid fieri à creatura.

Refellitur 1. reſponſio. Ceterùm iſtorum reſponſio non videtur ſatis tuta, ex cap. quippe 9. Rom. habemus Iacob fuiſſe prædeſtinatum à Deo ante præuiſionem determinationis voluntatis eiuſdem. Sap. item 4. dicitur de quodam adoleſcente, quòd raptus fuerit ne malitia mutaret intellectum eius: argumento igitur eſt Deũ velle aliquid fieri à creatura rationali in tẽpore nõ expectato aſſenſu voluntatis eiuſdẽ.

Vera ſolutio. Reſpondeo ergo quidquid ſit de hac re, Chriſtum potuiſſe mori, & non mori liberè, nedum ſecundùm circumſtantias ſuæ mortis; ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam eiuſdem, vt tractat. de incarnat. probabimus: illud idem dicendum eſt de Paulo, Magdalena, & alijs in argumento explicatis. Diximus enim ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. data quacumque gratia poſſe creaturam rationalem eam acceptare, vel reſpuere, ac proinde poteſt quilibet cõſentire diuinę inſpirationi, per quã excitatur ad eliciendũ actum conuerſionis. Ceterùm de iſtis redibit ſermo art. 13. q. 14. & 23. huius part.

Vt autem quę dicta ſunt, & quæ in ſequentibus circa prouidentiam, prædeſtinationem, & reprobationem hominum dicenda ſunt, melius intelligantur, ea quæ D. Thom. in 1. 2. quæſt. 10. de libertate noſtra, & quæſt. 111. de efficacia gratiæ tradere ſolet, explicabimus ibidem.

ARTICVLVS NONVS.

Virùm Deus velit peccata.

Deus permittit mala culpæ. Decet Deum nec per ſe, nec per accidens velle mala culpæ, bene tamen permittere, de qua re nulla poteſt eſſe difficultas; diximus enim obiectum voluntatis eſſe bonum; in malo autem culpæ, vt ſic, nulla datur bonitas, nec dari poteſt: permiſſio autem peccati rationem boni conſequitur; hęc enim nihil aliud eſt, quàm creatura ipſa rationalis, prout liberè ferri poteſt in malum, vel in bonum.

Deus vult mala pœnæ per accidẽs. Addit tamen S. Doctor Deum velle mala pœnæ per accidens, ſeu conſequenter: poſtulat quippe ordo æquitatis diuinæ, vt is qui peccatum aliquod commiſit experiatur quoque in ſe pœnas aliquas propter huiuſmodi culpam commiſſam. Vide de iſtis Molinam hoc loco.

Articvlo 10. docet in Deo dari liberum arbitrium, de qua re dicemus in tractat. de libero arbitrio.

Articvlo 11. diſtinguit voluntatem ſigni, ſeu antecedentem, à voluntate beneplaciti, ſeu conſequenti: de qua re hoc vnum ſupereſt explicandum præter ea quæ dicta fuerunt art. 6. huius quæſt. ſit igitur

DVBITATIO VNICA.

An voluntas ſigni, ſeu antecedens ſit aliquis actus verus, & realis in Deo, non minùs, quàm eſt voluntas conſequens, ſeu beneplaciti.

1. Sententia eſt negatiua. Gregorius Ariminenſis, Gabriel Biel, Trigoſius, & alij nonnulli in ea ſunt opinione, vt credant voluntatem antecedentem nullum planè ponere actum intrà voluntatem diuinam, ſed admitti voluntatem iſtam in Deo accommodatè tantùm ad noſtrum modum loquendi. Probant: quia ſi voluntas antecedens diceret in Deo verum & realem aliquem actum, ſequeretur dari in Deo imperfectionem aliquam; nam voluntas iſta antecedens nunquam ſuos conſequitur effectus: in Deo autem nulla planè datur imperfectio.

Probatio 1. Deinde, admittendæ eſſent voluntates cõtrarię in Deo; nam qui vult dare alicui vitam æternam, & non dat cùm poteſt, hic ſibi verè contrarius eſt, ſi detur in eo verus, & realis aliquis actus, per quem non vult de facto dare omnibus vitam æternam: at voluntate conſequente non vult Deus omnibus dare vitam æternam, ſed ſolis prædeſtinatis:

2.

Digitized by Google

natis: ergo. Denique, daretur in Deo deſiderium propriè, non enim haberet de facto id quod vult & expetit.

Voluntas antecedens eſt verus, & realis actus diuinæ voluntatis, non minus, quàm ſit voluntas conſequens.

CONCLVSIO. *Voluntas antecedens eſt verus, & realis aliquis actus diuinæ voluntatis, non minus, quàm ſit voluntas conſequens.* Primùm, quia ex ſacris litteris habemus Deum velle omnium planè ſalutem, 1. Timoth. 2. & Matth. 23 dicit Chriſtus de ſeipſo; *Quoties volui congregare filios tuos.* Prouerb. 1. *Vocaui & renuiſtis*, & Ezech. 33. *Nolo mortem impij.*

Damaſc.

Deinde, ſancti Patres loquuntur de voluntate Dei antecedente, veluti de vero, & reali aliquo actu voluntatis diuinæ, vt conſtat ex D. Damaſceno lib. 2. de fide, cap. 29. *Quin illud quoque nos ne fugiat, Deum, vt bonitate præditum, primariè quidem omnes homines ſeruari, ac regni ſui cõpotes eſſe velle (neque enim ſupplicij ac cruciatus cauſa, verum ad hoc vt bonitatis ipſius participes ſimus nos effinxit) vt inſtum autem, vt quoque qui peccant, pœnam inferri nihilominùs velle: Ac prius illud antecedens voluntas, ſeu beneplacitum dicitur, ex ipſo manans: ſecundum autem, inſequens voluntas atque permiſſio, à noſtro vitio ortum ducens.*

Chryſoſt.

Chryſoſtomo ad cap. 1. Epheſ. & alijs.

Tertiò, ex ſacris litteris habemus Chriſtum mortuum fuiſſe pro quibuſuis hominibus, & item miſiſſe Apoſtolos in vniuerſum mundum, ad hoc vt promouerent ſalutem quorumcumque mortalium: at hæc duo pertinent ad voluntatem Dei antecedentem; nam certum eſt, non omnes omnino ſaluari; neque item fidem Chriſtianam acceptare: ergo cum paſſio Chriſti, miſſio item Apoſtolorum ſint veri aliqui actus; ità & illud idem dicendum erit de voluntate Dei antecedente, per hanc enim verè vult Deus omnium planè ſalutem.

Denique, Scripturæ ſacræ ſemper ſunt ad litteram intelligendæ, niſi aliquid ſequatur abſurdi; at licet dicamus Deum per verum, & realem aliquem actum velle ſalutem quorumcumque hominum nulla hinc ſequitur abſurditas; non enim quilibet actus diuinæ voluntatis impletur; ſed tantùm actus voluntatis conſequentis: ergo. Ità D communiter Interpretes ſancti Thomę art. 6. huius quæſt. & Thomiſtæ in 1. diſt. 46.

Cum autem diximus voluntatem antecedentem dicere in Deo verum, & realem actum; id non eſt ità intelligendum, quaſi velimus actum voluntatis antecedentis diuinæ diſtinctum eſſe realiter, aut formaliter ab actu voluntatis conſequentis; in diuinis enim omnia ſunt vnum & idem, niſi vbi obuiat oppoſitio relationis; certum autem eſt inter actus voluntatis conſequentis, & antecedentis nullam dari oppoſitionem: diſtinguitur ergo hic actus à voluntate conſequente; in eo quòd actus voluntatis antecedentis ſit ineffi-cax; actus verò voluntatis conſequentis ſit efficax. E

Diluuntur rationes 1. ſententiæ.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. non propterea dari in Deo aliquam imperfectionem, licèt actus voluntatis antecedentis non conſequatur ſuum effectum; nam defectus hic non eſt refundendus in actum diuinæ voluntatis, ſed in voluntatem creatam, quæ non vult illi parêre, vt conſtat ex illo Matth. proximè citato, & expreſſius Oseæ 13. *Perditio tua, ex te Iſrael tantummodò in me auxilium tuum.*

Oseæ 13. verſ. 9.

2.

Obiectum voluntatis antecedentis.

Ad 2. voluntatem antecedentem, & conſequentem in Deo, non eſſe contrarias, quia duæ iſtæ admittuntur in eo; contraria autem ſe mutuò expellunt ab eodem ſubiecto; neque item eſſe contradictorias, quia hæ debent eſſe ad idem, ſecundùm idem & eodem modo; voluntas autem antecedens diuina vult dare vitam æternam omnibus hominibus ceterùm ſpectatis ſecundùm propriam entitatem, præſcindendo ab omni culpa, ac proinde vt entitas cuiuſlibet hominis fuit à Deo procreata: voluntas verò conſequens, non vult omnibus dare vitam æternam, quia reſpicit naturam humanam, & indiuiduas aliqua eiuſdem, commaculata peccato mortali finali, ac proinde ſe habent voluntates iſtæ ad eadem obiecta, ceterùm diuerſa ratione ſpectata.

Ad vltimam. Reſp. in Deo nec dari, nec poſſe dari deſiderium propriè dictum; hoc enim dicit proſequutionem boni conuenientis abſentis; impoſſibile autem eſt bonum conueniens diuinæ naturæ, abeſſe à diuina natura: eſt enim hæc ſimpliciter perfecta. *Vltr.*

Voluntas antecedens quinque ſignis dignoſcitur.

ARTICVLO VLTIMO, docet D. Thomas, voluntatem antecedentem quinque ſignis dignoſci permiſſione ſcilicet, & prohibitione peccati, conſilio, præcepto, & operatione; duo priora ſigna reſpiciunt peccatum; tria verò poſteriora bonum: præcipit enim Deus bona fieri, ac proinde conſulit vt fiant, & denique operatur eadem nobiſcum: permittit verò malum quodlibet culpæ, prohibetque omnia planè mala quæ rationem mali conſequuntur: propter hanc cauſam, dicitur Pſalmo 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

QVÆSTIO XX.

De amore Dei.

DOCET D. Thomas primo Articulo in Deo eſſe amorem.

In ſecundo, Deum omnia planè quæ fecit diligere.

In tertio, ex parte actus amantis, Deum omnia æqualiter amare, licèt ex parte boni voliti, & rei amatæ, quædam magis amet alia.

In Articulo quarto Deum meliora magis diquam ligere.

QVÆSTIO XXI.

De iuſtitia & miſericordia Dei.

QVATVOR continet Articulos hæc Quæſtio, in quibus tradit D. Thom. in Deo eſſe iuſtitiam & miſericordiam quæ à nobis explicabuntur in 3. Parte quæſtione 1. vbi de ſatisfactione Chriſti.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXII.

De prouidentia diuina.

ARTICVLO 1. docet in Deo dari prouidentiam.

ARTICVLO 2. omnia subijci diuinæ prouidentiæ.

ARTICVLO 3. Deum habere immediatam de re qualibet prouidentiam, si spectetur ordo, & ratio prouidentiæ diuinæ; si autem spectetur executio eiusdem, Deus non prospicit rebus omnibus proximè, & immediatè per seipsum, sed per Angelos, vel per homines.

ARTICVLO VLTIMO, prouidentiam Dei non imponere necessitatem absolutam rebus præuisis, sed tantùm hypotheticam. Circa hanc Quæstionem sit

DVBITATIO PRIMA.

An in Deo sit prouidentia de rebus omnibus.

1. Ratio dubitandi. RATIO dubitandi est, 1. Corinth. 9. dicitur, *Nunquid cura est de bobus Deo?* & Hieronym. 1. Cor. 9. Hierony. ad cap. 1. Abac *Cæterùm absurdum est*, inquit, *ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quòtue moriantur: quæ cimicum & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quantis pisces in aqua natent, & quo de minoribus maiorum præda cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nosipsos iniuriosi simus.*

2. Secundò, Si daretur in Deo prouidentia de rebus omnibus, nulli darentur effectus fortuiti; non enim quidpiam contingere possit citra Dei intentionem.

3. Denique, nulla darentur mala in naturæ vniuersitate; pertinet enim ad officium boni prouisoris arcere quodlibet malum à rebus, de quibus habet prouidentiam, præsertim si prouisor sit summè bonus, & summè potens, qualis est Deus: ergo.

Duplex prouidẽtia, vna physica, altera moralis. Aduerte, prouidentiam aliam esse physicam, & naturalem; alia verò moralem: quantùm ad præsens attinet, prima definitur, *Ordinatio vera & realis rei alicuius in suum finem naturalem:* Moralis verò censetur esse, *Ordinatio creaturæ rationalis in finem aliquem honestum:* idque deterrendo, aut etiam inuitando ad huiusmodi finem consequendum.

In Deo datur prouidẽtia physica omnium rerum. CONCLVSIO 1. *Deus habet omnium planè rerum prouidentiam naturalem, seu physicam.* Primò, quia dicitur de Deo, Sap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter,* & cap. 12. *Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus:* & apud Dauidem Psal 74. *Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem,* id est, nolite effari de Deo, quòd non habeat rerum omnium prouidentiam; quia, *Neque ab Oriente, neque ab Occidente,* &c. id est, mala quæ contingunt mortalibus, non accidunt sine Dei prouidentia, & Psal. 126. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.*

A Matth. 5. *Qui solem suum facit oriri super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos.* & cap. 6. *Respicite volatilia cœli, neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa.* 1. Petr. 5. *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.* Matth. 5. vers. 45. Idem 6. vers. 26. 1. Petr. 5. vers. 7.

Idem tradunt Patres, Nazian. orat. 4. de Theolog. Basilius ad hæc verba Dauidis: *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo.* Clemens Alex. lib. 5. stromat. Damasc. 2. de fide, cap. 29. D. Augustinus lib. 5. de Ciuitate, cap. 11. & lib. 3. de libero arbitrio, cap. 2. & 4. Origenes homil. 3. in Genes. Iustinus martyr in dialogo cum Tryphone, B Saluianus Episcop. Massiliensis in lib. de prouidentia, & Hilarius in Psal. 63. denique Gregor. lib. 21. Moral. cap. 22. Nazianz. Basilius. Damasc. Clemens Alexand. Augustin. Origenes. Iustinus. Hilarius. Gregor.

Accedit ratio: prouidere physicè nihil aliud est, quàm rem aliquam in suum finem per veram aliquam motionem dirigere; at certum est Deum erigere res istas naturales in fines sibi conuenientes per veram aliquam motionem: neque enim fieri potest, vt vlla res naturalis suum finem consequatur, nisi fuerit hæc adiuta, & mota à Deo Opt. Max. fatentur enim omnes quemlibet effectum physicum, & naturalem magis pendere à Deo, quàm ab vlla alia planè causa. Ità D. Thom. art. 1. huius quæst. & interpretes eiusdem. *Quid sit prouidere physicè.* D. Thom.

CONCLVSIO 2. *Deus nedum habet prouidentiam naturalem de creaturis rationalibus: sed etiam moralem.* Primùm, quia hæc videtur esse mens sanctorum Patrum, Chrysost. in lib. de prouidentia, Theodoreti lib. 6. de curatione Græcarum affectionum, & serm. 10. de prouidentia, D Augustin. lib. 5. de Ciuitat. cap. 9. & cap. 23. & lib. 5. de Genes. ad litter. cap. 23. Cyrilli Hierosolymit. cateches. 8. & Cyrilli Alexandr. lib. 5. contra Iulianum, & Saluiani lib. 8. de prouidentia. C *Deus & naturalem, & moralem prouidentiã habet de creaturis rationalibus.* Chrysost. Theodor. Augustin. Cyrillus.

Deinde, ille habet prouidentiam moralem de creaturis rationalibus, qui dirigit easdem ad vitam æternam obtinendam; proponendo eis præcepta diuina, consilia, & leges eiusdem; itémque pœnas æternas, & gaudia paradisi: atqui indubitatum est Deum proponere quibusuis creaturis rationalibus suorum mandatorum obseruationem, & quidem eo consilio, vt alliciat eas ad consequendam vitam æternam: ergo. D *Quid sit prouidere moraliter.*

Ad rationes verò contrarias respondeo. Ad 1. ex illis locis Pauli & Hieronymi solùm posse colligi, non tantam Deum habere prouidentiam de bobus, & alijs inferioribus animalibus, quantam habet de homine: fatentur enim communiter Theologi duo ista testimonia intelligenda esse per comparationem ad hominem, & ad alia animalia præstantiora bobus, & ceteris animalibus imperfectis. *Innotescunt solutiones ad rationes dubitandi.* *Ad 1.*

Ad 2. Resp. cum D. Thoma art. 1. huius quæst. pertinere ad eum qui habet de re aliqua priuata prouidentiam, remouere ab ea omne malum, E quantum potest; minimè verò ad eum, qui rebus omnibus prouidet: ordo quippe constitutus in natura postulat, vt inferiora cedant in vsum superiorum, vt constat experientia quotidiana: propter hanc causam docet sanctus Thom. loco proximè citato pertinere ad suauem Dei prouidentiam admittere defectus aliquos in rebus istis creatis, propter maiorem vniuersi perfectionem. *Ad 2.*

Ad vltimam. Resp. mala esse in triplici differentia. Nam alia sunt mala naturæ, vt monstra, & priuationes; alia culpæ: alia denique pœnæ. Priora permittuntur à Deo propter aliquam huius vni- *Ad 3.*

Digitized by Google

Datur triplex genus mali.

Malũ natura.

Malũ culpæ.

ius vniuerſi perfectionem, perſpectis quippe monſtris, quæ habent ortum ex redundantia, vel defectu materiæ, apparet quodammodo perfectior natura ceterorum entium; mala verò culpę ideo permittuntur à Deo, quia ordo diuinæ prouidentię poſtulat vt vnaquæque res conformiter ſuę naturę operetur: ac proinde libera, liberè; neceſſaria, neceſſariò; & contingentia, contingenter: poſſe autem peccare, eſt ita coniunctum cum libertate creata, vt ſeclusò quàm maximè ſpeciali Dei auxilio, nulla creatura rationalis poſſit in quacumque circumſtantia, vitare peccatum quodlibet. Deinde, ex iſtis peccatis eruit Deus, quàm maxima bona, vt conſtat ex morte Chriſti à Iudæis facta, ex hac namque ſequuta eſt generis humani redemptio: ex impietate etiam Tyrannorum ſequitur patientia martyrum, & item eorum gloria. Denique, vult Deus mala pœnæ, quoniam ad æquitatem iuſti iudicij Dei pertinet emendare quælibet delicta, quemadmodum & hæc eadem æquitas diuina facit vt remunerentur quælibet bona opera.

Malũ pœna.

DVBITATIO SECVNDA.

An Deus habeat æqualem de rebus omnibus prouidentiam.

Præcipua, & principalis Dei prouidentia eſt reſpectu prædeſtinatorum.

Zachar. 2. verſ. 8. Iſai. 49. verſ. 15. Pſal. 33. verſ. 16. Idem 90. verſ. 1. Hebr. 1. verſ. 14. Ioann. 10. verſ. 28.

CONCLVSIO 1. *Deus longè maiorem habet de prædeſtinatis prouidentiam, quàm de ceteris alijs hominibus, ac proinde quàm habeat de quibuſuis alijs rebus homine inferioribus*; dicitur ſiquidem Zachar. 2. de prædeſtinatis, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* & Iſai. 49. *Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* & apud Dauidem Pſal. 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos.* & Pſal. 90. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi in protectione*, &c. Deinde, de Angelis dicitur, quòd ſint deſtinati miniſtri reſpectu cuiuſlibet hominis prædeſtinati, Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos.* Tertiò, ex prædeſtinatis nullus eſt qui non conſequatur infallibiliter finem ſuum ſupernaturalem, ex illo Ioann. 10. *Ego cognoſco oues meas, & non rapiet eas quiſquam de manu mea:* atqui ex alijs creaturis pauciſſimę admodum ſunt quæ conſequantur ſuos fines priuatos, & particulares: quod dico quoniam finem communem debitum rebus omnibus eſt certum obtineri à qualibet re, vt docet D. Thom. art. vltimo huius quæſt. ità communiter omnes hoc loco.

Prouidentia hominis quamuis reprobi impẽſius Deus incumbit, quàm ceterarum rerũ inferioris ſtatus.

Geneſ. 1. & 9.

CONCLVSIO 2. *Deus maiorem prouidentiam habet de homine, licèt reprobo, quàm habeat de ceteris alijs rebus inferioribus.* Primò, quia dicitur Pſal. 8. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*, &c. loquitur autem de homine ex multorum Patrum ſententia, licèt non deſint alij, qui putent locum hunc intelligendum eſſe de Chriſto, quatenus hic homo eſt. Deinde, omnia iſta quæ ſunt in orbe inferiori cedunt in vſum, & in cibum hominum, Geneſ. 1. *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, excepto*, &c. Tertiò, Geneſ. 2. legimus omnia, & ſingula animalia ad primum parentem acceſſiſſe, & iſtis impoſita fuiſſe ab eo nomina quàm maximè conuenientia; at acceſſus hic arguit dominium hominis in bruta: ità communiter omnes loco proximè citato.

Obiectio.

Dices, iuſtos & ſanctiſſimos homines priuari vt plurimum rebus ſibi neceſſarijs, torqueri item, & affligi à malis; malos verò contra abundare re-

A bus omnibus, adeò vt propter hanc cauſam dicat Hieremi. cap. 12. *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui prævaricantur & iniquè agunt*, &c. & Pſal. 72. *Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns*, & Habacuc 1. *Quare reſpicis contemptores, & taces opprimente impio iuſtiorem ſe*: ergo.

Reſpond. Deum ità permittere propter commodum, & vtilitatem ſpecialem bonorum; dicitur ſiquidem à Paulo Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui*, &c. Deinde, medium ad vitam æternam obtinendam cenſetur eſſe perſequutio, penuria, & alia huius generis, cap. 24. Luc. *Oportebat pati Chriſtum*, &c. Denique, quia ità de hac re loquitur D. Auguſtinus in Pſal. 54. *Ne putetis, gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum: omnes malus aut ideò vivit, vt corrigatur; aut ideò vivit, vt per eum iuſtus exerceatur.* Vide de iſtis D. Thom. lib. 3. contra gentes, cap. 7. Peſant. diſput. vnica ad art. 2. huius quæſt. & Trigoſium Dub. 4. ad quæſt. 14. D. Bonauent. art. 6. & Saluianum lib. 5. de prouidentia.

Obiectio. Rom. 8. verſ. 28. Luc. 24. verſ. 26.

Solutio.

Prouidentia quid ſit.

ROGABIS, *Quid ſit prouidentia?* Reſpond. cum D. Thom. & interpretibus eiuſdem hoc loco, *Eſſe directionem, & ordinationem rerum quarumcumq; in ſuos fines.* Vt autem hæc definitio facilioni negotio intelligatur, explicanda eſt.

DVBITATIO VNICA.

An prouidentia nedum reſpiciat media, ſed etiam finis adeptionem.

DE primo, nulla eſt difficultas, cùm enim prouidentia ſit pars prudentię, ex doctrina ſancti Thom. in hac quæſt. art. 1. reſpiciet neceſſariò media quæ conducunt ad finem obtinendum, intentum ab eo qui habet prouidentiam.

De ſecundo verò, ſunt multi qui autument adeptionẽ finis nulla ratione pertinere ad prouidentiam diuinam, idque propter rationem proximè explicatam, quam illuſtrant exemplò medici, & Ducis alicuius exercitus: iſti enim duo rectè denominantur prouiſores, ~~licèt ex prouidentia medici~~, non fuerit ſubſequuta ſanitas, nec ex pugna Ducis, exercitus victoria. Deinde, quia docet fides, *Deum velle omnes homines ſaluos fieri*, ac proinde habere prouidentiam, per quam dirigit quoſlibet in vitam æternam; & tamen certum eſt innumeros ex hominibus deficere ab huiuſmodi fine intento à Deo per ſuam prouidentiam.

1 Tim. 2. verſ. 4.

Notabile.

Aduerte, finem cuiuſlibet rei naturalis eſſe duplicem, vnum proprium, nempe peculiarem cuiuſlibet rei, alium verò communem cum ceteris omnibus. Primus cenſetur eſſe reſpectu cuiuſlibet rei grauis, ferri deorſum, & verſari vel in centro, vel ſupra centrum. Poſterior verò cenſetur eſſe conſeruatio huius vniuerſi, itémque ordo in eo conſtitutus.

Diuina prouidentia diuina, ſi ſermo ſit de fine priuato, debito cuilibet rei naturali.

CONCLVSIO 1. *Adeptio finis non eſt de ratione* Primùm, quia docet D. Thom. art. 2. huius quæſt. ad 1. ſapientis prouiſoris eſſe interdum admittere aliquos defectus in his rebus, maximè *frustraretur* effectuans quando prouiſor iſte multarum rerum, non au- *finis partem* tem vnius habet prouidentiam. Deinde, experien- *cuius*, nisi tia quotidiana docet monſtra generari, priuatio- *quam* nes quoque multas in rebus iſtis creatis continge- *minus vel* re. Tertiò, primus parens defecit à ſtatu inno- *vniuerſalis.* centię, in quo à Deo fuerat creatus.

Digitized by Google

Moneo tamen dari certam aliquam prouidentiam ſupernaturalem, quæ infallibiliter ſuum conſequitur finem, nempe prædeſtinationem efficacem. Ceterùm hoc non contingit ex vi prouidentiæ diuinæ, quatenus prouidentia diuina eſt, ſed ex eo quòd prouidentia iſta ſupernaturalis ſit efficax, ac proinde efficaciter intenta à Deo.

CONCLVSIO 2. *Finis adepto, eſt de ratione prouidentia, ſi ſermo ſit de fine communi debito quibuſuis rebus creatis.* Primùm, quia propter hanc cauſam videtur docuiſſe S. Thom. in hac quæſt. prouidentiam Dei eſſe infallibilem. Deinde, quia prouidentia diuina reſpectu finis communis debiti quibuſuis rebus creatis eſt verè efficax, & efficaciter à Deo intenta; de ratione autem efficaciæ cuiuſlibet actus eſt, vt ſuos producat effectus. Tertiò, hoc videtur affirmare oratio illa quæ decantatur communiter in Eccleſia; *Deus cuius prouidentia in ſua diſpoſitione non fallitur.* Quartò, prouidere nihil aliud eſt quàm res quaſlibet in ſuos fines dirigere, & quidem efficaciter, ſi finis hic fuerit à Deo volitus efficaciter, aut etiam intentus; at conſeruatio huius vniuerſi intenditur à Deo efficaciter.

Ad rationes contrarias reſpondeo, probare tantùm finem qui debetur rei cuilibet particulari non eſſe de ratione prouidentiæ, hoc ſenſu quòd debeat neceſſariò obtineri, vel ab eo qui proſpicit rei iſti, vel certè ab ipſamet re. Secus tamen dicendum de fine debito in communi rebus creatis; hunc enim ſemper conſequuntur. Vide multa de iſtis apud Molinam diſp. 2. ad art. 1. & 2. huius quæſt. licèt hic videatur à noſtra ſecunda Concluſione diſcedere.

QVÆSTIO XXIII.

De Prædeſtinatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm omnes homines à Deo prædeſtinentur.

DVBITATIO PRIMA.

Quid nomine prædeſtinationis ſignificetur, & item quid ſit prædeſtinatio propriè.

Etymologia nominis prædeſtinationis.

NOMEN prædeſtinationis componi ex præpoſitione, *præ*, & ex verbo, *deſtino*, indubitatum eſt apud omnes; quia tamen verbum, *deſtino*, non vna & eadem ratione vſurpatur; interdum namque ſignificat idem atque mitto; qua ratione illud 1. Machab. 1. quidam recentiores volunt vſurpari dum legunt; *Deſtinauerunt aliquos de populo, & abierunt ad regem*; ſed perperam, cùm legendùm ſit, vt habent Biblia, *Deſtinauerunt aliqui*; & conſtat ex textu, verbum, *deſtino*, non ſumi in hac prima ſignificatione: vſurpatur tamen ità à prophanis, vt à Suetonio in vita Galbæ, cap. 16. *Prætorianos, cum mandatis ad Imperatorem deſtinauit.* & ibidem, *Legationem cum mandatis deſtinauerunt.* Aliàs idem eſt atque adiudico, ex illo Poëtæ, *Et me deſtinat ara.* Aliàs ſignificat idem atque eligo: ità in ſacris litteris frequenter, vt obſeruant multi recentiores. Denique idem eſt, *deſtino*, atque decerno, definio, determino, & ordino.

Machab. 1. verſ. 14. *Significatio verbi* deſtino, *in nomine prædeſtinationis.* Sueton. Virgil.

Hìc quærunt Theologi, qua ratione vſurpetur verbum, *deſtino*, in nomine, prædeſtinationis.

Reſpondeo eorum opinionem videri certam, quæ putat verbum, *deſtino*, in nomine prædeſtinationis ſignificare ordinationem, ſeu determinationem diuinam de danda vita æterna certis quibuſdam creaturis rationalibus per hæc, & illa media: ità plerique recentiores.

Sunt etiam qui quærant quid ſignificet præpoſitio, *præ*, in nomine prædeſtinationis. Ambroſius Catharinus lib. 1. de prædeſtinat. cap. 1, & ad cap. 9. Rom. Sentit præpoſitionem, *præ*, ſignificare anteceſſionem dignitatis vnius electi ad eum qui non eſt prædeſtinatus, neque electus, idque quòd nomina vocationis & iuſtificationis dicant anteceſſionem dignitatis reſpectu eorum qui non ſunt vocati neque iuſtificati.

Ceterùm eorum opinio videtur multò verior, qui aſſerunt dictionem, *præ*, in nomine prædeſtinationis, ſignificare anteceſſionem illius actus, quo Deus ex omni æternitate voluit ordinare aliquos ad vitam æternam, in ordine ad eos qui in tempore illam conſecuturi ſunt. *Significatio præ, in nomine prædeſtinationis varia.*

Iſtorum opinio videtur probari ex verbis Chriſti, Matth. 25. *Venite poſſidete regnum, quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi*, & Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*; & ex Origene; ait enim homines deſtinari quando ſunt, prædeſtinari verò quando non ſunt; ità ad cap. 1. Epheſ. & Rom. 3. particula, *præ*, in nomine, præſcientiæ, reſpectu ſaltem Dei Opt. Max. ſignificat anteceſſionem illius cognitionis quę datur in Deo de rebus futuris, in certa temporis differentia: ergo illud idem erit dicendum de hac eadem præpoſitione in nomine prædeſtinationis, nam ex omni æternitate, Deus ordinauit certas aliquas creaturas, in vitam æternam infallibiliter obtinendam, per hęc, & illa media. Confirmatur. Prædeſtinatio dicit aliquem actum æternum, immanentem intrà ipſummet Deum, cuius effectus produci debet in tempore: ergo. Matth. 25. verſ. 34. Epheſ. 1. verſ. 4. *Prædeſtinatio eſt actus immanens: vocatio & iuſtificatio actus tranſeuntes.*

Ad rationem verò contrariam. Reſpond. non eſſe parem rationem inter nomen prædeſtinationis, & nomina vocationis, & iuſtificationis; vox quippe prædeſtinatio ſignificat actum aliquem immanentem intrà Deum omnium plane conſenſione; voces vero, vocatio, & iuſtificatio arguunt actus aliquos tranſeuntes, qui proinde recipiuntur in vocatis & in iuſtificatis: ſecus tamen dicendum eſt de verbo, prædeſtinationis, idque propter cauſas antea explicatas. *Actus tranſeuntes.* Pſal. 32. verſ. 12. Idem 77. verſ. 31. Matth. 20. verſ. 16. Ioann. 15. verſ. 16. Pſal. 98. verſ. 4. Rom. 9. verſ. 7. Idem 8. verſ. 29. Idem 11. verſ. 2. Epheſ. 1. verſ. 9.

Habet autem nomen prædeſtinationis varia, & diuerſa nomina in ſacris litteris; interdum enim vocatur electio, Pſal. 32. *Populus quem elegit in hereditatem ſibi.* & 77. *Electos Iſrael impediunt.* Matth. 20. *Pauci verò electi.* Ioann. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* & Rom. 8. Aliàs dicitur directio, Pſal. 98. *Tu paraſti directiones.* Aliquando vocatio, Rom. 9. *In Iſrael vocabitur tibi ſemen.* 1. Theſſal. 1. Aliquoties præſcientia. Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit*, & 11. *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit.* & alibi. Nuncupatur etiam beneplacitum. Epheſ. 1.

Secundum

Secundum beneplacitum eius. Propoſitũ, ad Rom. 8. & 9. Præparatio, Matth. 21. & 25. & ad Rom. 9. Voluntas, Ephe. 1. Coloſſ. 1. & 2. Timoth. 1. Præordinatio, Actuum 11. & 13. Decretum, Actuum 4. Conſilium, Actor. 2. Liber vitæ, Luc. 10. ad Philip. 4. & alibi ſæpe. Apud Patres verò & Theologos ſcholaſticos donatur frequentiſſimè nomine prædeſtinationis.

Definitur autem prædeſtinatio non vna & eadem ratione ab omnibus: D. Thom. hoc loco ait, prædeſtinationem eſſe rationem tranſmiſſionis creaturę rationalis in vitam æternam: D. verò Auguſt. lib. de dono perſeuerantię cap. 14. definit, prędeſtinationẽ, *Præſcientiam ſeu præparationem beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumq; liberantur.* Ab alijs dicitur præparatio gratię in hac vita, & glorię in altera. Rectiùs tamen videtur definita ab alijs qui dicunt prædeſtinationem eſſe deſtinationem, & ordinationem quorumdam ad vitam æternam, per hæc & illa media infallibiliter obtinendam, factam à Deo ex omni æternitate: quæ manebit explicata ex his quæ deinceps dicemus de natura prædeſtinationis.

D. Thom.

D. Auguſt.

DVBITATIO SECVNDA.

An Deus prædeſtinauerit omnes omnino homines.

Prædeſtinatio eſt duplex, antecedens, & conſequens, efficax, & inefficax.

ADVERTE prædeſtinationem diuidi communiter in antecedentem, & ſubſequentem: illa cenſetur eſſe deſtinatio & ordinatio quorumcumque hominum ad vitam æternam obtinendam, facta à Deo Opt. Max. ex omni æternitate, ſpectando naturas quorumcumq; hominũ, prout debuerunt iſtæ fieri à Deo, præſcindendo à quibuſuis alijs circumſtantijs: hæc verò definitur ordinatio quorumdam ad vitam æternam per hæc & illa media infallibiliter obtinendam, facta à Deo ex omni æternitate: hæc eſt efficax, illa verò minimè; ac proinde prædeſtinatio conſequens ſemper coniuncta eſt cum ſuo effectu; de hac enim explicari poteſt illa oratio quæ recitatur ab Eccleſia inter celebrandum ſacrificium Miſſæ, do. D minica 7. poſt Pentecoſten; *Deus cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur:* Prædeſtinatio verò antecedens nunquam ſuos conſequitur effectus, cùm idem dicendum ſit de hac prædeſtinatione, quod quæſt. 19. huius partis diximus de voluntate Dei antecedente.

Deus quãlibet creaturam rationalem prædeſtinauit prædeſtinatione antecedente. 1. Tim. 2. verſ. 4. 1. Ioan. 2. v. 1. & 2.

CONCLVSIO 1. *Qualibet creatura rationalis prædeſtinata eſt à Deo prædeſtinatione antecedente,* dicitur enim 1. ad Tim. c. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Deinde, Chriſtus de facto mortuus eſt pro peccatis quorumcumque hominum, 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

2. Ratio. Tertio, prædeſtinatio antecedens nihil aliud eſt quàm deſtinatio quorumdam ad vitam æternam; at deſtinauit Deus omnem planè creaturam rationalem ad vitam æternam obtinendam; etenim propter hanc cauſam libet explicare illud quod dicitur Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus,* ità vt Deus ſit finis ſupernaturalis cuiuſlibet creaturæ rationalis ex vi huius prouidentię ſupernaturalis, quam habuit ex omni æternitate, de qualibet creatura rationali.

3. Prouerb. 16. verſ. 4.

CONCLVSIO 2. *Prædeſtinatione conſequente* A *te non quilibet ex hominibus, ſed aliqui tantùm ſunt prædeſtinati.* Primùm, quia dicitur Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit, conformes fieri, &c.* & cap. 9. *Cum nondum nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, Iacob dilexi, Eſaũ autem odio habui,* id eſt, non elegi, & cap. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit,* id eſt, prædeſtinauit, & Actor. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati,* & cap. 1. Epheſ. *Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem.*

Soli electi ſunt prædeſtinati. *Deo ſunt prædeſtinati tione conſequente.* *Probatio 1.* Rom. 8. verſ. 29. Idem 9. verſ. 11. 12. & 13. Idem 11. verſ. 2. Actor. 13. verſ. 48. Epheſ. 1. verſ. 4.

Deinde, illi ſoli ſunt prædeſtinati prædeſtinatione conſequente, qui eam de facto conſequuntur per merita Chriſti, & perſeuerant vſque ad vltimum vitę ſpiritum in gratia, & charitate, ex illo Matth. 10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit;* at certum eſt non omnes perſeuerare ad vltimum vſque vitę ſpiritum in gratia, & charitate Chriſti; quemadmodum & indubitatum eſt infinitos extare inter homines qui nullquam dederunt nomen fidei Chriſtianę, ac proinde, qui non poſſunt conſequi vitam æternam: eſt enim fides Chriſti ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, ex illo Marc. 16. *Qui verò non crediderit condemnabitur.* & Hebræor. 11. *Sinè fide impoſſibile eſt placere Deo; Accedentem ad Deum credere oportet:* & Ioann. 15. *Niſi palmes manſerit in vite, id eſt Chriſto, non poteſt fructum ferre.*

2. Ratio. Matth. 10. verſ. 22. Marc. 16. verſ. 16. Hebr. 11. verſ. 6. Ioann. 15. verſ. 4.

Tertiò, prædeſtinare prædeſtinatione conſequente, nihil aliud eſt quàm deſtinare aliquos in vitam æternam, per hæc & illa media infallibiliter obtinendam; at certum eſt non omnes conſequi vitam æternam, dicitur enim Matth. 25. de conſtitutis à ſiniſtris Chriſti, *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.*

3. Matth. 25. verſ. 41.

Quartò, numerus damnandorum futurus eſt maior numero ſaluandorum, ex communi doctrina Theologorum, & videtur colligi ex verbis Matth. cap. 20. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi:* ità docent omnes cum ſancto Thom. hoc loco.

4. Matth. 20. verſ. 16.

Concluſiones autem iſtę, nedum ſunt de hominibus intelligendæ, ſed etiam de Angelis, non enim omnes & ſinguli Angeli conſecuti ſunt vitam æternam; tertia quippe pars ſtellarum, id eſt, Angelorum, ex Apocal. Ioan. 12. defecit à beatitudine æterna. Non eſt tamen exiſtimandum prædeſtinationem conſequentem Angelorum factam fuiſſe à Deo illa eadem ratione, qua prædeſtinatio conſequens hominum; Angeli ſiquidem fuerunt prædeſtinati prædeſtinatione conſequente ante præuiſionem peccati eorumdem, homines verò poſt præuiſionem peccati originalis; ac proinde poſitis omnibus omnino hominibus in maſſa perditionis Adę. Propter hanc enim cauſam, ait ſanctus Auguſtinus cap. 28. Enchiridij ad Laurentium de prædeſtinatione conſequente hominum, quod ſit propoſitum Dei miſerentis.

Tertia pars Angelorum tantùm. D. Auguſt.

DVBITATIO TERTIA.

An prædeſtinatio ſit actus intellectus, an verò voluntatis diuinæ.

Stoti ſent: fundamẽtũ. 1.

SVNT qui velint prædeſtinationem eſſe actum voluntatis diuinę, idque quòd hæc explicetur in ſacris litteris per nomina pertinentia ad voluntatem diuinam: nam dicitur prædeſtinatio electio, & propoſitum cap. 9. ad Rom. *Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret,* & Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius.*

Rom. 9. verſ. 11. Epheſ. 1. verſ. 4.

Digitized by Google

Deinde, regula actionum diuinarum cenſetur eſſe voluntas eiuſdem, ſaltem ſi ſermo ſit de actionibus ad extra, *Quæcumque voluit Dominus fecit:* ergo cùm prædeſtinatio diuina infallibiliter ſuos operetur effectus, ſtatuendum eſt prædeſtinationem eſſe actum voluntatis diuinæ, cùm prædeſtinatio iſta ſit efficaciſſima. Ità Scotiſtæ in 1. diſt. 40. quæſt. vnica, Bannez art. 2. quæſt. 2. Gregor. Ariminenſis quæſt. 1. art. 1. & nonnulli alij recentiores.

Pſal. 113. verſ. 10.

Prædeſtinatio eſt tantũ actus intellectus. 1.

CONCLVSIO. *Prædeſtinatio eſt actus intellectus diuini.* Primò, quia eſt pars prouidentiæ, vt docet D. Thom. art. 2. huius quæſt. in corpore art. prouidentia autem pertinet ad intellectum: ergo & prædeſtinatio.

D. Thom. 2.

Deinde, prædeſtinatio eſt actus intellectus practici ex doctrina D. Thom.

3.

Tertiò, prædeſtinare ex eodem D. Thom. art. 2. huius quæſt. idem eſt, atque decernere, definire, ordinare, & determinare: at certum eſt hæc omnia pertinere ad intellectum, non autem ad voluntatem cùm hæc ſit cæca.

4.

Quartò, ſancti Patres docent Deum prædeſtinare nihil aliud eſſe, quàm in præſcientia ſua ſubiectiua ordinare & diſponere: ità D. Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ, Hieronym. ad cap. 1. Epheſ. Anſel. de concordia prædeſtinationis & liberi arbitrij.

Auguſt. Hierony. Anſelm.

5.

Quinto, prædeſtinatio explicatur nominibus pertinentibus ad intellectum, tam in ſacris litteris, quàm apud Patres: Rom. enim 8. dicitur, *Quos præſciuit & prædeſtinauit.* & cap. 11. *Non repulit Dominus plebem ſuam quam præſciuit.* & D. Auguſt. lib. de bono perſeuer. cap 14. definiuit prædeſtinationem præſcientiam, vt conſtat ex dictis Dub. 1. huius art. idem Anſelmus facit.

D. Auguſt.

6.

Sextò, prædeſtinatio nuncupatur liber vitæ, ex dictis Dub. 1. huius art. atqui liber vitæ pertinet ad intellectum; hic enim nihil aliud dicit quàm catalogum in quo continentur omnes illi, qui de facto conſecutur iſunt vitam æternam, ex vi illius ordinationis, quæ facta eſt à Deo ex omni æternitate: ità D. Thom. quæſt. 6. de verit. art. 1. & hoc loco Bannez, & plerique ex recentioribus.

Monetur quæſtio.

Rogabis, quis ſit ille actus intellectus in quo poſita eſt ratio prædeſtinationis? Reſp. non eſſe illum actum quo Deus intelligit aliquos eſſe capaces beatitudinis æternæ, neque item eum quo intelligit per hæc & illa media poſſe prædeſtinatos infallibiliter cõſequi vitam æternam; iſti quippe duo actus ſecundùm noſtrum modum intelligendi antecedunt actum prædeſtinationis in Deo.

Reſoluitur.

Dico igitur actum prædeſtinationis eſſe illum quo Deus poſitis actibus proximè explicatis, deſtinat & ordinat creaturas aliquas rationales ad vitam æternam, per hæc & illa media infallibiliter obtinendam: ità docent Albertus diſt. 41 lib. 1. & vt videtur Caiet. hoc loco, itémque nonnulli recentiores. Deinde, deſtinatio iſta eſt certiſſima, & efficaciſſima reſpectu Dei, ità vt quilibet ex ordinatis ad vitam æternam ſit infallibiliter illam conſecuturus, liberè tamen vt probabitur alibi.

Solutio 1. argument.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. prædeſtinationem explicari nominibus pertinentibus ad voluntatem in ſacris litteris, non quòd prædeſtinatio præcisè ſumpta ſit actus voluntatis diuinæ; poſita ſiquidem prædeſtinatione quorumdam ad vitam æternam obtinendam, ſequitur in voluntate diuina verus & realis aliquis actus voluntatis; nempe, Volo iſtis omnibus ordinatis ad vitam æternam, eamdem donare in tempore: propter hanc ergo cauſam nuncupatur prædeſtinatio, propoſitum dandi vitam æternam: ceterùm actus hic conſequitur rationem prædeſtinationis, hæc enim præcisè poſita eſt in ordinatione proximè explicata.

Ad 2. Reſp. prædeſtinationem infallibiliter conſequi ſuos effectus, nedum dependenter à voluntate Dei efficaci, ſed etiam ab ordinatione facta per intellectum diuinum, in quo poſita eſt ratio prædeſtinationis; hæc enim ordinatio non minùs efficax eſt, quàm ſit vllus actus voluntatis diuinæ, ex doctrina authorum quos citauimus in confirmationem Concluſionis. 2.

Rogabis 2. Quomodo verum ſit prædeſtinationem eſſe partem prouidentiæ ſubiectiuam.

Reſp. illo eodem modo quo ſpecies dicitur contineri poteſtate in ſuo genere, ſeu, quod idem eſt, illo eodem modo quo ſpecies dicuntur partes ſubiectiuæ ſeu poteſtatiuæ.

Dices, quodlibet genus ad minus habere duas ſpecies: prouidentia autem habet tantùm pro ſpecie prædeſtinationem ſibi ſubiectam. Reſp. negando minorem; nam vltra prædeſtinationem habet prouidentia alteram ſpeciem quæ nuncupatur prouidentia naturalis ob defectum nominis hactenus excogitati ad ſpeciem iſtam ſignificandam, ac proinde retinet ſpecies hæc nomen ſui generis.

DVBITATIO QVARTA.

An aliquis ſit de ſua prædeſtinatione certus.

HÆc Dubitatio proponitur explicanda propter ea quæ habet D. Thom. in reſponſione ad 4. huius articuli. *Hæreticorũ error.*

Hæretici noſtri temporis in eo ſunt errore vt credant quemlibet prædeſtinatum non minùs obligari ad credendum ſe pertinere ad numerum prædeſtinatorum, quàm teneatur aſſentiri propoſitionibus iſtis, *Deus eſt trinus & vnus*, & ſic de alijs quę pertinent ad art. fidei Chriſtianç. Iſtorum autem hæreſis confimari poteſt. Primò Non dãtur teſtimonium certius, nec dari poteſt eo, quod quis habet de re aliqua à Spiritu ſancto, eſt enim Spiritus ſanctus ſimpliciter infallibilis, ità vt nec falli, nec fallere quempiam poſſit: at cuilibet prædeſtinato datur teſtimonium Spiritus ſancti quòd pertineat ad numerum prædeſtinatorum, & colligitur ex cap. 8. Rom. *Spiritus ſanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei.* *Probatur 1.* Rom. 8. verſ. 16.

Deinde, quicumque indubitanter nouit ſe perſeueraturum in gratia & charitate ad vltimum vſque vitę ſpiritum, is quoque intelligit certò ſe eſſe prædeſtinatum; eum perſeuerantia finalis in bonis operibus ſit medium infallibile ad vitam æternam obtinendam: at cuilibet prædeſtinato innoteſcit ſe perſeueraturum in gratia & charitate ad vltimam vſque vitæ metam, vt colligitur ex Paulo Rom. 8. nomine enim cuiuſlibet agentis in gratia, ità loquitur; *Certus ſum enim quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* 2. Rom. 8. verſ. 38.

Tertiò. Quilibet tenetur aſſentiri promiſſionibus diuinis certò, & indubitanter; præſertim quando huiuſmodi promiſſiones diuinę habentur 3.

Digitized by Google

expreſsè in ſacris litteris, & proponuntur credendę authoritate Eccleſię; atqui inter promiſſiones diuinas numerantur remiſſio peccatorum, & perſeuerantia in bonis operibus, vt manifeſtè colligitur ex cap. 2. 1. Canonicę Ioann. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* & ex cap. 10. Ioan. *Oues meæ vocem meam audiunt, & nemo rapiet eas de manu mea:* ergo.

1. Ioan. 2. verſ. 2. Idem 10. verſ. 27. & 28.

4. Quartò, ſancti Patres docent Deum non deſeruiſſe electos ad vitam æternam, ſinè vlla conſolatione pro eo tempore quo agunt in hac vita mortali: ità D. Bernard. ſerm. 2. in octauam Paſchæ: ac ſi prædeſtinati non ſunt certi de ſua prædeſtinatione, deſeruit iſtos Deus ſinè vllo planè ſolatio, fluctuantes inter metum, & ſpem, cùm tamen ex alio capite innumeris malis afficiantur: ergo.

D. Bernar.

Vlt. Denique conſtitutus in peccato mortali actum attritionis exercere poteſt, & item illi ſacramentum penitentię ſimul conferri: ergo poterit hic certò ſtatuere ſe pertinere ad numerum prædeſtinatorum, præſertim ſi aduerterit ſtatim ſe fore occidendum in odium Chriſti.

Duplex eſt certitudo prædeſtinationis, phyſica & moralis.

Aduerte quempiam poſſe eſſe certum de ſua prædeſtinatione, vel phyſicè vel moraliter. Priori modo quotieſcumque quis intelligit, ſe ità pertinere ad numerum prædeſtinatorum, vt nulla interſit ei occaſio dubitandi de oppoſito, ac proinde quia innoteſcit ei euidenter ſua prædeſtinatio. Poſteriori verò modo, quando quis ex ſignis & coniecturis quibuſdam expreſſis à Chriſto in ſacris litteris, aut etiam apud Patres conijcit ſe pertinere ad numerum prædeſtinatorum.

Nullus certitudine phyſica ſcire poteſt alijs reuelatione ſe eſſe prædeſtinatum. Trident. Eccleſ. 9. verſ. 1. Prouerb. 27. verſ. 1.

Conclvsio 1. *Nullus eſt qui de lege communis intelligat, aut intelligere poſſit, certitudine phyſica, ſe pertinere ad numerum prædeſtinatorum:* hæc eſt de fide, expreſſe definita in Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 12. & 13. & can. 15. *Si quis dixerit hominem renatum & iuſtificatum teneri ex fide ad credendum ſe eſſe certò in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.*

Deinde, Eccleſ. 9. dicitur, *Neſcit homo vtrùm amore, an odio dignus ſit.* & Prouerb. 27. *Ne gloriaris in craſtinum, ignorans quid pariet ſuperuentura dies.*

3. Rom. 11. verſ. 20. 1. Cor. 10. verſ. 12. Philipp. 2. verſ. 12. Apocal. 3. verſ. 11.

Tertiò, Scripturę nihil frequentiùs inculcant quàm perficiendam ſalutem noſtram, *Cum timore, & tremore.* ad Rom. 11. *Tu autem qui ſtas, noli altum ſapere, ſed time.* & 1. Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* ad Philipp. 2. *Cum tremore, & metu operamini ſalutem veſtram.* Apocal. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* 2. Petri cap. 1. *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis:* At metus ſtare nequit cum certitudine phyſica: ergo.

2. Petr. 1. verſ. 10.

4. Quartò, vix dantur aliqui inter mortales ſanctiores Paulo, Dauid, & Iob: dicitur enim de priori quòd nihil ſit ſibi conſcius 1. Corinth. 4. & in Actis Apoſt. quòd fuerit à Deo vocatus veluti Apoſtolus gentium, eò quòd fuerit debitus miniſter Euangelij: de Dauide verò dicitur quòd extiterit ſecundùm cor Dei: de Iob denique quòd vir iuſtus & rectus, ac timens Deum fuerit. Nullus tamen ex iſtis, pro eo tempore quo fuit in hac vita mortali, auſus eſt affirmare ſe aſſequuturum certò ſalutem, ſeu, quod idem eſt, ſe pertinere ad numerum electorum: Imò Paulus ità de ſeipſo loquitur cap. 9. prioris ad Corinth. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Iob verò, *Verebar,* inquit, *omnia mea opera, ſciens quod non parceres delinquenti* (alloquitur autem Deum) Vates verò Regius ità Pſal. 18. precatur, *Delicta quis intelliget? ab occultis meis munda me.* De iſtis vide plura apud Bellar. & Sotum lib. 3. de iuſtificat. Vegam lib. 12. in Concil. Trident. cap. 11. & alios recentiores.

1. Cor. 9. verſ. 27. Iob. 9. verſ. 28.

Pſal. 18. verſ. 1.

Conclvsio 2. *Prædeſtinatio innotuit certis quibuſdam perſonis, ex ſpeciali Dei reuelatione, quare certitudine excludente omnem formidinem de oppoſito.* Primò, ità docet ſanctus Thomas hoc loco in reſponſione ad 4. & communiter interpretes eiuſdem in tract. de prædeſtin.

Aliqui per diuinam reuelationem nouerunt ſe eſſe prædeſtinatos.

Deinde, Prædeſtinatio reuelata fuit Abrahamo, Geneſ. 15. *Ego ſum merces tua magna nimis.* Iſaac, Geneſ. 27. *Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli timere quia ego tecum ſum.* Iacob. Geneſ. 26. *Ero tecum complens iuramentum quod ſpopondi Abraham patri tuo.* Moyſi, Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum,* id eſt, *meipſum.* Imò ſunt qui putent Moyſem vidiſſe eſſentiam diuinam, prout in ſe eſt, nedum promiſſam fuiſſe illi beatitudinem æternam, etiam pro eo tempore quo fuit in hac vita. Manifeſtata quoque fuit prędeſtinatio Hieremię Propheę, vt colligitur ex cap. 1. lib. eiuſdem: Ioanni Baptiſtę, *Replebitur infans in vtero de Spiritu ſancto.* Diuę item Virgini, ex illo Luc. 1. *Aue gratia plena, Dominus tecum,* &c. & rurſus, *Beatam me dicent omnes generationes.* Apoſtolis, ex illo Luc. 10. *Gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.*

1. Geneſ. 15. verſ. 1. 2. Geneſ. 15. verſ. 1. Idem 27. verſ. 24. Idem 26. verſ. 3. Exod. 33. verſ. 19. Luc. 1. v. 28. & 48. Idem 10. verſ. 20.

3. Denique, teſtimonium Spiritus ſancti de re aliqua omnem excludit formidinem de oppoſito, non enim falli aut fallere poteſt Spiritus ſanctus, cùm ſit verus Deus, atqui teſtimonio Spiritus ſancti innotuit plerisque eorùm prędeſtinatio, vt probat Ambroſius Catharinus in tractat. de prædeſtinatione.

Conclvsio vltima. *Certitudine morali quilibet aſſequi poteſt ſuam prædeſtinationem.* Primò, quia hęc eſt expreſſa ſententia Bernardi ſerm. 2. in octauam Paſchę: *Quando* (inquit) *ſinè teſtimonio electos ſuos deſerat Deus? aut certè quanam eis eſſe poterat conſolatio inter ſpem, & metum, ſolicitudine anxia fluctuantibus, ſi nullum omnino electionis ſuæ teſtimonium habere meretentur? nouit Dominus qui ſunt eius & ſolus ipſe ſcit quos elegerit à principio.*

Quilibet poteſt moraliter ſuam prædeſtinationem cognoſcere.

1. Bernard.

Deinde, ità Bellar. lib. 3. de Iuſtificat. Medina de recta in Deum fide, quæſt. ſpeciali de certitudine prædeſtinationis, Vega lib. 12. in Concil. Trident. & communiter recent. interpretes ſancti Thomæ.

2.

Accedit ratio. Certitudo moralis conſurgit in nobis ex ſignis & coniecturis quibuſdam deſtinatis, & præſcriptis à Chriſto, aut etiam à Patribus ad hoc vt quis conijcere poſſit ſe eſſe prędeſtinatum; at ſigna iſta deprehenduntur verè in omnibus prædeſtinatis: ergo. Confirmatur minor: Ex doctrina D. Auguſtini, nullus cenſetur eſſe prædeſtinatus, qui de facto non cooperetur diuinæ vocationi, & electioni: ergo. Antecedens habetur expreſsè in libris de bono perſeuerantię, & de prædeſtinatione Sanctorum frequentiſſimè.

3.

Signa quibus moraliter prædeſtinatio dignoſci poteſt.

Rogabis, *Qua ſunt ſigna prædeſtinationis.* Reſp. Acceptationem & profeſſionem fidei Catholicæ vendicare ſibi primas partes inter hæc ſigna: ex illo Ioann. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Secundum ſignum eſt, auditio diuini verbi cum affectu de eo in omnibus & ſingulis adimplendo, ex cap. 8. Ioann. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* & cap. 10. *Oues*

Ioann. 1. verſ. 12. Idem 8. verſ. 47. Idem 10. verſ. 27.

Luc. 11. verſ. 28. Matth. 19. verſ. 17. Luc. 10. verſ. 25.

mea vocem meam audiunt. Luc. 11. *Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Tertium, adimpletio mandatorum Dei, ex cap. 19 Matth. *Si, vis ad vitam ingredi ſerua mandata:* & Luc. 10. *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* ait legis peritus ad Chriſtum: ſubiungit Chriſtus, *In lege quid ſcriptum eſt? hoc fac & vives.* Quartum & vltimum, ex iſtorum Theologorum ſententia cenſentur eſſe omnis actus ex ijs propter quas quilibet nuncupatur beatus in ſactis litteris, referuntur autem iſtę omnes operationes, Matth. 5. Luc. 8.

Alia ſigna prædeſtinationis ex D. Auguſtino.

Ex doctrina verò D Auguſtini humilitas cenſetur eſſe primum ſignum hominis prædeſtinati vt conſtat ex tractatu 25. in Ioan. *Quid*, inquit, *ſuperbis homo? filius Dei propter te humilis factus eſt. Puderet te forſitaſſe imitari humilem hominem, ſaltem imitare humilem Deum. Venit filius Dei in homine, & humilis factus eſt. Præcipitur tibi vt ſis humilis, non tibi præcipitur vt ex homine fias pecus. Ille Deus factus eſt homo, tu homo cognoſce quia es homo. Tota humilitas tua eſt, vt cognoſcas te. Ergo qui humilitatem docet Deus, dixit: Non veni facere voluntatem meam, ſed eius voluntatem qui miſit me. Hæc enim commendatio humilitatis eſt. Superbia quippe facit voluntatem ſuam, humilitas facit voluntatem Dei. Ideo qui ad me venerit, non ejiciam foras. Quare? quia non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Humilis veni, humilitatem docere veni, magiſter humilitatis veni. Qui ad me venit, incorporatur mihi: Qui ad me venit humilis ſit. Qui mihi adhæret, humilis erit: quia non facit voluntatem ſuam, ſed Dei. Doctor itaque humilitatis venit, non facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius qui miſit illum. Veniamus ad eum, intremus ad eum, incorporemur ei, vt nec nos faciamus voluntatem noſtram, ſed Dei: & nos non ejiciet foras, quia membra eius ſumus, qui caput noſtrum eſſe voluit docendo humilitatem.*

Secundum ſignum eſt charitas, ex cap. 18. lib. 15. de Trinit. *Nullum eſt iſto Dei dono excellentius. Solum eſt quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Danturque & alia per Spiritum ſanctum nunc a, ſed ſinè charitate nihil proſunt. Niſi ergo tantum impartiatur cuique Spiritus ſanctus, vt eum Dei & proximi faciat amatorem, à ſiniſtra non tranſfertur ad dexteram. Nec ſpiritus propriè dicitur donum, niſi propter dilectionem. Quam qui non habuerit, ſi linguis hominum loquatur & Angelorum, ſonans æramentum eſt & cymbalum tinniens.*

Reliquiæ mortis cedunt in bonũ electis.

Tertium ſignum eſt patientia in tribulationibus, ex lib. 13 de Trinit. cap. 16. *Quamuis enim & ipſa mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, tamen bonus eius vſus glorioſiſſimos martyres facit. Et idcò non ſolùm ipſa, ſed omnia huius ſæculi mala, dolores, laboreſque hominum, quamquam de peccatorum, & maximè de peccati originalis meritis veniãt, vnde facta eſt & ipſa vita vinculo mortis obſtricta, tamen & remiſſis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro veritate certaret, & vnde exerceretur virtus fidelium: vt nouus homo per teſtamentum nouum, inter mala huius ſæculi nouo ſæculo præpararetur, miſeriam quam meruit vita iſta damnata ſapienter tollerans, & quia finietur prudenter gratulans, beatitudinem verò quam liberata vita futura ſinè fine habitura eſt, fideliter & patienter expectans.*

Alij denique referunt inter ſigna prædeſtinationis profeſſionem vitæ monaſticę, ex illo, *Vos qui reliquiſtis omnia & ſecuti eſtis me:* pium item & religioſum affectum erga ſacratiſſimam Virginem; hæc enim eſt quæ in electis Dei mittit radices firmas, ne excidant à gratia Dei. Præterea volunt pertinere ad ſigna prædeſtinationis deuotionem & frequentem vſum ſacræ communionis, & frequentem meditationem coniunctam cum imitatione paſſionis Chriſti.

Ex iſtis ſignis poteſt quis, probabiliter tantùm, conijcere ſe eſſe prædeſtinatum, ſi perſpexerit hæc in ſeipſo verè dari. Noluit Deus prædeſtinationem de lege communi innoteſcere cuilibet, certò & indubitanter, idque quòd ſecuritas conſueuerit eſſe mater ſuperbiæ, vt author eſt D. Auguſtinus cap. 8. lib. de dono perſeuerant. *Non expedit* (inquit) *in huius vitæ tentatione ſecuritas, reprimit enim ab elatione pernicioſa illud Apoſtoli, qui videtur ſtare videat ne cadat.* & lib. de correptione & gratia cap. 13. *Quis* (inquit) *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat, quia id occultari ejus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Satanæ Angelum ne extolleretur, tantus colaphizatur Apoſtolus* & lib. 11. de Ciuitat. cap. 12. *Quis hominum* (inquit) *ſe in alterne profectuque inſtituit, perſeueraturum vſque in finem ſciat, niſi aliqua reuelatione ab illo ſiat certus, qui de hac re iuſto latentique iudicio non omnes inſtruit, ſed neminem fallit.* Idem docet Hieronym. contra Pelag. & Leo ſerm. 7. de paſſione Domini, & Gregor. Magnus in epiſt. ad Gregoriam Auguſti cubicularium. Certitudo ergo moralis de ſua prædeſtinatione, inducit tantùm probabilitatem, non autem manifeſtam euidentiam, atque ità eſt explicanda vltima Concluſio noſtra.

D. Auguſtini authoritas.

Hieron. Leo Mag. Gregor. Magn.

Diſſolutio argum. 1.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. conceſſa maiori, negando minorem; ad probationem autem non eſſe ſatis ad tollendam omnem omnino formidinem de oppoſito teſtimonium Spiritus ſancti, ſed præterea deſiderari vt conſtet certò, & indubitanter quod huiuſmodi teſtimonium ſit à Spiritu ſancto, & à nullo alio: nam non omnia quæ ſunt à Deo reuelata creduntur à nobis tanquam de fide, ſed ea quæ ſunt à Deo reuelata & proponuntur credenda authoritate Eccleſiæ: eſt enim Eccleſia ratio credendi, non quidem præcipua & principalis, hæc enim eſt veritas prima, ſed tantùm proponens: ità vt ratio aſſentiendi reuelatis à Deo refundatur in authoritatem Eccleſiæ tanquam in cauſam proponentem: Eccleſia autem non hactenus proſoluit alicui teneri ſe ad credendam propriam prædeſtinationem.

Deinde, ſi ſolum teſtimonium Spiritus ſancti ſufficeret ad credendum aliquid tanquam de fide, nullus eſſet qui poſſet certò definire hęc vel illa pertinere ad fidem Catholicam: Angelus enim tenebrarum transfigurat ſe in Angelum lucis, ex doctrina Pauli; ac proinde imponeret incautis, & minùs circumſpectis hominibus inter reuelandam prædeſtinationem, dicerétque inſpirationes ſuas eſſe Dei Opt. Max. illuſtrationes.

Ad 2. Sunt qui putent teſtimonium hoc Pauli, intelligendum eſſe de ſolis Apoſtolis, quibus diximus reuelatam fuiſſe propriam prædeſtinationem: neque obſtat quod retulimus de Paulo, eum egiſſe pœnitentiam, ne inter prædicandum alijs Euangelium, reprobaretur: nam ex hoc loco ſolùm colligitur pro eo tempore in quo verba hæc prolata fuere à Paulo, non innotuiſſe eidem certò, & indubitanter propriam prædeſtinationem: nihil tamen repugnat quominùs poſteà certitudinem eiuſdem fuerit aſſequutus. Quòd ſi teſtimonium hoc Pauli veniat explicandum de omnibus omnino prædeſtinatis, quemadmodum intelligi-

2.

tur à

tur à quibuſdam. Reſp. probari ex eo quoſlibet prædeſtinatos eſſe certos de ſua perſeuerantia in gratia, & charitate certitudine ſpei, non autem fidei: ſpes autem, coniuncta ſemper eſt cum aliqua formidine, quam tamen reſpuit fides diuina, reſpectu illius aſſenſus, qui datur in nobis, in ordine ad ea quæ credimus eſſe à Deo reuelata.

3. Ad 3. promiſſiones diuinas alias eſſe abſolutas, alias verò conditionatas: illæ ità ſunt à ſolo Deo, vt nulla ratione pendeant à cooperatione voluntatis creatę, vt conſtat ex Incarnatione, ex iudicio futuro, ex prædeſtinatione, & alijs propemodum innumeris: hæ verò licèt ſint à Deo veluti à cauſa præcipua, & principali, pendent etiam à cooperatione voluntatis creatæ, vt conſtat ex iuſtificatione hominis adulti, perſeuerantia, & glorificatione. Iſtis ergo omnibus promiſſionibus quilibet noſtrûm aſſentiri tenetur indubitanter, prout reſpiciunt totam hominum communionem; ità vt quilibet teneatur in particulari aſſerere Chriſtum eſſe incarnatum, diem iudicij futurum eſſe, aliquos eſſe prædeſtinatos, iuſtificandos, aliquos item perſeueraturos, & glorificandos in cœlis; nullus tamen eſt qui adſtringatur credere ſe pertinere ad numerum prædeſtinatorum, aut perſeueraturum in gratia, aut conſequuturum vitam æternam, ſed ſperare tantum debemus, & perſeuerantiam in bonis operibus, & adeptionem vitę æternę.

4. Ad 4. Reſp. Deum non deſeruiſſe electos pro eo tempore quo ſunt in hac vita mortali periculorum tempeſtatibus agitati: diximus enim ex ſignis quibuſdam præſcriptis à Chriſto, poſſe quemlibet conijcere ſe pertinere ad numerum electorum.

Vlt. Ad vltimam. Attritum qui conſequitur ſacramentum aliquod, & qui ex hypotheſi occiditur in odium Chriſti, ſtatim non poſſe certò & indubitanter intelligere ex iſtis ſolis capitibus ſe pertinere ad numerum electorum; nam licèt attritio cum ſacramento ſit infallibilis diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem obtinendam, & martyrium ſit actus charitatis, non tamen propterea certò & indubitanter poteſt hic cognoſcere, qui ex hypotheſi iſta omnia habet, ſe verè gratiam conſequuturum; nam neſcit an doleat de peccatis ex motione Spiritus ſancti; neſcit item certò an miniſter ſacramenti habuerit intentionem ne eſſariam ad illius validitatem; neſcit tandem an affectu charitatis, an verò præſumptionis patiatur propter Chriſtum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An prædeſtinatio ponat aliquid in prædeſtinato.

Prædeſtinatio actiuè ſumpta nihil ponit in prædeſtinato, bene tamen ſi ſumatur paſſiuè.

DOCET D. Thom. in hoc Articulo prædeſtinationem actiuè ſpectatam, ſeu, vt eſt in Deo prædeſtinante, nihil ponere in prædeſtinatis: bene tamen ſi ſpectetur paſſiuè; nam hac ratione nihil aliud eſt prædeſtinatio, quàm executio prædeſtinationis actiuè ſumptæ, ac proinde vt prædeſtinatio dicit gubernationem, & actualem executionem illius decreti, quo deſtinauit aliquos ad vitam æternam: tandem ſubiungit gratiam eſſe effectum prædeſtinationis, ideóque diſputant Theologi hoc loco de effectis ipſius.

A Notandum eſt cùm effectus reſpectu cuiuſcumque cauſę cenſeatur ille qui ab ea habet eſſe, is erit prædeſtinationis effectus qui ex ea oritur, & habet eſſe ex vi prædictę ordinationis; ſiue, vt alij Theologi loquuntur, qui eſt à Deo vt prædeſtinante, id eſt, vt tranſmittente in vitam æternam, & præparante beneficia quibus efficaciter homo ſaluetur: inter huiuſmodi autem effectus ſolent enumerari varij quorum aliqui pertinent ad ordinem ſupernaturalem, quales ſunt collatio gratię, & glorię, perſeuerantia in gratia, vocatio, iuſtificatio, augmentum gratię, opera bona ſupernaturalia, ſiue antecedentia iuſtificationem, ſiue ſubſequentia. Alij verò ſpectant ad ordinem naB turalem vt ſunt bona animi, corporis, & fortunę. Diſputatur etiam de quibuſdam alijs, vt malis culpę, aut pœnę, de permiſſione peccatorum, in quæ labitur prædeſtinatus; an videlicet hæc omnia ſint prædeſtinationis effectus: de quibus ſigillatim ſequentibus Dubitationibus.

Effectus prædeſtinationis alij ſunt naturalis alij verò ſupernaturalis ordinis.

DVBITATIO PRIMA.

An collatio gratiæ & gloriæ ſit effectus prædeſtinationis.

CONCLVSIO 1. *Adeptio gloriæ eſt effectus prædeſtinationis*, dicitur enim Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit, quos prædeſtinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos iuſtificauit illos & glorificauit.* C

Gloriæ aſſecutio eſt effectus prædeſtinationis.

Deinde, ex illis omnibus locis Scripturæ, in quibus dicitur de prædeſtinatione quòd ſit præparatio gloriæ, Matth. 25. *Poſſidete regnum quod paratum eſt vobis.* 1 Corinth. 2. *Oculus non vidit quæ Deus præparauit, iis qui diligunt illum.* Luc. 22. Actuum 13. & alibi. Rom. 8. verſ. 29. & 30. 2. Matth. 25. verſ. 34. 1. Cor. 2. verſ. 9.

Tertiò, illud omne quod habet effectum in prædeſtinatis, ex vi illius ordinationis quam Deus fecit ab æterno de danda vita æterna electis, cenſetur eſſe effectus prædeſtinationis, ex doctrina D. Auguſtini communiter; at gloria habet effectum in prædeſtinatis, & quidem ex vi illius deD ſtinationis, quam præſciuit Deus ab æterno, de danda vita æterna electis, vt conſtat ex cap. 25. Matth. citato. 3.

Quartò, collatio gloriæ eſt vltimus effectus prædeſtinationis: nam quod eſt primum in intentione, eſt poſtremum in executione; at gloria intenditur primo loco à Deo inter prædeſtinandum: diximus enim prædeſtinationem eſſe ordinationem quorumdam ad vitam æternam obtinendam, per hæc & illa media. Ità communiter Doctores hoc loco, & in 1. diſt. 40. 4.

Obiectio. Obijcit Durandus, qui contrariam ſequitur ſententiam diſt. proximè citata libri primi. Finis (inquit) prædeſtinationis nequit eſſe effectus eiuſdem, eſt enim finis prior prædeſtinatione, atqui gloria eſt finis prædeſtinationis.

Solutio. Reſpond. prædeſtinationem ſpectari, & item gloriam duobus modis, in intentione ſcilicet, & in executione: priori modo certum eſt gloriam eſſe finem prædeſtinationis, ac proinde antecedere eamdem; poſteriori tamen modo collatio gloriæ ſubſequitur prædeſtinationem; nam diximus quod primum eſt in intentione, poſtremum eſſe in executione: ergo cùm gloria intendatur à Deo primo loco prædeſtinante, & prædeſtinatio in intentione ſpectata reſpiciat gloriam, tanquam ſuũ

proximum finem gloriæ erit prior prædestinatione in intentione, in executione tamen posterior.

Gratia collata prædestinatis est effectus prædestinationis.

CONCLVSIO 2. *Qualibet gratia collata prædestinatis, est effectus prædestinationis, minime verò ea quæ datur reprobis.* Prima pars huius Conclusionis probatur ex cap. 1. Ephes. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius*: at sanctitas nostra formalis petenda est ex gratia gratum faciente, ex cap. 7. sess. 6. Concil. Trident.

1. Ephes. 1. vers. 4. Trident. 2. 3.

Deinde, docet D. Paulus loco proximè citato, per electionem diuinam electos constitui filios Dei; at filiatio Dei posita est in adeptione gratiæ.

Tertiò, quod iuuat ad vitam æternam obtinendam, censetur esse effectus prædestinationis, præsertim si auxilium hoc pendeat ab ordinatione Dei æterna; at gratia omnis quæ datur prædestinatis conducit ad vitam æternam obtinendam; respondet enim gloria perfectissimè & adæquatè gratiæ existenti in homine prædestinato, imò propter hanc causam nuncupatur gratia in sacris litteris, lumen gloriæ.

Secunda verò pars Conclusionis probatur. Nulla gratia reprobis concessa conducit ad vitam æternam obtinendam; reprobi quippe nulli donantur beatitudine æterna: ergo cùm de ratione effectus cuiuslibet prædestinationis, sit iuuare de facto ad vitam æternam obtinendam, nulla gratia reprobis data, erit effectus prædestinationis.

Denique, effectus prædestinationis debent esse infallibiles, ità vt de facto conducant ad vitam æternam consequendam. Ità docent D. Thom. hoc loco, & interpretes eiusdem omnes: Sententiarij communiter dist. 40 lib. 1. maximè verò Estius.

Obiectio.

Dices ex istis manifestè colligi non omnem gratiam datam prædestinatis esse effectum prædestinationis. Certum est enim plerosque ex prædestinatis, post adeptam gratiam labi in peccatum mortale, ac proinde amittere gratiam quam habebant, quæ nusquam eadem numero ijdem restituitur, omnium planè consensione.

Solutio.

Resp. non esse necesse ad hoc vt aliquid sit effectus prædestinationis, quòd idem non sit in esse actualis existentiæ; nam vocatio efficax computatur inter effectus prædestinationis, & tamen hæc secundùm esse actuale quod habet, non concurrit ad beatitudinem æternam obtinendam, pro eo tempore in quo quis eam consequitur de facto; desijt enim esse vocatio ista efficax secundùm suum esse actuale: auxilium item cum quo quis elicit actum contritionis, qui est vltima dispositio ad gratiam habitualem habendam est effectus prædestinationis; & tamen certum est auxilium hoc non esse in sua actuali existentia, quando prædestinatus beatitudine donatur, sed tantùm pro eo tempore in quo actus contritionis exercetur: ergo licèt gratia deperdita per peccatum mortale in homine prædestinato non sit in esse actualis existentiæ, quando aduenit gloria æterna, non tamen propterea gratia hæc desinit esse effectus prædestinationis; satis enim est, quòd ex vi ordinationis diuinæ conducat ad vitam æternam, vel proximè per seipsam, vel per aliquem effectum, quem in nobis produxit pro eo tempore quo gratia hæc habuit esse actuale: indubitatum est enim gratiam istam deperditam per peccatum mortale contulisse dignitatem aliquam actionibus factis liberè ab homine prædestinato. Deinde, peccatum mortale quod extinguit gratiam in prædestinato, non destruit eam simpliciter, ità vt impediat effectus illius semper, sed tantum secundùm quid, pro eo videlicet tempore in quo prædestinatus manebit in peccato mortali: remoto autem per veram penitentiam peccato huiusmodi, restituetur gratia deperdita, non quidem eadem numero sed specie, ac proinde conducet hac ratione ad gloriam.

Obiectio 2.

Dices eamdem esse rationem prædestinationis hominum, & Angelorum: Angeli autem non fuerunt prædestinati ad gratiam; fuerunt quippe in ea creati ex communi doctrina.

Solutio.

Resp. Quidquid sit de maiori, negando minorem: ad probationem autem, homines non minùs fuisse creatos in gratia, quàm sint Angeli, & tamen diximus gratiam omnem datam prædestinatis censeri effectum prædestinationis; idque quòd ex vi ordinationis diuinæ facta ab æterno, iuuetur prædestinatus in adeptione visionis beatificæ.

Notabile.

Moneo tamen non omnè gratiam datam cuilibet prædestinato esse gratiam reparationis; nam Angelis prædestinatis data est gratia, itémque primis parentibus in statu innocentiæ, & tamen gratiæ istæ non sunt gratiæ reparationis, non enim fuerunt datæ primis parentibus, aut etiam Angelis dependenter à meritis Christi, eò quòd Christus non erat venturus Adamo non peccante, & consequenter ex speciali aliqua alia prouidentia ordinis supernaturalis datæ fuerunt gratiæ istæ Angelis & primis parentibus in statu innocentiæ constitutis: gratia nihilominùs omnis quæ datur prædestinatis descendentibus à primis parentibus, est gratia reparationis, supponit enim simpliciter merita Christi, vt probabitur inferius.

Alia obiectio.

Obijcies, prædestinationem & reprobationem opponi; atqui reprobatio respicit tantùm inflictionem pœnæ æternæ, non autem media; inter hæc namque computatur peccatum cuius Deus neque est, nec potest esse author: ergo gratia non est effectus prædestinationis, sed tantum gloriæ.

Solutio.

Resp. prædestinationem & reprobationem esse tantùm disparata, non autem opposita, nisi sermo sit de istis in ordine ad vltimos suos effectus: gloria enim beatitudo creaturæ rationalis est; pœna verò æterna est summa eiusdem infelicitas, quæ quidem sunt opposita, non autem prædestinatio & reprobatio.

Aduerte neminem eligi apud nos ad hoc vt fiat bonus; non enim est in potestate hominis eligentis aliquem ad aliquid operandum facere eumdem bonum: Deus tamen eos quos eligit ideò eligit, vt eos faciat bonos, ex Paulo Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti, & immaculati.*

DVBITATIO SECVNDA.

An perseuerantia sit effectus prædestinationis.

Perseuerantia est effectus prædestinationis.

CONCLVSIO affirmatiua, quia dicitur Matth. 10. & 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.*

Deinde, quia docet ità verbis expressis Concil. Trident. sess. 6 cap. 13. & can 22.

Trident. August.

Tertiò, hæc est mens diui Augustini in lib. ad Simplicianum, de dono perseuerantiæ, & de prædest. Sanctorum frequentissimè.

Denique, inter media quæ maximè conducunt ad vitam æternam, nullum datur magis efficax quàm sit perseuerantia.

Obijcies,

Digitized by Google

Obijcies Traianum & alios nonnullos de facto mortuos eſſe in peccato mortali, & tamen conſequuti ſunt vitam æternam.

Traianus in peccato mortalis defunctus, ſpecialis Dei priuilegio gloriam conſequutus eſt.

Reſp. non deeſſe qui putent fabuloſam eſſe narrationem de ſalute Traiani: D. tamen Thom. & alij plerique ſchoaſt. putant Traiano licet in peccato mortali mortuo contigiſſe poſt mortem gloriam; ceterùm ex ſpeciali Dei priuilegio. Illud idem dicendum eſt de alijs nonnullis quos refert Surius in opere de vitis ſanctorum: de hiſtoria autem Traiani lege Bellar. lib. 2. de Purgatorio.

DVBITATIO TERTIA.

An vocatio efficax, iuſtificatio à peccato mortali, & denique augmentum gratiæ, ſint effectus prædeſtinationis, in prædeſtinatis.

Vocatio efficax, iuſtificatio à peccato mort. & augmentum gratiæ ſunt effectus prædeſtinationis. 2. Tim. 1. verſ. 8. D. Auguſt.

CONVENIT de hac re inter omnes, vocationem efficacem pertinere ad effectus prædeſtinationis reſpectu cuiuſlibet prædeſtinati, & quidem meritò: dicitur enim Rom. 8. *Quos præſcijt hos prædeſtinauit*, & cap. 1. poſterioris ad Timoth. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta.*

Deinde, hæc eſt Patrum ſententia Auguſtini lib. 2. contra duas epiſt. Pelagianorum cap. 10. & de prædeſt. Sanctorum, & lib. 1. ad Simplicianum, cap. 17.

Tertiò, vocatio efficax, itemque iuſtificatio à peccato mortali, & augmentum eiuſdem in quibuſuis prædeſtinatis, conducunt ad vitam æternam, ex vi illius ordinationis quam fecit Deus ab æterno de danda quibuſdam vita æterna per hæc & illa media: ergo erũt hęc tria effectus prædeſtinationis. Ita authores ſupra citati Dubitatione 1.

Obiectio.

Obijcies, vocari omnes & ſingulos ad regnum æternum, propter hanc enim cauſam præcepit Chriſtus Apoſtolis, vt proficiſcerentur ad quaſlibet partes vniuerſi quatenus omnes & ſingulos docerent myſteria fidei, & eiſdem ſacramentum baptiſmatis applicarent Marc. & Matth. vltimo.

Solutio.

Reſp. probari tantùm iſtis locis omnes & ſingulos vocari ad vitam æternam, ceterùm vocatione ineffica, quæ non computatur inter effectus prædeſtinationis, quia nullum conſequitur effectum in nobis: vocatione autem efficaci, vocantur tantùm prædeſtinati, ac proinde iuuat hęc prædeſtinatum in conſecutione vitæ æternæ, ſi non per ſeipſam proximè & immediate, ſaltem reſpectu illius effectus quem producit in prædeſtinatis.

DVBITATIO QVARTA.

An opera quælibet ordinis ſupernaturalis, antecedentia iuſtificationem in prædeſtinatis, ſint effectus prædeſtinationis, & item ſubſequentia iuſtificationem.

Opera ordinis ſupernaturalis, quæ antecedunt iuſtificationem ſunt effectus prædeſtinationis. Ioann. 1. verſ. 12. Matth. vlt. verſ. 16.

CONCLVSIO 1. *Omnia & ſingula opera ordinis ſupernaturalis antecedentia iuſtificationem in prædeſtinatis ſunt effectus prædeſtinationis.* Primùm, quia certum eſt opera iſta poſſe eſſe imperata, vel etiam elicita ab habitibus fidei & ſpei ſupernaturalis; at certum eſt actus fidei & ſpei, vt ſic, conducere ad vitæ æternæ adeptionem; dicitur enim Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis qui credunt.* Marc. 16. *Qui crediderit ſaluus erit.* Concil. item Trid. ſeſſ. 6. docet initium noſtræ iuſtificationis refundendum eſſe in fidem, iuxta illud Prophetę: *Iuſtus meus ex fide ſua viuet*, & ad Rom. cap. 8. dicitur, *Spe ſalui facti ſumus.* Trident. Habac. 2. verſ. 4. Rom. 8. verſ. 24.

Obiectio.

Obijcies, opera iſta eſſe facta extra charitatem, ac proinde inepta plane eſſe ad hoc vt referantur ad vitam æternam.

Solutio.

Reſp. opera iſta ſupernaturalia poſſe referri ad vitam æternam duobus modis: Primò, ità vt gloria reſpiciat iſta bona opera tanquam præmium eis de condigno debitum; altero, ità vt bona iſta ſupernaturalia diſponant remotè ad vitam æternam obtinendam, aut etiam remouendo quædam impedimenta conſequendę ſalutis. Priori modo, certum eſt bona iſta opera non reſpicere vitam æternam; hæc enim debetur tantùm bonis operibus ex gratia factis, in ratione præmij, & mercedis de condigno, vt fatentur omnes in tractatu de merito: Poſteriori tamen modo certum eſt vitam æternam reſpicere bona iſta opera ſupernaturalia, cùm actus fidei, ſpei, & contritionis, qui eſt vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem comparandam in omnibus prædeſtinatis, diſponat hominem prædeſtinatum ad habendam tandem vitam æternam. Ità communiter omnes, maximè verò Suarez lib. 3. de prædeſtinatione.

Addunt, nedum iſta bona opera eſſe effectus prædeſtinationis in prædeſtinatis, ſed etiam ſub ea ratione, qua huiuſmodi opera ſunt à Deo, & à nobis: nam licet facta in peccato mortali nuncupantur à patribus dona Dei, vt videre eſt apud D. Auguſtinum cap. 20 lib. de prædeſt. Sanctorum & cap. 13. lib de gratia, & libero arbit. & cap. 14. lib. de bono perſeuerantiæ. Deinde ex Scripturis ſacris, Concilijs, & Patribus habemus, fieri non poſſe vt vllus actus ordinis ſupernaturalis, detur in nobis ſinè ſpeciali Dei auxilio, Ioan. 15. 15. *Niſi palmes manſerit in vite*, j. Chriſto, *non poteſt fructum ferre*, & rurſus, *Sine me nihil poteſtis facere*: idem dicitur in Concil. Mileuitano, Araſicano II. & Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. Denique bonus vſus liberi arbitrij, cenſetur eſſe effectus prædeſtinationis in prædeſtinatis, vt author eſt D. Auguſt. lib. proximè citato. D. Auguſt. Ioann. 15. v. 4. & 5. Concil. Mileuit. Araſican. Trident.

Solutio 2.

Reſp. 2. opera conſequentia iuſtificationem in prædeſtinatis, eſſe effectus prædeſtinationis; nam omnia iſta opera, cùm ſint coniuncta gratię gratum facienti, remunerabuntur in cœlis præmio vitæ æternæ, vt docent omnes in tract. de merito.

Ex iſtis colliges, applicationem myſterij incarnationis, mortis & paſſionis Chriſti, & Sacramentorum in omnibus prædeſtinatis eſſe effectus prædeſtinationis; iuuant enim hæc prædeſtinatum inter conſequendum vitam æternam. Secus tamen dicendum eſt de iſtis quatenus applicantur reprobis; nam ſunt effectus voluntatis antecedentis Dei, reſpectu reproborum, & præterea non illis proſunt vt beatitudine de facto aliquando fruantur.

DVBITATIO QVINTA.

An bona animi, corporis, & fortunæ ſint effectus prædeſtinationis.

CONCLVSIO. *Bona iſta pertinent ad effectus prædeſtinationis non quidem per ſe, ſed per accidens, quatenus ſcilicet iuuant prædeſtinatos*

Digitized by Google

ex motiuo aliquo ordinis ſupernaturalis ad gloriam habendam. Primò, quia dicitur Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti:* Quo loco aduertenda eſt particula iſta, *omnia*, includit enim quodlibet bonum tam ſupernaturale, quàm naturale, ex communi patrum obſeruatione.

Chryſoſt. Hieronym. Anſelm. Auguſt. D. Thom. Deinde, hæc eſt expreſſa ſententia Chryſoſt. Hieronym. Anſelm, & aliorum quorumdam ad hunc locum. D. Auguſtini de bono perſeuerant. cap. 17. & D. Thom. art. 8. huius quæſt.

Matth. 25. verſ. 34. Luc. 16. verſ. 9. Idem 11. verſ. 41. Daniel. 4. verſ. 24. Fauet ratio. Prima; bona fortunæ conducunt de facto ad vitam æternam conſequendam; nam Matth. 25. dicitur; *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum:* ſubiungit autem rationem, *Eſurini enim & dediſtis mihi manducare.* & Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, &c.* & cap. 11. *Date eleemoſynam, & hæc omnia munda ſunt vobis.* & Daniel 4. *Redime peccata tua eleemoſynis.*

Præterea, bona animi, fortunæ, & corporis, poſſunt eſſe obiecta virtutum ſupernaturalium, ex communi doctrina: nihil enim impedit quominus quis dotes intellectus & voluntatis ordinet ad ſalutem proximi, idque ex motiuo ſolius chrritatis. Indubitatum eſt etiam bona fortunæ poſſe ſubijci, nedum virtutibus moralibus, ſed etiam ſupernaturalibus, vt patet in eo qui dat eleemoſynam propter Deum: ergo cùm illud omne quod conducit ad vitam æternam computetur inter effectus prædeſtinationis, bona proximè commemorata erunt effectus illius.

Obiectio. Obijcies, media debere eſſe eiuſdem ordinis cum fine: atqui finis prædeſtinationis eſt ſimpliciter ſupernaturalis, bona verò animi, corporis, & fortunæ ſunt res aliquæ naturales.

Solutio. Reſp. conceſſa maiore, negando ſecundam partem minoris; bona quippe animi, corporis, & fortunę, ſpectantur duobus modis, vel ſecundùm proprias quidditates & eſſentias, vel vt afficiuntur extrinſecè à virtute aliqua ordinis ſupernaturalis: priori modo certũ eſt bona iſta nulla ratione eſſe effectus prædeſtinationis, ità enim ſunt tantùm res aliquæ naturales, ineptæ ad rem aliquam ſupernaturalem obtinendam: poſteriori tamen modo cenſentur eſſe ordinis ſupernaturalis, non quidem per ſe & ſua natura, ſed tantum per accidens, qua ratione conducunt ad beatitudinem in prędeſtinatis, vt patet exemplo martyrij: hoc enim ſpectatum iuxta propriam eſſentiam cenſetur eſſe effectus virtutis fortitudinis, cùm ſit actus elicitus à fortitudine, omnium conſenſione; comparatum tamen martyrium cum charitate, quatenus ſcilicet datur in nobis ex motiuo & imperio charitatis, aut anteponitur quibuſuis alijs actionibus humanis, & præ ceteris omnibus conducit ad felicitatem, ex illo Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Ioan. 15. verſ. 13.

Obiectio 2. Obijcies 2. D. Auguſtinum definire prædeſtinationem, præparationem donorum ad vitam æternam; dotes autem animi naturales, & bona corporis non dicuntur dona, ſed debita quædam naturalia.

Solutio. Reſpond. prædeſtinationem eſſe præparationem donorum ad vitam æternam, vel per ſe, vel per accidens, bona autem proximè commemorata ſunt dona per accidens ad felicitatem conducentia, vt diximus in antecentibus.

Obiectio 3. Obijcies 3. extare orationem aliquam inter eas quas Eccleſia frequentiſſimè recitat, in qua dicitur, *Sic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna.*

Solutio. Reſpond. hæc ideò Eccleſiam precari, quoniam bona iſta temporalia præbent vt plurimum occaſionem peccandi, propter hanc cauſam Luc. 8. diuitiæ nuncupantur ſpinæ, vt pluribus obſeruat D. Greg. homil. 15. in Euangel. & Eccleſ. 31. ob eamdem rationem dicitur, *Beatus vir qui inuentus eſt ſinè macula, & qui poſt aurum non abiit.* Ex iſtis tamen non licet colligere, bona fortunæ, minimè pertinere ad effectus prædeſtinationis, in quibuſdam prædeſtinatis: nam licèt per ſe & ſua natura nullam dicant proportionem cum vita æterna, ex motiuo tamen alicuius virtutis ſupernaturalis retinent conformitatem cum illa; ac proinde ex ordinatione Dei Opt. Max. erunt media prædeſtinationis per accidens ſaltem.

Eccleſ. 31. verſ. 8.

DVBITATIO SEXTA.

An mala culpæ & pœna ſint effectus prædeſtinationis in prædeſtinatis.

Malũ pœna in prædeſtinatis eſt effectus prædeſtinationis, malum verò culpæ nequaquã.

CONCLVSIO 1. *Mala culpæ non poſſunt habere rationem effectus prædeſtinationis in prædeſtinatis*; ſunt enim hæc intrinſeca mala, quibus debetur pœna æterna vel temporalis; non autem gloria: pœna quippe eſt ità coniuncta cum peccato, vt ſequatur naturam & eſſentiam peccati, quemadmodum laus & præmium conſequuntur naturam cuiuſlibet boni. Deinde, quilibet effectus prædeſtinationis debet eſſe à Deo tanquam à cauſa efficiente: peccatum autem non eſt, nec eſſe poteſt à Deo. Tertiò, omnis effectus prædeſtinationis debet conducere ad beatitudinem; atqui mala culpæ arcent hominem ab illa, vt manifeſtè colligitur ex cap. 25. Matth. *Diſcedite à me maledicti*, &c. Denique, effectus prædeſtinationis ſubijciuntur prouidentię ſupernaturali diuinę, at mala culpę, ſunt extra ordinem diuinę prouidentię ſupernaturalis, & ité naturalis; non enim intenduntur à Deo, aut etiam intendi poſſunt.

Matth. 25. verſ. 41.

Obiectio. Dices, permiſſionem peccati eſſe effectum prędeſtinationis: ergo & peccatum.

Solutio. Reſp. quidquid ſit de antecedente, negando conſecutionem: nam permiſſio peccati materialiter ſpectata, eſt res aliqua bona; peccatum autem, vt ſic, nullam habet bonitatem. Deinde, non neceſſariò coniungitur cum permiſſione peccati, ſed tantummodo liberè, idque quòd creatura rationalis cum indifferentia peccet; minimè verò dependenter ab eo actu quo Deus voluit permittere peccatum.

CONCLVSIO 2. *Mala pœna in prædeſtinatis habent rationem effectus prædeſtinationis*; dicitur enim Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Deinde, hæc eſt mens ſanctorum Patrum, Ambroſij, Chryſoſt. Anſel. & multorum aliorum, ad locum proximè citatum Pauli.

Rom. 8. verſ. 28.

Denique, mala iſta iuuant prædeſtinatos in conſequenda vita æterna; dicitur enim Luc. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, id eſt, ſaluabitis. & Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur, propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, & Iacob. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ.*

Luc. 21. verſ. 19. Matth. 5. verſ. 10. Iacob. 1. verſ. 12.

DVBI-

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An permiſſio peccati ſit effectus prædeſtinationis.

Probabiliter oſtenditur permiſſionem peccati eſſe, effectũ prædeſtinationis.

CONCLVSIO. *Probabile eſt permiſſionem peccati in prædeſtinatis eſſe effectum prædeſtinationis, non quidem per ſe, ſed per accidens.* Diximus enim Dubit proximè antecedente permiſſionem peccati eſſe per ſe bonam.

Deinde, reſpicit hæc in prædeſtinatis penitentiam, & auxilia efficacia, per quæ prædeſtinatus reſurget à peccatis, & quidem ex vi ordinationis diuinę factę ab æterno de danda beatitudine iſtis prædeſtinatis.

Tertiò, ſancti Patres communiter docent, Deum permittere mala in commodum & vtilitatem Sanctorum. *Omnis*, inquit D. Auguſt. *malus, aut ideò vivit vt corrigatur, aut ideò vivit*, &c. Denique, ità docent omnes veteres Theologi, vt obſeruauit Suarez cap. 8. lib. 3. de prædeſtinat. qui huic opinioni ſubſcripſit.

D. Auguſt.

Obiectio.

Dices, media prædeſtinationis efficaciter & infallibiliter tuos conſequuntur effectus, quod tamen non poteſt dici de permiſſione peccati.

Solutio.

Reſp. conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: permiſſio enim peccati ſpectatur duobus modis, vel præcisè, vt eſt permiſſio peccati, quæ cenſetur eſſe aliquis actus immanens diuinę voluntatis; vel ſpectatur hæc, vt eſt coniuncta cum peccato, dependenter tamen à creatura rationali. Priori modo certum eſt permiſſionem peccati non eſſe effectum prędeſtinationis, nihil enim ponit in prædeſtinato. Poſteriori tamen modo cenſetur eſſe effectus prædeſtinationis, non quidem pręcisè ſpectata hoc modo, ſed vt Deus poſita illa permiſſione, cum peccato intendit conferre auxilia quędam efficacia iſti prædeſtinato, per quę reſurgat de facto ab huiuſmodi peccato commiſſo, & debitam penitentiam perficiat.

Probabile etiã eſt permiſſionem peccati non eſſe effectum prędeſtinationis.

Eſt etiam probabile permiſſionem peccati non eſſe effectum prędeſtinationis etiam per accidens, iuxta modum explicatum in ſolutione obiectionis. Primum, quia permiſſio peccati reſpicit malũ, non autem bonum, ſaltem vt eſt permiſſio peccati.

Deinde, ad hoc vt aliquid ſit effectus prædeſtinationis etiam per accidens, deſideratur vt res hæc de facto inſeruiat glorię conſecutioni, & vt ſit à Deo definita tanquam medium ad hunc finem; hęc autem duo nequeunt dici de permiſſione peccati, cùm intrinſecè reſpiciat peccatum.

1.
2.

Tertio, ſi quæ eſſet ratio propter quam diceremus permiſſionem peccati eſſe effectum prædeſtinationis, hæc maximè eſſet, quòd reſpiciat penitentiam, & auxilia efficacia per quæ prædeſtinatus reſurget à peccato; at ratio hæc eſt ineffcax: nam prædeſtinatio, & quilibet eius effectus, præcedit præuiſionem cuiuſlibet operis boni, vel mali prædeſtinatorum, vt probabitur inferius: reparatio autem peccati alicuius prædeſtinati, præſupponit peccati cognitionem quod committitur à prædeſtinato.

3.

Denique, ſi Deus permittit peccata in prędeſtinatis ex voluntate efficaci ea reparandi, intelligi nequit quin Deus ſit author iſtius peccati, aut certè quòd ſit in poteſtate creaturę vitare huiuſmodi peccatũ; effectus quippe prædeſtinationis ſunt infallibiles: atqui citra impietatem dici nequit Deum eſſe authorẽ peccati. Certum eſt etiam hominẽ in hac vita conſtitutũ poſſe declinare quælibet peccata, in ſuis omnibus actionibus. Ità ſentiunt multi recentiores, pluribus verò Vazq. diſp. 93. cap. 2.

4.

In 1. partem D. Thom.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Deus aliquem hominem reprobet.

RESPONDETVR affirmatiuè: tum quia in argumento, ſed contra dicitur, Malach. 1. *Iacob dilexi, Eſaũ autem odio habui*, tum etiam quia cum reprobatio ſit pars diuinæ prouidentiæ, pertinet ad illam permittere aliquos defectus in creatura rationali, ratione quorum excludatur à conſecutione vitę æternę, vnde ſicut, inquit D. Thom. prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam; ità reprobatio includet voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam & inferendi damnationis pœnam pro culpa.

Malach. 1. verſ. 3.

D. Thom.

Ob hanc doctrinam ſolent Theologi diſputare de effectis reprobationis, quales cenſetur qui ab ea cauſantur, vel procedunt à Deo vt reprobante, ſicut diximus præcedenti articulo de prædeſtinationis effectibus. Controuerſia autem eſt de tribus, 1. de inflictione pœnarum quas patiuntur damnati, 2. de peccatis quæ reprobi committunt, 3. de permiſſione labendi in peccata: de quibus ſuo ordine.

DVBITATIO PRIMA.

An inflictio pœnarum æternarum computetur inter effectus reprobationis.

RESPONDENT omnes affirmatiuè: Conantur autem reſponſionem iſtam comprobare ex cap. 25. Matth. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*: Reprobare quippe nihil aliud eſt quàm deſtinare & adiudicare quempiam pœnis æternis, ſuppoſito tamen peccato finali. Deinde, conſecutio vitę æternę eſt effectus prædeſtinationis: erit ergo illud idem dicendum de conſecutione pœnarum æternarum reſpectu reprobationis.

DVBITATIO SECVNDA.

An peccatum ſit effectus reprobationis.

Error hæreticorum.

CALVINISTÆ in eo ſunt errore, vt putent non minùs peccata quælibet eſſe effectus Dei reprobantis aliquos, quàm ſint bona opera effectus Dei prædeſtinantis, & ordinantis aliquos in vitam æternam, per hæc & illa bona opera: ac proinde docent Deum non minùs eſſe cauſam reprobationis Iudæ, & peccati eiuſdem, quàm ſit cauſa vocationis, & electionis Pauli.

Peccatum nullum eſt effectus reprobationis. Geneſ. 1. verſ. 31. 1. Tim. 4. verſ. 4.

CONCLVSIO. *Nullum peccatum poteſt eſſe effectus reprobationis.* Primum, quia effectus quilibet reprobationis eſt entitas aliqua vera, & realis, ac proinde bona; omne enim quod producitur à Deo bonum eſt, Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, & 1. Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt*: at nulla datur bonitas nec dari poteſt in peccato. Confirmatur. Omnis effectus reprobationis eſt à Deo tanquam à cauſa efficiente (definitur enim reprobatio, deſtinatio quorumdam ad pœnas æternas, per hæc & illa media facta à Deo ex omni æternitate ſup-

posita tamen prius culpa mortali finali in quoli- A
bet reprobo) at peccatum nequit esse à Deo veluti
à causa efficiente; cùm enim Deus sit summa &
prima veritas non potest vlla ratione deficere: igi-
tur.

Tertiò, omnis effectus reprobationis subijci-
tur diuinę prouidentię, non minùs quàm effectus
prædestinationis: atqui peccata non subijciuntur
diuinę prouidentię, non enim fiunt hæc vel se-
cundum voluntatem Dei consequentem, nec con-
tra eamdem: Diximus enim voluntatem istam
semper impleri quæst. 19. huius partis; fiunt ergo
peccata præter voluntatem Dei consequentem:
ergo sunt extra latitudinem prouidentię diuinę. B
D. Augusti. Ita docent Patres, D. Augustinus de spiritu & lit-
ter. cap. 3. & lib. 2. de peccat. meritis, cap. 17. &
alij.

Obiectio. Obijciunt hæretici, D. Augustinum affirmare
Deum mouere corda hominum ad peccata quæ-
dam committenda: ità habet cap. 2. libri de li-
bero arbitrio.

Solutio. Resp. hæc intelligenda esse non causaliter &
effectiuè, sed tantummodò permissiuè; ità vt ve-
lit D. Augustinus Deum permittere peccata quæ-
dam fieri ab hominibus, non autem quòd Deus
verè moueat quempiam, alliciat, aut inducat
ad vllum planè peccatum quantumuis minimum
committendum.

Sunt qui aliter respondeant: Deum mouere C
corda hominum ad peccandum, non quidem per-
suadendo aut inducendo malitiam, sed tantùm
gratiam subtrahendo, non quamlibet, sed tantùm
efficacem, sufficientem enim vnicuique quantum-
uis scelcratissimo confert, vt possit vitare quam-
cumque culpam.

Deus per accidens est causa peccati, non per se. Respondent denique alij, Deum mouere ad
peccata committenda non quidem per se, sed per
accidens, quatenus scilicet confert interdum re-
probis quibusdam tantam bonorum temporalium
copiam, vt ex eorum redundantia sequatur in
illis, nedum abusus huiusmodi facultatum, sed
etiam contemptus ipsiusmet Dei, vt constat exem-
plo Dauid: ità enim loquitur de seipso, Psal. 29.
Dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum: D
Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus:
quod idem est ac si diceret, Ex abundantia bono-
rum subsecuta est in me quædam non satis cir-
cumspecta animi elatio, aut etiam delectatio, qua
posita retraxit Deus quodammodo suam gratiam
à me, & factus sum conturbatus, id est, statim
lapsus sum in grauia peccata.

Obiectio. Obijciunt, neminem reprobari, nisi præuiso
peccato mortali finali: ergo saltem hoc pecca-
tum erit effectus reprobationis.

Solutio. Respondetur, concesso antecedente, negando
consecutionem; ex isto namque antecedente so-
lum colligere licet, peccatum finale mortale esse
aliquid prærequisitum antecedenter ad reproba-
tionem, non autem effectum reprobationis; E
quemadmodum peccatum aliquod enorme præ-
supponitur in aliquo homine antequàm possit
authoritate magistratus vllo supplicio affici: vti
ergo crimen hoc enorme non est effectus magi-
stratus cùm adiudicat istum hominem
supplicio mortis, ità neque peccatum
finale est effectus Dei reprobantis, neque reprobationis.

DVBITATIO TERTIA.

An permissio peccati sit effectus reprobationis.

Sententia Gabrielis. SVNT qui putent partem negantem esse in-
dubitatam; idque quòd nomine permissionis
peccati significetur voluntas creata libera, ac pro-
inde prout est indefinita ad bene vel malè agen-
dum: ergo permissio peccati non est effectus re-
probationis in reprobis; nam ad hoc vt aliquid sit
effectus reprobationis, debet deseruire ad pœnas
æternas subeundas, & quidem ex vi illius ordina-
tionis, quam fecit Deus ab æterno, de infligen-
dis pœnis æternis propter peccatum finale in quo
quis moritur; at voluntas creata, vt est indefini-
ta & indeterminata ad bene vel malè agendum,
non conducit ad pœnas æternas sustinendas ex vi
ordinationis diuinæ; hæc enim voluntas creata
non minùs est indefinita ad bene vel malè operan-
dum in prædestinatis, quàm sit in reprobis, neque
tamen propterea permissio peccati censetur esse
effectus prædestinationis saltem per se: ergo.

Deinde, posita permissione peccati finalis in
quolibet reprobo, datur illi auxilium suffi-
ciens, ad hoc vt fugiat, & declinet peccatum fi-
nale: ergo permissio istius peccati non potest di-
ci effectus reprobationis, nam hic debet esse in-
fallibilis ex vi ordinationis diuinæ, omnium con-
sensu: at peccatum finale non est infallibile in
reprobis ex vi ordinationis diuinæ, non enim
Deus vult aut intendit huiusmodi peccatum, sed
è contra confert reprobo gratiam per quam possit
illud vitare. Ità sentiunt Gabriel in 1. dist. 40.
Sotus ad cap. 9. epist. ad Rom. licèt posteà sen-
tentiam istam emendauerit, vt constat ex his quæ
scripsit ad finem lib. 4. Sententiarum.

In reprobis permissio peccati est effectus reprobationis. CONCLVSIO 1. *Permissio peccati est effe-
ctus reprobationis in quolibet reprobo.* Probatur ab
aliquibus: permissio peccati nihil aliud est quàm
subtractio auxilij efficacis, seu gratiæ congruen-
tis: ergo permissio peccati in quolibet reprobo,
erit effectus reprobationis; ex defectu quippe
auxilij efficacis & gratię congruentis sequitur in-
fallibiliter peccatum in quolibet reprobo, est
enim de natura gratiæ congruentis seu efficacis de
facto suos effectus producere.

Probat. 1.

Ceterùm, quia non conuenit inter authores 2.
de principio proximè posito, longè aliter pro-
banda est Conclusio, & quidem ex cap. 9. Rom. Rom. 9.
Sustinuit Deus in multa patientia vasa iræ, vt vers. 23.
ostenderet diuitias in vasa misericordiæ: quo loco
particula, *sustinuit in multa patientia*, est ad-
uertenda; significat enim manifestam permissio-
nem.

Deinde, permissio peccati in reprobis, vel
est effectus prædestinationis, vel reprobationis:
consurgit enim tota prouidentia quam Deus ha-
bet de creatura rationali ex prædestinatione &
reprobatione, veluti ex suis partibus; atqui per-
missio peccati in reprobis nequit esse effectus præ-
destinationis: sunt enim isti extra seriem prædes-
tinatorum, vt posteà probabitur.

Tertiò, licèt permissio peccati in reprobis non
dicat necessariam connexionem cum peccato eo-
rumdem, nec sit pars iustitiæ vindicatiuæ; est
tamen aliquid verè & realiter à Deo volitum, &
conducit ad reprobandos aliquos ex vi ordinatio-
nis diuinę; si enim Deus noluisset permittere vlla

planè

Digitized by Google

plane peccata nullus quoque daretur reprobus; dicemus enim art. 5. huius quæſt. Deum neminem reprobare, niſi ſuppoſito peccato finali mortali, præcognito: ità docent D. Thom. hoc loco ad 2. Antonius Corduben ſis, quæſt 5. Bannez, Molina, Zumel hoc loco, Albertus, & Bonauent. diſt. proximè citata, & multi recent.

In permiſſione peccati reperiuntur duo, vnum poſitiuum, alterum negatiuum.

Aduerte, in permiſſione peccati reperiri aliquid poſitiuum, & negatiuum. Primum cenſetur eſſe concurſus Dei, quo vult concurrere cum creatura rationali, ad producendum materiale peccati, ſuppoſita tamen prius determinatione creaturæ rationalis ad producendum peccatum. Secundum verò eſt, negatio gratiæ congruentis, ſeu quod idem eſt, auxilij efficacis; ſi enim Deus B contuliſſet auxilium efficax, rationalis creatura nullum admiſiſſet peccatum, idq; quòd de ratione congruentis ſeu efficacis ſit ſemper ſuos producere effectus, vt fatentur omnes in tractatu de gratia efficaci. Primum ergo non eſt effectus reprobationis, debetur enim concurſus hic cuilibet creaturæ rationali, ex illa prouidentia qua vult concurrere, cum qualibet re creata, vt poſſit operari. Secundum verò cenſetur eſſe effectus reprobationis; nam quod confert ad non prædeſtinandum, & quidem ex vi ordinationis diuinæ cenſetur eſſe effectus reprobationis, vt indicat D. Thom. hoc loco, & fatentur communiter interpretes eiuſdem: at ſubtractio gratiæ efficacis C facit ad non prædeſtinandum, & quidem ex vi illius actus quo Deus ex omni æternitate voluit aliquos reprobare, præuiſa tamen & præſuppoſita culpa mortali finali in illis: ergo permiſſio peccati, vt dicit ſubtractionem auxilij efficacis erit effectus reprobationis.

Reprobatio eſt duplex, vna poſitiua, altera negatiua, & latius, non vero illius, permiſſio peccati eſt effectus in reprobis.

Aduerte 2. Reprobationem eſſe duplicem, poſitiuam ſcilicet & negatiuam: illa definitur, deſtinatio & ordinatio quorumdam ad pœnas æternas ſuſtinendas, præuiſa tamen prius culpa finali mortali cuiuſlibet reprobi, ità vt nullus reprobetur à Deo poſitiuè, niſi propter culpam finalem mortalem, quæ datur in reprobo, & quam Deus ab æterno notam & per- D ſpectam habuit, antequàm reprobauerit, aut voluerit reprobare quempiam: hæc verò definitur, derelictio quorumdam in maſſa perditionis Adæ in eo inſtanti, quo Deus ex omni æternitate elegit aliquos ex eadem maſſa perditionis, & ordinauit illos ad vitam æternam infallibiliter obtinendam.

Permiſſio peccati non eſt effectus reprobationis poſitiua ſed negatiua. Probat. 1.

Conclvsio 2. *Permiſſio peccati, non eſt effectus reprobationis poſitiua, ſed negatiua.* Prima pars Concluſionis probatur: Ad hoc vt aliquid ſit effectus reprobationis poſitiuæ ſimpliciter & abſolutè requiritur, vt conducat ad pœnas æternas ſuſtinendas, & quidem ex vi illius actus quo Deus voluit ab æterno aliquos E reprobare, vt fatentur communiter omnes hoc loco, & in 1. diſt. 40. atqui non potuit Deus ordinare permiſſionem peccati alicuius ad excludendum eum à vita æterna, & ad infligendas eidem pœnas æternas; eſt enim Deus ſummè bonus, & ſummè pius, ac proinde vult benefacere cuilibet, antequàm culpa aliqua detur in eo: ergo illa permiſſio peccati non eſt effectus reprobationis.

2. Deinde, quod præſupponitur, & præintelligitur, idq; neceſſariò ad reprobationẽ poſitiuam, nequit eſſe illius effectus: omnis enim effectus poſterior eſt ſua cauſa efficiente: atqui permiſſio peccati A eſt, imò & peccatum finale ſunt priùs quàm ſit reprobatio poſitiua. Diximus enim Deum neminem reprobare, niſi priùs perſpexerit culpam finalem mortalem in eo qui reprobatur.

3. Tertiò, Deus nec permittit, nec permittere poteſt vllum planè peccatum, ex intentione damnandi aliquem, dicitur enim 1. Timoth. cap. 2. de Deo, quòd velit omnes homines Hebr. 9. & 10. ſaluos fieri: dicitur præterea in ſacris litteris, Roman. 4. & 5. quod Chriſtus nomine quorumcumque mortalium mortem ſuſtinuerit, nullo planè excepto: ergo permiſſio peccati mortalis finalis nequit eſſe effectus reprobationis poſitiuæ. 1. Petr. 3.

Altera pars Concluſionis probatur. 1. Secunda verò pars Concluſionis probatur: Ex prima Concluſione, permiſſio peccati eſt effectus reprobationis, at nõ eſt effectus reprobationis poſitiuæ, ergo erit negatiuæ; non enim dantur plures reprobationes.

2. Deinde, permiſſio peccati, non quidem primi, ſed ſecundi deſeruit ad non prædeſtinandum, & illud idem præſtat ſubtractio gratiæ efficacis: ergo erit permiſſio hæc effectus reprobationis negatiuæ.

Notabile. Aduerte autem quæ diximus de hac permiſſione peccati, intelligenda eſſe, non quidem de permiſſione cuiuſlibet peccati in vniuerſum, ſed de ea quæ reſpicit peccatũ reprobi in particulari.

Mouetur quæſtio. Rogabis, *An obduratio, ſeu obſtinatio, & obcæcatio, ſint effectus reprobationis?* Reſpondetur ex ſacris litteris, & Patribus, manifeſtè conſtare Deum obdurare, & obcæcare aliquos: dicitur enim de Pharaone in Exod. Exod. 4. quòd hic fuerit excæcatus à Deo; *Indurabo* (inquit) *cor Pharaonis*; & apud Eſaïam: *Excæca* Eſaï. 6. *cor populi huius, & aures eius aggraua.* Non eſt verſ. 10. tamen propterea exiſtimandum Deum eſſe cauſam peccati obſtinationis alicuius; fatentur enim omnes, impoſſibile eſſe Deum admittere, vel minimam culpam, idque quòd ſit ſummè bonus, & ſimpliciter perfectus. Non eſt item propterea credendum prædeſtinationem eſſe effectum reprobationis poſitiuæ; nam omnis *Deus dicitur author obdurationis.* effectus reprobationis poſitiuæ, incipit eſſe in altera tantùm vita: excæcatio autem & obduratio contingunt in hac vita mortali.

Deinde, eatenus cenſetur eſſe Deus author excæcationis, & obdurationis, quatenus denegat gratiam efficacem; non autem quòd excæcationem iſtam de facto producat.

Tertiò, nullus datur reprobus, licèt quàm maximè obſtinatus, qui non poſſit etiam finaliter conuertere ſe in Deum, & declinare peccatum finale, ac proinde, & penitere perfectiſſimè; habet enim hic gratiam Dei præſentiſſimam cum qua poſſit elicere actum contritionis: ergo Deus non poteſt dici cauſa illius excæcationis.

Obiectio. Dices, permiſſio peccati in prædeſtinatis habet rationem effectus prædeſtinationis, vt docuimus articulo proximè antecedenti: ergo, hæc eadem erit etiam effectus reprobationis.

Solutio. Reſpond. nihil repugnare quominus conſecutio hæc admittatur, ſi tamen antecedens ſit ſimpliciter verum; quod dico, quoniam docuimus ibidem permiſſionem peccati in prædeſtinatis computari inter effectus prædeſtinationis, veluti rem aliquam probabilem tantùm.

Secundò, permiſſio peccati erit effectus reprobationis poſitiuæ, non quidem per ſe, ſed per accidens tantùm. Deinde, Concluſio hæc erit

Digitized by Google

intelligendo non de permiſſione primi peccati cuiuſlibet reprobi; ſed de permiſſione vel peccati ſecundi, vel eorum quæ conſequuntur peccatum primum.

De quo peccato reprobi intelligenda ſit Concluſio.

Diximus enim reprobationẽ poſitiuam, præſupponere ſimpliciter & abſolutè peccatum finale, mortale; quod autem præſupponitur ad reprobationem poſitiuam nequit eſſe effectus reprobationis poſitiuę.

Denique, non eſt magis abſurdum fateri Deum ordinare peccatum commiſſum à reprobo, poſtquam commiſſum eſt, ad exigendas pœnas grauiores ab eo, quàm ordinare peccata commiſſa à prædeſtinatis ad hoc vt conferat iſtis auxilia magis efficacia, per quæ reſurgant de facto ab huiuſmodi peccatis commiſſis: fatentur autem plerique, & nos dicimus eſſe probabile, Deum poſitis peccatis prædeſtinatorum ordinare iſta peccata ad auxilia quædam efficacia danda prædeſtinatis, vt tandem reſurgant ab huiuſmodi peccatis: ergo.

Solutio 2.

Reſpondeo tamen ſecundò, quidquid ſit de illo antecedente, negando conſecutionem; videtur enim verius permiſſionem peccati in reprobis non eſſe effectum reprobationis poſitiuæ, etiam per accidens: omnis enim effectus reprobationis poſitiuæ, incipit in altera vita, putà quandocumque traditur reprobus tortoribus, vt exigant ab eo pœnas debitas peccatis commiſſis. Deinde, ad hoc vt aliquid ſit effectus reprobationis poſitiuæ duo ſunt ſimpliciter neceſſaria: Alterum quòd conducat de facto ad pœnas æternas ſubeundas, alterum quòd id præſtet ex vi diuinæ diſpoſitionis: permiſſio autem peccati, non confert ad ſupplicium æternum ex vi ordinationis diuinæ; non enim potuit Deus permittere peccatum aliquod ex intentione efficaci de exigendis pœnis æternis ab aliquo, hoc enim repugnat bonitati eiuſdem: ergo illa ratione non poteſt eſſe effectus reprobationis.

Corollariũ.

Ex iſtis colliges ſubtractionem gratiæ efficacis, ſeu, quod idem eſt congruentis, non eſſe effectum reprobationis poſitiuæ, ſed tantùm negatiuæ ſubtractio ſiquidem hæc, eadem fere eſt cum permiſſione peccati.

Diſſolutio argumentorum.

Ad rationes verò authorum primæ ſententiæ. Reſpond. minimè militare contra noſtram ſententiam: tantùm enim probant permiſſionem peccati non eſſe effectum reprobationis poſitiuæ; quod nos vltrò concedimus, ſed tantùm negatiuæ.

Varię opiniones de permiſſione peccati.

Quia tamen rationes iſtæ non conueniunt cum documentis noſtris, petit prima, *Quid ſit permiſſio peccati.* Sunt qui dicant permiſſionem peccati eſſe ipſammet voluntatem creatam, prout eſt indefinita ad bene, vel malè agendum. Ceterùm doctrina hæc meritò reſpuitur; ità enim ſequeretur in Chriſto, & alijs omnibus argentibus in cœlis quodammodò dari permiſſionem peccati; habent enim iſti omnes voluntatem creatam potentem ad agendum, vel non agendum, cùm admittatur in illis omnibus libertas, non contrarietatis, ſed contradictionis. Deinde, quilibet noſtrùm precatur quotidie Deum ne peccet, Matth. 6. *Et ne nos inducas in tentationem*; at nullus orat Deum ne ſibi conferat voluntatem indefinitam ad bene vel malè operandum.

Alij verò nomine permiſſionis peccati intelligunt ſubtractionem gratię efficacis, ſeu congruentis. Sed neque iſti ad veritatem videntur acceſſiſſe: tum quia permiſſio peccati dicit ordinem intrinſecum ad peccatum, illa eadem ratione qua viſio reſpicit obiectum viſibile; ſubtractio autem gratię efficacis non reſpicit peccatum, vt eſt per ſe notum: tum etiam quia in permiſſione peccati includitur intrinſecè concurſus verus & realis diuinus, quo vult concurrere cum creatura ad materiale peccati: concurſus autem hic non eſt ſubtractio gratię efficacis.

Authoris opinio.

Dico igitur rationem permiſſionis peccati conſurgere ex concurſu diuino proximè explicato, & ex ſubtractione & negatione gratię efficacis; ità vt ex iſtis duobus perfectiſſimè conſtituatur eſſentia permiſſionis peccati.

2.

Ad 2. Reſp. Cuilibet reprobo etiam in vltimo vitę ſpiritu conſtituro dari gratiam, cum qua poteſt ſalutem ſuam perficere, ac proinde & peccatum finale vitare: non tamen propterea permiſſio iſtius peccati finalis eſt effectus reprobationis poſitiuę, reſpectu reprobi. Diximus enim omnem effectum reprobationis poſitiuæ pertinere ad ſtatum alterius vitę.

Replica.

Dices, D. Thom. in reſponſione ad 3. huius articuli affirmare hominem reprobum, conſtitutum in vltimo inſtanti vitę non poſſe recipere gratiam Dei.

Diſſolutio.

Reſpond. locum hunc D. Thomæ intelligendum eſſe de facto, non autem de poſſibili; ità vt voluerit reprobum conſtitutum in vltimo inſtanti vitæ, non acceptaturum eſſe gratiam ſibi oblatam; minimè verò voluit dicere D. Tho. reprobũ illum non poſſe acceptare gratiam, vt vitet peccatum finale; alioquin reprobus in extremis conſtitutus non peccaret; nemo namque peccat in his quæ vitare non poteſt: in vltimo autem inſtanti vitæ nullus eſt qui poſſit vitare peccatum finale, ſine ſpeciali Dei dono, vt conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. vbi definit perſeuerantiam in bonis operibus eſſe donum Dei.

Trident.

ARTICVLO 4. docet ſanctus Thom. aliquos eligi ad vitam æternam, de qua re diſputabitur multis in ſequentibus.

ARTICVLVS QVINTVS.

An præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis.

DVO ſunt hoc loco explicanda. Alterum; An detur cauſa prædeſtinationis in prædeſtinatis: Alterum; An poſſit etiam aſſignari aliqua cauſa reprobationis ex parte cuiuſlibet reprobi, vel etiam Dei. Quia tamen hæc coniunctas habent varias & diuerſas alias difficultates, bipartitus erit Articulus hic, & quælibet Pars certis Dubitationibus explicabitur. Sic ergo

PARS

PARS PRIMA.

De cauſis prædeſtinationis.

DVBITATIO PRIMA.

Quis ſit ſenſus iſtius quæſtionis, in qua quæritur; An detur aliqua cauſa prædeſtinationis.

Actus quo Deus ab æterno aliquos prædeſtinauit, nulla datur propria cauſa in Deo, vel extra Deum. Ariſtot.

RESPOND. 1. non inueſtigari hoc loco, An illius actus quo Deus ab æterno deſtinauit aliquos ad vitam æternam infallibiliter obtinendam, detur aliqua cauſa vera & propriè dicta intrà Deum, aut etiam extra; Nam actus hic habet idem eſſe cum diuina eſſentia (quidquid enim eſt in Deo, Deus eſt) cauſa autem propriè dicta definitur ab Ariſtotele, id ad cuius eſſe ſequitur aliud. Deinde, ſi actus quo Deus prædeſtinauit ab æterno aliquos, haberet aliquam cauſam intrà Deum propriè dictam, ſequeretur in Deo dari compoſitionem aliquam realem, ac proinde Deum non eſſe ſummè C ſimplicem. Rurſus, actus quo Deus determinauit ſe ad producendas creaturas, nihil addit ſupra diuinam eſſentiam præter tendentiam, ordinem, & habitudinem ad ea quæ ſunt futura extra Deum. Quartò, in diuinis omnia ſunt vnum & idem realiter & formaliter, niſi vbi interuenit oppoſitio relationis; atqui inter actum quo Deus prædeſtinauit aliquos ad vitam æternam, & inter eſſentiam diuinam nulla datur oppoſitio, ſed ſumma & perfectiſſima identitas Quod autem actus hic nullam habeat cauſam extra Deum propriè dictam, manifeſtè ex eo colligitur quòd ſit idem cum Deo: impoſſibile autem eſt Deum habere cauſam aliquam propriè dictam, cùm ſit primum ens, ex ſe & ſua natura ſimpliciter neceſ- D ſarium.

Actus prædeſtinationis dantur aliquæ rationes in Deo. Proverb. 16. verſ. 4. Epheſ. 1. verſ. 6. Rom. 9. verſ. 23.

Reſpond. 2. non eſſe negandum, quin actus quo Deus prædeſtinauit aliquos ad vitam æternam habeat aliquam rationē intrà Deum, quę mouit illū ab æterno ad prædeſtinandos aliquos: nam dicitur Prouer. 16 *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt.* Deinde, in ſacris litteris verbis expreſſis dicitur, propterea Deum prædeſtinaſſe aliquos, vt oſtenderet in iſtis diuitias ſuæ bonitatis, & miſericordię, & Epheſ. 1. *In laudem gloriæ & gratiæ ſuæ*, &c. Rom. 9. *Vt oſtenderet diuitias ſuæ gloriæ in vaſa miſericordiæ.* Tertiò, propter hanc cauſam prædeſtinatio dicitur effectus diuinę bonitatis, & miſericordię, reprobatio verò effectus iuſtitię. Quartò, D. Thom. hoc loco ait in actu prædeſti- E nationis reperiri ſapientiam, potentiam, & Dei iuſtitiam. Denique, omne agens per intellectum propter aliquem finem operatur: Deus autem agit per intellectum, maxime inter prædeſtinandum, vel etiam reprobandum, omnium aſſenſione.

Quæſtionis ſenſus.

Senſus ergo quæſtionis illius eſt; An detur aliqua cauſa meritoria, vel de condigno, vel de congruo, vel etiam conditio ſinè qua non, prædeſtinationis electorum ad vitam æternam: ità vt cauſa illa ab æterno incitauerit & induxerit

A Deum ad prædeſtinandos aliquos, minimè verò alios, eò quod in iſtis non deprehenſa fuerit huiuſmodi cauſa, vt in alijs.

DVBITATIO SECVNDA.

De erroribus circa cauſas prædeſtinationis.

Primus error circa cauſas prædeſtinationis.

PRIMVS error fuit eorum qui putarunt propterea aliquos fuiſſe prædeſtinatos, quòd eorum animę eſſent ità propenſę, & inclinatę ad bonum, vt nulla planè mala committere poſſent: Alios verò ideò eſſe reprobatos, quod B ità prochiues eſſent ad malum, vt non poſſent aliter quàm malè operari: Ità Manichæi, referente D. Auguſtino lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. D. Auguſt.

Refutatio primi erroris, & libertatis propugnatio

Ceterùm, error hic reijcitur. Primò, quia deſtruit in nobis libertatem ad benè vel malè operandum, præſertim eo tempore quo ſumus in hac vita mortali, libertas autem noſtra colligitur ex cap. 4. Geneſ. *Sub te erit appetitus tuus*, & Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti.* & Ioann. 5. *Vis ſanus fieri?* & Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi.* Deinde, prædeſtinatio noſtra tribuitur in ſacris litteris voluntati diuinę, Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Denique, nulla C res creata ex ſe & ſua natura poteſt eſſe mala; nihil enim hactenus fuit creatum quod ortum à Deo non habuerit; Deus autem malum producere nullo modo poteſt.

Geneſ. 4. verſ. 7. Matth 23. verſ. 37. Ioann. 5. verſ. 6. Matth 19. verſ. 17. Epheſ. 1. verſ. 4. Rom. 9. verſ. 16.

2. Error.

Secundus error, fuit eorum qui putarunt ex animabus noſtris, alias eſſe corporeas, ac proinde malas; alias verò ſpirituales, & ideò bonas: has propter bonitatem crediderunt eſſe prędeſtinatas; illas verò propter maliciam reprobatas. Meminit huius erroris Origen. lib. 1. & 3. περὶ ἀρχῶν cap. 1. & ad Rom. cap. 8.

Explodituꝛ.

At error hic facile reuincitur. Primùm, Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona* & 2. Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt.* Deinde, ens & bonum conuertuntur. Geneſ. 2. dicitur de anima primi parentis; *Inſpiranit Deus ſpiraculum vitæ.* & apud Sap. 1. *Et ſpiritus redeat ad Dominum qui dedit illum*; & alibi. *Iuſtorum anima in manu Dei ſunt*, &c. Confirmatur. Omnes animę quorumcumque mortalium ſunt eiuſdem planè naturę, & ordinationis: fatentur enim omnes, homines quoſlibet conuenire inter ſe ſpecie atoma. Quartò, recedit hic error in hęreſim Manichęorum confutatam, & damnatam in Concil. Arauſicano, & Africano.

Geneſ. 2. verſ 31. 1. Tim. 4. verſ. 4. Geneſ. 2. verſ. 7. Sap. 3. ꝟ. 1.

3. Error.

Tertius error, fuit eorum qui crediderunt propterea aliquos eſſe prædeſtinatos, quòd eorum animæ, antequàm proprijs corporibus vnirentur, honeſtas aliquas actiones exercuiſſent: Alios verò ideò eſſe reprobatos, quod eorum animæ turpiſſima quædam peccata commiſiſſent, antequàm coniungerentur proprijs corporibus: atque hoc tribuitur Origeni à D. Thoma, & à pleriſque alijs.

Refellitur.

Refellitur autem ex cap 9. Rom. *Cùm nondum Enerunati eſſent, aut aliquid boni vel mali egiſſent, Iacob dilexi*, id eſt, prædeſtinaui: *Eſaü autem odio habui*, id eſt, reprobaui negatiuè. & alibi: *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non autem ſecundum opera noſtra.*

Rom. 9. verſ. 11. 2. Tim. 1. verſ. 9.

Digitized by Google

Deinde, authores iſti videntur affirmare animam rationalem non eſſe formam hominis ex ſe & ſua natura; item animam fuiſſe procreatam ante corpus: vtraque ex iſtis opinionibus veluti extranea explodituꝛ.

Tertiò, damnatur expreſsè hic error in Concil. Lateranenſi ſub Leone X. & in quinta Synodo generali Conſtantinopolitana, & à Patribus, Hierony. epiſt. ad Pammach. quæ eſt de erroribus Origenis, & ad Demetriadem, & ad cap. 1. Epheſ. D. Auguſt. D. Auguſtino ſerm. 7. de verbis Apoſtoli, Leone Leo Mag. Papa epiſt. 93. & denique Epiphanio in lib. contra hæreſes.

Hierony.

4. Error de cauſa prædeſtinationis.

Quartò, erraruꝛnt alij qui putaruꝛnt propterea Deum prædeſtinaſſe quoſdam ad vitam æternam, quòd proſpexerit eorumdem operationes bonas moraliter, quas facturi erant in tempore. Ità Pelagius referente D. Auguſtino. Adijciebat autem prædictus hæreſiarcha in poteſtate cuiuſlibet noſtrûm eſſe, ſinè vllo ſpeciali auxilio Dei, exercere prædictas operationes morales, & per illas conſequi gloriam ſinè vlla peculiari Dei gratia.

Refellitur 4. error 1. ex Scripturis ſacris.

2. Cor. 3. verſ. 5.

1. Cor. 3. verſ. 7.

Ioann. 15. verſ. 5.

Idem 6. verſ. 44.

Sed hic error confutatur ex cap. 3. poſterioris ad Corinth. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis*, & ex 3. prioris ad eoſdem: *Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus*, & cap. 15. Ioann. *Niſi palmes manſerit in vite non poteſt fructum ferre*: Chriſtus autem dicitur illic vitis, & quilibet noſtrûm palmes: & rurſus, *Sinè me nihil poteſtis facere, nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Accedit ratio. Omnis actio quæ fit à nobis ſinè ſpeciali Dei dono, eſt tantùm ordinis naturalis, ac proinde impertinens ad æternam felicitatem conſequendam; media enim & finis debent eſſe eiuſdem ordinis: ergo cum beatitudo æterna ſit ſimpliciter ſupernaturalis, itémque tota ſeries prædeſtinationis, opera moralia bona non poterunt eſſe cauſa illius. Denique, legendi ſunt de hac re ſancti Patres, maximè verò D. Auguſtinus in lib. contra duas epiſt Pelagij; de bono perſeuerantiæ, de gratia & libero arbitr. de prædeſtinat. Sanctorum, & de correptione & gratia, cum Concil. Arauſicano II. Mileuitano, Palæſtino, Africano II. damnatur enim in iſtis locis error Pelagij.

2. Ex Patribus & Concilijs Arauſicano, Mileuit. Africano.

D. Auguſt.

5. Error.

Quintus error fuit Semipelagianorum, crediderunt enim ex paruulis aliquos eſſe propterea prædeſtinatos, licèt ante ætatem rationis moriantur, quòd præuiderit Deus iſtorum opera bona futura, ſi peruenijſſent ad ætatem adultam; alios verò ideò eſſe reprobatos quòd ſimiliter intellexerit Deus eorum mala opera futura, ſi rationis vſum attigiſſent: hæc opinio tribuitur iſtis ab Hilario Arelatenſi Epiſcopo, vt conſtat ex epiſt. eiuſdem ad D. Auguſtinum, quæ extat inter opera eiuſdem tom. 7. ante lib. de prædeſtinat. Sanctorum.

Confutatur 5. error 1. teſtimonijs Scripturæ.

Tit. 3. ỷ. 5.

Nihilominùs refellitur hic error ex illis Scripturæ locis in quibus dicitur homines eſſe prædeſtinatos ad vitam æternam, ante eorum bona opera, præſertim ad Titum 3. *Apparuit gratia Dei ſaluatoris noſtri, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam magnam miſericordiam.* Deinde, dicitur in ſacris litteris quòd vnuſquiſque remuneretur in cœlis, ſecundum opera quæ exercuit in hac vita, non autem ſecundum ea quæ facere potuit: *Vnuſquiſque recipiet in corpore prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum.* Tertiò, ex iiſdem litteris habemus mortem iſtorum eſſe pretiolam, Pſal. 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*; & 14. Apocal. *Beati mortui qui in Domino moriuntur*; at nequeunt hæc eſſe vera, ſi prædeſtinentur aliqui ex actionibus quas facere potuerunt in hac vita: legimus enim apud Sap. cap. 4. adoleſcentem quemdam fuiſſe ex hac vita tranſlatum, ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio oculi deciperet animam illius. Denique, remunerarentur pueri qui moriuntur ante vſum rationis, nedum ex dignitate gratiæ ſibi datæ per baptiſmum; ſed etiam ex dignitate illius quæ iiſdem conceſſa eſſet dependenter à meritis quæ poterant facere ſi ad ætatem rationis peruenijſſent. Rurſus dicendum eſſet non ſolùm Deum exigere pœnam damni à pueris, qui ex hypotheſi moriuntur ſinè baptiſmo, & ante ætatem rationis, ſed etiam pœnam ſenſus: tam verè enim iſti pueri potuerunt peccare, quàm illi bene facere: at alienum planè eſt à diuina bonitate, vt aliquis afficiatur pœna ſenſus, ſi nullam de facto admiſerit culpam: ergo non poterunt propter huiuſmodi opera præuiſa prædeſtinari.

Pſal. 115. verſ. 15. Apoca. 14. verſ. 13.

Error modernorum hæreticorũ.

Vltimò, erraruꝛnt turpiter hæretici noſtri temporis, affirmantes aliquos ideò prædeſtinari, quòd Deus ità voluerit; alios verò reprobari ſimiliter, propter ſolam Dei voluntatem: ac proinde addunt tam bene Deum inducere reprobos ad peccandum, quàm alliciat prædeſtinatos ad bene operandum.

Reijcitur.

Deute. 32. verſ. 4. Pſal. 144. verſ. 17. Rom. 9. verſ. 14. Habac. 1. verſ. 13. Trident.

Tamen impietas iſta reijcitur ex cap. 32. Deuter. *Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate*: & Pſal. 144. *Sanctus in omnibus operibus ſuis.* Rom. 9. *Nunquid iniquitas eſt apud Deum? abſit.* Abac. 1. *Mundi ſunt oculi tui, & ad iniquitatem aſpicere non poteris*: & ex alijs locis pluribus. Denique, damnatur hic error in Concil. Trident. ſeſſ. 6. & improbatur multis à Scholaſticis in 1. 2. quæſt. 69. art. 1.

DVBITATIO TERTIA.

Quæ ſint Catholicorum de hac re ſententia.

1. Opinio.

RESPONDEO tres extare de hac re præcipuas ſententias. Prima eorum qui docuerunt bona opera antecedentia iuſtificationem à Deo præuiſa ab æterno, eſſe cauſas prædeſtinationis noſtræ, non quidem de condigno, ſed de congruo, aut certè ſinè quibus non.

1. Probatur ex S. Auguſtino.

Sunt qui dicant idem eſſe ſentiendum de bono vſu liberi arbitrij præuiſo ex omni æternitate à Deo. Probant ex D. Auguſtino cap. 6. lib. 22. de Ciuitat. quærit enim illic, quî fiat vt ex duobus æqualiter indiſpoſitis, ad gratiæ iuſtificantis receptionem, vnus conuertatur, alius verò minimè.

Reſpondet id totum refundendum eſſe in bonum vſum liberi arbitrij illius qui conuertitur, & ſimiliter in malum vſum illius qui non conuertitur. Idem docet de Pharaone & Nabuchodonozor in lib. de prædeſtinat. & gratia cap. 15 & refert Gratianus 23. quæſt. 4. can. Nabuchodonozor: *Quid*, inquit, *iſtorum duorum hominum fines fecit eſſe diuerſos? niſi quia vnus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: Alius verò contra Dei bonitatem libero pugnauit arbitrio.*

Gratianus.

2. Ratio.

Deinde, in omni electione in qua eliguntur aliqui ad certa quædam officia exercenda, concedendum eſt dari aliquid ex parte eorum qui eliguntur, quod non datur in illis qui prætermittuntur; electio quippe iſta debet eſſe conſentanea

rectę rationi; ac proinde mouentur electores à motiuo aliquo honeſto, quod datur in electis ad hoc vt iſtos eligant; at non poteſt dici quid ſit illud quod datur in prædeſtinatis quando eliguntur ad vitam æternam, niſi vel bonus vſus liberi arbitrij, vel bona opera antecedentia iuſtificationem futuram in tempore: ergo.

3. Ratio. Denique, prædeſtinatio Dei, cenſetur eſſe rationi quàm maximè conſona; nihil autem eſt magis rectæ rationi conſonum, quàm eos eligi ad vitam æternam, qui volunt bene vti gratijs ſibi conceſſis: quemadmodum nihil eſt magis conueniens rationi, quàm eum non ordinari ad vitam æternam, qui non vult vti fauoribus, & auxilijs ſibi à Deo conceſſis. Ità docent Ockam, & Gabriel in 1. diſt. 4. quæſt. vnica, art. 3. Dub. 3. & illud idem tanquam probabile aſſerit Ægidius Romanus diſt. 4. lib. 1. art. 10. quæſt. 2. Marſilius quæſt. 4. lib. 1. art. 2. tribuitur præterea à pleriſque Soto in 4. diſt. 14. §. 5. de 2. quæſt. Cetertim minùs rectè, vt conſtabit ex ijs quæ dicemus in confirmationem 3. ſententię, Bonauenturę item in 1. diſt. 41. quæſt. 1. art. 1.

2. Opinio. Secunda ſententia eſt eorum qui putant bona opera antecedentia, & ſubſequentia iuſtificationẽ, præuiſa ex omni æternitate à Deo, eſſe cauſas noſtræ prædeſtinationis. Alij enim volunt eſſe cauſas de condigno; ſi tamen nomine prædeſtinationis intelligatur vocatio ad gratiam, fatentur huius prædeſtinationis merita noſtra non eſſe cauſas de condigno, ſed tantùm ad ſummum de congruo, vel ſinè quibus non.

Alij verò contendunt opera noſtra proximè commemorata eſſe cauſas prædeſtinationis noſtræ, non quidem de condigno, ſed de congruo. Alij denique non totaliter, & adæquatè, ſed tantùm inadæquatè.

Probant primùm: Sancti Patres qui vixerunt ante tempora D. Auguſtini, communi ſuffragio docent, prædeſtinationem noſtram repetendam eſſe ex bonis operibus præuiſis à Deo. Ità D. Hieron. Hiero. ad cap. 1. Epheſ. & ad cap. 1. Galat. quo loco damnat eorum opinionem, qui putant animas electorum eſſe diuerſæ naturæ ab animabus reproborum. *Præſcit* (inquit) *Deus iniſtitiam eius qui futurus eſt iuſtus, & eum antequàm naſcatur, amat & quem præſcinit peccaturum, antequam peccator hic pecces odit: futura enim reſpectu Dei iam facta ſunt.* & in epiſt. ad Heluidium in explicatione 1. quæſt. *Quemadmodum* (inquit) *ſol vnica ſimplici qualitate diuerſos effectus producit, ſecundum conditionem materiæ in quam agit, vt ceram liquefacit, & terram indurat: ità Deus ob diuerſa merita, vaſa ira indurat ad interitum, & vaſa miſericordiæ præparat ad gloriam.* & Ambroſ. ad cap. 8. & 9. Rom. *Deus*, inquit, *eos amat quos præſcinit futuros bonos & ſibi deuotos.* Idem Clemens Romanus lib. 3. Recognitionum. Clemens Alexand. lib. 3. ſtromat. Irenæus lib. 4. contra hæreſes, cap. 48. Origenes ad cap. 8. & 9. Rom. Chryſoſt. in Pſal. 15. & homil. 31. & 56. in Matth. & 1. & 2. in epiſt. ad Epheſ. Cyrillus Alexand. lib. 9. in Ioann. & alij multi quos citant Vazq. & alij recentiores.

Ambroſ. Clemens Rom. Clemens Alexand. Origenes. Chryſoſt.

2. Ratio. Deinde, ex ſacris litteris conſtat eos prædeſtinari quorum opera fuerunt præuiſa; dicitur enim ad Rom. 8. *Quos prædeſtinauit*, &c. & cap. 11. *Non repulit Dominus plebem ſuam, quam præſcinit:* at præſcientia iſta reſpicit bona opera futura eorum qui prędeſtinantur ex interpretatione Chryſoſto. & Theodoreti ad hæc teſtimonia.

Rom. 8. verſ. 30. Idem 11. verſ. 2.

Tertiò, vita æterna datur propter merita in hac vita facta ex cap. 25. Matth. *Venite poſſidete regnum quod paratum eſt vobis ante conſtitutionem mundi: eſurijs enim & dediſtis mihi manducare.* & Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.* & Rom. 2. *Auditores legis non iuſti ſunt apud Deum, ſed factores iuſtificabuntur.* & 2. Corinth. 5. *Vt vnuſquiſque referat propria corporis ſui prout geſſit.* & alibi ſæpe: ergo. 3. Matth. 25. verſ. 34. & 35. Idem 7. verſ. 21. Rom. 2. verſ. 13. 2. Cor. 5. verſ. 10.

Confirmatur. Scriptura nihil frequentius inculcat quàm ſedulam, & diligentem operam eſſe nauandam actionibus ſtudioſis, idque propter mercedem eiſdem promiſſam, Matth. 20. *Quid hic ſtatis otioſi tota die? ite in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis.* Imò retributio vitę æternę nuncupatur corona iuſtitiæ 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui*, &c. & Hebræor. 6. *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliniſcatur operis veſtri:* ergo prædeſtinatio debet eſſe dependenter à meritis noſtris. *Cõfirmatio.* 2. Tim. 4. verſ. 7. Hebr. 6. verſ. 10.

Quartò, in poteſtate cuiuſlibet noſtrûm eſt acceptare, vel non acceptare, quamcumque gratiam nobis oblatam, vt definitum fuit in Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. ac proinde in poteſtate cuiuſlibet noſtrûm eſt vel cauſare propriam ſalutem, vel certè eamdem deſtruere, hinc vox illa ab Alberto Pighio, D. Auguſtino adſcripta, *Si non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris.* Trident.

Quintò, ſi prædeſtinatio non eſt ex meritis præuiſis, minùs bene docent Catholici hominem mereri vitam æternam, per bona opera ex gratia facta; nam debetur gloria ſeu vita æterna potiùs diuinæ voluntati, quàm noſtris meritis: at ſancti Patres, Concilia, & omnes omnino Theologi docent vitam æternam reſpondere perfectiſſimè meritis in hac vita factis.

Denique, opinio eorum qui docent prædeſtinationem noſtram refundendam eſſe in ſolam Dei voluntatem, quamprimùm audita fuit inter Chriſtianos credita fuit dura, & rationi minimè conſona, tum quòd anteà fuerit ſimpliciter inaudita, tum quòd auocet homines ab exercitio bonorum operum: dedit autem occaſionem dicendi vnicuique, quid refert an bene, an verò malè operer? ſi fuero prædeſtinatus non poſſum, non conſequi vitam æternam, voluntas enim Dei efficax ſimpliciter impletur: tum denique quòd injiciat laqueos deſperationis præſertim conſcientijs timoratis, vt conſtat ex epiſt. Hilarij Arelatenſis Epiſcopi ad D. Auguſt. quæ extat tom. 7. operum eiuſdem ante librum de prædeſtinatione Sanctorum. In hac ſentent. ſunt Albertus, Gabriel Biel, Ockam, Bartholom. Camban. in dialogis prædeſt. Oſorius Syluenſis Epiſcop. lib. 9. de iuſtitia, Vazq. diſp. 93. Henricus Gandauenſis & alij plurimi, quos citant Becanus & Suarez lib. 2. de prædeſtinat.

Vltima ſententia eſt eorum qui putant nullam dari in nobis cauſam totalis prædeſtinationis, ſeu, quod idem eſt, omnium effectuum eiuſdem, nec de congruo, nec de condigno, nec inadæquatè, nec vt conditio ſinè qua non, ſed refundendam eſſe prædeſtinationem iſtam in ſolam Dei voluntatem. *Vlt. ſentent.*

Dixi, nullam dari cauſam prædeſtinationis totalis in nobis ex mente iſtorum Doctorum, quoniam fatentur dari in nobis veram cauſam augmenti gratiæ, & adeptionis vitę æternę, nempe, merita de condigno in hac vita facta, ità docent

Digitized by Google

Magiſter diſt. 41. lib. 1. Scotus quæſt. vnica ibidem. Durand. quęſt. 2. Gregor. Ariminenſ. art. 2. quæſt. 2. Capreol. art. 3. quæſt. 2. Paludanus quæſt. 1. art. 2. Richard. Carthuſianus, Heruæus diſt. 40. lib. 1. Maior quæſt. 2. Antho. Cordubenſis lib. 1. ſui quæſtionarij, quæſt. 56. Marſilius lib. 2. quæſt. 4. Sotus ad cap. 9. epiſt. Rom. Sixtus Senenſis lib. 7. ſuę Bibliothecę, annotatione 28. Ferrarienſis ad lib. 3. contra gentes ſancti Thom. cap. 71. Ambroſius Cathari. lib. 1. de prædeſt. qui ait opinionem contrariam eſſe manifeſtum errorem Pelagij, & idem docet Sotus loco proximè citato, Bannez, Caiet. Sumel, Suarez cap. 23. lib. 2. de prædeſt. numer. 20. 21. & ſequent. Bonauentura Dub. 2. quæſt. 18. Gratianus diſt. 23. quæſt. 4. D. Thom. verbis expreſſis in hoc art. 5. Imò à tempore D. Auguſtini ad hodiernum vſque diem hæc fuit in Eccleſia Catholica de prædeſt. communis opinio.

A

B

DVBITATIO QVARTA.

Quid ſit ſentiendum in hac ſententiarum varietate.

Bona opera moralia antecedentia iuſtificationem noſtræ, non ſunt cauſa prædeſtinationis noſtræ.

CONCLVSIO 1. *Opera bona moralia antecedentia iuſtificationem non ſunt cauſa prædeſtinationis noſtræ, nec de congruo, nec de condigno, nec conditio ſinè qua non, nec denique inadæquatè.* Primùm, quia opera iſta ſunt impertinentia planè ad prædeſtinationem ex cap. 3. ad Titum, 1. poſter. ad Timoth. 9. Rom. & Epheſ. 2.

C

1.

2.

D. Auguſt.

Deinde, prædeſtinatio paruulorum qui moriuntur ſuſcepto baptiſmate ante ætatem adultam, eſt indepẽdenter à quibuſuis bonis operibus huiuſmodi puerorum, ex doctrina D. Auguſtini, & etiam autorum primę & ſecundę ſententię: ergo illud idem erit dicendum de prædeſtinatione adultorum; ad quid enim tanta prædeſtinationum diuerſitas?

3. Tertiò, ſi opera moralia antecedentia iuſtificationem eſſent cauſa prædeſtinationis, vbicumque darentur huiuſmodi opera bona moralia, admittenda quoque eſſet prædeſtinatio; idem enim manens idem, ſemper facit idem: at bona opera moralia antecedentia iuſtificationem fuerunt in multis, & tamen non fuerunt iſti prædeſtinati, vt conſtat de Iuda proditore Chriſti, de Saüle, & alijs innumeris, de quibus dubitatur an ſint conſecuti ſalutem. Imò ſunt multi qui affirment iſtos verè eſſe damnatos; coniungit enim ſcriptura peccatum cum morte eorumdem.

D

4. Quartò, tota prædeſtinatio eſt ſimpliciter ſupernaturalis: bona autem opera moralia ſunt ordinis naturalis.

5. *Initium ſalutis à ſolo Deo eſt.* Denique, de fide eſt initium ſalutis non eſſe à nobis, ſed à ſolo Deo, vt probabitur inferiùs: ergo prædeſtinatio noſtra non pendet à bonis operibus moralibus in vllo planè genere cauſæ explicato in Concluſione; nam effectus ſupernaturalis nequit habere ortum, niſi à cauſa aliqua ſupernaturali.

E

Obiectio. Dices, eum qui bene operatur moraliter facere quod in ſe eſt, ac proinde conſequi iuſtificationem, ſi ex hypotheſi ſit in peccato mortali, ex illo axiomate; *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat ſuam gratiam.*

Solutio. Reſp. gratiam nulli planè dari, niſi faciat quod in ſe eſt, ex auxilio aliquo ſpeciali ordinis ſupernaturalis: diſpoſitio quippe ad formam aliquam debet eſſe eiuſdem rationis cum forma; gratia autem iuſtificans eſt ex ſe & ſua natura forma ſupernaturalis, ex quo fit opera antecedentia debere eſſe ſupernaturalia.

Neque antecedentia, neque ſubſequentia opera bona ſunt cauſa prædeſtinationis.

CONCLVSIO 2. *Opera bona antecedentia iuſtificationem, & ſubſequentia, non ſunt cauſa per ſe prædeſtinationis noſtræ, neque conditio etiam ſinè qua non.* Primùm, quia cauſa per ſe alicuius effectus eſt eiuſdem ordinis cum effectu qui producitur; at opera bona moralia antecedentia iuſtificationem non ſunt eiuſdem ordinis cum prædeſtinatione, vt conſtat ex dictis Concluſ. proximè anteced. ergo.

1.

Deinde, opus quodlibet bonum ſubſequens iuſtificationem noſtram eſt effectus iuſtificationis, vt probabitur: ergo.

2.

Tertiò, quod poſterius eſt prædeſtinatione nequit eſſe cauſa illius: at opera quælibet ſubſequentia iuſtificationem ſunt poſteriora prædeſtinatione ex cap. 1. Epheſ. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti*; quo loco particula iſta, *Eſſemus ſancti*, eſt perpendenda; ſignificat enim ſanctitatem futuram dependentem à prædeſtinatione, præſertim cùm non dicat Apoſtolus elegit nos quia ſancti futuri eramus, ſed, *Vt eſſemus ſancti*: ergo.

3. Epheſ. 1. verſ. 4.

Denique, conditio ſinè qua non, nihil planè influit in effectum, vt conſtat ex approximatione ignis ad combuſtibile; at bona opera antecedentia & conſequentia iuſtificationem conducunt ad aliquem effectum prædeſtinationis aliqua ratione, omnium planè conſenſione: ergo nequeunt eſſe cauſa.

4.

Auxilia collata prædeſtinatis ad bene operandum & vſus bonus lib. arb. non ſunt cauſa prædeſt.

CONCLVSIO 3. *Auxilia quæ dantur prædeſtinatis ad bene operandum, & operationes factæ cum huiuſmodi auxilijs, non ſunt cauſa prædeſtinationis, nec item bonus vſus liberi arbitrij.* Primùm, quia ſi res aliter haberet quàm dicit Concluſio prima, gratia non daretur gratis, ſed propter bona opera præuiſa: illatio autem hæc eſt aperte contra Paulum cap. 2. Epheſ. & 11. Rom. Gratia, inquit, ideò dicitur gratia quòd gratis detur.

1.

Deinde, ſequeretur initium prædeſtinationis noſtræ eſſe à nobis, cuius tamen oppoſitum probabitur inferiùs.

Rom. 11. verſ. 6.

Tertiò, auxilia iſta & operationes factę dependenter ab illis ſunt effectus prædeſtinationis, vt probabitur Concluſione quinta.

2.

3.

Quartò, ſequeretur efficaciam prædeſtinationis repetendam eſſe, à bono vſu liberi arbitrij: nam ſecundum iſtos authores prædeſtinationis, eſt bonus vſus liberi arbitrij; illatio tamen hæc eſt contra Concil. Arauſicanum cap. 9.

4.

Cõfirmatio. Confirmatur. Ratio propter quam prædeſtinatur, eſt bonus vſus liberi arbitr. ex opinione iſtorum authorum; at qui ſacra Concilia, Patres, & Scripturę docent bonum vſum liberi arbitrij eſſe effectum prædeſtinationis. Ità Paulus cap. 3. poſterioris ad Corinth. *Non quòd ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, & Concilium Arauſicanum multò expreſſius loco proximè citato, & D. Auguſt. libro ad Simplicianum quæſt. 2. Fulgentius, & Bernard. locis citandis Concluſ. 5.

2. Cor. 3. verſ. 5. Concil. Arauſicanũ. D. Auguſt. Fulgent. Bernard. *Vt.*

Denique, ſancti Patres refundunt prædeſtinationem noſtram, in ſolam Dei voluntatem, & reijciunt à ratione cauſæ prædeſtinationis bonum vſum liberi arbitrij: ità D. Auguſt. epiſt. 10. & de prædeſt. Sanctorum cap. 12 & 13. Hieronym. in lib. contra Pelagianos, & Gregor. lib. 27. Moral. cap. 2. Quo loco diſputat cur aliqui moriantur ſtatim

D. Auguſt. Hierony. Gregor.

Digitized by Google

ſtatim ſuſcepto baptiſmate, ac proinde cõſequuntur vitam æternam: Alij verò antequàm baptizentur. Reſpondet totum hoc referendum eſſe in ſolam Dei voluntatem, cuius (inquit) iudicia ſunt abyſſus multa.

Adeptio vitæ æternæ non eſt cauſa prædeſtinationis.

CONCLVSIO 4. *Adeptio vitæ æternæ non eſt cauſa totalis prædeſtinationis.* Primùm, quia huius adeptio eſt effectus vltimus prædeſtinationis, ex cap.8. Rom. *Quos præſciuit & prædeſtinauit, & paucis interiectis, Hos & glorificauit.* Deinde, prædeſtinatio definitur, deſtinatio quorumdam ad vitam æternam per hæc & illa media infallibiliter obtinendam: ergo hæc nequit eſſe cauſa prædeſtinationis.

Rom.8. ỽ. 29. & 31.

Sola voluntas Dei eſt cauſa prædeſtinationis totalis noſtra.

CONCLVSIO VLTIMA, *Nulla datur in nobis cauſa prædeſtinationis, ac proinde refundenda eſt in ſolam Dei voluntatem.*

Aduerte Concluſionem iſtam intelligendam eſſe de totali prædeſtinatione, ſeu, quod idem eſt, de omnibus, & ſingulis effectis prædeſtinationis ſimul ſumptis, quod dico, quoniam augmenti gratiæ, & retributionis vitæ æternæ datur in nobis vera cauſa, nempe merita in hac vita facta.

1. Probatur Concluſio. Primùm, ex illis locis in quibus Scriptura dicit, nos eſſe prædeſtinatos propter voluntatem diuinam, ad Epheſ.1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* & Rom 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* & rurſus, *Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor.* & Luc.12. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum:* quo loco particula iſta (complacuit) eſt perpendenda; ſignificat enim actum gratuitum diuinæ voluntatis, & Ioann. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos:* quo loco ait D. Auguſtinus in Ioann. tract. 57. *Ex meritis non tam eligitur, quàm is ſemetipſum eligit:* Ex quibus colligitur manifeſtè D. Auguſtinum reiecisſe à ratione prædeſtinationis merita prædeſtinatorum.

Epheſ. 1. verſ. 5. Rom.9. verſ. 16. Idẽ ỽ.15. Luc. 12. verſ. 32. Ioann. 15. verſ. 16. S. Auguſt.

2. Deinde, Scriptura docet bona opera noſtra eſſe impertinentia ad prædeſtinationem, ad Titum 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam magnam miſericordiam ſaluos nos fecit.* & cap.1. poſteriorisad Timoth. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra.* Rom.9. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Iacob dilexi, Eſaũ autem odio habui.* & Epheſ.2. *Gratis enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex operibus, vt ne quis glorietur.*

2. Ad Titum c. 3. ỽ.5. 2. Tim. 1. verſ. 9. Rom.9. verſ. 12. Epheſ.2. verſ. 8.

Reſponſio aduerſariorum.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, Paulum iſtis in locis reijcere à ratione prædeſtinationis opera antecedentia iuſtificationem noſtram, non autem futura & ſubſequentia eamdem.

Reſpuitur aduerſariorum reſponſio.

Cetèrum reſponſio hæc eſt planè ridicula: nam Paulus loquitur in vniuerſum & indiſtinctè de quibuſuis bonis operibus, vt conſtat ex littera eiuſdem. Deinde, opera futura reſpectu Dei eadem planè ſunt atque præterita, & præſentia, ex illo Rom. 4. *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Tertiò. Reſponſio hæc refellitur à D. Auguſtino ad locum proximè citatum Rom. & cap. 7. lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagian. *Propter quod* (inquit) *profectò decipitis, quòd dicente veritate, Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum præſciebat, Iacob fuiſſe dilectum, atque ità contradicitis Apoſtolo dicenti, non ex operibus, quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris operibus: ſed ait non ex operibus, vt gratiam commendaret.* & in confirmationem noſtræ Concluſionis tandem concludit

Rom. 4. verſ. 17. 3. S. Auguſt.

A lib. de bono perſeuer. cap. 18. & 19. *Hoc ſcio neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturas ſacras defendimus, miſi errando diſputare poſſe:* quæ cenſura, ſi Auguſtini modeſtiam attendas, ſatis indicat huic rei multum ſtudij adhibuiſſe, firmiſſiméque adhæſiſſe ſententiæ quam defendit. Quartò, bona opera ſubſequentia iuſtificationem, ſunt effectus prædeſtinationis in quolibet prædeſtinato, ex cap. 1. Epheſ. *Elegit nos in ipſo, vt eſſemus ſancti.* Quintò, ex illis interrogationibus & admirationibus quibus vtitur Paulus cap 9 & 11. Rom. *Nunquid iniquitas eſt apud Deum? abſit; nunquid dicet figmentum figulo, cur me ſic feciſti: O homo tu quis es, vt reſpondeas* B *Domino Deo tuo?* & tandem, *O altitudo diuitiarum, &c. Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Paulus ergo nuſquam fuiſſet vſus iſtis interrogationibus ſi merita præuiſa eſſent cauſa noſtræ prædeſtinationis, poterat enim vnico verbo reſpondere, & omnem rationem interrogandi tollere dicendo, propterea iſtos prædeſtinari, quod præuidiſſet Deus eorum bona opera futura, non ſubiungit tamen Paulus reſponſum hoc, ſed confugit ad ſecreta Dei occultiſſima. Sextò, initium noſtræ ſalutis, ac proinde noſtræ prædeſtinationis eſt non à nobis, ſed à ſola Dei voluntate, vt colligitur ex cap. 32. Corinth. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Imò res hæc definita eſt in Concil. Arauſicano, cap. 9. *Diuini* (inquit) *eſt muneris, cùm rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate reuocamus;* & paucis interiectis: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur operatur.* & cap. 20. *Multa bona in homine bona ſunt, quæ non facit homo, nulla verò in nobis facit homo bona, quæ non præſtet Deus, vt faciat homo.* & cap. 23. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet: quando autem ità faciunt quæ volunt, vt diuinæ ſeruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illorum tamen voluntas eſt, à quo præparatur, & obeditur.* Celeſtinus I. idem planè dicit in epiſt. ad Epiſcop. Galliæ & Innocent. in epiſt. ad Concil. Carthaginenſe. *Nemo* (inquit) *niſi per gratiam Dei bene vtitur libero arbitrio:* Ex quibus verbis colligit D. Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. gratiam Dei non ſolum dare *poſſe*, ſed etiam, *velle & operari bene*: eſt enim effectus bonæ voluntatis taliter quod facit nos facere quidquid boni facimus: & Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. *Si quis dixerit ſine* Trident. *præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem poſſe credere, & ſperare, anathema ſit.* Septimò, probatur ex Patribus: maximè verò ex D. Auguſtino, qui omnium primus nata hæreſi Pelagiana, doctrinam iſtam inter Catholicos inuexit: ità ergo docet verbis expreſſis in Enchiridio ad Laurentium cap. 8. quo loco illud cap. 9. Roman. ſupra citatum interpretatur. *Iniquum* (inquit) *videtur vt ſine vllis bonorum & malorum operibus, vnum Deus diligat, odiátque alterum; quaſi in re ſi* E *futura opera, vel bona huius, vel mala illius quæ Deus vtiq; præſciebat vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus, ſed diceret ex futuris operibus, eóque modo iſtam ſolueret quæſtionem.* & de bono perſeuer. cap. 13. & 14. de prædeſt. Sanctorum, quo loco quærit, quî fiat vt ex duobus iuſtis non prius vnus tollatur ex hac vita quàm peccatum mortale commiſerit, alius verò perſeueret ad vltimum vſque vitæ ſpiritum in iuſtitia & ſanctitate. Reſpondet totum hoc refundendum eſſe in voluntatem diuinam. *Sed quare* (inquit) *aliis conceditur vt*

4.

5. Rom.9. ỽ. 14. & 20.

6. 2. Cor. 3. verſ. 5. Concil. Arauſic. can. 9.

Bonus vſus lib. arbit. à Deo.

D. Auguſt.

7. D. Auguſt.

D. Auguſt.

ex huius vitæ periculis dum iuſti ſunt auferantur, alij A *verò iuſti, donec iuſtitia cadant in eiſdem periculis vitæ prodiciore teneantur? quis cognouit ſenſum Domini? & tamen hinc intelligi datur, etiam illis iuſtis qui bonos proſque mores vſque ad ſenectutis maturitatem, & diem vitæ huius vltimum ſeruant, non in ſuis meritis, ſed in Domino eſſe gloriandum; quoniam qui vitæ breuitate rapuit iuſtum, ne malitia mutaret intellectum eius, ipſe in quantacumque vitæ longitudine cuſtodit iuſtum ne malitia mutet intellectum eius. Cur autem hoc, id eſt Deus, tenuerit caſurum iuſtum, quem priuſquàm caderet, hinc poſſet auferre? iuſtiſſima omnia, ſed inſcrutabilia ſunt iudicia eius.* Ex quo loco refellitur doctrina Vazquezij, Leſſij, & multorum aliorum recentiorum, qui docent D. Auguſtinum B ſenſiſſe tantùm prędeſtinationem ad primam gratiam eſſe ante merita, non autem prędeſtinationem ad gloriam: Nam loquitur hoc in loco verbis expreſſis, non de prædeſtinatione ad primam gratiam, ſed ad gloriam æternam, vt manifeſtè colligitur ex verbis ipſius D Auguſtini. Idem docet in lib. ad Simplicianum, de nuptijs & concupiſcentia, de gratia & liber. arbitr. locis Dubitatio. proximè ſequente citandis: Proſper in epiſt. ad Rufinum, de gratia & libero arbitrio, & in reſponſionibus ad capitula Gallorum, & ad obiectiones Vincentianas, & lib. contra collatorem cap. 43. Fulgentius de gratuita Dei prædeſtinatione, & in lib. ad Monimum, de incarnatione Chriſti, & de fide ad Petrum Diaconum. Petrus item Diaconus dicit anathema libris Fauſti Galliarum Epiſcopi ſcriptis contra gratuitæ prædeſtinationis ſententiam. Citat præterea hic idem author in hanc ſententiam Cyprianum lib. 3. ad Quirinum cap. 4. Ambroſium de fuga ſeculi cap. 1. & in Luc. lib. 2. 6. 7. & 10. & Nazianzenum, oratio. in Pentecoſt. Baſilium in ea parte Liturgiæ quæ continet orationem ſacri altaris, idque lib. de incarnatione cap. vltimo. Idem docet Dionyſius de diuinis nominibus, cap. 5. Chryſoſto. homil 12. in 1. ad Corinth. homil. 8. in 2. ad Timoth. Hierony. ad cap 1. Epheſ. Greg. Homil. 8 ſuper Ezech. & lib. 15 Moralium, cap. 32. Bernard. de gratia, & libero arbitrio, Anſelmus, Hugo à Sancto Victore, & ante iſtos omnes poſt D. Auguſt. tamen Celeſtinus I. pontifex Max. in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, D. Thom. hoc loco, & communiter Sententiarij diſt. 40. alij 41. lib. 1.

Muiti patres & autores citantur qui gratuitam prædeſtinationem noſtram eſſe autumant. Proſper. Fulgentius Cyprian. Ambroſius Nazian. Baſilius. Dionyſius. Chryſoſto. Hieronym Gregorius Bernard. D. Thom.

Gratuita noſtra prædeſtinatio oſtenditur rationibus.

Accedunt rationes aliquæ probabiles: Creationis & gubernationis naturalis nulla datur in nobis cauſa: ergo neque prouidentiæ ſupernaturalis. Deinde prædeſtinatio Chriſti & item puerorum qui moriuntur ſuſcepto baptiſmate à ſola Dei voluntate pendet, non autem à meritis eorumdem: Beatitudo quippe debetur Chriſto ex vi vnionis hypoſtaticę; imò propter hanc cauſam à primo inſtanti ſuæ conceptionis non minus perfectè vidit diuinam eſſentiam, quàm faciat iam in cœlis: pueri item non potuerunt conſequi felicitatem dependenter à meritis, cùm ante ætatem rationis ſuſcepto baptiſmate ex hac vita diſceſſerint: ergo cùm ex doctrina Pauli prædeſtinatio noſtra ſit facta ad imitationem prædeſtinationis Chriſti, non erit ex meritis petenda. Confirmatur. Nulla poteſt aſſignari ratio cur veræ religionis cultus apud ſolos Iudæos permanſerit, ſed tota res hæc reijcienda eſt in voluntatem Dei. Denique, qui agit propter finem prius intendit finem, quàm media; at Deus prædeſtinat homines in vitam æternam veluti in finem, & quidem per bona opera veluti per media quædam: ergo prius vult Deus beatitudinem æternam quàm iſta bona opera. Ità ratiocinatur Scotus loco ſupra citato.

Confirmatur.

Reſponſio. Reſpondent, eum qui vult finem & media diſtinctis actionibus, prius velle finem quàm media; ſecus ſi vna & eadem numero actione id fiat; quomodo Deus vult beatitudinem æternam, & bona opera noſtra.

Improbatur reſponſio. Cęterùm Reſponſio hæc nihil planè dicit: loquimur enim de Deo ad captum noſtræ mentis. Deinde, quando dantur duo inter ſe realiter diſtincta nihil impedit quominùs voluntas noſtra, aut etiam Dei priùs feratur in vnum quàm in alterum, ſaltem ſecundum noſtrum modum concipiendi: beatitudo autem & bona opera noſtra ſunt duæ res inter ſe realiter diſtinctæ, omnium conſenſione: ergo.

Doctrina notanda. Aduerte, nedum prędeſtinationem factam eſſe ante merita, ſed etiam ſinè meritis, in illis omnibus qui dicuntur inſigniter prædeſtinati.

Prædeſtinatio inſigniter prædeſtinatorum & paruulorum facta eſt ſinè eorum meritis. Res hæc manifeſta eſt in prędeſtinatione animę Chriſti, debetur enim humanę naturę illius ex vi vnionis hypoſtaticæ gloria æterna, ac proinde ſinè vlla dependentia à meritis proprijs vel alienis.

Illud idem dicendum eſt de omnibus omnino paruulis qui moriuntur ſtatim à ſuſceptione baptiſmatis, iſtis enim omnibus datur ęqualis beatitudo, & quidem ex ſola applicatione paſſionis Chriſti facta medio ſacramento baptiſmi. Illud idem aſſerendum eſt de Diua Virgine, Ioanne Baptiſta, & Hieremia, Stephan. & diſcipulis omnibus; ex Sacris quippe litteris habemus iſtos omnes aut fuiſſe ſanctificatos in vteris maternis, aut certè fuiſſe gratia repletos; repletio autem iſta, gratia, & item ſanctificatio in vteris maternis non fuit dependenter ab eorum meritis, ſed à ſola Dei gratuita liberalitate, ac proinde, & ante merita, & ſinè meritis fuerunt prædeſtinati. Non eſt tamen negandum, de vllo ex iſtis proximè commemoratis quin promeruerint omnem gradum glorię quem habent in cœlis. De fide namque eſt retributionem vitæ æternę eſſe coronam gloriæ, ac conſequenter reſpondere perfectiſſimè meritis in hac vita factis. Licèt autem prædeſtinatio efficax quorumcumque hominum, facta fuerit ante merita præuiſa, non eſt tamen hæc facta ſinè meritis; in alijs hominibus, ab ijs quos ſupra explicauimus, ſed cum meritis eorumdem, conſequenter & quaſi concomitanter; ita enim dicitur Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati.* Deinde diximus prædeſtinationem eſſe deſtinationem quorumdam ad vitam æternam infallibiliter obtinendam per hæc, & illa media; media autem aptiſſima ad vitam æternam obtinendam, ſunt merita noſtra ex cap. 25. Matth. ita plerique recentiores, itemque veteres ſcholaſtici.

Retributio vitæ æternæ eſt corona gloriæ.

Epheſ. 1. v. 4.

2. Notandum. Aduerte 2. modum hunc prędeſtinandi ante merita, non pugnare cum æquitate & iuſtitia diuina, vt docet Sanctus Thomas hoc loco, non deſtruit etiam modus hic prædeſtinandi libertatem in prædeſtinatis: quemadmodum enim voluntas Dei efficax non deſtruit in nobis libertatem, idque quòd ſe habeat merè extrinſecè ad voluntatem creatam: ita & illud idem erit de prædeſtinatione dicendum. Deinde, concurrit Deus cum omnibus cauſis, iuxta earum naturas,

ac

Digitized by Google

ac proinde cum liberis, liberè. Tertiò, humanitas Chriſti fuit vnita Verbo diuino hypoſtaticè, & conſequenter phyſicè determinata ad bonum in communi ſumptum; & tamen libertas perfectiſſimè in humana Chriſti natura permanſit: idem fatentur omnes de beatis agentibus in Cœlis, & de confirmatis in gratia; ergo ſi libertas manet in iſtis omnibus, permanebit hæc illęſa in omnibus prædeſtinatis: eſto prædeſtinati ſint ante merita. Ita authores 3. ſententiæ.

3. Notandũ Aduerte 3. quod diximus de prædeſtinatione hominum, dicendum eſſe de prædeſtinatione Angelorum; ità vt quemadmodum homines fuerunt prædeſtinati efficaciter ad vitam æternam ante merita, non tamèn ſinè meritis: ità & hoc ſentiendum eſt de Angelis bonis; cum hoc tamen diſcrimine, quòd hominum prædeſtinatio facta ſit poſt præuiſum peccatum originale, quæ proinde nuncupatur propoſitum miſerendi: prædeſtinatio verò Angelorum facta eſt ante vllum planè peccatum commiſſum ab Angelis.

DVBITATIO QVINTA.

Quæ fuerit ſententia D. Auguſtini de vltima concluſione noſtra.

Sententia Vaſquezy & Leſſij de mente S. Auguſt.

PLERIQVE recentiores, maximè verò Leſſius & Vazq. in ea ſunt opinione, vt credant D. Auguſtinum exiſtimaſſe dari in nobis aliquam cauſam prædeſtinationis, idque quòd lib. de gratia & libero arbitr. cap. 15. fateatur Pharaonem ideò perijſſe, quòd fuerit hic malè vſus libero arbitrio, Nabuchodonoſorem verò conſequutum fuiſſe vitam æternam, quòd bene vſus fuerit ſuo libero arbitrio. Deinde, quia in illis omnibus locis in quibus docet D. Auguſtinus nullam in nobis dari cauſam prędeſtinationis; ſed refundendam eſſe in ſolam De voluntatem, diſputat contra Maſſilienſes Semipelagianos hæreticos, qui contendebant primam gratiam in nobis dari per propria merita, & independenter ab vllo ſpeciali Dei auxilio. Ex iſtis autem non licet colligere nullã dari in nobis cauſam prædeſtinationis: idque quod duplex ſit vocatio efficax, altera ad primam gratiam, altera ad beatitudinem æternam. Denique lib. 1. ad Simplicianum docet D. Auguſt. aſſignandam eſſe cauſam aliquam in illis qui eliguntur ad aliquid agendum, vel in finem aliquem, quotieſcumque contingit aliquos eligi, alios verò minimè ex magna aliqua multitudine: at non poteſt dici quid ſit illud quod datur in prædeſtinatis, niſi vel bona opera futura, vel bonus vſus liberi arbitrij qui non datur in illis qui non ſunt prędeſtinati: ergo ex mente diui Auguſtini datur in nobis aliqua cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Secundum D. Auguſt. nulla in prædeſtinatis datur cauſa prædeſtinationis ſuæ, ſed Deus gratuita ſua voluntate eos prædeſtinauit.

CONCLVSIO. *D. Auguſtinus nullam agnoſcit in prædeſtinatis cauſam prædeſtinationis, ſed credidit omnes omnino prædeſtinatos ſola gratuita voluntate fuiſſe electos.* Primùm, quia lib. de bono perſeuer. cap. 13 docet ex paruulis propterea aliquos non mori ante baptiſmatis ſuſceptionem, alios verò non ſuſcepto baptiſmate, quia ità gratum & acceptum fuit Deo; & rurſus ex iuſtis contendit vnũ perſeuerare in ſua iuſtitia, ad vltimum vſque vitæ ſpiritum: alterum verò non prius mori quàm peccatum aliquod mortale commiſerit: idque quòd ità Deo placuerit. Hoc idem poſtremum, verbis magis explicatis docet cap. 14. lib. de prædeſtinatione Sanctorum, qui locus eſt diligenter aduertendus, differit enim de prædeſtinatione non ad primam gratiam, qua ratione explicatur D. Auguſtinus ab authoribus contrariæ ſententiæ, & epiſt. 30. *Cur* inquit, *ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & idem miraculum vident?* nullã aliam huius diuerſitatis aſſignat cauſam, præter inſcrutabilia Dei iudicia: & paucis interiectis. *Cur illum potiùs, quam illum liberet, ſcrutetur qui poteſt, ſed caueat præcipitium.* & tract. 26. in Ioann. *quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare.*

Deinde, hæc eadem res colligitur ex varijs propoſitionibus D. Auguſtini: Prima eſt, per peccatum primorum parentum tota humana natura conjecta fuit in maſſã perditionis, ex qua nullus ſinè ſpeciali Dei miſericordia liberari poteſt: ità docet lib. 1. ad Simplici. q. 2. & de peccatorum meritis, lib 1. cap. 21. & lib. 2. contra duas epiſt. Pelagianor. cap. 15. & alibi ſæpe. Secunda propoſitio: ex maſſã perditionis potuit Deus aliquos eripere, alios verè in eadem deſerere ſinè vllo vitio iniuſtitiæ & acceptationis perſonarum: ità docet lib. 4. contra Iulianum cap. 8. & lib. 5. cap. 3. & lib. 15. de Ciuit. cap. 1. 2. 3. &c. Tertia propoſitio D. Auguſt. Numerus prædeſtinatorum apud Deum eſt ità certus, vt hic nullam pati poſſit detractionem, aut etiam additionem: ità lib. 4. de Ciuitate cap. 16. & de correptione & gratia, cap. 13. Quarta propoſitio. Propterea Deus ſola ſua voluntate, & ante merita, ex maſſa perditionis aliquos liberauit, & ad vitam æternam deſtinauit, alios verò in eadem deſeruit, præuiſo tamen peccato finali eorumdem, vt in iſtis ſuam exerceret iuſtitiam, in illis verò ſuam manifeſtaret bonitatem: ità docet epiſt. 105. & 106. & lib. 14. de Ciuit.

1. Propoſitio D. Auguſt.

2. Propoſitio.

3. Propoſitio.

4. Propoſitio.

Vltima propoſitio: Propterea ante merita Deus liberauit aliquos ex maſſã perditionis, vt iſti ſalutem ſuam perficerent cum timore, & tremore: ità lib. de bono perſeuerantiæ cap. 13.

5. Propoſitio.

Ex quibus omnibus innotuit euidentiſſimè D. Auguſtinum nullam præter ſolam Dei voluntatem agnouiſſe totalis prædeſtinationis cauſam. Rurſus docet ex duobus æquè indiſpoſitis ad gratię iuſtificantis receptionem, propterea vnum conuerti; quòd ſola Dei voluntate huic conferatur gratia congrua; alteri verò minimè, quod detur illi gratia tantùm ſufficiens: ità docet epiſt. 105. & cap. 21. & 22. lib. de peccatorum merit. & de bono perſeuerant. cap. 8.

Tandem rogat D. Auguſtinus quî fiat, vt ex duobus iuſtis vnus perſeueret ad vltimum vſque vitæ ſpiritum in gratia, & in charitate, alius verò minimè? Reſpondet propterea illum perſeuerare quòd ei donũ perſeuerantiæ concedatur gratuita Dei bonitate, alteri verò minimè: Ità ſèſſe D. Auguſtinum docent Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, & Proſper Aquitanicus qui vixerunt eodem planè tempore cum D. Auguſtino, itemque Celeſtinus I. Pontifex. Max. Fauſtus Rhegienſis Epiſcopus, qui lib. contra D. Auguſtinum de hac re ſcripſit, & communiter Theologi ſcholaſtici cum Sancto Tho. hoc loco.

Hilarius. Proſper. Celeſtin.

Diſſolutio argumentorum.

Ad teſtimonia verò contraria adducta ab authoribus oppoſitæ ſententiæ ex eodem D. Auguſtino. Reſpon. primum teſtimonium deductum ex cap. 15. lib. de prædeſtinat. & gratia, & libero arbitr. librum hunc non eſſe D. Auguſtini, vt obſeruant DD. Louanienſes, & quidem meritò

1.

nam phraſis aliena eſt à ratione loquendi D. Auguſtini, & item à documentis eiuſdem. Diximus enim D. Auguſt. propterea affirmare ex duobus æquè indiſpoſitis ad gratiam iuſtificantem conſequendam, vnum conuerti, alterum verò minimè, quòd illi detur gratia congrua ſeu efficax: huic verò gratia tantùm ſufficiens. Non ergo in liberum arbitrium refundenda eſt conuerſio alicuius vel prædeſtinatio: ſed in voluntatem Dei qui dat liberaliter gratiam iſtam congruam vni, minimè verò alteri.

2. Ad duo teſtimonia verò, Reſp. verum eſſe D. Auguſtinum illis in locis diſputare contra Maſſilienſes Semipelagianos hæreticos, non tamen in omnibus locis; nam cap. 14. lib. de prædeſtinat. Sanctorum agit de prædeſtinat. ad gloriã, minimè verò de ea re prout reſpicit primam gratiam: aſſeritque hominem prædeſtinari ad gloriam ſine dependentia à meritis.

Vlt. Ad vltimum verò teſtimonium reſpondent aliqui libros ad Simplicianum fuiſſe editos à D. Auguſtino nondum ſatis exercitato in rebus fidei: Ceterum reſponſio hęc iniuriam quàm maximam Sancto Patri infert; certum eſt enim diuum Auguſtinum edidiſſe libros iſtos poſtquàm factus eſt Epiſcopus; non eſt autem veriſimile, maximè illis temporibus hominem minùs exercitatum in documentis fidei Chriſtianæ aſſumptum fuiſſe ad dignitatem Epiſcopalem. Deinde, laudat D. Auguſtinus in lib. de bono perſeuerant. & de prædeſtinat. Sanctorum quæ dictauerat in libris ad Simplicianum. Denique, edidit libros Retractationum, & tamen non meminit in iſtis vllius erroris commiſſi in libris ad Simplicianum.

Bellarminus verò & Suarez reſpondent prædeſtinationem ſpectari, & vt dicit finis intentionem, & vt dicit executionem: poſteriori modo fatentur D. Auguſtinum docuiſſe in libris ad Simplicianum dari in nobis aliquam cauſam prædeſtinationis.

Ceterùm rectius illi qui volunt D. Auguſtinum eo in loco nihil planè definiuiſſe de cauſa prædeſtinationis, ità vt locus hic intelligendus veniat per interrogationem, cui nihil planè reſpondet: ſed quæſtionem inſolutam relinquit. Ità multi recentiores.

DVBITATIO SEXTA.

Qua ratione ſatisfaciendum ſit argumentis authorum primæ & ſecundæ ſententiæ de cauſis prædeſtinationis.

Diſſoluuntur argumenta 1. ſentent. 1. AD primum argumentum primæ ſententiæ. Reſp. librum de prędeſtinatione & gratia non eſſe D. Auguſtini, vt diximus Dubio proximè antecedenti. Deinde, quod ſubiungitur ex D. Auguſtino in lib. de Ciuitat. tantùm probat reprobationem pendere quidem à libero hominis arbitrio. Deus autem neminem reprobat, niſi propter peccatum finale mortale in quo quis moritur: non docet autem D. Auguſtinus illic liberum hominis arbitrium eſſe cauſam prędeſtinationis, quod tamen debuerunt probare authores iſti.

2. Ad 2. electionem gratuitam, & merè liberalem non prędſupponere in electis quidpiam, quod non ſit in ijs qui ex hypotheſi non eliguuntur vt rectè obſeruat Sanctus Thom. in hoc art. exemplo artificis qui alios lapides in baſi ædificij, alios in medio, alios in ſummitate collocat, ſola ſua voluntate: partes item aliquę materię primæ informantur anima rationali, aliæ verò anima bruti, ſola Dei voluntate; ità ex maſſa perditionis aliquos elegit Deus ſola ſua voluntate, alios verò in eadem deſeruit.

Ad vltimum, electionem Dei eſſe quàm maximè conſonam rectæ rationi, licèt hæc fiat independenter à meritis in prædeſtinatis: tum quia Deus eſt prima veritas, & prima ratio, quæ à recto deficere nullo modo poteſt; tum quia ratio culpæ præſupponit cauſam aliquam deficientem inter quas nequit computari Deus, cum ſit ſumma perfectio. 3.

Ad rationes verò 2. ſententiæ reſp. Ad 1. prędeſtinationem ſpectari duobus modis, vel ſecundum totam ſuam latitudinem, ac proinde in ordine ad omnes effectus quos producit, vel vt dicit adeptionem vitæ æternæ & augmentum gratię primæ: Poſteriori modo docent patres in hoc argumento citati, dari cauſam aliquam prædeſtinationis in nobis, ſaltem in ratione executionis; de fide quippe eſt gloriam reſpondere meritis in hac vita factis: priori verò modo contendimus non dari in nobis cauſam prædeſtinationis. *2. Sentent. rationes ſoluuntur.*

Ad 2. Reſpondeo verbum, *præſcire*, idem illic ſignificare, quòd prædeſtinare, ex D. Auguſtino cap. 18. lib. de bono perſeuerant. Reſpondeo 2. *præſcire* illic idem eſſe atque probare; ità vt ſenſus ſit, *Quos præſcinit* j. quos probauit, illos prædeſtinauit. Ità explicant locum hunc Origenes, Theophylactus, Titelmanus, & Caiet. ad cap. 8. Rom. *Explicatur locus Pauli ad Rom. c. 8. verſ. 29.* 2.

Reſp. 3. particulam, *&*, non ſumi hic copulatiuè, ſed cauſaliter, ità vt ſenſus ſit: quos Deus præſciuit futuros bonos, ideò præſciuit fore tales, quia illos prædeſtinauit; ità Caietanus, & plerique recent. ad locum hunc Pauli. 3.

Ad 3. Reſp. ex illis omnibus locis Scripturæ probari tantùm retributionem vitę æternæ pendere à noſtris meritis: propter hanc enim cauſam nuncupatur vita æterna corona iuſtitiæ; ex iſtis tamen non licèt colligere in nobis dari cauſam aliquam totalis prædeſtinationis, vt conſtat ex dictis. Ad 1. confirmationem, & 2. huius argumenti idem planè dicendum eſt.

Ad 4. poſtulare explicationem illius difficultatis in qua quæritur: an prædeſtinatio ſit poſita in poteſtate cuiuſlibet prædeſtinati; de qua re ſit 4.

Conclvsio 1. *Prædeſtinatio ſpectata ſecundum totam ſuam latitudinem non eſt poſita in poteſtate vllius planè prædeſtinati, ſed repetenda eſt à ſola Dei voluntate.* Primò, quia ità docet D. Hieron. ad hæc verba Hieremię 10. *Scio Domine, quia non eſt in manu hominis via eius.* Idem docet D. Auguſtinus contra Adimantum. *Prædeſtinatio totalis in nullius prædeſtinati poteſtate ſita eſt.* 1. Hieronym Auguſt.

Deinde prædeſtinatio ſecundum totam ſuam latitudinem dicit ſegregationem ex maſſa perditionis, vocationem efficacem, iuſtificationem primam, augmentum eiuſdem, perſeuerantiam finalem, & denique adeptionem vitæ æternæ: at ſegregari ex maſſa perditionis, vocari efficaciter, & habere donum perſeuerantiæ, nulla ratione pendent à nobis: ſed à ſola Dei miſericordia, vt diximus in antecedentibus. 2. 3.

Tertiò, nulla poteſt aſſignari ratio quæ teneat ſe ex parte prædeſtinatorum, propter quam ex tanta hominum multitudine & Angelorum, tam pauci ſint efficaciter prędeſtinati, ſed res hæc tota refundenda eſt in ſolam Dei voluntatem.

Denique, paruuli qui moriuntur poſt baptiſma ſuſceptum ſunt verè prædeſtinati, & tamen nulla

Digitized by Google

nulla datur in iſtis cauſa iſtius prædeſtinationis: ita authores citati Dubit. 4. in confirmationem Concluſionis noſtræ vltimæ.

Gratiæ augmentũ, & vitæ æternæ conſecutio eſt penès quemlibet adultũ rectè viuentẽ lib. arbitrio.

CONCLVSIO 2. *Prædeſtinatio eſt poſita in manu cuiuſlibet prædeſtinati adulti, reſpectu augmenti gratiæ, & adeptionis vitæ æternæ, non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm ſecundùm quid, ratione videlicet cooperationis libertatis, & ratione cuiuſlibet boni operis meritorij.* Primùm, quia id intelligitur ex cap. 23. Matth. *Quoties volui congregare filios tuos ſub alas, & noluiſti?* Apocal. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipſe mecum.*

1. Matth. 23. verſ. 37. Apocal. 3. verſ. 20.

Deinde, omnes actiones meritoriæ quæ dãtur in nobis, ſunt ità aliqua ratione à nobis, vt à nullo alio ſint, vel eſſe poſſint; tales ſunt enim veræ actiones vitales dependenter tantùm à principio vitali quod datur in nobis.

Denique, actiones iſtæ tam verè ſunt à nobis, quàm à Deo omnium planè conſenſione: ergo ſaltem ex hoc capite augmentum gratiæ, & adeptio vitæ æternæ erit poſita in noſtra poteſtate ſecundum quid, non autem totaliter & ſimpliciter, idq; quòd huiuſmodi actiones meritoriæ nõ dentur in nobis niſi ſuppoſito aliqua ſpeciali Dei auxilio.

Explicatur locus ambiguus D. Auguſt.

Ad id verò quod dicitur, ſi nõ es prædeſtinat⁹ fac vt prædeſtineris. Reſpondet Suarez lib 2. de ſcientia Dei, futurorum contingentium abſolutorum cap. 9. numer. 20. & plerique alij recentiores locum hunc non reperiri apud D. Auguſtinum. Moneo tamen legi apud eumdem aliquid ſimile quodammodo: in Ioann. enim & lib. Hypognoſticon ità loquitur: *Si non traheris, fac vt traharis.* Cæterùm ex hac ratione loquendi, non poſſunt authores contrariæ ſententiæ colligere dari in nobis aliquam cauſam totalis prædeſtinationis: ſed ad ſummum alicuius tantùm effectus eiuſdem, quod nos vltrò concedimus de augmento gratiæ, & conſecutione vitæ æternæ; imò poteſt hic locus intelligi de executione prædeſtinationis, non autem de eadem, vt dicit finis intentionem.

Ad vltimam. Reſpond. ſententiam noſtram non inijcere laqueos deſperationis mortalibus, nec item eos reuocare ab exercitio bonorum operum: ratio prioris eſt, quia fatemur Deum velle omnium planè ſalutem. Secundo, concedimus Chriſtum eſſe mediatorem quorumcumque hominum nullo planè excepto. Demũ, affirmamus dari omnibus & ſingulis auxilia pluſquam ſufficientiſſima, per quæ poſſunt ſalutem propria operari, nulla facta diſtinctione inter prædeſtinatos, & reprobos, quod attinet ad iſta auxilia, licèt prædeſtinatis ſolis dentur auxilia congrua ſeu efficacia. Ratio poſterioris eſt, quia dicimus vnumquemque remunerari iuxta ea quæ præſtitit in hac vita, ex cap. 5. poſterioris ad Corinth. *Vt vnuſquiſque referat*, &c. Deinde, quia quoſlibet & ſingulos hortatur Deus ad bene operandum, & eiſdem gratiam ad id neceſſariam confert. Denique, nullus damnatur, aut punitur in altera vita, niſi propter peccata commiſſa in hac vita, quæ tamen vitare potuit, cum gratia, quæ fuit ei ſemper præſentiſſima.

Ex hac ergo noſtra ſententia colligere licet, vnumquemque noſtrùm debere & ſe, & ſua omnia Deo ſubmittere, idque quòd in manu eiuſdem ſint poſitæ ſortes noſtræ; ac proinde tenemur ſalutem noſtram cum timore & tremore Domini operari ſeu perficere.

In 1. partem D. Thom.

DVBITATIO SEPTIMA.

An prædeſtinatio facta ſit, nedum ad gloriam in communi, ſed ad certum aliquem gradum gloriæ ante merita.

CONCLVSIO. *Prædeſtinatio nedum eſt facta ad gloriam in communi, ſed etiam ad certum aliquem gradum gloriæ, reſpectu cuiuſlibet prædeſtinati, & quidem ante merita.* Primùm, quia hoc videtur indubitatum in paruulis qui moriuntur ſtatim à ſuſceptione baptiſmatis. Deinde, hoc fatentur omnes de diua Virgine, & de ceteris omnibus prædeſtinatis inſigniter. Tertiò, quando Deus prædeſtinauit ad vitam æternam efficaciter, vel prædeſtinauit ad gloriam æqualem, vel inæqualem. Primum dici non poteſt, de fide quippe eſt beatitudinem formalem Sanctorum eſſe inæqualem, iuxta illud. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* & cap. 15. Corinth. 1. *Stella à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Si autem dicatur ſecundum, beatitudo non poteſt eſſe inæqualis, niſi dependenter à meritis inæqualibus: ità communiter hoc loco Doctores.

Prædeſtinatio eſt determinata ad certum gradum gloriæ reſpectu cuiuſlibet ante eius merita.

Ioann. 14. verſ. 2. 1. Cor. 15. verſ. 41.

Obijcies, ſi ità res haberet, ſequeretur merita cuiuſlibet prædeſtinati eſſe determinata, idq; decreto diuino, & item voluntatem cuiuſlibet prædeſtinati eſſe definitam à Deo, ad hæc vel illa merita in particulari præſtanda.

Obiectio.

Reſpond. negando vtramque illationem: prædeſtinatio namque nihil planè ponit in prædeſtinato. Deinde, quilibet noſtrùm cenſetur eſſe dominus ſuarũ operationũ; ac proinde poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poteſt agere & non agere: merita ergo ſunt tantum à Deo determinata in communi, non autem in particulari.

Solutio.

DVBITATIO OCTAVA.

An omnes prædeſtinati fuerint à Deo ſimul prædeſtinati.

CONCLVSIO. *Reſpectu Dei prædeſtinatio quorumcumque fuit ſimul facta: ſecundum tamen noſtrum modum concipendi, nihil repugnat, quominus dicamus alios prius, alios verò poſterius fuiſſe prædeſtinatos.* Prima pars huius reſponſionis probatur: In æternis nihil eſt prius & poſterius; prædeſtinatio autem quorumcumque hominum & Angelorum in Deo eſt aliquid æternum. Deinde, apud Deum nihil eſt præteritum, nihil futurum, ſed omnia ſunt præſentiſſima, ex illo Rom. 4. *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

Omnes fuerunt ſimul à Deo prædeſtinati realiter, ratione tamen noſtra, aliqui fuerũt prius prædeſtinati; alij verò poſterius.

Rom. 4. verſ. 17.

Secunda verò pars reſponſionis probatur: prædeſtinatio præſupponit prædeſtinatum illa eadem ratione, qua viſio reſpicit obiectum viſum: at prædeſtinati omnes non ſunt ſimul, vt eſt per ſe notum: Pater quippe eſt prior filio, & filius ijs omnibus qui deſcendunt à patre & filio. Denique, D. Thom. quæſt. 14. huius part. propterea vult Deum cognoſcere futura contingentia, quòd hæc ſint in æternitate illi præſentia; at certum eſt æternitatem non coëxiſtere rebus quibuſuis futuris ſimul & ſemel, ſed ſucceſſiuè.

D. Thom.

DVBITATIO NONA.

An lapsus Angelorum fuerit causa prædestinationis hominum.

Angelorum lapsus nō est causa prædestinationis hominū.

CONCLVSIO *negatiua*; homines siquidem tam verè sunt partes huius vniuersi & capaces beatitudinis æternæ, quàm sint Angeli. Deinde, tam verè fuerunt creati primi parentes in gratia & in charitate, quàm Angeli; ac proinde æquè fuerunt illi ac illi ordinati ad vitam æternam. Tertiò, si peccatum Angelorum fuit causa prædestinationis hominum, sequeretur datam fuisse occasionem mortalibus gaudendi de peccato commisso ab Angelis, quod nullus hactenus dixit. Quartò, poterat Deus producere Angelos de nouo, quatenus sedes deperditas ab alijs restauraret. Denique, ex sacris litteris habemus Angelos propter homines, non autem homines propter Angelos fuisse procreatos, Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.*

Hebr. 1. vers. 14.

Obiectio.

Dices, sanctos Patres affirmare, ideò hominem fuisse prædestinatum, vt sedes ab Angelis deperditæ restaurarentur.

Solutio.

Resp. hæc intelligenda esse, non per se, sed per accidens, quatenus scilicet posito peccato Angelorum, dedit Deus auxilia quædam efficacia certis C quibusdam mortalibus, quatenus faciliori negotio felicitatem æternam tandem consequerentur.

DVBITATIO DECIMA.

An obstinatio Iudæorum fuerit causa prædestinationis gentilium.

RATIO dubitandi sumitur ex cap. 11. Rom. *Eorum* (inquit) *delictum, salus est gentibus, vt eos æmulentur.*

Iudæorum pertinacia non est causa prædestinationis gentilium.

1.

2.

CONCLVSIO. *Pertinacia seu obstinatio Iudæorum non est causa prædestinationis efficacis gentilium.* Primùm, quia ex sacris litteris habemus Deum velle omnium planè mortalium salutem. D 1. Timoth. 2. Deinde, Apostoli mittuntur in vniuersum mundum, ad hoc vt quoslibet conuertant ad veritatē religionis Christianę, Marc. & Matth. vltimo. Tertiò, antequàm constaret de obstinatione Iudæorum plerique ex gentilibus dederunt nomen religioni Christianæ: imò fuerunt verè prædestinati, vt constat de Cananæa Matth. 15. *Mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis*, ait illi Christus: & Matth. 8. de Centurione cuius filius infirmabatur Capharnaum dicitur à Christo; *Non inueni tantam fidem in Israel, multi venient ab Oriente, & Occidente, &c.* Quartò, ex cap. 2. Actorum, *Erant autem in Hierusalem viri religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est.*

Matth. 15. vers. 28. Idem 8. vers. 11. Actuum 2. vers. 5.

Neque refert, quòd aliqui dicunt istos omnes E extitisse Iudæos, nam licèt professerentur Iudaïsmum ex hypothesi, certum tamen est illos omnes non habuisse ortum à Iudæis; computantur enim inter illos Proselyti, vt constat ex loco proximè citato Actorum, & tamen non fuerunt isti nati ex Iudæis, sed ex gentibus omnū planè consensione.

Explicatur locus Rom. 11.

Ad rationem verò dubitandi. Resp. ex eo testimonio Pauli solum posse colligi, Apostolos sumpsisse occasionem deferendi Iudæos, & accedendi ad Ethnicos, doctrinæ Christianę publicandę causa, ex peccato perfidiæ, & obstinationis Iudæorū, A vt manifestè dicitur in Actis cap. 13. *Vobis*, scilicet Iudæis, *oportuit primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud & vos iudicatis indignos, ecce conuertimur ad gentes*: per accidens ergo obstinatio Iudæorum extitit causa publicationis legis Euangelicæ apud gentiles, non autem per se.

Actor. 13. vers. 46.

DVBITATIO VNDECIMA.

An Christus sit causa prædestinationis nostræ efficacis.

RATIO dubitandi est, quia diximus nullam dari causam nostræ prædestinationis præter solam Dei voluntatem. Deinde, quia si Christus est B causa, id maximè est, quia mortem nomine omniū nostrūm sustinuit, preces habuit ad patrē & innumera mala pro nobis pertulit: at hæc ratio est planè ridicula; nam Stephanus similiter nomine Pauli orauit, & illius conuersionem promeruit, non tamen propterea dicitur Stephanus causa prædestinationis Pauli: ergo neque Christus potest dici.

Christus est causa meritoria nostræ prædestinationis.

CONCLVSIO 1. *Christus est causa meritoria nostræ prædestinationis.* Primùm, ex cap. 1. ad Ephes. *Elegit nos in ipso*, scilicet Christo, *ante mundi constitutionem.* & ibidem; *Benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo*: at præcipua benedictio cuiuslibet nostrūm est prædestinatio propria.

Ephes. 1. vers. 4.

Deinde, in Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. dicitur eadem ratione Christum esse causam meritoriam nostræ iustificationis, qua Deus censetur esse causa efficiens eiusdem.

2. Trident. 3.

Tertiò, dicimur prædestinati dependenter à meritis Christi; propter hanc siquidem causam remissio peccatorum nostrorum, itémq; retributio vitæ æternæ, & cuiuslibet alterius auxilij, quod datur nobis in hac aut in altera vita adscribitur Christo. Ità cōmuniter omnes hoc loco, & in tract. de prædest. apud Magistrū, & in tract. de prædest. Christi.

Effugium aliquorum.

Respondent aliqui, Christum meruisse quidem nobis primam iustificationem, perseuerantiam finalem, & adeptionem vitæ æternæ, minimè verò vocationem efficacem primam.

Præcluditur.

Ceterùm, responsio hęc est planè impertinens, omnis enim gratia quæ datur in nobis quæcumq; illa sit, pendet à meritis Christi, ex illo: *Sinè me nihil potestis facere; nemo venit ad patrem, nisi per me.* Confirmatur. Christus censetur esse fons & origo cuiuslibet gratiæ, ità vt Apostolus dicat; *De plenitudine eius*, scilicet Christi, *omnes accepimus gratiam pro gratia.*

Ioan. 15. vers. 5. Idem 14. vers. 6.

Christus est causa finalis prædestinationis & item exemplaris.

CONCLVSIO 2. *Christus est causa finalis nostræ prædestinationis & item exemplaris.* Prima pars definita est in Concil. Trid. c. 7. sess. 6. Secunda verò traditur à Paulo Rom. 8. *Quos prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.*

Christus est causa finalis prædestinationis nostræ.

Ad rationes verò dubitandi resp. Ad 1. nullam dari in nobis causam prædestinationis totalis, secus tamen dicendum est de prædestinatione nostra comparata cum Christo; hæc enim pendet à meritis eiusdem, & ità intelligenda sunt quæ docuimus Dubitat. 4. huius quæst.

Trident. Rom. 8. vers. 29.

Dissolutio rationū contrariarum

Ad 2. non esse parem rationem inter Stephanū & Paulum, & inter Christum & quoslibet mortales: Stephanus enim de congruo tantùm potuit mereri conuersionem Pauli; ità enim explicandus est D. August & alij Patres quando docēt Stephanum meruisse conuersionem Pauli: Christus verò sua passione, morte & omni actione honesta quam exercuit in hac vita promeruit de condigno totam prædestinationem nostram, & quodlibet donum ordinis supernaturalis.

DVBI-

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An in ſtatu innocentiæ fuerint homines prædeſtinati.

Hominis fuerũt prædeſtinati in ſtatu innocentiæ inefficaciter.

CONCLVSIO 1. *Fuerunt prædeſtinati, non enim ſe habuit Deus verè negatiuè ad iſtos.* Deinde, conceſſit iſtis iuſtitiam originalem, & gratiam gratum facientem, itémque fidem, ſpem, & charitatem: at collatio iſtorum donorum ordinatur in finem aliquem ſupernaturalem, qualis eſt beatitudo æterna.

CONCLVSIO 2. *In ſtatu innocentiæ fuerunt prædeſtinati primi parentes inefficaciter tantùm,* nam ſtatus hic non perſeuerauit multo tempore. Deinde, idem dicendum videtur de hac prædeſtinatione, quod diximus de voluntate antecedente quæſt. 19. huius partis: at voluntas antecedens eſt tantùm inefficax. Denique, nullus in ſtatu innocentię conſecutus eſt vitam æternam de facto: ergo prædeſtinatio quæ reſpicit huiuſmodi ſtatum eſt tantùm inefficax.

Aduerte, concedendũ eſſe de omnibus omnino Angelis, quòd fuerint prædeſtinati inefficaciter, ſeu, quod idem eſt, voluntate antecedente, vt pluribus probat Peſant. diſp. 6. ad hunc art. eſt autem author hic de hac re legendus; ſatis enim accuratè Dubitationem iſtam pertractat.

QVÆSTIO SECVNDA GENERALIS.

An detur in Reprobis cauſa reprobationis.

HÆc Quæſtio maioris explicationis gratia, certis quibuſdam Dubitationibus terminabitur ad modum proximè antecedentis.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſentiant hæretici de cauſis reprobationis.

Hæreticorum error.

CALVINVS lib. 3. ſuæ Inſtitutionis cap. 23. per multas ſectiones contendit nullam dari in reprobis cauſam reprobationis poſitiuę eorumdem, ſed reſundendam eſſe in ſolam Dei voluntatem, illa eadem ratione qua prędeſtinatio; ac proinde docet ante pręuiſum vllum planè peccatum finale mortale, deſtinatie Deum ab æterno reprobos ad pœnas æternas ſubeundas in tempore. Idem docuerunt antèà Huſſitæ & VViclefuitæ, referente Thoma VValdenſi, Bellarmino & alijs pleriſq; recentioribus: itémq; alij hæretici temporibus Zozimi Pontificis Max. & Honorij Imperatoris, referente Sigiberto in ſuo Chronico. Impietatem tamen iſtorum omnium ſuperauit Caluinus: ait enim Deum eſſe cauſam illius peccati, propter quod reprobus ſuſtinet pœnas inferni: de qua re nihil planè fuit dictum à ceteris omnibus hæreticis proximè relatis.

Caluini impietas maxima.

1. Ratio hæreticorum.

Probat autem hęreſim ſuam Caluinus, primò ex c. 9. Rom dicitur enim illic de reprobatione Eſau, & de prędeſtinatione Iacob, quod fuerint facte independenter à meritis, aut demeritis, eorumdẽ; *Cũ,* inquit, *nondũ nati eſſent, aut aliquid boni aut mali egiſſent, Iacob dilexi, Eſaũ autem odio habui:* & ibidẽ. *Non eſt volentis, neque currentis ſed Dei miſerentis:* & rurſus. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Rom. 9. verſ. 11. Ibidem ℣. 27.

2. Deinde, eodem modo ſe habet Deus ad prædeſtinandos & reprobandos homines, quemadmodũ

A ſe habet figulus ad conficienda vaſa aliqua ex vna & eadem maſſa, alia in honorem, alia in contumeliam, vt author eſt Paulus c. 9 Rom. atqui figulus ſola ſua voluntate, ex vna & eadem maſſa conficit alia vaſa in honorem, alia verò in contumeliam, vt eſt per ſe notũ; & ex eo manifeſtè colligitur quòd maſſa lutea careat omni iudicio, ratione, & ſenſu.

3. Tertiò, ex pueris, alij non prius tolluntur ex hac vita, quàm fuerint baptizati, alij verò moriuntur in vteris maternis, aut certè extra, non ſuſcepto baptiſmate: atqui huius diuerſitatis nulla datur cauſa in iſtis pueris, ſed res hæc refundenda eſt in ſolam Dei voluntatem.

4. Quartò, ſi quæ eſſet ratio propter quam diceremus nullã dari cauſam reprobationis ex parte voluntatis diuinę, ſed ex parte reproborum, hæc maximè eſſet, quod dicatur in ſacris litteris Deũ velle quorũcumq; hominũ ſalutẽ, at hæc ratio eſt planè nulla: Deus enim non vult vero & reali aliquo actu omnium planè ſalutem, alioquin prædicata ſuiſſet lex Moyſis nedum apud Iudæos, ſed etiam omnes omnino nationes huius vniuerſi: Noſtris etiam ſeculis Euangelium nedum eſſet euulgatum apud pauciſſimas illas nationes in quibus voluntate diuina publicatum eſt, ſed etiam peruenifſet ad omnes omnino populos, neque enim fieri poteſt vt ſinè cognitione iſtius Euangelij, vlli pateat aditus ad vitam æternam.

Vt.

Deniq; in ſacra Scriptura dicitur verbis expreſſis, Deum excæcare, & indurare corda reproborũ, Eſai. 6. *Excæca cor populi huius & aures eius aggraua,* & Ioan. 12. dicitur de Iudęis quibuſdam: *Propterea non poterant credere, quia iterũ dixit Iſaias, Excæcauit oculos eorum & induravit cor eorum:* & Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt.* & Exod. cap. 7. & 9. dicit Deus, *Indurabo cor Pharaonis.*

Eſaï. 6. verſ. 10. Ioan. 12. verſ. 39 & 40. Rom. 1. verſ. 28. Exod. 7. & 9 verſ. 13. & 7.

CONCLVSIO. *Hæreſis manifeſta eſt, & impietas ſumma, affirmare nullam dari in reprobis cauſam reprobationis: ſed reſundendam eſſe totam in ſolam Dei voluntatem.* Primum, quia in ſacris litteris dicitur quòd Deus nec fecerit mortẽ, nec velit quempiam perire, Sap. 1. *Deus mortem non fecit nec lætatur in perditione viuorum.* & c. 3. poſterioris D. Petri: *Deus nolens aliquos perire: ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* & Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat?* & ad Rom 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Ex quibus ità ratiocinarilicet: Deus nõ lętatur in perditione morientium, nec vult mortem alicuius; ac proinde neq; miſeriam eiuſdem: atqui ex doctrina Caluini Deus ante prævuiſum peccatum mortale finale, aut quodlibet aliud deſtinat omnes, & ſingulos reprobos ad pœnas æternas: ergo falſum eſt quod docent Scripturæ iſtis locis, ſi verum eſt quod docet Caluinus.

Maxima impietas eſt & hæreſis adſcribere voluntati diuinæ ſoli, reprobationem reproborum.

Sap. 1. verſ. 13. 2. Petr. 3. verſ. 9. Ezech. 18. verſ. 13. Rom. 5. verſ. 12.

2. Deinde, ex illis locis in quibus dicitur Deum velle omnium planè ſalutem 1. Timoth. 2. Deum item dare vitam æternam propter bona opera, & ſimiliter indicere pœnas æternas propter peccata in hac vita commiſſa; ità Matth. 25. *Venite benedicti, &c.* ſubiungit cauſam, *Eſurijt enim & dediſtis mihi manducare.* & rurſus, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum,* reddit autem cauſam, *Eſurijt & non dediſtis mihi manducare.* Rom 2 *Auditores legis non iuſtificabuntur apud Deum, ſed factores.* Matth. 7. 7. *Non omnes qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum:* & Iacob. 1. *Eſtote factores verbi:* atqui retributio vitę æternę præſupponit

Matth. 25. verſ. 34. Rom. 2. verſ. 13. Matth. 7. verſ. 21. Iacob. 1. verſ. 22.

Digitized by Google

merita, ſaltem in executione, vt docuimus quæſt. proximè antecedente: ergo reprobatio poſitiua præſupponit etiam præuiſionem culpę mortalis finalis in quolibet reprobo.

Reſponſio Caluiniſtarum. Reſpondent Caluiniſtę, Scripturam ſacram iſtis in locis non ſignificare Deum velle omnium planè ſalutem, medio vero & reali aliquo actu elicito à voluntate diuina, ſed tantùm indicare quid facturus eſſet Deus ſi contigiſſet homines malos redire ad meliorem mentem.

Reijcitur Caluiniſtica cauillatio. Ceterùm expoſitio hæc eſt manifeſta corruptio Scripturarum ſacrarum: diximus enim eas ſemper eſſe ad litteram intelligendas, niſi ex eis ſequatur aliquid abſurdi: licèt autem fateamur Deum per verum & realem actum ſuæ voluntatis velle omnium planè ſalutem, nulla hinc ſequitur abſurditas, ſed aliquid conſonum diuinę bonitati; eſt enim de ratione bonitatis diuinę ſe communicare creaturis, iuxta illud D. Dionyſij: bonum eſt ex ſe & ſua natura ſui ipſius diffuſiuum. Deinde, quis credat Deum ordinaſſe creaturam aliquã ad pœnas æternas ſubeundas, antequàm præuiſa fuerit aliqua culpa morralis in iſta creatura? pœna enim, maximè æterna, præſupponit intrinſecè culpam lethalem non minùs quàm faciat præmium, opus meritorium. Tertiò, Scripturæ ſacræ docent Chriſtum verè eſſe paſſum & mortuum pro omnibus, Ioann. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis totius mundi.* 1. Ioan. 2. verſ. 2. Igitur concedendus eſt in Chriſto verus aliquis actus, quo, nomine quorumcumque mortalium voluit mori. Quartò, mittuntur Apoſtoli in vniuerſum mundum, & quidem eo conſilio vt quaſcumque gentes ad veritatem religionis Chriſtianæ conuertant, Marc. & Matth. vltimo: *Ite & docete omnes gentes.* Poſtremò, ad quid exprobraret Paulus hominibus ſceleratis impenitentiam, & obſtinationem propriam, ſi non conferat Deus iſtis auxilia, per quæ poſſent reſurgere à peccatis? *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die reuelationis iuſti iudicij Dei,* Rom. 2. Rom. 2. verſ. 5.

Replica hæretic. Vrgent Caluiniſtę. Si vellet Deus ſalutem quarumcumque gentium medio aliquo actu ſuæ voluntatis, omnes omnino gentes conſequerentur ſalutem; voluntas enim Dei ſemper impletur.

Diſſoluitur. Reſpond. negando illationem antecedentis. Ad probationem autem: voluntatem Dei efficacem ſeu conſequentem ſemper impleri, non verò ineffacem & antecedentem, vt conſtat ex cap. 23. Matth. ità enim alloquitur illic Chriſtus ciues vrbis Hieroſolymorum: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* vult autem Deus ſalutem & conuerſionem quorumcumque mortalium, non voluntate efficaci, ſed ineffacei & conditionata, nimirum interueniente aſſenſu & cooperatione cuiuſlibet creaturę rationalis: Certum autem eſt omnem creaturam rationalem non conſentire diuinę voluntati, & vocationi eiuſdem, quandocumque contingit Deum conferre illi ſuam gratiam excitantem.

3. Tertiò probatur Concluſio, ex illis locis in quibus dicitur Deum ſtare ad oſtium cuiuſlibet, & pulſare, ad hoc vt in eo per ſuam gratiã inhabitet: Apocal. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.* Prouerb. 1. Matth. 3. & alibi ſæpe; at iſta nequeunt eſſe vera, ſi Deus deſtinat aliquos ad pœnas æternas, antequàm vlla detur in iſtis culpa præuiſa. Apocal. 3. verſ. 20.

4. Quartò, quælibet actio Dei cenſetur eſſe coniuncta cum miſericordia & iuſtitia, Pſal. 84. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi*; atqui ſi Deus deſtinat aliquos ad pœnas æternas ante vllam culpam eorumdem præuiſam, hæc actio nequit eſſe coniuncta cum miſericordia & iuſtitia; non enim pœna vlla dabitur ei qui non peccauit. Pſal. 84. verſ. 11.

Quintò, Chriſtus cenſetur eſſe mediator, ſaluator, & redemptor, cuiuſlibet hominis, 1. Timoth. 2. *Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus,* & 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus,* Hebr. 7. & item in epiſt. ad Rom. *Accedens per ſemetipſum ad interpellandum pro nobis,* loquitur autem de Chriſto. 5. 1. Tim. 2. verſ. 5. 1. Ioann. 2. verſ. 1. Hebr. 7. verſ. 25.

Sextò, ex illis locis in quibus dicitur Deum nolle peccatum; neque ea quę conſequuntur peccata, Pſal. 15. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es:* 1. Petr. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* & Oſeę 13. *Perditio tua ex te Iſraël eſt: tantummodo in me auxilium tuum:* at qui ſi Deus deſtinat aliquos ad pœnas æternas, ante demerita pręuiſa, non poteſt dici Chriſtus omnium mediator & ſaluator, neque item poteſt affirmari de eo, quòd non velit ærumnas, miſerias, & calamitates reproborũ, & quidem ſinè vlla dependentia à demeritis iſtorum. Item ex illis locis in quibus Deus exprobrat mortalibus peccata commiſſa, Pſal. 4. *Filij hominũ vſquequo graui corde?* Pſal. 94. *Quadraginta annis proximus fui,* &c. & Marc. 16. *Exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis.* Tandem ex Patribus: D. Auguſtino lib. 6. Hypognoſticon, paulo poſt initium. *Quia verò iuſtus & miſericors Deus, præſciuſque futurorum ex hac damnabili maſſa, non perſonarũ acceptione, ſed iudicio equitatis ſuæ, quos præſcit miſericordia gratuita preparat, id eſt, prædeſtinat ad vitam æternam: Ceteros autem pœna punit, quos ideò punit, quia quid eſſent facturi præſcit; non tamen ipſe fecit puniendos, vel prædeſtinauit:* & epiſt. 105. de prædeſt. & gratia, cap. 4. & lib. ad Simplicianum frequentiſſimè. Hieronymo ad cap. 1. 1. Timoth. Chryſoſt. Theophylact. & Anſelm. ad cap. 9. Rom. & Fulgent. lib. 1. de prædeſt. & Ambroſ. lib. 1. de vocatione gentium. Sententiarij diſt. 40. alij 41. lib. 1. Pſal. 4. verſ. 5. Idem 94. verſ. 10. Marc. vlt. verſ. 14. D. Auguſt. Hierony. Chryſoſt. Theophy. Anſelm. Fulgent. Ambroſ.

Denique doctrina hęc Caluiniſtarum, inijcit laqueos deſperationis quibuſuis hominibus, pugnat cũ Dei bonitate, & miſericordia, & aduerſatur meritis Chriſti, gratię & libertati cuiuſlibet noſtrùm, de qua re legendi ſunt authores proximè citati. *Doctrina Caluiniſtica peſtifera.*

Ad rationes verò hæreticorum reſp. Ad 1. particulam iſtam, *Eſaũ autem odio habui,* non ſignificare actum dilectioni, & amori Dei contrarium; nam ex Sap. cap. 11. Deus non poteſt quempiam odiſſe antequam detur in eo peccatum, *Nihil (inquit) odiſti eorum quæ feciſti.* Deinde, quælibet res antequàm detur in ea peccatum cenſetur eſſe bona, ex cap. 1. Geneſ. & 4. prioris ad Timoth. *Omnis creatura Dei bona eſt:* at quod bonum eſt non poteſt eſſe Deo ingratum & inuiſum: ergo cùm in Eſaũ non fuerit peccatum, non potuit Deus eum odio habere, loquendo de odio propriè dicto. Sumitur ergo particula iſta, *Eſaũ odio habui,* non contrariè; ſed comparatiuè, ità vt ſenſus ſit, non ità dilexi & amaui Eſaũ, quemadmodum Iacob dilexi. Denique, hoc idem colligitur ex alijs locis Scripturę in quibus, odiſſe, ſumitur pro eo quod eſt minus diligere, vt conſtat ex cap. 14. Luc. *Si quis venit ad me, & non odit patrem,* &c. particula, *Odit,* non poteſt ſignificare actum contrarium amori; præcipit namque Deus vt diligamus patrem & matrem, itemque proximum; ac proinde quando dicitur hic, *Qui non odit patrem,* germanus ſenſus eſt, qui non diligit minus patrem. In hac eadem ſignificatione legitur *Diluuntur argumenta hæreticorũ.* 1. Tim. 4. verſ. 4. Sap. 11. verſ. 25. Luc. 14. verſ. 26.

Digitized by Google

Ioann. 12. gitur particula; *Odit*, Ioann. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo*, id'eſt, qui minùs amat animam ſuam quàm Deum, *cuſtodit eam in vitam* Matth. 6. *æternam*. & Matth. 6 *Nemo poteſt duobus dominis* verſ. 24. *ſeruire, aut enim vnum diliget, & alium odio habebit*, id eſt, minùs amabit. Ex iſtis colligitur euidenter teſtimonium hoc Pauli, non fauere hæreticis. Addo, probari hoc loco Pauli reprobationem negatiuam nullam admittere cauſam in reprobis, quemadmodum neque id facit prædeſtinatio in prædeſtinatis. Reprobatio tamen poſitiua de qua diſputamus hoc loco cum hæreticis, veram cauſam agnoſcit in reprobis, ſcilicet peccatum finale, vt probabitur inferiùs.

2. Ad ſecundum verò teſtimonium Pauli, *Non eſt volentis*, &c. Reſp. probare tantùm Deum eſſe cauſam præcipuam & principalem conuerſionis, itémque ſalutis noſtræ, non autem ſolum Deum cauſare ſalutem noſtram. De fide quippe eſt hominem cooperari liberè vocationi & iuſtificationi Trident. ſuæ, vt definitum eſt in Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4.

Ad vltimum teſtimonium Pauli, *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*. Reſpond. hæc intelligenda eſſe non effectiuè, ſed permiſſiuè; ità vt ſenſus ſit, Deum indurare hoc ſolo nomine, quòd non conferat gratiam congruentem; ſed tantùm ſufficientem, & quòd ſinat creaturam rationalem operari conformiter ſuæ naturæ cum plena videlicet libertate ad bonum, vel ad malum.

2. Rationi ſatisfit. Ad 2. Reſpond. negando maiorem propoſitionem: ad probationem autem deſumptam ex ſimilitudine figuli iuxta ea quæ habet Paulus cap. 9. Rom. dico probare tantùm prædeſtinatos aptari à Deo Opt. Max. veluti vaſa quædam in honorem, & id affirmare Paulum: Id tamen non facit erga reprobos, ſed reprobi ipſi ſeipſos aptant in ignominiam, vt manifeſtè colligitur ex verbis iſtis Rom. 9. Pauli. *Suſtinuit* (inquit) *in multa patientia vaſa iræ,* verſ. 23. *propter vaſa miſericordiæ*, quo loco particula iſta, *Suſtinuit*, eſt perpendẽda; ſignificat enim manifeſtã permiſſionem & tolerantiam reſpectu cuiuſlibet reprobi. Deinde, de prædeſtinatis dicit Paulus quòd aptauerit eos Deus in honorem: de reprobis autem nihil ſimile habet, idque quòd ab Oſea dictũ fuerit, *Perditio tua ex te Iſraël, ſalus autem ex me.*

3. Ad 3. Reſpond. ex paruulis aliquos perire ante baptiſmatis ſuſceptionem, ceterùm ex culpa parentum, vt rectè obſeruauit Greg. Nyſſenus in homil. de his qui præmaturè arripiuntur, & hoc vi- Nyſſenus. detur etiam colligi ex illo Exod. 20. *Ego ſum* Exod. 20. *Deus zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios in* verſ. 5. *tertiam & quartam generationem*: Non deſunt etiam qui dicant paruulos iſtos mori ante ſuſceptionem baptiſmi, ex diſpoſitione cauſarum ſecundarum, accelerantium interitum pueri: non tenetur autem Deus impedire cauſas ſecundas, ac proinde neque per miraculum vitam iſtius pueri conſeruare. Poſtulat enim ſuauis ordo prouidentiæ diuinę, vt concurrat Deus cum omnibus cauſis iuxta earum naturas; ac proinde cum neceſſarijs neceſſariò, cum contingentibus, contingenter, & cum liberis liberè. Ex iſtis autem non licet colligere paruulos iſtos carere remedijs neceſſarijs ad eorum ſalutem; nam vel moriuntur iſti in vteris maternis, vel extra; ſi primum, fatentur plerique paruulos iſtos habere remedia ſufficientia ad ſalutẽ in primo parente, nempe iuſtitiam originalem, *Solutiones quorundã inſufficientes.* & alia huius generis dona primo parẽti conceſſa, & transfundenda in poſteros. Ceterùm hæc opinio non eſt ſatis tuta, vt obſeruat Peſant. diſp. 5.

Vera ſolutio. Reſpondent ergo alij, puerulos iſtos qui moriuntur in vteris maternis, habere baptiſmum pro remedio in communi; nam iſti verè ſunt homines etiamſi ſint in vteris maternis conſtituti: Quilibet autem hoc ipſo quòd eſt homo poteſt in Chriſto renaſci abſolutè, & ſimpliciter; licèt per accidens, putà hîc & nunc, non poſſint pueri iſti baptizari. Sotus tamen in 4. & alij nonnulli Thomiſtę fatentur puerulos iſtos habere pro remedio particulari baptiſmum; putant enim natiuitatem extra vterum non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad baptiſmatis ſuſceptionem, ſed ſufficere natiuitatem intrà vterum, cuius meminit Matth. cap. 1. *Noli ti-* Matth. 1. *mere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in* verſ. 20. *ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt*: qui locus ad litteram intelligitur de Chriſto concepto in vtero D. Virginis. Si ergo natiuitas hæc ſatis ſit ad baptiſmatis ſuſceptionẽ, paruuli qui moriuntur in vteris maternis habebunt pro remedio particulari ad ſalutem neceſſario ſacramentum baptiſmatis.

Ceterùm, ſolutio ante hanc allata, eſt multò tutior, ac proinde amplectenda, ex cap. ſiquidem 4.
3. Ioan. videtur colligi natiuitatẽ extra vterũ eſſe ſimpliciter neceſſariã ad baptiſmatis ſuſceptionẽ.

Ad 4. Reſp. conceſſa maiore, negando minorem: ad probationem autem legem gratiæ, & antiquitus Moyſis, non fuiſſe vbique locorum promulgatam, propter perfidiam & incredulitatem earum nationum, apud quas leges iſtæ non ſunt euulgatæ. Idem quippe videtur dicendum de iſtis, quod de popularibus Chriſti Marc. 6. & Matth. 13. legitur autem illic Chriſtum apud iſtos non feciſſe miracula propter eorum incredulitatem.

Deinde, hoc ipſum videtur comprobari ex cap. 13. Actuum, prædicatio namque legis Euangelicæ ideò negatur Iudæis quòd nolnerint aſſentiri prædicationi Apoſtolorum: *Vobis oportebat* Actor. 13. *primùm loqui verbum Dei. Sed quia vos iudicaſtis in-* verſ. 46. *dignos æterna vita, ecce conuertimur ad gentes.* & Matth. 8. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, &* Mat. 8. *recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno* 11. & 12. *cœlorum: filij autem regni eycientur in tenebras exteriores.* Quoniam ergo perſpectam habuit Deus ex omni æternitate incredulitatem earum gentium, apud quas Euangelium hactenus non peruenit, ideò iuſtiſſimo titulo noluit apud iſtas gentes legem ſuam promulgari, ne hac ratione magis apud inferos torquerentur.

Quòd verò dicitur de ijs apud quos lex Moſaïca non fuit antiquitus promulgata. Reſp. iſtos habuiſſe remedia legis naturalis per quæ poterant conſequi ſalutem, vt tradunt omnes in tractatu de ſacramentis in genere. Illi autem qui nihil hactenus audiuerunt de Euangelio excuſantur ratione ignorantiæ inuincibilis à ſuſceptione baptiſmatis; qui ſi ſequerentur dictamen rectæ rationis in omnibus & ſingulis, indubitatum eſt Deum miſſurum aliquem qui doceret eos neceſſitatem baptiſmatis, aut eam inſpiraret.

Digitized by Google

Vlt. Ad vltimam. Respond. Deum esse causam cæ- A citatis, obdurationis, & obstinationis, non quidem effectiuam, sed tantùm permissiuam, ità vt excæcet Deus aliquos, & obduret, non quidem impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam
D. August. congruam, vt loquitur D. Augustinus in lib. de bono perseuer. & alibi sæpe, non tamen negat vlli quantumuis obstinato gratiam sufficientem, per quam potest salutem suam perficere, si velit.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid censeant Catholici de causa reprobationis.

DVÆ sunt extremę de hac re Catholicorum B sententię. Prima, eorum qui putant nullam dari in reprobis causam totalis reprobationis. Posterior, eorum qui aiunt admittendam esse necessariò aliquam causam reprobationis in reprobis, nempe peccatum finale mortale.

1. Opinio nullam admittit in reprobis totalis reprobationis causam.

Prima opinio nititur duobus istis fundamentis: idem est dicendum de reprobatione quod de prædestinatione; sunt enim hæc duo quasi opposita: at nulla datur in prædestinatis causa totalis prædestinationis.

Deinde, si quæ esset causa reprobationis totalis in reprobis, ea maximè esset peccatum finale; at peccatum finale nequit esse causa totalis reprobationis; nam pueri qui moriuntur ante baptismatis C susceptionē non adiudicantur pœnis æternis, sed priuantur visione essentiæ diuinæ. Nihil item repugnat quominùs adultus aliquis moriatur cum solo peccato veniali, & tamen non potest dici de isto quòd sit reprobus, cùm decedat ex hypothesi in gratia cum solo veniali: ergo non datur causa reprobationis totalis in omnibus saltem reprobis.

2. Opinio peccatum finale reprobationis est causa.

Posterior verò sententia, probatur 1. Reprobatio definitur, destinatio quorumdam ad pœnas æternas, ex æquitate iustitię facta: at iustitia non patitur quempiam torqueri pœnis æternis, aut etiam temporalibus sinè culpa aliqua commissa; respicit enim pœna, peccatum, quemad- D modum præmium, respicit meritum. Confirmant ex illo Sap. 12. *Tu cùm sis iustus, omnia iustè disponis, ipsum quoque, qui puniri non debet, condemnare externum existimas à tua virtute.* & ex
Sap. 12. vers. 15. Psal. 118. vers. 137. Psal. 118. *Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum.*

2. Deinde, si nulla daretur in reprobis causa reprobationis, sequeretur Deum permittere peccata cum intentione ea vindicandi, nedum per se, sed etiam per accidens: atqui illatio hæc aduersatur diuinæ bonitati, cùm enim Deus sit summè bonus, ante culpam aliquam commissam, non potest quempiam ordinare ad pœnam aliquam subeundam: propter hanc enim causam docent
D. Thom. Theologi communiter cum sancto Thoma, Deum E non intendere iustitiam vindicatiuam per se, sed tantùm per accidens, suppositā scilicet culpa: ergo concedenda est aliqua causa reprobationis in reprobis.

3. Tertiò, prædestinatio, itémque reprobatio hominum præsupponunt Christi prædestinationem ex cap. 8. Rom. & 1. Ephes. dicimur enim illic prædestinati, ad imitationem prædestinationis Christi; atqui prædestinatio Christi præsupponit culpam originalem: videtur enim verissima sententia sancti Thom. 3. part. quæst. 1. art. 3. asserentis, incarnationem Christi non esse futuram, Adamo non peccante.

4. Denique, reprobatio puerorum qui moriuntur ante baptismatis susceptionem agnoscit peccatum originale, veluti suam causam, vt author est D. Augustinus varijs in locis: ergo illud idem erit dicendum de reprobatione adultorum. Imò hoc ipsum asserit D. Augustinus; ait enim lib. 6. D. August. hypognosticon, peccatum actuale esse causam reprobationis adultorum, & lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & de bono perseuerant. & epist. 105. 106. & 107. ait omnes posteros Adæ per peccatum primi parentis coniectos fuisse in massam perditionis, ex qua nullus liberari potest sinè speciali Dei misericordia; ac proinde fatetur causam reprobationis positiuæ in adultis esse peccatum mortale finale in quo moriuntur; Causam verò reprobationis negatiuæ eorumdem esse peccatum originale.

Doctrina Catharini erronea.

Cauendus tamen est hac in re modus loquendi Ambrosij Catharini, & item eius doctrina, in opusculo namque de prædestinatione à se edito, fatetur inter eos qui destinantur pœnis æternis alios esse dicendos tantùm damnandos, alios verò nùcupandos reprobos. Primi censetur illi ex istius Doctoris opinione, qui peccata mortalia committūt in hac vita, de quibus non egerunt penitentiā, cùm tamen eam perficere possent, propter auxilia Dei ad id necessaria, quæ fuerunt istis semper præsentissima, ad hoc vt veram penitentiam perficerent. Posteriores verò ideò dicuntur reprobi, quia fœdissima & turpia quædam peccata commiserunt, & quidem summa cum obstinatione, propter quæ adiudicati fuerunt pœnis æternis, ex omni æternitate; & insuper propter quæ peccata noluit Deus istis visa eorum obstinatione, concedere auxilia per quæ possent illa vitare. Quod probat ex illo Prouerb. 1. *Vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui respiceret, ego in interitu vestro ridebo.* & ex Psal. 94. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic & dixi, semper hi errant corde: ipsi verò non cognouerunt vias meas.*
Prouer. 1. vers. 24. Psal. 94. vers. 10.

Refellitur doctrina Catharini.

Cetertim hæc opinio improbatur communiter ab omnibus; indubitatum quippe est, nullos extare inter mortales qui vel non sint prædestinati vel reprobati; imò hoc ipsum colligitur ex cap. 25. Matth. vocantur siquidem illic omnes ante tribunal Christi, & alij à dextris, alij à sinistris collocantur, istis dicitur: *Discedite à me maledicti*, &c. illis verò: *Venite benedicti*, &c.

Deinde, si verum esset quod docet Catharinus, sequeretur reprobos istos peccando non peccare; est enim axioma certum, neminem peccare in ijs quæ vitare non potest: certum autem est ex tractat. de gratia, secluso speciali Dei auxilio, nullum posse vitare peccatum aliquod occurrente graui tentatione.

Denique, voluntas de danda vita æterna singulis, trahit etiam voluntatem dandi auxilia sinè quibus huiusmodi finis haberi nequit: atqui certum est Deum velle omnibus & singulis conferre vitam æternam: ergo vult etiam istis dare auxilia sinè quibus hæc vita æterna non potest ab aliquo obtineri.

Respondetur argumentis Catharini.

Authoritates verò quas adducit Catharinus in sui erroris confirmationem tantùm probant posita obstinatione & contumacia quorumdam peccatorum, Deum negare illis specialia aliqua auxilia, quæ de facto contulisset ijsdem, & quibus positis egissent penitentiam. Tamen non probant testimonia hæc, Deum negare peccatoribus obsti-

Digitized by Google

hatis quælibet auxilia neceſſaria, vt penitentiam veram exequantur, idque propter cauſas in antecedentibus explicatas, & præterea quod ſcripturæ, Patres, & Concilia doceant Deum offerre ſuam gratiam cuilibet homini quantumuis peſſimo, pro toto illo tempore quo agit in hac vita mortali, ità vt imminente periculo peccandi det Deus omnibus auxilium ſufficiens ad vitandum quodlibet peccatum.

Non datur reprobationis cauſa.

CONCLVSIO 1. *Nulla datur cauſa reprobationis totalis in reprobis.*

Notandum 1.

Aduerte, nomine reprobationis totalis ſignificari hoc loco, id quod conſurgit ex reprobatione negatiua, & poſitiua; negatiua autem reprobatio definitur, derelictio quorumdam in maſſa perditionis, & negatio gratiæ congruentis, cum permiſſione excidendi aliquos ab vltimo fine, & permittendi eorum peccata pro eo tempore, vel potius inſtanti in quo Deus eligit aliquos ad vitam æternam, ex maſſa perditionis. Derelictio autem in maſſa perditionis, & volitio de non danda gratia congruente ſeu efficaci non ſunt actus aliqui eliciti à Deo verè & realiter; habet enim ſe Deus tantùm negatiuè ad eos quos deſerit in maſſa perditionis, in eo inſtanti in quo eripit aliquos ex eadem maſſa, & deſtinat illos in vitam æternam, & propter hanc cauſam, derelictio in maſſa perditionis nuncupatur reprobatio negatiua.

Reprobatio verò poſitiua definitur deſtinatio quorumdam ad pœnas æternas, propter eorum peccata finalia. Iſtorum ergo duorum ſimul ſumptorum, contendimus nullam dari cauſam quę ſe teneat ex parte reproborum, & quę fuerit occaſio propter quam Deus reprobauerit quempiam poſitiuè & negatiuè ſimul.

Notandum 2.

Aduerte 2. totalem reprobationem conſurgere ex derelictione in maſſa perditionis, & volitione de non danda gratia congruente ſeu efficaci, ex volitione permittendi aliquos deficere ab vltimo fine, ex permiſſione peccati finalis mortalis, & denique ex deſtinatione ad pœnas æternas propter huiuſmodi peccatum.

Probatio.

His ità conſtitutis, probatur Concluſio ex cap. 9. Rom. *Cùm nondum nati eſſent* &c. *Eſaü autem odio habui*, id eſt non elegi, aut, non ità amaui: quæ poſtrema particula intelligitur de reprobatione negatiua Eſaü, de qua docet Paulus, quòd ſit refundenda in Dei voluntatem, quemadmodum & prędeſtinatio Iacob. Deinde, hęc eſt expreſſa patrum ſententia, D. Auguſtini cap. 15. lib. de prędeſtinat. & gratia & q. 2. lib. 1. ad Simplicianum, & cap. 1. lib. 1. de Geneſ. ad litter. Ambroſ. lib. 1. de vocatione Gentium cap. 7. & 10. Proſperi locis dub. 4. q. proximæ antecedentis citaris, D. Thomę hoc loco, & art. 3. huius q. & q. 6. de veritate, & recentiorum.

D. Auguſt. Ambroſ. Proſper. D. Thom.

Ratio Concluſionis.

Accedit ratio. Totalis reprobatio conſurgit ex actibus à nobis explicatis in ſecundo annotato: at certum eſt derelictionis in maſſa perditionis, negationis item gratiæ congruentis, & permiſſionis peccati nullam aliam eſſe cauſam, præter ſolam Dei voluntatem: ergo nulla datur cauſa. &c.

Obiectio.

Obijcies, voluntatem dę danda vita æterna ſtare non poſſe cum voluntate permittendi peccata finalia, maximè mortalia: qui enim vult permittere peccatum finale mortale alicuius, vult etiam exigere pœnas æternas ab eo: inflictio autem pœnarum æternarum opponitur vitæ æternæ: ergo.

In 1. partem D. Thom.

Reſpond. negando illationem maioris, eſt enim notiſſimum Deum velle dare efficaciter gloriam prædeſtinatis omnibus, & tamen certum eſt Deum permittere peccata prædeſtinatorum, vt conſtat de Sancto Latrone, de D. Petro, Magdalena, Paulo, & alijs innumeris. Ad id verò quod dicitur pœnas æternas opponi felicitati. Reſp. hoc eſſe verum, at inflictio illarum non intenditur per ſe à Deo Opt. Max. Non enim conſequuntur pœnæ æternæ neceſſariò permiſſionem peccati: Imò neque ordinat Deus permiſſionem peccati ad eas infligendas, ſed tantùm poſito peccato finali illas exigit; ac proinde per accidens eſt, quòd pœnæ iſtæ intendantur à Deo.

Duplex in Deo voluntas.

Aduerte, quòd quemadmodum in Deo datur duplex virtus, nempe iuſtitia, & miſericordia: ità datur quoque in eodem duplex voluntas, vna miſerendi, alia verò puniendi: hæc præſupponit primam; cùm enim Deus ſit ſummè bonus, & miſericors, priùs quodammodo eſt Deum benefacere, & cõmunicare ſuam bonitatem creaturis, quàm velit creaturam vllam punire, imò repugnat diuinę bonitati Deum punire quempiam antequàm culpam aliquam commiſerit. Vnde fatentur patres, Concilia, & Doctores ſcholaſtici, reprobationem poſitiuam præſupponere neceſſariò culpam in omnibus & ſingulis reprobis.

Obiect. 2.

Obijcies 2. permiſſionem peccati, poſteriorem eſſe peccato, ex illo quòd fateantur communiter omnes Deum neminem deſerere, niſi priùs fuerit ipſe derelictus ab homine.

Solutio.

Reſpondeo negando antecedens, priùs namque eſt ædificium aliquod poſſe corruere, quàm de facto corruat: peccatum autem dicit lapſum aliquem, ac proinde potuit homo priùs peccare, quàm de facto peccauerit; conſequenter voluit prius Deus permittere peccatum hoc, quàm de facto fuerit commiſſum. Neque verò oppoſitum licet colligere ex eo quod adducitur in confirmationem antecedentis; nam licèt velit Deus permittere peccatum alicuius, non tamen deſerit propterea illum, ſed tamdiu quamdiu non ſubſequitur huiuſmodi peccatum, hic homo verè diligitur à Deo, ſtante hac hypotheſi quòd ſit in gratia conſtitutus.

Obiectio 3.

Obijcies 3. Si permiſſio peccati eſſet à ſolo Deo, ſequeretur reprobationem non eſſe poſitam in manu cuiuſlibet reprobi; at illatio hæc eſt contra illud Ozeæ 13. *Perditio tua ex te Iſraël, &c.* Oze. 13. verſ. 9.

Solutio.

Reſpond. probari hoc argumento reprobationem totalem non eſſe poſitam in poteſtate reprobi, quod nos vltrò concedimus; cum iſtis tamen rectè ſtat, vt reprobatio poſitiua tota repetenda ſit ex voluntate reprobi; eo quòd impoſſibile ſit reprobari quempiam poſitiuè, niſi peccatum aliquod mortale finale commiſſum fuerit ab eo qui reprobatur. De hac ſiquidem reprobatione poſitiua explicandus eſt locus iſte, *Perditio tua ex te Iſraël*, cuius ſenſus eſt, id quod eſt cauſa deſtinationis alicuius ad pœnas æternas, eſt peccatum mortale finale commiſſum ab aliquo liberè.

Obiect. vlt.

Obijcies tandem: Derelictionem in maſſa perditionis, & negationem gratiæ congruentis non eſſe actus aliquos poſitiuos in Deo, ſed tantùm negatiuos: quomodo ergo poſſunt eſſe iſti effectus reprobationis totalis?

Solutio.

Reſp. propterea iſtos duos actus cenſeri actus

Digitized by Google

reprobationis negatiuæ, ac proinde & reprobationis totalis, quia conducunt ad reprobandum negatiuè, ſeu, quod idem eſt, ad non prædeſtinandum efficaciter, & quidem eo modo quo negationes aliquæ conducunt ad aliquid non operandum. Quæ ratio loquendi non eſt noua; fatentur enim philoſophi propoſitionem iſtam eſſe veriſſimam: quemadmodum affirmatio eſt cauſa affirmationis, ità & negatio eſt cauſa negationis: quoniam ergo in eo inſtanti in quo efficaciter liberat Deus aliquos ex maſſa perditionis, quibus vult dare gratiam congruentem, alios deſerit in eadem maſſa perditionis, & negat illis gratiam efficacem, ſeu congruam. Ideò negationes iſtę duæ faciunt eo modo quo poſſunt reprobationem negatiuam eorum, qui derelinquuntur in maſſa perditionis.

Negatiua reprobationis nulla in reprobis datur cauſa. D. Auguſt.

Conclvsio 2. *Reprobationis negatiuæ nulla datur cauſa in reprobis:* hæc eſt Pauli ad Rom. 9. *Cùm nondum nati eſſent* &c. Deinde, ità ſentit verbis expreſſis D. Auguſtinus, tractat. 26. in Ioann. & epiſt. 109. *Cur* (inquit) *illum trahat, illum verò minimè? noli inueſtigare ſi non vis errare:* & rurſus: *Cur illum liberet, alium verò minimè, noli inquirere, ſi non vis peccare.*

Tertiò, nomine reprobationis negatiuæ ſignificatur derelictio quorumdam in maſſa perditionis Adæ, & negatio gratiæ congruentis pro eo tempore, in quo liberantur aliqui efficaciter ex eadem maſſa, & ordinantur ad vitam æternam infallibiliter obtinendam: at huius derelictionis nulla poteſt aſſignari ratio, quæ ſe teneat ex parte eorum qui relinquuntur in huiuſmodi maſſa perditionis; ſed tota res hæc in Dei voluntatem eſt refundenda: ergo reprobationis negatiuæ nulla datur cauſa in reprobis.

Poſitiuæ reprobationis cauſa ſunt reprobi dũtaxat.

Conclvsio vltima. *Reprobationis poſitiuæ tota cauſa motiua refundenda eſt in reprobos ipſos, non autem in Deum; ità vt à peccato aliquo exiſtente in reprobis moueatur Deus ad reprobandos aliquos poſitiuè, minimè verò ab aliquo quod ſit intrà Deũ.* Probatur, primùm, Reprobatio poſitiua eſt deſtinatio quorumdam ad pœnas æternas: at impoſſibile eſt Deum deſtinare aliquem ad pœnas æternas, niſi ſuppoſito peccato mortali in eo, huic enim ſoli debetur pœna æterna: ergo cauſa huius reprobationis eſt in ipſis reprobis.

2. Deinde, cùm Deus ſit ſummè bonus nulli poteſt inferre malum, ſed tantùm communicare bonitatem ſuam.

3. Tertiò, iuſtitia vindicatiua non intenditur per ſe à Deo, nec intendi poteſt, ſed tantùm per accidens; putà ſuppoſita culpa in eo circa quem vtitur Deus huiuſmodi iuſtitia.

4. Quartò, de fide eſt reprobos poſitiuè nedum cruciari pœnis æternis, ſed etiam pœnas iſtas eſſe in illis inæquales, ſic Deutero. 25. dicitur: *Pro menſura peccati erit & plagarum modus*: & Apocal. 18. *Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum:* at inæqualitas iſta pœnarum, ſaltem in executione præſupponit culpas inæquales: ergo &c. Confirmatur. Retributio vitæ æternæ reſpondet perfectiſſimè meritis in hac vita factis: ergo & illud idem erit dicendum de inflictione pœnarum æternarum, vt manifeſtè colligitur ex cap. 25. Matth. & 2. Corinth. 5.

Deut. 25. verſ. 3. Apoc. 18. ỳ. 7. *Confirmatur.*

Quintò, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, maximè verò D. Auguſtini lib. 11. de Geneſ. ad litter. cap. 17. *Non eſt,* (inquit,) *Deus vltor plus quàm ſit peccator*; & ſerm. 2. in Pſal. 118 *Nullos* (inquit,) *immeritos liberat, immeritum neminem damnat.* & lib. 2. de nuptiis & concupiſc. cap. 23. *Nulla eſt damnationis cauſa, niſi peccatum* & lib. 14 de Trinitat. cap. 15. *Peccatum ſolum animam facit miſeram:* & lib 3. contra Iulianum, cap. 18. *Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus, poteſt aliquos liberare ſine bonis meritis, quia bonus eſt: non poteſt quempiam ſinè demeritis damnare, quia iuſtus eſt.* & epiſt. 105. in hunc ſenſum explicat locum Pauli Rom. 6. *Stipendia peccati mors*, id eſt damnatio æterna: & Proſperi lib. reſponſ. ad capitula Gallorum cap. 11. & 12. & ſententia 7. ad obiectiones Vincentianas, reſponſione 12. Rom. 6. ỳ. 23. Proſper.

Denique ex iſtis locis Scripturæ, Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Sap. 12. *Tu cùm ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis, & ipſum qui non debet puniri, condemnare extraneum exiſtimas à tua virtute.* Ità Sententiarij communiter in 1. diſt. 40. alij 41. Sap. 12. ỳ. 15.

Obiectio. Obijcies Deum poſtremo loco exigere pœnas æternas à reprobis: ergo pœnæ iſtę fuerunt in intentione diuina priores, quod enim eſt poſtremum in executione, eſt primum in intentione.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequutionem; ad probationem autem, quod eſt poſtremum in executione eſſe primum in intentione, ſi fuerit hoc poſtremum, bonum ex ſe & ſua natura, ac proinde per ſe appetibile: pœnæ autem æternæ non ſunt per ſe expetibiles, idque quòd ſint ſummè nociuæ, & pernicioſæ, ideóque non potuerunt primò intendi à Deo, ſed tantùm poſita culpa mortali in eo cui indicuntur.

Notabile 1. Vt autem Concluſio hæc proximè poſita facilius intelligatur aduerte cauſam elicitiuam reprobationis negatiuæ eſſe intellectum diuinum; nam quemadmodum actus prædeſtinationis, ſeu quod idem eſt, deſtinationis efficacis ad vitam æternam infallibiliter obtinendam elicitur ab intellectu diuino, & habet hic adiunctum aliquem actum voluntatis diuinę in executione; ità etiam ſtatuendum eſt Deum, pręuiſo peccato finali mortali reproborum, deſtinare iſtos ad ſupplicia æterna per verum & realem aliquem actum productum ab intellectu diuino. Huic actui ſuccedit alius intrà Deum quo vult exigere pœnas æternas ab iſtis: in hoc non eſt poſita ratio reprobationis poſitiuæ, ſed tantùm in actu intellectus proximè explicato. Ità omnes illi qui fatentur prędeſtinationem præciſe ſpectatam eſſe tantùm actum intellectus.

Notabile 2. Aduerte 2. Perſeuerantiam in peccatis multo tempore, non eſſe effectum reprobationis poſitiuæ, ſed ſolius reprobi; nam effectus reprobationis poſitiuæ omnes & ſinguli incipiunt in altera vita, vt docuimus in antecedent. Deinde, multi perſeuerauerunt in peccatis fere ad vltimum vſque vitę ſpiritum, vt conſtat de bono latrone, & alijs innumeris qui tamen conſequuti ſunt vitam æternam propter penitentiam, factam circa terminum vltimum vitę. Hinc locus ille communiſſimus D. Auguſt. *Penitentia* (inquit) *finalis, licèt non ſit admodũ ruta, non eſt tamen deſpicienda, propter conuerſiones quæ contingunt in multis conſtitutis in fine vitæ.* Auguſt.

Obiectio ſoluitur. Dices, ſi Deus dediſſet gratiam efficacem non manſiſſet homo in ſuis peccatis; ergo. Reſp. conceſſo antecedente, negando illationem; nam auxilium efficax non eſt neceſſarium ſimpliciter

ad

ad hoc vt aliquis reſipiſcat à peccatis: ſufficit enim auxilium ſufficiens, quod eſt vnicuique quantumuis peſſimo præſentiſſimum. Deinde, ſi acceptaſſet homo peccator auxilium ſufficiens, aut etiam habuiſſet voluntatem acceptandi, contuliſſet illi Deus auxilium efficax: ergo perſeuerantia in peccatis non imputatur Deo, ſed ipſimet reprobo qui perſeuerat liberè in ſuis peccatis.

DVBITATIO TERTIA.

Quæ ratione reſpondendum ſit argumentis Catholicorum prima & ſecunda ſententiæ de cauſa reprobationis.

Diſſoluuntur fundamenta 1. & 2. ſent. 1.

AD Primum reſpondeo, probare tantùm nullam dari in reprobis cauſam totalis reprobationis, quemadmodum neque datur cauſa totalis prædeſtinationis in prædeſtinatis: Cum iſtis tamen rectè cohæret, vt reprobationis poſitiuæ detur in quolibet reprobo vera cauſa iſtius reprobationis, nempe peccatum mortale finale; ità vt tota ratio cur Deus reprobet aliquem poſitiuè ſit hoc peccatum finale mortale præuiſum à Deo ex omni æternitate.

2. Ad 2. concedendo illationem maioris, negando minor. Ad probat. autem peccatum in quo quis perſeuerauit ad aliquot annos, etiã ſi fuerit hoc grauiſſimum, non eſſe cauſam reprobationis poſitiuæ, ſaltem per ſe: Nam bonus Latro, Magdalena, Maria Ægyptiaca, & alij plerique perſeuerarunt in proprijs peccatis multo tempore, & tamen Eccleſia iſtos veluti ſanctos colit. Deinde, cauſa reprobationis poſitiuæ nuſquam remouetur à reprobo; certum autem eſt peccata quantumuis fœdiſſima & grauiſſima poſſe ab homine remoueri pro toto illo tempore quo agit in hac vita, & præſcindendo ab vltimo peccato in quo moritur reprob⁹. Quod autẽ dicitur, fieri poſſe vt aliquis moriatur in ſolo peccato veniali, negatur à pleriſq; tamen minùs rectè: Gregorius enim ad hunc locum Matth. 12. *Si quis peccauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei neq; in hoc ſeculo, neque in futuro*, affirmat quædam peccata remitti in altera vita, hæc autem poſſunt eſſe tantùm venialia. Deinde Eccleſia in officio pro defunctis precatur Deum vt dignetur abſoluere mortuos à peccatis commiſſis. Tertiò non repugnat conſtitutum in gratia, mori cum actuali complacentia peccati venialis; peccatum autem nequit remitti quamdiu adeſt eius complacentia, ac proinde falluntur illi qui exiſtimant omnia & ſingula peccata venialia deleri in conſtitutis in gratia, per gratuitam & liberam acceptationem mortis ſibi indictam à Deo, hîc & nunc, nempe in iſtis circumſtantijs. Denique, contritio per ſe & ſua natura non opponitur peccatis venialibus ex veriori ſententia; ergo non repugnat hominem mori cum ſolo peccato veniali.

Gregori⁹. Matth. 12. verſ. 32.

Licèt autem demus hominem decedere in ſolo peccato veniali, non tamen propterea peccatum hoc veniale finale poteſt eſſe cauſa reprobationis poſitiuę: diximus enim reprobationem poſitiuam eſſe deſtinationem quorumdam ad pœnas æternas; peccato autem veniali non debetur pœna æterna per ſe, ſed tantùm temporalis. Cauſa ergo reprobationis poſitiuę eſt ſolum peccatum mortale finale, vt probabitur poſtea. Reſpondeo 2. probari hoc argumento non dari in nobis cauſam totalis reprobationis, quod nos vltrò concedimus; Addimus tamen in quolibet reprobo cauſam reprobationis pòſitiuæ adimittendam eſſe.

Ad argumenta verò 2. ſententiæ reſp. Ad 1. Deum futurum iniuſtum ſi adiudicaret aliquem pœnis æternis ante culpam mortalem ab eo commiſſam: quemadmodum enim præmium præſupponit in ratione præmij meritum; ità & pœna æterna præſupponit culpam mortalem ex doctrina D. Thom. ac proinde concedenda eſt in omni reprobo cauſa reprobationis poſitiuæ.

Replica. Inſtant aliqui ex authoribus huius opinionis: In omni opere Dei reperiri miſericordiam & iuſtitiã; in inflictione tamen pœnarum æternarum propter culpam mortalem commiſſam non poſſe aſſignari rationem miſericordiæ diuinæ, ſed tantùm iuſtitiæ; culpa enim lethalis fuit in homine quaſi momentanea, & tamen punitur in æternum.

Diſſoluitur. Reſp. in iſtis verè reperiri miſericordiam & iuſtitiam: de hac nullus eſt dubitãdi locus; pœna quippe perfectiſſimè reſpondet indignitati culpæ commiſſę: de illa verò colligunt aliqui ex eo quòd Deus non exigat pœnas æternas intenſiuè ſecundum durationem, cùm tamen Deus ſit ſimpliciter infinitus, ac proinde pœna debita peccato commiſſo contra Deum, videatur eſſe debere infinita.

Ceterum rectiùs alij docent Deum non punire iuxta dignitatem culpæ damnatos, ac conſequenter exercere in iſtis ſuam miſericordiam, idque quòd peccatum mortale commiſſum poſtulet vt deſinat eſſe ſimpliciter is qui peccauit, aut certè quòd exigantur ab eo pœnæ ſimpliciter infinitæ; at neutrum ex iſtis erga reprobos contingit.

2. Ad 2. Reſp. Deum non permittere peccatum alicuius, ex intentione illud poſteà vindicandi, vt docuimus in antecedentibus. Permittit ergo peccata reproborum, quia poſtulat ordo diuinæ prouidentię ſuauis, vt quælibet res conformiter operetur ſuæ naturę: cum ergo creatura rationalis libera ſit & potens bene, vel malè agere, prout volet, ſequitur, &c. non quòd malè facere ſit de intrinſeca ratione creaturæ rationalis, ſed eſt imperfectio liberi arbitrij creati, ità coniuncta cum libero arbitrio creato, vt ſinè ſpeciali Dei dono non remoueatur ab illo.

3. Ad 3. Reſp. incarnationem Chriſti præſupponere peccatum originale; docet enim Sanctus Thom. 3. part. q. 1. art. 3. Adamo non peccante Chriſtum minimè venturum: ex iſtis tamen non licet colligere dari in reprobis cauſam reprobationis totalis. Reprobatio namque totalis includit derelictionem in maſſa perditionis, negationem gratiæ congruentis, voluntatem permittendi aliquos deficere ab vltimo fine, ac proinde & permiſſionem peccati; quorum nulla alia poteſt eſſe cauſa prętęr voluntatem Dei. Non licet etiam colligere ex hoc argumento, reprobationis poſitiuæ nullam dari cauſam in reprobis; nam cùm reprobatio iſta nihil aliud ſit quàm deſtinatio ad pœnas æternas, & pœnæ iſtæ debeãtur ſoli peccato mortali, reprobatio poſitiua habet pro cauſa peccatum finale mortale reſpectu cuiuſlibet reprobi.

3. *D. Thom.*

Ad vltimum reſpondeo poſtulare explicationem illius difficultatis in qua quętitur; *Quæ ſit cauſa propter quam Deus reprobat aliquem poſitiuè.*

Quodlibet peccatum mort. eſt cauſa ſufficiens reprobationis poſitiuæ.

Dico 1. *Quodlibet peccatum mortale actuale poſſe eſſe cauſam ſufficientem reprobationis poſitiuæ.* Primùm, quia peccato omni mortali debetur pœna æterna.

Secundò, in omni peccato mortali actuali eſt vera auerſio à Deo, tanquam ab vltimo fine, & vera conuerſio ad creaturã, tanquam in vltimum finem: atqui cuilibet auerſioni à Deo tanquam ab vltimo fine debetur pœna damni, & cuilibet conuerſioni ad creaturã veluti in vltimum finem, reſpondet pœna æterna ſenſus: ergo quæcumque culpa mortalis actualis poteſt eſſe cauſa ſufficiens reprobationis poſitiuæ. Ità communiter in 1. diſt. 40. alij 41.

Propterea autem dixi, quodlibet peccatum mortale poſſe eſſe cauſam ſufficientem reprobationis poſitiuæ; quoniam nulla datur culpa mortalis ità turpis, & deformis, quæ non poſſit remitti ſinè inflictione pœnarum æternarum; eſt enim Deus quàm maximè liber ad extra, ac proinde poteſt ea ratione qua volet condonare culpas omnes.

Dico 2. *Peccatum originale, non eſſe in omnibus, & ſingulis reprobis cauſam reprobationis poſitiuæ totalem, & adæquatam.* Primo, quia certum eſt multos reprobari propter peccatum actuale: dicitur enim Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, ſubjungit autem cauſam; *Eſurini enim & non dediſtis mihi manducare.* Luc. 16. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno*; idque propter peccata actualia quæ commiſerat: & de Chore, Dathan, & Abiron dicitur apud Dauidem, & in Leuit. quòd deſcenderint in infernum viuentes. Deinde, reprobationi poſitiuæ reſpondet pœna æterna ſenſus: atqui peccato originali nulla debetur pœna ſenſus, ſed tantùm damni. Tertiò, Cauſa reprobationis poſitiuæ nuſquam ſeparatur à reprobo; peccatum autem originale remouetur ab innumeris propemodum reprobis per ſuſceptionem baptiſmatis: ergo nequit eſſe cauſa reprobationis reſpectu omnium.

Matth. 25. ỽ. 41.

In reprobis adultis cauſa per ſe reprobationis eorũ eſt peccatum mortale finale Luc. 16. ỽ. 28.

Obiectio.

Dices, D. Auguſtinum lib. 1. ad Simplicianũm q. 2. & epiſt. 105. 106. 107. & lib. de bono perſeuerant. cap. 9. & in Enchiridio ad Laurent. cap. 94 affirmare cauſam reprobationis eſſe peccatum originale.

Solutio.

Reſp. D. Auguſtinum loqui iſtis in locis de reprobatione poſitiua paruulorum, non autem de reprobatione adultorum: lib. quippe 6. Hypognoſticon conſtituit diſcrimen inter cauſam reprobationis paruulorum & adultorum. Deinde, fatetur D. Auguſtinus in lib. de baptiſmo contra Donatiſtas, peccatum originale remitti in paruulis per ſuſceptionem baptiſmatis: ergo cùm cauſa reprobationis numquam tollatur ab eo qui eſt reprobus, peccatum originale non poterit eſſe cauſa reprobationis in quibuſuis reprobis. Secundò, Reſpõdeo nihil prohibere quominùs dicamus D. Auguſt. iſtis in locis loqui de cauſa reprobationis remota, non autem de proxima, reſpectu omnũ & ſingulorum reproborum; nam peccatum originale licet ſit in omnibus paruulis qui moriuntur ante baptiſmatis ſuſceptionem cauſa proxima reprobationis eorumdem, non poteſt tamen hoc eſſe cauſa proxima reprobationis adultorũ: vt ſtatim oſtendetur, quamuis poſſit hoc peccatum originale cenſeri cauſa remota reprobationis poſitiuę cuiuſlibet adulti. Nam licèt peccatum originale tollatur ſecundum illud omne quod habet rationem culpæ, manet nihilominùs fomes peccati in omnibus baptizatis qui inducit nos ad peccata innumera committenda: quo fit vt peccatum hoc concurrat remotè ſaltem ad reprobandum aliquem poſitiuè.

D. Auguſt.

Replica.

Inſtabis D. Thomam q. 6. de veritate, affirmare peccatum originale eſſe cauſam reprobationis. Reſp. hoc eſſe verum, cæterùm re paulò oculatiùs inſpecta mutaſſe ſententiam tam. quippe 3. & 8. huius q. docet peccatũ mortale finale eſſe cauſam reprobationis in quibuſuis reprobis.

Diſſoluitur.

Peccata mortalia diuerſa à finali nõ ſunt cauſa per ſe reprobationis poſitiuæ.

Dico 3. *Nulla peccata mortalia diſtincta à finali eſſe cauſam reprobationis poſitiuæ, ſaltem per ſe.* Primum quia cauſa reprobationis numquam remouetur à reprobo. Deinde, ſunt qui putent propter ſolum peccatum finalis impenitentiæ hominem reprobari: Tertiò, poſito quolibet peccato in homine, adhuc confert Deus eidem auxilia, per quæ de facto reſurgit ab huiuſmodi peccato, vel ſaltem reſurgere poteſt: ergo neutrum ex iſtis peccatis erit cauſa reprobationis poſitiuæ: nam cauſa reprobationis eſt ità connecta cum reprobo, vt de communi lege numquam remoueatur ab eo.

Obiectio.

Obijcies Deum nedum exigere pœnas æternas à reprobis propter vltimũ peccatum mortale commiſſum ab iſtdem, ſed etiam propter cetera omnia cum quibus moritur.

Reſp. aliud eſſe Deum exigere pœnas æternas à reprobo propter peccata in quibus moritur, & aliud Deum reprobare propter peccata cum quibus reprobus decedit. Primum ſiquidem eſt certiſſimum & indubitatum, nam ſi propter peccata venialia quando coniunguntur cum peccatis mortalibus exigit Deus à damnatis pœnas æternas; quantò magis illud idem faciet propter peccata mortalia commiſſa in hac vita, & quę coniunguntur cum peccato mortali finali reprobi; vt ſupponimus: exigit ergo Deus à reprobis iſtis iuſtiſſimo titulo pœnas æternas, licèt non fuerint reprobati propter huiuſmodi peccata; cuilibet enim culpę mortali hoc ipſo debetur pœna æterna, quemadmodum & veniali pœna temporalis.

Secundum autem dici non poteſt idque quòd reprobetur quis per ſe, propter ſolum peccatum finale mortale; per accidens verò propter alia peccata cum quibus moritur.

Peccatum originale dumtaxat eſt cauſa reprobationis puerorum qui moriuntur ſine baptiſmi ſuſceptione.

Dico 4. *Pueros omnes qui moriuntur ante baptiſmatis ſuſceptionem reprobari propter ſolum peccatum originale, cum quo moriuntur.* Ità D. Auguſtinus locis proximè citatis. Deinde, nulla alia poteſt aſſignari cauſa reprobationis iſtorũ paruulorum. Ità Authores ſcholaſtici.

Obiectio.

Obijcies reprobationem poſitiuam eſſe deſtinationem quorumdam ad pœnas æternas, in paruulis autem nullæ dantur pœnæ æternę etiamſi decefſerint ſinè baptiſmo. Reſp. definitionem iſtam reprobationis intelligendam eſſe de adultis; in iſtis quippe deprehenduntur pœnę damni & ſenſus ſimul, contra nonnullos qui voluerunt pueros defacto torqueri pœna lẽtus in altera vita.

Secundò, Reſp. definitionem prædictam quodammodo habere locum in puerulis qui moriuntur ſinè baptiſmo: licèt enim iſti non torqueantur pœna ſenſus, in altera vita, excluduntur tamen à viſione eſſentiæ diuinæ idque in perpetuas æternitates, propter peccatum originale in quo moriuntur; hæc autem pœna comparata cum obiecto quo nos priuat, cenſetur eſſe grauior pœna ſenſus, ex communi doctrina Scholaſticorum.

Dico

DICO vltimò, *Omnem reprobum poſitiuè reprobari propter ſolam culpam mortalem actualem in qua moritur: ita vt tota cauſa reprobationis poſitiua cuiuſlibet ſit ſolum peccatum finale actuale in quo moritur; cætera quæ coniunguntur cum eo, tantùm per accidens.* Concil. Valentinũ. Hæc videtur definita in Concilio Valentino cap. 3. *In electione*, inquit, *ſaluandorum miſericordia Dei præcedit meritum bonorum; in damnatione verò peccatorum meritum malum præcedit Dei iuſtum iudicium.* D. Auguſt. Deinde ex D. Auguſtino lib. ad articulos ſibi falſo impoſitos, & lib. 6. Hypognoſticon & lib. 1. Proſper. ad Simplicianum q. 2. Proſpero lib. aduerſus capitula Gallorum cap. 3. obiectione 7. Fulgentius. Fulgentio lib. 1. ad Monimum, cap. 13. 14. 19. & 24. D. Thom.

Denique nulla alia poteſt aſſignari cauſa reprobationis poſitiuæ in adultis: ergo peccatum hoc finale mortale erit cauſa illius.

Articulo 6. docet prædeſtinationem eſſe certiſſimam, quæ res explicata fuit art. 1. huius quæſt.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm numerus prædeſtinatorum ſit certus.

DVBITATIO PRIMA.

Quotus ſit numerus prædeſtinatorum & cui notus.

SVNT qui putent numerum prædeſtinatorum adæquate perfectiſſimè numerum Angelorum omnium tam bonorum, quàm malorum: hæc opinio tribuitur à multis D. Auguſtino.

Alij verò credunt tot extare prædeſtinatos ex hominibus, quot ſunt Angeli qui de facto potiuntur beatitudine æterna: ità videtur ſentire Gregorius Mag. homil. 34. in Lucã, quo loco explicat in hunc ſenſum illud Deuter. 32. iuxta lectionem Septuaginta *Diuiſit gentes*, i. homines ſaluandos *iuxta numerum Angelorum.*

Alij denique putant tot eſſe tantùm prædeſtinatos ex hominibus, quot perierunt Angeli; credunt enim hominem in hunc finem fuiſſe à Deo creatum vt reſtauraretur ſedes deperditæ ab Angelis; ac proinde cum tertia pars Angelorum perierit ex communi doctrina, numerus prædeſtinatorum ex hominibus perfectam retinet æqualitatem cum iſta tertia parte Angelorum.

CONCLVSIO 1. *Nullus eſt ex hominibus aut Angelis qui certò ſciat numerum prædeſtinatorum.* Primùm, quia prædeſtinatio pendet à ſola Dei voluntate, omnium planè conſenſu; at quæ pendent à libera Dei voluntate nequeunt à nobis vel ab Angelis intelligi ſinè ſpeciali Dei reuelatione, ex illo Apoſtoli Rom. 11. *Quis cognouit ſenſum Domini; aut quis conſiliarius eius fuit?* & alibi, *Nemo nouit quæ ſunt Dei, niſi ſpiritus Dei.* Ità communiter omnes in 1. diſt. 40. alij 41. & Thomiſtæ hoc loco.

Deus ſolus certo ſcit numerum prædeſtinatorum. Rom. 11. ℣. 34. idem 1. ℣. 11.

CONCLVSIO 2. *Numerus prædeſtinatorũ, tam materialis quàm formalis eſt ſoli Deo cognitus.*

Aduerte nomine numeri materialis prædeſtinatorum ſignificari numerum numeratum, ſeu quod idem eſt quemlibet ex prædeſtinatis in particulari, putà D. Virginem, Petrum, Paulum, &c. Nomine verò numeri formalis, numerus ſignificatur quo numeramus, vel numerus numerans, putà duo, tres, quatuor, & ſic de alijs. Probatur 1. pars Concluſionis, Deum ſcilicet certò cognoſcere numerum materialem prædeſtinatorum Geneſ. 17. *Vt ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* ait rerum omnium opifex ad Abraham, & Matth. 8. *Multi venient ab Oriente & Occidente & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum*, & cap. 22. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium* i. prædeſtinatorũ. & Luc. 1. dicitur de D. Virgine, *Aue gratia plena*, & de Ioanne Baptiſta, *Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* & Luc. 10. de Apoſtolis omnibus: *Gaudete quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Deinde quilibet ex prædeſtinatis ſeparatus fuit à maſſa perditionis per actum intellectus diuini, & fuit ordinatus ad vitam æternam infallibiliter obtinendam: ergo quilibet ex prædeſtinatis debet eſſe Deo notiſſimus. Geneſ. 17. verſ. 7. Matth. 8. verſ. 11. idem 22. verſ. 32. Luc. 1. verſ. 28. ibidem ℣. 15. idem 10. verſ. 20.

Secunda verò pars Concluſionis probatur: Primò, ex eo quòd ſacræ Scripturæ doceant nullam præterire Deum Opt. Max. Hebræor. 4. *Non eſt inuiſibilis vlla creatura in conſpectu eius, omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.* Pſal. 52. *De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum:* ergo ſcit perfectiſſimè numerum prædeſtinatorum formaliter ſpectatum. Deinde, hæc eſt mens Greg. Mag. ità enim habet Collecta ab eo compoſita quam retinet Eccleſia inter perficiendum altaris ſacrificium, & ſacramentum: *Deus*, inquit, *cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus.* Tertiò, Qui nouit certò & indubitanter quemlibet ex prædeſtinatis, nouit etiam quotus ſit eorum numerus: at indubitatum eſt Deum certò ſcire quemlibet ex prædeſtinatis. Ità communiter omnes hoc loco & diſt. 40. vel 41. lib. 1. Sententiarum. *Probatio 2. partis.* Hebræ. 4. verſ. 13. Pſal. 52. verſ. 3. Gregorius.

Dices, ex iſtis manifeſtè colligi Chriſtum, quatenus homo eſt, non intelligere numerum prædeſtinatorum materialem aut formalem. *Obiectio.*

Reſp. hoc eſſe verum per ſe & ſua natura, ex ſpeciali tamen Dei reuelatione numerum hunc tam materialem quàm formalem habet notiſſimum; quia fatentur omnes vnumquemque videre in cælis omnia & ſingula quæ pertinent ad ſuum ſtatum; numerus autem prædeſtinatorum materialis & formalis pertinet ad ſtatum Chriſti, vt manifeſtè colligitur ex verbis eiuſdem apud Ioan. *Ego cognoſco oues meas, & nemo rapiet eas de manu mea.* Confirmatur. Chriſtus eſt caput hominum & Angelorum, imò quilibet ex hominibus, prædeſtinatus eſt ad imitationem Chriſti ex 8. Rom. ergo cùm capitis ſit agnoſcere ſuas partes quando caput eſt rationale, anima Chriſti intelliget omnes & ſingulos prædeſtinatos. Denique, omne futurum in certa temporis differentia eſt obiectum animæ Chriſti notiſſimum, imò & aliqua ex poſſibilibus tantùm: ergo & omnes omnino prædeſtinati in particulari ſunt animæ Chriſti notiſſimi, per ſpecialem tantùm reuelationem, non autem ex ſe & ſua natura. *Soluitur.* Ioann.

Aduerte, numerum prædeſtinatorum nedum eſſe certum in præſcientia diuina, ſed etiam in prouidentia eiuſdem: nam illud cenſetur eſſe certum reſpectu prouidentiæ diuinæ, quod ordinatur in finem aliquem quem debet conſequi ex vi huiuſmodi prouidentiæ, idque certò & infallibiliter ex multorum doctrina: at quilibet ex prædeſtinatis ex vi prouidentiæ diuinæ conſequitur infallibiliter ſuum finem: ergo numerus hic erit Deo certiſſimus ex vi ſuæ prouidentiæ. *Notabile.*

Digitized by Google

Reproborũ numerus certus.

Quod autem diximus de certitudine numeri prædeſtinatorum, aſſerendum quoque eſt de certitudine numeri reproborum; ità vt certò cognoſcat Deus, quot ſint, & item qui ſint futuri reprobi. Negandum tamen eſt numerum reproborum eſſe certum in prouidentia diuina, ſed tantùm in præſcientia eiuſdem, idque quod nullus deſtinetur ad pœnas æternas ex vi ſolius prouidentiæ diuinæ, ſed propter ſolum peccatum finale mortale, in quo quis moritur. Ità Carthagena in ſuis diſcurſ. de prædeſtinat. & alij plerique recentiores.

DVBITATIO SECVNDA.

An dentur aliqui inter homines, qui nec ſint prædeſtinati, nec reprobi.

CATHARINVS in opuſculo de prædeſtinat. totus in eo eſt vt demonſtret, inter homines extare aliquos qui nec ſunt prædeſtinati nec reprobi, hos autem nuncupat ſaluandos. Probat. Primum, quia dicitur de quibuſdam hominibus in ſacris litteris quòd poſſint amittere ſuas coronas; ſeu, quod idem eſt, amittere gloriam æternam ſibi debitam. Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit ipſa morietur.* & Apocal. 3. *Tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam:* atqui reprobis nulla debetur corona, ſed prædeſtinatis: illi autem non poſſunt eam amittere. Diximus enim vnumquemque prædeſtinatum infallibiliter conſequuturum vitam æternam: ergo de ſaluandis erit dicendum quòd poſſint amittere ſuas coronas. Deinde, ex tanta hominum multitudine incredibile eſt neminem ſaluari cum gratia ſufficiente: ergo cùm gratia efficax detur ſolis prædeſtinatis admittendi ſunt aliqui non prædeſtinati qui ſaluantur media gratia ſufficiente.

Ezech. 18. verſ. 20.

Apocal. 3. verſ. 11.

Quilibet homo eſt prædeſtinatus vel reprobus.

CONCLVSIO. *Nullus eſt inter homines qui non ſit prædeſtinatus, vel certò reprobus.* Primum quia dantur in iudicio generali duo tantummodo ordines, vt conſtat ex cap. 25. Matth. à dextris locantur boni, ſeu prædeſtinati, à ſiniſtris verò reprobi, vt conſtat ex verbis iſtis, *Diſcedite à me maledicti, & Venite benedicti*; ac omnes omnino homines ſtabunt ante tribunal Chriſti in hoc iudicio ex cap. proximè citato Matth. & cap. 5. poſterioris ad Corinth. Deinde Paulus cap. 9. ad Rom. refert tantummodò Iacòb & Eſaù ad deſignandos quoſlibet prædeſtinatos & reprobos.

Tertiò, Apoc. 7. omnes vel notantur ſigno Tau vel certè carent eodem. Quartò, nihil eſt frequentius apud patres quàm prædeſtinatos ſolos ſaluari, & reprobos ſolos damnari: ità D. Auguſtinus cap. 13. lib. de correptione & gratia, Ambroſ. lib. 2. de vocatione gentium cap. 5. Fulgentius de duplici prædeſtinatione. Hieronym. ad cap. 1. Epheſ. Origen. Theophylact. & Anſel. ad cap. 8. & 9. Rom.

Auguſt. Ambroſ. Fulgent. Hieronym. Origen.

Ad rationes verò Catharini reſp. Ad 1. aliquos propterea poſſe fraudari ſuis coronis, quòd dentur innumeri propemodum homines prædeſtinati voluntate antecedente diuina, quæ numquam eſt habitura effectum; non autem propterea vitiatur loquutionibus prædictis Scriptura ſacra, quod dentur aliqui qui nec ſint prædeſtinati nec reprobi.

Solutio rationes, Catharini.

Ad 2. Reſp. non eſſe abſurdum fateri neminem donari beatitudine ex vi ſolius gratiæ ſufficientis: eſt enim concors omnium planè Theologorum ſententia gratiam efficacem diſtingui à ſufficiente, quòd hæc poſſit producere effectus, de facto tamen numquam eos attingit; illa verò ſemper ſuos exequitur effectus, & quidem infallibiliter, non tamen neceſſariò.

DVBITATIO TERTIA.

An numerus reproborum ſit maior numero prædeſtinatorum.

CONCLVSIO. *Numerus reproborum abſolutè & ſimpliciter ſpectatus multis partibus maior eſt numero prædeſtinatorum.* Primùm, quia dicitur de prædeſtinatis Luc. 12. *Nolite timere puſillus grex quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum*, & Matth. 7. *Anguſta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam: lata verò quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam.* & cap. 20. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*

Luc. 12. verſ. 32. Mat. 7. verſ. 13. & 14. *Numer⁹ reproborum eſt multò maior numero prædeſtinatorum.* idem 20. verſ. 16.

Deinde Luc. 8. dicitur de ſemine, quod aliud ceciderit ſupra petram, aliud ſupra ſpinas, tertia verò pars dicitur cecidiſſe ſupra terram bonam: at ſancti Patres per tertiam iſtam partem ſeminis intelligunt prædeſtinatos, reprobos verò per alias partes eiuſdem ſeminis: imò ſunt qui illud idem doceant de parabola grani & palearum, ac proinde dicunt quod quemadmodum magis abundat palea quàm granum in quolibet agro; ità & illud idem aſſerendum de reprobis.

Luc. 8. verſ. 5.

Denique, ex tanta hominum multitudine tam pauci ſunt qui dederunt nomen fidei Chriſtianæ, & ante religionem Chriſtianam ſola Iudæa verum cultum Deo debitum perſoluebat; ceteræ verò nationes Deos alienos adorabant, notiſſimum eſt ergo reprobos infinitis partibus ſuperare numerum prædeſtinatorum, ex illo Pauli Hebræor. 11. *Accedentem ad Deum credere oportet quia eſt & inquirentibus ſe remunerator eſt.*

Hebr. 11. verſ. 6.

Obijcies, Apocal. c. 7. de prædeſtinatis dici. *Poſt hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus &c.*

Apocal. 7. verſ. 9. *Obiectio.*

Reſp. numerum prædeſtinatorum poſſe ſpectari, vel in ſe, vel in ordine ad aliud: priori modo certum eſt numerum iſtum eſſe quàm maximum: poſteriori tamen modo non eſt tantus quantus eſt numerus reproborum; illa eadem ratione qua terra in ſe ſpectata eſt verè maxima, comparata tamen cum ſphæris cœleſtibus cenſetur eſſe quaſi punctum apud Mathematicos.

Solutio.

Obijcies ex c. 8. Matth. *Multi venient ab Oriente & Occidente, &c.* Reſp. hoc teſtimonio tantùm probari ex Ethnicis multò plures conuertendos eſſe ad religionem Chriſtianam, quàm ex Iudæis, vt manifeſtè colligitur ex verbis Matth. Non ergo bene colligunt authores aliqui, ex iſto loco numerum prædeſtinatorum futurum maiorem numero reproborum.

Rogabis, *Quid ſentiendum ſit de Chriſtianis, an plures ex iſtis ſint prædeſtinati, an verò reprobi.* Syluester, Carthagena, Catharinus & alij nonnulli credunt multò plures ex Chriſtianis conſequi vitam æternam, quàm damnentur; ac proinde plures extare prædeſtinatos, quàm reprobos.

Probant, quia numerus prædeſtinatorum & reproborum ex Catholicis ſignificatur per numerũ Apoſtolorum, Diaconorum inſtitutorum ab Apoſtolis in Actis Apoſtolicis, & conuiuarum quorum meminit Matth. c. 22. atqui ex Apoſtolis vnus tantummodo nempe Iudas periit, ex Diaconis

conis ſolus Nicolaus; ex illis qui interfuerunt conuiuio proximè commemorato vnus tantùm relegatur ab illo, nempe ille qui caruit veſte nuptiali.

Deinde, ſanguis Chriſti eſt quàm maximè efficax, & potens: ergo cum omnibus Catholicis applicetur baptiſmus, & nulli fere inter Chriſtianos deficedant ſinè ſuſceptione ſacramentorum per quæ applicatur meritum ſanguinis Chriſti, pauci ex Chriſtianis peribunt.

Sentent. authoris. Contraria tamen ſententia eſt communis, idq; quòd in ſacris litteris dicatur indefinitè, & indiſtinctè, *Anguſta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam.* Deinde, quia author operis imperfecti in Matth. qui creditur eſſe Chryſoſt. ex quorumdam opinione, homil. 68. ait ex mille Chriſtianis vix centum conſequuturos ſalutem. Tertiò, ſunt inter Patres aliqui qui explicent parabolam ſeminis de Chriſtianis; tertia autem pars ſeminis tantùm, cecidit ſupra terram bonam. Denique, ità Abulenſis & Caiet. ad cap. 20. Matth. D. Auguſt. poſt D. Auguſtinum lib. 3. contra Creſconium Grammaticum, & lib. de vera & falſa penitent. cap. 6. & poſt authorem lib. de prædeſt. & gratia, cap. 11. qui refertur inter opera D. Auguſtini.

Solutio argumentorũ. 1. Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. negando maiorem: non enim eſt aliquis ex Patribus antiquis qui dixerit numerum prædeſtinatorum & reproborum, ex Chriſtianis ſignificari per numerũ Apoſtolorum, Diaconorũ, & Coniuarum, quorum meminit argumentum: & ſinè vllo fundamento hoc aſſeritur ab iſtis authoribus, quemadmodum & ab illis qui dicunt prædeſtinatos & reprobos Catholicos deſignari per parabolam virginum prudentum & fatuarum: ſi enim iſti conformiter veritati loquerentur, ſequeretur ex Chriſtianis tot eſſe ſaluandos quot ſunt reprobi de qua tamen re nihil eſt apud Patres, vel Concilia, vel ſacras litteras.

2. Ad 2. Reſp. conceſſo antecedente, negando conſecutionem; non enim ſatis eſt ad hoc vt aliquis meritum ſanguinis Chriſti cõſequatur, quòd ſacramentum eiuſdem in ſe verè ſuſcipiat, ſed deſideratur vt debitè & cum diſpoſitione neceſſaria ex inſtitutione Chriſti ſacramenta accipiat: nulla autem poteſt ſtatui de hac re certa regula, cùm non ſit nobis liberum iudicare de occultis. Deinde, certum eſt in pagis & alijs locis ruſticis decedere multos ſinè ſacramentis: item multò probabilius eſt pleroſque indignè conſequi ſacramenta, quàm contra: ergo manet incertum an iſti perueniant ad æternam gloriam.

DVBITATIO VLTIMA.

An de prædeſtinatis concedendum ſit quòd conſequantur ſalutem neceſſariò, an verò infallibiliter tantum.

Prædeſtinati infallibiliter non neceſſariò ſaluantur. CONCLVSIO. *Prædeſtinati infallibiliter, non autem neceſſariò ſaluantur: idem dicendum eſt de reprobis, contra pleroſque Theologos veteres Scholaſticos.* Nam de fide eſt hominem poſſe mereri vel demereri pro toto illo tempore quo agit in hac vita mortali, neceſſarium autem ſimpliciter (hac quippe ratione vſurpatur à nobis hoc loco) deſtruit libertatem.

Deinde, conſtitutus in euidenti aut probabili periculo mortis, tenetur ſe conuertere in Deum veluti in vltimum finem, omnium conſenſu;

A obligat namque præceptum de iuſtificando in iſtis duobus caſibus, ex communi doctrina: atqui ſi prædeſtinatus ſaluatur neceſſariò, & reprobus ſimiliter neceſſariò damnatur, neuter ex iſtis in vltimo vitæ ſpiritu conſtitutus, poteſt adimplere præceptum hoc de iuſtificando.

Denique, non magis neceſſitat prædeſtinatio & reprobatio prædeſtinatum & reprobum, quàm faciat voluntas Dei efficax, & eius præſcientia, habet enim ſe prædeſtinatio & reprobatio extrinſecè ad prædeſtinatum & reprobum, non minùs quàm voluntas Dei efficax, & præſcientia: atqui voluntas Dei efficax non neceſſitat abſolutè, neque item præſcientia vllum planè ex hominibus, vel Angelis; vt docuimus quæſt. 19. & 14. huius partis. Ità interpretes ſancti Thom. hoc loco. D. Thom.

Triplex eſt prædeſtinatio, vna Chriſti, altera Angelorum, 3. hominum. Aduerte, tres communiter aſſignari prædeſtinationes, Chriſti ſcilicet, Angelorum, & hominum; duę poſteriores diſtinguuntur à prima, quòd hæc habeat pro termino vnionem hypoſtaticam: illæ verò duæ felicitatem æternam. Deinde, id quod prædeſtinatur in Chriſto, eſt humanitas eiuſdem, quod verò prædeſtinatur in hominibus & Angelis eſt ſuppoſitum, vt manifeſtè colligitur ex cap. 9. Rom. Rurſus, prædeſtinatio Chriſti pendet ſimpliciter à ſola Dei voluntate ſinè meritis illius, tam ratione intentionis quam executionis; prædeſtinatio verò hominum & Angelorum pendet à meritis Chriſti; & reſpectu executionis ſaltem in homine, ad augmentum gratię & adeptionem vitę æternę pendet à meritis noſtris. Denique, prædeſtinatio hominum & Angelorum diſtinguuntur ab inuicem, quòd prædeſtinatio hominum præſupponat culpam originalem, ac proinde dicitur eſſe propoſitum miſerendi, prædeſtinatio verò Angelorum facta eſt ante vllum planè peccatum.

In Deo vrgentur, ſex actus ſpectantes ad prædeſtinationis progreſſum, ſecundum noſtrum concipiendi modum. Aduerte etiam progreſſum totius prædeſtinationis hominum conſurgere intrà Deum ex certis quibuſdam actibus, quos Deus exercuit ab æterno, ſecundum noſtrum modum concipiendi. Primus actus eſt is quem Deus habuit ab æterno, & quo vidit ſuam bonitatem poſſe communicari naturæ hominum. Secundus, quo voluit communicare ſuam bonitatem & felicitatem æternam quibuſuis. Tertius, quo deſtinauit omnes & ſingulos homines ad vitam æternam, ceterùm inefficaciter & voluntate tantùm antecedente, vt loquuntur. Quartus, quo vidit omnes homines deficere à vita æterna per peccatum primorum parentum, & collocari in maſſa perditionis. Quintus, quo Deus voluit dare homini mediatorem Chriſtum; & in Chriſto, ac proinde dependenter à meritis eiuſdem, eripuit aliquos ex maſſa perditionis, & ordinauit illos in vitam æternam, per hæc & illa media infallibiliter obtinendam: alios item ordinauit ad felicitatem per Chriſtum, ceterùm inefficaciter tantùm, concedendo illis media ſufficientia ad eam conſequendam.

Ex iſtis ergo actibus conſurgit totus progreſſus prædeſtinationis hominum, ex doctrina D. Thomę. Quod dico propter Scotiſtas & alios multos Scholaſticos, qui putant Adamo non peccante Chriſtum venturum. Ex ſententia tamen ſancti Thomę Incarnatio Chriſti non erat futura Adamo perſeuerante in ſtatu iuſtitię originalis.

Digitized by Google

A nata est ad gloriam, vnde licèt aliquis homo sit causa vt alius habeat actu naturam humanam, non tamen est causa per se prima & propria vt ordinetur ad vitam æternam.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Virum prædestinatio possit iuuari precibus Sanctorum.

IN hac re duobus erroribus relictis, quos refert hîc D. Thom. & quæst. 6. de veritate, art. 6.

Effectuum prædestinationis potest dari causa impetratoria.

Primùm certum est prædestinationem alicuius, ex parte effectuum qui in prædestinato recipiuntur iuuari posse aliorum precibus: B itâ vt quamuis dixerimus nihil esse in prædestinato, quod sit causa omnium effectuum prædestinationis; debemus tamen concedere preces vnius posse esse causam impetratoriam omnium effectuum qui recipiuntur in prædestinato. Ità Durandus dist. 41. Bannez hîc, & Carthagena. Atque ità intelligendus est D. Thom. hoc in loco. Probatur: Primus effectus qui recipitur in ipsis prædestinatis est vocatio, vocationis assensus est per gratiam; at potest iustus aliquis alicui peccatori, imò & infideli impetrare vt vocetur à Deo, peccatique veniam obtineat, vnde Iacob. 5. dicitur, *Orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet oratio iusti assidua.* Imò propter eamdem causam videmus eam esse in Ecclesia consuetu- C dinem, vt pro peccatorum conuersione, & interdum infidelium fundat preces. Ità etiam sentiunt

Iacob. 5. vers. 16.

Ambros. Ambrosius 3. de vocatione gentium, cap. 1. qui prædixit idem B. Monicæ matri D. Augustini fore vt suis precibus eius filius conuerteretur; *Fieri*, inquit, *non potest, vt filius tantarum lacrymarum pereat*, hoc ipsum agnouit D. Augustinus in lib. Confess. & serm. 2. de sancto Stephano, aduertit causam propter quam Paulus fuerit ad religionem Christianam conuersus extitisse preces Stephani; *Nisi*, inquit, *Stephanus orasset, Paulum Ecclesia non haberet.* Gregor. lib. 1. dialog. cap. 8. id etiam probat ex cap. 25. Genes. vbi Isaac orauit pro Rebecca vxore sua, eiúsque precibus factum est vt conciperet Iacob qui ità prædestinatus fuit, vt in semine eius pollicitus fuerit Deus se daturum benedictionem omnibus gentibus.

D. Augustin. Gregor.

2. Documentum. Secundò, docet D. Thom. vnius sancti preces non esse causam prædestinationis alterius, si prædestinatio non accipiatur pro illius effectibus, sed pro ipsa præordinatione. Puto autem hic D. Thomam loqui de illa voluntate Dei, qua antequàm vellet homini effectus explicatos tribuere, voluit vt esset ad gloriam ordinatus: hanc enim ordinationem non arbitror vllum purum hominem obtinuisse suis precibus; per preces siquidem Christi, & eiusdem merita iam erat tota humana natura ordinata in gloriam.

D. Thom.

Dices, quando Isaac suis precibus obtinuit conceptionem Iacob naturalem, & quando plures alij sancti impetrarunt à Deo, vt aliqui filij nascerentur, essentque in rerum natura, eos hoc ipso fuisse causam ordinationis illorum ad gloriam; etenim homo debet esse prius secundùm suam naturam quàm ordinetur ad gloriam: ergo qui meretur merito congruo, & impetratorio, vt aliquis sit in rerum natura, iustificetur, & saluetur, eo ipso meretur, vt ordinetur ad gloriam.

Respond. hoc non sequi; nam per Christi merita, tota natura humana generatim sumpta ordi-

Tertiò. Non obscurè D. Thomas indicat id quod clarè Durandus & Bannez innuunt supra, loquendo de tota, & integra latitudine effectuum prædestinationis, nullum purum hominem suis puris precibus esse causam suæ prædestinationis, aut alterius. Nam vniuersim loquendo effectus prædestinationis sunt omnia quæ ad gloriam conducunt: ergo illud quod iuuat ad gloriam meam, siue sit in alio, siue in me, semper dicetur effectus prædestinationis, v. g. illę orationes sancti Stephani pro Paulo fuerunt effectus prædestinationis, ac electionis Pauli, Deus enim præordinauerat Paulum eligere ad gloriam per Stephani orationes.

3. Documentum.

An verò Christus fuerit vera causa totius nostræ prædestinationis, & ordinationis in gloriam, explicari consueuit 3. part. quæst. 23.

Docet autem illic D. Thom. veram causam meritoriam finalem & exemplarem omnium effectuum prædestinationis esse Christi merita, & quæst. 19. eiusdem 3. part. docet omnia auxilia quæ præcedunt etiam primam gratiam dari per merita Christi: ità vt Deus in homines nullum donum supernaturale contulerit, nisi per merita condigna Christi.

Notabile.

Nota tamen hîc in fine totius disputationis, vnum posse esse etiam causam, vel occasionem reprobationis alterius, non quidem proximam, sed remotam; si nimirum alius vnum inducat ad peccatum aliquod perpetrandum propter quod ille damnetur. Peccatum enim illius, propria & proxima causa reprobationis est: Consilium verò, vel malum alterius exemplum, est causa remota, vel occasio.

QVÆSTIO XXIV.

De libro vitæ

CIRCA totam hanc quæstionem tantum duo sunt breuiter explicanda. Primum, quid sit liber vitæ. Secundum, An fieri possit, vt aliquis deleatur de libro vitę.

Liber vitæ est notitia certa eorum qui vitam æternã consequuntur.

Quod attinet ad 1. Conclusio. *Liber vitæ definitur communiter notitia certa & indubitata eorum qui consequuntur vitam æternam:* ità D. Thom. & omnes eius interpretes hîc.

Deinde, quia idipsum videtur colligi ex illis E locis Scripturę, in quibus dicitur esse donandos vita æterna eos solos, qui scripti sunt in libro vitæ. Ità Apocal. 20. *Qui non est inuentus scriptus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis.* & cap. 21. *Non intrabit aliquid conquinatum in regnum cælorum*, ad Philipp. 4. *Quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.*

Apoca. 20. vers. 15. Idem 21. vers. 27. Philipp. 4. vers. 3.

Tertiò, libri inter homines sunt in hunc finem instituti, vt suppleant defectum memoriæ, ac proinde vt suggerant ea, quæ vel scire volumus, vel tenemur: atqui in Deo nullus datur memorię

memoriæ defectus, ſed omnia ſunt ei notiſſima & præſentiſſima ex illo Pauli, *Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius*: ergo liber vitæ dicetur eſſe notitia illa, quam Deus habet de ijs qui conſequuntur vitam æternam infallibiliter. Hebr. 4. verſ. 13.

Denique, liber vitæ diſtinguitur à prædeſtinatione, quòd hæc ſit ordinatio quorumdam ad vitam æternam per hæc & illa media infallibiliter obtinendam: liber verò vitæ ſit ſola & nuda cognitio quam Deus habet de ijs qui conſequuntur gloriam infallibiliter, vt fatentur omnes hoc loco.

Quòd verò attinet ad 2. ratio dubitandi eſt, quia Exod. 32. precatur Moyſes Deum, vt vel relaxet peccatum Iudæorum, aut certè vt deleat ipſum de libro vitæ. *Dele*, inquit, *me de libro vita, aut condona illis hanc noxam.* Exod. 32. verſ. 32.

Bifariam aliqui ſcribuntur in libro vitæ ſcribi.

Aduerte, ſcriptos in libro vitæ eſſe in duplici differentia: Alij namque ſunt ſcripti ſecundum præſentem iuſtitiam, & finaliter ſimul: Alij verò ſecundù iuſtitiam tantùm præſentẽ; minimè verò ſecundum finalem, ſaltem ex multorũ Theologorũ opinione: illi ergo dicuntur ſcripti ſecundum præſentem iuſtitiam tantùm, qui per aliquod tempus varium & diuerſum ab eo in quo quis moritur, agunt in gratia & charitate; ille enim hoc ipſo quod in charitate conſtitutus eſt, diligitur à Deo, dilectione ſupernaturali, vt manifeſtè colligitur ex cap. 14. Ioann. *Si quis diligit me, pater meus diliget eum*, & 1. Ioann. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* & alibi. *Ego diligentes me diligo.* Imò hoc ipſo quod quis eſt conſtitutus in gratia gratum faciente ius habet ad vitam æternam obtinendam, ex loco proximè citato Ioann. & ex cap. 6. ad Rom. *Gratia Dei vita æterna.* Deinde, docuimus vitam æternam reſpondere meritis in hac vita factis; merita autem præſupponunt gratiam, quamobrem dicitur communiter ſemen vitæ æternæ. Illi verò dicuntur ſcripti in libro vitæ & ſecundum præſentem iuſtitiam, & finaliter qui in certo aliquo tempore vario & diuerſo, ab eo in quo moriuntur, & præterea in eo inſtanti in quo ex hac vita decedunt in gratia & charitate conſtituti ſunt. Ioann. 14. verſ. 23. 1. Ioan. 4. verſ. 16. Prouer. 8. verſ. 17. Rom. 6. verſ. 23.

Conclvsio 1. *Nihil prohibet quominùs ſcriptus in libro vitæ ſecundum iuſtitiam tantùm præſentem, ſed etiam ſecundùm præſentem iuſtitiam, & finaliter deleatur de libro vitæ ſecundum præſentem iuſtitiam tantùm.* Primùm, quia dicitur Pſal. 68. *Deleantur de libro vitæ & cum iuſtis non ſcribantur.* & Exod. 32. *Qui peccauerit delebo eum de libro vitæ*, & Apocal. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Deinde, nullus eſt, aut certè pauciſſimi ſunt inter prædeſtinatos, qui nunquam peccent mortaliter: at per quodlibet peccatum mortale amittitur gratia gratum faciens, & ità deſinit prædeſtinatus habere ius ad vitam æternam, pro eo tempore in quo perſeuerat in peccato mortali. Confirmatur. D. Magdalena, D. Paulus, D. Petrus ſunt verè prædeſtinati, & tamen iſti ad aliquod tempus perſeuerauerunt in peccatis. Pſal. 68. verſ. 29. Apocal. 3. verſ. 11. *Prædeſtinatus poteſt deleri de libro vitæ aliquo ſenſu.*

Notabile. Aduerte, ad huius Concluſionis intelligentiam, quæ diximus Dubit. 1. librum ſcilicet vitæ eſſe certam cognitionem quam Deus habet de ijs qui conſequuntur vitam æternam, intelligenda eſſe de libro vitæ, prout dicit ſcriptos in eo finaliter, non autem de libro vitæ quatenus ex multorum Theologorum ſententia cenſetur eſſe cognitio quam Deus habet de ijs qui habent ius ad vitam æternam ſecundum præſentem iuſtitiam tantùm.

Conclvsio 2. *Scriptus in libro vitæ ſecundùm præſentem iuſtitiam, & finaliter ſimul, non poteſt ex eo deleri finaliter.* Primùm, quia diximus prædeſtinationem infallibiliter conſequi ſuos effectus. *Scriptus in libro vitæ non poteſt deleri.*

Deinde, quia dicitur apud Eccleſ. cap. 11. *In quocumque loco ceciderit lignum, ſiue ad auſtrum, ſiue ad aquilonem, ibi erit:* locus autem hic communiter explicatur de homine qui moritur in gratia, aut in peccato mortali; de eo autem qui moritur in gratia, dicitur, quòd certò & indubitanter aſſequuturus ſit vitam æternam, & de eo qui moritur in ſtatu peccati mortalis, quod perpetuò manſurus ſit in huiuſmodi peccato; ac proinde deſtinatus ad pœnam æternam. Eccleſ. 11. verſ. 3.

Tertiò, propter hanc cauſam prædeſtinati dicuntur beati quandocumque moriuntur, Apocal. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* & Pſal. 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius:* at de ratione beatitudinis eſt quòd hæc amitti minimè poſſit, Ioann. 16. *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Matth. 25. *Ibunt iſti in vitam æternam*; ità D. Thom. & interpretes eiuſdem omnes, hoc loco. Apoc. 14. verſ. 13. Pſal. 115. verſ. 15. Ioan. 16. verſ. 22. Matth. 25. verſ. 46.

Diſſolutio argumenti. Ad rationem verò dubitandi reſp. Nomine libri vitæ, illic ſignificari catalogum eorum qui ingreſſuri erant terram promiſſionis, vel certè eorum qui ſunt in hac vita, ac proinde Moyſem petiiſſe à Deo vt ex eiuſmodi catalogo deleretur, non autem de libro vitæ æternæ.

Diuus tamen Hieronym. ad cap. 1. Ionæ, D. Auguſtinus quæſt. 147. in Exodum, Abulenſis, & alij nonnulli, putant Moyſen optaſſe deleri de libro vitæ, non quidem verè ſed hyperbolicè tantùm, quatenus ſcilicet ſuum erga populares ſuos affectum nimium ſignificaret. Hierony. Auguſt.

Rogabis, *An detur aliquis liber mortis.*

Respondetvr *Communiter nullum aſſignari*, qui enim non eliguntur v. g. ad ſacramentũ militare minimè ſcribuntur, vt obſeruat D. Tho. art. 2. huius quæſt. Deinde, illi tantùm qui eliguntur, aſſumuntur ad id quod eis minimè debetur naturaliter: mors autem omnibus & ſingulis mortalibus naturaliter debetur.

Sunt tamen aliqui inter Patres qui librum mortis amittunt. Ità Baſilius ad cap. 4. Eſaiæ, Gregor. Naianz. oratione 9. ad Iulianum tributorum exactorem, fauere videtur iſtis Hieremias cap. 17. *Recedentes à te*, inquit, *in terra ſcribentur*, & Daniel cap. 7. *Iudicium ſedit & libri aperti ſunt.* Baſilius. Nazianz. Hiere. 17. verſ. 13. Daniel. 7. verſ. 10.

QVÆSTIO XXV.

De omnipotentia Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

An in Deo sit potentia.

DVBITATIO PRIMA.

An in Deo detur potentia,

CONCLVSIO *affirmatiua, saltem si sermo sit de potentia actiua.* Primùm, quia de Deo dicitur in sacris litteris, Psal. 88. *Potens es Domine*, & alibi: *Quis Deus magnus, sicut Deus noster qui facis mirabilia?* Psal. 88. vers. 9. Idem 76. vers. 15.

Deinde, dicitur de ipsomet Deo in eisdem sacris codicibus quòd sit omnipotens Genes. 17. vers. 1. Sap. 18. vers. 15. Idem 11. vers. 18. Luc. 1. vers. 37. Leo Mag. Clemens Alexand. Origen. Athanas. Cyrillus. Tertull. Genes. 17. vers. 14. *Ego Dominus omnipotens.* & cap. 43. *Deus autem meus, omnipotens nomen eius.* Sap. 18. *Omnipotens sermo tuus Domine.* & cap. 11. *Omnipotens manus Dei quæ creauit orbem terrarum*, & Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Deinde, ità sentiunt Patres, Leo I. serm. 2. de Natiuitat. *Deus* (inquit) *cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia est.* Clemens Alexand. in oratio. ad gentes, Origen. lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 2. Athanas. in Symbol. Cyrillus, Hierosoly. Catechesi 4. & 8. Epiphan. in anchorato, Tertul. de resurrect. carnis, cap. 11.

Tertiò, ratione: prima. Potentia actiua ex doctrina Aristotel. lib. 5. Metaphys. est principium producendi aliud, aut certè transmutandi vnum in aliud: at Deus verè produxit ea omnia quæ sunt in naturę vniuersitate, Genes. 1. *In principio creauit Deus*, &c. item transmutat vnum in aliud, vt constat ex vxore Loth, *Genes.* 19. hæc enim mutata fuit in statuam salis. Aqua item mutatur in vinum, *Ioann.* 2. Virgæ Moysis in serpentes, *Exod.* 7. Substantia panis, in substantiam corporis Christi, *Luc.* 22. *Matth.* 26. *Marc.* 13. & 1. *Corinth.* 11. Deinde, potentia imitatur naturam & essentiam illius rei cuius est potentia, ex doctrina Aristotelis: atqui essentia Dei est semper infinita: ergo illud idem erit dicendum de eius potentia. Genes. 1. vers. 1.

Quartò, non desunt qui putent nullam extare rem quæ per seipsam proximè & immediatè agat, ac proinde concedendum est dari in omnibus rebus potentias aliquas per quas suas exequantur operationes: ergo cùm Deus sit entitas aliqua concedenda erit in eo potentia quædam.

Denique, intellectus & voluntas in hominibus & in Angelis, sunt potentiæ actiuæ: atqui intellectus & voluntas dantur in Deo omnium consensu: ergo. propterea diximus dari in Deo potentiam saltem actiuam, quoniam passiua nullum potest habere locum in eo: tum quia est actus purissimus, qui reijcit à se omnem omnino potentialitatè, qualis est potentia passiua: tum quia hæc, vt sic, dicit imperfectionè; imperfectiones autem locũ habere non possunt in Deo: tum quia potentia passiua perficitur suis actionibus; repugnat autem Deum perfici ab aliquo: tum denique quia ità sentiunt omnes omnino Theologi, & Philosophi.

Potentia proxima in creaturis est accidens, in Deo verò substantia.

Dices, potentiam, vt sic, esse accidens siue qualitatem. Resp. hoc esse verum, si sermo sit de potentijs quæ dantur aut in Angelis, aut in hominibus, per quas extra se operantur: simpliciter & absolutè tamen potentia actiua, non est accidens, aut qualitas, sed tantùm principium productiuum alicuius rei, vt constat ex essentia cuiuslibet rei substantialis; hæc enim est verè principium productiuum suarum proprietatum, & tamẽ non est qualitas aut accidens. Deinde, fatentur omnes in disputatione de Trinitate, in Patre esse potentiam actiuam generandi Filium, & in Patre, & in Filio potentiam actiuam spirandi Spiritum sanctum, & nihilominus concedunt omnes in Deo nullum dari accidens, neque dari posse: potentia ergo quæ admittitur à nobis in Deo præscindit ab illis omnibus imperfectionibus cum quibus reperitur in nobis, aut in Angelis.

In Deo est vna tantùm potentia realiter, ratione tamen eadem potentia est multiplex.

Obijcies, si daretur in Deo potentia actiua, hæc esset vna tantùm, computatur enim inter attributa essentialia, vti bonitas, simplicitas, & alia; at vna tantùm est simplicitas, vna bonitas, & sic de alijs. Resp. in Deo dari quidem à parte rei vnam tantum potentiam, quæ secundum nostrum modum concipiendi varia, & multiplex est, idque quòd Deus non agat extra se, prout in se est, sed tantùm prout vult, & quia impossibile est eum aliquid velle, nisi prius intelligat; est enim voluntas cæca ex se & sua natura, ac proinde concedenda sunt duo principia productiua eorum quæ sunt extra Deum, licèt non eadem ratione: intellectus siquidem diuinus est causa eorum omnium quæ sunt, dirigendo; voluntas verò, mouendo, siue applicando ad producendum.

DVBITATIO SECVNDA.

An præter intellectum & voluntatem diuinam admittenda sit in Deo potentia aliqua actiua, & productiua eorum quæ sunt in natura vniuersitate.

Quorumdã opinio.

SVNT qui putent partem affirmantem esse indubitatam, admittunt enim in Deo præter intellectum & voluntatem potentiam operatiuam siue executricem. Probant primùm, quia licèt Deus intellexerit ab æterno mundum producibilem, & voluerit illum producere; non tamen de facto produxit illum ab æterno, sed in tempore: ergo concedenda erit potentia quædam executiua in Deo, per quam Deus de facto producit mundum in tempore.

Probatur 1.

probatio 2.

Deinde, actus specie distincti, distinctas quoque arguunt specie potentias; at creatio est actus specie distinctus ab actibus intellectionis, & volitionis, siue nolitionis: ergo erit quoque hic potentia specie distincta ab intellectu, & voluntate.

3. Tertiò, D. Augustinus fatetur dari in Deo potentiam operatricem, hæc autem videtur esse esse distincta ab intellectu & voluntate.

4. Probatur quartò, Durandus ait Deum magis attingere productionem rerum per potentiam operatiuam: quàm per intellectum & voluntatem: illud (inquit) cuius actus transit in effectum

eſſ. Etiam magis attingit effectum quàm faciat illud A mundum in tempore, ſuo intellectu & voluntate; neque tamen propterea ſequitur Deum eſſe mutatum: ergo licet admitteremus potentiam executricem in Deo, & potentiam iſtam in tempore tantùm produxiſſe ſuos effectus; non tamen propterea ſequeretur Deum eſſe mutatum.

actus nomine coniungitur effectui; atqui actus intellectus & voluntatis diuinę cùm ſint immanentes, non attingunt res productas, bene tamen actus facultatis operatricis: ergo. Confirmatur: Quemadmodum ſe habet intellectus, voluntas, & facultas operatrix in illis rebus in quibus facultates iſtę diſtinguuntur inter ſe realiter; eadem planè ratione ſe habent in illis in quibus diſtinguuntur ſola ratione ratiocinata, ceteris tamen paribus: atqui actus facultatis executricis in illis rebus in quibus diſtinguuntur realiter ab intellectu & voluntate magis attingunt effectũ, quàm faciunt actus intellectus & voluntatis: ergo & B in Deo idem erit aſſerendum.

Cõfirmatur.

Solutio.

Reſpond. non eſſe parem rationem inter potentiam executricem, & intellectum & voluntatem: Deus enim ex omni æternitate, & intellexit mundum eſſe producibilem, & voluit propterea mundum producere, non tamen pro æterno, ſed pro eo inſtanti temporis in quo mundum produxit, ac proinde intellectus ex non operante nunquam factus eſt operans; Deus enim ſemper mundum intellexit, & intelligit, intelligétque, neque vnquam intermittit intellectionem iſtam, neque poteſt intermittere; idque quòd hæc tam vere ſit æterna, quàm Deus ipſe: æternitas autem non admittit prius, neque poſterius. Idem eſt dicendum de actu voluntatis, quo voluit mundum producere, hic enim ſemper eſt in Deo, & erit: potentia autem operatrix ſi daretur in Deo diſtincta ab intellectu, & voluntate, ex non operante, facta fuiſſet operans; non enim ab æterno coniuncta fuiſſet cum ſuo actu, ſed tantùm pro eo inſtanti temporis, in quo Deus mundũ produxit.

2. Opinio.

Alij verò, licèt fateantur nullam dari in Deo potentiam executricem diſtinctam ab intellectu, & voluntate eiuſdem, contendunt tamen Deum magis intimè & proximè attingere rerum productarum per intellectum quàm per voluntatem: ita Pann. 2 art. 8. q. 14. & art. 4. q. 19. huius partis S. Thomę. Probat. Principium (inquit) productiuum cuiuſlibet rei magis proximè attingit effectum, quàm faciat ea cauſa quæ mouet huiuſmodi principium ad ſuos effectus producendos: at intellectus diuinus eſt qui produxit res iſtas creatas, & applicatur ad agendum per voluntatem diuinam: ergo magis proximè attingit effectum intellectus quàm voluntas. Minorem probat, quia C aliud omne quod Deus producit, ad imitationem ſuarum idearum efficit (Diximus enim quæſt. 15. huius partis ideas diuinas nihil aliud eſſe, quàm id ad cuius imitationem Deus rem quamlibet creatam produxit) at ideæ iſtæ ſunt in intellectu diuino, non autem in voluntate. Deinde, res iſtę creatę cenſentur ſimiles ideis exiſtentibus in intellectu diuino. Denique, res quælibet creata fuit producta per imperium diuinum: at imperare conuenit intellectui ex doctrina ſancti Thom. in quæſtionibus de actibus humanis: ergo intellectus proximius attingit productionem rerum quam voluntas.

Barnes.

Probatio 2. Concl.

Secundò probatur Concluſio. Ex multorum Thomiſtarũ ſententia, in Angelis nulla datur potentia executiua diſtincta ab intellectu & voluntate eorumdem, ergo neque dabitur in Deo.

Tertiò. Facultas operatrix diſtinguitur in homine ab intellectu & volontate eiuſdem propter eius imperfectionem: at imperfectiones nullum poſſunt habere locum in Deo.

Quartò. Quandocunque datur aliqua facultas in aliquo, quæ non agit proximè volendo aut intelligendo, producí hæc effectum ſibi connaturalem, qui nulla ratione eſt ſpiritualis, vt manifeſtè colligitur ex facultate motrice hominis; at nullus dari poteſt actus in Deo, qui non ſit ſimpliciter ſpiritalis: ergo facultas operatrix diſtincta ab intellectu & voluntate non erit in Deo concedenda.

In Deo nulla datur potentia realiter diſtincta, quæ intellectiua volũtati eiuſdem diuerſa.

Conclvsio 1. *In Deo nulla datur potentia realiter diſtincta.* Primùm, quia omnis diſtinctio realis in diuinis præſupponit oppoſitionem relatiuam: at potentię intellectus & voluntatis in Deo nullam dicunt oppoſitionem.

Secundò, diſtinctio realis in diuinis præſupponit originem vnius ab alio: at intellectus non habet originem à voluntate in Deo, neque è contra.

Tertiò, intellectus & voluntas computantur inter attributa diuina eſſentialia: at attributa iſta nec diſtinguuntur inter ſe realiter, nec formaliter, vt probatur Dubit. vlt. huius quæſt. ſancti Thom. ergo non diſtinguuntur realiter.

Nulla potentia diſtinguitur ab intellectu.

Conclvsio 2. *In Deo nulla concedenda eſt potentia diſtincta ab intellectu & voluntate.* Primùm, quia ſi daretur in Deo facultas executrix varia & diuerſa ab intellectu & voluntate eiuſdem, ſequeretur facultatem iſtam eſſe verè mutatam: quod enim ex non operante fit operans, illud vere mutatur: at facultas iſta ſi ex hypotheſi daretur, ex non operante facta fuiſſet operans; ergo, quippe ſiquidem produxit ſuos effectus tantùm in tempore non autem ab æterno: at Deus & ea omnia quæ ſunt in Deo mutari non poſſunt, ex cap. 3. Malach. *Ego Dominus, & non mutor.* & Iacob. 1. ergo illa potentia non decernitur ab intellectu & voluntate.

Malach. 3. verſ. 6.

Obiectio.

Dices, Deum ex noſtra ſententia, produxiſſe

Denique, ſequeretur facultatem iſtam operatricem, nedum producere res alias à ſe, ſed etiam poſſe ſeipſam producere; nam cùm hæc potentia admittatur in Deo, eſſet ſimpliciter ſpiritalis: Deus enim ſpiritus eſt, Ioann. 4. & ſpiritus corpore caret: at quælibet potentia ſpiritalis agit in ſeipſam, vt patet ex intellectu, qui intelligit alia à ſe, & ſeipſum; & ex voluntate quę vult alia à ſe, & ſeipſam: ergo cùm potentia iſta operatiua ex hypotheſi ſi daretur in Deo, non poſſet producere ſeipſam (Deus enim eſt ens improductum & ſimpliciter neceſſarium) potentia vlla non erit in Deo admittenda.

Deus immediatiuè ſecundũ noſtrum intelligendi modũ operatur, per voluntatẽ, quàm per intellectum.

Conclvsio vltima. *Deus magis intuitiuè attingit rerum productionem per voluntatem, quàm per intellectum, ſaltem ſecundum noſtrum modum concipiendi.* Primùm, quia productio rerum creatarum tribuitur voluntati in ſacris litteris, Pſal. 113. *Omnia quæcunque voluit fecit.* & rurſus Pſal. 148. *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* & ad Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Pſal. 113. verſ. 2. Idem 148. verſ. 5. Epheſ. 1. verſ. 11.

Deinde, fatentur Sententiarij omnes communiter regulam actionum Dei ad extra eſſe voluntatem eiuſdem.

Tertiò, productio rerum artificialium cenſetur eſſe magis à voluntate, quàm ab intellectu

artificis ex doctrina Ariſtotel. lib. 3. de anima, & 4. Metaphyſ. atqui productio rerum creatarum tribuitur Deo tanquam artifici, ex illo Sap. *Omnium artifex Deus.* Sap. 7. verſ. 21.

Quartò, poſita actione intellectus nunquam ponitur effectus, poſita verò actione voluntatis efficacis, ſtatim ſequitur effectus extra diuinam eſſentiam; ſuppono enim quod velit in tempore præſenti efficaciter operari. Confirmatur. Cognoſcit Deus ſe poſſe producere infinitos mundos, & item ſe poſſe ſuſcitare filios Abrahæ ex lapidibus Iordanis. Luc. 3. & tamen nunquam hæc facturus eſt: ergo &c.

Diſſoluuntur 1. opinionis fundamenta. Ad rationes verò authorum 1. ſententię reſp. Ad 1. negando conſecutionem; licèt enim Deus ab æterno non produxerit creaturas iſtas, ſed tantùm in tempore, produxit tamen eas in tempore per illum eumdem numero actum, quo ab æterno voluit eaſdem producere, cùm enim Deus ſit quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extra, tunc per actum illum quo voluit ab æterno operari, & illa eadem ratione qua vult, ponit effectum extra ſe; ac proinde docent communiter phyſiologi Deum voluiſſe ab æterno productionem mundi, non tamen produxiſſe pro æterno, ſed pro eo inſtanti temporis in quo productus eſt; vnde nulla alia eſt neceſſaria potentia executiua in Deo, præter eius voluntatem, & intellectum; voluntas ſiquidem diuina eſt quæ definit ſeipſam, & præterea applicat intellectum ad agendum quando, & vbi vult ſaltem ad extra.

2. Argum. 1. ſolutio. Ad 2. Reſp. negando propoſitionem maiorẽ; creaturæ ſiquidem ſaltem aliquæ diſtinguuntur inter ſe ſpecie, & tamen ſunt ab vno & eodem Deo. Deindè, actus ſpei, & charitatis in nobis, omnium conſenſu diſtinguuntur ſpecie, eliciuntur tamen ab vna & eadem planè voluntate. Tertiò, virtutes omnes morales, vnica excepta prudentia, ex veriori opinione collocantur in voluntate, tanquà in ſubiecto, & tamen actus qui poſtproducuntur medijs iſtis habitibus à voluntate, diſtinguuntur inter ſe ſpecie. Denique, diuerſitas ſubiecti, vel nihil, vel parum admodum conducit ad diuerſitatem ſpecificam actuum; hæc enim ex communi doctrina repetenda eſt ex obiecto formali, non autem ex ſubiecto, ac proinde actus ſpecie diſtincti, non arguunt potentias ſpecie diſtinctas, ſimpliciter & abſolutè loquendo.

2. Solutio. Secundò, reſp. dari quidem aliquos actus qui ſupponunt potentias ſpecie diſtinctas, vt conſtat ex actibus auditionis, viſionis, & olfactionis; iſti enim fieri non poſſunt, niſi à potentijs ſpecie diſtinctis, idque quòd actus quidam vitales ſint, & reſpiciant obiecta ſpecie diſtincta: actus autem creationis non poſtulat ex ſe potentiam aliquam diſtinctam ab intellectu & voluntate diuina, quia omnis actus Dei eſt vel voluntatis, vel intellectus; agit enim proximè volendo, vel intelligendo.

Denique, reſp. hac ratione tantùm probari aliquid in Deo dari quod reſpondeat potentijs diuerſis quæ dantur in rebus creatis, ratione cuius producat varios illos & diuerſos effectus, quos creaturę producunt. Quæ enim ſunt diſperſa in inferioribus, reperiuntur vnita in ſuperioribus. Tandem cùm Deus ſit ſimpliciſſimus, diuerſitas potentiarum non eſt in eo admittenda à parte rei, quaſi diuerſitas iſta inducat diſtinctionem vel realem vel formalem inter iſtas potentias, ſed tantùm rationis ratiocinatę.

3. Ad 3. reſp. D. Auguſtinum non admittere in Deo tertiam quamdam potentiam diſtinctam ab intellectu & voluntatè eiuſdem; nomine ſiquidem facultatis operatricis in lib. 5. contra Manich. intelligit actus productionis quos Deus exercet in tempore, iſti autem ſunt effectus intellectus & voluntatis diuinę.

Ad vlt. Ad vltimam, & ad eius confirmationem reſp. Nihil probare, ſupponit enim in Deo dari potentiam executricem diſtinctam ab intellectu & voluntate eiuſdem: & præterea Deum per potentiam iſtam magis proximè attingere rerum productionem, quorum tamen neutrum verum eſt, & quæ nulla ratione probantur à Durando: quod tamen oportuit vt ratio hæc contra noſtram ſententiam militaret.

2. Sent. argumentorũ ſolutio. Ad argumenta verò ſecundę ſententię reſp. Ad 1. conceſſa maiore, negando minorem. Ad probationem autem ideas diuinas eſſe principia effectiua creaturarum: Ideę ſiquidem diuinę eadem ratione concurrunt ad productionem creaturarum, qua Cæſar v. g. concurrit ad imaginem ſui effingendam, quam pictor depingit, aut certè Statuarius effigit: atqui certum eſt Cæſarem non concurrere effectiuè ad productionem ſuæ imaginis. Confirmatur: ex eo quòd fateantur communiter philoſophi cauſam exemplarem reuocari ad efficientem, non tamen eſſe verè cauſam efficientem. 1.

Ad 2. Reſp. effectum aſſimilari principio productiuo, vt quod, minimè verò potentijs & inſtrumentis quibus vtitur principium hoc in ſuis effectibus producendis, vt patet exemplo ſcripturę, quæ non aſſimilatur calamo vel manui; ſed imagini quæ exiſtit in mente ſcribentis: & item exemplo hominis generantis hominem: effectus enim hic aſſimulatur homini, non autem potentijs per quas effectum huiuſmodi attingit: ergo res iſtę creatę aſſimilantur Deo producenti; non autem intellectui, aut voluntati eiuſdem, aut ideis exiſtentibus in intellectu. 2.

Vlt. Ad vltimum. Reſp. Deum ſuo imperio producere res iſtas creatas, ceterùm imperium nedum ad intellectum, ſed etiam ad voluntatem pertinet, vt alibi docebimus: diximus enim imperare interdum idem eſſe atque præſcribere, decernere, & ordinare quæ ſunt agenda; interdum verò idem atque mouere potentias inferiores ad agendum. Priori modo imperare conuenit intellectui. Poſteriori modo voluntati.

Quæſtio excitatur. Rogabis, quî fiat, vt admittamus in Deo intellectum & voluntatem tanquam potentias diſtinctas inter ſe, ſaltem ratione ratiocinata, minimè vero potentiam executiuam?

Reſoluitur. Reſp. id propterea fieri quòd intellectus & voluntas ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices; potentia autem executrix ab eis diſtincta dicit imperfectionem, dicitur enim hæc tranſire ex non operante ad operantem. Deinde, fieri non poteſt vt detur in Deo aliquis actus qui vel non ſit intellectio, vel volitio, vel nolitio; amor, vel odium; omnis enim actus qui recipitur in Deo, debet eſſe ſpiritualis; actus autem potentię executricis, vel operatiuæ, ſi diſtinguatur hæc ab intellectu & voluntate nequit eſſe ſpiritualis, vt patet exemplo potentię executiuę hominis: huius enim actus eſt ſenſilis. Ità ferè recentiores omnes hoc loco.

Digitized by Google

ARTICVLVS SECVNDVS.

An potentia Dei ſit infinita.

CONVENIT do hac re inter omnes: fatentur enim Sententiarij diſtinctione 1. & Thomiſtæ 1. parte q. 7. & q. 42. & 45. potentiam Dei eſſe ſimpliciter infinitam. Variant tamen in reddenda ratione huius concluſionis.

D. Thom. ratio. Diuus ergo Thomas, & plerique alij propterea volunt potentiam Dei eſſe infinitam, quòd vis creandi detur in Deo; hæc autem conſurgere non poteſt ſinè potentia aliqua infinita, ſdque quòd res quæ producitur per creationem diſtet infinitè ab eo quod non eſt: ità q. 45. ar. 5. 1. part.

Inefficax. Ceterùm ratio hæc nõ videtur efficax. Primùm quia quod eſt, non diſtat infinitè ſimpliciter ab eo quod non eſt; diſtat enim ab eo per propriam eſſentiam, & exiſtentiam; eſſentia autem & exiſtentia cuiuſlibet rei creatæ eſt finita, ac proinde diſtat tantùm finitè ab eo quod non eſt. Deinde diſtantia quæ admittitur inter id quod nullo modo eſt, & inter id quod eſt per ſimilitudinem tantùm, eſt infinita; quatenus ſcilicet fieri non poteſt, vel per additionem, vel per detractionem vt vnum ex iſtis conueniat cum alio. Tertiò, Si darentur duæ lineæ infinitę, magis inter ſe diſtarent, quàm faciat id quod eſt, & id quod nullo modo eſt, nam lineæ infinitæ diſtarent inter ſe per veram & infinitam diſtantiam; quod autem eſt, ſaltem ſi fuerit creatum, diſtat ab eo quod non eſt per finitam quamdam diſtantiam: ergo non propterea Deus erit omnipotens, quia in eo datur vis creandi; aut non propterea potentia Dei erit infinita, quia poteſt reuocare id quod nullo modo eſt ad eſſe. Ex hoc ergo principio Sancti Thomæ tantùm colligitur in principali agente deſiderari virtutem infinitam quandocumque res aliqua creari debet, non autem ſimpliciter & abſolutè in quolibet creante.

Aliorum ratio. Alij verò propterea volunt potentiam Dei eſſe infinitam quòd Deus moueat aut mouere poſſit tempore infinito quodlibet mobile: at nihil repugnat, ſaltem ex doctrina aliquorum quin mundus fuerit ab æterno: ergo cùm motus æternus præſupponat potentiam infinitam hæc erit verè in Deo. Ità Scotus in 1. & Gregor. Ariminenſis. Hoc autem deſumitur ex Ariſtotel. lib. 8. phyſicor. & lib. 12, Metaphyſ.

Non probatur. Ceterùm ratio hæc non concludit euidenter id quod erat probandum: ex eo enim quòd aliquid moueatur tempore infinito ſolùm colligitur rem motam eſſe æternam & item id quod mouet: atqui attributum æternitatis in Deo eſt omnino diuerſum ab attributo potentiæ eiuſdem: ergo. Deinde, ſi propoſitioni huic Ariſtotelis adijceretur particula iſta (per ſe) non liceret ex ea colligere potentiam Dei eſſe infinitam, ſed tantum eſſentiam eiuſdem.

Diximus enim ad q. 7. huius partis propterea Deum eſſe infinitum, quòd hic ſit à ſe, & non ab alio, tanquam à cauſa efficiente: ergo, licèt daremus Deum moueri tempore infinito à ſe, & non ab alio, ſequeretur tantùm motum hunc eſſe infinitum, ſdque quòd hic eſſet à ſeipſo, & non ab aliquo alio, atqui attributum infinitatis in Deo diſtinguitur ab attributo potentiæ eiuſdem: ergo ratio allata ab illis authoribus non concludit.

Aliorum explicatio. Alij autem propterea volunt potentiam Dei eſſe infinitam, quòd Deus de facto produxerit infinitam rerum multitudinem; impoſſibile verò eſt aliquid producere infinitum, niſi habeat potentiam infinitam.

Infirma. Ceterùm iſti nihil planè dicunt; Primùm, quia ſi fateremur cum Ariſtotele mundum eſſe ab æterno, præceſſiſſent infinitę cœlorum circumuolutiones, neque tamen propterea daremus potentiam infinitam in Cœlis. Deinde, concurrit Sol ad generationem eorum omnium quæ producuntur in terris, neque tamen propterea dicimus de ſole quòd ſit infinitus ſecundum potentiam. Denique res productæ & quæ de facto producuntur ſunt in ſe verè finitæ: ergo non deſideratur ſimpliciter vis infinita in producente.

Auctoris ſententia. Reſpondeo ergo cum pleriſque recentioribus, propterea potentiam Dei eſſe ſimpliciter infinitam obiectiuè, quòd in poteſtate Dei ſit producere quodlibet poſſibile, ſiue illud omne quod non implicat contradictionem fieri. Primùm, quia fieri non poteſt, vt poſſibile quodcumque producatur, niſi detur quoque aliqua potentia ſimpliciter infinita, quod enim producetur, aut quod eſt poſſibile, debet eſſe ens per participationem, & pendere neceſſariò ad eo quod eſt per ſe; atqui ſolus Deus eſt ens per ſe: ergo. Deinde, propter hanc cauſam fatentur omnes data quacumque re creata poſſe Deum producere perfectiorem.

Obiectio. Dices, ſi daretur in Deo potentia infinita, ſequeretur Deum poſſe mouere aliquod corpus ex vno loco in alium per medium velocius & velocius in infinitum; ac proinde in inſtanti; atqui illatio hæc defendi non poteſt: ergo neque id ex quo ſequitur.

Non placet ſolutio. Reſpondent aliqui, huiuſmodi argumento tantùm probari potentiam non poſſe communicari quorumdã creaturæ, aut certè in Deo dari quidem potentiam infinitam, neceſſariam ad motum in inſtanti producendum; ſed non dari motum in inſtanti ex repugnantia ipſiuſmet motus, non autem ex defectu qui detur in Deo. Ceterùm hæc ſolutio defendi nullo modo poteſt. Primùm, quia valde dubium eſt, an potentia infinita poſſit creaturæ communicari, præſertim cùm ſubſtantia infinita de facto fuerit communicata humanitati Chriſti. Deinde, quia docet religio ſanctos concurrere ad miracula præſtanda. Non deſunt autem qui putent potentiam infinitam eſſe neceſſariam ad miracula præſtanda. Tertiò, creare preſupponit virtutem aliquam infinitam, ex doctrina ſaltem S. Thom. at ſunt plerique qui putent gratiam creari, maximè per ſacramenta quæ ſunt entia quædam creata. Minùs item bene dicitur in Deo dari potentiam ad producendum motum in inſtanti; diximus enim potentiam diuinam habere pro obiecto poſſibile quodcumque; at nullus eſt motus poſſibilis in inſtanti.

Deinde, ex opinione aliquorum, quod non implicat contradictionem eſt obiectum diuinæ omnipotentiæ; at motum fieri in inſtanti implicat contradictionem: ergo non eſt admittenda in Deo potentia reſpectu iſtius effectus, vt pote impoſſibilis.

Auctoris respons.

Respondeo ergo negando illationem maioris, motus enim, vt sic, dicit prius & posterius, impliçat autem prius & posterius esse simule. Deinde, quod mouetur motu locali partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, ex communi doctrina Aristotelis: ergo nullum erit corpus, quod possit in instanti moueri à termino à quo ad terminum ad quem: ergo non est concedenda in Deo potentia respectu istius effectus, quemadmodum neque admittenda est vis producendi baculum sinè extremis, aut montem sinè valle.

A

ARTICVLVS TERTIVS.

An in Deo detur omnipotentia.

Varij errorem.

Ioan. 6. 53.

RRARVNT hac in re Philosophi, & plerique Christiani. Plinius naturalis historia lib. 2. cap. 19. & Euripides apud Plutarchum. lib. 1. de placitis Philosophorum cap. 7. negauerunt Deum esse omnipotentem, subscribunt & istis Iudæi aliqui Psal. 77. & Ioann. 6. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

Ex Catholicis verò defecerunt in hac re Petrus Abailardus referente D. Bernardo de erroribus eiusdem, hic enim existimauit Deum non plura facere posse quàm faciat, fecerit, aut facturus sit. Peccauit & in eadem re Ioan. Vuiclef hæreticus, hic enim referente Thoma Vualdensi in proœmio suorum operum docuit Deum non aliter esse omnipotentem, nisi quia quæ futura sunt facturus est, & quia facit quæ de facto producuntur.

Caluinus item lib. 2. Institutionum, cap. 7. sectione 5. & lib. 3. cap 23. sect. 2. & concione 43. ad cap. 11. Iob ait, non esse tribuendam Deo potentiâ absolutâ quam vocant Pontificij Doctores, quæ est detestanda & diabolica; & ad cap. 23. Isaiæ, commentum illud de potentia Dei absoluta, quod Scholastici inuexerunt execranda blasphemia. Propterea autem id asserit quoniam credit Deum non plura posse facere quàm velit actu. Subscribunt & isti, omnes fere Caluinistæ & Lutherani.

B

C

D

Fundamenta hæreticorum.

Probant autem isti suam impietatem. Primò, ex cap. 6. Marc. dicitur enim illic Christum non potuisse facere miracula in sua patria.

Deinde, ex cap. 19. Genes. vbi dicitur, Deum non potuisse perdere Sodomam & Gomorrham existente in ea Loth, idque quòd alienum sit à Dei bonitate perdere innocentem vnà cum nocente.

Tertiò, ex cap. 2. 2. ad Timoth. vbi scribitur Deum non posse negare seipsum, & ad Titum 1. & ad Hebræos 6. Deum mentiri non posse.

Denique, tanta est potentia diuina, quanta eius voluntas, & è contra: atqui voluntas diuina vult tantùm producere quæ sunt, fuerunt, & futura sunt in certa temporis differentia: ergo potentia ad hæc tantùm ordinatur.

E

Omnipotentia in Deo est admittenda.

Genes. 1. vers. 1.

CONCLVSIO 1. *Omnipotentia est in Deo admittenda.* Hæc est de fide; dicitur enim in sacris litteris quòd Deus sit omnipotens Genes. 17. vers. 1. 28. & 30. 33. vers. 11. 43. vers. 14. 48. vers. 3. & 49. vers. 25. Deinde, probatur ex illis locis in quibus dicitur Deum posse omnia, secluſa omni restrictione & limitatione, Psal. 113. & 148. Luc. 1. Matth. 19. Tertiò, ex Symbolis Apostolorum & Conciliorum, Nicæni & Constantinopolitani, & denique Athanasij. *Omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens Spiritus sanctus.* Quartò, ex Concil. Nicæno I. Constantinop. I. Ephesino, Lateranensi sub innocentio III. Toletano VI. & alijs innumeris: & ex cap. *firmiter* de summa Trinitat. & fide Catholica. Quintò, ex patribus Clemente Rom. in lib. Constitutionum Apostolicarum frequenter, Dionysio de diuinis nominibus cap. 8. v. Augustl. lib. 5. de Ciuitat. cap. 10. & lib. 21. cap. 5. & ad Volusianum epist. 3. *Demus,* (inquit,) *Deum aliquid posse, quod nos fatemur inuestigare non posse: In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis,* & sermo 119. de tempore, & alibi.

Omnipotentia Deo conuenit. Symbola. Concilia.

Clem. Rom. Dionys. D. Augustl.

Aliter potest Deus operari quàmodò.

Denique, ratione: In eo est verè omnipotentia qui potest producere producibile quodcumque, aut illud omne quod non implicat contradictionem: atqui producibile quodlibet à Deo produci potest; cuilibet enim potentiæ passiuæ respondet potentia aliqua actiua, & præterea producibile quodcumque illud sit, est ens per participationem: ergo dicit dependentiam ab ente quod est per se, hoc autem est solus Deus, Ità communiter omnes hoc loco.

CONCLVSIO 2. *Potest Deus longè aliter operari, quàm postulet ordo in natura constitutus.* Primùm, quia Numer. 17. dicitur virgam Aaronis floruisse, licèt hæc sicca & arida esset, & cap. 20. dicitur Moysem percussisse petram, & ex ea torrentes inundasse: at hæc duo sunt præter leges in natura constitutas, vt est per se notum, & cap. 22. lib. citati scribitur Asinam Balaam voces articulatas efformasse, & Genes. 2. simile quid dicitur de serpente; Sol item perpetuò mouetur ex propensione & inclinatione suæ naturæ, à puncto Orientis, versùs Occidentem; & tamen Iosue 10. dicitur ad horam stetisse inuariatus & immobilis. & 4. Reg. 19. retrocessisse versùs Orientem per quindecim gradus. Circumcisio ex cap. 17. Genes. masculis quibusuis in lege Mosaïca, aduentante octauo die ad salutem simpliciter fuit necessaria: at toto illo tempore quo populus Iudaïcus mansit in deserto nulli planè fuit administrata, vt constat ex historia Iosuë; fatentur tamen omnes, non propterea masculos istos Iudæorum fecisse cisse iacturam suæ salutis, idque quòd dispensauerit Deus pro eo tempore cum istis masculis in præcepto circumcisionis. In lege item gratiæ baptismus aquæ censetur esse ad salutem necessarius Ioann. 3. at conuenit inter omnes Catholicos pueros enecatos in odium Christi intrà vterum, aut extra vterum maternum de facto consequi salutem, dignitate martyrij: ergo potest Deus supra leges in natura constitutas quando vult operari.

Denique, lex est quibusuis mortalibus constituta de morte subeunda; sunt tamen qui putent aliquos futuros immunes à morte, idque propter illud Apostoli, *Et nos qui viuimus simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra.* Hæc Conclusio est apertè D. Augustini lib. 10. de Ciuitat. *Quid,* inquit, *ita firmatum est, vt calum quod certis legibus constat? supra tamen hunc cursum potuit Deus quando voluit operari.*

Thess. 4. vers. 16. D. Augustl.

Plura potest Deus quàm velit.

CONCLVSIO 3. *Deus longè plura potest quàm velit actu.* Primùm, quia potest producere filios

filios Abrahæ de lapidibus exiſtentibus in ripa fluuij Iordanis, vt dicitur Luc. 3. & tamen Deus id non vult actu. Matth. item 26. dicitur, Deum potuiſſe mittere in auxilium Chriſto duodecim legiones Angelorum, & tamen id nunquam præſtitit, aut præſtabit, & Marc. 14. & Hebræorum 9. dicitur in poteſtate Dei eſſe, vt liberaret Chriſtum è manibus Iudæorum, & tamen id noluit facere: & Sap. 11. legitur Deum potuiſſe immittere pleraque mala Iudæis, propter peccata commiſſa eo tempore quo proficiſcebantur in terrâ promiſſionis, quæ tamen non inflixit.

2. Concilium Senonenſ. Deinde, hæc definita videtur in Concilio Senonenſi, in hoc enim reſipuit Petrus Abailardus, qui, vt monuimus initio huius Articuli, docuerat Deum non plura poſſe facere, quàm faciat, aut certè facturus eſſet.

3. D. Auguſt. Origenes. Anſelm. Fortunat. Tertiò, Ità ſentiunt Sancti Patres, maximè verò D. Auguſtinus epiſt. 3. ad Voluſianum, Origenes in epiſt. ad Rom. Anſel. in Proſologio cap. 7. & lib. 2. Cur Deus homo cap. 12. Fortunatus ad Childericum Regem lib. 9. *Si libeat*, inquit, (loquitur autem de Deo) *montes, freta, ſydera mutat in horas.* Denique ità ſentiunt omnes Catholici hoc loco, & in explicatione primi articuli fidei noſtræ.

Obiectio. Dices, ſi poſſet Deus plura quàm velit actu, ſequeretur eum poſſe ſaluare damnatos: at illatio hæc defendi non poteſt, cùm tá verè ſit iuſtus Deus quàm bonus; ratio autem iuſtitiæ exigit, vt is qui moritur in ſtatu peccati mortalis, pœnas æternas ſuſtineat. Vt huic obiectioni reſpondeatur,

Duplex in Deo datur potentia, vna ordinaria, altera extraordinaria. Aduerte, duplicem communiter aſſignari in Deo potentiam, ordinariam ſcilicet & extraordinariam: illa eſt quæ aſtringitur & alligatus legi, ſiue decreto voluntatis ſuę, ac proinde rectius dicitur ordinata, quàm ordinaria, vt aduertunt aliqui recentiores hoc loco, ſiue quod idem eſt regulata: hæc verò dicitur quæ ſoluta & libera eſt ab omni decreto diuinæ voluntatis, & conſequenter adæquatè reſpondet eſſentię diuinæ: ità vt de ea dicendum ſit hoc ipſum, quod de eſſentia diuina, ſcilicet infinitam eſſe.

Notabile 2. Aduerte 2. Deum operari ſecundùm iuſtitiam duobus modis; altero, quandocumque aliquid præſtat, iuxta obligationem qua ſeipſum liberè obſtrinxit; altero, quandocumque conformiter ſuæ bonitati, & miſericordiæ aliquid facit: Priori modo dicitur operari iuſtè, quando vitam æternam reponit homini propter merita in hac vita facta, vt colligitur ex cap. 4. poſteriorıs ad Timoth. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* & Iacob. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* & Hebræor. 6 *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri.*

2. Tim. 4. ỳ. 8. Iacob. 1. ỳ. 12. Hebræ. 6. ỳ. 10.

Poſteriori verò modo, quandocumque Deus myſterium incarnationis perfecit, creationis, aut etiam iuſtificationis impij; in iſtis enim actionibus non ſeruatur ratio iuſtitiæ quemadmodum in retributione vitæ æternæ: Nam vita æterna datur propter merita facta in hac vita; Incarnatio autem Chriſti, iuſtificatio hominis impij, & creatio vniuerſi nulla plane præſupponũt merita, ſed facta ſunt hæc myſteria, propter manifeſtationem diuinæ bonitatis, vt communiter fatentur omnes.

Satisfit obiectioni. His ità conſtitutis. Reſp obiectioni propoſitæ, Deum per ſuam potentiam extraordinariam poſſe ſaluare damnatos, neque id pugnare cum eius iuſtitia & æquitate ſimpliciter & abſolutè loquendo; ſed tantùm ſuppoſita lege de adiudicandis hominibus morientibus in ſtatu peccati mortalis, pœnis æternis. Primum, quia diximus Deum nedum operari conformiter legibus à ſe latis, ſed etiam ſuæ bonitati & miſericordiæ. Deinde, quia ſi Deus donaret æterna beatitudine damnatos, hæc actio eſſet verè conformis bonitati diuinæ: eſt enim de ratione boni ſeipſum communicare, ac proinde eſt de ratione ſummi boni ſe ſummè communicare. Tertiò, ſecluſa lege de damnandis qui moriuntur in ſtatu peccati mortalis tam vere potuit Deus condonare culpam mortalem in qua quis moritur, quàm ceteras culpas quarum remiſſionem conſequimur in hac vita; non enim culpa mortalis finalis magis eſt irremiſſibilis ex ſe & ſua natura, quàm ſint aliæ culpę lethales.

Denique, ſunt ex Sententiarijs, qui putent Deum poſſe donare beatitudine æterna, eum qui agit in ſtatu peccati mortalis, remanente tantùm culpa mortali habitu, & non actu; ita Thomas Argentinenſis in lib. 4. Sententiarum.

Replica. Inſtabis, ſi Deus donaret damnatos æterna beatitudine, ſequeretur eum peccare; definitur enim peccatum, factum &c. contra legem Dei æternam: at extat lex Dei æterna de pœnis æternis infligendis ijs qui moriũtur in ſtatu peccati mortalis, vt manifeſte colligitur ex c. 25. Matth. ergo.

Diſſoluitur. Reſp. negando illationem maioris; ad probationẽ verò, eum peccare qui facit contra legem ſi ſubijciatur legi, certum autem eſt Deum non ſubijci ſuis legibus: nam fatentur omnes principem ſupremum ſolutum & liberum eſſe à ſuis legibus: vnde propter hanc cauſam docent omnes in poteſtate ſupremi principis eſſe, eximere aliquos inferiores, legibus tamen iſtis manentibus in pleno vigore in ordine ad alios omnes ſubditos. Confirmatur, ex eo quòd fateãtur Caſuiſtæ Pontificem Max. non peccare ſi prætermittat Breuiarij recitationem, aut ieiunij Eccleſiaſtici obſeruationem: idque quòd leges iſtæ ſint iuris humani & Eccleſiaſtici. Pontifex autem Max. eſt ſupremus in ijs. Denique, hoc ipſum comprobatur ex eo quòd plerique putent Deum nedum poſſe facere contra leges iuris poſitiui, ſed etiam iuris naturalis, ſecluſa omni culpa. Cùm ergo pœnæ æternæ debeantur peccatis noſtris ſola lege poſitiua diuina, poterit Deus contra huiuſmodi legesa gere abſque vlla planè culpa.

Fundamentum hæreticorum ſunt. Ad Rationes verò hæreticorum reſp. Ad 1. *non poſſe*, illic idem plane ſignificare, atque non velle; ità vt ſenſus ſit Chriſtum non voluiſſe facere miracula in ſua patria; Scriptura ſiquidem ſacra vtitur frequentiſſimè verbo, *poteſt*, pro velle, vt conſtat ex cap. 19. Matth. *qui poteſt, capere capiat*; loquitur autem illic Chriſtus de profeſſione pudicitiæ & caſtitatis, quod idem eſt ac ſi diceret, qui vult profiteri virginitatem profiteatur, & cap. 20. *Poteſtis*, inquit ad Ioann. & Iacobum *bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* id eſt vulciſne mortem nomine meo ſuſtinere? vt explicant paſſim Patres, maximè verò Hieron. ad hunc locum.

Solutio 2. Reſpondeo 2. Chriſtum abſolutè loquendo potuiſſe facere miracula in patria ſua. Primùm, quia dicitur de eo, Iſai. 49. *Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea.* &c. ergo eadem facilitate verſ. 6, potuit apud populares ſuos facere quæuis mira-

Mat. 19. ỳ. 12. Idem 20. ỳ. 22. Hieron. Eſai. 49.

Digitized by Google

Mat. 11. v. 4. & 5. cula quæ patrauit alibi. Id ipſum videtur colligi ex cap. 11. Matth. *Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident, ſurdi audiunt.* &c. neque enim veriſimile eſt poteſtatem faciendi miracula in Chriſto fuiſſe definitam & determinatam ad certa aliqua loca. Tertiò, potuerunt Apoſtoli in toto orbe opera miraculoſa patrare, ex cap. 16. Marc. Denique illud idem dicitur de quouis homine Catholico apud Ioann. *Qui credit in me, opera quæ ego facio ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Quando ergo dicitur apud Marcum, Chriſtum non potuiſſe facere miracula in patria ſua, hic locus venit explicandus non ſimpliciter, ſed tantùm ex hypotheſi, nimirum in ordine ad finem propter quem miracula ſunt inſtituta à Deo; hæc autem ordinata ſunt à Deo vt quis faciliùs aſſentiatur rebus fidei: propter hanc enim cauſam nuncupantur ſigna in ſacris litteris, imò ob hoc ipſum, dicitur Ioan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, ſcilicet miraculoſis; Chriſtus autem bene perſpexerat conciues ſuos futuros obſtinatos & contumaces, etſi apud eos miracula faceret.

Ioan. 14. verſ. 12.

Idem 10. verſ. 38.

2. Ad 2. Reſp. Deum potuiſſe perdere Sodomam exiſtente in ea Loth, ſimpliciter & abſolutè loquendo, idque ob plenitudinem dominij & ſupremæ poteſtatis quam Deus habet in quaſlibet res. Ex hypotheſi tamen non potuit, idque quòd lex ab eodem Deo ſit conſtituta ne innocens vnà cum nocente tollatur, Geneſ. 18. *Nunquid perdes iuſtum cum impio? abſit hoc à te vt rem iſtam facias.* Deinde, diximus in antecedentibus Deum remunerare actiones honeſtas præmio vitæ æternę, & propter ſola peccata infligere pœnas æternas vel temporales etiam aliquando.

Geneſ. 18. verſ. 23. & 25.

3. Ad 3. Reſp. Deum nec poſſe mentiri, nec fallere, aut per ſeipſum immediatè, aut per alium, idque quòd hæc ſint ex ſe & ſua natura mala; certum autem eſt Deum non eſſe authorem alicuius mali.

Deinde, poſſe peccare non dicit potentiam aliquam: ſed potius impotentiam: hæc autem eſt à Deo releganda cùm ſit ipſe in ſe perfectiſſimus & potentiſſimus.

Tertiò, peccatum ex communi doctrina non habet cauſam efficientem; eſt enim formaliter priuatio rectitudinis debitæ ineſſe; priuationis autem nulla datur cauſa efficiens, ſed deficiens. Nulli ergo mirum videri debet ſi Deus nec fallat quempiam, nec mentiatur.

Replica. Inſtabis, interdum in ſacris literis dici, *Ego decipiam ipſum*, ſcilicet Achab. Reſp. h c intelligenda eſſe permiſſimè, non autem cauſaliter & effectiuè; ità vt ſenſus ſit Deum permiſiſſe nec impediuiſſe quominùs Achab deciperetur à falſis prophetis. *Diſſoluitur.*

Ultim. Ad vltimam, voluntatem diuinam definitam & determinatam ad hæc vel ad illa facienda tantùm eſſe regulam actionum humanarum quæ fiunt per potentiam ordinatam, minimè verò earum rerum quas Deus producere abſolutè loquendo poteſt: Nam potentia iſta reſpondet ad æquatè voluntati diuinæ abſolutè ſpectatæ, ſiue quod idem eſt prout concipitur indefinita, & indeterminata: propter hanc enim cauſam dicitur Deum potuiſſe ſe determinare ab æterno ad infinitos mundos producendos, idque quod ſit liber ad extra, & præterea voluntas eiuſdem perfectiſſimè & adæquatè ſuæ potentiæ reſpondeat.

ARTICVLVS QVARTVS.

An poſſit Deus facere, vt præterita non fuerint præterita.

Quorundam placitum. GREGORIVS Ariminenſis in 1. diſt. 42. q. 1. Gilbertus Porretanus & Altiſſiodorenſis lib. 1. ſuæ ſummę in tract. de potentia Dei, putarunt Deum poſſe facere vt præterita non ſint præterita. Primùm, quia poteſt Deus illud omne quod non implicat contradictionem: atqui non implicat contradictionem præterita non eſſe præterita, cùm doceat fides Catholica corpora humana eſſe eadem reparanda in die iudicij.

Deinde, quodlibet accidens commune poteſt ſeparari à ſuo ſubiecto per omnipotentiam diuinam; at præteritum eſt accidens commune reſpectu cuiuſlibet naturæ ſubſtantialis.

Tertiò, Quemadmodum ſe habet futurum ad futurum; ità ſe habet præteritum ad præteritum: at poteſt Deus facere ne futurum ſit futurum; nihil enim prohibet quominùs Deus faciat ne Antichriſtus v. g. ſit vſpiam in naturæ vniuerſitate.

Denique, eadem eſt potentia Dei nunc, quæ fuit heri, reſpectu cuiuſlibet effectus, at antequàm produceret hunc effectum poterat non producere & producere: ergo poterit nunc idem.

Non poteſt Deus facere vt præteritũ non ſit præteritum. CONCLVSIO 1. *Non eſt in poteſtate Dei facere vt præterita, non ſint præterita.*

Notabile. Aduerte aliud eſſe quærere, An poſſit Deus facere vt res præterita non ſit præterita, & aliud vt præteritum non ſit præteritum: De primo nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm fides Catholica doceat Chriſtum pleroſque ſuſciraſſe, & præterea ſuſcitaturum in die iudicij omnes omnino homines qui fuerunt, eoſdem numero. Tota ergo diſputatio eſt de 2. An, ſcilicet poſſit Deus facere, vt præteritum quà tale, non ſit præteritum.

Hieron. Hoc ità conſtituto: probatur Concluſio. Primùm, ex Hierony. in epiſt. ad Euſtochiũ. *Audenter*, inquit, *loquar, cùm Deus omnia poſſit, virginem poſt ruinam ſuſcitare non poteſt*, id eſt nequit facere vt virgo hæc non fuerit corrupta, & Anſelmo lib. 2. cur Deus homo, cap. 17. *Cùm Deus facit aliquid, poſtquam factum eſt, iam non poteſt non eſſe factum: ſed ſemper verum eſt factum eſſe.* Idem docet Auguſtinus in lib. contra Fauſtum Manich. & D. Thom. hoc loco & communiter Sententiarij in 1. diſt. 44. & Ariſtotel. lib 4. Ethicorum cap. 1. *Factum, (*inquit,*) non contingit non eſſe factum.* Anſelm. D. Auguſt. D. Thom.

Deinde ratione: Per nullam potentiam fieri poteſt vt album, quatenus album, non fit album; quidquid enim eſt, quatenus eſt, neceſſariò eſt, ac proinde, quidquid eſt album vt album, neceſſariò eſt album: ergo per nullam potentiam fieri poterit vt præteritum non ſit præteritum, nam tam bene præteritum includit præteritum, quàm album, vt album, dicat album.

Solutio argumentorum. Ad rationes verò authorum prioris ſententiæ reſp. Ad 1., probare tantùm rem præteritam poſſe eandem numero reparari, quod nos vltrò concedimus, minimè verò præteritum deſinere eſſe præteritum, quod tamen oportuit oſtendere, cùm dubitatio hæc intelligatur non de re præterita, ſed de præterito vt ſic.

1.

Ad 2.

Digitized by Google

2. Ad 2. præteritum eſſe accidens commune reſpectu rei quæ præterijt, non autem reſpectu præteriti; eadem quippe ratione loquendum eſt de præterito, qua de futuro: futurum autem non eſt accidens reſpectu futuri, vt talis, ſed eſt idem planè formaliter; ità etiam præteritum comparatum cum præterito vt ſic, eſt de intrinſeca ratione præteriti, non autem accidens eiuſdem.

3. Ad 3. quemadmodum ad 2. Sunt enim in præterito duo diſtinguenda, vnum materiale, nempe res præterita, aliud formale, nimirum præteritio ipſa, vt in futuro res futura, & futuritio: poteſt autem Deus impedire ne res futura de facto ponatur extra ſuas cauſas; nequit tamen præſtare vt futuritio non ſit futuritio.

Vlt. Ad vltimam, Reſp. Deum retinere eamdem poteſtatem ad reparandam rem præteritam, cum ea per quam primò produxit eamdem, non tamen poſſe facere ne res iſta fuerit in tempore præterito.

ARTICVLO 5. Quærit ſanctus Thomas, An Deus poſſit facere quæ non facit, reſpondet affirmatiuè, & quidem meritò; diximus enim in antecedentibus ex Luc cap. 3 quòd Deus poſſit ſuſcitare filios Abrahæ ex lapidibus exiſtentibus in ripa fluuij Iordanis; quod tamen hactenus non fecit.

Deinde, docet Diuus Thom. art. proximè ſequente, Deum quacumque re creata poſſe producere perfectiorem in infinitum.

Tertiò, diximus Deum longè plura poſſe quàm velit actu.

Quartò, in die Iudicij iudicaturus eſt Chriſtus quoſlibet homines mortuos, 1. Theſſal. 4. 2. Corinth. initio, & Matth. 25.

Denique eadem facilitate poteſt Deus producere plures mundos, qua mundum viſibilem effinxit: de facto tamen numquam producet iſtos mundos.

ARTICVLVS VLTIMVS.

An Deus poſſit facere meliora ijs quæ fecit.

DVBITATIO PRIMA.

An in poteſtate Dei ſit facere meliora quoad quidditatem & rationes formales, quàm quæ hactenus effecit.

Aliqua ratione non poteſt Deus facere ſubſtantiam meliorem.

CONCLVSIO. *Non poteſt Deus ſubſtantias aliquas ſecundum proprias quidditates & rationes formales, quas fecit, facere meliores.* Primùm, quia quidditates iſtæ, & rationes formales ſunt poſitæ in indiuiſibili & impartibili.

Deinde, quia ex doctrina Ariſtotelis ſunt iſtæ ſimiles numeris; ac proinde quemadmodum numerus variatur addito numero vnitati, ità variaretur ſpecies ſubſtantiæ, ſi ei aliquid adderetur ſecundum ſuam rationem formalem.

Tertiò, Species iſtæ ſubſtantiales nec intenduntur, nec remittuntur, nec habent contrarium: atqui additio perfectionis præſupponit intenſionem, & detractio remiſſionem. Ità D. Thom. & interpretes eiuſdem fere omnes hoc loco.

Subſtantia poſſunt perfici accidentariò.

CONCLVSIO 2. *Subſtantiæ creatæ poſſunt meliorari & perfici perfectione aliqua accidentaria.* Primùm, quia fides docet homines, & Angelos ordinatos eſſe in vitam æternam, tanquam in finem ſupernaturalem eiſdem animis debitum naturaliter.

Deinde fuerunt & iſti creati in gratia gratum faciente.

Tertiò, inter homines alij alijs ſunt maiores, alij ſubtiliores, & ſic de alijs.

Denique nihil repugnat quominus ſubſtantia quælibet recipiat in ſe accidentia communia: de nouo ergo poteſt Deus res meliores efficere.

Accidentia poſſunt perfici.

CONCLVSIO 3. *Accidentia ſaltem aliqua poſſunt perfici diuina virtute, quoad proprias quidditates & rationes formales.* Primùm, quia inter accidentia dantur aliqua quæ intenduntur & remittuntur, vt conſtat ex frigiditate, calore, & ſimilibus.

Deinde, intenſio hæc fit per additionem gradus ad gradum.

Tertiò, Charitas dicitur maior in ſacris literis nedum quatenus comparatur cum fide & ſpe, ſed etiam cum proprio ſubiecto, vt manifeſtè colligitur ex verbis Chriſti: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ioann. 15. verſ. 13.

Dices calorem vt duo, tam verè eſſe calorem quàm ſit calor vt octo; ego formæ iſtæ non perficiuntur ſecundum proprias quidditates. Reſp. conceſſo antecedente, negando conſecutionem: dantur enim plures gradus caloris in calido vt octo, quàm in calido vt duo; ac proinde aduenit noua quædam entitas calori qui tranſit à duobus gradibus ad tres, vel quatuor. Confirmatur hoc ex eo, quòd doceant plerique propoſitionem iſtam Ariſtotelis, Naturæ rerum ſunt ſimiles numeris, quibus ſi aliquid addatur variatur ſpecies, intelligendam eſſe de ſolis ſubſtantijs, non autem de quibuſuis accidentibus.

DVBITATIO SECVNDA.

An data qualibet re creata poſſit Deus producere perfectiorem in infinitum.

CONCLVSIO affirmatiua. Primùm, quia diximus potentiam productiuam Dei eſſe infinitam, cuius obiectum eſt poſſibile quodcumque. Secundò, quia res quælibet creata in ſe verè finita eſt, ac proinde nequit eſſe ratio adæquata reſpondens perfectiſſimè omnipotentiæ diuinæ. Ità D. Thom. & interpret. eiuſdem omnes hoc loco, Sententiarij verò in 1. diſt. 44. alij in 2. diſt. 1.

Dices, Si reſponſio hæc eſſet vera, ſequeretur Deum poſſe producere infinitum, cuius tamen oppoſitum docet D. Thom. q. 19. huius partis.

Reſp. negando illationem, tantùm enim probat data quacumque re creata poſſe Deum producere perfectiorem in infinitum; res tamen producta vltimo loco non eſſet infinita: tum quia eſſet creata, tum quia ei addi aliquid poſſet vel ſecundum propriam quidditatem, vel certè extrinſecè; tum etiam, quia non haberet in ſe omnes omnino rerum perfectiones, quod tamen eſt neceſſarium ad hoc vt aliquid ſit infinitum actu.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXVI.

De beatitudine Dei.



RTICVLO 1. docet D. Thom. beatitudinem maximè Deo competere. 2. eam esse illi attribuendam secundũ intellectum 3. tradit beatitudinem obiectiuam beatorum esse Deum: formalem verò esse quid creatum in ipsis beatis, increatum autem respectu Dei. 4. Quidquid est perfectionis in omni alia beatitudine, id totum contineri eminentiùs in Dei beatitudine. Quæ pertinent ad hanc q. facile intelligentur ex ijs quæ trademus ad 1. 2. q. 2. de beatitudine in communi.

DVBITATIO VLTIMA

Quæ pertinet ad omnia attributa diuina, de quibus hactenus diximus.

Quæritur ergo, An, & qua ratione attributa ista diuina distinguantur inter se.

Notabile. ADVERTE, nomine attributi diuini significari hoc loco perfectionem aliquam absolutam Dei, quam nos concipimus aduenire essentiæ diuinæ ad modum alicuius formæ adiacentis.

Attributa diuina non distinguuntur realiter. CONCLVSIO 1. *Attributa diuina non distinguuntur inter se realiter.* Quæ enim hac ratione distinguuntur, ab inuicem separata existere possunt, hoc autem dici nequit de attributis absolutis Dei.

Deinde, in diuinis omnia sunt vnum & idem realiter & formaliter, nisi vbi interuenit oppositio relationis, at inter attributa diuina absoluta nulla datur oppositio, sed tantùm inter relatiua, vt probabitur in tractatione de Trinitat.

Tertiò, si aliter res haberet, admittenda esset compositio realis in Deo, consurgeret enim ex multis istis attributis distinctis inter se realiter.

Aliquorum effugium præcluditur. Respondent aliqui negando illationem maioris; credunt enim compositionem numquam consurgere, nisi positis partibus multis in aliquo, aut certè nisi ponatur aliquid per modum actus & potentiæ.

Cæterùm hæc responsio nihil dicit, Christus enim vere compositus est, & tamen verbum quod componit Christum cum humana natura nec est pars, nec actus, nec potentia, vel respectu sui, vel humanitatis, sed est secunda persona Sanctissimæ Trinitatis.

Attributa non distinguuntur formaliter. CONCLVSIO 2. *Attributa diuina non distinguuntur inter se formaliter.* Quæ enim distinguuntur formaliter, de se inuicem minimè enũciantur, vt est per se notum ex animalitate & rationalitate in homine; at de fide est attributa absoluta diuina de se inuicem prædicari veriſſime, vt definitum fuit in Concil. Rhemensi sub Eugenio III. dicitur enim illic propositiones istas esse veriſſimas: *Sapientia Dei est bonitas eiusdem*, & e contra, *Bonitas est sapientia.* Deinde, ità docent Dionysius de diuinis nominibus cap. 8. Origenes lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 2. D. Augustin. lib. 5. de Ciuitate, cap. 10. & lib. 21. & in epist. ad Volusianum. *Rhemen.* *Dionys.* *Origen.* *D. August.*

CONCLVSIO 3. *Attributa ista non distinguuntur inter se sola ratione ratiocinante*; ita enim solo nomine distinguerentur, aut certè tota distinctio repetenda esset ex parte intellectus nostri, quod tamen dici non potest, cùm de fide sit verbum produci à patre per intellectum, & non per voluntatem ante omnem cogitationem nostram. *Nec ratione ratiocinãte.*

CONCLVSIO 4. *Attributa ista distinguuntur inter se ratione ratiocinata*, ita docent Sanctus Thom. q. 7. de veritate, art. 6. & opusculo 4. q. 12. & 13. & in 1. dist. 2. q. 1. art. 2. & 3. Vazq. Suar. & Gillius, & Ægidius de Præsentatione q. 8. 9. & 10. lib. 5. in 1. 2. Sancti Thom. *Sed rationi ratiocinatæ.*

Accedit ratio. Ea distinguuntur ratione ratiocinata quæ catenus concipiuntur à nobis, vt numquam secundùm se tota proponantur intellectui nostro, sed tantùm prout intelliguntur & concipiuntur à nobis; certum autem est attributa diuina absoluta non intelligi à nobis prout sunt in seipsis à parte rei; ita enim sunt idem omnibus modis cum diuina essentia. Denique, non distinguuntur inter se realiter, nec formaliter, nec ratione ratiocinante tantùm: ergo debent distingui ratione ratiocinata.

Obijciunt Scotistæ, iustitiam & misericordiam reperiri in Deo formaliter: ergo admittenda est distinctio formalis in Deo; nam iustitia, vt sic vlciscitur peccata; minimè verò misericordia, sed subleuat miseriam alicuius, vt sic. *Obiectio.*

Resp. concesso antecedente, negando consecutionem, nam misericordia & iustitia considerantur, & vt sunt intrà diuinam essentiam, & vt concipiuntur à nobis: Posteriori modo distinguuntur inter se, quatenus concipiuntur à nobis conceptu præcisiuo: ità enim conceptus vnius distinguitur à conceptu alterius, vt constat ex ratione adducta in confirmationem consequentis. Priori verò modo iustitia & misericordia sunt vna res simplicissima, imò nec realiter, nec formaliter distinguuntur, sed de vna & eadem numero entitate reali & formali concedendum est, quòd puniat & quòd miseriam alicuius subleuet, cum hoc tamen discrimine quòd entitas hæc puniat, vt subit rationem iustitiæ: subleuet verò miseriam, vt consequitur rationem misericordiæ. Hoc autem competit isti entitati propter summam infinitatẽ, quam habet in omni ratione entis, & propter summam identitatem, & simplicitatem quæ in ea reperitur. *Solutio.*

Vrgent, de fide esse ante omnem intellectus nostri operationem concedendum esse de Patre, quòd producat filium per suum intellectum, & non per voluntatem; de Patre & Filio, quòd producant Spiritum Sanctum per suam voluntatem, minime verò per intellectum: ergo distinguitur intellectus à voluntate plusquam ratione ratiocinante. *Replica.*

Resp. hoc argumento tantùm probari ante intellectus nostri operationem dari intra diuinam eſſentiam fundamentum alicuius distinctionis, nõ quidem formale, vel reale, sed tantùm virtuale, fundamentale, materiale, aut, vt alij rectiùs multò loquuntur per non repugnantiam; ità vt ex illo antecedente solum colligere liceat non repugnare diuinæ essentiæ quod concipiatur à nobis varijs & distinctis conceptibus, & distinctionem illam *Dissoluitur.*

Digitized by Google

iſtam non fundari tantùm in noſtro intellectu, ſed in ipſamet diuina eſſentia, quæ licèt in ſe ſit vna, & quàm maximè indiuiſa, poteſt tamen à nobis concipi veluti diſtincta & diuiſa.

Inſtant, perſonas diuinas conſtitui relationibus. Reſp. conſtitutionem iſtam nec eſſe realem, nec formalem; ſed tantummodo per rationem & ſecundum noſtrum modũ concipiendi: conſtitutio autem per rationem non inducit diuerſitatem vel realem, vel formalem, vt fatentur etiam authores contrariæ ſententiæ.

Attributa ab eſſentia ratione diſtinguũtur. Concil. Rhemenſ.

CONCLVSIO VLTIMA. *Attributa abſoluta diuina non diſtinguuntur realiter, nec ſo maliter ab eſſentia diuina, ſed ſola ratione ratiocinata:* hæc videtur definita in Concil. Rhemenſi contra Gilbertum Porretanum. Deinde, aſſeritur verbis expreſſis à Patribus, aiunt enim propoſitiones iſtas eſſe veriſſimas: *Deus eſt ſua deitas*, & contra: *Deitas eſt bonitas, ſapientia eſt bonitas*, & ſic de aliis: ità D. Auguſt. lib. 5. de Trinit. can. 5. cap. 7. 10. & 11. *Sicut*, inquit, *Trinitas vnus Deus dicitur, magnus, bonus, æternus, omnipotens; idémque ipſe ſic ſua poteſt dici deitas, ipſe ſua magnitudo, ipſe ſua bonitas.* & Anſel. in monologio cap. 16. Boëtius lib. 2. de Trinitat. §. ſi igitur interroges.

D. Auguſt. Anſelm. Boëtius.

Accedit ratio: omne conſtitutiuum debet eſſe de integra ratione conſtituti; atqui attributa eſſentialia diuina conſtituunt naturam & eſſentiam diuinam intrinſecè & eſſentialiter: nam cùm eſſentia diuina ex ſe & vt ſic, ſit ſimpliciter infinita, vendicat quoque ſibi omnem omnino perfectionem, ac proinde quodlibet attributum abſolutum diuinum. Denique, omne attributum diuinum abſolutum, eſt ſimpliciter infinitum: ergo vnum includitur in conceptu formali alterius, infinitum quippe cenſetur eſſe illud extra quod nihil eſt. Vide plura de iſtis apud Ægidium locis ſupra citatis.

Atque hæc de Deo, vt vnus eſt.

QVÆSTIO XXVII.

De proceſſione diuinarum perſonarum.

HÆc eſt ſecunda pars huius primæ partis, in qua abſolutis quæ ad Deum, vt vnus eſt, pertinere videbantur, de eodem ab hac quæſt. 27. ad 43. incluſiuè, qua trinus eſt ſermonem inſtituit ſanctus Thomas.

ARTICVLVS PRIMVS.

An in Deo detur proceſſiones.

Error Sabellij. SABELLIANI, ſeu quod idem eſt, Patropatiani in eo fuerunt errore, referente Epiphanio hæreſi 62. D. Auguſtino, Prateolo, Alphonſo à Caſtro, & aliis nõnullis, vt crediderint in diuinis dari vnam tantummodò perſonam quæ dicitur interdum Pater, aliàs Filius, aliàs Spiritus ſanctus: idque quòd hæc perſona res iſtas omnes produxerit. Deinde, quòd humanam naturam in tem-

pore aſſumpſerit. Denique, quod creaturam quamlibet rationalem ſanctificauerit, ac proinde negarunt proceſſiones diuinas, cum Iudæis, & omnibus omnino Ethnicis.

Fundamenta. Argumenta iſtis omnibus communia ſunt hæc. 1. Si darentur in diuinis proceſſiones multiplicarentur eſſentiæ diuinæ; neque enim fieri poteſt vt aliquid producatur intrà Deum, quod non ſit Deus: at eſſentiæ diuinæ repugnat multiplicari; repugnat enim dari plura prima principia. Cõfirmant: Vbicumque ponitur producens, & productum, illic quoque admittenda eſt diuerſitas, & diſtinctio realis; neque enim fieri poteſt, vt idem ſeipſum producat: at admittuntur proceſſiones in diuinis per quas producantur aliqua, & quæ neceſſariò præſupponunt producentem aliquem: ergo. Confirmant 2. Intrà Deum non poteſt dari cauſans & cauſatum, idque propter ſummam identitatem & ſimplicitatem, quam dicit eſſentia diuina: ergo neque producens & productum. 2.

Deinde, ſi quæ eſſet ratio propter quam admittendæ eſſent proceſſiones in diuinis, hæc maximè eſſet, quòd dentur in Deo Pater, filius, & Spiritus ſanctus inter ſe realiter diſtincti, at hæc ratio eſt planè nulla: fatentur enim omnes Catholici perſonas Patris, filij, & Spiritus ſancti eſſe idem realiter & formaliter cum diuina eſſentia. Ex hoc autem fundamento ſequitur falſum axioma communiſſimum apud Logicos, Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. 3.

Denique, admiſſis proceſſionibus in diuinis deſtruitur ratio ſyllogiſmi iſtius expoſitorij: Concluſio quippe huius argumenti falſa eſt: Hæc eſſentia diuina eſt Pater, hæc eſſentia diuina eſt filius: ergo filius eſt Pater: hæc Concluſio eſt manifeſtè falſa, ex doctrina Theologorum omnium: diſtinguitur enim Pater à filio realiter & è contra: ergo cùm ratio cõcludendi ſyllogiſmi expoſitorij ſit neceſſaria, non erunt admittendę proceſſiones in diuinis.

Proceſſiones admittendæ in diuinis. CONCLVSIO. *Proceſſiones admittendæ ſunt neceſſariò intrà diuinam eſſentiam.* Hæc eſt de fide, in ſacris namque litteris dicitur verbis expreſſis filium procedere & exire à Patre, Ioan. 8. *Ego ex Deo proceſſi*, loquitur autẽ illic Chriſtus, & idem 16. *Exiui*, inquit, *à Patre & veni in mundum*, & de Spiritu ſancto, Ioan. 15. legitur: *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ioann. 8. verſ. 42. Idem 16. verſ. 28. Idem 15. verſ. 26.

Deinde, illud idem habetur in Symbolis Concilij Conſtantino p. l. *Qui ex Patre, filióque procedit.* & Athanaſij: *A Patre eſt non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Symbol.

Tertiò. Hæc Concluſio definita eſt verbis expreſſis in Concil. Nicæno I. Conſtantinopolit. I. Epheſino I. & Chalcedonenſi I. Quibus non aliter quàm quatuor Euangeliis decernit Gregor. Magnus fidem eſſe adhibendam.

Quartò, Sancti Patres verbis perſpicuis docent eſſentiam diuinam eſſe ter ſubſiſtentem Trinitatem, non ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm perſonas, & filium eſſe ſapientiam genitam: ità Dionyſius de diuinis Nominibus, & cap. 3. de myſtica Theologia, Iuſtinus in expoſitione fidei, Anaſtaſius Sinaita lib. 1. de rectis fidei dogmatibus, qui extat tomo 1. Bibliothecæ veterum Patrum. D. Auguſtinus lib. 2. de Trinitat. cap. 1. & lib. 4. cap. 2. & lib. 5. cap. 6. & tractatu 19. in Ioan. & de cognitione veræ vitæ cap. 14. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 5. Irenæus lib. 1. de hæreſibus, cap. 48. & interpretes ſancti Thom. hoc loco. Dionyſ. Iuſtinus. D. Auguſt. Cyrillus. Irenæus.

Accedit ratio probabilis, vbicumque datur intellectio & item volitio simpliciter infinita, illic quoque admittenda est processio productiua Verbi & amoris; Verbum enim mentis per intellectionem producitur, quemadmodum & amor per volitionem: atqui intrà Deum datur vera & realis intellectio; itémq; volitio (quis enim negabit Deũ intelligere se, & alia omnia à se; item Deũ amare seipsum, & cetera omnia quæ habent rationẽ boni?) ergo dabitur etiam intra Deum, Verbum, & amor, ac proinde processiones aliquæ.

Dixi autem rationem istam esse probabilem: quia non est demonstratiua Conclusionis nostræ; diceimus enim in sequentibus mysterium Trinitatis non posse vllo planè ratione naturali demonstrari, sed tantummodò credi fide diuina vel humana; supposita tamen reuelatione diuina.

1. Deinde, quilibet ex Ethnicis philosophis responderet illic dari Verbum & amorem vbicumque datur intellectio & volitio, si res quæ intelligit & vult sit capax receptionis alicuius perfectionis de nouo: Deus autem cùm sit actus purissimus, & incapax receptionis cuiuslibet perfectionis de nouo, & cùm sit simplicissimus excludit omnem omnino distinctionem realem, aut etiam formalem, quam tamen supponit Verbum & amor, quando producuntur per intellectionem & volitionem in intelligente, & volente.

In Deo non datur tantum vna persona. 1.

CONCLVSIO 2. *In Deo non datur vna tantùm persona, quæ dicitur Pater hoc nomine, quòd res omnes creatas produxerit; Filius, quòd carnem humanam assumpserit; & denique Spiritus sanctus quòd creaturam rationalem sua bonitate sanctificauerit, vt voluerunt Sabellius & Patropatiani.* Hæc etiam est de fide, dicitur enim 1. Ioann. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

1. Ioann. 5. vers. 7.

2. Deinde, sancti Patres, verbis manifestis habent aliam esse personam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus sancti, & quidem ità vt vna distinguatur realiter ab alia, sic enim loquitur D. Augustinus in lib. de Trinitat. cap. 4. *Qui Pater est in illa Trinitate non est Filius, qui Filius est in illa Trinitate non est Pater: qui Spiritus sanctus est in illa Trinitate, nec Filius, nec Pater est, sed Spiritus Patris, itémque Spiritus Filij; ipse est enim vnus Spiritus sanctus & Patris & Filij coæternus Patri, & Filio consubstantialis, & item æqualis:* & rursus. *In qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamuis personaliter sit alius Pater, alius Filius, & alius Spiritus sanctus.*

D. August.

3. Tertiò, de fide est solum Filium, minimè verò Patrem & Spiritum sanctum esse incarnatum: ergo de fide est dari plures personas in diuinis realiter distinctas.

Vt. Concilij Romanũ Constant.

Denique, hæc Concluſ. definita est in Concil. Romano sub Syluestro I. huius nominis Pontifice Romano, & in Constantinopol. V.

Dissolutio argumentorum.

Ad rationes verò contrarias. Respond. Positis processionibus intrà diuinam essentiam, non propterea multiplicari essentias, seu deitates; sed tantummodo personas diuinas; processiones quippe habent pro termino personas productas, non autem essentiam, seu deitatem: fatentur enim omnes cum Magistro dist. 5. lib. 1. essentiam, nec producere, nec produci; nec generare, nec generari; sed tantummodo solas personas Filij, & Spiritus sancti produci, personam verò Patris producere Filium, & item Patrem & Filium producere Spiritum sanctum.

Ad confirmationem verò primam, & secundam. Resp. illic multiplicari essentias, vbicumque datur producens, & productum non quidem quælibet; sed vbi datur producens & productum per veram causalitatem & efficientiam; intrà diuinam essentiam autem datur producens & productum, non tamen per veram efficientiam & causalitatem: Pater enim non est causa Filij, sed principium tantum eiusdem: Pater & Filius, non sunt item causa Spiritus sancti, sed tantùm principium productiuum eiusdem, & adhuc non per veram efficientiam, sed per solam processionem, vt pluribus explicabitur inferiùs: ac proinde non multiplicantur deitates, neque item essentiæ diuinæ per processiones ad intrà; sed tantummodo personæ diuinæ.

Producens, & productũ per veram causalitatẽ multiplicat essentias, minimè verò per solã processionẽ.

Ad 2. rationem. Respond. propterea processiones admitti intrà diuinam essentiam, quòd intrà eamdem dentur personæ Patris, Filij, & Spiritus sancti inter se realiter distinctæ, quæ sinè istis processionibus, nec intelligi, nec esse possunt. Ad id quod dicitur personas istas identificari perfectissimè cum essentia diuina: dico hoc esse indubitatum; non enim datur vlla planè distinctio realis, aut formalis inter personas diuinas, & essentiam, sed sunt vna res simplicissima. Ad id verò quod subiungitur, ex hoc documento destrui principium communissimum apud omnes Philosophos. Quæ sunt eadem vni tertio, esse quoque eadem inter se. Respondent plerique recentiores & veteres Scholastici, propositionem istam habere locum tantùm in rebus creatis, non autem in increatis, cuius generis sunt personæ diuinæ, & essentia diuina.

2.

Axioma philosophorum in scholis receptissimum.

Ceterùm, licèt hæc responsio inter Catholicos facillimo negotio admittatur; Religio quippe Catholica docet multa quæ videntur esse quodammodo contraria principijs naturaliter nobis notis: putà, *Quòd accidentia sanctissimi sacramenti sint sinè subiecto: Quòd humanitas Christi subsistat subsistentiâ increatâ non antè creata; Quòd ex nihilo factus fuerit mundus,* & sic de aliis nonnullis: Nõ est tamẽ apud Ethnicos, & Iudæos vlla ratione adducenda, ne deterreantur ab acceptatione, & professione fidei Christianæ, dum audiunt negare nos principia notissima, & communissimà apud omnes Philosophos.

Quæ cõmunissima sunt philosophis principia à Theologis nõ raro negantur.

Respond. ergo 1. cum sancto Thom. quæ sunt eadem vni tertio esse eadem inter se, si fuerint hæc eadem vni tertio realiter, formaliter, & ratione ratiocinata: Iam verò Pater, Filius, & Spiritus sanctus distinguuntur ratione ratiocinata ab essentia, ac proinde non erunt idem inter se simpliciter, & absolutè.

Varia prædicti axiomatis interpretatio, seu responsio. 1.

Scotus verò respondet, quæ sunt eadem vni tertio esse eadem inter se, non quidem simpliciter, & absolutè, sed sub ea tantùm ratione, qua sunt eadem vni tertio. 2.

Alij denique respondent; quæ sunt eadem vni tertio esse eadem inter se, si fuerint eadem vni tertio, adæquatè, & conuertibiliter; persona autem Patris, filij, & Spiritus sancti non sunt idem vni tertio, nempe essentiæ diuinæ adæquatè, & conuertibiliter: nam essentia diuina latiùs patet persona Patris seorsim sumpta, & item persona filii, itémque Spiritus sancti; nam essentia diuina est verè Pater, & tamen Pater, non est filius, aut Spiritus sanctus: ità Thomas Argentinensis, & alii nonnulli recentiores. 3.

Ad

Ad vltimam reſpond. ſyllogiſmum illic poſitum non eſſe expoſitorium, ac proinde rectè negari conſequutionem eiuſdem: ad hoc enim vt ſyllogiſmus aliquis ſit expoſitorius deſideratur, vt ſubiectum illius ſit res aliqua individua, & ſingularis. Deinde, quod ſit ità res vna ſingularis, vt pluſquam modo ſit plures res. Denique, vt extrema illius æquè late pateant; ità vt detur perfectiſſima æqualitas inter illa. Ità Bannez hoc loco, & plerique alij recentiores.

Eſſentia autem diuina quæ eſt medium iſtius ſyllogiſmi, licèt ſit vna individua, & ſingularis, virtute tamen & eminenter cenſetur eſſe varia, & multiplex: dantur enim verè in ea tres perſonæ, quæ ab inuicem diſtinguuntur realiter, licèt identificentur perfectiſſimè cum eſſentia. Certum eſt etiam eſſentiam latiùs patere perſonis Patris, & Filij, quæ ſunt extrema eiuſdem ſyllogiſmi, ac proinde deſinit hic ſyllogiſmus eſſe expoſitorius, negandaque meritò eſt conſequentia, conceſſis ambabus præmiſſis.

DVBITATIO SECVNDA.

An dentur plures in diuinis proceſſiones.

SVAREZ cap. 9. lib. 1. de Trinit. & alij nonnulli recentiores referunt Raimundum Lullium in eo fuiſſe errore, vt crediderit vnam tantùm dari in Deo proceſſionem, idque quòd in Deo detur vna tantùm virtus; ſeu ratio communicandi ſuam perfectionem, & bonitatem ad intrà. Confirmat. Omnis proceſſio, quæ datur in Deo vel eſt ſecundum intellectum tantùm, vel ſecundum intellectum & voluntatem ſimul; atqui intellectus & voluntas in Deo nec realiter, nec formaliter diſtinguuntur: ergo vna tantùm erit in Deo proceſſio.

Non vna, ſed plures in Deo ſunt admittendæ proceſſiones.

CONCLVSIO. *In Deo concedendæ ſunt neceſſariò plures proceſſiones.* Primùm, quia illic multiplicantur neceſſariò proceſſiones, vbicumque dantur plures termini producti realiter inter ſe diſtincti (conuenit enim inter omnes productiones multiplicari iuxta multiplicationem terminorum productorum) atqui intrà diuinam eſſentiam, Filius, & Spiritus ſanctus verè producuntur & diſtinguuntur inter ſe realiter: ergo dantur plures proceſſiones.

Confirmatur. Filius producitur per intellectionem Patris, vt eſt intellectio Patris; Spiritus verò producitur per voluntatem Patris, & Filij, vt Pater & Filius conſequuntur rationem vnius ſpiratoris: ergo concedendæ ſunt in diuinis duæ proceſſiones. Ità ſanctus Tho. art. 5. huius quæſt. & eius interpretes, & Sententiarij omnes, nullo planè diſcrepante, diſt. 5. lib. 1. Sententiarum.

Soluuntur rationes.

Ad rationes verò Lullij. Reſp. illic dari vnam tantummodò proceſſionem vbi datur vna tantùm virtus communicandi bonitatem, & perfectionem propriam, quando virtus iſta communicandi eſt ſimpliciter vna & in ſe nullo modo varia, & multiplex; Deus verò virtus communicandi diuinam eſſentiam ad intrà, licèt realiter, & formaliter ſit vna entitas indiuiſa, & impartibilis, virtute tamen, & quodammodo eminenter eſt varia, & multiplex: ac proinde reſpondet duabus virtutibus diſtinctis realiter in rebus creatis communicandi ſuam perfectionem, idque propter ſummam infinitatem, quam habet eſſentia diuina. Neque hoc mirum alicui videri debet, nam vna, A numero anima rationalis producit effectus formales animæ vegetantis, & ſentientis in homine, & nihilominus anima vegetans, & ſentiens, non ſunt in anima rationali ſecundum ſuas proprias, & peculiares quidditates; ſed virtute, & eminenter tantùm ex veriori ſententia. Item vna & eadem numero vis ſolis liquefacit ceram, & indurat terram: ità vna & eadem numero vis communicandi eſſentiam diuinam intrà Deum, ipſum producit filium, & item Spiritum ſanctum, idque quòd hæc ſit multiplex virtute, & quaſi eminenter. Ex iſtis reſpondetur etiam confirmationi argumenti Lullij.

Replica.

Inſtabis, virtutem illam communicandi eſſentiam diuinam intrà Deum eſſe ſimpliciter infinitam, & operati neceſſariò: ergo quemadmodum in ſe eſt vna, & impartibilis, attinget quoque vnum tantummodo terminum.

Soluitur.

Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſequutionem; nam virtus iſta communicandi diuinam eſſentiam intrà Deum licèt ſit vna, & indiuiſa realiter, & formaliter, eſt tamen duplex virtute, nam & eſt intellectus, & præterea voluntas formaliter, & intrinſecè, ac proinde vt eſt intellectus, attingit ſolum Verbum, quod vere eſt infinitum ſimpliciter, quemadmodum & intellectio iſtius intellectus Patris eſt ſimpliciter infinita: quatenus verò hæc virtus eſt voluntas, non quidem ſimpliciter, ſed voluntas Patris, & Filij ſimul, producit Spiritum ſanctum tam verè infinitum, quàm ſit voluntas Patris, & Filij, & volitio eorumdem: dantur ergo hìc duæ proceſsiones neceſſariò diſtinctæ realiter, in ordine tamen tantùm ad terminos productos per huiuſmodi proceſsiones.

Dixi autem proceſsiones iſtas neceſſariò admitti intrà Deum, quia quidquid eſt in Deo, Deus eſt; Deus autem eſt ens ſimpliciter neceſſarium. Confirmatur. Myſterium ſanctiſsimæ Trinitatis eſt de intrinſeca ratione deitatis, ac proinde tam neceſſarium eſt, quàm deitas ipſa: at myſterium nec eſſe, nec intelligi poteſt ſinè proceſsionibus: ergo proceſsiones in Deo ſunt admittendæ neceſsariò.

DVBITATIO TERTIA.

An de proceſsionibus iſtis concedendum ſit, quòd ſint actiones, vel productiones propriè dictæ.

DICO 1. *Nomen actionis ſumptum quemadmodum vſurpatur communiter apud philoſophos non poſſe dici de diuinis proceſſionibus.* Primùm, quia omnis actio apud philoſophos vel eſt tranſiens, ſeu prædicamentalis; vel immanens, ſeu grammaticalis: at proceſſiones diuinæ non poſſunt dici actiones immanentes, aut tranſeuntes, vnde neque grammaticales; de ratione quippe actionis ſiue immanentis, ſiue grammaticalis eſt, quòd ſit quædam qualitas, quòd recipiatur in potentia à qua producitur; & quòd producatur per veram cauſalitatem, & efficientiam: de proceſſionibus autem diuinis non licet affirmare, quod ſint qualitates, minus quod recipiantur in ſubiecto, & adhuc multo minus quod producantur per veram cauſalitatem, & efficientiam: nam actiuè ſpectatæ proceſſiones diuinæ nihil aliud ſunt, quàm relationes paternitatis, & ſpirationis actiuæ, quæ ſunt idem realiter, & formaliter cum eſſentia diuina, omnium conſenſione. Non poſſunt

Nomen actionis in ſenſu philoſophico non competit diuinis proceſsionibus.

Proceſsiones diuinæ non ſunt actiones prædicamentales, nec ità grammaticales.

Digitized by Google

etiam processiones istæ esse actiones transeuntes, A sive prædicamentales; omnis enim actio prædicamentalis est accidens, exit præterea ab agente, vt agens est, & recipitur in patiente, tamquam in subiecto. Cum ergo ratio accidentis, & item ratio subiecti, formaliter loquendo de subiecto, remoueantur a diuinis processionibus; processiones istæ non possunt esse actiones, iuxta modum loquendi philosophorum de actionibus.

Deinde, processiones diuinæ nihil aliud sunt, quàm ipsæmet relationes receptæ à nobis ad modum actionis & passionis, vt author est sanctus Thom. quæst. 41. art. 1. ad 2. huius partis; atqui ex eo quòd res aliqua concipitur ad modum actionis, & passionis, non statim sequitur rem istam B conceptam ad modum actionis, & passionis esse vere & propriè actionem: ergo non sunt actiones prædicamentales.

2. Dictum.

SECVNDO *doceo, nihil repugnare quominùs nomen actionis, dicatur de diuinis processionibus, ea lege, quòd ratio actionis abstrahatur, & separetur ab omni imperfectione, cum qua reperitur in actionibus creatis.* Primùm, quia fatentur sancti Patres, & Theologi scholastici omnes, Filium produci per actum intellectus Patris; Spiritum item sanctum per actum voluntatis Patris, & Filij: at illic datur necessariò actio, & agens vbicumque datur actus propriè dictus: Sunt enim hæc tria relata secundum esse, ex communi doctrina philo- C sophorum: ac proinde se mutuo ponunt & tollunt.

Nomen actionis quadrat processionibus, secretis imperfectionibus, quæ in actionibus creatis reperiuntur.

Deinde, nihil repugnat quominùs ratio actionis separetur ab omni imperfectione, sicut scientia præscinditur ab omni simili imperfectione, at quæst. 14. huius partis docuimus scientiam dici de Deo propriè, abstrahendo tamen ab imperfectione quæ datur in scientia hominum, & Angelorum. Ità communiter interpretes sancti Thomæ hoc loco: ergo &c.

Processiones diuinæ apissimè nuncupantur productiones.

TERTIO *doceo, processiones diuinas propriissimè nuncupari productiones.* Primùm, quia ità docent communiter omnes hoc loco. Deinde, vbi datur propriè producens & productum, illic quoque admittenda est productio propriè dicta, vt D est per se notum; atqui in diuinis dantur propriè producens, & productum: ex Symbolis siquidem Concil. Nicæni, Constantinopolitani, & Athanasij; itémque ex sacris litteris locis prima Dubitatione citatis, indubitatum est personam Patris producere Filium, & personas Patris, & Filij producere Spiritum sanctum, vt consequuntur rationem spiratoris vnius.

Notabile.

Aduerte, ad hoc vt aliquid consequatur rationem productionis veræ, & propriæ, non esse necessariam nouitatem essendi; si enim mundus fuisset ab æterno, caruisset nouitate essendi, & tamen fuisset verè productus; non enim potuit habere esse à seipso, sed debuit necessariò produci ab ente simpliciter infinito, vt docet sanctus Thomas in quæstion. de creatione. Non est item necessarium ad rationem productionis propriè dictæ, quòd sit actio propriè dicta, nam ex multorum philosophorum opinione, creatio est vera productio, & tamen non censetur actio vera secundùm multos, sed tantùm mutatio. Non desideratur præterea ad naturã productionis propriè dictæ, quod per illam producatur aliquid essentialiter distinctum à producente: nam sancti Patres, & omnes Scholastici docent processiones diuinas esse veras productiones, & nihilominùs quod producitur per istas processiones diuinas, non distinguitur essentialiter à producente, sed tantùm personaliter. Dico igitur ad rationem productionis propriè dictæ, sufficere, quòd producatur aliquid vere, & realiter à producente: ac proinde quòd detur, & producens, & productum: item quod producens, & productum distinguantur inter se realiter (ex regula namque D. Augustini lib. 1. de Trinitat. communiter accepta, nihil est quod possit seipsum producere) & denique quod producens sit prior producto, non quidem natura, aut tempore, aut etiam cognitione, sed origine; in processionibus autem diuinis omnes istæ conditiones reperiuntur: per processionem quippe *Filij* producitur *Filius* à Patre, distinctus realiter ab illo: Pater item est prior *Filio* origine, habet enim ortum ab eo *Filius*: imo propter hanc causam Pater nuncupatur fons, & origo personarum sanctissimæ Trinitatis.

Regula cõmunissima D. Augusti.

DVBITATIO QVARTA.

An in diuinis sit admittenda Verbi processio.

CONCLVSIO 1. *affirmatiua*: illic enim datur Verbi processio, vbi est verè & realiter Verbum productum: at in diuinis datur Verbum productum, ex Psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum*, licet enim aliqui velint locum hunc intelligendum esse de eo verbo per quod Deus produxit omnia in tempore, iuxta illud, *Verbo Domini cœli firmati sunt*: D. Pater Augustinus tamen, & plerique alij Patres ad illum locum explicant de Verbo increato, seu (quod idem est) de secunda persona sanctissimæ Trinitatis, de qua dicitur, Esaï. 40. *Verbum autem Domini nostri manet in æternum*: & 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum*, &c. & idem cap. 1. *In principio erat Verbum*. Neque refert quod codices aliqui legant, *In principio erat Sermo*, cùm Concilium Trid. sess. 4. in decreto de libris Canonicis tradat editionem vulgatam in omnibus, & singulis esse retinendam, veluti Scripturam sacram canonicam: editio autem vulgata legit: Verbum, non autem, Sermo. Deinde dictio, *Verbum*, est magis accommodata ad distinguendam secundam personam sanctissimæ Trinitatis, quàm *Sermo*, vox enim hæc complexum quidpiam, & compositum sonat: *Verbum*, autem dicit rem aliquam simplicè, cuius generis est secunda persona Trinitatis.

Esaï. 40. Ioann. 1. Trident.

Ex istis colliges impiissimè errâsse Erasmũ, dum vult legendum esse, *In principio erat Sermo*, minimè vero, *In principio erat Verbum*.

CONCLVSIO 2. *Processio Verbi est per solum intellectum notionalem Patris.* Aduerte nomine intellectionis notionalis Patris, nihil aliud significari, quàm intellectum diuinum identificatum relationi paternitatis, & ad paternitatem contractum, hoc ità explicato. E

Notabile.

Probatur Conclusio. Processio Verbi explicatur in sacris litteris nominibus pertinentibus ad solum intellectum: dicitur enim hæc loquutio, *Psal. 61. Semel loquutus est Deus*, scilicet Pater: interdum vero nuncupatur Sermo, *Sap. 18. Omnipotens sermo tuus Domine*: aliàs conceptio, *Prouerb. 8. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram*, aliàs oris prolatio, *Eccles. 24. Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam*: testimonia autem ista omnia intelliguntur communiter à Patribus de sapientia increata.

Psal. 61. vers. 12. Sap. 18. vers. 15. Prouerb. 8. vers. 22. Eccles. 24. vers. 5.

Deinde,

Deinde, ſancti Patres verbis expreſſis docent Filium produci à Patre per intellectum. Ità D. Auguſt. lib. 5. de Trinitat. cap. 6. 13. & 14. & lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 14. 16. 17. & 18. Baſilius ad cap. 1. Ioann. Irenæus lib. 2. contra hæreſ. cap. 48. & Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioan. cap. 5.

Auguſt. Baſilius. Irenæus. Cyrillus Alexand.

Denique, omnis proceſſio intrà diuinam eſſentiam, aut eſt per intellectum, aut eſt per voluntatem, omnium planè Patrum, & Scholaſticorum cõſenſu; atqui proceſſio Verbi diuini, non eſt per voluntatem; cùm terminus proceſſionis voluntatis diuinæ cenſeatur eſſe amor, vt poſtea probabitur: ergo. Ità D. Thom. art. 3. huius quæſt. & & art. 2. quæſt. 36. & art. 1. quæſt. 37. huius partis.

Argumentum.

Argumenta Arianorum præcipua ſumuntur partim ex illis Scripturæ locis, in quibus dicitur Filium aliqua ignorare, vt Matth. 24. Marc. 13. dicitur de Chriſto, quod neſciat diem iudicij; partim ex illis, in quibus de Patre dicitur quòd ſit ſolus Deus, Ioann. 17. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te*, ſcilicet Patrem, *ſolum verum Deum*; partim ex illis, in quibus dicitur filius Dei creatura, huius generis eſt locus hic, *Ab initio, & ante ſecula creata ſum.* Partim denique Ioann. 14. *Pater maior me eſt.* & 17. *Pater clarifica Filium tuum:* ergo.

Ioan. 17. verſ. 3. Eccleſ. 24. verſ. 14. Ioan 14. & 17. verſ. 1.

Obiectio.

Dices, Verbum in humanis non diſtinguitur realiter ab intellectione per quam producitur: ergo neque diſtinguitur etiam Verbum diuinum realiter ab intellectione Patris.

Propriè dicta actio immanens nihil realiter diſtinctũ extra ſe producit.

Reſp. conceſſo anteced. negando conſequutionem, propterea enim verbum mentis in rebus creatis, non diſtinguitur realiter ab intellectione, per quam producitur, quia verbum hoc producitur per actionem immanentem propriè dictam, de cuius ratione eſt, vt nihil producat extra ſe realiter diſtinctum, ex doctrina Ariſtotelis communiter recepta. Deinde, quia actio immanens diſtinguitur ab actione tranſeunte, quod per hanc producatur ſemper aliquid diuerſum ab agente: per actionem verò immanentem nihil producitur extra agens: ſed debet actio immanens neceſſariò recipi *in eo ſubiecto*, à quo exijt: Verbum autem diuinum non producitur per actionem immanentem propriè dictam, vt conſtat ex dictis, ſed tantũ per intellectionem notionalem Patris, quę non eſt tendẽtia, aut via per quã aliquid producatur, licèt concipiatur à nobis ad modum tendentię, ſed eſt ipſamet paternitas, concepta tamẽ à nobis ad modum actionis in Patre: & paſſiuè eſt idem cum relatione filiationis concepta per modum paſſionis, ac proinde Verbum diuinum diſtingui debet à Patre realiter; dicit enim hoc oppoſitionem perfectiſſimam cum Patre; Pater enim, & Filius ſunt relata inter quæ dari debet oppoſitio. Denique, Filius verè producitur à Patre: ergo cum producens, & productum diſtinguantur realiter, Filius, ſeu Verbum diſtinguetur realiter à Patre, & è contra.

Obiectio.

Dices, ex iſtis colligi potentialitatem admittendam eſſe in diuinis; fatemur enim Filium produci, & accipere ſuam eſſentiam à Patre.

Ratio potentialitatis conſiſtit in carentia alicuius perfectionis quæ alicui aduenire poteſt.

Reſp. negando illationem antecedentis. Ad id verò quod dicitur Filium produci à Patre, & accipere ſuam eſſentiam ab eodem. Dico hoc eſſe de fide, ex iſtis tamen non licet colligere potentialitatem habere locum in Filio; nam de ratione potentialitatis eſt, vt dicat carentiam alicuius perfectionis, quæ ſibi aduenire poteſt, vt communiter obſeruant Theologi hoc loco; in Filio autem nulla datur carentia alicuius perfectionis, neque dari potuit, cùm tam verè ſit hic Deus, quàm Pater, & Spiritus ſanctus.

DVBITATIO VLTIMA.

An terminus proceſſionis in diuinis, ſeu (quod idem eſt) intellectio Patris ſit verus Deus.

Varij errores.

Arius circa ſeculum tertium, & vndecimum annum quarti ſeculi referente Prateolo, Alphonſo à Caſtro, & alijs, qui contra hæreſes ſcripſerunt, docuit Filium non eſſe Deum, ſed creaturam Patris. Idem profeſſi ſunt ſucceſſores eiuſdem, de Spiritu ſancto. Caluinus verò lib. ſuæ inſtitutionis cap. 15. ſec. 13. 19. 23. & 25. docuit Filium eſſe verum Deum, ceterum à ſeipſo, non à Patre. Idem docuit Beza, & alij nonnulli ex ſectatoribus Caluini.

Conclusio 1. *Terminus primæ proceſſionis diuinæ eſt verus Deus, ſeu (quod idem eſt) terminus ſanctiſſimæ Trinitatis produ&ius per intellectionem Patris eſt verus Deus.* Trinitatis hæc eſt de fide, dicitur enim Eſai. 9. de termino iſtius proceſſionis. *Et vocabitur nomen eius admirabilis conſiliarius, Deus, fortis*, &c. & Hierem. 33. *Et vocabitur nomen eius Iehoua.*

1. *Perſona eſt verus Deus.* Eſai. 9. verſ. 6.

Reſpondebant Ariani ſecundam perſonam Trinitatis vocari Deum, non quòd eſſentialiter eſſet Deus, ſed quia omnem poteſtatem & authoritatem, quam habet filius in res quaſlibet creatas, accepit eam à Deo; illa eadem ratione, qua Magiſtratus & alij Principes nuncupantur in ſacris literis Dij.

Effugium Arij.

Ceterùm hæc reſponſio eſt manifeſta depravatio ſacræ Scripturę: Ioann. enim 5. dicitur de ſecunda perſona ſanctiſſ. Trinitatis, quod ſit illud idem quod Pater & Spiritus ſanctus. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* & Matth. 11. dicitur de hac ſecunda perſona, quod habeat illa omnia quæ habet Pater. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* & Ioann. cap. 5. quod viuat ipſa eadem vita, qua Pater; *Sicut*, inquit, *Pater vitam habet in ſemetipſo, ſic & dedit Filio.* & Ioan. 10. hæc eadem perſona, ità loquitur: *Ego, & Pater vnum ſumus.*

Ariani detranant ſcripturam.

Matth. 11. verſ. 27. Ioann. 5. verſ. 26. Idem 10. verſ. 30.

Reſpondent Ariani Patrem, & Filium eſſe vnum, non natura, & eſſentia: ſed animorum conſenſione, & voluntate.

Verùm hæc reſponſio eſt magis impertinens, quàm proximè confutata: nam ſi Pater, & Filius non autem ſecundùm eſſentiam, falſum eſt Filium eſſe in Patre, & Patrem in Filio: quæ enim habent eſſentias, & exiſtentias diſtinctas, ab inuicem ſeparantur, & vnum non eſt in alio: at Ioan. 14. dicit Filius, *Non credis, quia ego in Patre & Pater in me eſt?* & ibidem, *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Deinde, poſſet vna perſona videri ſinè alia, & tamen docuimus quæſt. 12. huius partis, fieri non poſſe, vt videatur eſſentia diuina, quin omnes perſonæ ſimiliter videantur.

Inſulſa Arianorum reſponſio.

Secundo probatur Concluſ. ex illis omnibus locis, in quibus ſecunda perſona Trinitatis nuncupatur Filius. Ioan. 3. Matth. 3. & 17. *Hic eſt Filius meus dilectus:* & ex illis, in quibus dicitur, quod ſit genita, Pſal. 2. & 109. & ad Coloſſ. 1. & alibi ſæpe. *Ego hodie genui te: Ex vtero ante luciferum genui te.*

Matth. 3. & 17. verſ. 4. Pſal. 2. verſ. 7. Idem 109. verſ. 3.

Altera eorũ reſponſio. Reſpondent Ariani ſecundam perſonam Trinitatis eſſe filium, non quidem naturalem, ſed adoptiuum.

Refellitur. Verùm hæc reſponſio eſt manifeſtè contra Scripturam ſacram, ex ea quippe colligitur Chriſtum non eſſe ſolum filium Dei; nam quilibet ex prædeſtinatis computatur inter adoptiuos filios Dei, ex doctrina Pauli; at ſacræ Scripturæ docent Chriſtum eſſe ſolum filium Dei; appellant enim eum vnigenitum, Ioan. 1. *Vidimus eum, quaſi vnigenitum à Patre:* & rurſus, *Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Ioan. 1. v. 14. & 18.

2. Concil. Fracoford. Deinde, Conciliũ Francofordienſe ſub Adriano I. Pontifice congregatum definiuit contra Elipandum Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopum, Chriſtum non eſſe filium Dei adoptiuum, ſed naturalem: ergo.

3. Tertiò, probatur Concluſio, ex illis omnibus locis, in quibus perſona ſecunda Trinitatis nuncupatur Verbum. Ioann. 1. *In principio erat Verbum*, & 1. Ioann. 5. *Tres ſunt, Pater, Verbum*, &c.

Alia eorũdem cauillatio. Reſpondent Ariani ſecundam perſonam Trinitatis non appellari Verbum, ratione ſuæ naturę, & eſſentię; ſed tantùm reſpectu illius Verbi, per quod Deus in tempore produxit res omnes iſtas creatas iuxta illud Dauid. *Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Pſal. 32. verſ. 6.

Explodi-tur. Ceterùm reſponſio hæc vacat omni planè probabilitate; nam de hoc Verbo dicitur; Quòd fuerit in principio; Quòd illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum; &, Quòd ſit caro factum, Ioann. 1. at notiſſimum eſt Verbum illud per quod Deus creauit omnia, nec fuiſſe in principio, id eſt, ab æterno: nec illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum: nec denique humanam naturam aſſumpſiſſe, ſed ſolum Verbum, quod eſt ſecunda perſona Trinitatis: ergo.

4. Quartò probatur Concluſio, ex illis locis, in quibus dicitur Chriſtum agnouiſſe perfectiſſimè cogitationes humanas, pro illo tempore, quo fuit in hac vita mortali. Ità docent Patres; Dionyſius cap. 1. de diuinis Nominib. Ignatius in epiſt. ad Philipp. Iuſtinus, de recta fidei explicatione, Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogici, Tertul. aduerſus Marcionem, & aduerſus Praxean cap. 9. Athanaſius in orat. contra Arianos, & D. Auguſtinus locis ſupra citatis.

Licet 2. perſona ſanctiſſimæ Trinit. habeat eſſentiam à 1. perſona: hoc non impedit, quominus ſit verus Deus. Cyrillus Hieroſoly.

Conclvsio 2. *Terminus primæ proceſſionis diuinæ, eſt ità Deus, vt tamen non habeat eſſentiam à ſeipſo, ſed à Patre acceptam.* hæc eſt de fide; dicitur enim in Symbolo Nicæno de hac perſona Trinitatis, quòd ſit *Lumen de lumine*; &, *Deus verus de Deo vero.*

Deinde, ità docent Patres, maximè verò Cyrillus Hieroſoly. Catechęſi 4. *Credo* (inquit) *in filium Dei, vnum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Deum de Deo genitum, lumen de lumine genitum, per omnia ſimilem ei qui genuit: non in temporibus habentem quod ſit, ſed ante ſecula cuncta ab æterno, & modo quodam occulto à Patre genitum*, &c. & Catechęſ. 11. *Filius ſimilis eſt generanti; vita ex vita progenita; & lumen de lumine; & veritas de veritate; & Deus de Deo*; & Iuſtinus in expoſitione fidei: *Intelligimus*, inquit, *Filium à Patre prognatum, ſicut lumen à lumine promicans. Nam hæc imagine refertur & æternitas, & eſſentiæ identitas, & paſſionis expers natiuitas.*

Subiungo rationes aliquas: terminus productus per primam proceſſionem diuinam, eſt verè Filius: at Filius accipit neceſſariò ſuam eſſentiam à Patre generante: dicemus enim generationẽ eſſe productionẽ viuentis à viuente coniuncto, in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ: ergo. Deinde, quod procedit ab alio, debet neceſſariò accipere ab eo, vel totam ſuam eſſentiam, vel certè partem eiuſdem; atqui ſecunda perſona Trinitatis procedit à Patre, ex illo Ioan. 16. *Exiui à Patre*: ergo accipit eſſentiam à Patre.

Obiectio. Obijciunt noſtri temporis Tritheitæ, qui viuunt in Polonia, & Tranſſyluania, Tertullianum in lib. contra Praxean cap. 9. affitmare Patrem eſſe totam ſubſtantiam in diuinis, Filium autem eſſe portionem, & deriuationem ſubſtantiæ diuinæ.

Solutio. Reſpond. 1. Tertullianum non ſatis cautè, & circumſpectè fuiſſe loquutum hac in re, vt obſeruarunt Rhenanus & Pamelius ad locum proximè citatum Tertulliani. *Solutio 2.* Reſpondeo 2. Tertullianum propterea vſum fuiſſe hac ratione loquendi, quòd Filius non ſit is omnis, qui producitur intrà diuinam eſſentiam; nam Filius diſtinguitur realiter à Spiritu ſancto, qui tamen producitur intrà Deũ, non minùs quàm Filius. Proceſſio item Spiritus ſancti eſt omnino varia, & diuerſa à proceſſione, per quam producitur Filius: hæc enim eſt intellectio, illa verò volitio. In ordine ergo ad iſtas proceſſiones, & ad terminos productos per eaſdem, ait Tertullianus, Filium eſſe portionem, & deriuationem ſubſtantię diuinæ, non autem totam ſubſtantiam diuinam, id eſt, non eſt quilibet terminus productus, ſed vnus tantùm, & item non eſt quælibet productio, ſed vna tantùm.

Enentilantur argumenta Arrianorum. Ad rationes verò Arrianorum reſp. Ad 1. Chriſtum & eſſe Deum, & hominem. Priori modo nulla latent, nec latere poſſunt eumdem. Poſteriori verò modo, indubitatum eſt humanam Chriſti naturam multa neſcire; nouit enim tantùm quæ fuerunt, ſunt, & futura ſunt, in certa temporis differentia, & aliqua ex poſſibilibus, vt fatentur omnes in tractatu de ſcientia Chriſti. 1.

Ex iſtis tamen non licet colligere Chriſtum, quatenus homo eſt, eſſe ignorantem; cognoſcit enim perfectiſſimè omnia, & ſingula pertinentia ad ſuum ſtatum: ſed colligitur in Chriſto, quatenus homo eſt, dari neſciẽtiam aliquam, quæ nihil detrahit de dignitate ſcientię Chriſti.

Dices, neſcire Chriſtum, quatenus homo eſt, diem iudicij. Reſp. hoc eſſe falſum; licèt enim id videatur haberi locis citatis in argumento; Patres tamen explicant Chriſtum hoc ſolo nomine, neſcire diem iudicij, quòd nolit cognitionem iſtius diei alicui puræ creaturæ reuelare.

Ad 2. Reſpond. particulam excluſiuam, *Solum*, non eſſe coniungendum, cum termino notionali *Patrem*; ſed cum dictione, *Dei*: ità vt ſenſus ſit, ſolum Deum eſſe obiectum noſtræ felicitatis ſupernaturalis. Quod probatur eo, quia particula iſta; *Solus*; coniuncta termino ſignificandi aſſentiam diuinam, vel aliquid, quod ſit abſolutum in eſſentia diuina, excludit tantùm aliam quamlibet eſſentiam, non autem perſonas. 2.

Ad 3. Sapientiam increatam nuncupari in ſacris litteris creaturam, non quòd verè ſit creatura; ſed quòd ſit author cuiuſlibet creaturæ: ità vt nomen effectus dicatur de ſua cauſa. 3.

Ad vltimam. Patrem maiorem eſſe filio, non ſecundùm diuinam naturam, ſed tantùm ſecundum humanam; dantur enim in filio, ſeu Chriſto, hu-

mana, & diuina natura Ita communiter patres omnes ad hunc locum: lege de hac controuerſia interpret. D. Thom. vel hîc, vel ad 3. partem, in prolegomenis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An proceſſio Verbi, ſit generatio.

DOCET Sanctus Thom. proceſſionem Verbi eſſe generationé propriè dictá, & quidem meritò. Dicitur enim in Symb. Apoſt. & Concil. Nicæno de Filio Dei, quòd ſit genitus; ità enim habet Symbolum Nicænum. *Credo Filium Dei vnigenitum:* Symbolum verò Athanaſij, *Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.*

Symbol. Nicænum, Athanaſ.

Deinde hoc ipſum colligitur ex Dauide pſal. 2. *Ego hodie genui te.* & ex illo Eſaï. 53. *Generationem eius, quis enarrabit?* licèt enim prior locus intelligatur à nonnullis, de reſurrectione Chriſti, & poſterior de incarnatione eiuſdem, communiter tamen explicatur vterque à patribus, de æterna filij Dei generatione, quemadmodum, & alius pſal. 101. *Ante luciferum genui te.*

Eſai. 53. ℣. 8.

3. Tertiò, hoc idem colligitur ex illis locis, in quibus Verbum diuinum nuncupatur filius, & vnigenitus: adduximus autem teſtimonia iſta art. proxime anteced. Dub. penultima.

4. Poſtremò ex doctrina Sancti Thom. in corpore huius articul. Generatio viuentium nihil aliud eſt, quàm productio viuentis à viuente, ſecundùm ſimilitudinem naturæ ſpecificæ: definitio hæc competit proceſſioni Verbi diuini; procedit enim hoc viuens eadem numero vita, qua viuit pater, ex cap. 5. Ioann. Pater autem producit Verbum diuinum ſimile ſibi, nedum ſecundum naturam ſpecificam, ſed numericam; cùm eadem numero eſſentia diuina ſit in Patre, & in Filio, & Spiritu ſancto, vt docet fides Catholica: Pater autem communicat iſtam eſſentiam Filio, ſeu Verbo.

Quorſum 2. perſona dicitur Verbum; & Filius.

Aduerte 1. terminum primæ proceſſionis in diuinis dici Verbum, quòd terminet intellectionem patris: Filium verò quod producatur per generationem, quæ eſt actio vitalis.

Ad generationem propriè dictã nõ requiritur vt res verè mutetur.

Aduerte 2. ad generationem propriè dictam, non eſſe neceſſarium quòd res genita tranſeat de non eſſe, ad eſſe, ac proinde quod verè mutetur; ſi enim ità res haberet, proceſſio Filij non poſſet dici generatio, cuius tamen oppoſitum docent omnes cum ſancto Tho. hoc loco, & ratio idipſum conuincit. Nam in æternis non admittitur nouitas eſſendi, neque item prioritas, aut poſterioritas, omnium planè conſenſu: generatio autem Filij eſt verè æterna, non minùs, quàm ipſamet eſſentia diuina.

ARTICVLVS TERTIVS.

An in diuinis ſit alia proceſſio à Verbi proceſſione.

TRIA ſunt hoc loco dicenda: Primum eſt, præter proceſſionem Verbi admittendam eſſe in diuinis proceſſionem Spiritus ſancti; dicitur enim Ioann. 15. *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit;* & in Symbolo Nicæno, itémque Conſtantinopol. *Qui ex Patre, Filióque procedit,* & in Symbolo Athanaſ. *Spiritus ſanctus à Patre, & Filio eſt, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Deinde, res hæc ità definita fuit in Concil. Nicæno 1. Epheſ. 1. Conſtantinopol. 1. Chalcedonen. 1. Toletano XI. & denique Florentino in literis vnionis. Subſcribunt patres, Baſilius contra Eunomium, Cyrillus Alexandr. de Spiritu ſancto, Didymus in lib. de Spiritu ſancto, & alij innumeri. Accedit ratio: Spiritus ſactus tam verè producitur intrà diuinam eſſentiam quàm filius, vt conſtat ex locis proximè citatis Scripturæ & ſanctorum Patrum: at non poteſt Spiritus ſanctus produci diſtinctus realiter à Filio, niſi quoque detur aliqua proceſſio diſtincta ab ea per quam producitur Filius, ergo aſſignanda eſt huiuſmodi proceſſio. Confirmatur: Tot ſunt proceſſiones in diuinis, quot termini diſtincti producti; at ſunt duo termini producti intrà diuinam eſſentiam, nempe filius, & Spiritus ſanctus, & diſtinguuntur iſti duo termini inter ſe realiter: ergo dantur quoque duæ proceſſiones.

Ioann. 15. ℣. 26.

Eſt admittenda proceſſio ſancti Spiritus perſ. 2. in. diuinis.

Baſil. Cyril. Alexand. Didymus.

Probatio concluſionis.

Obiectio. Dices, eſſentiam diuinam eſſe vnam rem ſimpliciſſimã; ac proinde extare in ea vnicam ſimplicem rationem communicandi ſe. Reſp. conceſſo antecedente negando illationem: diximus enim articul. 1. eſſentiam diuinam ità eſſe ſimpliciſſimam, veramen virtute, & eminenter ſit multiplex, & reſpondeat duabus entitatibus realiter inter ſe diſtinctis in rebus creatis: hæc autem entitas conſequitur rationem intellectionis, & volitionis: per iſtam producitur Spiritus ſanctus; per illam: verò filius, ſeu Verbum diuinum.

Soluitur.

Notabile. Aduerte in rebus creatis (quod potiori iure concedendum eſt in Deo) nedum intellectum eſſe fecundum: ſed etiam voluntatem; vt rectè obſeruat Sanctus Thom. quæſt. 37. art. 1. huius partis. Caiet. hoc loco; & plerique Sentent. in 1. diſt. 10. Deinde volitio, tam verè eſt actio in rebus creatis, quàm ſit intellectio: ergo debet hæc habere terminum aliquem productum à ſe, quemadmodum habet intellectio. Terminus autem productus per volitionem creatam, cenſetur eſſe amor, aut qualitas aliqua, per quam is qui vult, fertur, & inclinatur in rem volitam, vt manifeſtè colligitur ex illo: Qui amat, magis eſt vbi amat, quàm vbi animat: & ex illo D. Auguſtini cap. 9. lib. 13. Confeſſ. *Amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror.* Diſtinguitur autem terminus hic in rebus creatis formaliter tantùm, & ſola ratione; in diuinis verò realiter: Spiritus quippe ſanctus, qui alio nomine nuncupatur Amor, producitur per actum volitionis Patris, & Filij; ac proinde, cùm producens & productum diſtinguantur inter ſe realiter in diuinis, idque propter oppoſitionem, quam dicunt inter ſe, Spiritus ſanctus qui eſt terminus volitionis Patris, & Filij, diſtinguetur realiter à Patre, & Filio.

Auguſt.

Secundum dicendum hoc loco eſt, *Terminum ſecunda proceſſionis, quem diximus eſſe Spiritum ſanctum, non minus eſſe Deum, quàm ſit filius, aut Pater:* Dicitur enim in Symb. Athanaſ. *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, non tamen tres Dij, ſed vnus Deus.* & in Actis cap. 5. *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto.* & paucis interiectis: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Deinde ex cap. 6. 1. Corinth. dicitur enim illic membra cuiuſlibet Chriſtiani eſſe

Spiritus ſanctus eſt verus Deus. Actor. 5. ℣. 3. & 4.

Digitized by Google

templum Spiritus ſancti, & poſt pauca ſubiungitur ab eodem Paulo, *Portate Deum in corpore veſtro*, argumento igitur eſt Spiritum ſanctum eſſe verum Deum.

1. Cor. 5. v. 19. & 20.

Tertio creatio ſoli Deo competere poteſt cùm ex doctrina ſancti Thom. 1. part. q. 44. ad creationem deſideretur virtus ſimpliciter infinita: atqui creatio tribuitur Spiritui ſancto, Pſalm. 103. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur*, & in hymno, qui cantatur ab Eccleſia in die ſancto Pentecoſtes, *Veni creator Spiritus.*

Pſal. 103. ℣. 30.

Quartò, effectus ſacramentorum pendent à ſolo Deo, veluti à cauſa præcipua, & principali; eſt enim axioma commune, apud omnes Theologos, illius eſſe inſtituere ſigna practica & efficacia gratiæ, cuius eſt producere gratiam: atqui effectus cuiuſlibet ſacramenti tribuitur in ſacris litteris Spiritui ſancto, Ioann. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, & alibi dicitur: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*; quodlibet autem ſacramentum nouæ legis eſt ſignum practicum & efficax gratiæ: ità ut remoto impedimento infallibiliter detur gratia ei, qui ſacramentum aliquod conſequitur.

Axioma Theologicũ

Ioan. 20. ℣. 22.

Pſalm. 83. vers. 12.

Quintò, res hæc ità definita fuit in Concil. Conſtantinopolitan. Epheſin. & Chalced. primis & Toletano II. in confeſſione fidei, & Florentino in litteris vnionis.

Concil. Conſtant. Epheſin. Chalcedo. Toletanũ. Florent.

Contendunt Patres, quos citat Bellar. lib. 1. de Chriſto, cap. 15. in Liturgijs item veterum hæc eadem veritas habetur expreſſa: ità enim loquitur ſanctus Iacobus in ſua Liturgia: *Quærimus in omnibus ſubſidium, & auxilium ab vnigenito filio tuo, & à bono, & viuificante, & conſubſtantiali Spiritu*: & Marcus, *Emittas ex incircumſcripto Cœlibus tuus ipſum Paraclitum. Spiritum veritatis, ſanctum Dominum viuificantem, fontem charismatum, & tibi conſubſtantialem.*

Chryſoſt. Liturgia. Iacob.

Hæreſis aſſerere proceſſionẽ Verbi tantùm dari in diuinis & ſanctum Spiritum non eſſe Deum.

Tertium, & vltimum hoc loco conſtituendum quòd ſequitur ex dictis eſt, *Citra manifeſtam hæreſim defendi non poſſe præter proceſſionem Verbi non dari proceſſionem Spiritus ſancti in diuinis, & item Spiritum ſanctum non eſſe verum Deum, conſubſtantialem Patri, & Filio*, cuius oppoſitum docuit antiquitus Montanus; hic enim eò dementiæ peruenit, vt aſſereret ſe eſſe Spiritum ſanctũ: imò Tertullianus huius ſectator in lib. de reſurrectione carnis, nomen hoc tribuit Montano. Poſtea verò ſub initium ſeculi quarti à Chriſti natiuitate, fuerunt aliqui, qui negauerunt Spiritum ſanctum eſſe verum Deum: ità Macedonius, Valentinus, & alij nonnulli. Poſterior affirmabat Spiritum ſanctum eſſe vnum ex Angelis tantùm: prior verò abſolutè dicebat Spiritum ſanctum eſſe creaturam. Petrus verò Abailardus, referente Bernardo epiſt. 109 & Othone lib. 1. de actis Frederici imper. cap. 49. docuit, Spiritum ſanctum eſſe animam mundi.

Somnia quorumdam de Spiritu ſancto.

Nitebantur autem iſti certis quibuſdam locis Scripturæ, in quibus dicitur quòd Spiritus fuerit creatus, Amos 4. *Quòd Spiritum ſanctum interpellet pro nobis*, & quòd contriſtetur; *Nolite contriſtari Spiritum Domini*, Rom. 8.

Rom 8. vers. 34.

Cæterùm teſtimonia illa nulla ratione faciunt his hæreticis, nam nomine Spiritus apud Amos, non intelligitur ſecunda perſona ſanctiſſimæ Trinitatis: ſed tantùm ventus; non enim adijcitur vox illa ſanctus, ſed tantùm ſpiritus. Deinde, Spiritus ſanctus dicitur apud Paulum interpellare pro nobis, non quòd formaliter, & actu, aliquid petat à Deo remittere nobis; ſed quia mouet, allicit, & inducit vt inquiunque noſtrùm, vt res neceſſarias expoſtulemus à Deo; ac proinde locus hic intelligendus eſt cauſaliter, non autem formaliter, & actu, vt explicant communiter Patres. Non triſtatur etiam Spiritus ſanctus formaliter, & actu; ſed dicitur contriſtari hoc ſolo nomine, quòd producat interdum aliquos actus, qui videntur eſſe ſimiles hominis contriſtato.

ARTICVLVS QVARTVS.

An proceſſio amoris in diuinis ſit generatio.

DE fide eſt proceſſionem Spiritus ſancti non eſſe generationem, dicitur enim in Symbolo Athanaſij; *Spiritus ſanctus à Patre, & Filio eſt, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*

Pars negatiua eſt de fide. Symbolũ Athanaſij.

Accedit, quòd ſi proceſſio Spiritus ſancti eſſet generatio, concedendum eſſet de Spiritu ſancto, quòd eſſet filius, & genitus: terminus namque generationis rei viuentis eſt filius, & nuncupatur hic terminus neceſſariò genitus. At docet fides vnicum extare filium in diuinis: eadem item religio docet de filio, quòd ſit vnigenitus, Ioann. 1. *Vidimus eum, quaſi vnigenitum à Patre*, & rurſus: *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris.*

Tertiò, ſi Spiritus ſancti proceſſio eſſet generatio, concedendum eſſet de tertia perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, quòd eſſet imago Patris, & filij: dicemus enim terminum generationis diuinæ eſſe imaginem perſonæ generantis: at docebimus etiam rationem imaginis competere ſoli Filio: Ità definitum eſt in Concil. Nicæno, Conſtantinopolitan. Epheſin. & Chalcedonenſi primis, docentque Patres, D. Auguſtinus 15. de Trinitat. cap. 27. & lib. 3. contra Maximinum, cap. 13. Baſilius in lib. de Spiritu ſancto contra Eunomiũ, & Nazianzenus oratione 4. de Theologia.

D. Auguſt. Baſilius. Nazianz.

DVBITATIO VNICA.

Quì fiat vt proceſſio Spiritus ſancti nequeat dici generatio.

RAtio dubitandi eſt, eò quòd proceſſio Spiritus ſancti vendicet ſibi omnes omnino conditiones generationis propriè dictæ: diximus ſiquidem ex D. Thom. art. 2. huius quæſt. generationem propriè dictam eſſe productionem viuentis à viuente ſecundùm ſimilitudinem naturæ ſpecificæ: Spiritus autem ſanctus eſt verè viuens, & quidem per proceſſionem, qua procedit à Patre, & filio viuentibus, & eſt ſimilis Patri & filio nedum ſecundùm naturam, quaſi ſpecificam, ſed etiam ſecundùm vnitatem numericam eſſentiæ diuinæ: cùm eadem numero eſſentia diuina ſit in Patre, & filio, & Spiritu ſancto.

Sunt qui dicant propterea proceſſionem Spiritus ſancti non eſſe generationem, bene tamen proceſſionem filij, quòd filius procedat vt natus: Spiritus verò ſanctus vt datus: ità

Variè reſponſionis ad hoc dubium.

D. Au-

D. Auguſt. Diuus Auguſtinus lib. 5. de Trinitat. cap. 14.

Alij verò, quod Spiritus ſanctus procedat per voluntatem; Filius verò per modum naturæ, ſeu (quod idem eſt) per intellectionem. Ità Alenſis 1. part. quæſt. 31. membro 2.

Alij, quòd Spiritus ſanctus procedat à Patre, & à Filio ſimul; Filius verò à ſolo Patre: ità Bonauent. diſt. 13. lib. 1. quæſt. 2. Gandauenſ. quodlibeto 5.

Sunt inefficaces. Ceterum nulla ex iſtis opinionibus defendi poteſt, non enim aſſignant aliquam cauſam, propter quam id quod procedit, vt natum, & à ſolo Patre, & denique per intellectum, dicatur propriè genitum, & eius proceſſio generatio, non autem id quod procedit vt datum, vel à Patre, & Filio ſimul, vel denique per voluntatem.

Scotus verò, Gabriel & ceteri Nominales diſtinct. 16. lib. 1. ideò contendunt proceſſionem Spiritus ſancti non eſſe generationem, bene tamen proceſſionem Filij, quòd duæ iſtæ proceſſiones diſtinguantur ab inuicem, illo eodem modo, quo duæ vltimæ differentiæ alicuius generis ab inuicem ſeparantur, ac proinde ſcipſis.

At neque iſti aliquid dicunt: primùm, quia proceſſiones Filij, & Spiritus ſancti non opponuntur inter ſe, ſaltem actiuè ſpectatę, ſed tantum in ordine ad ſuos terminos productos.

Deinde, duæ differentiæ vltimæ alicuius generis nuſquam identificantur alicui tertio perfectiſſimè, quod tamen faciunt proceſſio Filij, & Spiritus ſancti, & item Filius, & Spiritus ſanctus.

Tertiò, licèt daremus quod volunt authores iſti, non tamen propterea ſequeretur alteram ex iſtis duabus proceſſionibus non eſſe generationem propriè dictam; imò hoc neceſſariò concedendum eſt de ambabus iſtis proceſſionibus; cuilibet enim perfectiſſimè conuenit definitio generationis propriè dictæ, licèt ſupponamus inter ſe diſtingui, quemadmodum diſtinguuntur differentiæ vltimæ alicuius generis.

Bartholomæus Torres in quæſtionibus de Trinitat. Vazq. diſput. 113. cap. 7. huius part. & plerique alij recentiores, cum Aureolo apud Capreolum diſtinct. 22. quæſt. 2. lib. 1. exiſtimant propterea proceſſionem Spiritus ſancti non eſſe generationem, bene tamen proceſſionem Filij, quòd Filius procedat vt imago Patris, Spiritus verò ſanctus non procedit vt imago Patris & Filij.

Verùm neque iſti difficultatem ſatis explicant; nam ſunt qui putent illud nuncupari propriè imaginem, quod perfectiſſimè exprimit id à quo producitur, & quidem ex vi ſuæ productionis: at Spiritus ſanctus perfectiſſimè ex vi ſuæ proceſſionis repræſentat Patrem, & Filium, & quidem ſecundum entitatem eſſentiæ diuinæ: ergo, ſaltem ex iſtorum doctorum opinione Spiritus ſanctus procedet vt imago Patris, & Filij. Deinde D. Thom. art. 2. quæſt. 35. huius part. verbis expreſſis docet Græcos Patres affirmare de Spiritu ſancto, quòd ſit imago Patris, & Filij: imò hoc videre eſt apud Athanaſium in epiſt. ad Serapionem, Baſilium lib. 5. contra Eunomium cap. 12. Damaſcen. lib. 1. de fide, cap. 18. Gregor. Thaumatur. in expoſitione fidei quæ extat ſtatim in initio operum eiuſdem.

Conguſtiatur hîc Vazquez.

Moneo iſtos Patres alibi docere ſolum filium A eſſe imaginem Patris, ac proinde in illis locis citatis velle Spiritum ſanctum eſſe imaginem Patris, & filij impropriè tantùm. Denique, prius eſt filium eſſe ſimilem Patri, quàm eſſe imaginem eiuſdem; nam ſimilitudo Patris & filij repetenda eſt ex identitate eſſentiæ, quæ datur in Patre & filio; ratio verò imaginis deſumenda eſt ex perſona, maxime ſecundum communem doctrinam: ergo cum eſſentialia ſint priora notionalibus, ſecundùm noſtrum modum concipiendi, prius erit filium eſſe ſimilem Patri quàm eſſe imaginem eiuſdem: ergo ex imagine non poteſt peti diuerſitas proceſſionum filij, & Spiritus ſancti. *Concedit patrem quandam.*

B Thomiſtæ vero communiter omnes hoc loco ideo volunt proceſſionem filij eſſe generationem propriè dictam, minimè verò proceſſionem Spiritus ſancti, quod filius ſit ſimilis Patri, ex vi ſuæ proceſſionis: quod enim procedit per intellectum, ex vi talis proceſſionis eſt ſimile producenti; filius autem producitur per intellectionem Patris, Spiritus verò ſanctus non eſt ſimilis Patri, & filio ex vi ſuæ proceſſionis, ſed tantùm ex vi proceſſionis in tali natura, in qua repugnat aliquid produci quod non ſit ſimile producenti. *Opinio Thomiſtarũ eſt reliquis probabilior, non eſt tamẽ omnino expers difficultatis.*

C Ceterum doctrina hæc, licèt ſit communior ceteris omnibus confutatis opinionibus, non tamen planè ſatisfacit; nam Spiritus ſanctus ex vi ſuæ proceſſionis, tam verè ſimilis eſt Patri, & filio, quàm ſit filius Patri ex vi ſuæ proceſſionis: implicat enim aliquid produci intrà diuinam eſſentiam, quod non ſit formaliter, & intrinſecè Deus, ex illo axiomate; Quidquid eſt in Deo, Deus eſt: at proceſſio Spiritus ſancti eſt intrà diuinam eſſentiam, non minùs quàm ſit proceſſio filij: ergo. Deinde, nihil eſt in producto, quod non ſit in eo ex vi ſuæ productionis; nam fatentur communiter Philoſophi, nihil planè dari in effectu, quod non pendeat à cauſa, & item ab ea actione, per quam effectus producitur: at Spiritus ſanctus producitur à Patre, & à filio, vt conſequuntur rationem vnius ſpiratoris, & D quidem per actum voluntatis: ergo cùm Spiritus ſanctus ſit perfectiſſimè ſimilis Patri, & filio, hoc erit dependenter à proceſſione per quam producitur, & ex vi eiuſdem. Denique falſum eſt quod docent auctores iſti, illud omne quod producitur per intellectum eſſe ſimile producenti ex vi ſuæ proceſſionis: nam lapis intellectus v. g. ab homine per intellectionem, non eſt ſimilis homini intelligenti ſecundùm ſuam entitatem, vt eſt per ſe notum, ſed tantùm in ratione intellecti, ſeu (quod idem eſt) ſub ea ratione, qua lapis intelligitur, & cognoſcitur reduplicatiuè: ergo quod producitur per intellectum non E eſt abſolutè, & ſimpliciter loquendo ex vi ſuæ proceſſionis ſimile producenti. *Exiniè impugnatur opinio Thomiſtarum.*

Alij poſtremo docent proceſſionem filij, ideo eſſe generationem propriè dictam, minimè verò Spiritus ſancti, quod filius producatur à Patre per principium formale conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ, non autem Spiritus ſanctus: nam hic producitur per voluntatem Patris, & filij, quę præſupponit eſſentiam diuinam, conſtitutam in ratione eſſentiæ diuinæ: at filius producitur per intellectionem Patris, quæ eſt ratio conſtitutiua diuinæ eſſentiæ: quod probant: Primo, quia in Deo non diſtinguuntur eſſe & intelligere, vt docet D. Thom. art. 2. huius quæſt. &

Auguſt. D. Auguſtinus lib. 6. de Trinitat. cap. 10. *Deus* (inquit) *eſt prima, & ſumma vita, cui non eſt aliud viuere, & aliud eſſe, ſed idem eſt eſſe & viuere.* & lib. 15. cap. 5. *Quæ*, inquit, *vita dicitur in Deo, ipſa eſt eſſentia eius, hæc autem vna eſt, quæ intelligitur.* D. Thom. Deinde, ex doctrina D. Thom. lib. 1. contra gentes, cap. 5. & quæſt. 14. 1. par. art. 1. & 2. & alibi ſæpe, omne immateriale, ſubſtantiale ſcilicet, eſt ex ſe, & tua natura intellectuum; Deus autem ex ſe, & ſua natura eſt immaterialis ſubſtantia: ergo. Denique implicat eſſentiam diuinam concipi, quin intelligatur intellectiua: ergo.

His ità poſitis, probant ſuam ſententiam: Illud generatum propriè quod producitur in ſimilitudinem naturæ ſimile producenti, per principium formale conſtitutiuum illius rei, quæ producit, aut generat: at ſolus filius producitur ſimilis Patri, & quidem nedum ſecundùm naturam ſpecificam, ſed ſecundùm eandem numero eſſentiam, idque per intellectionem Patris, quæ eſt principium formale conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ: ergo ſolus Filius generabitur in diuinis: ſpiritus enim ſanctus producetur per voluntatem Patris, & Filij, quæ præſuppont eſſentiam diuinam conſtitutam in ratione deitatis. Ità docet Suar. lib. 2. de Trinitat. cap. 5. & 6. & alij.

Opinio Suarez fundamentum ſuæ ſententiæ ſupponit.

Cæterùm neque hæc opinio plenè ſatisfacit, videtur enim eſſe falſum, quod iſti pro fundamento ſuo ſupponunt, ſcilicet intellectionem Patris eſſe principium formale conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ, nam Suar. ipſe diſput. 30. ſuæ metaphy. ſect. 16. fatetur velle diuinum eſſe quodammodo conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ.

Deinde fatentur omnes intellectum radicaliter eſſe voluntarium, & liberum.

Tertiò, intellectus & voluntas computantur inter attributa abſoluta diuina, ergo neutrum ex iſtis eſt principium formale conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ; nam diximus, nomine attributi eſſentialis abſoluti diuini, ſignificari perfectionem aliquam, quam nos concipimus aduenire eſſentiæ diuinæ ad modum figuræ formæ aduenientis: at quod aduenit eſſentiæ diuinæ veluti forma quædam adiacens, non eſt principium formale conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ, cùm ſupponat eſſentiam conſtitutam in ſua ratione.

Denique, eſſentia diuina eſt in ſe ſimpliciſſima, ac proinde repugnat omnem omninò compoſitionem; ergo & conſtitutionem eſſentiæ: idque propter ſummam identitatem, quæ datur inter perſonas, eſſentiam diuinam, & attributa abſoluta eiuſdem.

Rationes autem oppoſitæ tantùm probant dari inter viuere, eſſe, & intelligere diuinum, diſtinctionem aliquam rationis ratiocinatæ; minimè verò diſtinctionem realem, aut formalem: ac proinde intellectionem Patris ad ſummum habere rationem principij conſtitutiui eſſentiæ diuinæ, ſecundum noſtrum modum concipiendi tantum. Ex iſtis autem non licet colligere proceſſionem Filij à parte rei nuncupari generationem propriè dictam, minimè verò proceſſionem Spiritus ſancti, cùm proceſſio etiam Spiritus ſancti ſit à voluntate Patris, & Filij, quæ verè producit Spiritum ſanctum, ſimilem Patri, & Filio perfectiſsimè, & quidem ſecundùm identitatem eſſentiæ [illegible] voluntates Patris, & Filij eſt etiam ſecundùm noſtrum modum concipiendi, quodam modo principium formale conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ cum intellectus ſit radicaliter ad minus volitiuus, & liber, vt diximus. Demum falſum eſt, quod aiunt authores iſti, eſſentiam diuinam non poſſe concipi, quin concipiatur intellectiua: nam fatentur communiter omnes, eſſentiam diuinam poſſe concipi præciſam, & diuiſam ab omnibus attributis propriè dictis eiuſdem, conceptu, (vt ipſi loquuntur) diſtincto, inadæquato, & præciſiuo; quod addo, quia certum eſt non poſſe concipi conceptu diſtincto, & vt eſt in ſe à parte rei quin concipiantur etiam omnia eius attributa.

Qui vult; vt hæc ſententia in tuto conſiſtat hiſce tribus non vexatur palis annectere illam.

Si quis tamen velit iſtorum Doctorum opinionem tueri, debet principia proximè ſubſequentia tamquam certa, & indubitata defendere. Primum eſt, quod generatur propriè, debere eſſe ſimile ſecundum ſpeciem, vel ſecundùm identitatem eſſentiæ numericę generanti, & quidem ex vi ſuæ proceſſionis.

Secundum principium, quod generatur propriè, debere produci à generante per principium formale conſtitutiuum eſſentiæ generantis.

Tertium, principium conſtitutiuum eſſentiæ Patris per quod generat Filium, eſt intellectio Patris identificata perfectiſsimè cum relatione paternitatis; intellectio namque ſola notionalis Patris producit Filium; non tamen excludit hęc intellectionem eſſentialem communem Patri, Filio, & Spiritui ſancto, ſed præſupponit eamdem neceſſariò; nam principium conſtitutiuum eſſentiæ diuinę debet eſſe neceſſariò aliquid commune omnibus perſonis, quemadmodum eſſentia eadem numero perſeuerat in iſtis.

Denique conſtituendum eſt, velle aut voluntatem diuinam non eſſe principium formale conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ: nam vnius rei vna eſt tantùm ratio formalis conſtitutiua: eſſentia autem diuina eſt vna ſimpliciſſima entitas.

Ratio authoris inducta.

Dico igitur, proceſſionem Spiritus ſancti non eſſe generationem, bene tamen proceſſionem Filij; quòd fides Catholica ità doceat, quæ nec falli, nec fallere poteſt: ità docent Patres, maximè verò D. Auguſtinus 9. de Trinitat. cap. vltimo, & cap. 27. lib. 15. ait enim homines in hac vita conſtitutos huius diuerſitatis nullam poſſe cauſam aſſignare, ſed nos id facturos in cœlis videndo diuinam eſſentiam prout in ſe eſt, & lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. *Quid autem* (inquit) *inter naſci, & procedere interſit, explicare quis poteſt? diſtinguere autem inter generationem illam, & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio*, & cap. 15. lib. 15. de Trinitat. *Ibi* (ſcilicet in cœlis) *mente contemplante cernemus, quare non ſit Filius, Spiritus ſanctus, cùm de Patre procedat.* & Damaſcen. lib. 1. de fide, cap. 10. *Generationem & proceſſionem inter ſe differre compertum habemus: at quis differentiæ modus ſit, nequaquam.* Athanaſius in epiſt. ad Serapionem, Baſilius in lib de Spiritu ſancto, Nazianzen. orat. 5. de Theolo. & Magiſter diſtinct. 13. lib. 1. Accedit ratio: Eorum quæ ſunt fidei non poſſumus reddere veras, & legitimas cauſas, niſi fuerint nobis à Deo reuelatæ; at nuſquam hactenus reuelauit Deus Eccleſiæ ſuæ cauſam propter quam Spiritus ſancti proceſſio non ſit vera generatio; bene tamen proceſſio Filij: ergo ideò id profitemur quia ita fides Catholica nos edocet.

D. Auguſt. Damaſc. Athanaſ. Baſilius. Nazianz.

ARTI-

ARTICVLVS VLTIMVS.

An dentur in diuinis plures proceſſiones duabus.

TENTVR omnes hoc loco cum D. Thom. non dari plures proceſſiones in diuinis; & quidem merito: multiplicatio quippe proceſſionum repetenda eſt à terminis productis; at intrà Deum ſolus Filius prõducitur per intellectionem Patris. Spiritus item ſanctus, ſolus producitur per volitionem Patris, & Filij.

Deinde, de fide eſt dari tantùm tres perſonas in diuinis, nempe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: at Pater eſt improductus, Filius ſolus genitus, & ſolus Spiritus ſanctus procedens ſeu inſpiratus: igitur duæ tantùm erunt proceſſiones.

Dubitat tamen Durandus, *An concedendum ſit de proceſſionibus Filij, & Spiritus ſancti, quòd ſint proximè, & immediatè ab eſſentia diuina; an verò ab actibus intellectionis Patris, & volitionis Patris, & Filij.*

De qua re hoc vnum videtur indubitanter aſſerendum; *Citra ſummam temeritatem, & manifeſtum errorem, non poſſe ſuſtineri proceſſiones iſtas emanare proximè, & immediatè ab eſſentia*; nam Sancti Patres docent Filium produci à Patre per actum intellectionis Patris; & Spiritum ſanctum produci ſimiliter à Patre & Filio per actum volitionis eorumdem: ità docent Irenæus lib. 2. contra hæreſes, cap 48. Baſilius homil. ad cap. 1. Ioann D. Auguſtin. 5. de Trinitate, cap. 6. 13. & 14. de cognitione veræ vitæ, cap. 14. 16. 17. & 18. & plerique alij cum omnibus Scholaſticis vnico excepto Durando in 1. diſtinct. 27. alij 2. alij 7.

Manifeſtum error aſſerere filiũ, vel Spiritum ſanctum immediatè ab eſſentia emanare.
Irenæus.
Baſil.
D. Auguſt.

Deinde, Filius nũcupatur à Patribus ſapientia, & notitia Patris: Spiritus itẽ ſanctus ab ijſdẽ dicitur amor Patris, & Filij; at attributiones iſtę nequeunt conuenire Filio, & Spiritui ſancto, ſi ipſi producantur ab eſſentia diuina proximè, & immediatè, non autem per actus intellectionis & volitionis cùm terminus volitionis debeat eſſe neceſſariò amor, vel odium; terminus verò intellectionis, eſſe Verbum, vel notitia, & ſapientia.

Addo non eſſe negandum proceſſiones iſtas habere ortum à fœcunditate eſſentiæ diuinæ, veluti à principio remoto, & radicali; nam producere ſibi ſimile, vel eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, vel ſecundùm quid, & quidem abſoluta, omnium planè conſenſione: at omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, & ſecundùm quid adſcribitur eſſentiæ diuinæ, ſi non formaliter, ſaltem virtute, & eminenter.

Deinde, D. Thom. quæſt. 41. art. 6. huius partis ait, potentiam generandi eſſe in Patre, & Filio, cum hoc tamen diſcrimine, quòd in Patre ſit, vt generet; in Filio verò, vt generetur; & quæſt. 42. art. 2. ad 3. docet potentiam ſpirandi eſſe in Patre, vt & in Filio, ſpirent; in Spiritu verò ſancto, vt ſpiretur; at hæc dici nequeunt, niſi proceſſiones iſtæ ortum habeant ab eſſentia diuina remotè, & radicaliter ſaltem: ergo.

D. Thom.

Obiectio. Obijcit Durandus: velle, & intelligere ſunt in diuinis vnum, & idem realiter, & formaliter: ergo cùm proceſſiones diuinæ diſtinguantur inter ſe realiter, ſaltem in ordine ad terminos productos, velle, & intelligere non dabunt initium proceſſionibus iſtis.

Solutio. Reſpond. 1. retorquendo argumentum, propterea proceſſiones diuinæ non manant à fœcunditate intellectionis, & volitionis diuinæ: quia volitio, & intellectio non diſtinguũtur inter ſe realiter, nec formaliter, ſed eſſentia diuina nulla ratione diſtinguitur à ſeipſa; ergo non poterit initium dare proceſſionibus diuinis, (vt vult Durandus) proximè, & immediatè.

Reſpond. 2. velle & intelligere in diuinis vſurpari duobus modis, eſſentialiter ſcilicet, & notionaliter; per primum intelligere aut velle non producuntur perſonæ Filij, aut Spiritus ſancti, imò nec aliquid aliud ſaltem ad intrà, ſed tantùm per poſtremum; ac proinde intelligere notionale Patris producit Filium; velle verò notionale Patris, & Filij producit Spiritum ſanctum; atque ità velle eſſentiale diſtinguitur à notionali, potéſtque notionale dare initium vni proceſſioni diuinæ, & intelligere notionale alteri.

Obiectio 2. Obijciunt 2. intellectionem, & volitionem eſſe principia infecunda & ſterilia.

Solutio. Reſpond. hoc eſſe falſum; intellectio namque, & in nobis, & in Angelis producit verbum mentis: volitio item producit in nobis, & in Angelis amorem: ac proinde potiori ratione illud idem fiet intrà diuinã eſſentiã per intellectionẽ & volitionem. Quòd ſi verbum mentis in nobis, & in Angelis non eſt ſubſtantia, ſed qualitas aliqua: id refundendum eſt in intellectum noſtrum, qui qualitas, ſeu facultas quædam accidentalis eſt, finita: in Deo verò intellectus & intellectio Patris notionalis eſt verè ſubſtantia, & quidem ſimpliciter infinita, & conſequenter terminus productus per iſtam intellectionem eſt verè ſubſtantia infinita ſimpliciter. Idem dicendum eſt de voluntate & volitione Patris, & Filij notionali.

Obiectio 3. Obijcit 3. omnem rem creatam producere ſibi ſimilem per propriam eſſentiam.

Solutio. Reſpond. quamlibet rem naturalem attingere productionem ſibi ſimilis per aliquam actionem, & potentiam ſibi connaturalem proximè, & immediatè: remotè verò per propriam eſſentiam; eſſentia autem diuina, (ex doctrina multorum) eſt, vt ſic, intellectiua, & volitiua; ac proinde actiones ſibi connaturales ſunt intelligere, & velle. Quid igitur mirum ſi Pater producat Filium per intellectionem, & Pater & Filius producant Spiritum ſanctum per volitionem?

Dices, ex doctrina Patrum, Filium procedere à Patre per naturam, vel (vt alii loquuntur) vt natura. Reſpond. propoſitiones iſtas, vt natura, ſeu per naturam, idem ſignificare atque per intellectionem, vt author eſt D. Thom. art. 2. ad 2. quæſt. 30 huius part. & art. 21. quæſt. 10. de potentia. Sunt etiam qui dicant propterea Filium generari à Patre per naturam quòd producatur hic neceſſariò, non autem liberè à Patre. Ità Fulgentius inter reſpondendum Arianis.

Interpretatio Diui Thomæ.

Obiect. vlt. Obijcitur denique, filius non minùs intelligit, quàm Pater, & item Spiritus ſanctus: ergo producetur aliquis per intellectionem filii, & Spiritus ſancti intrà Deum.

Solutio. Reſpond. conceſſo anteced. negando conſecutionem: implicat enim aliquid produci per aliquam potentiam, quotieſcumque potentia

ista producit omnem effectum, qui produci potest per huiusmodi potentiam: at potentia intelligendi producit in Patre illud omne, quod produci potest per istam potentiam; exercet siquidem illa potentia, intellectionem simpliciter infinitam: quæ proinde attingit quodcumque intelligibile. Nihil ergo poterit potentia hæc intellectiua producere vel in filio, vel in Spiritu sancto, cùm habeat in Patre obiectum sibi perfectissimè adæquatum productum per intellectionem eiusdem.

Scio tamen alios longè aliter respondere; aiunt enim propterea intellectionem nihil producere in filio, & in Spiritu sancto, sed in solo Patre quia intellectio Patris communicatur filio, non quidem in ratione intellectionis actiuæ, sed tantùm per modum intellecti, & idem docent de Spiritu sancto.

Cæterùm responsio hæc non satisfacit: nam filius tam verè intelligit, quàm Pater, & Spiritus sanctus. Deinde, nullam reddunt isti causam, propter quam intellectio, quæ datur in filio, & Spiritu sancto, cum sit actiuè intellectiua, nihil tamen producat.

Obseruat. Aduerte 1. Patrem generando filium conferre eidem illud omne quod habet, excepta tamen paternitate: idem est dicendum de Patre, & filio respectu Spiritus sancti, conferunt enim Spiritui sancto essentiam diuinam, & ea omnia quæ in ipsis dantur, exceptis relationibus paternitatis, filiationis, & spirationis actiuæ, idque quòd hæ relationes opponantur spirationi passiuæ; spiratio siquidem actiua formaliter: paternitas verò, & filiatio fundamentaliter, & quasi radicaliter; sicut paternitas opponitur filiationi formaliter, & contra. Ità docent D. Thom. quæst. 37. 41. & 42. huius partis, & interpretes eiusdem omnes, itémque Patres, maximè verò D. Augustin. lib. 15. de Trinitate, cap. 14. & 17.

Aduerte 2. in diuinis dari vnum tantùm velle, & vnum intelligere, licèt concedamus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum velle, & item Patrem & Filium per volitionem suam producere Spiritum sanctum. Esto etiam concedamus sicuti concedendum est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum intelligere, & solum Patrem per suam intellectionem notionalem producere Filium; nam in diuinis omnia sunt vnum & idem, nisi vbi interuenit oppositio relationis; inter autem velle Patris, & Spiritus sancti, & inter intelligere eorumdem nulla planè datur oppositio; significant enim intelligere & velle hac ratione intellectionem, & volitionem communem omnibus personis sanctissimæ Trinitatis.

Deinde, omnis diuersitas in diuinis repetenda est à relationibus, vel à proprietatibus personalibus; velle autem & intelligere nec sunt relationes, nec proprietates personales in Deo.

Velle & intelligere diuinum bifariam spectantur, & quid vnumquodque sit. Licèt autem hæc sint verissima; concipitur tamen & intelligere, & velle diuinum à nobis duobus modis, essentialiter scilicet & notionaliter, vt obtinuat D. Thom. quæst. 34. art. 1. ad 3. & art. 2. ad 4. huius partis & art. 1. quæst. 37. huius item partis: Velle essentialiter dicit formam quamdam absolutam, ac proinde communem omnibus personis, quemadmodum essentia diuina communis est ijdem. Velle verò notionaliter nihil aliud est, quàm volitio Patris, & Filij identificata cum relationibus paternitatis, filiationis, & spirationis actiuę: Per spirationem quippe actiuã Pater, & Filius spirant Spiritum S. intelligere autem notionale nihil aliud est, quàm intellectio Patris identificata cũ relatione paternitatis, per quod producitur Filius à Patre. Intelligere verò essentiale dicit formam aliquam absolutam communem tribus personis sanctissimæ Trinitatis. Ità communiter omnes hoc loco.

QVÆSTIO XXVIII.

De Relationibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An relationes reales dentur in diuinis.

DE fide est, relationes reales habere locum in Deo, & quidem intrinsecè, non autem denominatione extrinseca: ex Scripturis namque, Patribus, Conciliis, & Symbolis habemus, in diuinis dari Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: at impossibile est Patrem esse sinè paternitate, constituitur enim Pater in esse Patris per paternitatem: Filius item nequit esse Filius sinè filiatione: nec Spiritus sanctus sinè spiratione passiua, seu processione; idque propter causam proximè explicatam: ergo vbi datur generans, & genitus, spirans & spiratus, illic admittendæ sunt necessariò relationes aliquæ reales: nam inter generantem, & genitum dantur relationes paternitatis, & filiationis, ex communi doctrina: at Pater est generans, Filius genitus: Pater & Filius sunt duo spirantes, & vnus tantùm spirator, vt probabitur suo loco, & *Spiritus sanctus* est spiratus. Tertiò, ità docent sacra Concil. Lateranense sub Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter*, de summa Trinitat. & fide Catholica: Florentinum session. 18. Toletanum 11. in confes. fidei: cum Patribus, Nazianzen. oratio 1. & 4. de Theologia, D. Augustin. lib. 5. de Trinitat. Basilio in sermo. de fide, & lib. 1. & 2. contra Eunomium & D. Thom. hoc loco.

Sacra Concilia. Nazianz. D. Augustin. Basilius. D. Thom.

Quòd autem relationes istæ dicantur formaliter, & intrinsecè de Deo, ex eo manifestè colligitur, quia nihil est in Deo, quod non sit Deus formaliter, & intrinsecè.

Deinde, quia tam intrinsecè & formaliter prima persona sanctissimæ Trinitatis est Pater, quàm sit hæc eadem omnipotens: & illud idem dicendum est de Filio, & Spiritu sancto, at omnipotentia conuenit formaliter, & intrinsecè Patri: ergo. Confirmatur, ex illo Athanasij, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tamen tres Dei, sed vnus est Deus.* Symbol. Athanas.

Ratio causæ inducit diuersitatem essentiæ inter causam & causatũ. Aduerte relationes istas, quæ dantur in Deo formaliter, & intrinsecè non esse sibi mutuò causas: nihil enim est in Deo quod possit produci ab aliquo, veluti à causa: ratio enim causæ inducit diuersitatem essentiq inter id quod causat, & causatur: relationes autem diuinæ idem plane habent esse numero, quemadmodum & eamdem essentiam. Deinde, de solis relatis creatis con-

Digitized by Google

concedendum eſt quòd ſint ſibi mutuò cauſæ.

Licèt autem relationes iſtæ verè ſint in Deo, non tamen propterea concedendum eſt Deum referri relatione aliqua reali ad creaturas, ſed tantùm vna perſona, putà Pater per relationem paternitatis refertur ad Filium: Filius verò ad Patrem, per filiationem: Pater, & Filius ad Spiritum ſanctum per ſpirationem actiuam: Spiritus verò ſanctus ad Patrem, & Filium per ſpirationem paſſiuam, ſeu proceſſionem: ſunt enim relationes iſtæ rationes referendi vnam perſonam, aut duas ad alterum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An relatio in Deo ſit idem cum diuina eſſentia.

DVBITATIO PRIMA.

An relationes diſtinguantur à diuina eſſentia.

Sententia 1. SVNT qui putent relationes diuinas diſtingui quodammodo ab eſſentia; illo videlicet modo, quo modificatum, & modus in rebus creatis ab inuicem diſtinguuntur; ac proinde diſtinctione reali minori. Probant 1. Quæ ab inuicem ſeparantur realiter, diſtinguuntur quoque realiter: at eſſentia diuina ſeparatur à relationibus realiter: Nam in Conc. Florent. ſeſſ. 18. dicitur de Patre, quòd generando Filium communicet illi illud omne quod in ſe habet præter paternitatem: ergo paternitas diſtinguitur ab eſſentia Filio communicata. Deinde, quando dantur duo extrema realiter diſtincta, quidquid eſt idem realiter cum vno differt ab alio realiter; at Pater, & Filius ſunt duo extrema realiter inter ſe diſtincta: ergo cùm eſſentia diuina ſit idem cum Patre realiter, diſtinguetur à Filio realiter. Florentin. Ità Durand. diſt. 33. lib. 1. quæſt. 1.

Sententia 2. Scotus verò diſt. 2. lib. 1. q. 7. & 33. & 35. diſt. eiuſdem lib. Gabriel, & alij nonnulli nominales ibi dem exiſtimant relationes diuinas diſtingui formaliter ab eſſentia, & ex natura rei: ità vt eſſentia diuina, non ſit formaliter paternitas; nec è contra paternitas eſſentia diuina, ſed tantũ in ſenſu identico, ſeu quod idẽ eſt, quia paternitas idẽtificatur perfectiſſimè cum eſſentia diuina à parte rei: ità vt nulla detur diſtinctio realis inter paternitatem, & eſſentiam diuinam. Refert Molina diſp. 5. ad hunc art. D. Thom. multa argumenta in confirmationẽ huius opinionis, & item alij nonnulli interpretes D. Thom. maximè verò Zumel.

Argumenta in fauorem 2. ſententia. Ex iſtis tamen hęc ſunt quę maiorem videtur habere difficultatem: Illa diſtinguuntur inter ſe formaliter, & ex natura rei, quę ante omnẽ mentis cogitationem admittunt propoſitiones aliquas contradictorias in ſeipſis veras: at de eſſentia diuina dicitur quòd ſit communicabilis: de relationibus verò quod ſint incommunicabiles: de eſſentia quòd ſit improducibilis, & improducta; de relationibus verò filiationis, & de Filio quòd ſint producibiles: de eſſentia quòd non generet, nec generetur; de Filio verò quod generetur. Cùm ergo communicari & non communicari; produci, & non produci, ſint contradictoriæ propoſitiones, eſſentia, & relationes diuinæ inter ſe diſtinguentur ex natura rei.

Deinde, abſolutum non eſt de ratione reſpectiui: diuiditur enim ens in abſolutum, & reſpectiuũ: at eſſentia diuina eſt abſoluta, relationes verò reſpectiuę, omnium conſenſu. Denique, magis differt eſſentia diuina à relationibus, quàm ab attributis abſolutis: illa namque includit in ſuo cõceptu formali attributa abſoluta, minimè verò reſpectiua, vt poſtea probabitur; atqui attributa abſoluta diſtinguũtur ab eſſẽtia ratione ratiocinata ex dictis q. 26. huius part. ergo relationes different ab eadem formaliter, & ex natura rei.

Attributa diuina ſunt in duplici titulo. Aduerte omnium planè Theologorum conſenſu, attributa diuina alia eſſe abſoluta, alia verò reſpectiua: illa cenſentur eſſe quæ ſignificant formas aliquas abſolutas, quas nos concipimus aduenire diuinæ eſſentiæ ad modum alicuius formæ adiacentis; hæc verò putantur eſſe formæ quædam reſpectiuæ, quas concipimus aduenire diuinæ eſſentiæ ad modum alicuius formæ determinantis eſſentiam diuinam ad eſſe perſonale, & conſequenter per quam vna, vel duę perſonæ referuntur ad aliam: contingit autem attributa iſta concipi à nobis & confusè, & diſtinctè: priori modo concipiuntur à nobis ſecundùm illud omne, quod habent intrà diuinam eſſentiam, ac proinde prout ſunt in eſſentia diuina: poſteriori vero modo concipiuntur à nobis quaſi diſtincta, & ſeparata ab omnibus alijs attributis: hæc diſtinctio appellatur ab aliquibus inadæquata, idque quod attributum hoc non concipiatur ſecundum illud omne quod habet intrà diuinam eſſentiam, ſed tantùm prout concipitur & intelligitur à nobis: hac ratione concipimus miſericordiam quotieſcumque dicimus quod ſit huius miſereri tantùm, minimè vero reddere vnicuique quòd ſuum eſt: priori vero modo concipimus eandem miſericordiam, quando dicimus pertinere ad eam ſubleuare miſeriam alicuius, non excludendo ceteras perfectiones, cum quibus coniungitur intrà diuinam eſſentiam: & hic conceptus miſericordiæ vocatur à multis obtectiuus, quemadmodum & ille prior præciſiuus, ſeu diſtinctus.

CONCLVSIO 1. *Relationes ſunt in Deo virtute intrà Deum admittendæ ſecundùm proprias quidditates, & rationes formales, non virtute formaliter tantùm, & eminenter.* Primo, quia de fide eſt in diuinis dari Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & quidem propriè, & formaliter loquendo de Patre, Filio, & Spiritu ſancto; dicitur enim 1. Ioann. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*, & Matth. vltimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: at impoſſibile eſt Patrem eſſe propriè Patrem, niſi habeat in ſe rationem formalem paternitatis: Filius item nequit eſſe Filius ſinè quidditate filiationis, & idem dicendum eſt de Spiritu ſancto ſine formali ratione proceſſionis, vel ſpirationis paſſiuæ: ergo. *Relationes debent cõcedi Deum.* 1. Ioann. 5. ℣. 7. Matt. vlt. ℣. 20.

Deinde, Sancti Patres docent relationem in diuinis non ſignificare ſubſtantiã, ſeu ad ſubſtantiam, ſed ad aliquid, ſiue relationes. Ita D. Auguſtinus locis ſupra citatis.

Denique, ſi virtute, & eminenter relationes paternitatis, & filiationis, itẽque proceſſiones eſſẽt in Deo tantũ, ſequeretur Deũ nõ magis formaliter eſſe Patrẽ, aut Filiũ, quã ſit corporeus, ſenſilis, &c. nã duo iſta poſtrema continentur in eo tantũ virtute, & eminenter: atqui nullus eſt qui audeat

Digitized by Google

affirmare primam perſonã ſanctiſſimę Trinitatis, non eſſe formaliter Patrem, & item Filiũ non eſſe filium formaliter: ergo huiuſmodi relationes formaliter in Deo continentur.

Eſſentia diuina nec realiter, nec formaliter ab attributis relatiuis, nec è contrà, ſed tantùm ratione ratiocinata diſtinguitur.

Conclvsio 2. *Eſſentia diuina, nec realiter, nec formaliter diſtinguitur ab attributis relatiuis; nec è contra attributa relatiua diſtinguuntur ab eſſentia, ſed ſola ratione ratiocinata.* Prima pars Concluſionis probatur: quę differunt realiter, poſſunt à ſe inuicem ſeparata exiſtẽre, ex communi doctrina; at nec eſſentia ſinè relationibus, nec relationes ſinè eſſentia exiſtere poſſunt; ſunt enim hæc vna entitas ſimpliciſſima, & indiuiſibilis, & item ſimpliciter neceſſaria: ergo.

Deinde, vbi datur ſumma entitas, illic nulla poteſt eſſe diuerſitas realis; at eſſentia, & relationes diuinæ, ſunt vna ſimpliciſſima entitas.

Tertiò, inter eſſentiam, & relationes oppoſitio nulla datur; atqui omnis diſtinctio realis in diuinis peritur ab oppoſitione, ex illo axiomate: *In diuinis omnia ſunt vnum, & idem, niſi vbi interuenit oppoſitio relationis.*

Secunda vero pars Concluſionis probatur: Eſſentia eſt de intrinſeca ratione conceptus formalis cuiuſlibet relationis diuinæ, vt probabitur Dub. proximè ſequenti: ergo eſſentia non diſtinguitur formaliter à relationibus; implicat enim aliquid eſſe de ratione formali alicuius, & diſtingui formaliter ab eo. Deinde, ſi relationes diuinæ diſtinguerentur ex natura rei, & formaliter ab eſſentia, ſequeretur aliquid eſſe in Deo, nempe Pater v. g. conſtitutus ex duabus rationibus formalibus diſtinctis inter ſe formaliter, nempe ex paternitate, & eſſentia diuina; illa eadem ratione, qua homo v. g. conſurgit ex rationali, & animali: & Angelus ex ſuo genẽre & differẽtia; conuenit enim inter omnes perſonam quamlibet diuinam conſurgere ex eſſentia, & relatione, ſeu proprietate perſonali ſibi peculiari; atqui illatio iſtius propoſitionis pugnat cum ſumma Dei ſimplicitate: Si enim Pater conſurgeret ex vna tantùm formalitate, & non ex duabus proximè explicatis, eſſentia ſcilicet diuina, & relatione paternitatis, ſimplicior eſſet Pater, quàm quando habet vtramque formalitatem, vel (quod idem eſt) rationem formalem. Eſt præterea contra cap. *Firmiter*, & cap. *Damnamus*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica; in primo namque dicitur Deum eſſe tres perſonas, & vnam eſſentiam ſimplicem omnino, id eſt nec compoſitam in ſe, nec cum aliquo alio. In 2. verò dicitur; *Vna ſumma res veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſunt perſonæ, ac ſigillatim qualibet earum, & ideò in Deo ſolum Trinitas eſt non quaternitas, quia qualibet trium perſonarum, eſt illa res, vel ſubſiſtentia, eſſentia, & natura diuina.*

Tertia demum pars probatur. Eſſentia eodem modo diſtinguitur ab attributis reſpectiuis, quo ab attributis abſolutis; nam attributa reſpectiua non inducunt maiorem, aut etiam vllam compoſitionem, vel potius multiplicitatem, diuerſam ab ea, quam inducere poſſunt attributa abſoluta, ſaltem ſi comparentur attributa reſpectiua cum eſſentia. Quod dico, quoniam ſi comparentur attributa reſpectiua inter ſe, diſtinguentur realiter ab inuicem, vt poſtea probabitur; at attributa abſoluta, & eſſentia diſtinguuntur tantùm inter ſe ratione ratiocinata, quę licèt in re ſint vnum, & idem realiter, & formaliter; in ordine tamen ad intellectum noſtrum cenſentur eſſe varia, & multiplicia: idque quòd detur à parte rei in iſtis fundamentum aliquod virtuale, & eminens multiplicitatis, & diuerſitatis eorumdem: atqui mens noſtra concipit eſſentiam diſtinctam ab attributis reſpectiuis, & attributa reſpectiua ab eſſentia: ergo diſtinguentur inter ſe ratione ratiocinata. Denique, hæc Concluſio videtur definita in Concilio Lateranen. ſub Innocent. III. Florent. ſeſſ. 17. 18. 19. & 25. ità enim illic habetur: *relationes ſola ratione ab eſſentia diſtinguuntur.* & in Concil. Rhemenſi contra Gilbertum Porretanum. Subſcribunt Patres, Athanaſius in lib. contra Arianos Damaſc. lib. 1. de fide capit. 9. 10. & 11. Bernard. ſerm. 80. in Cantica, & lib. 5. de conſider. ad Eugenium III. cap. 7. & 8.

Florentin. Athanaſ. Damaſc. Bernard.

Ad rationis 1. ſententiæ.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. ſententię primę, cõceſſa maiori, negando minorẽ. Ad probationem autem, Patrem generando Filium communicare illum totum quod in ſe habet prẽter relationem paternitatis iuxta ea quæ definita ſunt in Concilio Florentino. Ex iſtis tamen non licet colligere relationem diuinam ſeparari realiter, aut etiam formaliter, ſeu (quod idem eſt) ex natura rei ab eſſentia diuina, ſed tantùm relationẽ paternitatis diſtingui realiter à filiatione, propter oppoſitionem, quę datur inter Patrẽ & Filiũ.

Ad 2. reſp. negando maiorem: fides enim docet Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum diſtingui realiter inter ſe, & tamen vna, & eadem planè numero natura diuina eſt in Patre, Filio, & Spiritu ſancto, ex præſcripto eiuſdem fidei. Propoſitio ergo illa maior, vera tantùm eſt in rebus creatis, in quibus extrema quæ ſunt realiter inter ſe diſtincta nuſquam identificantur perfectiſſimè cum aliquo tertio in quo conueniunt. 2.

Diſſoluuntur rationes 2. ſententiæ.

Ad rationes verò authorum ſecundæ ſententiæ reſp. Ad 1. Propoſitiones iſtas: Eſſentia eſt communicabilis; Eſſentia contracta ad perſonam Patris, vt perſona Patris reduplicatiuè, eſt incommunicabilis; item, Eſſentia eſt improducibilis, Filius verò producitur, etſi Deus, non eſſe contradictorias; propoſitiones quippe contradictoriæ ex doctrina Ariſtotelis recepta communiter, debent eſſe ad idem, ſecundum idem, & eodem modo: eſſentia autem diuina aliter eſt communicabilis, quàm ſit incommunicabilis: nam dicitur communicabilis quatenus ſpectatur præcisè in ratione abſoluti: incommunicabilis verò quatenus ſpectatur in ratione perſonæ Patris, vel Filij, vel Spiritus ſancti: Eſſentia item eſt improducibilis, vt habet rationem abſoluti, producibilis vero, vt ſupponit pro perſona Filij, vel Spiritus ſancti tantùm.

Ad 2. Abſolutum non eſſe de ratione reſpectiui in rebus creatis, in diuinis vero ſecus ſentiendum eſt: dicimus enim eſſentiam diuinam pertinere ad rationem formalem cuiuſlibet relationis diuinæ realis. 2.

Ad vltimam: Magis diſtingui attributa reſpectiua ab eſſentia diuina, quàm attributa abſoluta: nam quodlibet ex abſolutis, eſt idem adæquatè, & cõuertibiliter cũ eſſentia diuina; quodlibet verò ex attributis reſpectiuis, non eſt idem adæquatè, & conuertibiliter cum illa. Pater enim eſt idem cum eſſentia diuina: non tamen eſt illud omne, quod eſt eſſentia diuina; nam Filius & Spiritus ſanctus ſunt eſſentia diuina, & tamen Pater non eſt Filius, nec item Spiritus ſanctus, & contra. Deinde, quodlibet ex attributis abſolutis diuinis ſignificat perfectionem ſimpliciter ſim-

ſimpliciem ; attributa autem reſpectiua ſignificant perfectionem ſecundùm quid tantum , vt probabitur poſtea. Denique attributa abſoluta nedum ſunt idem cum eſſentia diuina , ſed etiam de intrinſeca ratione eſſentiæ diuinæ ; ità vt eſſentia diuina concipi nequeat ſinè iſtis attributis, reſpectiua verò ſunt quidem idem cum eſſentia diuina, non tamen ſunt de intrinſeca ratione formalis conceptus eiuſdem, vt probabitur poſtea.

Neque oppoſitum colligere licèt , ex eo quòd attributa abſoluta, & item reſpectiua diſtinguantur ab eſſentia ſola ratione ratiocinata ; diſtinctio namque rationis ratiocinatæ non eſt poſita in impartibili , & indiuiſibili, ſed latitudinem quamdam gradualé admittit: ità vt , ea quę diſtinguuntur ratione ratiocinata ; diſtinguantur inter ſe ſecundum magis , & minus : neque hoc mirum magis videri debet , quàm quæ diſtinguuntur inter ſe realiter, non diſtingui vno & eodem modo ſimpliciter ; nam modus rei cuiuſlibet modificatæ , minùs diſtinguitur à re modificata, quàm diſtinguatur res modificata ab aliqua re abſoluta diſtincta realiter à ſe , cùm conueniat inter omnes modum non poſſe exiſtere ſeparatum à re modificata ; res tamen modificata poteſt exiſtere ſeparata, ab omni alia re abſoluta diſtincta à ſe realiter. Quid igitur mirum eſt ſi inter ea quæ diſtinguuntur ratione ratiocinata , alia magis , alia minus inter ſe diſtinguantur?

DVBITATIO SECVNDA.

An relationes ſint de ratione formalis conceptus eſſentiæ diuinæ; ità vt nequeat concipi ſinè relationibus.

SVnt qui putent partem affirmatiuam eſſe veram ; idque quòd relationes ſint idem realiter, & formaliter cum eſſentia diuina.

Deinde , quia relationes diuinæ perfectionem aliquam neceſſariò ſignificant ; eſſentia autem diuina , cùm ſit in omni ratione entis ſimpliciter infinita , quamlibet perfectionem ſibi vindicat intrinſecè & formaliter.

Denique , eſſe in tribus ſuppoſitis , & eſſe tria ſuppoſita ſunt vnũ, & idem: at eſſentię diuinę formaliter , & intrinſecè competit vt ſit in tribus ſuppoſitis: ergo. Ità ſentire videtur D. Thom. art. 2. quæſt. proximè antecedent. ad 3. Ait enim Verbum diuinum , & illud omne quod pertinet ad rationem Verbi diuini , contineri in perfectione diuini eſſe.

Eſſentia diuina poteſt concipi ſinè relationibus diuinis, non enim ſũt de intrinſeca ratione cõceptus formalis eſſentiæ.

Conclvsio. *Attributa relatiua non ſunt de intrinſeca ratione formalis conceptus eſſentiæ diuinæ; ac proinde poteſt concipi eſſentia ſinè relationibus diuinis.* Primò , quia Sancti Patres docent relata dici de Deo, non ſecundum ſubſtantiam, nec ſecundum accidens , ſed ad aliquid.

2. Deinde , ijdem Patres docent in Deo dari aliqua communia , & alia propria ; illa contendunt eſſe attributa abſoluta cum eſſentia præcise ſpectata ; hæc verò attributa reſpectiua , ſeu perſonalia : at ſi relationes ſunt de ratione formalis conceptus eſſentiæ diuinæ ; falſum erit aliqua eſſe in Deo propria , & alia communia ; nam eſſentia diuina eſt vna , & eadem numero in omnibus perſonis , & conſequenter omnia erunt communia , non propria, cùm includantur attributa reſpectiua in conceptu formali eſſentiæ diuinæ.

3. Tertiò , in rebus creatis reſpectiuum non eſt de ratione formali alicuius abſoluti ; pertinent enim abſolutum , & reſpectiuum in creatis ad diuerſas categorias omnium conſenſu.

4. Quartò , quidquid eſt de conceptu formali eſſentiæ diuinæ , aut eſt eſſentia ipſa , aut conſtitutiuum eſſentiæ , vt videtur eſſe per ſe notum : at attributa reſpectiua , nec ſunt eſſentia ſpectata reduplicatiuè ; ità enim dicunt relationem, non autem quidpiam abſolutum , neque item ſunt conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ , quia abſolutum , vt ſic , non poteſt conſtitui , niſi per aliquid abſolutum : relationes autem diuinæ non ſunt , vt ſic , abſolutæ , ſed reſpectiuæ.

5. Quintò , quod præſupponit eſſentiam conſtitutam , non eſt de ratione eſſentiæ : atqui relationes præſupponunt eſſentiam diuinam conſtituram; nam concipiuntur à nobis illi aduenire, & determinare ad eſſe perſonale; perſona quippe diuina cõſurgit ex eſſentia, & relatione paternitatis, aut filiationis, aut denique proceſſionis.

6. Sextò , ſi relatio eſſet de conceptu formali eſſentiæ diuinæ , relatio communicaretur ex vi illius communicationis per quam communicatur eſſentia : at Concilium Florentinum ſeſſione 18. Florentin. definiuit Patrem generando Filium communicare illi totum quod in ſe habet præter paternitatem. Maior ex eo notiſſima eſt, quòd ratio formalis cuiuſlibet rei poſita ſit in impartibili , & in indiuiſibili: ità vt dixerit Ariſtoteles naturas rerum eſſe ſimiles numeris , quibus nihil addi poteſt, aut detrahi quin ſtatim varietur ſpecies. Confirmatur : Eſſentia diuina ſpectata in ratione eſſentiæ, abſolutè , eſt impartibilis & indiuiſibilis : at relationes ſunt verè in ſeipſis diuiſibiles : ergo non ſunt de ratione diuinæ eſſentiæ. Ità D. Thom. quæſt. 33. huius part. Ægidius in 1. diſtinct. 24. art. 5. Argentinenſis ibidem, Bartholomæus Torres diſput. 3. Ægidius de præſent. lib. 5. in 1. 2. D. Thom. quæſt. 13. art. 1. §. 3. & plerique alij Recent. apud ipſum.

Reſp. ad arg. cõtrar.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. ex identitate attributorum reſpectiuorum cum eſſentia diuina , non poſſe colligi attributa relatiua eſſe de ratione formali conceptus eſſentiæ diuinæ : nam modus identificatur perfectiſſimè in rebus creatis , cum re modificata , neque eſt de ratione formali rei modificatæ , nec è contra. Item ſpecies identificatur cum ſuis indiuiduis , & tamen ſpecies , vt ſic , non eſt de ratione indiuiduationis , vt eſt per ſe notum : Licèt ergo ſit veriſſimum relationes paternitatis , filiationis & ſpirationis paſſiuæ eſſe, idem realiter cum eſſentia diuina ; non tamen propterea pertinent iſtæ relationes ad conceptum formalem eſſentiæ diuinæ.

2. Ad 2. reſpond. Omnem perfectionem tam ſimpliciter ſimplicem , quàm ſecundum quid abſolutam , eſſe de ratione formali conceptus eſſentiæ diuinæ : eſt enim eſſentia diuina ſimpliciter infinita , & quidem in ratione abſoluti: ergo quælibet perfectio abſoluta continetur intrà diuinam eſſentiam : perfectio verò reſpectiua tantùm , non eſt de ratione formali conceptus eſſentiæ diuinæ, ſed conceptus hic eſt ità proprius relationis , vt de ſolis relatis enunciari poſſit :

Digitized by Google

Vnde non est mirum si relationes diuinæ excludantur à conceptu formali essentiæ diuinæ.

Aduerte, non esse absurdum fateri aliquam perfectionem, relatiuam tamen, & non absolutam, negari de diuina essentia, vt sic; quod dico quoniam in sensu identico relationes sunt de essentia diuinæ naturæ, licèt non sint de essentia eiusdem in sensu formali, ex veriori opinione Theologorum.

3. Ad 3. non esse idem; esse in tribus suppositis, & esse tria suppositа; nam esse in tribus suppositis significat perfectionem simpliciter simplicem absolutam, quæ necessariò conuenire debet essentiæ diuinæ, vt sic: esse autem tria suppositа nihil aliud est, quàm dari in Deo tres personas realiter inter se distinctas: idque quòd personæ istæ constituantur relationibus inter se realiter distinctis, vt probabitur fusius in subsequentibus.

DVBITATIO TERTIA.

An essentia diuina sit de ratione intrinseca relationum diuinarum; ità vt nequeat concipi vlla relatio diuina formaliter, quin etiam concipiatur essentia diuina.

Sententia 1. Probat 1. Sunt qui putent partem negantem esse indubitatam. Primò, quia constitutum, definitum, & determinatum per formam aliquam vel differentiam, nequit esse de intrinseca ratione conceptus formalis constitutiui, definitiui, & determinantis, vt patet exemplo animalis, quod contrahitur in homine per rationale, in bruto verò per irrationale: animal autem non est de intrinseca ratione rationalis, aut irrationalis: atque essentia diuina contrahitur ad esse personale, in Patre per paternitatem, in Filio per filiationem, & in Spiritu sancto per processionem: ergo.

2. Deinde, si essentia diuina esset de ratione formali cuiuslibet relationis; sequeretur ex essentia, & relatione diuina non posse consurgere personam diuinam, repugnat enim constitutiuum continere totum id quod dicit constitutum: At fatentur omnes ex essentia, & relationibus constari personas diuinas: ergo essentia non est de ratione formali relationum.

3. Tertiò, D. Thom. quæst. 8. de potentia ait, propositiones istas: Paternitas est essentia, Essentia est paternitas, non esse per se: cuius rei nulla alia potest assignari ratio, nisi quia essentia, non est de ratione intrinseca paternitatis, nec item paternitas de intrinseca ratione essentiæ diuinæ.

Denique, duo tantùm prædicamenta enunciantur de Deo; substantia, scilicet & relatio, ex D. Augustin. doctrina D. Augustini lib. 5. de Trinitate, cap. 3. 4. & 5. & lib. 7. cap. 4. & 5. ergo cùm prædicamenta sint inter se impermixta, & inconfusa nec essentia erit de intrinseca ratione relationum diuinarum, nec è contrà, relationes de ratione essentiæ diuinæ. Ità docent Vazq. disput 121. Ægidius de præsentat. quæst. 13. lib. 5. ad 1. 2. D. Thom. art. 2.

Essentia diuina est de conceptu formali relationum. Conclvsio 1. *Essentia est de conceptu formali obiectiuo relationum diuinarum, ità vt impossibile sit concipere relationem aliquam diuinam, quin concipiatur etiam essentia diuina; si non expressè, & distinctè, confusè saltem, & implicitè.* Primò, quia ex D. Augustin. in lib. de Trinitat. propositiones istæ sunt verissimæ, *Pater est Deus, Filius est Deus: Spiritus sanctus est Deus.* Subiungit autem causam: *Quia* (inquit) *hæc omnia dicuntur secundum substantiam,* (nomine autem substantiæ intelligit essentiam diuinam) ergo. D. Augustin.

Deinde, de fide est quamlibet personam diuinam esse Deum.

Tertiò, quælibet relatio diuina est infinita; at præter Deum nullum datur de facto infinitum.

Quarto, omnis relatio diuina vel est creata, vel increata: Primum, dici non potest, quia intrà Deum non datur aliquid creatum; si autem dicatur secundum, de relatione diuina statuendum erit quod includat essentiam in suo conceptu obiectiuo, quia solus Deus est increatus.

Denique, hæc propositio est verissima: Paternitas est Deus, nedum identicè, sed etiam ex modo significandi, seu formaliter vt loquuntur: impossibile quippe est nos concipere paternitatem istam, quin includat, vel expressè, vel confusè, & implicitè deitatem. Confirmatur. Abstracta enunciantur de se inuicem in diuinis, nedum concreta, ex communi doctrina.

Propterea autem dixi essentiam diuinam includi in conceptu formali obiectiuo relationum diuinarum, confusè ad minus, & implicitè, quia certum est relationem diuinam concipi sinè essentia, expressè, & distinctè, conceptu (vt loquuntur) præcisiuo, illo eodem modo quo concipimus misericordiam Dei, sinè iustitia, quando dicimus misericordiam subleuare miseriam alicuius, non autem punire culpam; sed hoc competere iustitiæ. Ità docent Zumel ad hanc quæst. D. Thom. art. 2. quæst. 3. concluſ. 1. Torres de Trinit. quæst. 39. art. 6. disp vnica, Caiet. ad q. 39. huius part. art. 6. & vt videtur D. Thom. quæst. 33. art. 3. ad 1. & art. 6. quæst. 39. huius partis.

Dices, absolutum non esse de ratione respectiui. Resp. hoc esse verum in rebus creatis, in Deo tamen secus sentiendum est, idque quòd essentia diuina identificetur perfectissimè cum relationibus, & quod relationes istæ nequeant vlla ratione intelligi, nisi concipiantur vt diuinæ, vel expressè, vel implicitè.

Conclvsio 2. *Esse in tribus suppositis, aut subsistere triplici subsistentia est de ratione formali essentiæ diuinæ.* Primò, quia subsistere triplici subsistentia significat formam absolutam. Deinde, subsistere triplici subsistentia competit essentiæ diuinæ, ex eo capite, quod est simpliciter infinita; fatentur enim omnes propterea essentiam diuinam vindicare sibi tres subsistentias, quòd sit infinita simpliciter; res verò creatas ideò postulare vnam tantùm subsistentiam, quòd sint finitæ. Tertiò, propensio, & inclinatio cuiuslibet naturę substantialis est de intrinseca ratione eiusdem. Denique, illud omne quod competit essentię diuinæ independenter ab alio, est illi essentiale; at competit essentiæ diuinæ, esse in tribus personis independenter à quolibet alio: ergo hoc est illi essentiale. *Subsistere triplici subsistentia est de ratione formali essentiæ diuinæ.*

Ad rationes verò contrarias resp. Ad 1. Contractum per veram formam, aut per veram diffe- *Dissumuntur argumenta contraria sententia.*

Digitized by Google

differentiam ad ſpeciem aliquam categoricam, ac proinde in rebus creatis non continuerit in ratione formali formæ, vel diſtinctia per quam contrahitur, vt bene probat argumentum; ſecus tamen dicendum eſt de relationibus diuinis, quæ contrahunt eſſentiam diuinam ad eſſe perſonale, idque propter cauſas in antecedentibus explicatas: Imò res hæc nedum habet locum in Deo, ſed etiam in proprietatibus, aut potius quaſi proprietatibus entis: conuenit enim inter omnes vnum, verum, & bonum, quodammodo modificare, & determinare ens: & tamen quodlibet ex iſtis includit rationem entis formaliter, & intrinſecè; Quid igitur mirum ſi hoc contingat in relationibus diuinis?

2. Ad 2. conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem autem, conſtitutiuum quod conſtituit in vera, & reali compoſitione non continere illud omne, quod dicit conſtitutum; ſecus tamen ſentiendum eſt de conſtitutiuo, quod conſtituit ſola ratione & modo ineffabili reſpectu noſtri; relationes autem diuinæ conſtituunt perſonas, non quidem per compoſitionem veram, & realem: ſed tantùm ſola ratione ratiocinata, & quidem modo ineffabili, reſpectu ſaltem noſtri, pro eo tempore, quo ſumus in hac vita mortali.

3. Ad 3. propoſitiones iſtas eſſe ſaltem identicè veras, vt conſtat inter omnes, & concedit D. Thom. art. 6 quæſt. 39. huius part. 3 propterea autem dicit iſtas propoſitiones non eſſe per ſe, quia earum attributa ſunt efformata in abſtracto; abſtracta autem ſecundum noſtrum modum loquendi, non enunciantur de ſubiectis, quòd nihil poſſit dici verè de aliquo, niſi ſit in eo.

Interpretatur Diuus Thomas.

Ad vltimam: propterea D. Auguſtinum affirmare duo iſta prædicamenta enunciari de Deo, quia cetera prædicamenta dicuntur tantùm de Deo impropriè, & quaſi metaphoricè; ſubſtantia verò & relatio propriè, ſeu (quod idem eſt) formaliter, & ſecundùm ſuas proprias quidditates præcindendo ab imperfectionibus, cum quibus reperiuntur in rebus creatis. Noluit tamen aſſerere ſubſtantiam, & relationem eodem modo dici de Deo, quo vna Categoria enunciatur de alia; nam Categoriæ nuſquam de ſe inuicem prædicantur, & nihilominus fatetur D. Auguſtinus propoſitiones iſtas eſſe veriſſimas: Deus eſt Pater, & contrà, Pater eſt Deus: item, paternitas eſt Deus, & contrà, Deus eſt paternitas.

D. Auguſt.

DVBITATIO QVARTA.

An relationes dicant perfectionem.

Notabile. ADuerte 1. perfectiones eſſe in duplici differentia: aliæ namque ſunt ſimpliciter ſimplices; aliæ verò ſecundum quid. Perfectio ſimpliciter ſimplex definitur, illa, Quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa, & quæ ſtare poteſt cum omni alia perfectione ſibi æquali, aut perfectiori. Perfectio verò ſecundum quid cenſetur eſſe ea, Quæ in ſuo conceptu formali, ita dicit perfectionem, vt tamen habeat annexam imperfectionem; huius generis ſunt animalitas, ſenſibilitas, corporeitas, & aliæ: Illius verò Bonitas, ſapientia, æternitas, & aliæ innumeræ.

Aduerte 2. relationes diuinas ſpectari, vel vt in ſuo conceptu formali includunt eſſentiam diuinam, vel vt identificantur perfectiſſimè cum eſſentia diuina, vel denique vt concipiuntur à nobis ſeparatæ ab eſſentia diuina: de relationibus ergo diuinis, iſtis omnibus modis ſpectatis quærimus. An dicant perfectionem, vel ſimpliciter ſimplicè, vel ſecundum quid, vel etiam vtramque ſimul: de qua re miſſis de hac re opinionibus ſit

CONCLVSIO 1. *Relatio diuina præciſa ſecundum noſtrum modum concipiendi ab eſſentia, dicit vna perfectionem aliquam.* Primùm, quia hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, D. Auguſt. lib 2. de Trinitat. cap. 2 & lib 4. cap. 20. ait enim locum hunc Ioan. *Pater maior me eſt*, intelligendum eſſe de *ſoluta dignitate* perſonæ Patris: dignitas autem quæ te net ſe ex parte alicuius rei intrinſecè perfectionē ſignificat, ex communi doctrina Theologorum, & Philoſophorum: Damaſc. in lib. de fide frequentiſſimè, & D. Thom. quæſt. 42. art. 4. ad 1. huius part. & quæſt. 40. art. 3. ad 3. ait enim proprietatem diſtinguentem perſonas diuinas (quę eſt relatio) pertinere ad dignitatem perſonę cōſtituę & quæſt. 32. art. 3. ad 3. ait perſonam importare dignitatem (loquitur autem de perſonis diuinis)

Relatio diuina præciſa per cōceptum, ab eſſentia abſoluta dicit perfectionē.

D. Auguſt.

Deinde, omnis entitas vera, realis, & phyſica perfectionem aliquam dicit: ens enim perfectum, ſeu bonum conuertuntur: at relatio diuina præciſa ab eſſentia ſecundum noſtrum modum concipiendi, adhuc eſt verum ens reale, & phyſicum: igitur & perfectionem dicit.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ omnem entitatem veram, realem, & phyſicam dicere perfectionem, ſi ſermo ſit de entitate vera, reali, & phyſica abſoluta; relationes autem præciſas ab eſſentia diuina, non eſſe entitates abſolutas, ſed relatiuas.

Quorundā reſponſio. Impugnatur.

Ceterùm reſponſio hæc defendi nullo modo poteſt. Primò, quia ens verum, phyſicum, & reale diuiditur communiter in abſolutum, & reſpectiuum. Deinde, relata quæ dantur in rebus creatis conſtituunt categoriam aliquam realem, diſtinctam à ceteris omnibus alijs, vt conſtat ex lib. categoriarum Ariſtotelis. Tertiò, relata creata dicunt eamdem planè perfectionem cum fundamentis, quibus innituntur & cum quibus identificantur realiter: certum autem eſt fundamentum relationum creatarum eſſe entitates aliquas veras, & reales, ac proinde dicere perfectionem aliquam; fundamenta autem relationis cuiuſlibet rei creatæ, ſunt vel quantitas, vel qualitas, vel actio, & paſſio, ex communi doctrina Philoſophorum.

Tertiò probatur Concluſio. Subſiſtentia in rebus creatis, dicit perfectionem aliquam; ergo, & relationes diuinæ; iſtæ enim ſunt res aliquæ per ſe ſubſiſtentes, vt probabitur poſtea, & manifeſtè colligitur ex eo quòd relationes, ſaltem aliquæ diuinæ, conſtituant perſonas Patris, Filij, & Spiritus ſancti, quorum quælibet per ſe ſubſtantia eſt, & per ſe ſubſiſtit. 3.

Quartò, ratio perſonæ vt ſic, perfectionem aliquam ſignificat: at relationes diuinæ conſtituunt perſonas diuinas. 4.

Denique, ſi relatio diuina præciſa ſecundū noſtrum modū cōcipiendi ab eſſentia non dicit perfectionem, ſequitur humanitatē Chriſti, non eſſe adorandam adoratione latriæ: Latria quippe ſoli primæ entitati debetur, ſeu (quod idē eſt) ſoli Deo: at citra hæreſim manifeſtam defendi non poteſt cultum latriæ non deberi humanitati Chriſti

vnitæ ſuppoſito diuino: ergo. Ità ſentiunt re- A centiores, Ægidius de præſentat. quæſt. 14. art. 3. part. 3. lib. 5. in 1. 2. D. Thom. & Nominales communiter, maximè verò Ockam, & Gabriel diſt. 19. lib. 1.

Relatio diuina, identificata cum eſſentia diuina dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem.

CONCLVSIO 2. *Relatio diuina ſpectata velut identificata cum eſſentia, vel vt includit eſſentiã diuinam in ſuo concepiu formali, ſignificat perfectionem aliquam ſimpliciter ſimplicem.* Primò, quia perfectio ſimpliciter ſimplex definita eſt à nobis, quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa, & quæ ſtare poteſt cum omni alia perfectione ſibi æquali, aut perfectiore: at quælibet relatio diuina vt identificatur cum eſſentia, vel vt in ſuo conceptu formali includit eam, poteſt ſtare cum omni alia perfectione ſibi æquali, vel etiam ſuperiore ſe, ità enim nullam dicit oppoſitionem, cum eſſentia diuina, & præterea quælibet ex iſtis relationibus ſpectata modis prędictis eſt melior ipſa, quàm non ipſa: ergo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. B

Deinde, eſſentia diuina, vt ſic, dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem; at relatio diuina includit ex hypotheſi eſſentiam diuinam in ſuo conceptu formali obiectiuo, vt identificatur perfectiſſimè cum illa: ergo dicet perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ſaltem iſtis duobus modis ſpectata.

Denique, inter relationes diuinas, & eſſentiam nulla intercedit diuerſitas, ſed ſumma, & perfectiſſima identitas: ergo quemadmodum eſſentia dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ità & hoc erit fatendum de relationibus diuinis. C

Relatio diuina præciſa per intellectum ab eſſentia, dicit perfectionem ſecundum quid.

CONCLVSIO VLTIMA, *relatio diuina ſpectata ſecundum noſtrum modum concipiendi, quaſi ſeparata ab eſſentia non dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem: ſed tantùm ſecundum quid.* Primò, quia ità docent authores proximè citati.

Deinde omnis perfectio quæ datur in Deo vel eſt ſimpliciter ſimplex, vel ſecundùm quid, ex communi doctrina: at relatio diuina diſtincta ab eſſentia, non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; nam paternitas v. g. reijcit filiationem in Patre; & filiatio, paternitatem in Filio: & ſpiratio paſſiua non admittit in Spiritu ſancto ſpirationem actiuã; neque item paternitatem, vel filiationem. D

Denique, oppoſita non dicunt perfectionem ſimpliciter ſimplicem, vt ſic, propter cauſam explicatam in definitione perfectionis ſimpliciter ſimplicis; at relationes diuinæ dicunt oppoſitionem inter ſe: ergo dicent tantùm perfectionem ſecundùm quid.

Aduerte concluſionem iſtam, nedum intelligendam eſſe de relationibus præciſis ab eſſentia diuina ſecundùm noſtrum modum concipiendi: E ſed etiam de iiſdem, vt dicunt oppoſitionem, aut (vt alij loquuntur) quatenus, ſpectantur in proprio genere; nam ſancti Patres docent non ſolùm eſſe perfectionem in Deo, poſſe generare; ſed etiam generare actu; quod dicit ſuper potentiam generandi, relationem paternitatis; & addunt, quòd ſi Pater non generàſſet Filium, caruiſſet hic perfectione generãdi: ità Athanaſius orat. 2. contra Arianos. Deinde, docet idem Athanaſius ſermo. 4. contra Arianos, & D. Thom. poſt eum quæſt. 4. de potentia, diuinitatem non eſſe perfectam & completam ſinè relationibus. Argumento igitur eſt relationes vt dicunt oppoſitionem, & vt ſpectãtur in proprio genere dicere perfectioné ſecundũ quid, cũ vna diſtinguatur ab alia realiter.

Obiectio. Obijcies, ex iſtis colligi aliquam dari perfectionem in vna perſona, quæ non eſt in alia: paternitas ſiquidem non eſt in Filio, ſed in ſolo Patre.

Reſponſ. Reſp aliqui paternitatem eſſe in Filio, non quidem ſub ratione paternitatis, ſed tantùm ſub ratione filiationis, idem docent de filiatione; volunt enim iſtam reperiri in Patre, non quidem vt filiatio eſt, ſed vt paternitas; ſpiratio item actiua dicitur ab iſtis authoribus eſſe in Spiritu ſancto non quidem in ratione ſpirationis actiuæ, ſed tantùm, vt cenſetur eſſe ſpiratio paſſiua.

Vrgetur cõtra reſpõſũ. Cetcrùm reſponſio hæc nullo modo poteſt admitti: primò, quia oppoſita nequeunt eſſe ſimul, præcipuè cùm vnum habet rationẽ producentis, & aliud rationem producti: Pater autem producit Filium per intellectionem ſuam identificatam cũ relatione paternitatis, & Filius producitur à Patre, conſtituiturque in eſſe Filij per filiationem. Deinde, ratio paternitatis, & filationis diſtinctæ ſunt inter ſe realiter, & formaliter. Tertiò, mens humana capere non poteſt, quî fiat vt paternitas ſit filiatio, & è contra, cùm diſtinguãtur inter ſe realiter, & formaliter, vt dicunt oppoſitionem, licèt vt identificantur cum eſſentia diuina nulla ratione diſtinguantur ab ea. Denique, ſupereſt explicandum, quî fiat vt paternitas ſit in Filio, & tamen in Filio non conſtituat Patrem: at multiplicari non poſſunt Patres intrà Deum.

Reſponſio authoris. Reſpondeo ergo, non eſſe abſurdum fateri dari perfectionem aliquam relatiuam in vna perſona, quæ non eſt in alia, idque quòd fides doceat perſonas diuinas conſtitui relationibus oppoſitis inter ſe; repugnat tamen dari in vna perſona perfectionem aliquam abſolutam, quæ non ſit in altera, ſeu potiùs alia; eò quòd omnis perfectio abſoluta in diuinis repetenda ſit ab eſſentia: hæc autem vna, & eadem numero perſeuerat in tribus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, & quidem indiuiſa.

Replica. Dices, ex iſtis ſaltem colligi dari perfectiones aliquas ſecundum quid formaliter in Deo, cuius tamen oppoſitum docent communiter omnes; aiunt enim perfectiones ſecundùm quid, quę dantur in rebus creatis reperiri tantùm in Deo virtute, & eminenter, non autem formaliter.

Diſſoluitur. Reſp. conceſſa illatione maioris. Ad probationem, perfectionem ſecundùm quid reperiri tantũ in Deo virtute; ſi ſermo ſit de perfectionibus ſecundùm quid abſolutis: huius autem generis non ſunt relationes diuinæ: nam ex ſe, & ſua natura ſunt reſpectiuæ, ac proinde cenſentur eſſe in Deo formaliter; conſtituit enim paternitas v. g. Patrem in eſſe Patris, filiatio filium, & ſpiratio paſſiua Spiritum ſanctum.

Vrgent. Obijciunt, de iſtis perfectionibus relatiuis inueſtigandum eſſe, an ſint finitę, an infinitæ: & item an ſint à ſeipſis: an verò ab eſſentia diuina.

Satisfit 1. Reſp. 1. perfectiones iſtas eſſe infinitas, non quidẽ in omni ratione entis, ſed paternitatẽ in eſſe paternitatis, &c. Nã cũ filius producatur per intellectionẽ Patris, & intellectio hæc verſetur circa quodlibet intelligibile, veluti circa ſuũ obiectũ, quẽadmodũ intellectio iſta eſt infinita; ità quoque terminus productus dicitur eſſe infinitus: intellectio autem hæc non eſt infinita, in omni ratione entis, ſed tantùm in ratione intellectionis: idem erit dicendum de ratione filiationis, quæ conſtituit filium in eſſe filij, & de relatione paternitatis, per quam Pater conſtituitur in eſſe Pa-

Digitized by Google

tris, quemadmodum etiam Pater, & filius vt A
ſunt vnus ſpirator producunt Spiritum ſanctum
per actum amoris quo ſe amant, & hic actus re-
ſpicit quodcumque amabile: ſicuti actus hic eſt
infinitus in ratione amoris tantùm, ità relatio
proceſſionis, ſeu ſpirationis paſſiuæ, erit infini-
ta in ratione proceſſionis tantùm.

2. Reſpond. 2. perfectiones relatiuas eſſe quidem
idem realiter cum eſſentia diuina, vt docuimus in
antecedentibus, non tamen relationes iſtæ includuntur in conceptu formali eſſentiæ, ſed concipiuntur à nobis aduenire quodammodo illi, & eam determinate ad eſſe perſonale Patris in Patre; filij in filio; & Spiritus ſancti in Spiritu ſancto; & conſequenter etiam perfectiones iſtas relatiuas B
eſſe quodammodo à ſeipſis, non ab eſſentia diuina.

Obiectio. Dices, omnem perfectionem conuenire eſſentiæ diuinæ, vt ſic; eſt enim ſimpliciter infinita in
Solutio. omni ratione entis. Reſpond. antecedens eſſe verum de eſſentia diuina identicè, & realiter ſpectata; ſecundum tamen noſtrum modum concipiendi, eſſentia diuina non continet omnem omnino perfectionem, ſed tantùm debitam eſſentiæ vt eſſentia, eſt: relatio autem, vt relatio eſt, non competit eſſentiæ diuinæ, ſed aduenit ei aliunde, ex noſtro tantùm modo concipiendi.

Plures dare in Deo perfectiones reales loquendo ſimpliciter, eſt perperam fari. Qværes, *An concedendum ſit quòd dentur in Deo plures perfectiones reales?* Resp. *Abſolutè, & ſecluſo omni alio addito non eſſe concedendum;* C
perfectio enim cuiuſlibet rei imitatur naturam, & eſſentiam eiuſdem: at eſſentia diuina eſt in ſe ſimplex, & poſita in impartibili, cùm excludat omnem omnino compoſitionem: ergo abſolutè loquendo & ſinè vllo addito, vna tantùm ſimpliciſſima perfectio datur in Deo: Ità communiter Doctores.

Obijcitur at reijcitur. Dices, attributa multiplicari intrà diuinam eſſentiam. Reſpond. hæc multiplicari tantùm ſecundùm noſtrum concipiendi modum, non autem à parte rei; ità vt conſtituant aliquam diuerſitatem, & multiplicitatem realem intrà Deum: ſed tantùm ſecundùm noſtrum modum conci- D
cipiendi, & ratione ratiocinata, vt loquuntur; vnde non erunt plures perfectiones in Deo realiter diſtinctæ, ſed vna numero, quæ tamen virtute, & quaſi eminenter in ordine ad captum humanæ mentis eſt varia, & multiplex.

Dices, in Deo dari quatuor relationes reales, & item tres perſonas inter ſe realiter diſtinctas: ergo concedendum erit de Deo, quòd dentur in eo plures perfectiones, ſinè vllo addito. Reſpond. concello antecedent. negando conſecutionem, nam perſonæ, itémque relationes identificantur perfectiſſimè cum eſſentia diuina: ità vt nullam inducant diſtinctionem, vel realem, vel formalem cum illa. Deinde, de fide eſt perſonas E
diuinas eſſe perfectiſſimè inter ſe æquales. Tertiò, nomine perfectionis ſinè vllo addito, vſu, & conſuetudine loquendi Theologorum ſignificatur perfectio abſoluta, & ſimpliciter ſimplex. Denique D Auguſtinus lib. 6. de Trinitat. cap. 7. 8. & vltimo, ait perſonas Patris, Filij, & Spiritus ſancti ſimul ſumptas, non eſſe perfectiores perſona Patris ſeorſim ſumpta. Colligitur ergo ex illo antecedente, in Deo dari plures perfectiones relatiuas, quæ ab inuicem diſtinguuntur realiter, vt dicunt oppoſitionem; non eſt autem abſurdum hac ratione fateri dari plures perfectiones in Deo, quemadmodum neque abſurdum eſt affirmare quòd tres perſonæ, aut tres ſubſiſtentiæ, aut tria ſuppoſita in illo admittantur.

ARTICVLVS TERTIVS.

An in Deo diſtinguantur relationes.

ARTICVLVS QVARTVS.

An ſint tantùm quatuor relationes reales.

1. Concluſio reſpondet 1. Articulo docens quatuor eſſe tantùm relationes.

Ivxta iſtos duos Articulos ſit
Conclvsio 1. *In diuinis dantur tantùm quatuor relationes reales.* Ità D. Thomas artic. 4. huius quæſt. & interpretes eiuſdem omnes ibidem, & Sentent. lib. 1. cum Magiſtro. Deinde, relationes conſequuntur proceſſiones diuinas, omnium planè conſenſione; atqui dantur duæ proceſſiones in diuinis: Prima eſt per intellectionem Patris, & hæc ponit in Patre paternitatem, & in filio filiationem: Altera verò eſt per voluntatē Patris, & filij, vt conſequuntur rationem vnius ſpiratotis; hæc autem ponit in Patre, & in filio ſpirationem actiuam, in Spiritu vero ſancto ſpirationem paſſiuam, ſeu proceſſionem: ergo quatuor erunt tantùm relationes reales in diuinis: nempe paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, & paſſiua, ſeu proceſſio.

Obiectio. Dices, perſonas diuinas diſtingui inter ſe realiter, & item relationes: ergo dabitur in Deo relatio aliqua realis diſtincta realiter à proximè explicatis. Deinde, æqualitas eſt relatio realis in creaturis; perſonæ autem diuinæ ſunt inter ſe æquales, ex Symbolo Athanaſij.

Solutio. Reſpond. ad 1. conceſſo antecedente, negando conſecutionem: Deus enim diſtinguitur realiter à qualibet creatura, neque tamen propterea fatemur illum diſtingui à creaturis per relationem aliquam realem, quæ inſit eidem. Deinde, vnum definitur, quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio; & tamen certum eſt non propterea concedendam eſſe relationem aliquam realem in qualibet vnitate, ſeu in quolibet vno. Denique, ratio relatorum tota poſita eſt in ordine ad aliud, natura autem perſonarum diuinarum, tota, & ſimpliciter, non eſt poſita in ordine ad aliud. Ità docet D. Thom. art. 4. quæſt. 29 huius partis.

Ad 2. verò. Reſp. perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis eſſe perfectiſſimè inter ſe æquales: æqualitatem tamen iſtam nulla ratione eſſe relationem realem, fundatur enim hæc æqualitas perſonarum diuinarum in eſſentia, quæ vna, & eadem numero eſt in omnibus perſonis, vt pluribus demonſtrat D. Thom. quæſt. 42. huius partis.

2. Concluſio ſatisfacit Articulo 3. docens relationes diſtingui inter ſe realiter.

Conclvsio 2. *Relationes paternitatis, filiationis, & ſpirationis paſſiuæ, ſeu proceſſionis diſtinguuntur inter ſe realiter.* Primò, quia hoc videtur expreſſum in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitat. & fide Catholica: dicitur enim illic, *Sancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam individua, & ſecundùm proprietates perſonales diſcreta:* proprietates autem perſonales ſunt paternitas, filiatio, ſpiratio paſſiua, ſeu proceſſio. Idem dicitur in Concilio Toletano II. in confeſs. fidei, & in Florentino ſeſs. 18.

Deinde, de fide eſt in Deo dari perſonas Patris,

1. Ioan. 5. vers. 7. Filij, & Spiritus ſancti, 1. Ioann. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*: at perſonæ iſtæ diſtinguntur ab inuicem per relationes paternitatis, filiationis, & ſpiratiotis paſſiuæ.

Tertiò, ea diſtinguntur inter ſe realiter, quæ ſibi opponuntur; filiatio, & paternitas opponuntur inter ſe, ſpiratio item actiua opponitur ſpirationi paſſiuę ſeu proceſſioni: ergo.

Denique, producens, & productum opponuntur, ac proinde diſtinguuntur inter ſe realiter ex illo, Nihil ſeipſum producere poteſt: at perſona Patris producit filium, perſona Patris, & Filij, Spiritum ſanctum: ergo relationes quæ conſtituunt perſonas illas diſtinguntur inter ſe realiter.

3. Concluſio docet actiuã ſpirationem diſtingui realiter à paſſiua, non tamen a relationibus paternitatis, & filiationis.

Conclvsio 3. *Spiratio actiua, quæ eſt vera, & realis relatio diuina, diſtinguitur realiter à proceſſione, ſeu ſpiratione paſſiua, minimè verò à relationibus paternitatis, & filiationis.* Prima pars Concluſionis aſſeritur ab omnibus hoc loco. Deinde, inter oppoſita datur diſtinctio realis in diuinis: at ſpiratio actiua opponitur ſpirationi paſſiuę: Pater enim & Filius vt vnus ſunt ſpirator, ſpirant Spiritum ſanctum.

Secunda verò pars Concluſionis probatur primò: Relatio ſpirationis actiuæ, vna & eadem numero, ex æquo reperitur in Patre, & in Filio: ergo non diſtinguitur à paternitate, & filiatione realiter. Antecedens conceditur ab omnibus: imò de fide eſt Patrem, & Filium eſſe vnum principium productiuũ Spiritus ſancti: ergo cùm ſpiratio iſta actiua ſit cõmunis ex æquo Patri, & Filio, nequit eſſe diſtincta realiter à paternitate, & filiatione. Confirmatur. In diuinis omnia ſunt vnum, & idem realiter & formaliter, niſi vbi datur oppoſitio relationis; at relationes paternitatis, filiationis, & ſpirationis actiuæ non opponuntur, ſed ſpiratio actiua identificatur perfectiſſimè cum paternitate, & filiatione: ergo non diſtinguntur realiter.

Obiectio. Obiicies, Patrem, & Filium non opponi Spiritui ſancto, ac proinde non poſſe producere Spiritum ſanctum: antecedens ex eo innoteſcit, quòd pater vt ſic, reſpicit Filium, & contrà, Filius Patrem.

Solutio. Reſpond. Patrem, & Filium opponi Spiritui ſancto, ſub ea ratione qua Pater, & Filius ſunt vnum principium productiuum ſancti Spiritus; nam principium productiuum opponitur termino producto; Pater autem, & Filius, vt conſequuntur rationem vnius ſpiratoris, & habent in ſe vnam, & eamdem numero vim ſpirandi, producunt Spiritum ſanctum per actum amoris: ergo Pater, & Filius opponuntur Spiritui ſancto. Deinde, relationes paternitatis, & filiationis ſunt quaſi fundamenta ſpirationis actiuæ, identificantúrque perfectiſſimè ſpiratio actiua, cum paternitate, & filiatione. Denique, Spiritus ſanctus opponitur primò, & per ſe, Patri, & Filio; ſpirationi verò actiuæ veluti relationi ſibi oppoſitæ correlatiuæ: ergo. Ità reſpondent plerique recentiores.

Obiectio 2. Obiicies 2. Patrem conſtitui in eſſe patris per ſolam paternitatem, & Filium per ſolam filiationem: ergo cùm idem ſit principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum eiuſdem rei, ſpiratio actiua non poterit diſtinguere perſonas Patris, & Filij, à Spiritu ſancto.

Solutio. Reſpond. principium conſtitutiuum alicuius rei, eſſe quidem diſtinctiuum eiuſdem, non tamen totaliter, & adæquate, ità vt quælibet res diſtinguatur tantùm à ceteris omnibus aliis rebus per illud principium, quo conſtituuntur intrà propriam ſpeciem v. g. aut etiam eſſentiam; nam homo albus conſtituitur in eſſe hominis per rationale, tanquam per principium formale conſtitutiuum ſuæ eſſentiæ; & tamen in ratione albi diſtinguitur à ceteris aliis rebus non albis per albedinem, minimè verò per rationale. Ità etiam licèt perſona Patris conſtituatur in eſſe patris per paternitatem ſolam, & Filius in eſſe filij per filiationem: quia tamen ſpiratio actiua aduenit perſonis Patris, & Filij conſtitutis in ratione perſonæ propriæ, & identificatur cum illis perfectiſſimè; ideò per iſtam ſpirationem actiuam opponuntur Pater, & Filius, Spiritui ſancto formaliter; fundamentaliter verò per relationes paternitatis, & filiationis.

Vltima Cõcluſio habet ſpirationem actiuam ratione ratiocinata diſtingui à relationibus paternitatis, & filiationis.

Conclvsio vltima. *Spiratio actiua ſola ratione ratiocinata diſtinguitur à relationibus paternitatis, & filiationis.* Primò, ità docet verbis expreſſis Damaſc. lib. 1. de fide, cap. 11. *Vnus*, inquit, *idémque omnino ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: niſi quod Pater genitus non eſt, Filius genitus eſt, & Spiritus ſanctus proceſſit.* Quod autem in ea ſcilicet eſſentia diuina diſtinctum eſt, ſola ratione diſtinguitur. Deinde, communicabile, & incommunicabile differunt ad minus ratione ratiocinata intrà Deum: at relatio ſpirationis actiuæ communicatur Patri & Filio. Tertiò, eadem ratione diſtinguitur ſpiratio actiua à paternitate, & filiatione, qua diſtinguũtur attributa eſſentialia ab eſſentia, non enim ſpiratio actiua diſtinguitur formaliter aut realiter à paternitate, & filiatione, cùm identificetur perfectiſſimè cum iſtis, & eſſentia diuina: at diximus attributa abſoluta diſtingui ab eſſentia diuina ſola ratione ratiocinata: ergo idem tenendum erit de ſpiratione actiua, &c.

Euaneſcunt placita aliquorum.

Ex quibus colligitur improbabiles eſſe eorum opiniones, qui aiunt ſpirationem actiuam diſtingui à paternitate, & filiatione ſolo nomine: & item eorum, qui docent diſtingui prædictam ſpirationem actiuam realiter à paternitate, & filiatione, diſtinctione reali minori, illa eadem ratione, qua modus rei diſtinguitur à re modificata.

Vrgent contra vltimã Cõcluſionẽ.

Obijcies, Paternitatem & filiationem diſtingui inter ſe realiter: ergo cùm in Patre, & Filio reperiatur ſpiratio actiua tota, diſtinguetur hæc à paternitate, & filiatione.

Retunduntur inſigni inſtantia.

Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſecutionem; ſi enim ratio hæc aliquid probaret, concluderet eſſentiam diuinam diſtingui realiter à perſonis in quibus reperitur, idque propter diſtinctionem realem quę datur inter perſonas iſtas; fides autem docet vnam, & eamdem numero eſſentiam eſſe in qualibet perſona diuina. Deinde, diximus ſpirationem actiuam identificari perfectiſſimè cum paternitate, & filiatione: ità vt vna, & eadem indiuiſa perſeueret in Patre, & in Filio.

Quæritur.

Rogabis 1. *Vndénam repetenda ſit vnitas relationis ſpirationis actiuæ?*

Resp. 1. *Non ex fundamento eiuſdem*; quia nullum datur fundamentum reſpectu relationum diuinarum, diſtinctum ab ipſimet relationibus.

Reſp. 2. vnitatem iſtius relationis non poſſe deſumi ab vnitate eſſentiæ diuinæ; ità enim ſequeretur ſpirationem actiuam eſſe rem aliquam abſolutam;

abſolutam; neque item à paternitate, & filiatione, quia diſtinguuntur iſtæ inter ſe realiter: neque à paternitate & filiatione, vt continet ſpirationem actiuam virtute, & eminenter; quia quod continetur virtute, & eminenter in aliquo, non denominat ſubiectum cui ineſt formaliter tale, vt conſtat exemplo caloris: hic enim virtute continetur in Sole, neque tamen propterea dicimus de Sole quod ſit formaliter calidus: Pater autem, & Filius denominantur formaliter ſpirantes propter ſpirationem actiuam, quæ in ipſis datur. Deinde, quod reperitur in aliquo virtute, & eminenter ineſt alicui alteri formaliter, vt conſtat ex calore, qui realiter & formaliter reperitur in igne.

Dico igitur, vnitatem ſpirationis actiuæ deſumendam eſſe ex termino ſibi oppoſito. Primò, quia ità ſentiunt authores proximè citati. Deinde, quemadmodum vnitas cuiuſlibet actus, aut habitus petitur ab obiecto, vel à modo tendendi in obiectum, ità vnitas cuiuſlibet relationis realis à termino quem reſpicit. Tertiò, in rebus creatis multiplicatis terminis de nouo productis, ex veriori ſententia multiplicantur etiam relationes; tot enim ſunt v. g. paternitates numero diſtinctæ in Patre, quot dantur filij geniti. Quartò, tota natura cuiuſlibet relati poſita eſt in comparatione ad aliud, ex doctrina Ariſtotelis in cap. de relatis: ergo cùm relatio ſit ratio referendi vnum extremum ad aliud, ab iſto extremo erit accipienda vnitas numerica relationis: de hac enim vnitate intelligenda eſt hæc doctrina.

Rogabis 2. *An relationes diuinæ habeant certa quædam fundamenta, quibus innitantur.*

Resp. *Relationes diuinas fundari ſeipſis, ac proinde carere à parte rei, omni alio fundamento.* Primò, quia ſunt ſubſtantiæ, & nulla ratione accidentia. 2. quia ſunt per ſe ſubſiſtentes, & quidem ſecundùm proprias ſuas quidditates, & rationes formales. 3. quia omnis imperfectio remouenda eſt à relationibus diuinis: ſi autem relatio diuina haberet aliqua fundamenta à ſe diuerſa, daretur aliqua imperfectio in relationibus diuinis cùm penderet à ſuo fundamento, quemadmodum pendent relationes in rebus creatis.

Dices, pleroſque Doctores affirmare fundamenta relationum diuinarum eſſe eſſentiam, origines, & proceſſiones. Reſpond. hæc ſecundùm noſtrum modum loquendi poſſe admitti, minimè verò ſecundùm rei veritatem; ità vt à parte rei verum ſit, aut eſſentiam, aut origines, aut denique proceſſiones eſſe fundamenta relationum diuinarum: de hac re legendi ſunt recentiores aliqui ad quæſt. 33. huius partis D. Thomæ.

QVÆSTIO XXIX.

De Perſona.

Articvlo 1. docet perſonam eſſe rationalis naturæ indiuiduam ſubſtantiam.

Articvlo 2. ſuppoſitum, hypoſtaſim, ſubſiſtentiam, & perſonam in diuinis vnum, & idem planè ſignificare; ſubſiſtentiam verò interdum eſſentiam: alias verò ſuppoſitum dicere tradit. *Summula articulorũ.*

Articvlo 3. rationem perſonæ eſſe in diuinis admittendam.

Articvlo vltimo, nomen perſonæ ſumptum in communi, ſeu (quod idem eſt) vniuerſim, non ſignificare relationem, ſed ſubſiſtentiam; quia cùm dicimus perſonam Patris, nihil aliud ſignificamus, quàm ſubſiſtentiam Patris: perſona quippe ad ſe dicitur, non autem ad filium, vt ait D. Auguſtinus frequentiſſimè in libris de Trinitate. Addit nomen, *Perſona diuina*, ſignificare formaliter ſuppoſitum naturæ diuinæ; materialiter verò dicere relationem; quòd impoſſibile ſit perſonam diuinam eſſe perſonam diuinam, ſinè relatione. Circa iſtos Articulos ſit.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Perſona.

Conclvsio. Rectè definitur, *Rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.* Primò, quia traditur art. 1. huius quæſt. à D. Thom. & à Boë- tio, lib. de duabus naturis, & ab omnibus interpretibus D. Thom. Deinde, definitio iſta reijcit à ratione perſonæ quæ huius naturam & eſſentiam non attingunt; particula ſiquidem, *Rationalis naturæ*, excludit omnes naturas genericas, & ſpecificas, tam ſubſtantiales, quàm accidentales, in quibus nulla reperitur ratio. Dictio verò (Indiuidua) reſpuit à ratione perſonæ ſecundas ſubſtantias: iſtæ enim non ſunt indiuiduæ ſubſtantiæ, & præterea partes ſubſtantiales entis phyſici, cuius generis ſunt materia, & forma; partes item integrantes vt caput, manus, pedes, &c. & denique ſubſtantias quaſlibet quæ communicantur multis: ſignificat namque particula iſta (*Indiuidua*) incommunicabilitatem, quæ reperitur in ratione perſonæ, ex doctrina communi; Vox verò, *Subſtantia*, ſeiungit à ratione perſonæ quodlibet accidens, quodcumque illud ſit. Denique, quinque conditiones ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad rationem perſonæ conſtituendam: Prima, quod ſit res aliqua indiuidua, & ſingularis: Secunda, quòd per ſe ſubſiſtat: Tertia, quòd ſit completa: Quarta, quòd ſit incommunicabilis: Vltima, quòd ſit rationalis; iſtæ autem conditiones continentur perfectiſſimè in definitione proximè poſita perſonæ. *Optima perſonæ definitio.* *Elucidatio definitionis.*

Ex iſtis colliges Magiſtrum diſt. 5. lib. 3. defeciſſe, docuit enim animam rationalem ſeparatam à corpore eſſe perſonam, ceterùm fallitur: Anima namque non eſt ſubſtantia completa, ſepa-

Digitized by Google

rata à corpore: non eſt item incommunicabilis, quia in die reſurrectionis vnietur proprio corpori. Denique ſequeretur, in quolibet homine dari duas perſonas, quod tamen nullus hactenus dixit.

DVBITATIO SECVNDA.

An ratio perſonæ dicatur propriè de Patre, Filio, & Spiritu ſancto in diuinis.

Symbolũ Athanaſij. *Ratio perſonæ conuenit propriè Patri Filio, & Spiritui ſancto.* Concilij Hiſpal. Toleran. Lateran.

CONCLVSIO *affirmatiua.* Primò, quia ſic loquitur Athanaſius in ſuo Symbolo. *Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti.*

Deinde, ità definitum eſt in Concil. Hiſpalenſi II. *Confitemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum intemporaliter ex Patre Deum natum: temporaliter ex vtero gloriosæ Virginis Mariæ hominem editum, & in vna ſubſiſtente perſona duas naturas habentem*; & in Toletano I. cùm tres perſonæ relatiuę dicantur, & in Lateranenſi ſub Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter*, & in cap. *Damnamus*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus tres quidem perſonæ, & vna eſſentia.*

Damaſc. Tertull. Hilarius. Hieron. Auguſt.

Tertiò, idipſum docent Patres, Damaſc. in lib. de fide, Tertullian. contra Praxean, Hilarius lib. de Synodijs, Hieron. epiſt. 57. ad Damaſum Papam, D. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate, cap. 8. & 9. & lib. 7. cap. 4.

Accedit ratio. Omnis perfectio competit Deo; atqui perſona vt ſic, ſignificat aliquam perfectionem: diximus enim nomen hoc ſignificare ſubſtantiam, abſolutè, & ſinè vllo addito, ſumptum ex D. Thom. art. 4. huius quæſt.

Denique, perſona propriè nihil aliud eſt, quàm rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia; at hæc definitio conuenit Patri, Filio, & Spiritui ſancto, eſt enim Pater ſubſtantia rationalis naturæ, & indiuidua, ſeu (quod idem eſt) incommunicabilis; & idem indubitatum eſt de Filio & Spiritu ſancto.

Cum autem diximus rationem perſonæ conuenire Patri, Filio, & Spiritui ſancto propriè, noluimus ſignificare naturam quamdam communem abſtractam à Patre, Filio, & Spiritu ſancto dici propriè de iſtis perſonis diuinis: Nam conuenit inter omnes nihil dari commune omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitat. vel tanquam genus, vel tanquam analogum propriè dictum: volumus ergo rationem perſonæ dici de Patre, Filio, & Spiritu ſancto propriè, quòd vna, & eadem numero perfectio perſonalis dicatur de tribus iſtis ſuppoſitis diuinis; & ratio ſuadet: quemadmodum enim vna, & eadem numero eſſentia diuina, dicitur de tribus perſonis; ità vna & eadem planè perfectio perſonalis verè datur in illis: ſi tamen ſermo ſit de perſona, vt ſic; nam perſonæ iſtæ ſpectatæ in ratione Patris reduplicatiuè, & in ratione Filij, & deniq; in ratione Spiritus ſancti, realiter ab inuicem ſeparantur propter oppoſitionẽ, quam inter ſe dicunt; in ratione tamen perſonæ, vt perſona eſt eadem planè perfectio competit illis tribus perſonis diuinis.

Diſcrimen inter indiuiduũ, ſuppoſitum, & perſonam.

Aduerte, Indiuiduum, ſuppoſitum, & perſonam comparari inter ſe ſicut ſuperius, & inferius; Indiuiduum enim dicitur tam de ſubſtantiis quàm de accidentibus ſingularibus: Suppoſitum verò de ſolis ſubſtantijs ſingularibus enunciatur. Perſona verò de ſolis ſubſtantiis rationalibus; ac proinde quemadmodum indiuiduũ addit ſupra eſſentiam ſubſtantiæ, & accidentis, exiſtentiam, & alias conditiones indiuiduantes per quas eſſentia ſubſtantiæ, vel accidentis fit ſingularis, & indiuidua: ità ſuppoſitum addit ſupra eſſentiam ſubſtantiæ modum aliquem ſubſtantialem, qui nullus alius eſt, quàm per ſe ſubſiſtere; ità vt ſuppoſitum recte definiatur, ens per ſe ſubſiſtens, & incommunicabile. Denique, perſona addit ſupra eſſentiam ſubſtantiæ indiuiduæ, & ſingularis, rationalitatem; ità vt non quælibet ſubſtantia indiuidua, & ſingularis ſit perſona, ſed ea tantùm quæ eſt verè rationalis.

DVBITATIO TERTIA.

An in Deo dentur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, tres hypoſtaſes, & tres ſubſtantiæ.

Tres in Deo dantur ſubſiſtentiæ relatiuæ.

CONCLVSIO 1. *In Deo dantur ſubſiſtentiæ relatiuæ.* Hæc eſt de fide in Concilijs, maximè verò in V. Synodo generali, actione 4. & 6. & in ſexta Synodo, act. 4. in epiſt. Synodica, Agathonis Papæ, & act. 10. in epiſt. quadam Concilij, in qua enumerantur ea omnia quæ fuerunt in eo Concilio definita, & actio. 11. in epiſt. Sophronij Epiſcopi à toto Concilio recepta, actio. 13. & 18. Deinde, nomine ſubſiſtentiæ relatiuæ, nihil aliud ſignificatur, quàm perſona diuina; at de fide eſt in diuinis dari tres perſonas, & item hypoſtaſes, vt poſtea probabitur; Ità D. Thom. art. 2. huius quæſt. & interpretes eiuſdem.

Dices, ſubſiſtentiam in rebus creatis ſignificare ſubſtantiam abſolutam: ergo non poterit eſſe relatiua.

Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſecutionem: fides enim docet ſubſiſtentias relatiuas in diuinis habere rationem perſonæ propriè dictæ: in rebus verò creatis propterea ſubſiſtentia eſt res aliqua abſoluta, quòd in iſtis ſit modus quidam ſubſtantialis complens, & terminans vltimò ſubſtantiam indiuiduam, & ſingularem, quæ in ſe abſolutum quidpiam eſt: Perſonæ autem diuinæ ſunt verè relatiuæ, cùm explicentur nominibus Patris, Filij, & Spiritus ſancti, quæ relationem ſignificant, vt eſt per ſe notum, non autem rem aliquam abſolutam.

In diuinis tres hypoſtaſes ſunt.

CONCLVSIO 2. *In diuinis dantur tres hypoſtaſes.* Ità D. Thom. & interpretes hoc loco. Deinde, hypoſtaſis, & perſona, itémque ſubſiſtentia in diuinis pro vno, & eodem ſumuntur: at perſonæ itémque ſubſtantiæ relatiuæ cenſentur eſſe tres in diuinis. Tertiò, hoc intereſt inter naturam & hypoſtaſim, quòd illa ſignificet eſſentiam, ſeu ſubſtantiam: hypoſtaſis verò perſonam, ſeu ſubſiſtentiam, vt docent ſancti Patres, maximè vero Damaſc. lib. 1. de fide, cap. 9. Baſilius epiſt. 45. Theodoret. Euſebius, Nicephorus, & alij plerique Patres Græci.

Hieron.

Obijcies, D. Hieronymum in epiſt. ad Damaſum Papam affirmare, latere venenum ſub nomine hypoſtaſis: idque quod Arianí fatentur in Deo dari tres hypoſtaſes, & quidem eo conſilio, vt hac ratione docerent in diuinis dari tres ſubſtantias, ſeu (quod idem eſt) eſſentias.

Diſceptatio circa nomen hypoſtaſis enucleatur.

Reſpond. temporibus Hieronym. D. Auguſtini, & ſanctorum Patrum, qui ante iſtos vixerunt, non fuiſſe certum, quid ſignificaret vox iſta, *Hypoſtaſis*: Alij enim interdum eam vſurpabant pro ſubſtantia, ſeu eſſentia rei cuiuſlibet ſubſtantialis: Alij vero pro perſona: quocirca vt dubitatio iſta

tolleretur

tolleretur inter Chriſtianos poſtulat Hierony. à Damaſo ſummo pontifice, vt rē definiat, & determinet, vt tollatur omnis occaſio errandi inter explicandum myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, vt conſtat ex epiſtola proximè citata, in qua ità de hac re loquitur. *Quamobrem obteſtor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi ſalutem, per homoüſion Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis ſine taccendarum, ſine dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas.* & paulo ante, *Si quis tres hypoſtaſes, aut tria enhypoſtata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas non confitetur, anathema ſit. Si quis autem hypoſtaſim vnā intelligens, non in tribus perſonis vſiā hypoſtaſim dicit, alienus à Chriſto eſt. Diſcernite, ſi placet, obſecro: non timebo tres hypoſtaſes dicere ſi iubetis.* Quoniam ergo Ariani, nomine hypoſtaſis eſſentiam diuinam ſignificabant; & hoc conſilio admittebant tres eſſe hypoſtaſes in diuinis, vt hac ratione Catholicos, minùs circumſpectos deciperent ambiguitate nominis iſtius, *Hypoſtaſis*, ideò damnati fuerunt ab Eccleſia tanquam hæretici; hæc namque tres agnoſcit in diuinis hypoſtaſes, ſub ea ratione, qua nomen hypoſtaſis perſonam diuinam ſignificat.

D. Hieron. authoritas.

In diuinis vna dūtaxat eſt ſubſtantia.

Conclvsio 3. *In diuinis datur tantùm vna ſubſtantia.* Primò, quia nomine ſubſtantiæ, ſignificatur res aliqua abſoluta apud quoſcumque philoſophos. Deinde, ſubſtantia, natura, & eſſentia, in Deo ſunt vnum & idem; de fide autem eſt vnam dari in Deo eſſentiam.

Obiectio.

Obiicies, Hilarium in lib. de Synodis affirmare ſe aſſuiſſe Concilio cuidam, in quo definitum fuit tres dari in Deo ſubſtantias, & D. Auguſtinus lib. 1. de Trinitat. refert Græcos Patres exiſtimâſſe tres dari ſubſtantias in diuinis, neque tamen opinionem iſtam refellit.

Solutio.

Reſpond. ex iſtis nihil poſſe colligi contra noſtram ſententiam; nam nomine ſubſtantiæ iſtis in locis intellexerunt Græci Patres, & illius Concilij (cuius meminit Hilarius) perſonam diuinam, ſeu hypoſtaſim, non autem eſſentiam; idque quòd nondum explicatum ſatis fuiſſet, quid nomine ſubſtantiæ ſignificaretur.

DVBITATIO QVARTA.

An ens per ſe ſubſiſtens, & vltimò completum ſuppoſitum, & ſuppoſitalitas, utémque ſubſiſtentia ſint vnum, & idem in Deo, & in rebus creatis.

Affirmat ens per ſe ſubſiſtēs, & vltimò completum, & ſuppoſitum eſſe vnū & idē in rebus creatis.

Conclvsio 1. *Ens per ſe ſubſiſtens, & vltimò completum, & ſuppoſitum ſunt vnum, & idem in rebus creatis.* Primò, quia diximus ſuppoſitum nihil aliud eſſe, quàm id quod per ſe ſubſiſtit, & quidem incommunicabiliter; at omne ens creatum per ſe ſubſiſtens, & vltimò completum ſubſiſtit per ſe, & eſt incommunicabile: propter hanc enim cauſam fatentur omnes in tractatu de Incarnatione, ſubſtantiam indiuiduam ex ſe ſingularem, ſuppoſitatam propria ſubſiſtentia, non poſſe aſſumi ab vlla alia ſubſiſtentia, etiam increata.

Sunt aliqui, qui hoc idē doceant de eſſentia increata, & ſuppoſito eiuſdem; ceterum falluntur, non enim datur vlla planè ſubſiſtentia abſoluta in Deo, vt poſteà probabitur: ac proinde eſſentia diuina vt ſic, vt eſt præciſa à relationibus, proprietatibuſque perſonalibus, non per ſe ſubſiſtit; ſed, ſubſiſtere dicitur de diuina eſſentia reſpectu relationum paternitatis, filiationis, & proceſſionis.

A Conclvsio 2. *Suppoſitum in rebus creatis dicit entitatem aliquam veram, & realem diſtinctam realiter ab eſſentia, quæ completur vltimo per huiuſmodi ſuppoſitum: in rebus verò increatis, ſuppoſitum non diſtinguitur realiter ab eſſentia increata, quam complet vltimò: ſed ſola ratione ratiocinata.* *Suppoſitum in rebus creatis dicit entitatem realiter diſtinctam ab eſſentia, non ità in increatis.*

Prima pars huius Concluſionis probatur: ſubſiſtere per ſe, & eſſe incommunicabile dicit entitatem aliquam; at ſuppoſitum facit, vt natura ſubſtantialis, indiuidua, & ſingularis per ſe ſubſiſtat, & præterea ſit incommunicabilis: ergo dicit entitatem aliquam veram & realem.

B Secunda verò pars probatur. Illa diſtinguuntur realiter, quæ ab inuicem ſeparata exiſtunt; at natura ſuppoſitata poteſt exiſtere ſinè ſuo ſuppoſito, vt manifeſtè conſtat ex myſterio Incarnationis: Humanitas quippe Chriſti verè eſt ſinè ſuppoſito ſibi connaturali, & proprio; cum de fide ſit humanitatem Chriſti ſubſiſtere ſubſiſtentia diuini Verbi increata. Deinde, natura indiuidua, & ſubſtantialis producitur communiter per generationem; ſuppoſitum verò, ſeu ſubſiſtentia in rebus creatis per emanationem Denique, modus rei diſtinguitur à re modificata, ex communi doctrina; at ſubſiſtentia & ſuppoſitum eſt modus ſubſtantialis naturæ indiuiduæ, & ſingularis: ergo ſubſiſtentia in creatis diſtinguitur realiter à natura.

C Tertia pars denique probatur. In diuinis nulla datur diſtinctio niſi inter ea quæ opponuntur: at eſſentia, & ſuppoſita eiuſdem nullo modo diſtinguuntur, ſaltem realiter, vel formaliter, ſed ſola ratione ratiocinata. Deinde, ſi ſuppoſitum, & eſſentia increata diſtinguerentur inter ſe realiter, ſequeretur admittendam eſſe in Deo compoſitionem ex ſuppoſito, & eſſentia: at illatio iſta defendi nequit; pugnat enim cum ſumma Dei ſimplicitate, quæ excludit omnem omnino compoſitionem. *Compoſitio ex ſuppoſito, & eſſentia nō conſtituit Deo.*

Conclvsio 3. *Suppoſitum in rebus creatis eſt aliquid abſolutum: in diuinis verò aliquid reſpectiuum.* Prima pars probatur. Primò, quod ſedem habet in recto ductu categoriæ ſubſtantiæ, hoc D debet eſſe res aliqua abſoluta: definitur enim ab Ariſtotele ſubſtantia, ens per ſe ſubſiſtens, & completum: at quod ſedem habet in recto ductu categoriæ ſubſtantiæ nequit eſſe reſpectiuum, cum reſpectiua pertineant ad diuerſam categoriam à ſubſtantia. Deinde, modus naturalis rei cuiuſlibet abſolutè debet eſſe res aliqua abſoluta: at ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia eſt modus complens vltimò naturam quamlibet ſubſtantialem indiuiduam, & ſingularem: ergo. *Suppoſitū in diuinis eſt aliquid reſpectiuum, in creatis verò eſt abſolutū.*

Denique, probatur ſecunda pars huius Concluſionis: Suppoſita diuina, ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, at hæc explicantur nominibus relatiuis, vt eſt per ſe notum: ergo ſunt relata. Confirmatur. Pater conſtituitur in eſſe Patris, per ſolam relationem paternitatis: Filius, per filiationem: & Spiritus ſanctus, per proceſſionem: ergo quemadmodum relationes formaliter, & intrinſecè includunt rationem referendi ad aliud: ità termini conſtituti per eaſdem erunt vere relata. E *Intercedit vera compoſitio inter ſuppoſitum creatum & ſubſtantiam quam complet, minimè verò inter increatū, & eſſentiā diuinam.*

Conclvsio 4. *Suppoſitum creatum cum ſubſtantia quam complet, verè componit: minimè verò ſuppoſitum increatum cum eſſentia diuina.* Prima pars probatur: nam quod concurrit ad perfectionē, & integritatem alicuius rei cum alio, hoc verè componit: eſt enim vel pars illius, vel certè compo-

Digitized by Google

nibile; at ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia cũ natura ſubſtantiali, & indiuidua concurrit ad integritatem ſubſtantiæ completæ in ratione ſubſtantiæ vltimò: ergo ſuppoſitum creatum cum ſubſtantia quam complet verè componit. A

Secunda pars Concluſionis probatur, ex eo, quòd ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum increatum nulla ratione diſtinguitur ab eſſentia diuina; nec è contrà, eſſentia à ſuppoſito; ſed iſta duo ſunt vna res ſimpliciſſima: ergo non poteſt dici de iſtis quod componant propriè.

Dicitur duæ ſuppoſitalitates, creata vna, altera increata.

CONCLVSIO 5. *Dantur duæ ſuppoſitalitates, ſeu ſubſiſtentiæ (vt alij loquuntur) creata ſcilicet, & increata:* Illa definitur modus ſubſtantialis complens vltimò exiſtentiam ſubſtantię indiuiduæ, & ſingularis, & faciens eam per ſe ſubſiſtere incommunicabiliter: eſt item ratio realis poſitiua relatiua. Dixi, *Modus*, quia ſuppoſitalitas creata diſtinguitur ab increata, quòd hæc nulla ratione ſit modus eſſentiæ diuinæ; bene tamen ſuppoſitalitas creata ſubſtantialis, quia ſuppoſitalitas non eſt modus aliquis accidentalis: ſed ſubſtantialis. Dixi, *Complens vltimò ſubſtantiam indiuiduam, & ſingularem*, vt diſtinguatur ſuppoſitalitas ab exiſtentia naturæ ſubſtantialis, & indiuiduæ; eſt enim exiſtentia modus primus, qui aduenit eſſentiæ rei alicuius, & per quem eſſentia quælibet ponitur extra ſuas cauſas: Suppoſitalitas verò complet vltimo ſubſtantiam indiuiduam & ſingularem in ratione ſubſtantiæ: ità vt à nullo alio poſſit compleri in ratione ſubſtantię. B C

Adieci, *Faciens eam per ſe ſubſiſtere*, vt diſtinguatur ſuppoſitalitas ab inhærentia, quæ eſt modus accidentis, ac proinde facit, vt accidens inſit alteri, vel potius dicat ordinem ad ſubiectum, cui ineſſe poteſt, ſuppoſitalitas autem facit vt quælibet ſubſtantia indiuidua, & ſingularis per ſe ſubſiſtat, non autem in alio. Hæc verò ſcilicet ſuppoſitalitas increata, eſt ratio vera, realis, & poſitiua relatiua, cuius proprium munus eſt reddere eſſentiam increatam incommunicabilem.

Dixi, *Ratio*, quia quemadmodum vnum abſolutum attributum in diuinis poteſt eſſe ratio alterius, non tamen cauſa: ità ſuppoſitalitas increata eſt ratio conſtitutiua perſonæ diuinæ, non autem cauſa. Deinde, quia ſuppoſitalitas increata, non eſt modus perſonæ diuinæ, aut etiam eſſentiæ, quemadmodum eſt ſuppoſitalitas creata reſpectu ſubſtantiæ creatæ. D

Effectus formalis ſuppoſitalitatis, eſt reddere naturam indiuiduam & ſingularem, incommunicabilem.

Addidi, *Realia, & poſitiua relatiua*, quia perſonæ diuinæ conſtituuntur paternitate, filiatione, & proceſſione, & præterea eſſentia diuina: ità vt verè perſonæ diuinæ cõſurgant ex proximè explicatis, licèt non detur vera compoſitio, ſed tantummodò rationis, in iſtis perſonis diuinis: relatiua, inquam, quia ſuppoſitalitas increata, licèt ſit per ſe ſubſiſtens, & ſubſtantialis, non tamen eſt abſoluta, ſed relatiua, cuius munus proprium eſt reddere eſſentiam increatam incommunicabilem, quoniam effectus quaſi formalis ſuppoſitalitatis eſt facere naturam indiuiduam, & ſingularem ſubſtantialem incommunicabilem, quod etiam ſentiendum eſt de ſuppoſitalitate creata. E

Dices, ex iſtis manifeſtè colligi, ſuppoſitalitatem, & per ſe ſubſiſtere, eſſe vnum & idem.

Reſp. hoc eſſe veriſſimum, omnis enim ſuppoſitalitas per ſe ſubſiſtit, non tamen conuertuntur hæc duo inter ſe: nam anima à corpore ſeparata per ſe ſubſiſtit, & tamen de hac nullus eſt qui affirmare debeat quòd ſit ſuppoſitalitas, vel ſuppoſitum. Deinde, partes ſubſtantiales cuiuſlibet entis naturalis per ſe ſubſiſtunt, vt conſtat ex materia & forma rei naturalis, neque tamen propterea rationem ſuppoſitalitatis conſequuntur, licèt non ſit negandum de iſtis, quod habeant priuatas, & peculiares ſubſiſtentias. Denique, caput, pes, brachium, & ceteræ partes integrantes corporis animalis per ſe ſubſiſtunt; nec tamen datur in iſtis ſuppoſitalitas: Non dicuntur ergo de ſe inuicem adæquatè, & conuertibiliter, per ſe ſubſiſtere, vt ſuppoſitalitas.

Obiectio. Obicies, ſuppoſitalitatem communicari naturę, cuius eſt ſuppoſitalitas; falſum eſt ergo quod diximus ſuppoſitalitatem habere pro effectu formali, incommunicabilitatem.

Solutio. Reſpond. concello antecedente, nego conſequentiam: ex antecedente enim tantùm colligere licet quamlibet incommunicabilitatem non pugnare cum ſuppoſitalitate, nempe ea, quæ datur inter ſuppoſitalitatem, & propriam naturam, quod nos vltrò concedimus; ſuppoſitalitas tamen ex ſe, & quatenus talis inducit incommunicabilitatem per vnionem hypoſtaticam, ità vt res ſemel ſuppoſitata ex vi ſuppoſitalitatis cenſeatur eſſe incommunicabilis per vnionem hypoſtaticam, reſpectu cuiuſlibet alterius naturæ ſubſtantialis, aut etiam ſuppoſitalitatis: ſed vt ſolutio hæc ſit paulò magis explicata

Obſerua hic ſuppoſitalitatis munia. Aduerte, ſuppoſitalitatem facere primò ſe-ipſam incommunicabilem; non enim poteſt hæc alicui alteri ſuppoſitalitati communicari. Deinde, facit naturam cui communicatur ſimiliter incommunicabilem, ſaltem naturaliter, & per vnionem hypoſtaticam, quod dico propter humanam Chriſti naturam; hæc enim licèt compleatur per ſubſiſtentiam Verbi increati; per omnipotentiam tamen Dei fieri poteſt, vt compleatur per ſuppoſitalitatem Patris, & Spiritus ſancti, vt fatentur omnes in tractatu de Incarnatione. Deinde, licèt eſſentia diuina compleatur per ſuppoſitalitatem Patris, non tamen definit hęc communicari Filio, & Spiritui ſancto. Ceterùm id non fit per vnionem hypoſtaticam, ſed per identificationem ſuppoſitalitatum cum eſſentia diuina, ità vt vniantur inter ſe per ſummam identitatem, retenta ſumma ſimplicitate, quæ excludit omnem compoſitionem à Deo. Denique, ſuppoſitalitas reddit incommunicabile ſuppoſitum; cùm enim ſuppoſitum conſurgat ex eſſentia, & ſuppoſitalitate, & effectus formalis ſuppoſitalitatis ſit incommunicabilitas: certè ſuppoſitum erit neceſsariò incommunicabile, iuxta tamen modum explicatum.

Diſcrimen ſubſiſtentiæ & ſuppoſiti. ROGABIS, *An ſubſiſtentia, & ſuppoſitum ſint vnum & idem.* Reſp. ſubſiſtentiam eſſe nomen abſtractum: ſuppoſitum verò concretum. Deinde, nomine ſubſiſtentiæ ſignificatur res quælibet per ſe ſubſiſtens; nomine verò ſuppoſiti ſignificatur ſola ſubſtantia completa: vſu tamen, & conſuetudine loquendi Scholaſticorum Theologorum, duo hæc nomina pro vno, & eodem vſurpantur: ac proinde deinceps indiſtinctè his nominibus vtemur inter loquendum de perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis.

QVÆSTIO

A

QVÆSTIO XXX.

De pluralitate personarum.

ARTICVLO 1. docet plures esse personas in diuinis, idque necessariò.

ARTICVLO 2. in Deo dari tantùm tres personas.

ARTICVLO 3. ait terminos numerales in diuinis B significare ea de quibus dicuntur, sola negatione superaddita, vt patet ex istis propositionib. *Vnus est Deus, Tres sunt personæ, Tres sunt subsistentia in diuinis*; ità vt sensus primæ propositionis sit, Deus est vnus, & quidem ità vt nullus alius detur Deus, idem est iudicium de aliis propositionibus adductis.

ARTICVLO 4. ostendit nomen personæ dici de Patre, Filio, & Spiritu sancto, non tanquam genus, aut speciem; sed solo nomine, & veluti ad modum individui vagi.

C

QVÆSTIO XXXI.

De his, quæ pertinent ad vnitatem vel pluritatem personarum diuinarum.

ARTICVLO 1. docet nomen Trinitatis esse retinendum ad explicandum mysterium sanctissimæ Trinitatis.

ARTICVLO 2. Filium D esse alium à Patre, non aliud, idque quòd particula, *Aliud*, in neutro genere sumpta significet diuersitatem essentiæ, *Alius*, verò diuersitatem tantùm personæ.

ARTICVLO 3. dictionem exclusiuam, *Solus*, addendam esse termino essentiali in diuinis, non quidem categorematicè sed syncategorematicè, id est, quatenus rem solam significat, ac proinde quatenus excludit quodlibet aliud.

ARTICVLO 4. docet dictionem exclusiuam, non posse adiungi termino personali respectu attributi, quod est commune omnibus personis sanctissimæ Trinitatis, vt patet ex ista propositione, *Solus Pater est Deus*, huius enim duplex est sensus; primus, Pater est Deus, & hic est verissimus: posterior, nullus alius à Patre est Deus, & hic est falsissimus; Filius enim & Spiritus sanctus non sunt Pater, & tamen sunt verè Deus. Vide plura de istis apud interpretes diui Thomæ.

In 1. partem D. Thom.

QVÆSTIO XXXII.

De diuinarum personarum cognitione

ARTICVLVS PRIMVS.

An Trinitas personarum diuinarum possit ratione naturali cognosci.

DVBITATIO PRIMA.

An mysterium Trinitatis naturaliter possit cognosci ab hominibus & Angelis.

1. Sententia est partis affirmantis.

SVNT qui putent partem affirmantem esse indubitatam, idque quòd existiment quemlibet naturaliter cognoscere omnem perfectionem, quæ reperitur in rebus creatis reperiri in Deo: atqui producere sibi simile est perfectio in rebus creatis, vel simpliciter simplex, vel ad minùs secundum quid, ex doctrina Aristot. lib. 2. de anima: ergo. Confirmant ex illo Isaiæ 66. *Ego qui alios parere facio, ipse sterilis ero?*

Probatur argumentis plurimis.

Isaï. 66. vers. 9.

Deinde, nullus est, ex Angelis maximè, qui non intelligat naturaliter, per actum intellectus produci verbum mentis in hominibus, & item per actum voluntatis: morem qui recipitur in voluntate, tanquam in proprio subiecto: ergo illud idem erit dicendum de Deo, cùm Deus verè intelligat, & amet, & impossibile sit dari intellectionem veram, & realem, quin detur terminus aliquis productus per eamdem.

Tertiò, ratio naturalis dictat bonum esse sui ipsius diffusiuum, & consequenter summum bonum esse summè communicabile: at non potest Deus se summè communicare, nisi producat personam, vel personas aliquas quibus suam essentiam communicet: ergo cognosci poterit essentiam diuinam esse aliis communicabilem.

Denique, SS. Patres docent de Platone, de Hermete Trismegisto multis seculis Platone antiquiore, de Sibyllis, & aliis nonnullis philosophis, quòd mysteria fidei nostræ cognouerint. Ità docent Clemens Alex. lib 5. stromat. Tertull. in Apologet. Lactant. lib. 4. Institutionum diuinarum, cap. 6. Theodoretus in lib. de curatione Græcarum affectionum, Cyrillus lib. 1. contra Iulianum. Vide plura in huius rei confirmationem testimonia Patrum apud Augustinũ Eugubinum, lib. 1. de perenni philosophia.

Clemens Alexand. Tertull. Theodor. Cyrillus.

Confirmant hoc argumentum aliqui, ex his quæ habet ipsemet Plato lib. 1. de Republica; docet enim patrem habere filium sibi in omnibus simillimum, & in epist. quadam ad Dionysium, fatetur in Deo dari tres subsistentias, & D. Augustinus lib. 7. Confess. cap. 9. dicit se legisse quædam in libris Platonicorum ex primo cap. Euangelij Ioannis, & lib. 10. de Ciuit. refert se accepisse à Simpliciano, quemdam philosophum Platonicum docuisse Euangelium Ioannis litteris aureis

D. Augustin. *Aucta fidelium & ingenia fidelium sociata.*

P

esse conscribendum, & in quibusuis Ecclesiis proponendum, vt ab omnibus legatur. De Trismegisto verò ait quòd in Mem. doceat Deum Verbo suo omnia produxisse, & amore suo conseruare, & rursus ait, monadem genuisse monadem, & in seipsam reflexisse amorem: nomine autem primæ monadis intelligit patrem, nomine verò secundæ, filium, & per amorem Spiritum sanctum, vt colligunt aliqui ex Suida: probat enim hic propterea philosophum istum appellatum fuisse Trismegistum, id est, ter maximum, quòd nouerit mysterium Trinitatis. De Sibyllis D. Augustinus lib. 18. de Ciuitat. cap. 23. ait, multa fidei Christianæ mysteria nouisse, & item Lactantius citatus.

Vltimò, probant: homo censetur esse factus ad imaginem Dei: vestigium item sanctissimæ Trinitatis apparet in omni re creata, ex doctrina communi D. Thomæ, & Thomistarum: ergo cùm quilibet naturaliter intelligat hominem esse imaginem Dei, & cetera omnia creata esse vestigium sanctissimæ Trinitatis, Trinitas poterit à quolibet homine naturaliter inuestigari. Hæc sententia tribuitur Richardo à sancto Victore lib. 1. de Trinitate cap. 4 Henrico Gandauēsi quodlibeto 4. quæst. 14. Raymundo Lullio, referente Vazq. disp. 133. cap. 1. & Suari lib. 1. de Trinit. cap. 11. Neuter tamen ex istis asserit absolutè mysterium Trinitatis posse cognosci naturaliter ab homine, sed tantùm suppositis principiis fidei Catholicæ.

Conclusio 1. docet mysterium sanctiss. Trinitatis non posse naturaliter inuestigari.

Conclvsio 1. *Mysterium sanctissimæ Trinitatis prout in se est, nec ab vllo Angelo, nec ab vllo homine naturaliter inuestigari potest:* dicitur enim Matth. cap. 11. de mysteriis fidei nostræ. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus, & reuelasti ea parvulis.* & 1. Corinth. 2. *Sapientiam autem loquimur in mysterio quæ abscondita est, quam nemo principum huius seculi cognouit.* & Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus qui in cælis est:* propter hanc eamdem causam dicitur 1. Timoth. 1. quòd sit semper inuisibilis, & cap. 6. eiusdem, quòd habitet lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest. Hæc est expressa Patrum sententia, D. Augustini lib. 7. de Trinit. cap. vltimo, *Si* inquit) *intellectu capi non possit, fide teneatur; donec illuceat in cordibus ille qui ait, nisi credideritis, non intelligetis*, & lib. 9. cap. 1. probat ex cap. 8. 1. Corinth. & ex cap. 3. ad Philipp. *Non arbitror me comprehendisse*, &c. mysterium hoc non posse cognosci naturaliter ab vlla planè creatura, & cap. vltimo lib. 13. de Trinitat. comparat cognitionem quam habemus de mysterio sanctissimę Trinitatis in hac vita, cum cognitione eorum hominum, qui multas voculas Græcas memoria tenent, nesciunt tamen quid istæ significent, & lib. 15. cap. 7. & 27. comparat eamdem cognitionem nostram, cum homine cæco, negante esse Solem; hoc solo nomine quòd non videat. Vide multa testimonia de hac re apud Coccium, tom. 1. art. 2.

Rationes ad quæ eiusdē veritatis suadeces.

Subiungo rationes aliquas in huius veritatis confirmationem. Nulla datur in nobis cognitio naturalis, nisi dependenter à sensibus externis; oportet enim intelligentem speculari phantasmata: Nihil item est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu: atqui mysterium sanctiss. Trinitatis non percipitur vllo sensu externo, neque per seipsum proximè, nec per aliquid a se diuersum, præsertim in eorum opinione, qui docent per omnipotentiam Dei fieri non posse, vt detur species impressa, quæ essentiam diuinam repræsentet prout in se est; certum est etiam ex rebus istis creatis inuestigari non posse mysterium sanctissimæ Trinitatis, prout in se est; quia nihil est in rebus istis creatis, quod exprimat naturam sanctissimæ Trinitatis: imò ex istis rebus intelligimus vnius substantiæ vnam tantùm esse hypostasim, quæ res pugnat planè cum illo mysterio, quod consurgit ex tribus personis realiter inter se distinctis, & ex vna, & eadem numero essentia, quæ est in tribus istis personis; quarum prima est Pater, Filius secunda, tertia Spiritus sanctus, in rebus autem creatis, filius non habet eamdem numero essentiam, quam pater, nec è contra. Deinde, medium cognoscendi finem aliquem est eiusdem planè rationis cum fine, ex communi doctrina philosophorum; at mysterium sanctissimæ Trinitatis ex se, & sua natura est ordinis supernaturalis. Denique, de Deo cognoscimus quidem naturaliter quod sit, non quid sit hic Deus; adeo vt D. Dionysius, & ceteri Patres doceant de Deo rectius affirmari, quid non sit, quàm id quod est, seclusa relatione diuina. Ità D. Thom. hoc loco, & communiter Theologi.

Credibilitas mysterij sanctissimæ Trinitatis euidenter potest probari.

Conclvsio 2. *Licèt mysterium sanctissimæ Trinitatis non possit aliqua ratione naturali demonstrari: potest tamen huius credibilitas euidenter probari.* Primò, quia eadem est ratio de articulo sanctissimæ Trinitatis, quæ de ceteris articulis fidei nostræ; atqui ceteri articuli demonstrantur euidenter respectu credibilitatis, vt fatentur omnes in tractatu de fide: igitur & iste. Confirmatur: illud censetur esse credibile quod ab omnibus prudentioribus, sapientioribus, doctioribus, & denique maximè Sanctis vbique locorum creditur, & acceptatur: at mysterium sanctissimæ Trinitatis creditur in omnibus partibus vniuersi, & quidem à doctioribus, sanctioribus, & prudentioribus. Deinde, hæc est expressa Patrum sententia, maximè vero Richardi à sancto Victore lib. 1. de Trinit. cap. 2. ità enim de hoc mysterio loquitur. *Hoc* (inquit) *mysterium tam multis, & tam magnis, & tam miris prodigijs est confirmatum, vt genus dementiæ videatur esse aliquantulum de eo dubitare. Vnde cum omni confidentia dicere possum: Domine, si error est quod credimus, à te ipso decepti sumus: nam ista tantis signis, & prodigijs confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.* Hæc Conclusio est communis inter Scholasticos.

Credibile quid sit.

Richardus à sancto Victore.

Nemo mysterium sanctiss. Trinitatis esse impossibile ratione naturali demonstrare valet.

Conclvsio 3. *Nulla ratione naturali demonstrari potest mysterium sanctissimæ Trinitatis esse impossibile.* Primo, quia quod est de facto, non potest dici esse impossibile; at mysterium sanctissimæ Trinitatis est, vt docet fides Christiana, & Catholica: ergo non potest demonstrari esse impossibile. Deinde, verum verò aduersari nullo modo potest. Tertiò, sancti Patres sanctiss. Trinitatem plerisque rebus creatis comparārunt; alij enim dixerunt eam esse similem arbori, in qua dantur radix, truncus, & rami inter se distincti; & tamen certum est vnam arborem ex istis consurgere: alij verò dixerunt esse similem triangulo, in quo dantur tres anguli, tres item lineæ, & tamen triangulus rationem vnius figuræ tantùm consequitur: ità tres dantur in Deo personæ realiter inter se distinctæ, & tamen in istis datur vna tantùm numero essentia: Alij voluerunt Trinitatem esse similem catenæ ex tribus annulis confectæ, sed item

Vestigia, seu similitudines quædam sanctiss. Trinitatis in rebus creatis.

ti item ex quo fluunt tres riuuli; Alij Iridi, & Soli: Alij denique animæ rationali; quemadmodum enim in iſtis omnibus deprehenduntur tria realiter inter ſe diſtincta; ità & in ſanctiſſ. Trinitate dantur perſonæ tres diſtinctæ inter ſe realiter, & nihilominus ex iſtis tribus, & ex vna numero eſſentia conſurgit vna diuinitas ſimpliciſſima.

Corollariũ. Ex iſtis colligo, nullam poſſe aſſignari ratiocinationem contra myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ non poſſit ab homine Chriſtiano ſolui, idque euidenter. Primò, quòd myſteria fidei, non ſunt contra rationem naturalem, ſed ſupra, ex Concil. Lateranenſi ſub Innocent. III. Deinde, quia conſtitutus in dignitate Epiſcopali tenetur omnibus, & ſingulis reddere rationem de myſteriis fidei Chriſtianæ quotieſcumque de his fuerit interrogatus, 1. Petr. cap. 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem, de ea quæ in vobis eſt, ſpe.* & ad Titum 1. *Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* D. Auguſt. Tertiò, hæc eſt manifeſta D. Auguſtini ſententia, cap. 14. lib. 14. de Trinitate.

1. Petr. 3. verſ. 15. Tit. 1. ℣. 9.

Moneo tamen ſolutionum eorum argumentorum, quæ fiunt contra fidem, euidentiam, non omnibus innoteſcere, ſed ſolis Chriſtianis; dantur enim veritates aliquæ ordinis naturalis, quæ à ſolis Catholicis euidenter cognoſcuntur, cuius generis ſunt: Suppoſitum, vel potius ſubſtantiam diſtingui realiter à natura ſuppoſitata in rebus creatis. Item, accidens eſſe ſine ſubiecto.

Diſſipantur argumenta. Ad rationes verò authorum 1. ſententiæ reſp. Ad 1. ex mente quorumdam in Deo dari potentiam generandi tantùm virtute, & eminenter, non autem formaliter; ac proinde non eſſe mirum, ſi naturaliter generationem filij in diuinis, nullus aſſequatur, niſi ſola fide.

Reſpuitur quorumdã ad 1. rationẽ reſponſio. Ceterùm reſponſio hæc vacat omni probabilitate; quod enim virtute & eminenter tantùm eſt calidum, producit de facto calorem dependenter ab huiuſmodi virtute exiſtente in eo tantùm eminenter, vt conſtat exemplo Solis, qui licèt ſit virtute tantùm calidus, per reflexionem tamen radiorum de facto producit in iſtis inferioribus calorem.

Vera ſolutio. Dico igitur, licèt admittatur in Deo potentia generandi, & id cognoſcatur à nobis naturaliter, non tamen propterea ſequeretur hominem poſſe naturaliter intelligere generationem Verbi diuini, & item proceſſionem Spiritus ſancti: quia ratio naturalis dictat non poſſe dari plures Deos quod tamen concedendum eſſet, ſi produceretur aliquis filius intrà diuinam eſſentiam, aut etiam extra; nam de ratione filij eſt, vt ſit eiuſdem planè naturæ, & eſſentiæ cum patre. Deinde, ratio naturalis capere non poteſt aliquid eſſe Deum verè & propriè, & nihilominus eſſe verè productũ; eſt enim de ratione Deitatis, quòd ſit prima entitas, & ſimpliciter neceſſaria ex ſe, & ſua natura: & ideò debet quoque eſſe improducta: Quod ſi filius, & Spiritus ſanctus vtique verè producantur, hoc ſola diuina reuelatione nobis innoteſcit, qua ceſſante, vel non poſita, nullus eſſet qui crederet dari filium, aut Spiritum ſanctum in diuinis.

Ad 2. Reſp. Caiet. Ferrarienſem & alios nonnullos Thomiſtas exiſtimare per quamlibet intellectionem, etiam humanam, aut Angelicam non produci verbum mentis, ac proinde, licet admitteretur intellectio intrà Deum, & item vera volitio, non tamen propterea produceretur Verbum intrà Deum, aut etiam amor; ſaltem naturaliter nullus eſſet, qui iſta cognoſceret neceſſariò, & euidenter, proindéque neque cognoſceret myſterium Trinitatis dependenter à ſola cognitione naturali.

Impugnatur reſponſio Thomiſtarum. Ceterùm doctrina hæc Thomiſtarum, non eſt ſatis firma; repugnat enim dari veram, & realem actionem, & item aliquem, qui verè agat, & tamen non dari actum, idque quòd hæc tria, agens, actio, & actus ſint relata ſecundum eſſe, ex communi doctrina: ergo non poterit dari intellectio quin etiam detur intelligens & terminus intellectionis.

Approbata authoris reſponſio. Dico igitur, non poſſe cognoſci naturaliter myſterium ſanctiſſimę Trinitatis, licèt admittatur intellectio, & volitio in diuinis; quia cùm Deus ſit ens purißimum debet eſſe neceſſariò expers omnis potentialitatis, & præterea cùm ſit ſimpliciſſimus, excludit à ſe omnem omnino diuerſitatem, ſeu multiplicitatem, quæ tamen admittenda eſt neceſſariò ex productione Verbi, & amoris intrà Deum.

Pluralitas Deorum repugnat rectæ rationi. Ad 3. Reſp. quemlibet naturaliter cognoſcere, quod bonum ſit ſui ipſius diffuſiuum, & item communicatiuum; ceterùm ad extra, non verò ad intrà, & quidem per veram cauſalitatem; repugnat autem extra Deum produci aliquem, qui ſit eiuſdem naturæ cum Deo; idque quod pluralitas Deorum ſit contraria rectę rationi.

4. Ad 4. nec Platonem, nec vllum alium ex Ethnicis, ſola cognitione naturali attigiſſe myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, vt in ſe eſt, nam licèt Plato dixerit patrem habere filium ſibi ſimillimũ in diuinis, non tamen meminit Spiritus ſancti, qui pertinet ad hoc myſterium. Deinde, licèt admiſerit tres ſubſiſtentias in Deo, per tertiam intellexit animam mundi. Tertiò, exiſtimauit quamlibet ex iſtis ſubſiſtentiis vindicare ſibi propriam & peculiarem eſſentiam diſtinctam ab eſſentia ceterarum ſubſiſtentiarum. Quartò, licèt hic deſcenderit in Ægyptum, vt refert Hieronym. in epiſt. ad Paulinum, potuerítque legere libros veteris Teſtamenti, non tamen propterea potuit cognoſcere myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, prout in ſe eſt; conuenit enim inter omnes ex libris veteris Teſtamenti, non poſſe euidenter inueſtigari myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, ſed tantùm niſi fuerit intellectum ſecundum ſuum verum, & legitimum ſenſum, qualis eſt is, qui docetur & traditur ab Eccleſia Chriſtiana, & Catholica.

Triſmegiſtus confusè hoc myſterium dumtaxat agnouit. Ad id verò quod dicitur de Triſmegiſto. Reſp. formaliter non agnouiſſe myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, prout in ſe eſt: ſed tantùm confusè, & hoc manifeſtè colligitur ex locis citatis in confirmationem iſtius opinionis. Ad id verò quod addunt aliqui Triſmegiſtum vixiſſe cum Moyſe, fabuloſum planè eſt: Ex veriori namque chronologia certum eſt Moyſen vixiſſe circa annum mundibis milleſimum quadringenteſimum octuageſimum tertium; Triſmegiſtus verò circa annum ter milleſimum quingenteſimum octuageſimum ſeptimum, tempore regis Aſſyriorum Ipherei, ſiue Saphronis, aut Saphyrij, vt alij legunt.

Sibyllæ de rebus fidei Chriſtianæ longè plura nouerũt quã dæmones. Sibyllas verò conſtanter affirmant communiter omnes, agnouiſſe myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & quidem non per Dæmonum reuelationem, ſed per ſpecialem à Deo ſibi factam;

nouerunt enim iſtæ longè plura, quàm dæmones de rebus fidei Chriſtianæ, vt conſtat ex his, quæ
D. Auguſt. refert D. Auguſt. cap. 23. lib. 18. de Ciuit. & manifeſte docet Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum; quo loco ait conſequutas fuiſſe priuilegium hoc à Domino in præmium ſuæ virginitatis & pudicitiæ. Denique, non eſt abſurdum Deum reuelare myſteria aliqua Ethnicis, & prophanis hominibus, vt conſtat ex Caïpha, *Ioann.* 11. Hic enim prædixit Chriſti mortem futuram in ſalutem quibuſuis gentibus, & tamen indubitatum eſt Caïpham fuiſſe hominem ſacrilegum.

Aliquibus hoc myſterium omni tempore fuit cognitum.

Reſp. 2. nihil vetare quominus fateamur Platonem, Triſmegiſtum & alios pleroſque philoſophos agnouiſſe myſterium ſanctiſſ. Trinitat. ea tamen lege, quòd dicamus perueniſſe ad iſtam cognitionem, non quidem naturaliter, ſed vel lectione Scripturarum ſacrarum, vel traditione humana; omni quippe tempore cognitum fuit ab aliquibus myſterium Trinitatis, ex veriori opinione, quemadmodum & illud idem docent de myſterio incarnationis. Statuendum tamen eſt neminem ex philoſophis Ethnicis, diſtinctè aſſequutum fuiſſe cognitionem iſtius myſterij, etiam cognitione abſtractiua.

Ad vltimam. Reſp. in omni planè re creata apparere veſtigium ſanctiſſimæ Trinitatis; nam ratio iſtius veſtigij tota in eo poſita eſt, quòd nulla planè detur res creata quæ non habeat aliquid commune, cum aliquo attributo ex iis, quæ de Deo dicuntur; in homine verò & in Angelo præter veſtigium ſanctiſſimæ Trinitatis datur etiam imago eiuſdem, non quidem propriè & ſtrictiſſimè loquendo de imagine ſanctiſſimæ Trinitatis: ſed tantùm impropriè, putà quòd quemadmodum in Deo datur vera, & realis vis intelligendi, itémque volendi, ità & in homine, itémque Angelo facultas intelligendi, & volendi. Ità D. Auguſtinus communiter receptus philoſophatur de imagine Dei, ſeu Trinitatis. Ex iſtis tamen non licet colligere poſſe hominem naturaliter inueſtigare myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, ſed tantum perfectiones aliquas dari in Deo, quæ ſunt multis partibus perfectiores his, quæ reperiuntur in rebus creatis.

DVBITATIO SECVNDA.

An myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis poſſit euidenter demonſtrari ex ſacris litteris.

Catholicis euidens eſt hoc myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.
1. Ioan. 5. verſ. 7. Matth. vlt. verſ. 19.

Conclvsio 1. *Quibuſuis Catholicis euidenter probatur myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.* Primò ex Scripturis, 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*, Matth. vltimo. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Deinde, proceſſio filij habetur expreſſa Ioann. 16. proceſſio verò Spiritus ſancti, Ioan. 15. & 15. Tertiò ex Symbolis Apoſtolorum, Concil. Nicæni, Conſtantinopol. & Athanaſij. Quartò, ex Patribus, qui ſcripſerunt de myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis.

Conclvsio 2. *Contra Iudæos, & Hæreticos non poteſt euidenter probari myſterium hoc ex veteri Teſtamento, niſi vetus Teſtamentũ fuerit ab iſdem receptum ſecundum eum ſenſum, quem in ſe admittit, quique nullus eſt alius, quàm is quẽ retinet Eccleſia Catholica.* Prima pars huius Concluſionis probatur. Quotquot hactenus fuerunt Iudæi myſterium ſanctiſſ. Trinitatis abnegarunt, & argumenta facta à Catholicis in confirmationem iſtius myſterij vel irriſerunt, vel potius eluſerunt: ergo ſignum eſt non poſſe ipſis euidenter demonſtrari.

Secundam verò partem huius Concluſionis probant aliqui, ex illo Geneſ. 1. *In principio creauit Dij cælum, & terram:* vt habet lectio Hebraica; volunt enim particulam, *Dij*, in numero plurali eſſe poſitam, ad ſignificandas perſonas ſanctiſſ. Trinitatis; particulam verò, *Creauit*, in numero ſingulari ad vnitatem eſſentiæ diuinæ, quæ perſeuerat in tribus perſonis indiuiſa ſignificandam. Rectiùs tamen alij probant ex cap. 1. Geneſ. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem*; & cap. 3. *Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt*, & ex cap. 11. *Deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum:* & ex illis locis in quibus ter vox iſta, *Dominus*, repetitur; ità Exod. 3. & 6. Deut. 6. Pſal. 66. & 135. & 109. vt innumera alia ſilentio prætermittam, quę referuntur à Petro Galatino in lib. de arcanis fidei Catholicæ. Geneſ. 1. Idem 3. Idem 11. verſ. 7.

Obiectio. Dices, Trinitatem non reperiri in toto decurſu Scripturarum ſacratum. *Solutio.* Reſp. nomen hoc, *Trinitas*, non legi in ſacris codicibus, res tamen ſignificata per nomen exprimitur & in nouo, & in veteri teſtamento non eſt autem neceſſe nomen, *Trinitatis*, haberi in ſacris litteris, ad hoc vt articulus Trinit. credatur à nobis, ſed ſatis eſt ſi res importata per illud nomen in ſacris codicibus habeatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An in Deo ſint admittenda notiones.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quot ſint in Deo notiones; ſeu, An plures ſint in Deo notiones.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit notio?

Respondetvr, *Eſſe rationem, per quam vna perſona cognoſcitur, vt diſtincta ab alia; vel certè per quam cognoſcuntur duæ perſonæ, prout diſtinguuntur à tertia.* Ità communiter Doctores hoc loco, & in 1. diſt. 26. alij 28. Dixi autem, *Rationem*, quia notitia non eſt cauſa cognitionis alicuius perſonæ diuinæ prout hæc diſtinguitur ab alia; ſed tantum ratio illa, eodem modo, quo diximus vnum attributum in diuinis eſſe rationem cognoſcendi aliud, minimè verò cauſam. Adieci, *Cognoſcendi vnam perſonam*, quia quælibet notio diuina præſupponit proceſſionem aliquam in Deo; & item dignitatem, ſeu perfectionem, quæ verè ineſt illi perſonæ, in cuius cognitionem nos ducit.

Definitio notionis cum ipſius interpretatione.

DVBITATIO SECVNDA.

Quot ſint notiones.

Conclvsio. *Sunt tantùm quinque, innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, & denique ſpiratio paſſiua, aut vt alij communiter loquuntur proceſſio.* Primò, quia ità D. Thom. art. 3. huius quæſt. & item in 1. diſt. 26. cum Magiſtro ibidem, Richard. diſt. 28. quæſt. 1. Capreolus ibidem, Marſilius q. 29. lib. 1. & recentiores. *Notionem diuina nuncupant proceſſio.* *meroquinario explentur.* D. Thom.

Accedit

Digitized by Google

Accedit ratio: Per innaſcibilitatem ducimur in cognitionem perſonæ Patris, quatenus Pater eſt principium de non principio, ſeu (quod idem eſt) quatenus Pater eſt principium ſanctiſſimæ Trinitatis & quidem ità, vt hic à nullo alio planè ſit, ſed à ſeipſo. Deinde, per paternitatem cognoſcimus patrem vt diſtinctum à filio, cui opponitur; per filiationem verò intelligimus filium, vt diſtinctum à patre; per ſpirationem actiuam, cognoſcimus patrem, & filium, vt conſequuntur rationem vnius ſpiratoris, ac proinde vt diſtinguuntur, & opponuntur Spiritui ſancto; per ſpirationem verò paſſiuam, ſeu proceſſionem attingimus Spiritum ſanctum diſtingui à patre, & à filio, idque quòd opponatur iſtis duobus per ſpirationem paſſiuam. Subſcribunt Patres, Basilius epiſt. 44. definit enim notionem, ſignum cognoſcibile, quo cognoſcitur vna perſona prout diſtinguitur ab alia, & D. Auguſtinus lib. 5. de Trinitat. cap. 6. *Alia* (inquit) *eſt notio, qua pater intelligitur genitor, alia, qua ingenitus.*

Basilius. D. Auguſt.

Obiectio. Obiicies 1. Basilium loco proximè citato affirmare, patrem & filium non communicare in notionibus propriis: ergo ſpiratio actiua non erit notio; hæc enim communis eſt patri & filio.

Solutio. Reſp. Basilium per iſtam particulam, *Non communicant in notionibus propriis*, non intellexiſſe notiones perſonarum diuinarum, ſpectatas vt ſunt notiones; ſed intellexiſſe proprietates perſonales; ideò aſſerit proprietatem perſonalem patris, quæ eſt paternitas, non eſſe proprietatem perſonalem filij quæ eſt filiatio, ſed diſtingui ab inuicem realiter, & formaliter.

Obiectio 2. Obiicies 2. Innaſcibilitatem ducere nos in cognitionem Spiritus ſancti, & item inſpirabilitatẽ in cognitionem filij: filius enim nulla ratione ſpiratur, & Spiritus ſanctus nulla ratione generatur: ergo rectè dicitur hic innaſcibilis, & ille inſpirabilis.

Solutio. Conditiones ad propriè dictam notionem requiſitæ. Reſp. Innaſcibilitatem comparatam cum Spiritu ſancto, nulla ratione eſſe notionem Spiritus ſancti, propriè loquendo de notione; ad hoc enim vt aliquid naturam, & eſſentiam propriæ notionis conſequatur, deſideratur primò, quòd res quæ dicitur notio ſignificet perfectionem aliquam, & dignitatem in re, cuius eſt notio: Innaſcibilitas autem comparata cum Spiritu ſancto ſolam negationem generationis ſignificat; negatio autem non eſt perfectio, vt eſt per ſe notum. Deinde, notio præſupponit intrinſecè proceſſionem in re, cuius eſt notio: innaſcibilitas autem comparata cum Spiritu ſancto, nullam planè præſupponit proceſſionẽ: nam Spiritus ſanctus non eſt ex ſe, & ſua natura innaſcibilis, ſeu (quod idem eſt) improducibilis; innaſcibilitas ſiquidem eatenus eſt notio patris, quatenus ſignificat perſonam patris eſſe ſimpliciter improductam, & quatenus perſona patris dat originem ceteris perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis: idem dicendum eſt de inſpirabilitate comparata cum filio; hæc enim ideò non eſt notio filij, quia nec ſignificat dignitatem aliquam in filio; ſed ſolam negationem inſpirabilitatis: nec item dicit intrinſecè aliquam proceſſionem in filio. Ità communiter omnes hoc loco.

Scio tamen non deeſſe qui putent, & fateantur, inſpirabilitatem, & innaſcibilitatem comparatas iuxta modum explicatum poſſe dici notiones, ceterùm impropriè: prior tamen reſponſio eſt magis communis, ac proinde amplectenda.

DVBITATIO TERTIA.

An notio, relatio, & proprietas perſonalis ſint vnum, & idem in diuinis.

Notio, relatio, & proprietas perſonalis diſtinguuntur tantùm ratione inter ſe.

Reſp. 1. hæc tria diſtingui inter ſe ratione. Diximus enim notionem eſſe rationem cognoſcendi vnam perſonam diuinam, prout diſtinguitur ab alia, vel duas prout diſtinguuntur à tertia. Relatio verò definitur ratio referendi vnum extremum ad aliud; paternitas quippe eſt ratio per quam pater refertur ad filium: filiatio verò eſt ratio per quam filius reſpicit patrem. Proprietas autem perſonalis definitur à D. Thom. art. 3. huius quæſt. id quod conſtituit perſonam diuinam in ratione perſonæ.

Quatuor tantùm relationes dantur in diuinis.

Reſp. 2. Quatuor tantùm dari relationes in diuinis. Paternitatem, filiationem, ſpirationem actiuam, & ſpirationem paſſiuam, ſeu proceſſionem; quæ res fuit à nobis explicata in antecedentibus.

Tres ſolũ in diuinis perſonales proprietates.

Reſp. denique tres dari tantùm proprietates perſonales in diuinis. Paternitatem, filiationem, & proceſſionem: ità D. Thom. art. 3. huius quæſt.

Deinde, de ratione proprietatis perſonalis eſt, vt ſit incommunicabilis reſpectu cuiuſlibet alterius à perſona, quam conſtituit: at paternitas ſoli patri competit; filiatio ſoli filio ineſt, & proceſſio ſoli Spiritui ſancto. Denique, proprietas perſonalis conſtituit perſonam cuius eſt proprietas in ratione perſonę, vt paternitas conſtituit ſolum patrem, filiatio ſolum filium, & proceſſio ſolum Spiritum ſanctum: ergo cùm tres tantùm dentur perſonæ in diuinis, tres quoque tantùm erunt proprietates perſonales.

Dices 1. Innaſcibilitatem eſſe proprietatem perſonæ Patris, ex doctrina D. Thom. art. 4. quæſt. 33. huius part. Imò Bellarm. lib. 2. de Chriſto, cap. 5. refert quatuor proprietates perſonarum diuinarum, & inter iſtas computat innaſcibilitatem.

Reſp. aliud eſſe apud D. Thom. proprietatem perſonalem, & aliud proprietatem perſonæ; proprietas quippe perſonalis apud iſtum, eſt id quod conſtituit perſonã diuinã in ratione perſonæ; proprietas autẽ ſeu propriũ perſonæ, cenſetur eſſe id, quod cõuenit vni tantùm perſonę diuinę: quoniã ergo innaſcibilitas ſoli patri competit, ideò D. Thom. art. illo aſſerit innaſcibilitatem eſſe proprietatem perſonæ patris, non autem eſſe proprietatem perſonalem eiuſdem, quia non conſtituitur pater in eſſe perſonæ patris per innaſcibilitatem, aut (vt alij loquuntur) per improducibilitatem, ſed per ſolam paternitatem.

Obiectio. *Solutio.* Obiicies 2. ex eodem D. Thom. q. 36. art. 4. ad 1. & 2. ſpirationem actiuam eſſe proprietatem perſonæ patris, & filij. Reſp. nomen, *Proprium*, ſeu, *Proprietas*, vſurpari interdum pro eo quod conuenit omni, & ſoli, & reciprocatur cum re cuius eſt proprium, ſeu proprietas: interdum verò pro eo, quod conuenit aliquibus, non tamen omnibus. D. ergo Thom. eo in loco vult ſpirationem actiuam eſſe propriam, vel eſſe proprietatẽ patris, & filij, iuxta poſtremam ſignificationem proprij, ſeu proprietatis; non iuxta primam: qua tamen ratione vſurpatur à nobis nomen proprietatis perſonalis hoc locò, quando dicimus dari in diuinis tantùm tres proprietates perſonales.

Notabile. Aduerte, notiones, relationes, & proprietates perſonales comparari inter ſe, ſicut commune, & minùs commune; nam quæliber pro-

Digitized by Google

prietas perſonalis, eſt relatio, & præterea notio: non tamen quælibet relatio eſt proprietas perſonalis: ſpiratio namque actiua, relatio eſt, non tamen proprietas perſonalis: Innaſcibilitas item eſt notio, & tamen hæc non eſt relatio.

ARTICVLO VLTIMO, docet de notionibus diuinis non aliter ſentiendum eſſe, quàm definitum fuerit ab Eccleſia Chriſtiana, & Catholica: de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio.

QVÆSTIO XXXIII.

De perſona Patris.

Pater eſt principium notionale Filij, & Spiritus ſancti. Concilium Toletan. Lugdune. Florent. Auguſtin.

ARTICVLO 1. docet Patrem eſſe principium notionale Filij, & Spiritus ſancti; & quidem meritò: res quippe hæc ità traditur à Concil. Toletano XI. Lugdunenſi ſub Gregorio I. & Florentino, in litteris vnionis. Idem docent Patres, maximè D. Auguſtinus lib. 4. de Trinitat. cap. 2. & lib. 5. cap. 14. & lib. 7. cap. 1. Interpretes item D. Thom. hoc loco, & Sentent. diſt. 29. lib. 1.

Fauet ratio: Principium notionale cenſetur eſſe, id à quo producitur aliquis per veram proceſſionem, & quem producens reſpicit per veram relationem ſinè vlla tamen dependentia; at filius procedit à Patre per veram generationem, & Pater refertur ad Filium per veram relationem, & quidem ſinè vlla dependentia à ſe inuicem: ergo Pater erit principium notionale Filij, & idem dicendum erit de Patre, & Filio, reſpectu Spiritus ſancti.

Addo nedum Patrem eſſe principium notionale Filij, & Spiritus ſancti, ſed etiam Trinitatis & deitatis: ità docent Patres, Dionyſius cap. 3. lib. de diuinis Nominibus, D. Auguſtinus cap. 2. lib. 4. de Trinitate, Athanaſius in oratione contra gregales Sabellij: & Concil. VVormacienſe. Dionyſ. Auguſt. Athanaſ.

Obiectio. Dices, eſſentiam diuinam non produci à Patre: ergo.

Solutio. Reſpond. hoc argumento probari Patrem non eſſe principium notionale productiuum eſſentiæ diuinæ, quod nos vltrò concedimus: eſſentia quippe diuina nec producit, nec producitur; cum iſtis tamen rectè cohæret, vt Pater ſit principium notionale communicatiuum eſſentiæ diuinæ; hanc enim verè communicat Pater Filio generando Filium, & item Spiritui ſancto producendo cum Filio Spiritum ſanctum.

Eſſentia diuina nec producit, nec producitur. Addo propterea dixiſſe nos, Patrem eſſe principium notionale Filij, & Spiritus ſancti productiuum: quia principium eſſentiale productiuum creaturarum dicitur de Deo, quatenus Deus eſt creator omnium rerum, ex omnium doctrina. Licèt autem Pater ſit principium productiuum Filij, & communicatiuum eſſentiæ; non tamen poteſt dici cauſa Filij, Spiritus ſancti, aut etiam communicationis eſſentiæ; idque quòd inter cauſam & cauſatum detur diſtinctio realis, & item eſſentialis: in diuinis autem non multiplicantur eſſentiæ, neque multiplicari poſſunt.

Obijcies, ſi Pater eſſet principium filij concedendum eſſet de filio, quòd eſſet principiatus. *Si in rigore philoſophico ſumatur nomen, principiatum, filio nequit competere, ſin minus poteſt.*

Reſpond. nomine principiati communiter ſignificari id quod habet ortum ab aliquo per veram cauſalitatem, & efficientiam; ac proinde non eſſe concedendum de filio, quòd ſit principiatus; non enim eſt à principio per veram dependentiam, aut etiam per veram cauſalitatem vt docuimus in antecedentibus, ſi tamen nomine principiati intelligatur id quod habet ortum ab aliquo per veram proceſſionem, quæ excludit omnem omnino imperfectionem, & dependentiam, nihil vetat quominus fateamur filium eſſe principiatum.

ARTICVLO 2. docet D. Thom. nomen Patris dici propriè de prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis; hæc enim verè & propriſſimè generat filium ſibi ſimillimum.

ARTICVLO 3. nomen Patris dici prius, & magis de prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, quàm de Deo, vt eſt principium productiuum creaturarum, & quidem verè: nam ratio formalis paternitatis reperitur in prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, & quidem ſecundum effectum ſuum formalem quem exigit ex ſe, & ſua natura; in Deo verò quatenus eſt principium productiuum creaturarum reperitur tantùm paternitas per quamdam ſimilitudinem, non autem ſecundum propriam quidditatem.

ARTICVLO VLTIMO, primam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis eſſe ingenitam, de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio: ità enim ſentiunt communiter ſancti Patres, Baſilius lib. 2. contra Eunomium, Cyrillus lib. 1. cap. 1. 2. 3. & 4. de Trinit. & lib. 2. cap. 1. Nazianz. orat. 3. de Theolog. D. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. & denique Hilarius lib. 4. de Trinitate. Baſilius. Cyrillus. Nazianz. Auguſt. Hilarius.

Accedit ratio: ingenitum cenſetur eſſe illud, quod nec producitur, nec communicatur per vllam planè proceſſionem, aut communicationem, & à quo omnia quæ producuntur & communicantur intrà Deum producuntur, & communicantur; at hæc de ſola perſona Patris dici poſſunt: hæc enim eſt improducta ſimpliciter, & nulli communicatur; producit tamen filium, & eidem eſſentiam diuinam communicat, producit item cum Filio Spiritum ſanctum, & communicat eidem eſſentiam diuinam: ergo Pater eſt omnino ingenitus. *Ingenitum quid.*

Dices, Ambroſium libro de myſterio dominicę Incarnat. cap. 9. damnare Arianos quòd vterentur nomine ingeniti ad ſignificandam perſonam Patris.

Reſpond. Ambroſium non damnare ſimpliciter Arianos quòd vterentur nomine, Ingeniti, inter loquendum de perſona Patris, ſed quòd vterentur nomine, Ingeniti, ad tegendam ſuam hereſim; qua affirmabant ſolum Patrem eſſe Deum, non autem filium, etſi nomen Ingeniti non haberetur in ſacris litteris.

QVÆSTIO XXXIV.

De persona Filij.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Verbum in diuinis sit nomen personale.

Pars negans rationibus nititur sequentibus.

DVRANDVS, & alij nonnulli in 1. distinct. 27. putant, Verbum, esse nomen essentiale, idque quòd idem sit iudicium de Verbo increato, quòd de creato: hoc autem est aliquid essentiale, totus quippe homo est, qui loquitur.

Deinde, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, non minùs loquuntur, & dicunt, quàm amant; atqui amor est aliquid essentiale.

Tertiò dicere, & verbum, sunt vnum, & idem: at diximus omnes personas sanctissimæ Trinitatis dicere, seu (quod idem est) intelligere.

Denique, Verbum est expressa similitudo rei intellectæ: at essentia est omnium planè rerum repræsentativa: ergo verbum erit nomen essentiale.

Partè affirmatè, scilicet verbum esse aliquid notionale definsat author.

CONCLVSIO. *Verbum non est aliquid essentiale, sed notionale.* Primùm, verbum vt sic, est aliquid productum per intellectionem (est enim terminus intellectionis) at quæ respiciunt processiones diuinas sunt notionalia: ergo verbum est quid notionale in diuinis.

Deinde, est ratio cognoscendi vnam personam prout distinguitur ab alia; at secunda persona sanctissimæ Trinitatis cognoscitur à nobis vt distincta per verbum, nam verbum est terminus intellectionis Patris: ergo.

Tertiò, verbum significat perfectionem, & dignitatem aliquam existentem in Filio, nempe filiationem ipsam; atqui filiatio est aliquid notionale: igitur & verbum.

D. August. Denique, ità sentiunt Patres, D. Augustin. 5. de Trinit. c. 13. ait enim secundam personam relatiuè dici, & dici relatiuè verbú imaginéque, quia istis omnib⁹ vocabulis refertur ad Patrẽ, & lib. 7. c. 1. affirmat verbú dici tantùm relatiuè, & non essentialiter, & lib. 6. de Trinitat. cap. 2. ait, Verbum significare Filium, & lib. 11. cap. 10. intellectioné passiuam soli Filio competere, & Nazian. orat. in Christi natiuitat. & Anselm. in Monologio, cap. 61. quo loco ait rem istam esse certissimam, licèt humana mente capi, aut explicari nequeat, pro eo tempore quo sumus in hac vita mortali. Ità D. Thom. hoc loco, Magister dist. proximè citata, Scotus quæst. 2. Gabriel quęst. 3. art. 2.

Nazianz. Anselm.

D. Thom.

Respondetur ad argumenta partis negantis.

Ad 1. Ad rationes verò contrarias resp. Ad 1. Negando maiorem: Verbum enim creatum accidens est, increatum verò subsistantia: illud recipitur in subiecto, hoc verò per se subsistit. Item verbum creatum producitur per veram actionem, increatum verò minimè, sed tantùm per processionem; conueniunt autem hæc duo inter se, quòd Verbum increatum sit terminus intellectionis Patris; quemadmodum verbum creatum est terminus intellectionis creatæ.

Ad 2. Ad 2. resp. 1. Amorem in diuinis spectari duobus modis: interdum enim significat actum illum notionalem, quo Pater, & Filius producunt Spiritum sanctum; interdum verò significat terminum productum per huiusmodi actum, nempe Spiritum sanctum: Verbum autem, nusquam significat eum actum quo Pater producit Verbum, sed tantùm terminum intellectionis Patris designat, ac proinde est maximum discrimen inter amorem, & Verbum.

Resp. 2. Patrem, Filium, & Spiritum sanctum verè amare se, ceterùm amore essentiali, & item intelligere se; at per neutrum ex istis duobus producitur aliquid intrà Deum, sed tantùm per intelligere Patris notionale, & per amare notionale Patris, & Filij.

Ad 3. Ad 3. resp. dicere, & verbum, esse vnum & idem; si dicere, sit idem atque intelligere, & producere simul; hac autem ratione solus Pater dicit in diuinis.

Ad vltim. Ad vltimam, Verbum esse perfectissimam similitudiné Patris, proindéque esse aliquid notionale: est autem maximum discrimen inter Patrem dicere Verbum, & dicere Verbo: primum, enim significat Patrem, producere sua intellectione Verbum; hoc autẽ Patrẽ suo verbo non dicere seipsum, nec essentiam, nec Spiritum sanctum, nec creaturas possibiles, aut etiam futuras in certa temporis differentia; sed tantùm hęc omnia suo Verbo exprimere.

ARTICVLO 2. Docet D. Thom. Solam personam sanctissimæ Trinitatis secundam, nuncupari propriè Verbum; idque quòd hæc sola producatur per intellectionem Patris. Deinde, quòd hæc sit imago perfectissima Patris, & denique quòd sit forma (qua) perfectissimè exprimit naturam, & essentiam Patris.

ARTICVLVS TERTIVS.

An in nomine Verbi importetur respectus ad creaturas.

DVBITATIO PRIMA.

An Verbum diuinum dicat respectum ad creaturas.

Verbum diuinum dicit respectũ ad creaturas.

CONCLVSIO affirmatiua. Primùm, quia verbum respicit ad omne, cuius est verbum, est enim hoc perfectissima similitudo rei intellectæ: at Verbum diuinum producitur ex intellectione creaturarum, nedum in esse possibili, sed etiam in esse futuro, seu (quod idem est) ex intellectione creaturarum possibilium; & etiam futurarum in certa temporis differentia, saltem identicè, & concomitanter, vt probabitur Dubitat. proximè sequente: ergo Verbum dicit ordinem ad creaturas.

Deinde, Verbum diuinum nedum est signum expressiuum, & manifestatiuum, sed etiam productiuum creaturarum, vt colligitur ex illo Ioann. 1. *Omnia per ipsum* (scilicet Verbum) *facta sunt, & sinè ipso factum est nihil*: at signum

Ioann. 1. v. 2.

Digitized by Google

respicit res significatas, seu signatas, omnium consensione: ergo.

Tertiò, Verbum mentis dicit relationem realem ad intelligentem, vel dicentem; & relationem rationis ad res dictas, ex communi doctrina: ergo. Ità docent Patres aliqui, D. Augustinus lib 83. quæst. 63. & lib. 15. de Trinitat. cap. 14. & lib. 11. Confess. cap. 7. Anselm. in Monologio, cap. 32. & D. Thom. hoc loco, & item art. 1. huius quæst. ad 3.

D. August. D. Thom.

Dices, notionalia nullam dicere relationem ad res, quæ sunt extra Deum. Resp. hoc esse verum, si sermo sit de relatione reali, secus tamen asserendum est de relationibus rationis: Verbum enim relatione rationis refertur ad creaturas futuras in certa temporis differentia, ex doctrina D. Thom. hoc loco. Moneo tamen Verbum non referri ad creaturas per relationem filiationis: per istam enim respicit tantùm Patrem, sed vel per intellectionem essentialem, vel certè per essentiam prout hęc est principium productiuum creaturarum.

Religiosè aduertas.

DVBITATIO SECVNDA.

An Verbum diuinum producatur ex cognitione solius essentiæ diuinæ, & personæ Patris. An verò, nedum ex cognitione istorum duorũ, sed etiam personarum Filij, & Spiritus sancti, creaturarum possibilium, & futurarum in certa temporis differentia.

RESPONDEO, Missis de hac re varijs opinionibus sequentibus Conclusionibus.

1. Conclusio, docet Verbum diuinũ produci ex cognitione sui ipsius, Spiritus sancti, & creaturarũ possibilium concomitanter, identicè, & materialiter.

CONCLVSIO 1. *Verbum diuinum producitur ex cognitione sui ipsius, Spiritus sancti, & creaturarum possibilium concomitanter, identicè, & materialiter, vt loquuntur.* Primùm, quia Verbum diuinum producitur ex intellectione eorum omnium, quæ cognoscuntur à Patre per intellectionem notionalem sibi propriam: est enim Verbum, terminus intellectionis notionalis Patris, omnium Catholicorum consensione: at Pater nedum intelligit seipsum, & essentiam diuinam per intellectionem notionalem sibi propriam, sed etiam personas Filij, & Spiritus sancti, & creaturas possibiles: ergo procedit ex cognitione horum.

Deinde, cognitio per quam Pater producit Filium est simpliciter infinita, ac proinde attingit quodcumque intelligibile: atqui inter ista intelligibilia computantur personæ Filij, itémque Spiritus sancti & creaturæ possibiles, & futuræ: ergo.

Denique, cognitio per quam producitur Verbum à Patre, est comprehensiua eorum omnium quæ sunt, nedum intrà diuinam essentiam, sed etiam ad extra: ergo cùm persona Filij, & Spiritus sancti sint intrà diuinam essentiam, necessariò cognoscuntur istæ à Patre quando Pater producit Filium per suam intellectionem. Ità docent D. Thom hoc loco, & art. 2. quæst. 32. ad 3. huius part. & quodlibeto 4. quæst. 4 art. 6. Bonau. Richard. Ægidius Romanus, & Gabriel dist. 27. lib. 1. & communiter Recent. hoc loco.

Cognitio Filij, & Spiritus sancti in Patre producente Filium est intuitiua.

CONCLVSIO 2. *Cognitio Filij, & Spiritus sancti in Patre producente Filium est intuitiua, seu visionis; non autem abstractiua.* Primum, quia ista cognitio est in Patre perfectissima: at cognitio visionis, seu intuitiua est multis partibus perfectior abstractiua: igitur cognitio qua Pater producit Filium est intuitiua.

Deinde, nihil est intrà diuinam essentiã verè, & realiter, quod non cognoscatur à Patre intuitiuè, si res ista cognita, sit intrà diuinam essentiam formaliter, seu (quod idem est) secundum suam propriam quidditatem, & formalitatem: at personæ Filij, & Spiritus sancti sunt intrà diuinam essentiam formaliter, & secundum suas proprias quidditates, omnium planè consensu: ergo cognoscuntur intuitiuè.

Denique, cognitio intuitiua terminatur ad rem, prout in se est: at personæ Filij, & Spiritus sancti cognoscuntur à Patre per eam intellectionem per quam producitur Verbum, vt sunt in seipsis: ergo est intuitiua, seu visionis.

Obiectio.

Obijcies, personas Filij, & Spiritus sancti non esse productas pro eo instanti rationis, in quo nos cõcipimus Patrem per suam intellectionẽ producere Verbum: ergo cognitio ista Filij, & Spiritus sancti non est intuitiua.

Solutio.

Resp. 1. negando consecutionem; non enim est necesse ad hoc vt aliquid cognoscatur intuitiuè, seu (quod idem est) scientia visionis, quòd res ista sit in esse actualis existentiæ; nam præterita, & futura in certa temporis differentia cognoscuntur à Deo intuitiuè, & tamen hæc non sunt in esse actualis existentiæ. Deinde, falsum est obiectum cognitionis intuitiuæ debere præexistere ante cognitionem intuitiuam; satisenim est si hæc duo fuerint simul ad summum.

Denique, docuimus aliàs cognitionem intuitiuam terminari ad rem aliquam prout in se est, præscindendo ab existentia præterita, vel futura, vel denique præsente.

Instabis, saltem ex istis colligi personam Patris præexistere ante personas Filij, & Spiritus sancti.

Replica.

Resp. negando illationem istam: tum quia Pater & Filius sunt relata secundum esse, ac proinde vnum nequit esse sinè alio, neque item intelligi; relata quippe sunt simul natura, cognitione, definitione, & tempore: tum quia in æternis nihil est prius, nihil posterius: tum denique, quia in diuinis admittitur tantùm prioritas à quo, minimè verò prioritas in quo; ex prioritate autem à quo solùm colligitur vnam personam accipere originem ab alia, non autem esse ante aliam.

Dissoluitur.

Denique resp. personas Patris, Filij, & Spiritus sancti etiam in eo instanti in quo nos concipimus Patrem producere Filium, esse à parte rei intrà diuinam essentiam, & ideò rationem istam nihil planè concludere.

CONCLVSIO 3. *Diuinum Verbum producitur per intellectionem Patris ex cognitione creaturarum futurarum in certa temporis differentia, saltem concomitanter, identicè, & materialiter.* Primùm, *Diuinum Verbũ producitur ex cognitione creaturarũ futurarũ in certa temporis differentia.* quia diximus cognitionem per quam producitur Verbum à Patre attingere quodcumque intelligibile, idque quod cognitio ista sit simpliciter infinita, in ratione cognitionis; at creaturæ futurę in certa temporis differentia sunt verè intelligibiles: ergo Verbum procedit ex cognitione earum.

Dices, cognitionem per quam producitur Verbum diuinum, non minùs esse necessariam, quam sit ipsum diuinum Verbum; Verbum namque productum imitatur naturam cognitionis per

Obiectio.

per quam producitur: at Verbum diuinum, cùm A ſit Deus, eſt ſimpliciter neceſſarium; cognitio verò creaturarum futurarum non eſt neceſſaria ſimpliciter ſed libera, omnium conſenſione: ergo nequit procedere ex cognitione illarum creaturarum.

Solutio. Reſp. cognitionem creaturarum futurarum ſpectari, & ſecundum ſuam entitatem præcisè, & ſecundum terminationem, quam dicit ad creaturas extra Deum poſitas. Priori modo certum eſt cognitionem hanc tam neceſſariam eſſe, quàm ſit Deus Pater. Poſteriori verò modo eſſe liberam; quia tamen cognitio iſta poſito decreto diuino de rebus futuris producendis, non poteſt non eſſe: ideò ex cognitione harum rerum pro- B ducitur diuinum Verbum à Patre concomitanter, identicè, & materialiter, vt loquuntur, id eſt, cognitio iſtarum rerum eſt ità coniuncta cum cognitione illarum, per quam principiatiuè, & quaſi formaliter producitur Verbum à Patre, vt nequeat hæc cognitio ſeparari ab ea.

Diuinum Verbum producitur principiatiuè, & quaſi formaliter per cognitionẽ ſolius eſſentiæ, & Patris perſonæ.

Conclvsio vltima. *Diuinum Verbum producitur principiatiuè, & quaſi formaliter, ſeu (quod idem eſt) tamquam per principium formale productiuum, per cognitionem ſolius eſſentiæ diuinæ, & perſonæ Patris.* Ità docent Scotus in 2. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 2. & quodlibet. 14. art. 2. C & multis Vazq. tota diſput. 143. capit. 2. 3. 4. 5. præſertim. Accedit ratio: diuinum Verbum producitur à Patre, tamquam per principium formale productiuum eiuſdem, per quod intellectus Patris determinatur ad intelligendum, vt ſic; & præterea ad operandũ in actu primo; at intellectus Patris determinatur ad intelligendum, & item ad operandum in actu primo conformiter ſuę naturæ, per intellectionem ſolius eſſentiæ diuinæ, & perſonæ Patris: Siquidem fatentur omnes per intellectionem Patris, vt eſt intellectio Patris, Verbum diuinum produci, idque quòd intellectio productiua Filij ſit neceſſariò notionalis, & propria ſoli Patri: igitur principium quaſi formale Verbi eſt cognitio eſſentiæ diuinæ, & perſonę Patris.

Obiectio. Dices, intsllectionem Patris ſpectatam hoc D modo nihil aliud eſſe realiter, quàm ipſummet Verbum; ergo cùm idem ſeipſum producere nequeat, diuinum Verbum non producetur à Patre per iſtam intellectionem.

Reſpond. Reſpond. Intellectionem iſtam ſpectari actiuè & paſſiuè. Priori modo ſignificat actum veluti immanentem elicitum à Patre. Poſteriori verò modo denotat terminum productum per huiuſmodi actum; licèt ergo cum eſſentia diuina iſta duo comparata nulla ratione diſtinguantur, ſi tamen conferantur inter ſe, vetè, & realiter diſtinguuntur; nã actus hic actiuè ſpectatus eſt ipſemet Pater intelligens; paſſiuè verò ni- E hil aliud eſt, quàm Filius, ideóque cùm Pater, & Filius ſint relata, & opponantur inter ſe, rectè producetur Filius per intellectionem actiuam Patris, & conſtituetur in eſſe Filij per eamdem intellectionem paſſiuè ſpectatam, interueniente filiatione veluti proprietate perſonali conſtitutiua Filij.

Obiectio 2. Pendere à creaturis tamquam à termino non dicit imperfectionem. Obijcies, ſi diuinum Verbum produceretur ex cognitione rerum futurarum, ſequeretur Verbum diuinum pendere à creaturis, omnis enim cognitio pendet à ſuo obiecto, veluti à propria cauſa, at non poteſt pendere ab illis, vt patet: ergo neque procedere ex cognitione ipſarum.

Soluti. Reſpond. Verbum diuinum pendere à creaturis futuris, tantùm in ratione termini, ſeu (quod idem eſt) veluti à termino: hæc autem dependentia nullam dicit imperfectionem in Verbo diuino, ſed ea tantùm, quæ pendet ab aliquo, vel per veram cauſalitatem & efficientiam, vel per veram & realem compoſitionem; neutro autem ex iſtis duobus modis pendet Verbum diuinum à creaturis futuris. Ad id verò quod dicitur cognitionem pendere à ſuo obiecto. Reſp. hoc eſſe verum in rebus creatis, idque quòd cognitio in rebus creatis ſumat ſuam vnitatem ſpecificam ab obiecto, vel certè à modo tendendi in obiectum: cognitio autem increata non pendet ab obiecto cognito in ſua ratione ſpecifica, ſed tantùm veluti à termino, vt diximus.

Obiectio 3. Obijcies 3. Si diuinum Verbum producatur à cognitione eſſentiæ diuinæ, & perſonæ Patris principiatiuè, & quaſi formaliter, aut (vt alij loquuntur) per cognitionem characteriſticam; & entitatiuè per cognitionem perſonæ Filij, & Spiritus ſancti, & creaturarum, tam in eſſe poſſibili, quàm in eſſe futuro, ſequeretur Verbum diuinum produci per diuerſas cognitiones, cùm dentur diuerſa obiecta; atqui hoc videtur abſurdum: ergo & illud ex quo ſequitur.

Soluti. Reſpond. negando illationem maioris. Ad C probationem autem, diuerſitatem obiectorum non inducere diuerſitatem cognitionum, quotieſcumque omnia obiecta cognoſcuntur vnica ſimpliciſſima cognitione: Pater autem ſua intellectione notionali ſimul, & ſemel vnica ſimpliciſſima intellectione ſeipſum intelligit, eſſentiam diuinam, perſonas Filij, & Spiritus ſancti, & denique creaturas nedum poſſibiles, ſed etiam futuras in certa temporis differentia, idque quòd hæc intellectio ſit infinita ſimpliciter in ratione intellectionis.

Rogabis, *An Spiritus ſanctus producatur per voluntatem Patris, & Filij terminatam ad eſſentiam diuinam, & ad perſonas Patris & Filij: an verò per voluntatem terminatam ad iſta, & præterea ad perſonam Spiritus ſancti, & item ad creaturas poſſibiles ſeu futuras in certa temporis differentia*, vel (quod idem eſt) an ex amore eſſentiæ diuinæ, & perſonarum Patris, & Filij tantùm, producatur Spiritus ſanctus à Patre, & à Filio? an etiam ex amore Spiritus ſancti, creaturarum poſſibilium, & futurarum in certa temporis differentia?

Reſpondeo, *Principiatiuè, & quaſi formaliter produci Spiritum ſanctum ex amore eſſentiæ diuinæ, & perſonarum Patris, & Filij; concomitanter verò, identicè, & materialiter ex amore Spiritus ſancti, creaturarum poſſibilium, & futurarum in certa temporis differentia.* Ratio prioris eſt, quia Pater, & Filius vt ſunt vnus ſpirator, conſtituuntur in ratione volendi, ſeu (quod idem eſt) amandi, & item producendi conformiter naturæ voluntatis per amorem eſſentiæ diuinæ, & perſonarum Patris & Filij; eſt enim ille ſolus amor in diuinis productiuus, qui eſt notionalis, ac proinde qui competit ſoli Patri, & Filio: at Pater, & Filius conſtituuntur amantes, & item in actu primo ſufficientiſſimè operantes per ſolum amorem eſſentiæ diuinæ, & perſonarum Patris & Filij: ergo Spiritus ſanctus procedit ex ipſorum amore.

Ratio verò poſterioris eſt: amor Spiritus ſancti, creaturarum poſſibilium, & denique futurarum in certa temporis differentia, eſt ità coniun-

Digitized by Google

ctus cum eo amore, quo Pater, & Filius amant A
suam essentiam, & suas personas, vt non possit
ab isto amore separari; ergo ex amore Spiritus
sancti, creaturarum possibilium, & futurarum in
certa temporis differentia producitur Spiritus
sanctus, non quidem principiatiuè, sed concomitanter, materialiter, & identicè: nam amor
personæ Spiritus sancti, & creaturarum est idem
perfectissimè cum eo amore, quo Pater, & Filius amant seipsos, & suam essentiam.

QVÆSTIO XXXV.

Vtrùm imago in diuinis dicatur personaliter.

QVÆSTIONE trigesimaquinta docet D. Thom. primò, nomen imaginis esse personale, de qua re nullus potest dubitare; cùm ea omnia sint in diuinis personalia, seu notionalia, quæ consequuntur processiones diuinas: at ratio imaginis consequitur primam processionem diuinam, nempe intellectionem Patris, omnium consensu. Secundò, rationem imaginis soli Filio competere in diuinis, & quidem meritò; nam Filius dicitur imago *Patris*, *Hebræor. 1. Coloss. 1. & Sapient. 7.* Deinde, ità docent Patres, Hilar. lib. 8. de Trinitat. & lib. de Synodis. Ambrosius lib. 2. in Lucam, cap. 22. & D. Augustinus lib. 6. & 7. de Trinitat. passim. Denique, duo sunt necessaria ad hoc vt aliquid consequatur rationẽ imaginis propriè dictæ: Alterum quòd res hæc sit expressa, & perfecta similitudo secundum essentiam illius rei, cuius dicitur esse imago. Alterũ, quòd assimiletur ex vi suæ processionis ex speciali intentione operantis, producenti, vt admonent interpretes D. Thom. hoc loco; at Filius est perfectissimè similis Patri secundum essentiam, & quidem ex vi suæ processionis: & præterea ex intentione Patris generantis Filium: producitur enim Filius per intellectionem Patris, quæ est vera & propria generatio, vt docuimus in antecedentibus, vnde illi soli competet propriè ratio imaginis.

Hilarius. Ambros. D. August. *Duo necessaria ad rationẽ imaginis propriè dictæ.*

Obiectio. Dices, Spiritum sanctum esse imaginem Patris, & Filij, ex doctrina Græcorum Patrum: ità Nyssenus in vita sancti Greg. Thaumaturgi, Eusebius lib. 7. historiæ Ecclesiasticæ, Athanasius in epist. E
ad Serapion. & Damasc. in lib. 1. de fide.

Solutio. Nomen imago interdum latissimè, interdum strictissimè sumitur. Resp. Patres istos imaginis nomen sumpsisse latissimè pro eo videlicet omni, quod est simile alteri; non autem propriè, quemadmodum loquimur hîc de imagine. Deinde, si Patrum istorum ratio loquendi esset vera, & imitanda, sequeretur vnum ouum esse imaginem alterius, & item vnum capillum alterius, & denique medietatem Lunæ esse imaginem alterius medietatis; hæc enim sunt omni ex parte simillima, quod tamen hactenus nullus docuit. Vide plura de istis apud interpretes sancti Thomę hoc loco.

QVÆSTIO XXXVI.

De persona Spiritus sancti.

ARTICVLO primo docet D. Thom. tertiam personam sanctissimæ Trinitatis nuncupari rectè Spiritum sanctum, quod nedum verum est, si nomen Spiritus sancti sumatur complexè, sed etiam si sumatur incomplexè. Ratio prioris est, quia tertia persona sanctissimæ Trinitatis est verè substantia quædam spiritualis, & præterea sanctissima, cùm sit ipsamet sanctitas per essentiam. Ratio posterioris est, quia vox ista, *Spiritus sanctus*, excogitata est à sanctis Patribus ad tertiam personam Trinitatis significandã, ac proinde est vna vox simplex, non autem duę, quarum vna sit substantiuum, altera verò adiectiuum.

ARTICVLO 2. docet Spiritum sanctum procedere à Filio, & quidem ità, vt si ab eo non C
procederet non distingueretur ab eo realiter.

ARTICVLO 3. Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, licèt rectius dicatur Spiritum sanctum procedere à Patre & à Filio.

ARTICVLO denique 4. docet Patrem & Filium esse vnicum principium productiuum Spiritus sancti.

DVBITATIO PRIMA.

An Spiritus sanctus procedat à Patre & à Filio.

D

FVit hactenus, & est grauis hac de re cõtrouersia inter Græcos & Latinos Patres: illi enim docuerunt Spiritũ sanctum à solo Patre procedere, idque quòd in sacris litteris minimè legatur Spiritum sanctum procedere à Filio, bene tamen à Patre. Ità Ioan 14. *Mittam vobis Spiritum veritatis qui à Patre procedit.* *Græcorum error & argumenta.*

Deinde, quia in 3. Synodo Ephesina vetatur 2.
strictissimè nequid addatur Symbolo Conciliorum Nicæni, & Constantinopolitani, in quo non reperitur particula ista, *Filióque*, sed tantum hęc, E
Qui ex Patre procedit. Auget & difficultatẽ istam, 3.
quod Leo III. Pontif. Rom. circa annum Christi nongentesimum, referente Baronio tom. 9. suorum Annalium, procurauit vt duæ Tabulæ argentęæ aptarentur, in quarum altera delineatum fuit Symbolum Concilij Nicæni & Constantin. litteris Græcis, in altera verò litteris Latinis, & tamen in neutra ex istis duabus tabulis legitur particula ista, *Filióque*; argumento igitur est Pontificem istum Rom. credidisse Spiritum procedere tantùm à Patre, non autem à Filio.

Denique, Græci Patres, maximè verò Theophylactus, Euthymius, Damasc. imò & Theodoretus qui vixit seculo 4. & post hoc per aliquot annos constanter docuerunt Spiritum sanctum à solo Patre procedere. 4.

CON-

Digitized by Google

Spiritus ſanctus procedit à Filio.

CONCLVSIO. *Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio.* Hæc eſt de fide; habetur enim in 3. & 4. Synodo generali actione 1. & 5. & in 5. Synodo, actione vltima, & in 6. actione 17. & denique in 7 actione 7. & in Concil. Toletano I. cap. 21. Toletan. III. cap. 1. Toletan. IV. cap. 1. Toletan. VIII. cap. 6. & denique Toletan. XI. cap. 1.

Licèt eim hæc Concilia ſint *Prouincialia*, fuerunt tamen omnia à ſummis Pontificibus confirmata, etiam ante annum Chriſti milleſimum, antequàm conſtaret de ſchiſmate Græcorum, quod erupit circa annum Chriſti milleſimum quinquageſimum quartum ſ[illegible] refert Baronius in ſuis Annalibus: patet etiam ex Concil. Lugdunenſi ſub Gregor. X. Lateranenſi ſub Innocentio III. & denique Trid. ſeſſio. 3. in Confeſſione fidei: & Florentino loco citato. Hæc autem quatuor poſtrema Concilia generalia fuerunt celebrata in Eccleſia Latina poſt ſchiſma Græcorum.

Didym. Accedunt & Patres aliqui Græci veteres & Latini: Didymus lib. 2. de *Spiritu ſancto*. *Saluator qui & veritas, de Spiritu ait: Non enim loquetur à ſemetipſo: hoc eſt non ſinè meo & Patris arbitrio: quia inſeparabilis à mea & Patris eſt voluntate: quia non ex ſe eſt, ſed ex Patre & me eſt.* **Nyſſen.** *Hoc enim quod ſubſiſtit & loquitur ex Patre, & me illi eſt.* Gregor. Nyſſenus homil. 4. ſuper Pater noſter. **Nazianz.** *Spiritus autem ſanctus, & ex Patre dicitur: & ex Filio præterea eſſe oſtenditur.* Nazianzenus orat. 49. **Athanaſ.** *Miſit nobis Chriſtus Spiritum ſanctum, protectorem, ſignatorem, & ductorem in vitam æternam ex Patre, & ex ſe procedentem.* Athanaſ. in Symbolo, *Spiritus ſanctus à Patre, & à Filio procedens.* **Baſilius.** Baſilius lib. 2. aduersùs Eunomium. **Cyril.** Cyrillus Hieroſolym. Catechel. 17. & alij: ex Latinis verò omnes, maximè verò **D. Auguſt.** D. Auguſt. lib. 4. de Trinitat. cap. 20. *Accipite Spiritum ſanctum. Neque enim flatus ille corporeus, cum ſenſu corporaliter tangendi procedens ex corpore, ſubſtantia Spiritus fuit: ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantùm à Patre, ſed à Filio procedere Spiritum ſanctum.* & lib. 15. cap. 26. **Tertull.** *Qui poteſt intelligere ſinè tempore generationem Filij de Patre, intelligat ſinè tempore proceſſionem Spiritus ſancti de vtroque.* Tertullianus aduersùs Praxean, cap. 4. **Hilar.** *Spiritum ſanctum non aliunde puto quàm à Patre per Filium.* Hilarius de Trinit. lib. 2. **Ambroſ.** *De Spiritu ſancto non tacere oportet; loqui autem de eo non eſt neceſſe: quia de Patre, & Filio authoribus confitendus eſt.* Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 10. *Spiritus ſanctus cum procedat à Patre, & Filio, non ſeparatur à Patre, non ſeparatur à Filio:* & alij innumeri.

Præterea probatur aliquot rationibus. Prima, Spiritus ſanctus mittitur à Filio: ergo procedit ab eodem: antecedens habetur expreſſum, Ioan. 14. *Mittam vobis Spiritum veritatis.* & rurſus. *Si non abiero paracletus non veniet ad vos; ſi autẽ abiero, mittã eum ad vos.* Loquitur autem iſtis in locis Chriſtus de Spiritus ſancti perſona. Conſequutio verò probatur: Nulla diuina perſona mittitur, niſi ab ea à qua procedit, miſſio quippe præſupponit proceſſionem, vt author eſt D. Thom. quæſt. 43. huius part. & ibidẽ omnes omnino interpretes; at mittitur Spiritus ſanctus à Filio: ergo procedit etiam ab eodem.

Effugium Græcorum. Reſpondent Græci, perſonam diuinam mitti ab ea, à qua minimè procedit; Filius enim à Spiritu ſancto mittitur ex illo, Eſai. 61. *Spiritus*, inquit, *Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me Dominus, ad annunciandum manſuetis.*

Reſpondetur. Ceterùm obiectio hæc nihil planè dicit; ſiquidem non illic perſona Filij mittitur à Spiritu ſancto, ſed tantùm humana Chriſti natura, & quidem ad genus humanum redimendum; Spiritus item ſanctus non mittit ſolus humanam naturam, ſed vnà cùm Patre & Filio, cùm actiones ad extra ſint ex æquo communes omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis.

Probat 2. Secunda ratio: Nihil eſt in Patre quòd non ſit in Filio, exceptis tamen ijs in quibus Pater & Filius opponuntur, vt manifeſtè colligitur ex cap. 11. Matth. *Omnia*, inquit Chriſtus, *tradita ſunt mihi à Patre:* & ibidem: *Omnia tua mea ſunt.* atqui virtus ſpirandi eſt in Patre; ergo erit etiam hæc in Filio, ac proinde tam verè producet Filius Spiritum ſanctum quàm Pater. Hoc argumento vtitur D. Auguſtinus lib. 5. de Trinitat. cap. 14. Matth. 11. ℣. 27. Ioan. 17. ℣. 10.

3. Tertia ratio: Spiritus ſanctus accipit aliquid à Filio ex illo Ioann. 16. *Non enim loquetur à ſemetipſo:* ait Chriſtus de Spiritu ſancto; *ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis: ille me clarificabit, quia de meo accipiet:* ergo Spiritus ſanctus procedit à Filio, nam non poteſt Spiritus ſanctus aliquid accipere à Filio, niſi per proceſſionem quam dicit ad Filium; nulla quippe perſona diuina accipit quidpiam ab alia, niſi per proceſſionem quam dicit ad eamdem, omnium planè conſenſione: hoc argumento vtitur Hilarius lib. 8. de Trinitat. D. Auguſtinus in Ioann. Anſelmus lib. de proceſſione Spiritus ſancti, cap. 7. Ambroſ. lib. 5. de fide, cap. 6. & lib. 2. de Spiritu ſancto, cap. 12. Idem 16. ℣. 13. Hilat. D. Auguſt. Anſelm. Ambroſ.

Vltima. Denique probatur hæc Concluſio, ex malis quæ acciderunt Eccleſiæ Græcæ poſt formatum ſchiſma de proceſſione Spiritus ſancti; ab eo namque tempore nulla fuerunt apud iſtos celebrata Concilia, nullus item claruit apud eos miraculis, fides nedum fuit imminuta, ſed penè extincta, eorum Imperium defecit ad Turcas; imò Ciuitas Conſtantinopolitana quę erat ſedes Regia Imperatoris in ipſo die Pentecoſtes occupata fuit à Turcis, ex multorum narratione: nulli denique apud iſtos ſunt verè Epiſcopi, & ſi qui ſunt patiuntur duriſſimam ſeruitutem Othomannorum.

Ad rationes reſp. 1. Ad 1. nihil planè probare. Argumentum namque ab authoritate negatiuè ſumptum, nihil valet. Deinde, non dicitur in ſacris litteris quòd Spiritus ſanctus procedat à ſolo Patre, quod tamen fuit neceſſarium ad hoc vt probarent Græci Spiritum ſanctum non procedere à Filio. *Satisfit primo argum. Græcorum.*

2. Ad 2. particulam iſtam, *Filioque*, additam fuiſſe Symbolo Nicæni Concilij, & Conſtantinop. idque authoritate Pontif. Maxim. vel certè conſenſu omnium planè Eccleſiarum Catholicarum. Pontifex ſiquidẽ Maximus eſt iudex omnium cõtrouerſiarum Eccleſiaſticarum, ità vt nequeat in iſtis deficere, ex illo Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua:* & ex illo Ioann. 21. *Petre, paſce oues meas: paſce agnos meos.* Legendus eſt hac de re Hieronym. in epiſt. ad Damaſum primum: quando autem hæc additio facta fuerit Symbolo Concil. Nicæni & Conſtantinopol. nullus eſt qui certò ſcire poſſit: non enim fuit hoc ab vllo hactenus obſeruatum. Certum tamen eſt additionem iſtam eſſe antiquiſſimam: Baronius Luc. 22. ℣. 32. Ioan. vlt. ℣. 18. Hieron.

Digitized by Google

namque tom.5. ſuorum Annalium obſeruat Concilium Toletanum I. celebratum fuiſſe anno Chriſti quadringentesimo quadragesimo ſeptimo, in quo legitur particula iſta, *Filioque*, addita Symbolo Conc. Nicæni,& Conſtantinopolit. imò refert alterum Concilium fuiſſe coactum in Hiſpania eodem tempore,in quo eadem particula legi-
LeoMagn. tur. Leo item primus, epiſt. 93. ad Turribium, cap. 1. refert particulam, *Filioque*, vnà cum iſta particula, *qui ex Patre procedit* : in Concil. item Toletano II. ſimile quid legere licet.

3. Ad id verò quod dicitur de Leone III. Reſp. Id præſtitiſſe ſtudio antiquitatis retinendæ, cuius fuit ſemper amantiſſima ſedes Romana: aut etiam ne videretur improbaſſe vſum recitandi Symbolũ B Eccleſiæ Græcæ, aut certè ne daret occaſionem Patribus Græcis recedendi à communione Eccleſiæ Latinæ, quemadmodum poſtea receſſerunt, idque ſub annum Chriſti milleſimum quinquageſimum quartum.

4. Ad 4. & vltimam. Reſp. Theodoretum eo tempore quo defeciſſet religio Catholica docuiſſe Spiritum ſanctum non eſſe à Filio : certum tamen eſt poſtea redijſſe ad fidem Catholicam, ac proinde ſenſiſſe de hac re cum Eccleſia Catholica. Theophylactus verò, Euthymius, Damaſcenus & alij nónulli complexi ſunt opinionem quam pro-C fitentur nunc Græci. Antiquiores tamen Patres Eccleſiæ Græcæ ſecus docuerunt, vt videre licet apud Patres à nobis relatos ſupra.

DVBITATIO SECVNDA.

An Spiritus ſanctus procedat à Patre, & à Filio, tamquam ab vno principio.

Durandi ſententia & fundam.

DVrandus in eo eſt errore vt credat, Spiritum ſanctum procedere à Patre, & à Filio, veluti à duobus principijs, idque quòd ſint tot principia productiua Spiritus ſancti, quot ſunt 1. ſuppoſita quę producant Spiritum ſanctum;actiones namque ſunt ſuppoſitorum, ex doctrina Ariſtotelis communiter recepta: at Pater & Filius ſunt duo ſuppoſita quæ producunt Spiritum ſanctum ex illo, *Qui ex Patre, Filioque procedit.*

2. Deinde, principium ſpirandi non eſt idem cum principio generandi, nam principium ſpirandi eſt in Filio, minimè verò principium generandi, ſed in ſolo Patre.

Denique, ſi Pater, & Filius ſunt vnum principium productiuum Spiritus ſancti, id contingit 3. quia datur vna & eadem numero vis ſpirandi in Patre, & in Filio; at hæc ratio defendi nullo modo poteſt: ità enim ſequeretur Patrem & Filium quatenus tales ſunt, non concurrere ad productionem Spiritus ſancti,cuius tamen oppoſitum docet fides Chriſtiana: ergo Spiritus ſanctus non procedit à Patre & Filio,velut ab vno & eodem principio.

Conclvsio. *Pater, & Filius ſunt vnum tantùm principium productiuum Spiritus ſancti* : hæc *Pater & Filius vnum principium Spiritus ſancti.* eſt de fide expreſsè definita in Concil. Lugdunenſi ſub Gregorio X. & refertur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, & in Concilio Florentino, ſeſſi. vltima in litter. vnionis: idem docet D. Auguſtinus 5. de Trinitat. cap. 14. D. Auguſt. *Fatendum*, inquit, *eſt Patrem & Filium eſſe principium Spiritus ſancti, non duo principia, ſed ſicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator & vnus Dominus : ſic relatiuè ad Spi-*A *ritum ſanctum vnum principium*, ſcilicet ſunt Pater & Filius, Anſelmus de proceſſione Spiritus ſancti, cap. 10.

Subſcribunt Scholaſtici, D. Thom. art. 4. huius Anſelm. quæſt. & Sententiarij diſt. 12. lib. 1.

Probatur tandem hæc Concluſio aliquot rationibus: Prima, principium productiuum ſpiritus ſancti non opponitur Patri & Filio;ergo prin- *Ratio 1.* cipium hoc vnum & idem planè numero eſt in Patre & Filio; nam in diuinis omnia ſunt communia, exceptis illis quæ dicunt oppoſitionem. Antecedens verò probatur ex eo quòd oppoſitio detur tantùm inter ea, in quibus cernitur origo vnius ab alio; certum autem eſt principium productiuum ſpiritus ſancti non accipere originem B à Patre & à Filio; non enim principium hoc producitur cùm ſit vis ſpirandi, vt poſtea probabitur.

Secunda ratio: Propterea Pater, Filius, & ſpiritus ſanctus licèt diſtinguantur ab inuicem ſunt vnum principium productiuum 2. creaturarum, quòd vna & eadem numero vis creandi detur in Patre, Filio, & ſpiritu ſancto: at in Patre, & in Filio datur vna & eadem numero vis ſpirandi ſpiritum ſanctum: ergo erunt vnum & idem principium productiuum ſpiritus ſancti.

Tertia, nihil eſt in Patre, quod non ſit in 3. Filio, excepta relatione paternitatis, vt habet Concil. Florentinum, ſeſſio. 18. ergo cùm vis ſpirandi ſit in Patre, erit etiam in Filio; ac proinde principium productiuũ Spiritus ſancti erit vnum & idem numero, hoc enim eſt vis iſta ſpirandi.

Denique, principium productiuum Spiritus *Vltima.* ſancti nihil eſt aliud,quàm eſſentia diuina concepta à nobis per modum voluntatis fœcundæ,connotando relationes paternitatis, & filiationis, quibus Pater & Filius conſtituuntur in eſſe completo ad producendum ſpiritum ſanctum: idem quippe eſt principium productiuum ſpiritus ſancti quod eſt principium productiuum Filij in Patre; ceteris tamen paribus: at principium pro-D ductiuũ Filij in Patre, nihil aliud eſt quàm eſſentia diuina concepta à nobis ad modum intellectionis fœcundæ,connotando relationem paternitatis per quam Pater conſtituitur potens in eſſe completo ad producendum Filium: ergo principium productiuum ſpiritus ſancti erit eſſentia diuina concepta ad modum voluntatis fœcundæ connotando relationem paternitatis & filiationis: ergo cùm eſſentia diuina ità concepta à nobis per modum voluntatis fœcundæ perſeueret indiuiſa in Patre, & in Filio, vnum erit tantùm numero principium productiuum Spiritus ſancti.

Conclvsio 2. *Pater & Filius ſunt vnus tantùm ſpirator reſpectu Spiritus ſancti, & Filius vnùs* E *quidem ità, vt nullâ ratione dici poſſint duo ſpiratores, bene tamen duo ſpirantes.* Prima pars huius Concluſionis aſſeritur à Doctoribus ſupra citatis. *Pater & vnus tantùm ſpirator. Filius duo ſpirantes.*

Deinde, idem eſt iudicium de ſpiratore, quod de principio productiuo ſpiritus ſancti; at eſt vnum tantùm principium productiuum ſpiritus ſancti : ergo eſt vnus ſpirator.

Denique nomina ſubſtantiua nuſquam multiplicantur in diuinis, niſi multiplicentur formæ ſignificatæ per huiuſmodi nomina intrà

trà diuinam eſſentiam, vt patet ex iſtis. Deus, intellectus, voluntas, creator, & ſic de ſimilibus; non enim licet affirmare, vel plures eſſe Deos, vel plures intellectus, vel plures voluntates, vel plures creatores intrà Deum ob identitatem formæ ſignificatæ per iſta nomina ſubſtantiua; nomina verò adiectiua multiplicantur intrà Deum multiplicatis ſuppoſitis, & ſtante hypotheſi quòd forma ſignificata per huiuſmodi nomen ſit in iſtis ſuppoſitis diſtinctis: atqui forma ſignificata per nomen, *ſpirator*, non multiplicatur in Patre, & in Filio, ſed eſt vna & eadem numero in illis duobus; hęc enim eſt vis ſpirandi Spiritum ſanctum: ergo Pater & Filius erunt vnus tantùm ſpirator, non autem duo.

2. partis Concluſ. probat. Secunda verò pars Concluſionis probatur, Patrem ſcilicet & Filium eſſe duos ſpirantes: Nomina adiectiua multiplicantur in diuinis quotieſcumque forma ſignificata per huiuſmodi nomen verè reperitur in duobus, vel pluribus ſuppoſitis: propter hanc enim cauſam dicimus de Patre, Filio, & Spiritu ſancto; quòd ſint tres creantes, ſapientes, intelligentea, omnipotentes & ſic de alijs: at forma ſignificata per nomen ſpiratoris, verè reperitur in Patre & in Filio: ergo Pater & Filius erunt duo ſpirantes.

Solutio. 1. argum. Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. negando maiorem, ſi enim res ità haberet, quemadmodum aſſerit illa propoſitio, dicendum eſſet de Patre, Filio, & Spiritu ſancto quod eſſent tria principia creaturarum, quod tamen nullus hactenus dixit: imò ſequeretur actionum humanarum & diuinarum Chriſti eſſe vnum numero tantùm principium productiuum; nam in Chriſto datur tantùm vnum ſuppoſitum, quod tamen patet eſſe ſaltum; actiones ſiquidem humanæ Chriſti ſunt verè meritoriæ, & verè morales; & tamen ratio meriti nulla ratione competit ſuppoſito diuino, ex doctrina communi.

Ad id verò quod dicitur, actiones eſſe ſuppoſitorum. Reſp. Hoc eſſe verum denominatiuè tantùm, quare de Patre & Filio eſt concedendum quod ſint duo ſpirantes Spiritũ ſanctum, & vnus tantùm ſpirator, propter cauſas explicatas in ſecunda Concluſione.

2. Argum. prima ſolutio. Ad 2. reſp. Nuſquam admittendum eſſe de Patre quod in eo dentur duo principia productiua, nempe generandi & ſpirandi, vt rectè admonet D. Thom. hoc loco & interpretes eiuſdem omnes; qui enim hoc fatetur concedit dari in Patre duas res inter ſe realiter diſtinctas, quarum vna eſt vis generandi, alia vero vis ſpirandi; duo autem iſta nec realiter, nec formaliter diſtinguuntur in Patre. Concedendum eſt ergo quod detur in Patre vnum principium productiuum & Filij, & Spiritus ſancti, ceterùm quod ſit virtute & eminenter varium & multiplex, licèt in ſe ſit vnum realiter & formaliter, eo quod æquiualeat duobus principijs in rebus creatis realiter diſtinctis; dicitur principium productiuum Filij, quatenus eſt intellectio Patris & principium productiuum Spiritus ſancti vt eſt volitio Patris & filij ſimul.

2. Solutio 2. argum. Reſp. 2. Principium generandi ſpectari duobus modis, relatiuè ſcilicet & entitatiuè. Priori modo nihil aliud eſt quàm paternitas ipſa, quæ quia eſt in ſolo Patre, ideo principium hoc generandi ità conſideratum in ſolo Patre reperitur. Poſteriori vero modo principium generandi dicit eſſentiam diuinam, & ea omnia quæ identificantur cum eadem. Ad vltimam reſp. Patrem & filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti, eſſe veriſſimum, particula enim iſta (vnũ principium) ſupponit præciſè & quaſi formaliter pro vi ſpirandi Spiritum ſanctum; & quidem diſtinctè, connotat verò ea, in quibus iſta vis ſpirandi reperitur, confusè tantùm, proindéque cùm nomen, principium productiuum Spiritus ſancti, ſignificet ſolam vim ſpirandi diſtinctè; & quaſi confusè ſuppoſita, in quibus reperitur iſta vis, principium hoc erit tantùm vnum numero, non autem varium & multiplex: quod nedum intelligendum eſt de principio, vt quo, productiuo Spiritus ſancti, ſed etiam de principio productiuo vt quod: Principia namque productiua, vt quo, & vt quod in diuinis, maximè vero ad intrà nulla ratione diſtinguuntur.

Vltima.

DVBITATIO TERTIA.

An proceſſio Spiritus ſancti ex ſe, & ſua natura poſtulet eſſe à Patre, & Filio: ità vt nulla ratione poſſit hæc conſurgere, quin ſit à Patre & Filio.

Scoti ſent. & arg. 1. Scotus in 1. diſtinct. 11. putat Spiritum ſanctum non poſtulare ex ſe, & ſua natura vt producatur à duobus ſuppoſitis Patris & filij, ſed tantùm data hypotheſi quemadmodum ſe habent iam res intrà diuinam eſſentiam. Probat: ſi inquit filius non eſſet in diuinis, tam verè potens eſſet Pater ad producendum Spiritum ſanctum, quàm ſit iam de facto; nam haberet illam numero vim producendi Spiritum ſanctum quæ de facto in ipſo reperitur: ergo tam verè produceret in data hypotheſi quàm faciat iam.

2. Deinde, creaturæ ex ſe & ſua natura non exigunt, vt ſint à tribus ſuppoſitis diuinis. Quare ergo dicemus de Spiritu ſancto quod ex ſe, & ſua natura debeat produci à ſuppoſitis Patris & filij?

Spiritus ſanctus poſtulat ex ſe & ſua natura quòd ſit à duobus ſuppoſitis, ſanctis pro- & conſequenter implicat Spiritum ſanctum produci vel ceſſio à duo- à ſolo Patre: vel à ſolo Filio.

Conclvsio *Spiritus ſancti proceſſio poſtulat ex ſe & ſua natura quòd ſit à duobus ſuppoſitis, ſanctis pro- & conſequenter implicat Spiritum ſanctum produci vel ceſſio à duo- à ſolo Patre: vel à ſolo Filio.* Hæc videtur eſſe mens D. Auguſt. lib. 6. de Trinitat. cap. 5. & Richardi à ſancto Victore lib. 6. de Trinitat. cap. 3. 10. & 11. ait enim amorem non poſſe eſſe iucundum & perfectum niſi fuerit ad minus inter duos: & c. 13. docet ſapientiæ plenitudinẽ poſſe eſſe tantùm in vna perſona; plenitudinem vero amoris minimè, ſed exigere ex ſe & ſua natura plura ſuppoſita: at Spiritus ſanctus ex ſe & ſua natura eſt amor. Ità D. Thom. art. 4. huius quæſt. & in 1. diſt. 11. & communiter Sententiarij diſtinct. 11. alij 12. lib. 1.

Auguſt. & Richard. à S. Victore.

Digitized by Google

Præterea illud omne quod cõuenit proceſſioni Spiritus ſancti, cõuenit illi per ſe & ſua natura; atqui Spiritus ſanctus de facto procedit à patre & filio ſimul: ergo hoc illi competit natura ſua.

Deinde, Spiritus ſanctus nedum procedit vt amor, ſed etiam vt amor duorum, aut, vt alij loquuntur, vt amor mutuus & verus amborum: at non poteſt eſſe amor mutuus, niſi habeat ortum à duobus ſuppoſitis.

Denique, ſpiritus ſanctus opponitur patri & filio: ergo ex ſe & ſua natura poſtulat procedere à duobus ſuppoſitis.

Diſſolutio fundamentorũ Scoti.

Ad rationes verò cõtrarias reſp. Ad 1. ex mente quorumdam totam virtutẽ neceſſariã ad producendum Spiritum ſanctum eſſe in Patre: credunt enim filium ſe habere tantùm veluti conditionem quamdam ſinè qua non, ad productionem Spiritus ſancti.

Cetertùm reſponſio iſtorum non immeritò improbatur à recentioribus; nam ex ea manifeſtè colligitur Filium non concurrere verè ad productionem Spiritus ſancti: conditio ſiquidem ſinè qua non, nihil planè influit in effectum, vt conſtat ex approximatione ignis v. g. ad ſtupas. Deinde, proceſſio Spiritus ſãcti præſupponit proceſſionem Filij, imò cùm vis ſpirandi Spiritum ſanctum vna & eadẽ numero ſit in Patre & in Filio, neceſſe eſt tam verè Filium attingere productionem Spiritus ſancti, quàm faciat Pater.

Authoris ſolutio ad 1.

Reſpondeo ergo nec in Patre ſolo, nec in Filio tantùm, ſed in iſtis duobus ſimul reperiri vim totam neceſſariam ad productionem Spiritus ſancti: ità vt neuter ex iſtis duobus ſeorſim ſumptis ſufficiat ad producendum Spiritum ſanctum, bene tamen ambo ſimul: idque propter vim ſpirandi Spiritum ſanctum quæ eſt principium productiuum illius & vt quo, & vt quod. Principium autem hoc ex æquo eſt in Patre & in Filio, & ideò neuter ex iſtis ſeorſim ſumptus cenſetur habere totum id, quod eſt neceſſarium ad productionem Spiritus ſancti.

Ad 2.

Ad 2. reſp. Quicquid ſit de antecedente negando conſecutionem, nam non eſt par ratio inter productionem Spiritus ſancti & creaturarum; productio namque creaturarum ex parte principij productiui eſt formaliter & intrinſecè libera, ex parte verò termini producti eſt merè cõtingẽs: proceſſio autem Spiritus ſancti ſpectata actiuè, ſeu, quod idem eſt, ratione principij productiui eſt ſimpliciter neceſſaria, cùm ſit idem realiter cum Deo, ex illo; Quidquid eſt in Deo, Deus eſt; imò propter hanc cauſam fatentur omnes, proceſſiones diuinas non eſſe liberas, ſed ſimpliciter neceſſarias: Spiritus item ſanctus qui eſt terminus productus per iſtam proceſſionem, eſt non contingens, ſed ſimpliciter neceſſarius, cùm ſit formaliter & intrinſecè Deus, & ideò ens ſimpliciter neceſſarium.

DVBITATIO VLTIMA.

An ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ſed à ſolo Patre, diſtingueretur nihilominus realiter a Filio.

SCotus in 1. diſtinct. 11. & plerique Nominales ibidem, putant Spiritum ſanctum in data hypotheſi futurum diſtinctum realiter à Filio: idque quod ſi Spiritus ſanctus produceretur à ſolo Filio, diſtingueretur tamen hic realiter à Patre; eſſet enim perſona diſtincta realiter à Filio: Filius autem cum producatur à Patre diſtinguitur neceſſariò ab eodem realiter ex illo; nihil eſt quod poſſit ſeipſum producere: ergo in ea etiam hypotheſi in qua Spiritus ſanctus procedit à ſolo Patre debet eſſe diſtinctus realiter à Filio. Videtur enim eſſe par ratio in vtraque hypotheſi.

Scoti opinio. 1. fundam.

Deinde, in data hypotheſi voluntas Patris non minùs eſſet fœcunda, quàm intellectus eiuſdem; at intellectus Patris per ſuam intellectionem neceſſario produceret Filium: ergo per ſuam volitionem produceret etiam Spiritum ſanctum. 2.

Tertio, Diuus Auguſtinus propterea vult Spiritum ſanctum non eſſe Filium in diuinis, quod procedat vt datus, non autem vt natus: ergo quod Spiritus ſanctus producatur à Filio impertinens eſt ad diſtinguendam perſonam Spiritus ſancti à ceteris perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis; nam licèt Spiritus ſanctus procederet à ſolo Patre, procederet non vt natus, ſed vt datus: procederet enim per voluntatem Patris, & non per intellectum eiuſdem. 3.

Denique, Spiritus ſanctus in data hypotheſi non minùs eſſet perſona diuina quàm ſit iam de facto, eſſet enim producta à ſolo Patre: ergo non minùs diſtingueretur à filio, quàm diſtinguatur rebus conſtitutis intrà Deum, vt ſunt. 4.

Notabile. Aduerte, in data hypotheſi neceſſario concedendum eſſe de Spiritu ſancto quod eſſet: nam ſi *Spiritus ſanctus non eſſet*, fruſtra quæreretur, an diſtingueretur hic realiter à Filio.

2. Aduerte 2. in data hypotheſi Spiritum ſanctum diſtingui realiter à Patre: producens quippe & productum neceſſariò interſe realiter diſtinguuntur eò quod impoſſibile ſit idem producere ſeipſum: *Spiritus* autem ſanctus produceretur à ſolo Patre, proindéque diſtingueretur ab eo, etiam realiter.

3. Aduerte tandem, per nullam potentiam fieri poſſe vt Spiritus ſanctus non ſit: eſt enim hic verè Deus, & conſequenter non minùs neceſſarius quàm ſint perſonæ Patris & Filij. Data tamen hac hypotheſi impoſſibili, quod *Spiritus* ſanctus non ſit à filio, ſed à ſolo Patre, quærunt Theologi cum D. Thom. art. 2. huius quæſt. an diſtingueretur realiter à filio: de qua re ſit

CONCLVSIO. *Spiritus ſanctus in data hypotheſi non diſtingueretur realiter à Filio, ſed à ſolo Patre.* Primùm, quia omnis diſtinctio realis in diuinis repetenda eſt à proceſſionibus oppoſitis: at inter filium & *Spiritum* ſanctum in data hypotheſi nulla datur proceſſio: ergo nulla dabitur oppoſitio.

Deinde, tota ratio cur *Spiritus* ſanctus iam diſtinguatur realiter à filio, hæc redditur ab omnibus, quia producitur à patre & à filio ſimul, veluti ab vno principio: atqui in hypotheſi data Spiritus ſanctus nullo modo producitur à filio: ergo nec diſtinguitur.

Tertio, propterea ſpiratio actiua in patre & filio non conſtituit perſonam vllam, quia nullam dicit oppoſitionem cum patre & filio; ſed *Spiritus* ſanctus, in eo caſu in quo non procedit à filio nullam dicit oppoſitionem cum eo: ergo nec diſtinctionem.

Quarto

Digitized by Google

Quartò, omnis oppoſitio quæ daretur inter Spiritum ſanctum, & Filium in hypotheſi conſtituta, deſumenda eſſet vel ab eſſentia, vel certè à perſonis: Primùm dici non poteſt, quia eſſentia ex æquo eſt communis omnibus perſonis; neque item ſecundum, quia tota ratio cur duæ perſonæ opponantur inter ſe, eſt, quòd vna procedat à Filio, quod tamen hîc non contingit, ſupponimus enim Spiritum ſanctum non procedere à Filio, imò ſtatuendum eſt in hac hypotheſi eſſe impoſſibile Spiritum ſanctum procedere à Filio; nam in diuinis eſſe & poſſe ſunt vnum & idem: at ſupponimus Spiritum ſanctum non eſſe à Filio, ſed à ſolo Patre: ergo nihil poteſt aſſignari à quo diſtinctio realis inter Filium & Spiritum ſanctum deſumatur. In hac ſententia ſunt D. Thom. artic. 2. huius quæſt. Durandus diſtinct. 11. quæſt. 2. lib. 1. Capreolus ibidem quæſt. vnica art. 1. Heruæus & alij multi tam veteres quàm recentiores.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. Conceſſa prima hypotheſi, negando 2. propterea enim in prima Spiritus ſanctus diſtingueretur realiter à Patre, quia licèt proximè producatur à ſolo Filio, remotè etiam produceretur à Patre; omnis enim vis producendi quæ datur in Filio, eſt à Patre, ex vi illius proceſſionis qua procedit à patre; illo eodem modo quo nepos, ceteris tamen paribus, cenſetur habere ortum ab auo. In poſteriori verò hypotheſi Spiritus ſanctus nullo modo procedit à Filio, nec proximè, nec remotè: quomodo ergo poteſt Spiritus ſanctus diſtingui realiter ab eo, cùm omnis diſtinctio quæ datur in diuinis realis deſumenda ſit ex proceſſionibus aut productionibus, ſeu, quod idem eſt, ab origine vnius perſonæ ab alia, vel ex relationibus oppoſitis?

Euerſio fundamentorũ Scoti.

1.

Ad 2. in data hypotheſi futuram vnam tantùm realem proceſſionem intrà diuinam eſſentiam, cuius tamen terminus productus diceretur Filius, & ité Spiritus S. Filius quidé quatenus hęc proceſſio eſſet realis intellectio Patris: Spiritus vero S. quatenꝰ hęc eadé proceſſio eſſet volitio ciuſdé Patris.

2.

Ad 3. Reſp. D. Auguſt. aſſignare diſcrimen inter Spiritum ſanctum, & Filium, quòd Spiritus ſanctus procedat per proceſſionem diſtinctá realiter ab ea per quam producitur Filius: diſtinctio autem huiuſmodi proceſſionum ex diſtinctione realí productorum deſumenda eſt: producitur enim Spiritus ſãctus de facto à Patre & à Filio per voluntatem notionalem eorumdem; Filius verò producitur à ſolo Patre, ac proinde inter Filium & Patrẽ datur diſtinctio realis, & item inter Spiritum ſanctum, & Patrem, & Filium, cùm Spiritus ſanctus producatur ab iſtis duobus veluti ab vnico principio.

3.

Ad vltimam Reſp. In data hypotheſi Spiritum ſanctum futurum perſonam diuinam, ceterum eamdem numero ex omni parte realiter indiſtinctam à perſona filij, ità vt de hac perſona concedendum eſſet, quòd eſſet filius formaliter, & item Spiritus ſanctus, nullàque daretur diſtinctio realis ob defectum oppoſitionis inter filium & Spiritum ſanctum.

4.

Aliud arg. Inſurgit Scotus, paternitatem & proceſſionem ſeu ſpirationem paſſiuam eſſe relationes tantummodò diſparatas, & tamen paternitas conſtituit Patrem in eſſe Patris, & proceſſio ſeu ſpiratio paſſiua Spiritum ſanctum conſtituit in eſſe Spiritus ſancti: falſum eſt ergo quod diximus relationes tantummodò oppoſitas conſtituere perſonas.

Reſpond. negando antecedens: Paternitas enim & proceſſio opponũtur inter ſe ſaltem fundamentaliter, aut, vt alij loquuntur, originaliter: Spiritus ſiquidem ſanctus producitur à Patre, & à Filio veluti ab vno principio propter vim ſpirandi vnam numero quæ datur in iſtis; concedendum tamen eſt paternitatem & proceſſionem non eſſe duas correlatiuas relationes oppoſitas, & hoc tantùm probat ratio Scoti. *Diſſoluitur.*

QVÆSTIO XXXVII.

De nomine Amoris, quod de Spiritu ſancto dicitur.

ARTICVLO 1. Docet D. Thom. amorem eſſe nomen perſonale Spiritus ſancti, de qua re nulla poteſt eſſe difficultas; terminus namque dilectionis cenſetur eſſe amor. Spiritus autem ſanctus producitur per dilectionem mutuam Patris & Filij. Deinde, hæc eſt omnium planè Theologorum ſententia.

ARTICVLO 2. & vltimo. Docet Patrem & Filium amare ſe Spiritu ſancto, de qua re non ſatis conuenit apud interpretes D. Thomæ; non enim videtur fieri poſſe vt Spiritus ſanctus denominet Patrem & Filium, niſi fuerit in Patre aut in Filio veluti in ſubiecto; vel certè niſi ſit de intrinſeca ratione Patris & Filij: quidquid enim dicitur de aliquo, debet eſſe in eo aut tamquam in ſubiecto, aut certè tamquam quidpiam quod ſit de eius natura & eſſentia: certum autem eſt neutrum ex iſtis poſſe dici de Spiritu ſancto comparato cum Patre & Filio. Denique D. Auguſtinus retractauit propoſitionem iſtam: *Pater eſt ſapiens ſapientia ſua*: id eſt Filio ſuo, vt conſtat ex cap. 26. lib. 1. Retractat. eiuſdem. *Pater & Filius amãt ſe Spiritu ſancto.* D. Auguſt.

Certò tamen ſtatuendum eſt Patrem & Filium amare ſe Spiritu ſancto: primò quia iſta ratio loquendi deprehenditur apud Patres, maximè verò apud Richardum à ſancto Victore, Bernardum, Hieronym. imò & apud Diuum Auguſtinum, ſaltem ex multorum ſententia: quod dico propter Suarem qui lib. 11. de Trinitat. cap. 3. ſecus ſentit.

Deinde, non eſt magis abſurdum fateri Patrem & filium amare ſe *Spiritu S.* quàm Patrẽ intelligere ſe ſuo Verbo: at fatẽtur omnes, propoſitionẽ iſtã eſſe veriſſimam; Pater intelligit ſe ſuo Verbo.

Denique, in rebus creatis dicimus de igne v.g. quòd calefaciat ſuo calore, de arbore quod floreat ſuis floribus, & ſic de alijs multis; quare ergo negabimus Patrem & filium amare ſe *Spiritu* ſancto?

Ad rationes verò dubitandi reſp. Ad 1. Terminum productum per aliquam actionẽ ſeu proceſſionem denominare principia productiua eiuſdem, quotieſcumque huiuſmodi actio ſeu proceſſio reſpicit nedum terminum productũ, ſed etiam principia productiua, aut etiã aliquid aliud; quãuis terminus productus non recipiatur in principio

productiuo tamquam in ſubiecto, aut etiam licèt terminus hic non pertineat ad naturam & eſſentiam principij productiui : *Spiritus* autem ſanctus producitur per dilectionem Patris & Filij, ergo dilectio nedum reſpicit *Spiritum* ſanctum veluti ſuum terminum productum, ſed etiam Patrem & Filium, quatenus eliciunt actum dilectionis; & conſequenter de Patre & Filio rectè dicitur quod ſe ament *Spiritu* ſancto : id eſt, terminus per dilectionem Patris & filij notionalem productus, eſt *Spiritus* ſanctus.

Ad D. Auguſtinum Reſpond. propterea retractaſſe propoſitionem iſtam, quod falſum ſit Patrem eſſe formaliter ſapientem per filium, qui nuncupatur communiter ſapientia Patris ; ſed per ſapientiam eſſentialem, quæ communis eſt Patri, Filio, & *Spiritui* ſancto.

QVÆSTIO XXXVIII.

De nomine, Doni, quod dicitur de Spiritu ſancto.

Donum eſt proprium Spiritus ſãcti nomen.

ARTICVLO 1. Docet Donum eſſe nomen proprium *Spiritus* ſancti : primùm, quia ità dicitur in hymno eiuſdem,

Qui Paraclitus diceris :
Donum Dei altiſſimi.

Deinde, ità tradunt Patres, D. Auguſtin. lib. 5. de Trinitate, cap. 11. *Spiritus*, inquit, *ſanctus donum donatoris eſt, & donator doni cùm dicimus, relatiuè vtrumque ad inuicem dicimus.* & cap. 20. lib. 4. de Trinitate. *Et ſicut Spiritui ſancto donum Dei eſſe, eſt à Patre procedere.*

Denique, donũ definitur ab Ariſtotele, id quod datur liberè ex amore & ſinè vlla ſpe retributionis : at certum eſt Spiritum ſanctum dari mortalibus liberè, & ſinè vlla ſpe retributionis à Deo, ex cap. 14. Ioann. ergo illi bene conuenit nomen Doni.

ARTICVLO verò 2. docet de ſolo Spiritu ſancto dici, quòd ſit donum, de qua re videtur eſſe aliqua difficultas; in æternis quippe domicilijs eſſentia diuina datur vnicuique beato : in myſterio item Incarnationis Verbum diuinum fuit datum humanæ Chriſti naturæ : ergo videtur non ſolum dici de Spiritu ſancto, quòd ſit donum.

Indubitatum tamen eſt documentum D. Thom. probatúrque multis, ab interpretibus eiuſdem hoc loco, & à Vazq. diſp. 153. huius partis. Accedit ratio. Proprietas perſonalis diuina dicitur de ea tantùm perſona cuius eſt proprietas ; at donum eſt proprietas ſolius Spiritus ſancti, ex cap. 14. lib. 5. de Trinit. D. Auguſtini, ait enim propterea Filium in diuinis ità nuncupari, quod hic procedat à Patre vt natus : Spiritum verò ſanctum, ità nominari quod procedat à Patre & à Filio vt datus.

Ad rationem verò dubitandi Reſpond. donum vſurpari duobus modis, propriè ſcilicet & quaſi formaliter. Deinde, impropriè & latiſſimè : priori modo illud cenſetur eſſe tantummodo donum, quod ex ſe & ſua natura aptum eſt donari ; poſteriori verò modo, quod tantùm voluntate & liberalitate aliena datur. Spiritus ergo ſanctus propterea cenſetur eſſe donum priori modo (& ità intelligendus D. Thom. hoc loco) quòd producatur à Patre, & à Filio per actum dilectionis, ac proinde quòd conſequatur rationem amoris ; amor autem ex ſe & ſua natura petit dari : at eſſentia diuina in cœlis, & item Verbum diuinum in Incarnatione datum eſt, non quidem ex ſe & ſua natura, ſed tantùm ſola Dei liberalitate.

QVÆSTIO XXXIX.

De perſonis camparatis cum eſſentia.

RTICVLO 1. & 2. docet D. Tho. perſonas diuinas eſſe idem cum eſſentia, & vnius & eiuſdem eſſentiæ ; de qua re nullus eſt inter Catholicos qui dubitare debeat ; dicitur enim 1. Ioann. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbũ & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt :* id eſt, vnam & eamdem planè habent eſſentiam, & Ioann. 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* Idem 10. Deinde, in diuinis omnia ſunt vnum & idem, niſi vbi interuenit oppoſitio relationis ; atqui nulla datur oppoſitio inter eſſentiã & perſonas diuinas. Tertio, licèt Deus ſit trinus & vnus, Trinitas tamen hæc nullam inducit compoſitionem, vt docuimus in queſt. de ſimplicitate Dei. Denique, ità D. Thom. hoc loco, & interpretes eiuſdem, & item quæſt. 27. huius partis. 1. Ioan. 5. ℣. 7. ℣. 30.

ARTICVLVS TERTIVS.

An nomina eſſentialia prædicentur ſingulariter de tribus perſonis : hoc eſt, an nomina perſonalia dicantur de perſonis diuinis in numero plurali.

Nomina aut eſſentialia ſunt, aut perſonalia.

ADVERTE, nomina quę de perſonis diuinis enũciari poſſũt aut eſſe eſſentialia, aut perſonalia ; illa ſunt quę vel eſſentiam præcisè ſignificant, vt Deus, & deitas ; vel proprietatem eſſentię, vt ſunt bonitas, iuſtitia, ſanctitas, & ſimilia : hęc vero, vel perſonas, vt Pater, Filius, & Spiritus S. vel proprietatẽ perſonæ, vt paternitas, filiatio, & proceſſio. Rurſus hæc omnia nomina vel ſunt abſtracta, vel concreta : priora ſignificant formam aliquam quaſi per ſe exiſtentem : huius generis ſunt deitas, bonitas, immenſitas, paternitas, filiatio & ſimilia. Alia vero ſignificant formam aliquam veluti primario exiſtentem ; inter hæc computantur iuſtus, Deus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus & ſimilia. Præterea vel hæc omnia nomina ſunt ſubſtantiua, vel adiectiua : prioris generis ſunt, Deus, deitas, omnipotentia, pater, paternitas

&c

& ſimilia: Poſterioris vero ſunt ſpirans, ſapiens, iuſtus, æternus, & alia innumera.

Nomina adiectiua aliquando adiectiuè, aliquando ſubſtantiuè ſumuntur.

Hoc autem obſeruandum eſt in nominibus adiectiuis quæ de perſonis diuinis dicuntur, interdum ſumi adiectiuè, interdum vero ſubſtantiuè, vt conſtat ex Symbolo Athanaſij: æternus ſiquidem dicitur Pater, Filius, & item Spiritus ſanctus, & tamen negat de iſtis tribus quod ſint plures æterni, ſed fatetur eſſe vnum tantùm æternum, quod idem eſt, ac ſi diceret, vnam tantùm in diuinis dari æternitatem. Idem docet de nomine omnipotentis, vult enim Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe verè omnipotentes, & tamen aſſerit de iſtis quod ſint vnus tantùm omnipotens, idque quod nomen hoc ſumatur pro omnipotentia, quæ vna, & eadem numero perſeuerat in omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis; ac proinde vſurpatur nomen, omnipotens, pro ſubſtantiuo, licèt ſit adiectiuum.

Aduerte denique, nomina perſonalia aliqua eſſe communia, ſecundum nomen tantùm omnibus perſonis ſanctiſſimę Trinitatis, vt perſona, res, relatio, notio, &c.

Alia vero ſunt communia duabus perſonis, ſecundum rem, vt ſpiratio actiua.

Alia denique, ità ſunt vni perſonæ peculiaria, vt hæc nulla ratione competant alijs perſonis, vt conſtat exemplis, paternitatis, filiationis & proceſſionis.

Nomina perſonalia dicuntur pluraliter de perſonis.

CONCLVSIO 1. *Nomina perſonalia, tam abſtracta, quàm concreta dicuntur de diuinis perſonis in plurali numero.* Primùm, quia perſona, res, & relatio, ſunt nomina perſonalia; atqui enunciantur hæc de Patre, Filio, & Spiritu ſancto in plurali numero. Dicimus enim de iſtis quod ſint tres perſonæ, tres res item relatiuè, vt conſtat ex cap. 5. primæ Ioann. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo,* &c. & ex Symbolo Athanaſ. *Tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.*

Deinde, de paternitate, filiatione, ſpiratione actiua & proceſſione, dicimus quòd ſint quatuor relationes reales. Rurſus de iſtis & de innaſcibilitate, ſiue improducibilitate, quòd ſint quinque notiones.

Denique de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, dicimus quòd ſint tria relatiua: ergo nomina perſonalia tam abſtracta quàm concreta dicuntur in plurali.

Nomina perſonalia concreta ſubſtantiuè non prædicantur pluraliter adiectiuè.

CONCLVSIO 2. *Nomina perſonalia concreta non enunciantur in plurali numero de diuinis perſonis, etſi ſint communia duabus, ſaltem ſi ſumantur ſubſtantiuè, bene tamen ſi vſurpentur adiectiuè.* Prima pars probatur: de fide eſt Patrem & Filium eſſe vnum tantum principium productiuum Spiritus ſancti, vt conſtat ex Concil. Lugdunenſi ſub Gregorio X. & ex Florent. in litteris vnionis, ac proinde licèt Pater & Filius de facto producant Spiritum ſanctum, & diſtinguantur inter ſe realiter, habeántque eamdem numero vim per quam producitur Spiritus ſanctus: non tamen propterea licet dicere Patrem & Filium eſſe duo principia Spiritus ſancti, ſed vnum tantùm.

Deinde, fatentur omnes Patrem & Filium eſſe vnum tantùm ſpiratorem, non autem duos.

Denique, ad multiplicationem nominis ſubſtantiui in diuinis, non eſt ſatis diuerſitas ſuppoſitorum, ſed deſideratur vlterius diuerſitas formarũ, quæ ſignificantur per huiuſmodi nomen ſubſtantiuum; at formæ ſignificatæ per nomen, ſpirator, v.g. quod eſt perſonale non multiplicatur in diuinis; hæcenim vna & eadem numero perſeuerat in Patre, & in Filio: ergo non enunciabitur nomen hoc in numero plurali. Ità D. Thom. & alij communiter hoc loco.

Secunda verò pars Concluſionis probatur: De Patre & de Filio fatétur omnes quòd ſint duo ſpirantes Spiritum S. & item quod ſint duo producentes: ratio quippe iſta loquendi nihil aliud dicit quàm Patrem & Filium habere vim producendi Spiritum S. & de facto producere illũ. Denique, non eſt magis abſurdum fateri Patrem & Filiũ eſſe duos producentes Spiritum S. quàm Patrem, Filium, & Spiritum eſſe tres creãtes; atqui hoc fatemur de Patre, Filio, & Spiritu ſancto: ergo & illud quoque ſine vlla erroris nota poterit dici.

CONCLVSIO VLTIMA. *Nomina propria vni perſonæ de alijs enunciari nullo modo poſſunt in numero plurali, neque item de ea perſona cuis ſunt propria.* Concedunt enim omnes de paternitate quod vna tantùm ſit in diuinis, & quod hæc inſit ſoli Patri. Idem fatentur de filiatione; hæc ſiquidem ſoli Filio conuenit, & de eo ſolo enunciatur. Denique, idem docent de proceſſione; quia hęc quemadmodum Spiritum ſanctum conſtituit, in eſſe Spiritus ſancti, ità quoque de eo ſolo dicitur.

Nomina propria vni perſonæ, non pluraliter enunciantur de alijs.

DVBITATIO SECVNDA.

An nomina eſſentialia diuina dicantur in numero plurali de perſonis diuinis.

CONCLVSIO 1. *Nomina eſſentialia in abſtracto ſumpta, de diuinis perſonis in numero plurali dici minimè poſſunt.* Primùm, ad hoc vt aliquod nomen eſſentiale diuinum dicatur de diuinis perſonis, in numero plurali, deſideratur vt forma ſignificata per huiuſmodi nomen multiplicetur in Deo: atqui formæ ſignificatæ per nomina minimè multiplicantur in diuinis, non enim plures dantur in Deo deitates, aut ſimplicitates, aut miſericordiæ, & ſic de alijs. Deinde, diximus Dubit. 10. proximè antecedenti nomina abſtracta perſonalia non dici numero de perſonis, niſi multiplicentur formæ ſignificatæ per huiuſmodi nomina: ergo nomina illa non multiplicabuntur.

Abſtracta eſſentialia nomina non dicuntur pluraliter in diuinis.

CONCLVSIO 2. *Nomina eſſentialia diuina in concreto ſumpta enunciari non poſſunt de diuinis perſonis in plurali numero, ſi ſumantur ſubſtantiuè.* Primùm, quia diximus ad hoc vt aliquod nomen dicatur in plurali numero de diuinis perſonis eſſe neceſſariam multiplicationem ſuppoſitorum, & præterea formarum, quæ ſignificantur per huiuſmodi nomina concreta ſubſtantiuè ſumpta: at formæ non multiplicantur intrà diuinã eſſentiam, vt conſtat ex omnipotentia, ſimplicitate, & alijs ſimilibus quæ ſignificantur nominibus iſtis concretis, omnipotens, ſimplex, æternus, & ſimilibus.

Neque concreta ſubſtãtiuè.

Deinde, fatentur communiter omnes in diſputatione de Incarnatione, quòd ſi Pater & Spiritus ſanctus aſſumerent illam eamdem humanitatem, quam de facto aſſumpſit diuinũ Verbũ; non tamen propterea concedendum eſſet de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, quòd eſſent tres homines, idque ob defectum multiplicationis formæ ſignificatæ per nomen concretum homo; ergo cùm in diuinis multiplicentur tantùm ſuppoſita; minimè verò formæ eſſentiales ſignificatæ per nomina concreta ſubſtantiuè ſumpta, non poterunt hæc nomina præ-

dicari in plurali numero de diuinis perſonis.

Denique, ſi vna numero humanitas poneretur in tribus ſuppoſitis, non eſſet licitum affirmare de illis quòd eſſent tres homines: ergo neque licebit affirmare de Patre, Filio, & Spiritu ſancto quòd ſint tres æterni, omnipotentes, ſimplices & ſic de alijs, ſi nomina iſta ſumantur ſubſtantiuè.

Secus adiectiuè accepta.

CONCLVSIO VLTIMA. *Nomina eſſentialia in concreto ſumpta de diuinis perſonis enunciari poſſunt in numero plurali, ſi ſumantur adiectiuè.* Probatur ex Symbolo Athanaſij: *Tota tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.* Coæternus autem & coæqualis ſunt nomina eſſentialia diuina.

Deinde ex Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitat. & fide Catholica, Pater generans, Filius naſcens, Spiritus ſanctus procedens conſubſtantiales, & coæquales, omnipotentes, & coæterni.

Tertiò diximus Dubio antecedente, quòd ſint duo producentes ſiue ſpirantes Spiritum ſanctum, & item de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, quòd ſint tres producentes res iſtas creatas, quia nomina iſta capiuntur adiectiuè: atqui nomina iſta eſſentialia concreta ex hypotheſi ſumuntur adiectiuè: ergo poterunt dici in numero plurali de perſonis diuinis.

Obiectio. Obijcies, Athanaſium in Symbolo affirmare de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, quòd non ſint tres æterni, ſed vnus æternus; & item quòd non ſit tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens.

Solutio. Reſp. Id propterea affirmare: quòd nomina omnipotentis, & æterni, quæ ſunt concreta eſſentialia diuina, ſumat ſubſtantiuè non autem adiectiuè; ac proinde contendit in Deo dari vnam tantùm omnipotentiam, & item numero vnam æternitatem; nos autem in hac vltima concluſione aſſerimus nomina concreta eſſentialia adiectiue ſumpta, dici de perſonis diuinis in numero plurali; quod etiam concedit Athanaſius ibidem, vt conſtat ex dictis: & conſequenter affirmare licet de Patre, Filio, & Spiritu ſancto quòd ſint tres æterni, ſimplices, & ſic de alijs: ſenſus ſiquidem iſtarum loquutionum eſt Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe tres perſonas realiter diſtinctas, in quibus reperitur omnipotentia, ſimplicitas, æternitas, &c.

Corollariũ. Ex iſtis colliges, nõ licere affirmare de perſonis diuinis, quòd ſint tres Dij, aut tres deitates; nam vnus eſt tantummodo Deus, *Exod. 20. 2. Corinth. 8. 1. Timoth. 1. & Ioannis 17.*

Deinde, deitas eſt entitas ſimpliciter neceſſaria, omnium prima & ſimpliciſſima.

Tertiò, diximus nomina concreta aut etiam abſtracta eſſentialia nuſquã multiplicari in diuinis, niſi multiplicentur formæ ſignificatæ per huiuſmodi nomina: atqui deitas multiplicari nullo modo poteſt, vt pluribus demonſtrant Theologi prima parte, quæſt. 2. ergo nec poteſt dici tres deitates.

Obiectio. Dices, cap. 1. Geneſ. ſecundum verſionem Gen. 1. v. 1. Hebraïcam legi, *In principio creauit Dij.*

Solutio. Reſpond. Hebræos venerationis ergo vſurpare vt plurimum numerum pluralem loco numeri ſingularis, vt conſtat ex cap. 24. & 49. Geneſ. *Elohim* ſiquidem, quod eſt numeri pluralis, dicitur de vno; ceterùm ex iſtis ſolum licet colligere inter loquendum Hebraicè nomen Deus enunciari poſſe in numero plurali ad myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis exprimendum. Sunt enim plerique Patres qui docent id factitatum eſſe ad hoc vt innoteſceret myſterium S. Trinitatis quodãmodo Iudaïs: in ſcholis tamen, & in concionibus habendis abſtinendum eſt ab huiuſmodi loquutionibus, ne detur occaſio errandi ſimplicibus.

Inſtabis, ſi darentur tres homines realiter inter ſe diſtincti, fateremur de iſtis & quod eſſent tres habentes humanitatem, & quòd eſſent tres homines: ergo concedendum eſt etiam de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, quòd ſint tres Dij. *Replica.*

Reſpond. Conceſſo antecedente, negando conſecutionem: propterea enim verum eſt dicere de tribus hominibus realiter diſtinctis quòd ſint tres homines, quia nedum ſuppoſita multiplicantur in illis, ſed etiam humana natura: in Patre verò Filio, & Spiritu ſancto non multiplicatur deitas, ſed vna & eadem numero in illis exiſtit: ergo iſti tres ſunt vnus tantummodò Deus. *Diſſoluitur.*

ARTICVLVS QVARTVS.

An nomina eſſentialia concreta ſupponant, vel ſupponere poſſint pro perſona.

DVBITATIO PRIMA.

An in diuinis detur ſubſiſtentia aliqua abſoluta præter relatiuas.

SVNT qui putent ſubſiſtentiã iſtam abſolutam eſſe neceſſariò admittendam: dicitur enim in 6. Synodo actio. 4. in Deo dari vnam tantùm ſubſiſtentiam; loquitur autem manifeſtè Synodus hęc de ſubſiſtentia abſoluta, cùm de fide ſit dari tres ſubſiſtentias relatiuas, nempe paternitatem, filiationem, & proceſſionem; imò Patres verbis expreſſis hoc ipſum docent, Hieron. in epiſt. ad Damaſum Papam, Hilar. lib 7. de Trinitate, Dionyſius Areopag. cap. 1. de diuinis nominibus Nyſſenus lib. de vita Moſis, & D. Auguſt. lib. 7. de Trinitat. cap. 4. ait Deum ſubſiſtere ad ſe, non autem ad aliud, quod idem eſt ac ſi diceret, in Deo dari ſubſiſtentiam abſolutam, non autem relatiuam. *1. Opinio & argument. 1.* Hieron. Hilarius. Dionyſ. Nyſſen. D. Auguſt.

Deinde, Omnis perfectio quæ reperitur in rebus creatis eſt Deo concedenda; at ſubſiſtere ſubſiſtentia abſoluta eſt perfectio in rebus creatis: ergo & in Deo: eſt enim eſſentia diuina perfectiſſima in omni genere perfectionis. 2.

Tertiò, præciſis ſecundum noſtrum modum intelligendi proprietatibus relatiuis ab eſſentia diuina, adhuc concedendum eſt de hac quod ſit hic Deus: ergo datur in eo ſubſiſtentia abſoluta; concretum quippe hoc, Deus, formaliter & primo, ſeu (quod idem eſt) per ſe, ſignificat deitatem; connotat vero id quod habet deitatem iſtam, hoc autem non poteſt eſſe aliquid aliud à ſubſiſtentia abſoluta: cùm præſcindimus deitatem à proprietatibus relatiuis. 3.

Denique, ſi eſſentia diuina careat ſubſiſtentia abſoluta perficietur à re aliqua ſibi extrinſeca, idque in ratione ſuppoſiti per ſe: at eſſentia diuina cùm ſit in ſe ſimpliciter infinita, & quidem in omni ratione entis, nequit ab *Vltimum.*

Digitized by Google

vllo alio perfici: Ità ſentiunt Caiet. quæſt. 39. huius part. art. 3. & 4. & quæſt. 29. huius part. & quæſt. 3. item 2. & 3. part. D. Thom. art. 2. Suar. tom. 1. de Incarnatio, diſp. 11. ſect. 3. & lib. 4. cap. 11. de Trinitate, & lib. 3. cap. 4. & 9. idem innuit. Citantur & pro hac ſententia Richardus, Ockam, Gabriel, Almaïnus, imò & D. Thom. ceterùm minùs rectè; iſti enim nunquam dixerunt in diuinis dari ſubſiſtentiam abſolutam, ſed tantùm exiſtentiam, qua per ſe exiſtit.

Eſſentia diuina nõ ſubſiſtit per ſuam exiſtentiam. 1.

CONCLVSIO 1. *Eſſentia diuina non ſubſiſtit formaliter per ſuam exiſtentiam, quemadmodum ſignificare videntur authores proximè citati:* Nam ſi ità res haberet, ſequeretur eſſentiam diuinam non poſſe concipi ſubſiſtentem, niſi quoque concipe- B retur hæc exiſtentia; ſupponimus enim ſubſiſtere formaliter per ſuam exiſtentiam: at illatio hæc defendi nullo modo poteſt, nam in qualibet re ſubſtantiali tam creata quàm increata fateri debent reperiri tria, eſſentiam, exiſtentiam, & ſubſiſtentiam: nomine eſſentiæ ſignificatur id quod per definitionem explicatur: nomine exiſtentiæ primus actus eſſentiæ, quo res ſubſtantialis opponitur potentialitati, & conſtituitur in eſſe entis: Nomine verò ſubſiſtentiæ denotatur vltimum complementum naturæ ſubſtantialis, ac proinde definitur communiter ſuppoſitum, vt diximus, aliàs, ens completum per ſe ſubſiſtens.

2. Deinde, ſequeretur vnionem diuini Verbi cum C humana natura factam fuiſſe in exiſtentia, quod quàm falſum ſit ſuo loco oſtendetur.

3. Denique illud idem eſt dicendum de diuina eſſentia, quod de ceteris ſubſtantiis creatis, ceteris tamen paribus: atqui certum eſt ſubſtantias creatas non ſubſiſtere formaliter per proprias exiſtentias, ſed per ſolas ſubſiſtentias: ergo idem erit admittendum de diuina eſſentia.

Nulla in Deo ſubſiſtentia abſoluta.

CONCLVSIO 2. *In Deo nulla datur ſubſiſtentia abſoluta.* Primùm, quia ſubſiſtentia, hypoſtaſis, & perſona in diuinis pro vno & eodem vſurpantur: at tres ſunt in diuinis tantùm hypoſtaſes & perſonæ, omnium Catholicorum conſenſu: ergo & tres ſubſiſtentiæ tantùm. Rurſus ſub- D ſiſtentiæ iſtæ non ſunt abſolutæ, ſed relatiuæ. Synod. VI. Concil. Lateran. Chalced. Epheſ. Alexand. Toletan. Maior verò argumenti traditur actio. 4. in VI. Synodo & actio. 17. eiuſdem Synodi, & in Concil. Lateranenſi ſub Martino I. conſulta. 5. actio. 1. Chalcedonenſi, Epheſino, in confeſſione fidei, & in Synodo Alexandrina anathemate 2. & 4. & in Toletano II. Quoniam ergo non eſt idem natura & ſubſiſtentia, omnes; enim Patres conſonanter docent aliud eſſe naturam, ſiue ſubſiſtentiam, & formam: aliud ſubſiſtentiam ſiue perſonam, & naturam quidem vel ſubſiſtentiam & formam, hoc quod eſt commune ſignificare: Subſiſtentiam autem ſiue perſonam, hoc quod eſt ſpeciale.

Deinde, ratio conſtitutiua ſuppoſiti ſiue perſonæ, eſt ſuppoſitalitas vel ſubſiſtentia, vt docuimus in antecedentibus: at nulla datur perſona, vel ſuppoſitum abſolutum intrà Deum, ſed tantùm tres perſonæ relatiuæ, vel quod idem eſt, tria ſuppoſita relatiua: ergo nec ſubſiſtentia abſoluta.

Tertiò, in diuinis dantur tantùm tres perſonæ relatiuæ, vel, quod idem eſt, tria ſuppoſita relatiua: ergo, & tres tantùm ſubſiſtentiæ ſimiliter relatiuæ.

Reſpondẽt iſtis omnibus argumentis, non dari in Deo vllam ſubſiſtentiam abſolutam, quæ ſit conſtitutiua perſonæ, vel ſuppoſiti alicuius; minimè verò non dari intrà Deum ſubſiſtentiam abſolutam, quæ non ſit conſtitutiua alicuius ſuppoſiti.

Diſſoluitur reſponſio contrariorũ.

Ceterùm reſp. hęc eſt petitio principij; diximus enim ſubſiſtentiam, vt ſic, eſſe rationem formalem conſtitutiuam ſuppoſiti: cùm ergo admittant illi intrà Deum ſubſiſtentiam abſolutam, debent quoque fateri dari intrà Deum perſonam aliquam abſolutam, quod nullus hactenus dixit. Confirmatur: Effectus formalis eſt inſeparabilis à re cuius eſt effectus formalis, ſi cauſa iſta formalis ſupponatur eſſe in aliquo: at effectus formalis ſubſiſtentiæ, ſeu ſuppoſitalitatis eſt conſtituere perſonam, ſeu ſuppoſitum in eſſe ſuppoſiti. In hac ſententia ſunt Alenſis 3 part. quæſt. 1 membro. 3. & quæſt. 7. memb. 1. & 3. Bonauent. in 3. diſt. 1. art. 1. quæſt. 3. Richard. in 1. diſt. 26. art. 1. quæſt. 1. Marcilius quæſt. 2. lib. 3. Heruæus quodlibeto 5. quæſt. 8. Genebrard. lib. 2. de Trinitate, & denique Vaſq. diſp. 121. cap. 3. 4 5. & 6.

Corollarium.

Ex illis colliges, quod aliàs probatum fuit à nobis in antecedentibus, in Deo dari tantùm tres ſubſiſtentias relatiuas quibus perſonæ Patris, Filij, & Spiritus ſancti conſtituuntur, vt probabitur Dubitat. proximè ſequente.

Euerſio fundamentorum.

Ad rationes verò contrarias reſp. nomen ſubſiſtentiæ illis in locis ſignificare non ſubſiſtentiam, hypoſtaſim, perſonam, vel ſuppoſitum diuinum, ſed eſſentiam & naturam diuinam, quæ communis eſt omnibus perſonis ſanctiſſimę Trinitatis. Primùm, quia in pleriſque exemplaribus Conciliorum mandatorum typis Coloniæ, & Venetijs, legitur ſubſtantia, non autem ſubſiſtentia. Deinde, Codices Græci legunt hypoſtaſim, vox autem iſta ante ſeculum D. Auguſtini & Hieronymi ſignificabat eſſentiam & ſubſtantiam diuinam, non autem perſonam; ſaltem vt plurimum vſurpabatur pro eſſentia & ſubſtantia diuina; minimè verò pro perſona, vt conſtat ex his quæ habet Hieronym. in epiſt. ad Damaſum Papam, quem precatur illic vt definiat in quánam ſignificatione vſurpanda ſit vox iſta, hypoſtaſis, an pro eſſentia diuina; an verò pro perſona tantùm: à ſeculo verò SS. Hieron. & Auguſt. ad hodiernum vſ- Hieron. que diem hypoſtaſis, & ſubſiſtentia, non pro eſſentia, ſed pro perſona diuina fuerunt vſurpata.

Ad teſtimonium verò D. Auguſtini. Reſp. propterea docuiſſe Deum ſubſiſtere ad ſe, non autem ad aliud, ſeu, quod idem eſt, abſolutè, & non relatiuè, quia non fuit auſus affirmare ſuo tempore in diuinis dari tria ſubſiſtere, ſed vnum tantùm, quod quia ſignificabat eſſentiam, ideò quoque negauit de hoc ſubſiſtere quod eſſet ad aliud, ac proinde quod eſſet ad ſe, id eſt, abſolutum: ſi tamen agnouiſſet tres in diuinis dari ſubſiſtentias, E quemadmodum fides Catholica iam docet, docuiſſet indubitanter Deum ſubſiſtere ad aliud, ſeu relatiuè, triplici ſubſiſtentia relatiua.

Ad 2.

Ad 2. Reſp. omnem perfectionem quæ reperitur in rebus creatis, reperiri in Deo vel eminenter, vel formaliter; ſubſiſtere autem abſolutè, ſeu quod idem eſt, ſubſiſtentia abſoluta, non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: nam perfectio ſimpliciter ſimplex non excludit ſocietatem alicuius alterius perfectionis, vel ſuperioris, vel æqualis: ſubſiſtentia autem abſoluta non poteſt ſuſtinere ſecum perfectionem aliquam ſibi æqualem; fatentur enim omnes in tractat. de Incarn, naturam ſuppoſitatam propria ſubſiſtentia creata, non

Digitized by Google

poſſe aſſumi ab vlla perſona diuina, cùm de fide ſit propterea abeſſe ab humana Chriſti natura proprium ſubſiſtentiatq creatam, quòd hæc terminata ſit ſubſiſtentia Verbi increati: repugnat ergo, ſaltem ex documentis SS. Patrum, perſonam creatam reperiri cum perſona increata. Vnde erit perfectio ſimpliciter ſimplex ſubſiſtentia abſoluta, vel ſubſiſtere abſolutè.

Dico igitur, ſubſiſtere, vt ſic, dicere perfectionem ſimpliciter ſimplicem, & ideò concedendum eſſe de Deo quòd ſubſiſtat, ceterùm vel ſubſiſtentia aliqua relatiua, quod docet fides, vel ſubſiſtentia aliqua abſoluta, quod negant authores noſtræ ſententiæ, & quidem meritò propter cauſas proximè explicatas. Eſt tamen diligenter aduertendum ſubſiſtere in Deo non eſſe perfectionem eſſentialem, niſi identicè & realiter, ſed tantùm perſonalem: neque enim eſſentia diuina ex ſe & formaliter loquendo, ſaltem ſecundum noſtrum modum concipiendi, ſubſiſtit formaliter per ſeipſam, ſed per relationes & proprietates perſonales.

Solutio 3. Ad 3. Reſp. de Deo concedendum eſſe quòd ſit hic Deus, præciſis relationibus, ſecundum noſtrum modum concipiendi ab eſſentia diuina: ad hoc enim vt concretum aliquod nomen admittatur in Deo, ſatis eſt quòd forma per hoc nomen ſignificata verè ſit in Deum, & quòd huiuſmodi nomen connotet ſubiectum, vel certè ſuppoſitum in quo recipitur huiuſmodi forma: Non eſt autem neceſſe quòd diſtinctè ſignificetur ſubiectum vel ſuppoſitum in quo recipitur huiuſmodi forma, ſed ſufficit ſi vagè & confusè ſignificetur, vt conſtat ex humana Chriſti natura, quæ antequàm aſſumeretur à Verbo habuit rationem alicuius naturæ indiuiduæ & ſingularis, & tamen non fuit ſuppoſitata vllo ſuppoſito: quemadmodum ergo fatemur de hac humana natura quòd habuerit rationem concreti antequàm fuerit à Verbo aſſumpta; ità & illud dicendum eſt in data hypotheſi.

Ad 4. Ad 4. Reſp. diuinam eſſentiam non propterea perfici per proprietates relatiuas perfectione reali, ſed tantùm perfectione rationis, quæ nullam dicit imperfectionem in eſſentia diuina: perſonæ quippe nec realiter, nec formaliter diſtinguuntur ab eſſentia, ſed ſola ratione ratiocinata.

DVBITATIO SECVNDA.

An dentur in diuinis vna exiſtentia abſoluta & item tres exiſtentiæ relatiuæ.

DE hac re conuenit inter omnes dari vnam exiſtentiam abſolutam: quod probatur ex omnibus illis locis Scripturæ, in quibus dicitur quòd Deus ſit vnus. Fauent & Concilia, itémque Patres quotieſcumq; affirmant vnum extare tantummodò Deum. Deinde, exiſtentia conſequitur neceſſariò eſſentiam; at eſſentia diuina eſt vna: ergo & vna exiſtentia. Denique, exiſtentia eſt id quo res quælibet opponitur potentialitati, ſeu, quod idem eſt, potentiæ obiectiuæ: at Deus excludit omnem omnino potentialitatem, cùm ſit actus puriſſimus & ſimpliciter neceſſarius. Dubitant tamen authores, an in Deo dentur tres exiſtentiæ.

Probabile eſt dari tres exiſtentias relatiuas. Conclvsio 1. *Opinio eorum qui aſſerunt tres dari exiſtentias relatiuas præter vnam abſolutam, ſatis eſt probabilis:* idque quòd quælibet perſona diuina vindicet ſibi q propriam actualitatem, per quam diſtinguitur realiter à ceteris perſonis, & ab eſſentia diuina ſola ratione ratiocinata; at actualitas iſta nihil aliud eſt quàm exiſtentia: ergo dari debent tres exiſtentiæ relatiuæ. Confirmatur. Exiſtentia definitur communiter, actualis entitas, vel actuata entitas, vel denique ratio conſtitutiua entis in actu, quatenus actu, vel in actu eſt: at perſonæ diuinæ cùm ſint tres realiter inter ſe diſtinctæ, ſunt quoque tres entitates actuatæ, vel actuales entitates: ergo & tres exiſtentiæ.

2. Deinde, exiſtentia relationis, in relationibus creatis, ex multorum ſententia, diſtinguitur realiter ab exiſtentia ſui fundamenti: ergo & à fortiori, & illud erit magis dicendum de relationibus diuinis, cùm relationes iſtæ diſtinguantur ab inuicem realiter.

3. Tertiò, ſubſiſtentia in qualibet re creata vendicat ſibi exiſtentiam diſtinctam realiter ab exiſtentia illius, cuius eſt ſubſiſtentia. Eſt enim ſubſiſtentia modus ſubſtantiæ quam terminat; modus autem omnis poteſt ſeparari à ſua re modificata: ità vt licèt modus nequeat eſſe ſinè re modificata, res tamen modificata poteſt eſſe ſinè ſuo modo; at in diuinis dantur tres ſubſiſtentiæ, realiter inter ſe diſtinctæ.

4. Quartò, in Deo dantur tria exiſtere & vnum ex D. Auguſtino lib. 7. de Trinitat. cap. 4. D. Auguſt.

5. Quintò, ſi Verbum diuinum non habuerit exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentijs Patris & Filij, non poſſet terminare dependentiam humanæ naturæ ſe ſolo: humana namque Chriſti natura exiſtit per exiſtentiam diuini Verbi; at fides docet ſolum diuinum Verbum aſſumpſiſſe humanam naturam: ergo ratione propriæ exiſtentiæ.

Vlt. Denique, productio terminatur ad exiſtentiam rei productæ; at Filius, itémque Spiritus ſanctus producuntur in diuinis: ergo per iſtas productiones conſequuntur etiam exiſtentias aliquas relatiuas, quemadmodum termini producti ſunt entitates relatiuę.

Sunt qui hanc opinionem confirment ex cap. 1. 2. & 3. lib. 7. de Trinitat. D. Auguſt. diſtinguit enim eſſe eſſentiæ, & eſſe Patrem, eſſe Filium, & eſſe Spiritum ſanctum. Ceterùm locus hic nulla ratione fauet iſtis authoribus; per eſſe quippe Patrem, per eſſe Filium, & per eſſe Spiritum ſanctum, nihil aliud intelligit quàm ſubſiſtere Patris, ſubſiſtere filij, & ſubſiſtere Spiritus ſancti: Subſiſtentia autem non eſt idem cum exiſtentia. Ità docent Scotus in 1. diſt. 11. q. 2. §. ad rationes, Richard. à ſancto Victo. lib. 4. de Trinit. cap. 16. Suarez ad 3. part. D. Thom. diſp. 11. ſect. 1. & 2. & lib. 3. de Trinitat. cap. 5. Sumel quæſt. 28. huius partis, & plerique alij recentiores. D. Auguſt.

Probabilius eſt nullam dari exiſtentiam relatiuam. Conclvsio 2. *Multò probabilius eſt in diuinis nullam dari exiſtentiam relatiuam, ſed tantummodo abſolutam: ità vt tres perſonæ diuinæ exiſtant per vnam & eandem numero exiſtentiam abſolutam, quemadmodum vna & eadem numero eſſentia in iſtis perſeuerat.* Primò, quia Damaſcenus lib. 1. de fide, cap. 9. 10. & 11. affirmat relationem in diuinis eſſe modum exiſtentiæ diuinitatis: at exiſtentiæ non datur exiſtentia, alioquin multiplicarentur iſtæ in infinitum: ergo in Deo exiſtentia non multiplicatur. 1. Damaſc.

Deinde, exiſtentiæ nuſquam multiplicantur, niſi etiam eſſentiæ multiplicentur; at certum eſt ex fide Chriſtiana eſſentiam diuinam non multiplicari in diuinis: igitur nec exiſtentię. 2.

Tertiò,

3. Tertiò, ex eo quòd res aliqua per ſe exiſtat & non in alio, nulla ei aduenit exiſtentia de nouo, vt conſtat exemplo quantitatis ſpecierum panis & vini poſt conſecrationem; quantitas namque iſta eamdem planè habet exiſtentiam quam habuit antea, licèt ante conſecrationem eſſet in ſubſtantia panis tanquam in ſubiecto, poſt conſecrationem verò ſine ſubiecto vllo exiſtit.

Vlt. Denique, ſi darentur in diuinis tres exiſtentiæ relatiuæ, quemadmodum volunt authores contrariæ ſententiæ concedendæ eſſent in diuinis tres durationes; nam fatentur omnes exiſtentiam & durationem rei alicuius eſſe vnum & idem planè à parte rei, & diſtingui tantùm formaliter inter ſe; at non poſſunt dari in diuinis tres durationes: ergo neque tres exiſtentiæ.

Solutio aduerſæ partis. Reſpondent, non dari in diuinis tres durationes abſolutas, bene tamen relatiuas: quemadmodum dantur tres relationes & proprietates perſonales inter ſe realiter diſtinctæ, nempe paternitas, filiatio, & proceſſio.

Refellitur. Ceterùm reſponſio hæc non ſatisfacit argumento: nam ſi dantur in diuinis tres durationes relatiuæ, ſequitur etiam dari tres æternitates relatiuas; duratio ſiquidem cuiuſlibet entitatis ſimpliciter neceſſariæ, debet eſſe neceſſariò æternitas; omnis quippe entitas ſimpliciter neceſſaria durat, ſiue quod idem eſt exiſtit per æternitatem, omnium Catholicorum conſenſu: at docet fides æternitatem non multiplicari in diuinis, vt colligitur ex Symbolo Athanaſij: *Æternus Pater, æternus Filius, &c & tamen non tres æterni, ſed vnus æternus.* Confirmatur: Eodem modo docet Athanaſius, æternitatem dici de perſonis diuinis, quo deitas prædicatur de ijſdem, *Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus, non tamen tres Dij: ſed vnus eſt Deus:* at non licet affirmare eſſe tres Deos relatiuè: ergo neque erunt etiam tres æternitates relatiuæ. Item, æternitas nititur immutabilitatè; propterea enim Deus eſt æternus, quia eſt immutabilis: at non licet admittere intrà Deum dari tres immutabilitates, cùm immutabilitas ſit attributum eſſentiale & abſolutum, non autem relatiuum, vt conſtat ex quæſt. D. Thom. de immutabilitate Dei: ergo neque tres æternitates etiam relatiuas. Denique omnis duratio vel eſt æternitas per eſſentiam, vel per participationem, vel æuum, vel tempus diſcretum, vel tempus continuum, vel denique inſtans; at nullum ex iſtis poteſt dici de relationibus diuinis: ità vt verum ſit, aliquam ex iſtis durationibus multiplicari intrà diuinam eſſentiam; omnes enim iſtæ durationes ab æternitate, ſunt res aliquæ per participationem, quæ idcirco de diuinis relationibus dici non poſſunt: ergo cùm æternitas per eſſentiam nequeat multiplicari intrà Deum, hæc enim conſequitur eſſentiam diuinam, & conſequenter quemadmodũ hæc eſſentia diuina eſt in ſe vna; ità æternitas quoque vnà erit tantum intrà Deum: non ergo erunt tres æternitates relatiuę, vt volunt authores primę ſententię. Ità docent ex recentioribus Vazq. diſp. 122. ex veteribus verò Capreolus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. imò & D. Thom. vt videtur in 3. parte quæſt. 17. art. 2. ad 3. ait enim tres perſonas diuinas habere vnum eſſe; vbicumque autem loquitur de eſſe diuino, intelligit eſſe abſolutum, & quæſt. 2. de potentia art. 3. & quæſt. 8. art. 2. ad 11. ait namque verbis expreſſis Deo conuenire vnum tantùm eſſe abſolutum, imò addit relationes iſtas exiſtere in Deo per hoc eſſe abſolutum. Subſcribunt & plerique alij Recentiores.

Satisfit rationibus aliis pro 1. Conſeq. Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. quamlibet perſonam diuinam vendicare ſibi actualitatem, per quam diſtinguitur realiter à ceteris perſonis, & ab eſſentia diuina ſola ratione ratiocinata; ceterùm actualitatem iſtam non eſſe exiſtentiam aliquam, vel abſolutam, vel relatiuam: ſed tantùm ſubſiſtentiam, ità vt perſona Patris diſtinguatur realiter à ceteris perſonis per ſolam paternitatem, vt paternitas dicit rationem ſuppoſitalitatis, vel ſubſiſtentię oppoſitę filiationi: idem dicendum eſt de filiatione & de proceſſione reſpectu Filij, & Spiritus ſancti.

Ad confirmationem verò Reſp. exiſtentiam definiri actuatam entitatem, vel actualem entitatem, vel rationem conſtitutiuam entis in actu, prout actu eſt, ſi ſermo ſit de prima & immediata cuiuſlibet rei actualitate; eſt enim exiſtentia in omni planè re creata primus modus & proximus, ac proinde immediatus per quem quælibet res creata ponitur extra ſuas cauſas; & ex conſequẽti illud idem dicendum eſt de Deo, licèt non concedendum ſit de exiſtentia diuina propriè loquendo, quòd ſit modus eſſentię; & ſi hæc actu & verè conſtituatur ſecundum modum noſtrum concipiendi in actu per iſtam exiſtentiam abſolutam, falſum tamen eſt id quo res aliqua ſubſtantialis actualis conſtituitur remotè, & mediatè eſſe exiſtentiam aliquam, ſed id cenſetur eſſe ſubſiſtentia quæ complet vltimò ſubſtantiam in ratione ſubſtantię indiuiduę, & ſingularis completę. Licèt ergo in diuinis dentur tres ſuppoſitalitates, ſeu ſubſiſtentię relatiuę, iſtę tamen tres ſuppoſitalitates non addunt vllam exiſtentiam, ſupra exiſtentiam communem, & abſolutam: ſed tantùm addunt ſubſiſtentiam eo quòd tres iſtę perſonalitates, ſeu ſubſiſtentię, vel relationes opponantur inter ſe realiter.

Ad 2. Ad 2. Reſp. ex veriori ſententia relationem in rebus creatis non diſtingui realiter à ſuo fundamento. Ad id verò quod dicitur relationes diuinas paternitatis, filiationis, & proceſſionis diſtingui inter ſe realiter. Reſpondeo hoc eſſe veriſſimum ceterùm non ratione exiſtentię aut eſſentię diuinę, ſed tantùm ratione ſubſiſtentię, ſeu ſuppoſitalitatis, quæ nullam addit exiſtentiam communem, vt monuimus in ſupradictis.

Ad 3. Ad 3. Reſp. Subſiſtentiam in rebus creatis habere exiſtentiam diſtinctam realiter ab exiſtentia ſubſiſtentię cuius eſt ſubſiſtentia: eſt enim hæc in rebus creatis modus aliquis qui aduenit ſubſtantiis, quo ſubſtantia quælibet vltimo completur: ſubſiſtentia autem poteſt eſſe ſinè hoc modo, vt patet ex myſterio incarnationis: humana quippe Chriſti natura verè eſt ſinè propria ſubſiſtentia; in diuinis tamen ſubſiſtentia non habet exiſtentiam vlla ratione diſtinctam ab ea, per quam eſſentia diuina exiſtit, idque quod nulla detur oppoſitio inter ſubſiſtentiam diuinam, & exiſtentiam. In diuinis autem ſola oppoſitio inducit multiplicitatem, & diuerſitatem.

Ad 4. Ad 4. Reſp. D. Auguſt. quando dicit in diuinis dari tria exiſtere, per particulam, *Exiſtere*, intellexiſſe ſubſiſtere; neque enim fieri poteſt, vt exiſtentię multiplicentur in diuinis, niſi multiplicentur etiam modi illi qui proximè & immediatè actuant eſſentiam diuinam ſecundum noſtrum modum concipiendi. Diximus autem iſtos modos non multiplicari, ſed tantùm eos qui mediatè

& remotè complent eſſentiam diuinam, quales diximus eſſe ſubſiſtentias, non autem exiſtentias diuinas

Ad 5. Ad quintam. Reſp. diuinum Verbum potuiſſe terminare dependentiam humanæ naturæ, etiamſi nullam habeat ſibi propriam exiſtentiam,& diſtinctam ab exiſtentia patris & Spiritus ſancti. Vnio namque diuini Verbi cum humana natura, non eſt facta proximè in exiſtentia Verbi diuini, ſed tantùm in ſubſiſtentia quæ diſtinguitur realiter à ſubſiſtentia Patris & Spiritus ſancti. Confirmatur hoc, ex eo quòd diuinum Verbum compleat humanam Chriſti naturam in ratione ſubſiſtentię indiuiduę & ſingularis vltimò completæ; hoc autem competit ſoli ſubſiſtentię,non autem B exiſtentię ex doctrina Metaphyſicorum.

Ad vltimã. Ad vltimam, proceſſiones diuinas reſpicere Filium & Spiritum ſanctum, veluti terminos per eaſdem productos ; quod enim dicimus de generatione v. g. cuiuſlibet entis phyſici & naturalis, debemus affirmare de proceſſionibus diuinis, ceteris tamen paribus, & remota omni imperfectione quæ datur in generatione naturali ; generatio autem naturalis terminatur ad eſſe compoſiti, quod producitur, ex illo Ariſtotelis: Illud, inquit, quod generatur vnius eſt eſſe, compoſitum autem eſt propriè quod exiſtit, ac proinde in diuinis etiam proceſſiones habent pro termino ſuo perſonas productas. Non eſt autem concedenC dum quod terminis iſtis productis per proceſſiones diuinas adueniat aliqua exiſtentia producta ex vi iſtius proceſſionis, ſed tantùm aliqua ſubſiſtentia; proindeque ſubſiſtentię relatiuę multiplicantur in diuinis, non autem exiſtentię, ſed eſt vna & eadem numero in omnibus perſonis.

DVBITATIO TERTIA.

Quid ſignificet nomen, Deus, *poſitum in propoſitionibus de Deo.*

1. Sententia. SVNT qui putent ſemper ſignificare tantùm eſſentiam diuinã ſiue deitatẽ.Ceterùm iſtorum D opinio defendi non poteſt ; conuenit enim inter omnes communiter, nomina concreta ſignificare formas, connotare verò ſuppoſita, vel ſubiecta in quibus formæ illæ recipiuntur. Nomen autem, *Deus*, eſt concretum. Deinde, ad hoc vt aliqua propoſitio intelligatur, non eſt ſatis aduertere terminos, ex quibus conſtat, ſed inſpicienda eſt ratio ſignificandi terminorum, vt admonet D. Thom. hoc loco ; at ratio ſignificandi nominis concreti ea eſt, vt nedum ſignificet eſſentiam, ſed etiam connotet ſuppoſitum, vel ſubiectum in quibus recipitur eiuſmodi eſſentia.

Caietanus vult nomen, *Deus*, ſupponere ſemper pro Deo ſubſiſtente ſubſiſtentia abſoluta. E

Ceterùm, neque hæc opinio videtur ſatis tuta; nam diximus non ſatis conſtare an detur ſubſiſtentia abſoluta in diuinis. Deinde, docet D. Thom. hoc loco nomen, *Deus*, ſupponere interdum pro eſſentia.

Alij denique putant nomen, *Deus*, poſitum in propoſitione ſignificare ſolam perſonam diuinam. Ceterùm, minùs explicatè loquuntur iſti

Deus aliquando ſolam eſſentiam ſignificat. authores, ac proinde ſit

CONCLVSIO. *Nomen Dei poſitum in propoſitionibus interdum ſolam eſſentiam, primo & diſtinctè ſignificat, confuſè verò connotat ſuppoſitum ſiue ſuppoſita diuina; interdum verò ſignificat ſolum ſuppoſitum diſtinctè.* Ita D. Tho. hoc loco. Deinde, prima pars huius Concluſionis ſatis demonſtratur ex illis omnibus locis Scripturæ in quibus dicitur de Deo, quòd ſit vnus,Deuter.6. Exod.20. 1.Timoth. 1. & Ioannis 17. Deinde, ex Symbolis Apoſtol.Concil. Nicæn. & Athanaſ. dicitur enim illic quòd vnus ſit tantummodo Deus, id eſt, quod vna tantùm detur deitas ſiue eſſentia diuina. D. Thom.

Secunda verò pars Concluſionis probatur ex Symbolo Concil. Nicæni,*Deum verum de Deo vero*, accuſatiuus, *Verum*, & *Deum*, ſolum filium: ablatiuus autem, *de Deo vero*, ſolum Patrem demonſtrat. Deinde nomen, *Deus*, illa eadem ratione vſupatur, qua nomen, homo ; atqui homo nedum ſignificat humanitatem, ſed etiam ſuppoſitum ſiue perſonam : propter hanc enim cauſam negatur diuinum Verbum aſſumpſiſſe hominem, ſed tantùm humanam naturam : homo enim dicit naturam ſuppoſitatam propria ſuppoſitalitate, quæ tamen non fuit in humana Chriſti natura, vt fides docet. Denique nomen, *Deus*, quandocumque ei adiungitur attributũ aliquod notionale,ſiue perſonale, ſupponit tantùm pro perſona, vt docet D.Thom. hoc loco: ergo confuſè dicit ſuppoſitum. *Deus confuſe denotat ſuppoſitum.*

Dices, in hac propoſitione, *Deus creat*, nomen, Deus, ſupponit pro perſonis, cum actiones ſint ſuppoſitorum, & creatio ſit actio, ex multorum ſententia : ergo nomen, *Deus*, nedum ſignificat perſonam ſiue ſuppoſitum quando ei adiungitur attributum perſonale, ſed etiam quando ei non additur. Reſp. propoſitionem D. Thomæ eſſe veriſſimam ; nam in hac propoſitione, *Deus creat*, nomen, *Deus*, non ſignificat diſtinctè ſuppoſita Patris, Filij,& Spiritus ſancti, ſed ſolam deitatem, & confuſè, ſiue vagè ſuppoſita : nam Pater, & filius & Spiritus ſanctus, vt ſic ; non creant. Deinde, tota ratio cur Pater, filius, & Spiritus ſanctus creent, eſt, quia in illi sdatur diuina eſſentia quæ eſt ſimpliciter infinita, & quæ proinde ſecum trahit vim creandi. *Obiectio.* *Solutio.*

Ex iſtis colligit D. Thom. nomen, *Deus*, interdum ſupponere tantùm pro diuina eſſentia diſtinctè, & confuſè pro ſuppoſitis, vt, Deus eſt vnus : interdum verò pro ſola perſona Patris, vt in hac, Deus generat, aliquando verò pro perſona ſoli filij,vt in iſta,Deus gignitur:interdũ verò pro Patre & filio tantùm, vt quando dicimus, Deus ſpirat : Aliàs verò pro omnibus perſonis, vt in hac, Deus iuſtificat. Tandem admonet D.Thom. Deum ſupponere ſemper pro eſſentia quando non additur ei attributum perſonale : pro perſonis verò, quando additur ei attributum notionale. *Corollariũ.*

DVBITATIO QVARTA.

An propoſitiones iſtæ ſint concedendæ, Deus generat, Deus non generat, Deus genuit ſe, Deus genuit alium, *& denique*, Deus genuit eumdem Deum.

QVOD attinet ad duas primas propoſitiones : Sunt qui putent ſecundam eſſe veriſſimam ; quod enim dicitur de ſuppoſitis, verè dicitur etiam de attributo quod enunciatur de huiuſmodi ſuppoſitis : at de ſuppoſitis filii, & Spiritus ſancti dicitur verè quod non generent : ergo hæc vera erit, Deus non generat ; Deus enim eſt attributum commune,ad tria ſuppoſita diuina.

De-

Digitized by Google

Deinde, ex duabus contradictoriis propoſitionibus vna ſemper eſt vera, altera falſa: atqui iſta non eſt vera: Illud omne quod Deus eſt, generat: ergo hæc erit vera, Deus non generat.

Caietanus verò exiſtimat prædictam propoſitionem eſſe falſam, idque quod ſit indefinita, & in materia neceſſaria, quando autem datur propoſitio aliqua indefinita in materia neceſſaria, reſpondet propoſitioni vniuerſali, vt conſtat ex iſta, aliquis homo eſt animal: reſpondet enim huic: omnis homo eſt animal, cùm fieri nequeat vt ſit aliquis homo quin hic ſit animal, quia propoſitio iſta eſt in materia neceſſaria: ergo cum iſta ſit indefinita & in materia neceſſaria, Deus non generat, reſpondet huic vniuerſali, nihil eſt quod ſit Deus, quod generet; at hæc manifeſtè falſa eſt; Pater ſiquidem eſt verè Deus, & tamen hic generat: igitur & illa, Deus non generat.

Ceterùm hæc ſententia non videtur vera; nam ſi iſta propoſitio, Deus non generat, ſit in materia neceſſaria, hæc quoque erit in materia neceſſaria, Deus generat; ac proinde reſpondebit huic vniuerſali, nihil eſt quod deitatem habeat quod non generet: hæc autem falſiſſima eſt, nam Filius & Spiritus ſanctus ſunt Deus, neque tamen generant: ergo &c.

Deus nõ generat, no ne ganda.

CONCLVSIO 1. *Propoſitio iſta,* Deus non generat, *in ſummo rigore loquendi Logicorum non videtur neganda.* Primùm, quia hæc eſt in materia non neceſſaria, & eſt propoſitio indefinita; atqui propoſitio indefinita in materia non neceſſaria reſpondet propoſitioni particulari, vnde hæc, Deus non generat, reſpondet iſti, aliquis Deus eſt qui non generat: at hæc eſt veriſſima, cùm filius & Spiritus ſanctus non generent, & tamen ſint verè Deus: ergo & hæc, Deus non generat.

Satis eſt negare illam propoſitionem.

CONCLVSIO 2. *Ex uſu tamen & conſuetudine loquendi ſcholaſticorum Theologorum, hæc propoſitio non eſt concedenda, Deus non generat.* Is enim vſus obtinuit, vt propoſitio hæc cenſeatur eſſe quaſi vniuerſalis, ac proinde debet habere locum in omnibus perſonis diuinis; atqui certum eſt aliquam perſonam diuinam generare: ergo illa eſt falſa, Deus non generat.

Deus generat, concedenda.

CONCLVSIO VLTIMA. *Hæc propoſitio,* Deus generat, *eſt concedenda.* Primùm, quia reſpondet iſti, aliquis Deus eſt qui generat: atqui hæc eſt de fide, reſpectu Patris. Deinde, nomen, Deus, poſitum in propoſitionibus cum attributo perſonali ſolam perſonam ſignificat, ſola autem perſona Patris generat: ergo iſta eſt vera, Deus generat.

Reſponſio ad contrarias rationes.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. illud omne quod dicitur de ſuppoſito, non dici de eſſentia, aut de attributis eſſentialibus: nam de filio dicitur quòd ſpiret Spiritum ſanctum, neque tamen propterea fatemur eſſentiam ſpirare. Deinde, quæ negantur de aliquo ſuppoſito, non negantur de quouis alio, vt de filio dicitur, quòd non ſit Pater; non tamen propterea illud idem concedendum eſt vel de eſſentia, vel de prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis. Ea ergo dicuntur de Deo, & de attributis eſſentialibus, quæ dicuntur de omnibus ſuppoſitis diuinis, idque affirmatiuè.

Ad 2.

Ad 2. Propoſitiones iſtas, Deus generat, & Deus non generat, non eſſe contradictorias; nam in prima nomen, Deus, ſupponit pro ſola perſona Patris; in ſecunda verò ſupponit, vel pro perſonis filij & Spiritus ſancti, vel pro eſſentia, de quibus verum eſt dicere quòd non generent; ſolus enim Pater generat. Cùm ergo propoſitiones contradictoriæ ſint ad idem, ſecundum idem, eodémque modo, & iſtæ non ſint ad idem, eodémque modo, non erunt propriè contradictoriæ, ſed diſparatæ, & aliquo modo contrariæ: licèt enim perſona Patris ſit idem realiter & formaliter cum eſſentia, quia tamen ratione ratiocinata diſtinguitur ab ipſa, & item diuina eſſentia eſt in ſe virtute varia & multiplex, ideò fit vt interdum affirmemus de diuina eſſentia, prout eſt idem realiter & formaliter cum perſona Patris, quòd generet, & item quòd non generet, prout identificatur perfectiſſimè cum perſonis Filij, & Spiritus ſancti, & diſtinguitur ratione ratiocinata à perſona Patris.

Quod verò attinet ad alias tres propoſitiones. Reſpond. nullam ex illis eſſe admittendam tamquam veram: Non quidem prima, quia pronomen, ſe, cùm ſit reciprocum nedum reflectitur ſupra eſſentiam, ſed etiam ſupra eamdem perſonam, atqui fieri non poteſt, vt idem ſeipſum producat ex D. Auguſtino lib. 1. de Trinitat. ergo hæc non eſt vera, Deus genuit ſe. Non ſecunda, quia *SS.* Patres inter diſputandum contra Arianos, nuſquam voluerunt concedere Deum Patrem genuiſſe alium Deum. Deinde, pronomen, alius, niſi et fuerit additum attributum perſonale ſignificat eſſentiam: at D. Thom. docet art. 5. huius quæſt. eſſentiam nec generare, nec generari: ergo. Neque demum 3. quia pronomen, eumdem, nedum dicit identitatem naturæ, ſed etiam perſonæ: vnde cùm impoſſibile ſit aliquid generare ſeipſum, hæc erit falſa, Deus genuit eumdem Deum. Quod eſt diligenter obſeruandum propter Scotum, & alios nonnullos qui putant propoſitionem hanc tertiam eſſe concedendam: exiſtimant enim particulam eumdem, referri ad ſolam eſſentiam, non autem ad perſonam. Ceterum vſus loquendi communis ſententiam iſtam ſatis refellit. D. Thom.

Dices, veram eſſe propoſitionem, Filius eſt alius à Patre, & iſta ergo vera erit, Pater genuit alium à ſe. Reſp. negando conſecutionem, nam particula, alius, poſita in oratione, niſi fuerit coniuncta cum attributo aliquo perſonali ſignificat eſſentiam, non autem perſonam, vt obſeruant interpretes aliqui S. Thom. hoc loco: at in iſta, Deus genuit alium à ſe: particula, alius, non coniungitur cum attributo notionali, ac proinde ſupponit pro eſſentia: non erit ergo vera.

Circa Articulum 5. explicanda eſt

DVBITATIO VNICA.

An propoſitiones iſta ſint concedenda: Eſſentia generat, Eſſentia generatur.

Quorumdã opinio.

SVNT qui putent eſſe admittendas, idque quòd SS. Patres doceant diuinitatem Filij eſſe genitam: Ità author libri de fide ad Petrum cap 2. *Ne dubites,* inquit, *affirmare diuinitatem Filij eſſe genitam,* & Auguſt. cap. 2. lib. 4. de Trinitat. verbis expreſſis habet Patrem eſſe principium filij. Deinde, omnis perfectio ſimpliciter ſimplex conuenit eſſentiæ diuinæ; atqui generare eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo hæc erit vera, Eſſentia generat. D. Auguſt.

CONCLVSIO. *Propoſitiones iſta,* Eſſentia generat, aut Eſſentia generatur, *nullo modo ſunt concedendæ, ſed negandæ.*

Eſſentia generat, aut negandum.

denda. Primùm quia ità definitum fuit in Concil. Lateranen. sub Innocentio III. & referturin cap. *Damnamus*, de summa Trinit. & in Concil. Tolet. I. in Confessione fidei. Accedit ratio: Prima si essentia generat & generatur, admittenda est diuersitas essentię in diuinis; nam generans & genitum distinguuntur realiter; atqui vna est essentia diuina simplicissima: ergo non potest dici quod generet essentia, vel generetur.

Concil. Lateran. Toletan.

2. Deinde, qui dicit essentiam generare, & generari, dicit essentiam esse principium, quod, generationis, & item terminum; atqui hæc dici non possunt de essentia, cùm actiones sint suppositorum: ergo neque aliud.

3. Tertiò, authores contrariæ sententiæ nituntur falso fundamento, putant enim nomina essentialia in abstracto sumpta supponere pro personis, quod alienum est à doctrina communi Scholasticorum. B

Obiectio. Dices, propositiones istas esse veras, Essentia creat, essentia intelligit: ergo & ista, essentia generat.

Solutio. Respond. concesso antecedente, negando consequentiam: ratio disparitatis est, essentia in prima propositione, supponit pro hoc Deo qui verè creat. Deinde, vis omnis creandi est ab essentia. Tertiò, Pater, vt Pater, nulla ratione creat, ità enim tantùm generat; proindéque hæc erit vera, Deus creat, siue essentia; hæc autem falsa, Essentia generat, quia generare est attributum personale, soli personæ Patris conueniens; essentia autem licèt sit idem cum Patre realiter, non tamen ratione ratiocinata. Item, quia si essentia generaret cum tam verè sit in Filio, & in Spiritu sancto, quàm in Patre concedendum esset de filio & de Spiritu sancto quòd generarent, quod tamen nulla ratione defendi potest ex Symbolo Athanasij. C

Solutio argumentorũ. Ad rationes verò contrarias. Resp. sanctos patres propterea affirmare diuinitatem filij esse genitam, non quòd hæc sit verè terminus generationis, sed quia filius verè generatur, & per actum generationis consequitur essentiam diuinam. Similiter Pater dicitur principium deitatis, non quòd deitas à Patre producatur; sed quia pater concurrit ad productionem filij, & spiritus sancti, quibus communicat suam essentiam eamdem numero quam habet; aut vt alij volunt, quod pater sit fons & origo personarum filij, & spiritus sancti qui verè producuntur, filius quidem per generationem propriè dictam, spiritus verò sanctus per processionem. D

Vlt. Ad vltimam, generare & spirare esse perfectiones, ceterùm personales, non autem essentiales formaliter loquendo, siue secundum nostrum modum concipiendi, ac proinde conuenire patri genetare, spirare verò patri & filio, quatenus pater & filius sunt vnus spirator. Ad id verò quod dicitur, essentiam diuinam vendicare sibi omnem perfectionem, Respondeo hoc esse verum identicè & realiter, non autem formaliter, & secundum nostrum modum loquendi: diximus enim in antecedentibus proprietates personales, addere secundum nostrum modum concipiendi, & formaliter loquendo, perfectiones aliquas diuinæ essentiæ, ex quo nihil absurdi colligi potest. E

Articvlo 6. docet nomina personalia & notionalia, si sint adiectiua non enunciari de essentia; secus verò si fuerint substantiua.

Articvlo 7. tradit quòd etiam si nomina essentialia æquè conueniant omnibus personis, aliqua tamen appropriari vni personæ, alia verò alteri; patri quippe appropriatur omnipotentia: filio sapientia, & spiritui sancto bonitas & charitas.

Articvlo vltimo, Deum posse spectari quatuor modis, absolutè prout est in se. Deinde, vt vnus est. 3. ratione causalitatis. Denique, vt suos respicit effectus. Secundùm primam considerationem patri tribuitur æternitas, filio species, seu pulchritudo, spiritui verò sancto vsus seu fruitio: Iuxta secundam considerationem adscribitur patri vnitas, filio æqualitas, spiritui verò sancto concordia, siue connexio; respectu verò tertiæ considerationis patri attribuitur potentia, filio sapientia, spiritui sancto bonitas. Denique, respectu quartæ tribuitur patri, à quo, filio per quem, spiritui sancto in quo. Lege de istis sanctum Doctorem.

QVÆSTIO XL.

De personis in comparatione ad relationes & proprietates personales.

Circa hanc Quæstionem est

DVBITATIO VNICA.

An personæ diuinæ constituantur, & quæ ratione.

Notabile. Aduerte primò, proprietates personales admittendas esse in diuinis contra Præpositiuum; concedunturenim istę in VI. Synodo actio. 11. & in Concil. Lateranen. sub Innocentio III. & refertur in cap. *Damnamus*, de summa Trinitate, & fide Catholica.

Præfatio de sanctiss. Trinitate. Deinde, in præfatione de sanctissima Trinitat. ità legit Ecclesia, *In essentia vnitas, in persona proprietas, & in maiestate adoretur æqualitas.*

Denique, admittimus in diuinis proprietates essentiales; attributa quippe essentialia concipiuntur à nobis veluti proprietates aliquæ quæ dicuntur de diuina essentia: ergo etiam proprietates aliquæ personales admittendæ sunt. Ità communiter Thomistæ, hoc loco, & in 1. distinct. 24.

Paternitas quæ est proprietas patris non distinguitur realiter à patre. Aduerte 2. paternitatem, quæ est proprietas personalis Patris, non distingui realiter à Patre, sed sola ratione ratiocinata. Idem dicendum est de filiatione respectu filij, & de processione respectu spiritus sancti. Nam omnia in diuinis sunt vnum & idem realiter & formaliter, nisi vbi interuenit oppositio relationis: at paternitas nullam dicit oppositionem cum patre, nec filiatio cum filio, nec denique processio cum spiritu sancto: ergo. Distinguuntur tamen tres istæ proprietates ab inuicem realiter, idque propter

propter oppoſitionem, quæ datur inter iſtas; paternitas verò diſtinguitur à patre ſola ratione ratiocinata. Idem ſtatuendum eſt de filiatione reſpectu filij, & de proceſſione reſpectu Spiritus ſancti: paternitas namque non magis diſtinguitur à patre, quàm faciat bonitas ab eſſentia diuina, ex doctrina communi omnium Theologorum; atqui bonitas diſtinguitur ab eſſentia ſola ratione ratiocinata: ergo.

Perſona cõſtituitur per relationem.

CONCLVSIO 1. *Perſona diuina conſtituitur in eſſe perſonæ per proprietatem perſonalem relatiuam.* Hæc eſt de fide, ità enim habet Concil. Lateran. ſub Innocent. III. & refertur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinit. & fide Catholica. *Hæc*, inquit, *ſancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam; indiuidua, & ſecundum perſonales proprietates, diſcreta*, idem dicitur in Tolet. II. & in Florentin. in litter. vnionis. *Omnia*, inquit, *quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe patrem.*

Concil. Lateran.

Tolet. Florent.

Athanaſ. Cyrill. Alexand.

Deinde, idem docent Patres, Athan. in orat. de Deipara, Cyrill. Alexand. lib. 2. theſaur. cap. 3. & lib. 7. cap. 1. *Pater igitur Pater eſt, & Filius Verbum: nec tamen idcò naturæ diuerſitas inducitur: quoniam ſola diuerſitate relationis quæ diuerſis nominibus ſignificatur, nec alia re vlla diſtinguuntur. Relationes autem cõſubſtantialium diuerſæ, nominãque ipſarum relationum diuerſa, non poſſunt naturalem communionem delere. Quare neceſſe eſt vt eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre Filius ſit, quamuis ille ſemper Pater ſolummodo ſit, & hic ſemper ſolùm Filius, ac Verbum.*

D. Auguſt.

D. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 2. & 7. cap. 6. *Ego & Pater vnum ſumus. Et vnum dixit, & ſumus, Vnum, ſecundum eſſentiam, quod idem Deus: Sumus, ſecundum relatiuum, quod ille Pater, hic Filius.*

Hieronym. Hilar.

Hieronym. in epiſt. ad Damaſum Papam, Hilar. in l. b. de Trinitate.

Accedit ratio: illud debet eſſe conſtitutiuũ perſonæ diuinæ, quod diſtinguit perſonam diuinam ab aliis perſonis etiã diuinis, & quod eſt maximè intrinſecum perſonę diuinæ; idẽ ſiquidẽ eſt principium diſtinctiuũ & conſtitutiuum alicuius rei: at pater diſtinguitur à Filio & à Spiritu S. realiter per paternitatem, & hæc eſt quàm maximè intrinſeca patri: non enim poſſumus concipere patrem abſque paternitate; Imò repugnat à parte rei patrem eſſe patrem ſinè paternitate, non minùs quàm hominem eſſe hominem abſque rationalitate: ergo pater proprietate perſonali patris, ac proinde paternitate conſtituitur.

Refelluntur quam dicendi modi.

Ex iſtis colliges non ſatis bene docuiſſe veteres aliquos Scholaſticos, perſonas diuinas conſtitui ſeipſis, illo eodem modo quo differentia quælibet in rebus creatis conſtituit ſeipſam; nam differentiæ explicantur nominibus abſtractis; perſonæ autem diuinæ ſunt concreta quædam, quæ proinde debent habere formas aliquas ſibi quaſi aduenientes, & ideò nequeunt perſonæ iſtæ ſeipſas conſtituere.

Peccarũt etiã illi qui voluerũt perſonas diuinas conſtitui perfectionibus quibuſdam abſolutis; repugnat enim reſpectiuum ſub ea ratione qua reſpectiuum eſt, conſtitui per abſolutum: at perſonæ diuinæ ſunt, vt ſic reſpectiuæ, ſunt enim iſtæ pater, Filius, & Spiritus ſanctus: ergo non poſſunt conſtitui abſoluto.

Dices, relata omnia creata eſſe abſoluta. Reſpond. hoc eſſe verum: fundantur enim hæc aut in quantitate, aut in qualitate, aut in actione, & paſſione quæ ſunt entitates abſolutæ: in diuinis tamen relata, vt ſic, non ſunt abſoluta, licèt ſint ſubſtantiæ quædam reales, vt docent Patres, ſacra Concilia, & Scholaſtici.

Nihil etiam refert quod aliqui obiiciunt Salomonem nihil reſpondiſſe ſibi; inueſtigando nomen ſecundæ perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis, nam quærebat illic non quodlibet nomen filij, ſeu, Verbi diuini, ſed nomen quod perfectiſſimè & adæquatè explicaret naturam & eſſentiam filij. Nullum autem datur tale nomen filij Dei, quemadmodum neque etiam eſſentiæ diuinæ ex communi doctrina.

Defecerunt etiam illi qui docent perſonas diuinas conſtitui per origines; conſtitutiuum ſiquidem perſonæ diuinæ debet eſſe aliquid eidem intrinſecum; origines autem & proceſſiones ſe habent extrinſecè ad perſonas diuinas, cùm concipiantur à nobis ad modum viæ & tendentiæ ad ipſas perſonas.

Non conſtituuntur etiam perfectionibus abſolutis & reſpectiuis ſimul, vt volunt alij; quoniam conſtitutiuum rei alicuius ſimpliciſſimæ debet eſſe res aliqua ſimpliciſſima, cuius tamen generis non eſt abſolutum & reſpectiuum ſimul: ergo nequeunt conſtitui abſoluto & reſpectiuo ſimul.

Neque demum conſtituuntur pater v. g. per id quod aptum natum eſt generare, vt docent aliqui; nam eſſe natum & aptum generare præſupponit rem aliquam in ſuo eſſe conſtitutam, quæ habeat aptitudinem ad generandum; nihil autem eſt intrà Deum quod habeat potentiam generandi, aut quod ſit aptum natum generare præter patrem: poſſe ſiquidem generare & actu generare in diuinis ſunt vnum & idem ſaltem ad intrà; intrà diuinam autem eſſentiam nihil eſt quod generet præter patrem: ergo non poteſt conſtitui per hoc quod eſt aptum generare.

Explicatio authoris.

Cùm ergo diximus perſonas diuinas conſtitui proprietatibus relatiuis, id venit intelligendum de proprietatibus relatiuis, ſpecificatiuè conſideratis, non autem reduplicatiuè, qua ratione proprietates iſtæ nihil aliud ſunt quàm rationes referendi vnum extremum ad aliud, ſpecificatiuè verò relationes iſtæ ſunt & ſubſtantiæ & diuinæ, & per ſe ſubſiſtentes & denique incommunicabiles. Sub iſtis ergo omnibus rationibus ſimul ſumptis conſtituunt proprietates perſonales perſonam diuinam, quod & ratio manifeſtè conuincit: nam quælibet perſona diuina, vt ſic, eſt ſubſtantia, & per ſe ſubſiſtit, & eſt diuina, & præterea incommunicabilis: ergo hæc omnia conſequitur à ſuo conſtitutiuo.

Conſtitutio perſonæ, per proprietatẽ eſt rationis tantùm.

CONCLVSIO VLTIMA. *Conſtitutio perſonæ diuinæ per proprietates non eſt realis ſed tantummodò rationis.* Primò, quia conſtitutio realis conſurgit ex rebus inter ſe realiter diſtinctis ex communi doctrina: at docuimus perſonalitatem patris non diſtingui realiter à patre, neque item filiationem à filio, neque proceſſionem à Spiritu ſancto, ſed ſola ratione ratiocinata: ergo illa conſtitutio non eſt realis.

Secunda verò pars probatur. Quælibet conſtitutio vel eſt realis, vel rationis tantùm; at conſtitutio perſonæ diuinæ mediis proprietatibus relatiuis non eſt realis: ergo erit tantùm rationis.

Digitized by Google

Denique, constitutio rationis censetur esse ea A quæ fit de aliqua re, in ordine ad modum nostrum intelligendi & loquendi de huiusmodi re, tamen cum fundamento aliquo à parte rei, quod respondet conceptioni & cogitationi nostræ: at personalitas diuina relatiuè non est à parte rei in persona diuina aliquid distinctum, sed tantùm secundum nostrum modum concipiendi: ergo neque constitutio.

QVÆSTIO XLI.

De personis in comparatione ad actus notionales.

CIRCA hanc totam Quæstionem, quæ sex habet Articulos, Dubitationes aliquæ sunt tantùm explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An actus notionalis quo Pater producit diuinum Verbum possit dici voluntarius. C

ONCLVSIO *affirmatiua*. Primùm, quia hæc videtur esse sententia Hilarij in lib. de Synodis definitione 25. ità enim illic dicitur: *Si quis nolente Patre natum dicat filium; anathema sit. Non enim coactus Pater, vel necessitate naturali ductus cùm nollet genuit filium, sed mox vt voluit.*

Hilarius.

Actus notionalis voluntarius.

Deinde, illud dicitur voluntarium quod habet ortum à voluntate, vel certè habet adiunctum aliquem actum voluntatis, vt constat ex actibus fidei elicitis ab homine in hac vita constituto, & D in statu gratiæ; nam isti omnium consensu sunt meritorij vitæ æternæ, ac proinde sunt etiam voluntarij & liberi, cùm libertas sit simpliciter necessaria ad meritum; atqui actus intellectionis per quem pater generat filium, coniungitur cum aliquo actu diuinæ voluntatis: ergo erit voluntarius.

Tertiò, SS. Patres communiter docent in disputationibus contra Arianos, patrem non producere filium coactè: argumento igitur est actum generationis filij coniunctum esse cum aliquo actu diuinæ voluntatis; coactio siquidem in rebus ratione præditis respicit maximè voluntatem.

Denique, hæc est aperta sententia D. Thom. E hoc loco, & ferè recentiorum.

Explicatur Conclusio.

Cùm autem diximus actum generationis filij esse voluntarium, id non est ità intelligendum quasi detur in patre aliquis actus voluntatis, quo pater antecedenter generet filium. Primò, quia per actum voluntatis solius patris & filij producitur tantùm Spiritus sanctus.

Deinde, quia duo sunt tantùm actus notionales in diuinis productiui; primus censetur esse actus intellectus solius patris; secundus verò actus voluntatis patris & filij tantùm.

Tertiò, per actus voluntatis essentiales ad intrà, nihil planè producitur.

Res ergo hæc est intelligenda de actu voluntatis diuinæ comitantis & consequentis secundum rationem actum generationis filij; voluntas enim diuina tam verè amat actum quo pater producit filium, quàm amet essentiam diuinam; est namque actus ille æquè necessarius, ac essentia diuina, & præterea æquè consequitur rationem boni atque natura diuina, sed voluntas diuina amat necessariò suam essentiam: ergo & actum quo pater generat filium.

Deinde, propter hanc causam fatentur B sancti Patres: æternum Patrem nec volentem, nec nolentem genuisse Filium, id est, nec libere, nec coactè, sed voluntariè, idque secundum rationem concomitanter, & iuxta nostrum modum intelligendi consequenter.

Dices, Patrem generasse filium cum omni perfectione sibi debita naturaliter; atqui velle est perfectio patri debita naturaliter: ergo habuit actum voluntatis secundum nostrum modum concipiendi priorem actuali generatione filij. *Obiectio.*

Respond. hoc argumento tantum probari patrem generasse filium cum omni perfectione sibi debita comitanter, non autem antecedenter: idque quòd actus intellectionis patris solus, vt sic, producat filium, vt docuimus quæst. 27. huius partis. *Solutio.*

Instabis, actus essentiales priores esse notionalibus: ergo cum actus voluntatis patris sit essentialis, præcessit actum generationis filij, saltem secundum nostrum modum concipiendi. *Replica.*

Respond. actus notionales comparatos cum actibus essentialibus secundum rem, nec esse priores, nec posteriores; nam omnis prioritas quæ datur in Deo, & item posterioritas repetenda est ex origine; atqui actus notionales non ducunt originem ab actibus essentialibus neque è contrà: ergo huiusmodi actus non sunt priores secundum rem. *Dissoluitur.*

DVBITATIO SECVNDA.

An actus quo Pater & Filius producunt Spiritum sanctum sit liber.

RESPONDEO primò, nihil repugnare quominus hic dicatur liber. Primùm, quia fatentur omnes dari duplicem libertatem, v. nam à necessitate, alteram à coactione: ergo cùm Pater & Filius non cogantur in productione Spiritus sancti productio hæc poterit dici libera. *Actus productiuus filij liber.*

Deinde. Illud nedum est liberum quod positis omnibus ad agendum necessariis potest agere, & non agere, sed etiam quod sponte & voluntariè, & non coactè producitur; atqui Pater & Filius non coguntur in productione Spiritus sancti: ergo liberè producunt.

Tertiò, hæc est aperta sententia D. Thom. quæst. 10. de potentia, artic. 2. ad 5. Scoti, quodlib. 2. artic. 2. & in 1. dist. 10. quæst. 1. Ockam, Gregorij Ariminens. ibidem, & Henrici Gandauensis, referente Scoto in 1. dist. 10. & quodlib. 16.

Respond.

Digitized by Google

Actus generationis filij non abſolutè liber.

Reſpond. 2. Non eſſe ſimpliciter & abſolutè concedendum actum quo Pater & Filius protulerunt Spiritum ſanctum eſſe liberum. Primùm, quia illud dicitur ſimpliciter & abſolutè liberum, quod poſitis omnibus ad agendum neceſſariis poteſt agere, & non agere; atqui Pater, & Filius, non poſſunt non producere Spiritum ſanctum: ergo non ſunt liberi ſimpliciter ad producendum, & non producendum.

Confirmatur libertas ſimpliciter eſt coniuncta cum indifferentia; imò & cum contuſ.ation in rebus creatis, vt communiter fatentur omnes; at Pater & Filius non ſunt indiff.rentes, nec eſſe poſſunt in productione Spiritus ſancti: ergo nec liberi.

Tertiò, actus ſimpliciter neceſſarius, non eſt ſimpliciter liber; opponuntur enim liberum & neceſſarium, cum neceſſarium non poſſit non eſſe, liberum autem poſſit eſſe & non eſſe; at actus quo producitur Spiritus ſanctus & à Patre, & à Filio, eſt ſimpliciter neceſſarius, eſt enim idem realiter & formaliter cum eſſentia: ergo non eſt liber.

Denique, fatentur communiter Doctores, Deum eſſe tantummodò liberum in his quæ operatur extra ſe. Ità D. Thom. ad 3. art. 2. Gregor. Ariminenſis in 1. diſt. 10. quæſt. 1. art. 2. Capreolus, diſt. 6. quæſt. 1. art. 1. Concluſ. 2.

D. Thom.

Obiectio.

Dices, reſponſiones iſtas deſtruere ſeipſas; nam hæc negat proceſſionem Spiritus ſancti eſſe liberam.

Solutio.

Reſp. hæc duo minimè inter ſe pugnare; reſponſio ſiquidem ſecunda loquitur de libero ſimpliciter & abſolutè, quatenus vſus loquendi communiter vſurpat liberum; prima verò de libero ſecundum quid, quatenus videlicet eſt idem cum ſpontaneo, voluntario, & non coacto.

Corollariũ.

Ex iſtis colliges, minimè errare eos, qui putant accedere ad hæreſim Arij affirmare proceſſiones Filij & Spiritus ſancti eſſe liberas, nam loquuntur iſti de libero ſimpliciter & abſolutè, non autem ſecundum quid.

DVBITATIO TERTIA.

An admittenda ſit potentia reſpectu actuum notionalium in diuinis.

Admittenda eſt potentia in Deo reſpectu notionalium.

CONCLVSIO *affirmatiua*: Omnis enim actio ſiue proceſſio præſupponit potentiam agendi & operandi. Deinde, vbi datur producens & productum propriè, illic quoque datur potentia productiua; atqui filius eſt verè productus à Patre, & item Spiritus ſanctus à Patre & à Filio: ergo datur quoque in illis potentia productiua.

Obiectio.

Dices, poſſibile eſſe obiectum potentiæ, at intrà diuinam eſſentiam nihil eſt poſſibile: ergo neque potentiale.

Solutio.

Reſp. potentiam quamlibet reſpicere poſſibile, vt obſeruat D. Thom. quæſt. 25. huius part. & in hac 41. ceterùm poſſibile, aliud eſſe contingens, aliud verò neceſſarium: primum non habet locum intrà diuinam eſſentiam, neque habere poteſt, ſecundum autem eſt neceſſariò in ea concedendum, cùm fides doceat aliquas perſonas produci intrà diuinam eſſentiam: ac proinde neceſſarium hoc quod verè producitur intrà Deum eſt poſſibile, & conſequenter ab iſto ſpecificatur quaſi potentia productiua Patris reſpectu productionis Filij, & potentia productiua Patris & Filij, reſpectu Spiritus ſancti.

ROGABIS, *Quid dicat potentia Patris, vt Mouetur eſt productiua Filij, & potentia Patris, & Filij, vt quaſtio. productiua Spiritus ſancti?* Reſpond. potentiam *Reſponſ.* primam quæ nuncupatur communiter potentia generandi, dicere tantùm eſſentiam diuinam cum relatione paternitatis. Ità D. Thom. & omnes hoc loco, & manifeſtè colligitur ex eo quòd doceat Damaſcen. potentiam generandi nihil aliud eſſe quàm vim inſitam à natura per quam res quælibet poteſt producere ſibi ſimile ſecundum ſpeciem; atqui per eſſentiam diuinam & per relationem paternitatis Pater producit filium ſibi in omnibus ſimillimum: ergo illa potentia dicit potentiam generandi. Nomine verò potentiæ Patris & Filij productiuæ Spiritus ſancti ſignificatur eſſentia diuina cum relatione ſpirationis actiuæ. Explicatur ſicut præcedens.

QVÆSTIO XLII.

De æqualitate perſonarum diuinarum.

QVÆSTIO hæc quæ ſex continet Articulos ſequentibus Dubitationibus ſatis explicabitur.

DVBITATIO PRIMA.

An concedendum ſit de perſonis diuinis quòd ſint inter ſe æquales, & qua ratione.

VIDETVR perſonas diuinas non eſſe æquales, quia dicitur Ioann. 14 de Patre, quòd ſit maior Filio. Deinde, dicitur de Filio Ioann. 4. Filius à ſeipſo non poteſt quidquam facere. Denique, quia in Patre eſt potentia generandi, in Filio, & in Spiritu ſancto minimè: potentia item ſpirandi eſt in Filio, & in Patre, neutiquam verò in Spiritu ſancto.

Perſonæ diuinæ æquales.

CONCLVSIO 1. *Concedendum eſt neceſſariò de perſonis diuinis quòd ſint inter ſe æquales.* Primùm, quia ità dicitur in Symbolo Athanaſij: *In hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales* Symbol. Athanaſij.

Deinde, dicitur ibidem, *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus.* item, *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus.*

Tertiò, illic datur vera æqualitas, vbi nulla reperitur minoritas, aut maioritas: at in perſonis diuinis nulla datur maioritas, aut minoritas, ex loco Athanaſij citato: ergo neque inæqualitas.

Quartò, æqualitas ſequitur quantitatem molis vel virtutis: atqui eadem planè quantitas virtutis eſt in omnibus perſonis diuinis: ergo & æqualitas. Ità D. Thom. hoc loco, & interpretes eiuſdẽ omnes: Sententiarij verò in 1. diſt. 19.

Æqualitas realis.

CONCLVSIO 2. *Æqualitas quæ dicitur de perſonis diuinis eſt realis, ſeu quod idem eſt, perſonæ tres perſonæ diuinæ à parte rei ſunt æquales inter ſe.* Primùm, quia

quod dicitur de perſonis diuinis ante omnem intellectus operationem, eſt verè & realiter in perſonis diuinis; atqui ante omnem intellectus operationem perſonæ diuinæ ſunt inter ſe æquales: ergo illa æqualitas realis eſt. A

Deinde, quod conuenit Filio, & Spiritui ſancto propter proceſſiones, ſiue propter ea quæ communicantur eidem vi pròceſſionum eſt aliquid reale; atqui per proceſſiones diuinas Filius & Spiritus ſactus conſequuntur eamdem eſſentiam, potentiam, & denique durationem quam habet Pater: ergo Filius &. Spiritus ſanctus erunt æquales Patri à parte rei.

Tertiò, ad hoc vt aliqui ſint verè & realiter inter ſe æquales, ſatis eſt quòd in illis detur virtus aliqua ſiue perfectio quæ excludat à ſe omnem maioritatem, & minoritatem; atqui eadem planè numero perfectio, potentia, & denique æternitas eſt in omnibus: ergo. & hæc videtur eſſe aperta ſententia D. Thom. & interpretum eiuſdem hoc loco. B

Vnde petenda æqualitas?

CONCLVSIO 3. *Æqualitas iſta perſonarum diuinarum repetenda eſt ex identitate eſſentiæ, potentiæ, & durationis.* Primùm, quia ità ſentit D. Auguſtinus lib. 2. de Trinitat. cap. 2. & lib. 6. cap. 3. 4. & 5. & lib. 4. cap. 20. & ſerm. 38. de verbis Domini, quo loco probat perſonas diuinas eſſe inter ſe æquales, ex variis locis Scripturæ, præſertim verò ex cap. 2. ad Philipp. vbi de Chriſto dicitur: *Qui cùm in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* & Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* & denique ex cap. 7. Sapien. vbi filius dicitur, *Candor lucis æternæ, & imago Patris.* Ex iſtis ergo locis deducit D. Auguſtinus perſonas diuinas eſſe primùm inter ſe æquales ſecundum eſſentiam, deindè ſecundum potentiam, tandem ſecundum durationem ſiue æternitatem. Deinde, perſonæ illæ ſunt verè inter ſe æquales in quibus datur eadem numero eſſentia, potentia, & duratio; æqualitas enim conſequitur quantitatem molis vel virtutis, vt docet D. Thom. hoc loco; atqui eadem eſt numero eſſentia, potentia, & æternitas in omnibus perſonis: ergo.

Philipp. 2. verſ. 6. Ioann. 10. verſ. 30. Sap. 7. verſ. 26. D. Auguſt. C D

Solutio argumentorũ.

Ad rationes verò dubitandi reſp. Ad 1. locum illum intelligendũ eſſe de humanitate Chriſti: Ità Auguſtinus lib. 1. cap. 7. de Trinitate, & lib. 2. cap. 2. & lib. 4. cap. 15. & 20. Reſpondeo 2. locum hunc intelligi poſſe de filio, non quidem præcisè, quatenus Deus eſt, ſed quatenus perſona quædam eſt originem habens à Patre: in ordine ergo ad iſtam originem quam filius accipit à Patre nihil repugnat dicere filium eſſe minorem Patre. Ità D. Auguſtinus lib. 2. cap. 2. de Trinitate, *Ex hac ergo regula*, inquit, *quia ità loquuntur Scripturæ, vt non alium alio minorem, ſed tantùm velint oſtendere quis de quo ſit, nonnulli eum ſenſum conceperunt, tamquam minor filius diceretur. Quidam autem noſtri indoctiores, & in his minimè eruditi dum hæc ſecundum formam conantur accipere, & eos rectus intellectus non ſequitur perturbantur. Quod ne accidat, tenenda eſt hæc regula, qua non minor eſt filius, ſed quòd de Patre ſic intimatur, quibus verbis non æqualitas, ſed nativitas eius oſtenditur,* & Athanaſ. in illis ferè omnibus locis in quibus agit contra Arianos. D. Auguſt. E

2. Ad 2. verò rationem dubit. Reſpond. locum illum Ioann. ſignificare tantùm perſonam filij nihil in ſe habere, quod non acceperit à Patre, non autem quòd non detur perfecta æqualitas inter Patrem, & filium; dicitur enim ibidem, *Illud omne quod fit à Patre, fieri quoque à Filio:* ac proinde in ordine ad potentiam Pater & Filius ſunt æquales.

3. Ad 3. Sunt qui putent potentiam generandi & ſpirandi eſſe in Filio & in Spiritu ſancto, non minùs quàm in patre, cetertùm potentiam generandi non generare in Filio, & in Spiritu ſancto, neque item potentiam ſpirandi in Spiritu ſancto. Ità Martil. Thom. Argentinenſis, & alij nonnulli, D. verò Thom. & ſequaces eiuſdem aiunt potentiam generandi actiuè ſpectatam eſſe in ſolo Patre, paſſiuè verò in filio: potentiam item ſpirandi eſſe in Patre & in Filio actiuè; paſſiuè verò in Spiritu ſancto ſolo.

Cetertùm reſponſiones iſtæ non ſatisfaciunt argumento, nam admittunt authores iſti ſaltem potentiam generandi, non generare in Filio, & in Spiritu ſancto, & præterea potentiam ſpirandi, non ſpirare in Spiritu ſancto, & denique potentiam generandi, & ſpirandi paſſiuè ſpectatas non eſſe in omnibus perſonis. Ac proinde videntur admittere aliquam inæqualitatem in diuinis, quod ſtare non poteſt cum ijs quæ antea diximus.

Germani authoris reſponſio.

Reſpondeo ergo perſonas diuinas dici inter ſe æquales ſecundum potentiam, eſſentiam, & durationem, non autem ſecundum actus notionales: nam nihil eſt quod dicatur habere potentiam ad illum actum, quem nec elicit, nec elicere poteſt: Filius autem & Spiritus ſanctus actum generationis nec attingunt, nec attingere poſſunt. Deinde, potentia generandi nihil aliud eſt quàm eſſentia diuina cum relatione paternitatis; at certum eſt relationem paternitatis, vt ſic, non eſſe in Filio, aut in Spiritu ſancto: ergo nec potentia generandi. Non eſt tamen negandum quin Filius & Spiritus ſanctus virtute ſaltem & eminenter habeant potentiam generandi; Nam cùm potentia generandi ſit idem realiter & formaliter cum diuina eſſentia, & diuina eſſentia contineat omnem omnino perfectionem, vel ſimpliciter ſimplicem, vel ſecundum quid; filius quoque continebit omnes iſtas perfectiones, & ex eo poterunt perſonæ diuinæ dici quodammodo æquales etiam in ordine ad actus notionales. Vide D. Thom. art. 6.

DVBITATIO SECVNDA.

An æqualitas ſit relatio realis; An verò rationis.

SCOTVS in 1. diſt. 3. quæſt. 1. quodlib. 6. putat æqualitatem eſſe relationem realem, idque quod ad relationem realem ſatis ſit fundamentum reale, & extrema realia realiter diſtincta; atqui Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt res inter ſe realiter diſtinctæ, de quibus tamen dicitur quòd ſint æquales; eſſentia item quæ eſt fundamentum iſtius æqualitatis, eſt entitas vera & realis: ergo æqualitas perſonarum diuinarum erit relatio realis.

Deinde, quod dicitur de perſonis diuinis ante omnem intellectus noſtri operationem dicit quoque perfectionem ſimpliciter ſimplicem; atqui æqualitas dicitur de perſonis diuinis ante omnem intellectus noſtri operationem, & præterea dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem: ergo dicent vt ſic relationem realem æqualitatis.

CON-

Æqualitas non eſt relatio realis. D. Thom.

CONCLVSIO. *Æqualitas non eſt relatio realis, ſed rationis tantùm.* Ità D. Thom hoc lòco, & communiter Sententiar. in 1. diſt. 31. Deinde, probatur à nonnullis: Omnis relatio quæ transfertur à creaturis ad Deum, eſt rationis; atqui æqualitas transfertur à creatura ad Deum: quia enim nos videmus in iſtis rebus creatis dari duas quantitates perfectiſſimè inter ſe æquales, deò dicimus quoque de perſonis diuinis quòd ſint inter ſe æquales, idque propter vnam & eamdem eſſentiam, potentiam & durationem, quæ in illis datur: ergo æqualitas huiuſmodi eſt relatio rationis.

Probatio 3. Ceterùm hæc ratio nititur falſo fundamento: Diximus enim Dubitat. proximè anteced. ex D. Thom. art. 1. huius quæſt. æqualitatem nedum conſequi quantitatem molis, ſed etiam virtutis; quantitas autem virtutis verè datur in diuinis perſonis. Deinde, filiatio & paternitas reperiuntur in rebus creatis; neque tamen propterea in diuinis paternitas & filiatio ſunt relationes rationis.

Probatur ergo 3. Eiuſdem ad ſeipſum non eſt relatio realis, ex D. Thom. art. 1. huius quæſt. at quando Pater, Filius, & Spiritus ſanctus dicuntur inter ſe æquales, idem dicitur de ſeipſo; nam perſonæ non diſtinguuntur ab eſſentia neque realiter, neque formaliter, nec item eſſentia à perſonis, ſed ſunt vna res ſimpliciſſima: ergo ex illis non poteſt conſurgere relatio realis.

Deindè, nulla datur relatio realis communis omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinit. atqui æqualitas eſt relatio communis omnibus perſonis: ergo non eſt realis.

Quartò, fundamentum huius æqualitatis eſt eſſentia diuina, potentia, & denique duratio; atqui eſſentia non poteſt præſcindi à relationibus; includitur enim hæc in conceptu formali relationis, vt docuimus aliàs. Confirmatur: Tota ratio cur perſonæ diuæ ſint inter ſe æquales eſt eſſentia diuina, vt author eſt D. Thom. quæſt. 35. art. 2. & 36. art. 4. ad 3. Imò ait perſonas diuinas non eſſe inter ſe æquales ſecundum relationes: argumento igitur eſt æqualitatem non eſſe relationem realem.

Denique, vna relatio nequit eſſe fundamentum alterius relationis, alioquin daretur progreſſus in infinitum; atqui perſonæ diuinæ conſtituuntur proprietatibus relatiuis: ergo proprietates iſtæ non ſunt inter ſe æquales, propter communem aliquam relationem realem, quæ in illis detur: idem eſt dicendum de relatione identitatis & ſimilitudinis, quæ dicuntur de perſonis diuinis, omnium conſenſu.

Satisfit argumentis Scoti 1. Ad rationes verò Scoti reſp. Ad 1. non eſſe ſatis ad relationem realem, fundamentum reale, & extrema realia, ſaltem ſi ſermo ſit de quibuſuis relationibus realibus; nam deſideratur vlteriùs quòd fundamentum ſit realiter diſtinctum in vtroque extremo: fundamentum autem æqualitatis, identitatis, & ſimilitudinis, quæ ſunt relationes quæ de perſonis diuinis prædicantur, non eſt diſtinctum realiter in perſonis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſed eſt vnum & idem planè numero, nimirum eſſentia diuina, ac proinde relationes iſtæ ſunt tantùm rationis.

2. Ad 2. Reſp. perſonas diuinas ante intellectus noſtri operationem eſſe æquales, tantùm fundamentaliter; datur namque eſſentia diuina, ex æquo communis omnibus; atque ideò rectè de illis accedente operatione intellectus noſtri dici poteſt quòd ſint æquales. Reſp. 2. aliud eſſe quærere, an perſonæ diuinæ ſint à parte rei æquales; & aliud, an relatio æqualitatis ſit realis. Primùm diximus eſſe concedendùm Dubit. 1. illa eadem ratione, qua ante omnem intellectus noſtri operationem dicitur Deus, Creator, & Dominus, eorum omnium quæ ſunt in hoc vniuerſo; & tamen relatio dominij & creationis non eſt realis, ſed rationis: ità æqualitas, identitas, & ſimilitudo quæ dicuntur de perſonis diuinis, ſunt tantùm rationis, licèt earum fundamentum ſit verè reale, nimirum eſſentia diuina.

DVBITATIO TERTIA.

An detur aliquis ordo inter perſonas diuinas.

Ordo inter perſonas diuinas.

CONCLVSIO *affirmatiua.* Ità D. Tho. art. 3. huius quæſt. & communiter omnes ibidem. Deinde, ordo nihil aliud eſt quàm habitudo plurium ad vnum aliquod principium; at in diuinis dantur plures perſonæ, & ſecunda reſpicit primam veluti ſuum principium, & tertia primam & ſecundam, vt eſt per ſe notum ex Scripturis.

Denique, vbi dantur primum, ſecundum, & tertium; ità vt primum nequeat eſſe ſecundum, aut tertium, & ſic de aliis, illic concedendus eſt aliquis ordo: at perſona Patris ità eſt prima, vt nullo modo poſſit eſſe ſecunda, aut tertia: filius verò ita eſt ſecunda perſona, vt nequeat eſſe prima, vel tertia: ergo inter illa datur ordo.

Dubitant tamen plerique Theologi, an hic ordo ſit coniunctus cum prioritate & poſterioritate aliqua, de qua re ſit hæc

Qua prioritas adſit natura, temporis, & cognitionis, ſed tantum cum mutatur.

CONCLVSIO. *Ordo qui datur inter perſonas diuinas non eſt coniunctus cum prioritate, vel poſterioritate originis.* Primùm, quia relata ſunt ſimul natura, tempore, cognitione & definitione: atqui perſonæ diuinæ ſunt relata. Deinde, relata ſe mutuò ponunt & tollunt.

Secunda verò pars probatur. Primùm, quia ità ſentiunt Patres, Epiphan. referente D. Thomas in epiſt. contra errores Græcorum, Nazianz. referente eodem D. Thom. Baſilius lib. 3. contra Eunomium, & innumeri alij. Epiphan. Nazianz. Baſilius.

Deinde, filius producitur à Patre per æternam generationem; Spiritus verò ſanctus à Patre & à Filio, & proceſſio Spiritus ſancti præſupponit proceſſionem filij: ergo Spiritus ſanctus erit poſterior origine filio.

Denique, Pater eſt prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, filius vero ſecunda, Spiritus ſanctus tertia: at filius eſt à Patre, & Spiritus ſanctus à Patre & à filio: ergo origine ſaltem ſunt poſteriores Patre.

DVBITATIO VLTIMA.

An vna perſona ſit in alia.

Vna perſona eſt in alia.

CONCLVSIO *affirmatiua.* Idque per circuminſeſſionem. Primùm, quia dicitur Ioann. 14. *Philippe non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* & in quodam hymno ab Ambroſio compoſito cantat Eccleſia,

Digitized by Google

In Patre totus Filius,
Et totus in Verbo Pater.

Hilarius. D. Thom. Ità Hilarius lib 7. de Trinitat. D. Thomas hoc loco, & communiter interpretes eiusdem. Accedit ratio: Quæ habent naturam positam in indiuisibili, & in impartibili sunt simul, ac proinde vnum est necessariò in alio; atqui personæ sanctissimæ Trinitatis habent vnam & eamdem numero essentiam, & licèt distinguantur inter se realiter, sunt tamen idem realiter & formaliter, cum diuina essentia: ergo vna est in alia.

Confirmatur: Eadem planè numero est essentia & existentia personarum diuinarum: ergo necessariò vna dicitur esse in alia ratione istius essentiæ & existentiæ, quæ vna & eadem numero est in omnibus personis.

Obiectio. Obiicies, si vna persona sit in alia, pater intus esset in filio, & filiatio in patre, quod tamen non potest dici, cùm filiatio & paternitas opponantur.

Solutio. Respond. relationes paternitatis, filiationis, & processionis considerari duobus modis; vel vt identificantur cum diuina essentia, vel vt concipiuntur à nobis secundum suos effectus formales quos producunt, siue, quod idem est, quatenus constituunt & distinguunt personas diuinas: priori modo concedendum est relationem paternitatis esse in filio, & contrà filiationem in patre, idque quòd hac ratione sint idem cum diuina essentia, quæ reperitur ex æquo in omnibus personis: posteriori verò modo relatio paternitatis non est in filio, nec è contrà filiatio in patre; sunt enim hæ relationes oppositæ, & producunt inter se oppositos effectus formales.

QVÆSTIO XLIII.

De missione personarum diuinarum.

Quid sit missio. CIRCA totam hanc Quæst. duo tantùm sunt obseruanda; Alterum est, missionem nihil aliud esse quàm processionem æternam personæ diuinæ, connotato aliquo effectu temporali, ratione cuius persona quæ mittitur dicitur apparere Ità D. Thom. art. 1. huius quæst. Deinde, id ipsum probatur ex Hilario lib. 9. de Trinitat. ad hæc verba Ioann. 16. *Exiui à Patre, & veni in mundum*, Gregorio homil. 26. in Euangelia, ad hæc verba: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, Beda lib. 2. homil. homilia 2. quæ est ad dominicam 1. post Ascensionem Domini. Tertiò probatur ratione, antequam autem id fiat.

Hilarius. Ioann. 16. vers. 28. Gregor. Ioan. 20. vers. 21.

Notabile. Aduerte, non esse de ratione missionis, quòd procedat ab alio substantialiter, aut etiam à mittente; nam Paulus v. g. mittitur à principe suo per verum imperium, quod habet in illum, etiam si Paulus non procedat à principe substantialiter. Est tamen de ratione processionis diuinæ personæ, vt illa persona quæ mittitur substantialiter procedat ab ea à qua mittitur. Hoc ità constituto, probatur: Missio in diuinis nihil aliud est quàm exitus siue egressus missi à mittente; at exitus siue egressus in diuinis est tantùm secundum originem: ergo vna persona potest mitti ab alia. Confirmatur: Missio aut est à loco in locum, quod fit consilio, aut imperio, aut alio modo; at missio secundum locum non potest affirmari de diuinis personis: ergo admittenda est missio secundum originem: ergo missio in diuinis dicit originem vnius personæ ab alia cum effectu aliquo temporali, secundum quem persona illa diuina dicitur apparere.

Obiectio. Dices, personam quæ mittitur non incipere esse nouo modo in creatura ex vi suæ processionis, sed ratione effectus quem tota Trinitas operatur: ergo processio secundum originem non potest esse de ratione missionis.

Solutio. Respond. effectum temporalem non omnino coniungi per accidens processioni æternæ, neque per accidens omnino eamdem comitari; nam effectus hic coniungitur huic processioni, quasi per se; quemadmodum enim persona quæ procedit ab alia accipit ab ea potentiam secundum quam exteriùs operatur effectum, & ratione cuius incipit esse nouo modo in creatura: ità quoque videtur esse de ratione missionis processio vnius personæ ab alia cum effectu temporali, secundum quem apparet persona.

Quomodo est facta missio temporalis. Alterum est, missionem istam temporalem factam fuisse interdum visibili quadam specie, interdum verò sinè vlla specie sensili; ac proinde prima illa dicitur visibilis, hæc verò dicitur inuisibilis. Priori modo dicitur filius missus à Patre, Ioann. 16. *Exiui à Patre, & veni in mundum.* ad Galat. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deum filium suum.* Gal. 4. ℣. 4.

Deinde, missio filij facta est in specie veri hominis, Ioann 1. *Et Verbum caro factum est.* Luc. 24. *Palpate & videte quoniam Spiritus carnem & ossa non habet.* missio item Spiritus sancti dicitur visibilis, Actorum 2. *Et apparuerunt illis dispertita lingua, tanquam ignis, sedit-que supra singulos eorum*, & Ioann. 1. dicitur de illo, quòd descenderit super Christum in Iordane in specie columbæ quando à Ioanne Baptista fuit baptizatus, & alibi dicitur apparuisse in specie nubis, aliàs in specie flatus. Ioann. 1. vers. 14. Luc. 24. vers. 39. Act. 2. ℣. 3 Ioann. 1. vers. 32.

Sunt autem qui dubitent, an apparitiones istæ factæ fuerint in specie veræ columbæ, & naturalis, & item in specie veri ignis. Aliqui putant non fuisse verum ignem, sed tantùm apparentem, cui opinioni fauet Scriptura dum ait: *Et apparuerunt illis dispertita lingua tanquam ignis.* particula autem, *Tanquam*, videtur significare non verum ignem, sed apparentem: Ità docet D. Augustinus epist. 102. licèt de hac eadem re dubitet lib. 2. de Trinitat. cap. 6. D. August.

Deinde, idipsum suadet ratio: nam si fuerit verus ignis debuit Deus sua omnipotentia impedire actionem huius ignis, idque ne adurerentur Apostoli; hoc autem non videtur dicendum, neque enim multiplicanda sunt miracula sinè necessitate. Alij tamen secus sentiunt, neque carent suis fundamentis.

De Columba autem, existimant quidam non fuisse verum animal, sed tantùm apparens. Ità Ambrosius lib. 1. de sacrament. cap 5. lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 4. Chrysost. hom. 4. Ambros. Chrysost.

D. Thom. in Matth. Lyran. ad cap. 3. Matth. D. Thom. in 1. diſtinct. 16. art. 3. quæſt 1. Ægidius, Durand. Caiet. Bartholo. Torrez, & videtur colligi ex verbis Euangelij, Luc. 3. Matth. 3. *Sicut columba*, Marc. cap. 1. *Tamquam Columba*. & Ioan. 1. *Quaſi Columba*.

Contraria tamen ſententia defenditur à D. Auguſtino: ait enim columbam fuiſſe verum animal de nouo productum à Deo, cap. 22. de agone Chriſtiano, Anſelmo ad cap. 3. Matth. D. Thom. 3. part. quæſt. 39. art. 7. & pleriſque alijs recentioribus. Vide plura apud D. Thom. per totam hanc Quæſt. quæ octo habet Articulos.

QVÆSTIO XLIV.

De proceſſione creaturarum à Deo.

ARTICVLVS PRIMVS.

An neceſſarium ſit omne ens eſſe creatum à Deo.

PEractis his quæ ad Deum in ſe ſpectatum pertinebant, incipit iam tractare de eodem, quatenus ad extra ſeſe cõmunicat, & eſt principium omnium rerum, oſtendens quomodo ſolus ipſe ſit mundi conditor, cauſa exemplaris & finalis ceterorum omnium. Hæc autem Quæſtio quatuor habet Articulos.

In 1. Docet D. Thomas res omnes eſſe à Deo productas.

In 2. Materiam primam eſſe creatam.

In 3. Deum eſſe cauſam.

In vltimo, Deum eſſe finem rerum omnium.

Hæreſes varię. Ex iſtis autem ſolus primus Articulus videtur habere aliquid difficultatis, idque ob varios & diuerſos errores quos docuerunt Hæretici de reb' iſtis creatis. Manes enim voluit duas eſſe ſeries & coordinationes rerum, bonarum ſcilicet & malarum; ac proinde bonas à principio bono, malas verò à principio malo traxiſſe originem, vt docet Epiphanius, hæreſi 66. & D. Auguſt. hæreſi 23. Idem docuerat antea Apelles, vt refert Auguſt loco cit. & Epiphan. hæreſi 44. Epiphan. D. Auguſt.

Simon verò Magus referente Irenæo lib. 1. contra hæreſes, cap. 20 & 21. Epiphan. hæreſi 90. Theodor. lib. 1. hæreticarum fabularum, cap 3. Tertulliano lib. de præſcriptionibus contra hæreticos, cap. 46. tenuit Angelos eſſe à ſeipſis, mundum verò hunc eſſe ab Angelis procreatum. Saturniliani etiam docuerunt Angelos eſſe à Deo procreatos, mundum verò à ſeptem Angelis, vt authores ſunt Theodor. Tertul. loco cit. ſubſcripſerunt & iſtis Carpocrates, Cherintus, & Gnoſtici, vt refert Epiph. hæreſi 17. & 18. contra hæc omnis ſit

Omnia à Deo creata. Conclvsio. *Concedendum eſt de rebus iſtis omnibus, quòd ſint à Deo procreatæ.* Primũ, quia dicitur in ſacris litteris Deum creaſſe cœlum & terrã. Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, &c. nomine autẽ cœli ſignificantur res omnes cœleſtes & ſpirituales; nomine verò terræ res omnes ſenſiles, vt docent communiter Patres ad hunc locum, & Eccleſ. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*. Deinde, dicitur in ſacris litteris quòd fecerit omnia. Ioann. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil:* at hęc ſunt à Deo per creationem, idque vel proximè vel remotè; quoniã dicitur in Scriptura de rebus iſtis omnibus quòd ſint à Deo productę ex nihilo, 2. Machab. cap. 7. *Aſpice nate ad cœlum, terram, & maria*, &c. & Iſaiæ 41. *Ecce vos eſtis ex nihilo*. Tertiò, probatur ex Symbolis Concilij Nicæni, & Conſtantinop. & Apoſtolorum, & Athanaſij, ex Concilio Lateranenſi etiam ſub Innocent. III. & refertur in cap *Firmiter*, & in cap. *Damnamus* de ſumma Trinit. & fide Catholica. Quartò, ex Patribus, D. Auguſtino lib. 1. de Genet. ad litteram, cap. 1. *Hanc ergo Trinitatem dici vnum Deum, cúmque feciſſe & creaſſe omnia quæ ſunt, in quantum ſunt Catholica diſciplina dici iubet: ità vt creatura omnis ſiue intellectualis, ſiue corporalis, ſiue inuiſibilis, ſiue viſibilis, à Deo ſit facta de nihilo.* Tertulliano lib. de præſcriptionibus contra hæreticos. Lactantio lib. 2. diuinarum inſtitutionum, cap. 9. Ambroſ. lib. 1. Hexamer. Origene, apud Euſebium lib. 7. de præparatione Euangelica, cap. 8. Denique ratione: Omnis creatura, ſiue ens per participationem pendet ab ente quòd eſt per ſe, idque vel per emanationem, vel per generationem, vel per creationem; non enim dantur plures rerum productiones: at res iſtæ non ſunt à Deo per emanationem; ità enim eſſent proprietates quædam diuinę eſſentiæ; neque item per generationem, quoniam id eſt ſimile generanti ſecundum ſpeciem, ex illa definitione communi, generatio eſt productio viuentis à viuente coniuncto, cui ſimilis eſt in natura ſaltem ſpecifica: ergo res iſtæ erunt à Deo per creationem.

Confirmatur. Entia finita ſiue participata nequeunt eſſe à ſeipſis, neque enim fieri poteſt, vt id quod habet eſſe finitum & determinatum reuocet ſeipſum ad eſſe, cùm nihil ſit quod ſeipſum producere poſſit, cauſa enim & effectus diſtinguuntur inter ſe realiter; ergo res iſtæ quæ ſunt extra Deum pendent neceſſariò à Deo, cùm ſolus Deus ſit ens independens ab alio, & ſimpliciter neceſſarium. Deinde, diximus ex ſacris litteris ea quæ ſunt in naturæ vniuerſitate computari inter effectus Dei; at omnis effectus pendet à ſua cauſa: ergo & res omnes à Deo.

Cùm autem diximus, de rebus iſtis creatis concedendum eſſe quòd ſint neceſſariò à Deo, id non eſt ità intelligendum, quaſi velimus affirmare Deum voluiſſe neceſſariò producere res iſtas: non enim hoc defendi poteſt, cùm Deus ſit quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extra, ac proinde concedendum de Deo quòd liberè res iſtas produxerit.

Concluſio ergo noſtra intelligenda eſt de creaturis iſtis, ità vt ſenſus ſit, creaturas dicere neceſſariam dependentiam à Deo, ità vt nequeant iſtæ eſſe aut produci niſi dependenter à Deo, tamquam cauſa efficiente & conſeruante.

QVÆSTIO XLV.

De modo emanationis rerum à primo principio.

ARTICVLVS PRIMVS.

An creare sit aliquid ex nihilo facere.

POSTVLAT hic Articulus explicationem illius difficultatis, in qua quæritur; Quid sit creatio. Ratio dubitandi est, quia creatio in sacris litteris dicitur de homine qui iustificatur, vt manifestè colligitur ex Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* & Psalm. 103. *Emittes Spiritum tuum & creabuntur.* & ad Ephes. 2. *Creati in bonis operibus.* & Coloss. 3. *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis; & inducentes eum, qui* &c. & ex illo: *Veni creator Spiritus*, at iustificatio definitur communiter, transitus à statu peccati in statum gratiæ; ergo creatio saltem ex sacris litteris nihil aliud erit quàm hominis impij re nouatio.

Psalm. 50. vers. 12. Idem 103. vers. 30. Ephes. 2. vers. 10. Col. 3. v. 9.

Deinde, creare, in sacris litteris idem est quòd generare, Ecclesiastici 24. *Et qui creauit me, requieuit*, &c. & rursus. *Ab initio & ante secula creata sum*; at testimonia hæc intelliguntur ad litteram de secunda persona Trinitatis, quę est propriè genita ex Symbolo Athanasij: ergo creatio erit generatio.

Eccles. 24. v. 12. & 14.

Creatio est ex ambito productus.

CONCLVSIO. *Creatio propriè est productio totius entis ex nihilo.* Primùm, quia ità sentiunt Anselmus in Monologio, cap. 6. & 7. Damasc. lib. 2. de fide, cap. 2. D. Thomas hoc loco, & Magister in 2. distinct 1.

Deinde, idipsum colligitur ex locis Scripturę in quibus dicitur Deum fecisse omnia ex nihilo, 2. Machab. 7. & Isaiæ 41.

Tertiò, per particulas istas, *ex nihilo*, separatur creatio à generatione, emanatione, & à quibusuis alijs productionibus; nam generatio & emanatio præsupponunt subiectum; creatio autem nullum planè admittit.

Denique, quod generatur, & item quod per emanationem producitur, non necessariò secundùm illud omne quod in eo datur producitur; nam materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis, quæ tamen datur in omni re creata genita. Per particulam verò, *productio*, conuenit creatio cum generatione emanatione, & denique cum processionibus diuinis; tam enim verè istæ sunt productiones, quàm creatio; ac proinde fatentur authores proximè citati productionem esse genus ad creationem, non quidem synonymum, sed analogum; neque enim fieri potest vt aliquid dicatur de Deo & de creaturis synonymè ex veriori doctrina Philosophorum: particula item, *ex nihilo*, significat terminum à quo creationis, non quidem positiuum sed negatiuum, ità vt terminus à quo creationis sit purum nihil, non autem subiectum aliquod, quod de facto maneat in re creata.

Ex istis colliges, minùs verè sentire eos qui putant particulam, *ex nihilo*, dicere negationem durationis respectu rei quæ creatur. Primùm, quia nouitas essendi non est de ratione creationis. Deinde, quia fatetur D. Thom. & interpretes eiusdem multi ad quæst. 46. huius partis, Deum potuisse producere mundum ab æterno. Tertiò, creatio videtur tantùm dicere ordinem vnius ad alium, vel secundum nostrum modum concipiendi, vel certè ordine naturæ. Quartò, productio non repugnat rebus æternis, vt constat ex productionibus Filij & Spiritus sancti: ergo res creata non necessariò dicit negationem durationis.

Corollaria.

Ex istis etiam colliges nequaquam verum docere eos qui putant res creatas non præsupponere, sed abijcere esse obiectiuum, ideale & potentiale. Primùm, quia omne agens per intellectum antequàm aliquid producat extra se, fingit sibi aliquod simulachrum ad cuius imitationem suum opus perficit; atqui Deus creando censetur esse agens per intellectum.

Confirmatur. Diximus quæst. 15. huius partis, Deum produxisse res quaslibet ad imitationem suarum idearum. Deinde, priùs est rem aliquam esse in esse potentiali & obiectiuo, quàm de facto extra suas causas; at res creatæ fuerunt verè productæ: ergo prius quoque fuerunt in esse obiectiuo & potentiali. Denique, qui videt, videndo non deserit potentiam videndi, vt est per se notum; ergo qui creat non abijcit etiam à se vel potentiam creandi, vel ideas ad quarum imitationem creat res istas; licet autem creatio supponat esse ideale obiectiuum & potentiale creaturarum, non tamen præsupponit hæc tria vel tamquam terminum à quo, vel denique tamquam partem quæ de facto remaneat in re creata. Primùm, quia quando habet terminum ad quem, abijcitur terminus à quo; licèt autem creatura de facto sit product, non tamè propterea deserit esse obedientiale, potentiale, & obiectiuũ creaturarũ. Deinde, terminus ad quem creationis, est ipsamet res creata, non autem tria proximè explicata. Denique, creatio respuit subiectum omne ex quo res creata producatur, imò habet pro termino à quo nihil: ergo tria proximè explicata nequeunt esse partes rei creatæ.

Solutio argument.

Ad rationes autem dubitandi. Resp. Probare tantùm creationem impropriè dictam enunciari & de hominis impij iustificatione, & de generatione æterna Verbi diuini, & item de productionibus rerum istarum creatarum, non autem creationem propriè dictam: hæc enim est productio totius entis ex nihilo, idque proximè & immediatè.

ARTICVLO 2. Quærit D. Thomas, an Deus possit aliquid creare. Respondet affirmatiuè, de qua re nulla potest esse dubitatio, cùm quæst. 25. huius partis dixerimus Deum esse omnipotentem, & quæst. 44. docuerimus res omnes creatas necessariò esse à Deo Optim. Maxim.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

An creatio sit in re creata.

Circa hunc Articulum sit,

DVBITATIO VNICA.

An creatio sit actio.

Pars negãs suaderur. 1. SVNT qui putent partem affirmantem esse indubitatam. Primùm, quia creatio vel est actus quo Deus intelligit, & vult creaturas producere, vel relatio qua creatura refertur in Deum, tamquam in suam causam efficientem, vel denique actio: Primum, dici non potest, quia actus hic in Deo est principium productiuum creaturarum: neque item secundum, quia omnis relatio est posterior suo fundamento: imò cùm creatio sit via qua producitur creatura saltem secundum nostrum modum concipiendi, creatio non erit relatio, deberet enim hæc esse posterior creatura, & tamen est prior, cùm per eam creatura producatur: superest ergo vt sit actio.

2. Deinde, creatio est via, tendentia & fluxus aliquis, quo creaturæ producuntur à Deo, atqui fluxus hic est à Deo quatenus creans est, & recipitur aut identificatur cum creatura quatenus patiens est; ergo erit actio: nam actio est id quod exit ab agente, quatenus agens est, & recipitur in patiente, quatenus patiens est.

3. Tertiò, dicitur de Deo in sacris litteris, quòd creet, *Genes. 1. Sap. 8.* at creare nihil aliud videtur esse quàm agere, vel producere.

4. Quartò, omnis creatura dicit relationem ad Deum: at non potest dici quod sit fundamentum illius relationis, nisi creatio sit actio: ergo est actio.

Vltima. Denique, quod collocatur in categoria actionis est actio, at creatio eodem habet in categoria actionis: ità Suarez disp. 20. suæ Metaph. sect. 5. num 19. & multi recentiores.

Creatio non est actio. CONCLVSIO 1. *Creatio non est actio propriè.* Primò, quia si est actio, vel est immanens vel transiens: non primum, quoniam actio immanens recipitur in illo subiecto à quo exit; at creatio non recipitur in Deo tamquam in subiecto; tum quia Deus est incapax receptionis alicuius de nouo; tum quia creatio identificatur cum re creata ex omnium doctrina. Neque item secundum, nam omnis actio transiens cum sit accidens præsupponit subiectum in quo recipiatur; creatio autem excludit omne subiectum, ex dictis artic. 1. huius Quæstionis.

Effugium aduersarior. Respondent authores contrariæ sententiæ, creationem identificari perfectissimè cum re creata, ac proinde non præsupponere subiectum aliquod varium & diuersum ab ipsa creatura.

Præcluditur. Ceterùm responsio hæc merum effugium est: Primùm, quia fatentur authores isti creationem esse actionem propriè dictam, & per eam produci creaturam, vnde cùm omnis actio præsupponat subiectum (est enim hæc accidens) debent assignare authores isti quodnam sit illud subiectum in quo recipitur hæc actio, per quam creatura producitur. Deinde, omnis actio prò priè dicta est mutatio, at mutatio præsupponit idem subiectum in vtroque extremo: ergo & creatio.

Probat 2. Conclus. Secundo probatur Conclusio. Si creatio esset actio propriè dicta, sequerentur dari varias & diuersas actiones de lege communi sinè vllo planè subiecto; nam fatentur omnes, animas rationales de nouo creari: plerique item Theologi concedunt Deum producere materiam, idque ex nihilo in illo instanti in quo corrumpuntur species consecratæ, vt is qui species consecratas sumpsit nutriatur: at absurdum est fateri actiones istas, cùm sint accidentia, esse sinè subiecto de lege communi: ergo creatio non est actio proprie dicta.

Respondent aliqui ex authoribus 1. sententiæ, non esse absurdum fateri aliquod accidens esse sinè subiecto, etiam de lege communi.

Infirmatur responsio cõtrariorum. Ceterùm responsio hæc parum philosophica est: Primùm, quia Porphyrius definiuit accidens, id quod adest & abest subiecto, præter subiecti interitum.

Deinde, quia accidens definitur entis ens ab Aristotele: imò addit, inesse esse dede ratione accidentis.

Tertiò, loco summi miraculi ducunt Theologi accidentia in augustissimo Eucharistiæ Sacramento esse sinè subiecto.

Denique, Suarez, & alij ferè omnes concedunt creationem identificari perfectissimè cum re creata, imò concedit nobiscum creationem non esse accidens, sed substantiam.

3. Tertiò, si quæ esset ratio propter quam diceremus creationem esse actionem, hæc esset maximè, quòd sit productio qua verè & de facto aliquid producitur: at hæc ratio est planè insufficiẽs, nam in diuinis datur productio Filij & Spiritus sancti, & tamen nulla istarum productionum est actio, vt diximus in superioribus vbi de Trinit. ergo cùm aliqua detur productio in diuinis quæ non est actio, quid mirum si in rebus creatis detur etiam aliqua productio quæ non sit actio? huius autem generis est creatio.

Creatio est idem cum re creata. CONCLVSIO 2. *Creatio non est res aliqua distincta realiter à creatura.* Primùm, quia quæ distinguuntur realiter, separatim saltem per omnipotentiam Dei existere possunt, at creatio per nullam potentiam separari potest à re creata: ergo non distinguitur realiter ab illa.

2. Deinde, relatio transcendentalis est idem realiter cum suo fundamento; at creatio est relatio transcendentalis: ergo est idem cum creatura.

3. Tertio, non desunt qui putent omnem omnino relationem categoricam esse idem realiter cum suo fundamento.

4. Denique, creatio eodem planè modo se habet ad rem creatam, quo calefactio ad calorem productum, ceteris tamen paribus; at calefactio non distinguitur realiter à calore producto: ergo neque creatio à re creata. Ità sentiunt Marsilius in 1. quæst. 32. artic. 2. Conclus. 2. Canatiensis art. 2. quæst. 28. 1. partis D. Thomæ, & Maior in 2. dist. 30.

Obiectio. Dices, quodlibet accidens distingui realiter à suo subiecto; creationem autem esse accidens.

Solutio. Respond. Negando minorem; quia accidens distinguitur ex natura rei à suo subiecto, creatio autem identificatur perfectissimè cum re creata.

Deinde, accidens aduenit enti in esse constituto, creatio autem non aduenit rebus creatis, sed est simul cum re creata.

Digitized by Google

Tertiò, quia accidentia saltem sensilia pendent à materia, creatio autem non pendet à subiecto.

Replica. Instabis, creaturam posse separari à creatione per omnipotentiam diuinam, illa eadem ratione qua communiter fatemur mures generari actione Solis interdum, aliàs verò generari à sibi similibus.

Dissoluitur. Respond. negando antecedens. Ad probationem autem dico probare tantùm rem quæ creatur posse per omnipotentiã Dei alia ratione produci, quod nos vltrò fatemur, licèt enim tres tantùm dentur productiones rerum creatarum, generatio, emanatio & creatio; nihil tamen repugnat quominus dentur aliæ, data enim qualibet re creata, potest Deus producere perfectiorem; ac proinde alijs omnino modis variis & diuersis à creatione, generatione & emanatione, præsertim, cùm sit res maximè pia plura Deo adscribere quàm possit mens humana capere.

Creatio est relatio realis transcendētalis. Conclvsio vltima. *Creatio est relatio realis non quidem categorica, sed transcendentalis.* Prima pars Conclusionis probatur: Ad relationem realem satis est fundamentum reale, & extrema realia, at fundamentum creationis est reale: hoc enim est ipsamet creatura prout est tali modo à Deo producta; extrema quoque sunt realia, creatura enim refertur in Deum qui verè est aliquid reale, quemadmodum & ipsa creatura: ergo creatio est relatio realis. Deinde, relatio effectus ad causam, est realis; at relatio creaturæ quæ refertur in Deum est relatio effectus in suam causam: ergo est realis. Ità sentiunt Ferrariensis lib. 2. contra gentes, Capreol. in 2. dist. 1. quæst. 2. Richardus, Durandus, & Gregorius Ariminensis quæst. 6. distinct. proximè citat. lib. 2.

Secunda verò pars Conclusionis probatur: Primùm, quia omnis relatio categorica est accidens; at creatio non est accidens ex dictis. Deinde, omnis relatio categorica realis habet extrema quæ pendent à se inuicem, ità vt mutuò se ponant & tollant; at extrema creationis non possunt pendere à se inuicem; Deus enim est extremum vnum creationis, hic autem nequit vlla ratione pẽdere à creatura cùm sit primũ ens: ergo non est illa actio creatiua relatio realis categorica.

Satisfit rationibus dubitandi. Ad rationes verò authorum 1. sentent. Ad 1. Resp. Probare quidem actum quo Deus intelligit, aut vult creaturas producere, non esse creationẽ quod non fatemur vltrò; minimè verò creationem non esse relationem: ad id verò quod subiungitur in Articulo omnem relationem esse posteriorem suo subiecto. Resp. Id esse verum si sermo sit de relationibus categoricis: istæ enim aduenium rebus constitutis in suo esse, saltem prioritate naturæ; in relationibus tamen transcendentalibus falsum est, vt manifestè colligitur ex respectu qui datur in accidentibus ad substantiam; hic enim ità coniunctus est cum accidente, vt impossibile sit dari accidens quin hunc dicat respectum, & habitudinem.

2. Ad 2. resp. Creationem concipi quidem à nobis veluti fluxum & tendentiam aliquam mediam inter Deum & rem creatam, per quam producitur creatura; à parte tamen rei nullus datur huiusmodi influxus medius, sed res ipsa quæ creatur est creatiq actiuè & passiuè: priori quidem modo, quatenus hæc est à Deo creante; posteriori verò modo, vt hæc est à Deo iam creata.

3. Ad 3. Creare, non est propriè agere sed producere; ac proinde cũ docuerimus dari productionẽ aliquam quæ non est propriè actio: ità quoque dicendum erit creationem esse productionem, non verò actionem propriè dictam.

4. Ad 4. resp. Relationem creationis fundari non quidẽ in actione aliqua propriè dicta; nulla enim talis datur in creatione, sed in ipsamet creatura, vt constat ex responsione ad 2.

Vltim. Ad vlt. resp. Creationem non habere sedem in categoria actionis, sed idem esse iudicium de creatione quod de relationibus trãscendẽtibus, aut certè reuocari creationem ad categoriam substantiæ, idque quòd terminus illius in hac categoria collocetur.

ARTICVLVS QVARTVS.

An creatio sit rerum per se subsistentium, siue compositorum.

Argumẽta pro parte negatiua. RATIO dubitandi. Prima: fides, spes, charitas, lumen gloriæ, & alia dona ordinis supernaturalis per se infusa creantur, vt colligitur ex illo Dauidis, Psalm 50. *Cor mundum crea*, &c. & ex illo: *Emittes Spiritum tuum & creabuntur.* Imò non desunt qui putent accidentia ista propriè creari: ità Bonauent. in 2. distinct. 26. Richardus ibidem, & Scotus dist. proximè citata lib. 4. Gabriel, Capreolus, & Conradus ad 1.2. D. Thomæ quæst. 112. at ista nec sunt res compositæ substantiales, nec res per se subsistentes: ergo creatio non est rerum subsistentium. 1.

Deinde, anima rationalis creatur; at hæc nec est compositum substantiale, nec completè per se subsistit, alioqui sequeretur hominem esse ens per accidens cùm constaret ex duobus entibus per se completis: ergo. 2.

Denique, omne compositum substantiale consurgit ex materia & forma; ac proinde fit ex partibus sese mutuò actuantibus: ergo minimè creatur compositum substantiale, cùm creatio excludat omne subiectum. 3.

Conclvsio 1. *Qualibet substantia spiritalis completa & item incompleta proximè & immediatè creatur.* *Substantia spiritalis creatur.* Primùm, quia sunt qui putent locum hunc Genes. cap. 1. *In principio creauit Deus cælum*, &c. intelligendum esse de substantijs spiritalibus.

Deinde, creatio est productio totius entis ex nihilo: at quælibet res spiritalis fit ex nihilo, saltem si sit substantia.

Tertiò, res istæ nec in esse, nec in fieri, nec in conseruari pendent à materia, vt constat ex Angelis qui simpliciter sunt incorporei, vt probabitur suo loco: ergo creantur.

Obiectio. Dices, animam rationalem non priùs produci quàm organa corporis humani sint dispositi ad eius receptionem, & item animam non posse quidquam operari, nisi dependenter à corpore, ex doctrina Aristotelis, qui propterea docet animam senescere in corpore: ergo non creatur hęc proximè & immediatè.

Solutio. Resp. Animam non prius creari, quàm organa corporis humani sint sufficienter aptata ad eius receptionem, idque quòd anima sit forma corporis humani: vnde cùm omnis forma naturalis antequàm recipiatur in subiecto præsupponat dispositiones aliquas, quæ tenent se ex parte subiecti:

Digitized by Google

Ctiſitâ illud idem erit dicendũ de anima rationali. Ad id vero quod ſecũdo loco dicitur animam nõ poſſe quidquam operari, niſi cum dependentia à corpore humano. Reſp. Hoc eſſe tantùm verum de anima, prout eſt in corpore; nam abſolutè & ſimpliciter poteſt hęc aliqua operari ſinè vlla dependentia à corpore: religio ſiquidem docet animas ſeparatas à corpore ſtatim repetere cœlos, & ibi frui aſpectu diuino, ſi tamen plenè ſatisfecerint pro peccatis, vt conſtat ex illo Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo* & 1. Corinth. 5. & alibi, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Deinde, docet eadem fides Catholica animas rationales eſſe immortales, ac proinde ſubſiſtere ſaltem incompletè per ſe. Ad id denique, quod dicitur tertio loco animam ſeneſcere in corpore. Reſp. Hæc non eſſe intelligenda de illa præcisè ſumpta, cùm ſit immortalis & incorrupribilis, ſed de anima prout pendet ab organis ſenſilibus; hæc enim verè ſeneſcunt cum corpore, ac proinde minùs ſunt apta in tempore futuro ad ſuas actiones exercendas quàm eſſent antea: licèt anima in ſe viciſſitudines iſtas abſolutè loquendo non experiatur, ſed tantùm vt coniungitur cum corpore.

Luc. 23. ℣ 43. Philip. 1. ℣. 23.

Aduerte, autem animam habere ſubſiſtentiam incompletam per quam ſubſiſtit, vbi eſt à corpore ſeparata, alioqui creari non poſſet, cum creatio terminetur ad rem per ſe ſubſiſtentem.

Formæ mixtorum non creantur.

Conclvsio 2. *Formæ mixtorum & elementorum minimè creantur, ſaltem proximè & immediatè.* Primùm, quia educuntur iſtæ ex potentia materiæ, & quia pleræque ex iſtis ſunt diuiſibiles, vt conſtat ex formis omnium ferè reptilium. Secundo, ſunt iſtæ fere ſenſiles & præſupponunt ſubiectum ex quo educuntur. Tertio, formæ quorumcumque mixtorum congenerantur: ergo nequaquam creantur.

Accidentia non creantur.

Conclvsio 3. *Nulla forma accidentalis creatur.* Primùm, quia pendet in eſſe, fieri & conſeruari à ſuis ſubiectis. Deinde, quia educitur ex potentia ſubiecti. Tertiò: ſi ſit accidens proprium fluit ab eſſentia, ſi verò commune, recipitur aut in toto compoſito, aut in aliqua eius parte. Denique, quæ creantur ſecundum ſe tota producuntur, idque ex nihilo: accidens autem intrinſecam dicit dependentiam ad tuum ſubiectum, ità vt ſinè hoc ordine intelligi non poſſit: ergo nulla forma accidentalis creatur.

Formæ mixtorum creari poſſunt.

Conclvsio 4. *Nihil repugnat quominùs formæ quorumũque mixtorum, & item elementorũ creentur à Deo proximè & immediatè* Primùm, quia formæ iſtæ ſunt abſolutæ, nec aliæ ab alijs pendent neceſſario; at poteſt Deus quodlibet abſolutum producere, ſine vllo planè ſubiecto: ergo & illas formas. Deinde, quidquid poteſt Deus mediis cauſis ſecũdis, poteſt etiã ſe ſolo, ſaltem in genere cauſæ efficientis: at poteſt Deus mediis cauſis ſecundis, & præſuppoſito aliquo ſubiecto producere quaſlibet formas mixtorum: ergo poterit etiam ſinè vllis cauſis has eaſdem producere.

Obiectio. Dices, Deum non poſſe ſupplere cauſam materialem, & ſubiectum habere rationem cauſæ materialis reſpectu cuiuſlibet formæ naturalis: ergo non poterit Deus producere formas naturales ſinè ſubiecto.

Solutio. Reſp. ſubiectum in generatione naturali eſſe quid ſimpliciter neceſſarium, ac proinde non poſſe eius neceſſitatem ſupplere Deum in generatione; ſecus tamen accidit in creatione: diximus enim creationem eſſe productionem totius entis ex nihilo, quare licèt nequeat aliquid generari ſinè ſubiecto; poterit tamen aliquid creari ſinè vllo planè ſubiecto. Deinde, ſubiectum non cenſetur eſſe materia ſiue cauſa materialis, reſpectu formæ quæ producitur, ſed reſpectu compoſiti quod vere generatur; hoc enim coaleſcit ex materia & forma ſimul iunctis, veluti ex duabus partibus quarum vna actuatur ab altera. Rurſus, poteſt Deus conſeruare accidens ſinè ſubiecto, vt conſtat in Sacramento Euchariſtiæ: ergo poterit etiam à fortiori producere formam alicuius mixti aut elementi ſinè dependentia ab aliquo ſubiecto. Demum, anima rationalis tam propriè & intrinſecè eſt forma corporis humani, quã ſint formæ cuiuſlibet alterius mixti; at de facto producit Deus animam rationalẽ per veram creationem: ergo idem poterit in ordine ad reliquas omnes formas mixtorum.

Supernaturalia non creantur. D. Thom.

Conclvsio 5. *Fides, Spes, Charitas & Dona ſuperaturalia dona ordinis ſupernaturalis non creantur.* Primùm, quia creatio terminatur ad rem per ſe ſubſiſtentem, ex doctrina D. Thom. hoc loco, & Sententiariorum in 1. diſtinct. 2. paucis tamen exceptis; at res iſtæ non per ſe ſubſiſtunt, cùm ſint accidentia: ergo non creantur.

Deinde, accidentia iſta ſupernaturalia educuntur ex potentia obedientiali animæ, vt pluribus alibi demonſtrabitur.

Tertiò, pendent hæc ità à ſubiecto, vt ſinè eo nullus ſit futurus eorum vſus; quis enim eſſet vſus v. g. luminis gloriæ, niſi hoc locaretur in intellectu, cùm ex ſe & ex ſua natura nihil ſit aliud quàm poteſtas videndi diuinam eſſentiam vt in ſe eſt? ergo, &c.

Quartò, res creata nequit eſſe inſtrumentum creationis, ſaltem ex doctrina S. Thomæ art. 5. huius Quæſtionis; at ſacramenta producunt gratiam, ex doctrina Conc. Trid. ſeſſi. 7. can. 1. ergo non producuntur per creationem.

Quæſtio ſaltem congenerentur? Reſoluitur.

Quæres, *An ſaltem iſta dona concreentur, aut* Reſp. *Negatiuè*, Primùm, *mouetur &* quia ea tantùm concreantur quę ad productionem rei quæ per ſe creatur producuntur; at quãdo, fides, ſpes, charitas & alia dona ordinis ſupernaturalis producuntur, nihil eſt quod per ſe creetur, vt conſtat ex iuſtificatione impij; huic enim conferuntur gratia & alia nonnulla dona ordinis ſuperhaturalis, & tamen nihil eſt quod per ſe creetur quando impius iuſtificatur: igitur non concreantur. Deinde, ea congenerantur quæ producuntur ad productionem illius rei quę per ſe generatur; at quando Deus infundit fidem, ſpem, &c. nihil eſt quod per ſe generetur; generatio ſiquidem terminatur ad rem completam, idque in certa aliqua ſpecie: ergo non congenerantur.

Dico igitur, dona iſta educi ex potentia obedientiali animæ rationalis: ità communiter omnes in diſp. de gratia, & in 2. diſt 1. Deinde, fides, ſpes, charitas, &c. pendent in eſſe, fieri, & conſeruari à ſubiecto in quo recipiuntur. Item nullam præſupponunt diſpoſitionem ad hoc vt recipiantur in ſubiecto, ſaltem ſi ſermo ſit de paruulis, & de primo dono ordinis ſupernaturalis, quod recipitur in nobis; hæc enim eſt ratio recipiendi ſe & recipiendi alia, illa eadem ratione qua diſpoſitio prima ordinis naturalis dicitur ratio recipiendi ſe, & dicitur etiam ratio recipiendi alia omnia à ſe.

Nullum compositum creatur.

CONCLVSIO VLTIMA. *Compositum naturale nullum proximè & immediatè creatur.* Primùm, quia quælibet composita naturalia generantur, illius nanque est generari, cuius est esse, ex Aristot. atqui esse est actus compositi naturalis, vt est per se notum: ergo & generari. Deinde, quod creatur proximè & immediatè fit ex nihilo, quælibet composita naturalia fiunt ex materia & forma: ergo & fiunt ex nihilo.

Satisfit rationibus dubitandi. 1.

Ad rationes verò dubitandi resp. Ad 1. gratiam, & alia dona ordinis supernaturalis creari impropriè, non autem propriè, idque colligi ex Scriptura: nam creare impropriè nihil aliud est, quàm aliquid quouis modo producere; dicimus autem gratiam educi de potentia obedientiali animæ rationalis, creari verò propriè, ex nihilo fieri, & quidem ità vt producatur res aliqua per se subsistens; gratia autem & alia dona supernaturalia non sunt res per se subsistentes, cùm sint accidentia.

2. Ad 2. resp. Animam rationalem meritò creari proximè & immediatè: subsistit enim hæc per se subsistentia incompleta, cũ doceat fides Catholica animas rationales esse immortales: vnde fiunt ex nihilo secundum se totæ, non autem ex subiecto aliquo.

Vltima. Ad vltimam resp. Composita naturalia posse quidem per omnipotentiam Dei creari, quòd sint res per se subsistentes, de facto tamen nulla creari proximè, propter causas explicatas.

ARTICVLVS QVINTVS.

An creare soli Deo conueniat.

DVBITATIO PRIMA.

An creatura possit esse causa præcipua & principalis creationis.

D. Thom. *Creatura nequit esse causa præcipua creationis.*

ONCLVSIO *est negatiua, etiam si sermo sit de creaturis vt subyciuntur omnipotentiæ Dei.* Ità D. Thom. & interpretes eiusdem hoc loco, & communiter Sententiarij in 2. dist. 1. Probat autem D. Thom. Vis infinita est necessaria ad creandum, saltem in causa principali creationis; atqui vis infinita creaturæ communicari non potest: ergo nec poterit esse causa creationis præcipua. Ceterùm ratio hæc parum admodum probat; constat enim ex mysterio incarnationis secundam personam Trinitatis esse verè communicatam humanitati Christi, & tamen persona secunda est simpliciter infinita.

Ratio 1. inefficax. Deinde, quod non est, non distat infinitè ab eo quod est: ergo cùm res creata simpliciter non fuerit, videtur quòd non desideret ad sui productionem virtutem aliquam infinitam.

Tertiò, entitas cuiuslibet rei creatæ est finita: ergo videtur tantùm hęc postulare virtutem finitam ad hoc vt crectur.

Nec non 2. Probant ergo alij: Effectus maximè communis debet habere ortum à causa maximè communi: at creatio est effectus communis omnibus planè rebus existentibus proximè vel remotè: ergo hæc erit à solo Deo, hic enim solus est causa maximè communis.

Ceterùm hæc ratio, quæ est etiam S. Thomæ hoc loco, & lib. 2. contra gentes, cap. 21. non A satis probat: Primò, quia esse conuenit cuilibet composito quod generatur; at certum est generare competere innumeris propemodum rebus creatis. Confirmatur: ex doctrina Aristotelis, illius est esse, cuius est generari, totum autem compositum est quod generatur: ergo & fit.

Vera probatio. Probatur ergo tertiò: Primò ex Patribus, Athanasio oratione 3. contra Arianos paulò ante medium: *Administrare* (inquit) *creaturarum est vt seruorum, condere autem, & creare, solius Dei.* Cyrillo lib 2. contra Iulianum: Esse creatorem & producere res quæ aliquando non erant, solius Dei est. AVGVST. de Genes. ad litteram lib. 9. c. 15. B *Angeli nullam omnino possunt creare naturam: solius enim vniuscuiusliber naturæ, seu magnæ, seu minimæ, creator est Deus.* & lib 12. de Ciuit. cap. 24. Prospero lib. de sententijs AVGVST. sen. 146 Damasc. 2. de fide, capit. 3. Basilio lib. 4. contra Eunomium.

Cyril. D. Auguſt. Prosper. Damasc. Basilius.

Ratione etiã ostenditur: Si daretur aliqua creatura quæ posset esse causa præcipua creationis, hæc esset spiritalis; præstantissimus siquidem effectus causæ præstantissimæ adscribi debet; at creatura spiritalis nequit esse talis causa: si enim causaret creationem id præstaret, vel proximè per suam essentiam, vel per intellectum, & voluntatem, quorum tamen neutrum dici potest. Non primum, cùm essentia non sit principium alicuius operationis ad extra; actiones quippe sunt suppositorum, ex communi doctrina. Deinde, quod habet ortum proximè ab essentia censetur esse proprietas; at vna creatura nequit esse proprietas alterius. Non 2. etiam, quia intellectus & voluntas sunt accidentia cuiuslibet rei spiritalis; at accidens non potest esse causa principalis productionis substantiæ, cùm omnis causa sit præstantior suo effectu, saltem æquiuoca, & nihil est in effectu quod non sit in causa: ergo creatura spiritalis non potest creare per intellectum & voluntatem. C

Infirma solutio Durandi. Respondent aliqui, intellectum & voluntatem, respectu ANGELI, non esse accidentia: Ità Durand. in 2. dist. 1. quæst. 4. Ceterùm hæc responsio defendi non potest: Primùm, quia intellectus censetur esse id quo quis intelligit aut intelligere potest; voluntas item id quo quis vult, aut velle potest: at id quo quis intelligit, aut intelligere potest denotat facultatẽ aliquam: ergo cùm facultates sint accidentia, dicendum quoque erit intellectum & voluntatẽ esse accidentia, respectu ANGELI. Deinde, intellectus & voluntas in ANGELIS non minùs fluunt ab essentia eorumdem, quàm in homine; at in hoc sunt verè accidentia: ergo & in illis. Ità docent Ægidius quodlib. 5. quæst. 1. Gandauensis quodlibeto 4. quæst. vlt. Scotus, Ockam, Gabriel in 2. dist. 1. quæst. 4. art. 2. D E

DVBITATIO SECVNDA.

An saltem creatura possit esse causa instrumentaria creationis.

Probabile non posse assumi creaturam, vt instrumentum creationis.

SVNT qui putent rationem instrumenti non posse competere creaturæ, respectu creationis; quorum opinio probabilitate non caret.

Probationes inefficaces. 1. Probant 1. Ad creandum desideratur vis infinita; at hæc creaturæ communicari nullo modo potest: ergo nec creare. Verùm ratio hæc sententiam

tentiam iſtam non probat: primùm, quia non maior vis videtur neceſsaria ad creandum, quàm ad mortuos ſuſcitandos: at certum eſt creaturas ſuſcitaſſe mortuos aliquos, in genere cauſæ inſtrumentalis, vt conſtat ex multis locis Scripturæ ſacræ, & ex hiſt. Eccleſiaſt. Deinde, docuimus Dubitatione proximè antecedente dubium eſſe an vis infinita ſit neceſsaria ad creandum, etiam in cauſa præcipua. Tertiò, vis inſtrumenti creationis tota eſt ab agente principali; hoc enim eatenus agit quatenus mouetur à cauſa principali: ergo cùm cauſa præcipua creationis ſit Deus, & hic ſit infinitus poterit dari creatura aliqua quæ verè erit inſtrumentum creationis.

2. Probant alij: Fieri non poteſt vt aliquid ſit inſtrumentum creationis, niſi illud quoque habeat virtutem ſibi connaturalem, qua poſſit elicere operationem per quam attingit effectum cauſæ principalis, vt cernere licèt in calore qui dicitur eſſe inſtrumentũ ignis, reſpectu productionis alterius ignis, calor autem verè calefacit per virtutem ſibi à natura inſitam, & media calefactione attingit ignis productionem; at nulla planè datur actio connaturalis creaturæ alicui per quam poſſit attingere rem à Deo creatam: ergo neque hæc poterit eſſe inſtrumentum creationis.

Sed neque iſta ratio opinionem iſtam demõſtrat euidenter. Primùm, quia ex ſententia S. Thomæ, ſacramenta ſunt cauſę inſtrumẽtales productionis gratię, & tamen certum ex eodem D. Thom. ſacramenta nullam poſſe ex ſe elicere actionem ſibi cõnaturalem, qua media, attingant productionẽ gratię, ſed omnis vis agendi eorumdem eſt repetẽda à Deo opt. max. tamquã à cauſa principali. Deinde lumen gloriæ ex eodem D. Thom. q. 12. huius par. eſt inſtrumentum viſionis diuinæ eſſẽtiæ, reſpectu intellectus beati: at non poteſt hoc lumen gloriæ elicere vllam operationem ſibi connaturalem, per quam attingat actũ viſionis diuinæ eſſentiæ: ergo. Tertiò, tota ratio cur in inſtrumentis phyſicis & naturalibus detur vis ad actionem ſibi naturalem eliciendam, media qua attingunt effectum cauſæ principalis, cenſetur eſſe quod actio iſta ſit diſpoſitio ad effectum cauſæ principalis attingendũ neceſſaria; at diſpoſitio talis non eſt neceſſaria reſpectu Dei: tum quia Deus eſt infinitæ virtutis, ac proinde poteſt ſupplere actiuitatem cuiuſlibet alterius cauſæ; tum quia ad hoc vt aliquis effectus pendeat ab aliquo, tamquã à cauſa inſtrumentali, ſatis eſt quod producatur dependenter ab eo; hoc autem fieri poteſt etiam ſi nulla detur actio cõnaturalis in inſtrumento per quam inſtrumentũ attingat effectum cauſæ principalis: ergo. Quartò, ſupereſt explicanda propoſitio maior S. Thom. de inſtrumentis phyſicis & naturalibus; non autem de moralibus, qua ratione explicatur Belarmin. à Ockam, & Gabriele, & à nonnullis alijs recentioribus: ergo.

3. Tertiò prob. iſta ſent. ab alijs: Si creatura poſſet eſſe inſtrumentũ creationis, ſequeretur illã poſſe producere ſeipſam; eſt enim creatio, productio totius entis ex nihilo: ergo cùm ratio entis in cõmuni ex hypotheſi producatur per creaturam, & ratio entis reperiatur in qualibet creatura, eadẽ facilitate qua creatura poteſt aliã creaturam cauſare, poterit quoq; ſeipſã producere; atqui illatio maioris admitti non poteſt: ergo nec id ex quo deſumitur.

Sed neque iſta ratio aliquid dicit: primò, quia omnis actus ſecundus preſupponit actum primũ: ergo cũ creare ſit actus ſecundus preſupponit hic neceſſariò exiſtentiam rei quæ creat. Confirmatur: Agere eſt poſterius eſſe, aut ſaltem præſupponit neceſſatio eſſe: ergo cum creare ſit agere, aut ſaltem producere, ſtatuendum eſt creaturam non poſſe creare ſeipſam.

Quartò probant alij. Effectus refertur ad ſuam cauſam, nedum principalem, ſed etiam inſtrumentalem relatione reali; eò quòd non minùs exeat à cauſa inſtrumentali, quàm à principali; licèt non eodem modo; at impoſſibile eſt effectum referri relatione reali ad cauſam inſtrumentalem, niſi aliqua realis mutatio contigerit, vel in cauſa, vel in effectu prout eſt à cauſa: ergo cùm non poſſit aſſignari mutatio iſta in creatura reſpectu creationis, non poterit creatura creare etiam vt inſtrumentum. Minorem probant. Detur, inquiunt, lapis creatus à Deo, & poſtea dentur duę aquę eiuſdem perfectionis, & item quòd Deus conſeruet lapidem creatum per vnam ex iſtis aquis tantùm, tunc lapis creatus non poteſt referri relatione reali ad aquam media qua conſeruatur, idque quòd ſola Dei voluntate conſeruetur per huiuſmodi aquam. Voluntas autem diuina nihil ponit in re: ergo cùm idem ſit iudicium de creatura reſpectu creationis, quod de aqua reſpectu lapidis creati, dicendum erit creaturam non poſſe eſſe inſtrumentum creationis. 4.

Verùm neque iſta ratio euidenter opinionem prædictam demonſtrat; præſupponit enim nihil aduenire aquæ, media qua conſeruatur lapis à Deo creatus, quod falſum eſt: nam influit aqua iſta in conſeruationem lapidis, ità vt lapis ſit dependenter ab aqua. Deinde, ad hoc vt aliquid cenſeatur eſſe cauſa inſtrumentalis alicuius effectus, ſatis eſt quòd effectus producatur dependenter ab inſtrumento; at producitur ex hypotheſi creatura lapidis dependenter ab alia creatura: ergo.

Alij denique probant. Virtus inſtrumentalis, quæ datur in creatura ad actiones phyſicas, cenſetur eſſe accidentalis; at nulla forma accidentalis poteſt producere effectum formæ independentis à ſubiecto: ergo cùm creatio terminetur ad formam independentem à ſubiecto, nulla planè creatura creare poterit etiam inſtrumentaliter. Probant minorem. Modus agendi ſequitur modum eſſendi; at nulla forma accidentalis habet modum formæ independentis à ſubiecto: ergo neque habet modum agendi. Ità Suarez diſp. 20. ſect. 3. metaphyſ. 5.

Ceterùm neque iſta ratio efficax eſt; calor quippe cenſetur eſſe inſtrumentum ignis, & tamen hic non habet modum exiſtendi formæ independentis à ſubiecto, eſt enim calor accidens. Deinde, effectus aſſimilatur cauſa principali, non autem cauſæ inſtrumentali: ergo.

Hæc tamen ſententia tum propter authoritatem D. Thomæ, Alberti Magni, Scoti, Gandauenſis, Gabrielis, Bellarmini, & multorum recentiorum defenditur communiter tamquam probabilis, & quòd videatur idem eſſe dicendum de iſtis inſtrumentis, quod de phyſicis & naturalibus; hæc autem nuſquam conſequuntur rationem inſtrumenti, niſi poſſint elicere operationem ſibi connaturalem per quam attingunt effectum cauſæ principalis.

Probabilius creaturam poſſe eſſe inſtrumẽtum creationis.

CONCLVSIO. *Probabilius videtur creationem poſſe eſſe à creatura, tamquam à cauſa inſtrumentali.*

Probatur primò: Tanta vis cenſetur neceſſaria ad incarnationem faciendam, quanta ad 1.

creationem : at creatura potest esse instrumentum incarnationis, imò non desunt qui putent per incarnationem, quatenus est actio, produci modum aliquem, qui est causa formalis incarnationis : ergo sicut eleuari potest creatura ad incarnandum, ità & ad creandum.

2. Deinde, sacramenta producunt gratiam in animabus eorum quibus administrantur ; at tanta vis est necessaria ad producendam gratiam quanta ad creandum, præsertim si defendatur eorum opinio, qui putant gratiam creari.

3. Tertiò, Sacerdos medijs verbis consecrationis producit totam substantiam corporis Christi in sanctissimo Eucharistiæ sacramento ; at creatio non maiorem exigit potentiam quàm transubstantiatio.

4. Quartò, ignis producit qualitatem aliquam in dæmonibus & damnatis à qua mirum in modum torquentur : ergo.

5. Quintò, negarinò potest quin creatura possit eleuari ad eliciendos actus ordinis supernaturalis, ad quos tamen nullam habet propensionem & inclinationem naturalem, putà ad actus fidei, spei, charitatis & visionis diuinæ essentiæ.

6. Sextò, recipit in se creatura rationalis dona ordinis supernaturalis secluſa omni antecedente connaturali dispositione.

7. Vltimò ea tantùm sunt deneganda diuinæ omnipotentiæ, quæ manifestam inuoluunt contradictionem ; at creaturam eleuari tamquam instrumentum ad creandum nullam inuoluit contradictionem : ergo non est denegandum Deo posse creaturam assumere. Hanc Conclusionem quàm maximè probabilem putat Suarez disp. 20. metaphys. sect. 3.

Obiectio. Dices, creaturam presupponere subiectum ad hoc vt agat etiam in genere causæ instrumentalis ; ergo cùm creatio non patiatur subiectum, creatura non poterit esse instrumentum creationis.

Solutio. Respond. Creaturam relictam intrà terminos suæ naturæ desiderare simpliciter & absolutè subiectum ad hoc vt agat, eleuatam tamen per omnipotentiam Dei non postulare necessariò subiectum, vt patet exemplo Sacerdotis consecrantis ; de hoc quippe fatentur omnes quòd medijs verbis consecrationis substantiam panis conuertat in substantiam corporis Christi, & tamen transubstantiatio non est actio quæ præsupponat subiectum, vt author est D. Thomas 3. parte quæst. 75. art. 8.

Obiectio. Obijcies 2. Absurdum videri omnem actionem Dei transeuntem creaturæ communicari.

Solutio. Respond. Ex eo nihil posse colligi absurdi ; hinc enim magis commendatur Dei potentia, cùm omnis vis agendi creaturæ repetenda sit ex Deo Optim. Maxim. Imò in istis actionibus tota vis instrumenti repetenda est ab omnipotentia diuina, eatenus quippe hæc agunt, quatenus à principali agente mouentur : illa eadem ratione qua calamus eatenus scribit, quatenus ab homine mouetur.

Respond. 2. Nescire nos, an Deus possit aliquas actiones producere varias & diuersas ab ijs quas produxit, & item nescire nos, an actiones istę possint communicari creaturæ, plura namque sunt Deo adscribenda quàm mens & ratio humana capere possit.

Verùm quoniam primam sententiam diximus esse probabilem, debemus quoque argumentis factis in confirmationem nostræ Conclusionis respondere.

Satisfit argumentis pro parte affirmante. Ad tria ergo priora respondent aliqui, creaturam posse esse instrumentum incarnationis, productionis gratiæ, & transsubstantiationis, non quidem physicum & naturale, sed morale ; ità vt creatura per impetrationem effectus proximè explicatos attingat ; illa eadem ratione qua quis dicitur esse causa largitionis eleemosynæ quãdo suis consilijs effecit, vt quis dederit eleemosynam ; minimè verò influendo in effectum verè & realiter, qua ratione instrumenta physica & naturalia suos producunt effectus : Ità Melchior Canus, Belarminus, Gabriel, & plerique recentiores.

Ceterùm responsio hæc stare non potest cum ijs quæ dicemus de sacramentis in genere, nempe quod sacramenta sunt causæ instrumentales physicæ gratiæ.

Vera solutio. Respond. Ergo maiorem vim desiderari ad creandum, quàm ad vnionem incarnationis faciendam, gratiam producendam, & denique quàm ad transsubstantiationem ; actiones namque proximè citatæ presupponunt aliquod subiectum : creatio vero illud excludit, quocirca maior vis desideratur ad creationem, quàm ad cetera proximè explicata, cùm difficilius sit aliquid ex nihilo facere, quàm ex aliquo.

Replica. Instabis, summum miraculum miraculorum esse incarnationem ; ac proinde docuisse nos aliàs non posse Deum producere effectum aliquem præstantiorem incarnatione : ergo si creatura potest esse instrumentum physicum incarnationis, erit etiam instrumentum creationis.

Dissoluitur. Respond. Incarnationem esse præstantissimum Dei opus respectu termini producti, non autem respectu actionis, siue modi agendi ; potest enim Deus innumeris alijs modis agere, iisque perfectissimis : imo creatio potest dici præstantior incarnatione ex eo capite, quod creatio excludat subiectum, incarnatio vero præsupponat illud idem.

Ad 4. Ad 4. respond. Non deesse qui putent dæmones torqueri apud inferos medio igne, non quidem physicè, sed moraliter, putà per detentionem, illa eadem ratione qua carcer dicitur torquere inclusos illic. Ceterùm hæc responsio reijcietur à nobis in disput. de dæmonibus. Resp. Ergo ignem torquere animas & dæmones producendo in illis qualitatem aliquam à qua mirum in modum excruciantur : ex istis tamen non potest colligi creaturam esse instrumentum creationis, quoniam maior vis est necessaria ad creandum, quàm ad qualitatem istam producendam : hęc enim educitur ex potentia obedientiali animarum & dæmonum, & consequenter ex subiecto, creatio vero excludit subiectum.

5. & 6. Ad 5. & 6. resp. dona supernaturalia quę mortalibus infunduntur recipi nullis antecedentibus dispositionibus, saltem quod primo loco infunditur, idque quod hoc sit ratio recipiendi se, & ratio recipiendi alia à se, vt diximus ; illa eadem ratione qua prima dispositio naturalis recipitur in subiecto sinè vlla alia antecedente.

Resp. 2. Dona supernaturalia seruare debitam proportionem cum actibus quos elicit homo informatus huiusmodi donis ; sunt enim hæc ordinis supernaturalis & item habent vim eliciendi actus ordinis supernaturalis : imo faciunt hominem simpliciter potentem respectu actuum supernaturalium.

Vltim. Ad vltimum resp. contradictionem hactenus non

non fuiſſe demonſtratã, poſſe tamen fortè demonſtrari, cùm multa ſint in natura quæ hactenus non fuerunt demonſtrata, licèt poſſint demonſtrari, vt conſtat de quadratura circuli; quamobrem quamdiu contradictio probabiliter ſuſtineri poterit, licebit etiam defendere creaturam non poſſe eſſe inſtrumentum creationis.

Sũma triũ articulorũ. Circa tres poſteriores Articulos aduertendum eſt tantùm, creationem non competere vni aut alteri perſonæ diuinæ, ſed omnibus ſimul ſumptis: fatentur enim omnes, actiones Dei ad extra ex æquo conuenire omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis; creatio autem eſt actio ad extra. Deinde, creatio cenſetur eſſe effectus omnipotentiæ diuinæ: omnipotentia autem conuenit omnibus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, idque ex æquo. Denique, creatio tribuitur deitati; deitas autem vna & eadem numero eſt in tribus perſonis.

Dices creationem tribui Patri ex ſymbolis Apoſtolorum, Concilij Nicæni, & Athanaſij.

Reſpond. appropriari creationem Patri, quemadmodum & ſapientia appropriatur Filio, & denique charitas Spiritui ſancto. Vti ergo non licèt colligere ſolum Filium eſſe ſapientem, aut ſolum Spiritum ſanctum eſſe dilectionem ſeu charitatem; ità neque propterea licebit colligere ſolum Patrem eſſe creatorem, quia creatio appropriatur Patri. Reſp. 2. aliud eſſe creationem appropriari Patri, & aliud ſolum Patrem eſſe creatorem; propterea enim creatio appropriatur Patri, quòd Pater ſit prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis improducta & independens; & denique origo ceterarum perſonarum diuinarum; ac proinde cùm ad hæc ſit neceſſaria omnipotentia, & creatio præſupponat omnipotentiam diuinam, ideò creatio appropriatur ſoli Patri. Eſſe autem ſolum Patrem creatorem, ſignificat ſolum Patrem eſſe cauſam creationis, quod nullus hactenus dixit, idque propter cauſas ſuperius explicatas.

QVÆSTIO XLVI.

CIRCA hanc totam quæſtionem duę ſunt Dubitatiunculæ explicandæ. 1. An mundus fuerit ab æterno: aut, An ſaltem potuerit eſſe. 2. An rerum creatarum diuiſio facta fuerit in tempore, an verò in inſtanti creationis.

Quod attinet ad primam, de fide eſt mundum eſſe in tempore creatum, Geneſ. 1. *In principio creauit Deus*, &c. & Eccleſiaſt. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* Prouerbior. 8. *Antequàm quidquam faceret*, &c. Deinde, ità tradunt Patres citandi à nobis Dubitatione ſequenti. Tertiò, mundus menſuratur non æternitate ſed tempore: ergo cùm duratio nihil aliud ſit quàm rei cuiuſlibet exiſtentia, mundus non erit æternus: huius oppoſitum docuit Ariſt. lib. 8. phyſ. & lib. 1. de cœlo, & metaph. 12.

Prouer. 8. ℣. 22.

Quorundã ſententia negans. 1.

Athanaſ. Baſilius.

Quod attinet verò ad ſecundam, ſunt qui putent mundum nulla ratione potuiſſe produci à Deo ab æterno. Primò, quia ſancti Patres docent nihil eſſe magis abſurdum, quàm affirmare creaturam eſſe coæternam ſuo creatori. Ità ſentiunt Athanaſ. orat. 2. contra Arianos. Baſilius lib. 2. contra Eunom. Damaſc. lib. 1. de fide, cap. 8. Ambroſ. lib. 1. Hexameron cap. 3. & S. Auguſt. lib 12. de Ciuit. cap. 15. & lib. contra Felicianum Arianum, cap. 7.

Damaſc. Ambroſ. D. Auguſt.

Deinde, quod creatur tranſit de non eſſe ad eſſe: at æternitas non tranſit de non eſſe ad eſſe; definitur enim hæc, dũratio interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. 2.

Tertiò, æternitas tam propria eſt Deo, quàm immenſitas aut infinitas per eſſentiam; at certũ eſt Deũ nulla ratione poſſe producere infinitũ actu: ergo neque poterit etiam producere creaturam ex omni æternitate. 3.

Denique, inter res creatas innumerę propemodum ſunt corruptibiles, omne ſiquidem compoſitum ex quatuor elementis eſt corruptioni obnoxium; at corruptio non poteſt dici de rebus æternis, vt conſtat ex definitione æternitatis: ergo. In hac ſententia ſunt Albertus lib. ſuæ Summæ, tract. 1. quæſt. 4. & in ſecundum diſt. 1. Gandauenſis, quodlibeto 1. quæſt. 7. & 8. Marſilius in 2. quæſt. 1. artic. 2. Chlichtouæus ad lib. 1. de fide Catholic. D. Damaſc. Bona. in 1. part. art. 1. q. 2. 4.

Aliorum opinio affirmans.

Alij verò putant mundum potuiſſe produci ab æterno, nedum ſecundum partes permanentes, ſed etiam ſecundum ſucceſſiuas: ità inter recentiores Vazq. diſp. 177. huius partis, nititur autem præcipuè iſtis fundamentis: altero, quòd Deus non minùs ſit potens reſpectu rerum ſucceſſiuarum, quàm reſpectu rerum permanentium; at dicemus potuiſſe Deum mundũ producere ab æterno ſecundum partes permanentes: ergo & ſecundum ſucceſſiuas.

Altero, quod eadem facilitate poſſit Deus ſeparare imperfectiones à rebus ſucceſſiuis quæ ſtare non poſſunt cum æternitate, qua poteſt ſeparare à rebus permanentibus; certum autem eſt Deum poſſe remouere à rebus corruptibilibus per ſe ſubſiſtentibus conditiones eas, quæ cohærere non poſſunt cum æternitate: ergo & à rebus ſucceſſiuis.

Alij denique, putant Deum potuiſſe producere mundum ab æterno ſecundum partes permanentes tantùm, & præſcindendo ab illis effectus, qui ſtare nulla ratione poſſunt cum æternitate, cuius generis eſt corruptio quæ datur in omnibus mixtis: ità D. Thom. hoc loco, Bannez, Zumel, Caiet. Suarez diſp. 2. ſuæ metaphyſ. ſect. 6. Conimbricenſes pluribus de creatione.

Mundus non potuit produci ab æterno ſecundum entia ſucceſſiua.

Conclvsio 1. *Mundus non potuit produci ab æterno ſecundum partes ſucceſſiuas.* Primùm, ſucceſſio ſtare non poteſt cum æternitate etiam participata: nam definitur hæc, duratio interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio; at ſupponimus res iſtas eſſe in ſe ſucceſſiuas: ergo.

Deinde, prius & poſterius nullum habent locum in æternis, neque habere poſſunt, ex illo Athanaſij: *In æternis nihil eſt prius, nihil poſterius:* at ſucceſſiua includunt in ſua ratione formali prius & poſterius: ergo non poterunt conſiſtere cum æternitate.

Confirmatur. Inter entia ſucceſſiua computantur motus & tempus; at impoſſibile eſt concipere tempus ſinè præterito & futuro, ſunt enim hæc duo partes conſtitutiuæ temporis, omnium conſenſu: ergo. Vide multa contra authores huius opinionis apud Suarem diſp. citata.

Secũ ſecũdum partes permanentes.

Conclvsio 2. *Mundus potuit produci ab æterno ſecundum partes permanentes, ſublatis tamen imperfectionibus, quæ ſtare nullo modo poſſunt cum eis.*

æternitate quæque dantur in aliquibus rebus per ſe ſubſiſtentibus. A

Probatur primùm, quia diximus nouitatem eſſendi nõ eſse de ratione creationis, aut rei creatę.

Deinde, quia productio nõ repugnat rebus æternis, vt conſtat ex productionib⁹ Filij & Spiritus S.

Tertiò, ſi Deus eſſet cauſa neceſſaria huius vniuerſi, concedendũ eſſet de hoc vniuerſo quòd eſſet de facto ab æterno, nam vt rectè argumentatur D. Thom. hoc loco, ſi Sol eſſet ab æterno, D. Thom. lux quoque eſſet ab æterno; & item, ſi pes eſſet æternus, veſtigium quoque eſſet æternum: ergo potuit Deus producere mundum ab æterno. Nam eadem facilitate poteſt cauſa libera æterna producere ſuos effectus ex omni æternitate, quàm cauſa neceſſaria; at ſi ex hypotheſi cauſa neceſſaria mundi eſſet ab æterno, mundus etiam eſſet ab æterno: ergo. B

Confirmatur. Fatentur Thomiſtæ angelum in primo inſtanti ſuæ creationis potuiſſe mereri; & item Chriſtum in primo inſtanti ſuæ conceptionis meruiſſe nobis remiſſionem quorumcumque peccatorum. Denique, ea ſunt tantùm Deo deneganda, quæ manifeſtam dicunt contradictionem; at creaturam eſſe ab æterno nullam dicit contradictionem: ergo id non eſt illi denegandum.

Ad rationes verò authorum primæ ſententiæ reſpond. Ad 1. Sanctos Patres nuſquam aſſeruiſſe mundum non potuiſſe eſſe ab æterno, ſed C *Rationes pro 1. ſent. ſoluuntur.* tantùm de facto non fuiſſe ab omni æternitate; ac proinde rebus conſtitutis vt iam ſunt, nihil eſt magis abſurdum quàm affirmare creaturam eſſe coæternam ſuo creatori, cùm fides doceat creaturam eſſe in tempore productam. 1.

Ad 2. reſp. Quod creatur, de lege communi tranſire de non eſſe ad eſſe; de poteſtate tamen Dei abſoluta fieri potuit, vt id quod creatur non tranſiret de non eſſe ad eſse: diximus enim nouitatem eſſendi non eſse de ratione creationis. Deinde, licèt id quod creatur fiat ex nihilo, non tamẽ particula, *ex nihilo*, ſignificat negationẽ durationis, ſed tantùm ſubiecti ex quo res creata producatur. 2.

Ad 3. reſpond. Æternitatem tam verè eſſe attributum diuinum, quàm ſit infinitas & immenſitas; ac proinde non eſſe abſurdum fateri, poſſe Deum producere quidpiam æternum; non quidem per eſſentiam, ſed per participationẽ, quemadmodum poteſt & infinitum ſecundum quid producere, id eſt, ſyncategorematicum. 3.

Ad vltim. reſpond. propterea Deum poſſe producere res per ſe ſubſiſtentes, etſi corruptibiles ab æterno, minimè verò res ſucceſſiuas, quòd res per ſe ſubſiſtentes corruptibiles, in ſuo conceptu formali non dicant corruptibilitatem, vel prioritatem, aut poſterioritatem; res verò ſucceſſiuæ ità includunt prius & poſterius, vt impoſſibile ſit dari rem aliquam ſucceſſiuam, niſi detur in ea prioritas & poſterioritas. Cùm ergo prius & poſterius ſtare nullo modo poſſint cum æternitate; hæc enim eſt tota ſimul, reijcitque à ſe omnem omnino variationem & mutationem, ideò res ſucceſſiuæ nequeunt eſſe ab æterno, bene tamen res per ſe ſubſiſtentes, & permanentes, harum enim duratio potuit eſſe tota ſimul. 4.

Hac eadem ratione reſpondebis arg. 2. ſent. tota enim ratio cur res ſucceſſiua nequeat eſse ęterna, repetenda eſt ex natura rei ſucceſſiuæ, non autem ex defectu poteſtatis, qui detur in Deo, cùm hic ſit ſimpliciter omnipotens.

DVBITATIO VLTIMA.

An rerum diſtinctio facta fuerit in inſtanti, an verò in tempore.

CONCLVSIO. *Probabilis eſt eorum opinio qui aiunt Deum omnia ſimul & creaſſe & diſtinxiſſe, idque in puncto indiuiſibili.* Ità Auguſtin. lib. 4. de Geneſ. ad lit. cap. 22. Procopius Gazæus ad cap. 1. Geneſ. Philo Iudæus in lib. de allegorijs legis Moſaicæ Caiet. in comment. ad cap. 1. Geneſ & D. Thom. quæſt. 9. de omnipotentia, ait ſententiam Auguſtini de diſtinctione rerum creatarum paucioribus inuolui difficultatibus, & in 2. 2. quæſt. 74. art. 2. refert ambas de hac re ſententias, & neutram definit. *Probabile eſt Deũ omnia ſimul creaſſe.* D. Thom.

Deinde, Eccleſiaſtici 18. *Qui vivit in æternum creauit omnia ſimul.*

Tertiò, modus agendi perfectiſſimus eſt Deo concedendus, præſertim quando hic ſe ſolo operatur; at præſtantius eſt res iſtas omnes ſimul creare, & ſimul diſtinguere, quàm creare, & poſtea diſtinguere: ergo.

Quartò, angeli omnes fuerunt vnà creati, quidni etiam omnes aliæ res coporeę & materiales?

Dices, doctrinam iſtam aduerſari cap. 1. & 2. Geneſ. dicitur enim illic Deum ſex dierum interuallo creaſſe omnia.

Reſpond. Moyſem vſum fuiſſe hac ratione loquendi ad hoc vt ſe accommodaret captui Iudæorum; gens enim iſta ità rudis extitit, vt non poſſet ſibi perſuadere multitudinem rerum creatarum, vnica actione potuiſſe produci, ſed varia & diuerſa: quemadmodum contingit nos varijs & diſtinctis actionibus varios producere effectus, ità illud idem credidit gens hæc de Deo. Ac proinde diſtinctionem actionum introducit Moyſes in rerum creatione, licèt creatio & diſtinctio rerum facta fuerit in inſtanti.

Probabilius tamen multò eſt rerum diſtinctionem factam fuiſſe intrà ſex dies. Primùm, quia *Probabilius* ità habet ſacer contextus lib. Geneſ. cap. 1. & 2. *ſex diebus* Deinde, quia ſancti Patres qui vixerunt ante *fuiſſe creatũ* Auguſtini tempora ità docuerunt, vt conſtat ex *mundum.* Dionyſio Areopagita parte 1. cap. 4. de diuinis nominibus, & ex Greg. magno lib. 32. magnorum Moralium, cap. 10. Beda in librum Geneſ. Ruperto in lib. de opetibus Trinit. cap. 32. & ex Magiſtro lib. 2. ſententiarum. Tertiò, narratio Moyſis de rerum creatione, ex communi doctrina Patrum, cenſetur litteralis & hiſtorica, non autem allegorica. Quartò, Exodi 20. & 31. propterea vult Moyſes Iudæos obligari ad ſolemnitatem Sabbathi, quòd Deus die ſeptimo requieuerit ab omni opere quod patrarat; at ratio iſta eſſet ridicula, niſi Deus intrà ſex dies res iſtas creatas diſtinxiſſet: ità iam communiter Doctores hoc loco, Benedictus verò Pererius lib. 1. in Gen. quæſt. ſpeciali de hac re, & lib. 4. multa de hac re habet. D E

Ad rationes autem Auguſtini reſp. Ad 1. Deum creaſſe omnia ſimul, vel quoad principium materiale (ſunt enim qui putent locum hunc intelligendum eſſe de ſolis rebus ſenſilibus, quarum materia prima fuit ſimul creata) vel intelligendus eſt locus iſte de ſimultate morali, non autem phyſica; illa eadem ratione qua communiter dicimus vindemias eſſe ſimul factas, vel denique *Satisfit rationibus Auguſtini.* 1.

particulam

particulam *(ſimul)* idem eſſe ac *(pariter)* qua ratione legunt nonnulli codices Latini Bibliorum ſacrorum; vſurpatur enim verbum ſimul in hac ſignificatione, Pſalm. 13. *Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt*, id eſt, pariter, & Pſal. 48. *Simul inſipiens & ſtultus peribunt*, id eſt pariter.

Pſ. 13. ℣. 3. Idem 48. ℣. 11.

Ad alias verò rationes reſp. nihil probare; cùm enim Deus ſit quàm maximè liber ad extra, quando, & vbi, & qua ratione vult ſuos producit effectus, non autem modo perfectiſſimo, ac proinde licèt potuerit omnia ſimul & creare & diſtinguere; non tamen creauit, & diſtinxit ſimul, ſed intrà ſex dies ea omnia quæ ſunt in naturę vniuerſitate diſtinxit, vt conſtat ex loco ſupra citato Geneſ. Hæc autem omnia confirmantur ex illa regula Auguſt. *Scripturæ* (inquit) *ſenſa ſunt ad literam intelligenda, niſi ex eo ſequatur aliquid abſurdi.* Abſurditates autem explicat hereticus Pererius lib. 2. Geneſ. quæſt. ſpeciali de hac re.

D. Auguſt.

Quæ ſuperſunt Quæſtiones ad XLIX. vſque incluſiuè explicari alibi conſueuerunt, & ſatis ſunt ex ſe faciles; quocirca legendus exit hac de re D. Thomas.

QVÆSTIO QVINQVAGESIMA.

DE ANGELIS.

PROOEMIVM.

PRÆCIPVA inter creaturas à Deo optim. maxim. productas, est natura Angelica, à cuius tractatione proinde initium sumit S. Thomas, absolutis his quę ad creationem in communi pertinebant; idque ab hac quæst. 50. ad 64. præsertim; quamuis autem de Angelis soleat Metaphysicus agere; Theologi tamen potius est: tum quia essentia ipsorum vtpote inuisibilis, maximè recondita est: tum etiam quia ferè omnia quæ docentur de ipsis, vel ex Scripturis sacris, vel ex Concilijs, vel certè ex sanctis Patribus, præsertim Dionysio Areopagita lib. de cœlesti Hierarchia depromuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Angeli sint omnino incorporei.

RESPONDET affirmatiuè.

DVBITATIO PRIMA.

An Angelorum existentia ratione naturali demonstrari possit, an verò sola fide.

Notabile.

ADVERTE substantias illas spirituales vocari varijs nominibus, vt plurimum dicuntur Angeli.

Quorūdam opinio & fundamēta. 1.

Sunt qui putent existentiam Angelorum comprobari verissimis demonstrationibus solo lumine naturali notis: ità Augustin. Eugubinus lib. de perenni philosophia, & plerique Sententiarij in 2. distinct. 2. Probant primùm, quia omne agens producit simile sibi, nulla quippe datur perfectio in effectu quæ non reperiatur in sua causa: atqui Deus est simpliciter spiritualis, & est causa effectiua Angelorum: ergo cum Deus sit simpliciter spiritualis, & substantia quædam perfectissimè completa, concedendi erunt Angeli necessariò, hæc ratio petitur ex D. Thom. lib. 2. contra gentes.

2. Deinde, in naturæ vniuersitate necessariò sunt admittendi omnes omnino gradus entis perfecti & completi; est enim mundus hic perfectissimus, eò quòd ortū habuerit à Deo potentissimo & sapientissimo: at experientia docet extare substantias completas simpliciter corporeas, & item alias partim corporeas, partim spirituales, vt constat ex hominibus: ergo dabuntur etiam substantiæ aliquæ completæ spirituales; istæ autem nullæ aliæ sunt quàm Angeli: ergo dabuntur Angeli.

3. Tertiò, cognitio quæ fuit in Aristotele est naturalis: at ex motu cœlorum inuestigauit intelligentias, seu quod idem est substantias separatas, ac proinde & Angelos: ità vt docuerit tot solùm extare Angelos, quot sunt cœli & motus eorum: ergo.

4. Denique, nulla gens est sub cœlo quæ non admittat existentiam Angelorum: magicæ disciplinæ docent dæmones aduocari & frequentissimè hominibus apparere, posita inuocatione eorumdem. Ex energumenis, seu dæmoniacis hęc eadem existentia Angelorum comprobatur; nam dantur in istis actiones aliquæ quæ à nullo planè homine, & multò minùs ab vlla alia substantia simpliciter corporea fieri possunt: experientia siquidem docet dæmoniacos præsagire futura certò, item reuelare occulta, præterita, & absentia: motu item velocissimo ad alium locum maximè distantem ex alio feruntur dæmoniaci, loquuntur linguis incognitis, & sic de ceteris: ergo ratione naturali ostendi potest existentia Angelorum.

Sententia. Alij verò volunt nullas extare substantias Angelicas, & ideò neque fide, neque ratione naturali demonstrari posse: ità Saducæi in Actis Apostolic. c. 23. & hæretici vulgò nuncupati Dositheani, referente Philastrio in opusculo de hæresibus: idem tentium hereticis nostri temporis, cum Georg. Dauide qui vixit circa annum Christi 1525. aut certè vt alij volunt, 1545. nec displicuit hic error Diagoræ, Protagoræ, Epicuro, & alijs nonnullis Philosophis, vt constat ex Plutarcho, in lib. de placitis philosophorum, & ex Lactantio Firmiano lib. 3. Institutiorum diuinarum, cap. 18.

Digitized by Google

Non poteſt demonſtrari Angelos exiſtere.

CONCLVSIO 1. *Exiſtentia Angelorum nulla ratione naturali fuit demonſtrata hactenus, aut demonſtrari poteſt.* Primùm, quia rationes adductæ ab authoritibus contrariæ ſententiæ ſunt inefficaces, vt conſtabit ex reſponſionibus ad eaſdem.

2. Deinde, exiſtentia Angelorum comprobari nequit euidenter, niſi per cauſam quæ dicat neceſſariam connexionem cum eadem, vel per effectus qui ſimiliter tantam inferant connexionem cum exiſtentia Angelica, vt à nulla alia re produci poſſint: hæc maior eſt Ariſtotelis in lib. de demonſtratione, & admittitur ab omnibus omnino Theologis, & Philoſophis; at nulla datur cauſa neceſſaria exiſtentiæ Angelicæ; hæc enim liberè, non autem neceſſario à ſolo Deo producta fuit: nulli item effectus neceſſariò habent ortum ab Angelis; nam omnis actio quæ tribuitur illis, vel eſt bona, vel mala: ſi primum, quare potius Angelus erit illius author quàm Deus? ſi ſecundum, quare non imputabitur iſta actio alicui homini, cùm nullum planè detur peccatum, quod non poſſit ab homine committi?

3. Confirmatur. Omnis demonſtratio pendet ex principiis per ſe notis: ergo cùm eſſentia & exiſtentia Angelorum nec per ſe, nec per aliquid, quod coniungatur neceſſariò cum iis quæ ſenſibus percipiuntur nobis innoteſcat, non poterunt hæc duo demonſtrari naturaliter.

4. Denique, magis nobis innoteſcit immortalitas animæ rationalis naturaliter, quàm faciat ſubſtantia Angelica; nam quilibet noſtrùm intelligit, ratiocinatur, liberè operatur, quæ ſunt proprietates conſequentes naturam & eſſentiam rei ſpiritualis, ex doctrina D. Thom. exiſtimantis quamlibet rem ſpiritualem eſſe intellectiuam ex ſe, & ſua natura: at nulla datur demonſtratio qua probetur immortalitas animæ naturaliter, quin ſuperſit aliqua occaſio dubitandi de oppoſito, ſaltem reſpectu eorum, qui non admittunt documenta fidei Catholicæ: ergo multò minùs dabitur demonſtratio per quam probetur eſſentia, & exiſtentia Angelorum.

Ex fide conſtat Angelos eſſe.

CONCLVSIO 2. *Exiſtentia Angelorum comprobatur euidentiſſimè ex documentis fidei Chriſtiana.* Primùm, quia in Symbolo Conſtantinopolitano dicitur, *Factorem cœli & terræ, viſibilium & inuiſibilium:* at per particulam iſtam, *Inuiſibilium*, ſignificatur ſubſtantia Angelica; hæc enim ſola inter res creatas eſt ſubſtantia quædam completa.

Symbolū Conſtant.

2. Lateran. Deinde, in Concil. Lateranen. ſub Innocent. III. & refertur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, leguntur verba iſta: *Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem*, Angelicam, videlicet & mundanam, *ac deinde humanam.*

3. Hebr. 1. verſ. 14. Pſal. 90. verſ. 11. Hierony. Tertiò, Scripturæ docent Angelos deſtinatos eſſe ad hominum cuſtodiam, Hebræor. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi, propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis.* & Pſal. 90. *Angelis ſuis Deus mandauit de te.* & Matth. 4. hæc eadem verba referuntur, & D. Hieronym. ad cap. 18. Matth. *Magna*, inquit, *dignitas animarum, vt vnaquæque ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum habeat delegatum.*

4. Quartò, in ſacris litteris referuntur innumeræ propemodum Angelorum apparitiones; Gabriel namque angelus innotuit D. Virgini, *Luc.* 1. Alius Paſtoribus, Chriſto nato, *Luc.* 2. alius Chriſto oranti in horto; alius Magdalenæ, & in die Aſcenſionis Chriſti videtur alius angelus, ab omnibus Apoſtolis, *Actor.* 1. & alibi ſæpè.

5. Quintò, ſancti Patres verbis expreſſis docent extare ſubſtantias angelicas: in lib. de cœleſti hierar. D. Dionyſ. cuius hic liber cenſetur eſſe germanus fœtus, non autem adulterinus, vt putauit Eraſmus, & Scaliger, & nonnulli hæretici noſtri temporis, de qua re legendus eſt Martinus Cromerus in vindiciis Dionyſianis & Photius in ſua Bibliotheca, ſtatim in principio; ſoluſq; enim illic ex Theodoro vetuſtiſſimo patre illas rationes quibus Scaliger nititur demonſtrare librum de cœleſti hierarchia non eſſe Dionyſij Areopagitæ. Dionyſ.

D. Auguſtinus multis in locis concluſioni noſtræ ſubſcribit; maximè verò lib. 11. de Ciuitat. cap. 13. 14. 15. & lib. 12. cap. 16. & lib. 15. cap. 23. D. Auguſt.

Damaſc. lib. 2. de fide, Ambroſ. ad cap. 1. Hebræor. Iſidor. lib. 1. de ſummo bono, cap. 12. Gregor. homil. 34. in Euangel. & ceteri omnes Patres communiter. Ambroſ. Iſidorus. Gregor.

Vt. Denique, iidem Patres tradunt ſubſtantias ſpirituales nominari interdum ſpiritus; idque quòd careant omni quantitate, & omni ſubſtantia ſenſibili; & præterea angelos, quòd mittantur ad certa quædam officia: ità vt velint nomen angeli non eſſe nomen naturæ, ſed officij; nomen verò ſpiritus eſſe nomen naturę Ità D. Auguſtinus in Pſal. 103. ad hæc verba: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, id eſt; *Eos*, inquit, *qui ſemper ſunt ſpiritus tunc Angelos facit, quando ad aliquid operandum vel annunciandum mittit.* Idem docet Gregor. loco proximè citato. Auguſtin.

Dantur boni & mali Angeli. CONCLVSIO VLTIMA. *De fide eſt nedum extare Angelos; ſed etiam verè dari bonos, & malos:* de bonis enim dicitur Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt.* & Luc. 15. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore penitentiam agente.* & Daniel. 7. *Millia millium miniſtrabant ei*, & Apocal. 5. *Erat numerus eorum millia millium.* De malis verò dicitur Apoc. 20. *Proiectus eſt draco ille magnus qui ſeducebat vniuerſum mundū, & miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi beſtia & pſeudo propheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.* & Luc. 10. *Videbam Satanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* & alibi; *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?* Matth. 18. verſ. 10. Luc. 15. verſ. 10. Dan. 7. verſ. 10. Apocal. 5. verſ. 11. Idem 12. ℣. 9. & 20. ℣. 1.

Deinde, ſancti Patres partiuntur naturas angelicas in poteſtates bonas, & in cacodæmones; ità Maximus Monachus cap. 23. centuria 3. de Charitate, Origen. lib. 1. περὶ ἀρχῶν & D. Auguſtinus locis ſupra citatis. Luc. 10. verſ. 18. Eſaï. 14. verſ. 12.

Tertiò, ex angelis aliqui potiuntur beatitudine æterna, vt conſtat ex cap. 18. Matth. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei:* alij verò adiudicati ſunt pœnis æternis, Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt vobis & Angelis:* ergo cùm vita æterna debeatur ſolis bonis, & pœna æterna ſolis malis, inter angelos dabuntur aliqui boni, & alij mali. 2. 3. Matth. 25. verſ. 41.

Satisfit rationibus cõtrariorum. Ad rationes verò eorum qui volunt demonſtrari poſſe naturaliter angelos eſſe in naturæ vniuerſitate reſpond. Ad 1. Omne agens producere ſibi ſimile ſi agat neceſſariò & ſynonymè, ſeu quod idem eſt, ſi conſequatur rationem agentis non æquiuoci, ſed ſynonymi; certum autem eſt Deum non operari ad extra neceſſariò, ſed liberè, ideóque non producere ſibi ſimile ex omni parte, ſed tantùm ratione alicuius perfectionis, quæ datur in Deo. Deinde, implicat multiplicari Deos: ergo abſolutè loquendo propoſitio iſta,

Digitized by Google

Omne agens producit sibi simile, censetur esse falsa.

3. Ad 2 quæ sumitur ex D. Thom. in hoc art. in naturæ vniuersitate extare tot entia completa, quot voluit Deus liberè producere. Ad id autem quod dicitur, mundum hunc esse perfectissimum.

Respond. hoc esse ità intelligendum, quod habeat omnem perfectionem sibi debitam, ex decreto & ordine diuino eidem assignatam: non autem quasi dentur in mundo omnes omnino perfectiones possibiles: conuenit enim inter omnes nullam extare creaturam ità perfectam cui non possit Deus adiicere nouam aliquam perfectionem, ex illo; *Data quacumque re creata, potest Deus producere meliorem in infinitum.* Non colligitur ergo euidenter & necessariò angelos esse in hoc mundo, ex eo quòd dentur aliqua entia completa simpliciter corporea, & alia partim spiritualia, partim sensilia.

5. Ad 3. Aristoteli non innotuisse euidenter angelos ex motibus cœlorum; nam potuit aliquis affirmare cœlos à seipsis moueri, quod docèt plerique Philosophi & Theologi. Deinde, nõ est magis absurdum, cœlos moueri à seipsis, quàm grauia deorsum, & leuia seorsum ferri, aut etiam quàm faciant bruta animalia; eadem namque facilitate potuit Deus conferre cœlis vim motricem, qua contulit rebus proximè explicatis, neque enim huius rei potest assignari aliqua contradictio.

4. Ad 4. Non omnes gentes admittere existentiam angelorum; diximus enim Saducæos, Libertinos, Dositheanos negare existentiam cuiuslibet rei spiritualis. Deinde, licèt fateremur omnes omnino nationes concedere existentiam angelorum, non propterea sequeretur quod volunt authores isti; superesset enim explicandum, in quanam re posita esset substantia, & natura istorum angelorum: & item, an distinguerentur ab animabus nostris, vel etiam à tenuissimis substantiis sensilibus, quæ ob summam raritatem fugiunt captum cuiuslibet sensus externi.

5. Ad 5. non desunt qui dicant apparitiones omnes quæ fiunt arte magica delusorias esse, & apparentes tantùm, minimè autem veras & reales.

Cetera respõsio, hæc communiter reiicitur, fatentur enim Theologi in tract. de dæmonibus & dæmoniacis, & item de magia, cacodæmones apparere, Deo permittente, positis sortilegiis & inuocationibus magorum. Ex istis tamen non colligitur euidenter ratione naturali dæmones, aut etiam bonos angelos extare; nam posset aliquis affirmare, non dæmones sed animas hominum apparere. Fauet huic responsioni quod scribitur 1. *Reg.* 28. illic enim dicitur animam Samuelis apparuisse Saüli, positis prestigiis, & incantationibus Pythonissæ.

Vlt. Ad vltimam. Resp. ex dæmoniacis multò minùs colligi existentiam bonorum & malorum angelorum naturaliter; nam nulla actio exercetur ab istis quæ vel non sit bona, vel mala: si fuerit bona poterit rectè tribui Deo, aut homini ipsi dæmoniaco; si autem fuerit mala, cùm quiliber nostrùm capax sit admittere culpam, quare negabimus huiusmodi actionem fieri posse à dæmoniaco.

Replica. Instant aliqui, dæmoniacum interdum blasphemare, & inter blasphemias istas explicandas vti linguis omnino sibi incognitis.

Dissoluitur. Resp. loquutiones istas, vel potius blasphemias spectari secundum entitatem physicam & realem quæ in illis datur, & secundum deformitatem, putà quatenus sunt blasphemiæ reduplicatiuè: priori modo nihil vetat quominùs blasphemiæ istæ tribuantur Deo; ità enim non consequuntur rationem alicuius deformitatis, sed sunt nudæ loquutiones, & simplices voces articulatæ: Posteriori verò modo nec imputantur Deo, nec imputari possunt, sed soli dæmoniaco; ità enim habent ortum à voluntate creata deficiente, seu quod idem est, liberè operante contra legem Dei.

DVBITATIO SECVNDA.

An hominis natura sit imperfectior Angelica.

RAtio dubitandi est D. Augustini lib. de quantitate animæ, cap. 34. vbi verbis expressis docet, propterea solum Deum nobis esse colendum, quòd solus Deus sit nobis superior, & lib. 3. de libero arbitrio cap. 11. ait angelos superiores esse officio hominibus; pares verò natura.

Deinde, non datur vlla res præstantior, ea quæ facta est ad imaginem & similitudinem Dei: at homo dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei, Genes. 1. minimè verò angelus: ergo homo est naturę perfectioris, quàm sit angelus.

Angelus perfectior homine. Hebr. 1. Psal. 8. vers. 6. Chrysost. August. Tertul. Athanas. 3.

Daniel. 14.

4.

Iob. 41. vers. 24.

Soluuntur rationes dubitandi.

CONCLVSIO. *Natura angelica est multis partibus præstantior humana.* Primò, quia iudicio D. Pauli Hebræor. cap. 1. humanitas Christi postponitur angelis, quod probat ex illo Psal. 8. *Minuisti eum paulò minùs ab angelis*, dem docent Chrysost. D. Augustinus, Tertullian. lib. de carne Christi, cap. 4. Athanas. & alij plerique interpretes loci Dauidis proximè citati.

Tertiò, naturę præstantia alicuius rei cognoscitur à nobis per effectus quos producere consueuit; demonstratur enim natura quælibet per suos effectus à posteriori; at certum est angelos exercere actiones aliquas ità præstantes, & singulares, vt ad earum productionem nequeat tota etiam humana natura cum suis indiuiduis sumpta peruenire: Daniel quippe 14. dicitur de vno angelo quòd prophetam Abacuc è propriis ædibus in Babyloniã deportarit, & quidem intrà breuissimum tempus, esto interiicerentur infinitæ propemodum leucæ inter Babyloniam & solum natiuum prophetæ Abacuc, & in Actis cap. 8. transfertur similiter Philippus Diaconus in Asotum: Christus è deserto in pinnaculum templi Hierusalem, & è pinnaculo in remotissimum montem defertur à Dæmone: magi item Pharaonis præsidio dæmonis suffulti suas virgas non minùs transmutarunt in veros serpentes, quàm præstiterit Moyses, vt constat ex cap. 7. Exod. & communiter docent scholastici Theologi cum D. Thom. Item exercitus Sennacherib. principis Assyriorum intrà breuissimum tempus ab vnico angelo destruitur, etiamsi consurgeret ex centum octuaginta millibus hominum: Indubitatum autem est neminem ex hominibus intrà terminos proprię naturę relictum aliquem ex effectibus proximè explicatis posse producere.

Quartò, confirmatur ex illo Iob. cap. 41. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei*, qui locus explicatur communiter de dæmone: ergo hominis natura debilior, & imperfectior est angelica.

Ad rationes verò contrarias respond. Ad vltimam D. Augustinum in lib. de quantitate, affirmare

Digitized by Google

mare anima rationali nihil eſſe in orbe præſtantius præter Deum, & item libro 3. de libero arbitrio animam & angelum pares eſſe natura, impares verò officio: Ceterum ratio iſta loquendi non eſt admittenda ſimpliciter & abſolutè; nam præter ea quæ diximus in confirmationem noſtræ Concluſionis, certum eſt angelos ante homines fuiſſe factos, & eſſe ſua natura immateriales & incorruptibiles; intelligere item illud omne quod eſt in natura ordinis naturalis, ſinè vlla dependentia à rebus intellectis, & abſque vllo planè diſcurſu, adhærere præterea rebus quibuſque volitis immobiliter, quę de homine dici non poſſunt. Deinde, ceteri omnes Patres, itémque Theologi ſcholaſtici fatentur humanam naturam gubernari angelorum miniſterio, idque conformiter ſacris litteris, quę aſſerunt angelos datos eſſe in
D. Auguſt. miniſterium hominum. Denique ipſemet D. Auguſtinus locum libri de quantitate animæ proximè citatum retractauit cap. 16. lib. 1. Retract. *Quod*, inquit, *dixi*; *Quod eſt omni anima melius, ad Deum dicimus, magis dum debuit, omni creatę ſpiritui melius*, quaſi dicat, quoniam & pluſquàm anima aliquis ſpiritus melior eſt, vt obſeruat Peſant. ad hunc art. D. Thomę.

2. Ad 2. Reſpond angelum tam verè eſſe factum ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quàm ſit homo; dicitur enim quippe Ezech. cap 28. de Lu-
Ezech. 28. verſ. 12. cifero, *Tu ſignaculum ſimilitudinis, perfectus decore, & plenus ſapientia.* Deinde, ratio imaginis & ſimilitudinis ad Deum, poſita eſt in eo quòd detur in homine intellectus, voluntas, & ſanctitas aliqua accidentalis, ex communi doctrina SS. Patrum: at voluntas, intellectus, ſanctitas accidentalis quæ vulgò nuncupatur gratia gratum faciens, tàm verè ſunt & fuerunt in angelis, à primo inſtanti creationis eorumdem, quàm dentur in quolibet homine ſanctiſſimo: ergo. Deni-
Dionyſ. que, D. Dionyſius cap. 4. lib. de diuinis nominibus verbis expreſſis fatetur angelos eſſe imaginem & ſimilitudinem Dei.

DVBITATIO TERTIA.

An Angeli ſint corporei.

MIſſis de hac re variis SS. Patrum, & Theologorum opinionibus.

Angeli incorporei. CONCLVSIO. *Aliquando liberum fuit ſuſtinere, Angelos eſſe corporeos: noſtris verò ſeculis citra manifeſtum errorem, & temeritatem, nemini licet defendere Angelos eſſe corporeos.* Prima pars Concluſ. probatur, quia nuſquam hactenus definiuit Eccleſia, angelos eſſe incorporeos.

Deinde, quia multi Patres docuerunt angelos eſſe corporeos, quos citat Molina ad hunc art. D. Thom. & Vazq. diſp. 168. ad hanc partem,
Geneſ. 6. verſ. 2. Pererius ad hæc verba cap. 6. Geneſ. *Videntes filij Dei, filias hominum quòd eſſent pulchræ.*

Tertiò, non deſunt de Scholaſticis qui velint angelos eſſe corporeos hoc nomine, quòd non detur in iſtis tanta ſimplicitas & immaterialitas quanta datur in Deo Opt. Max. Ità ſentire videtur Magiſter diſt. 8. lib. 2.

2. Secunda verò pars probatur ex illis Scripturæ locis in quibus angeli nuncupantur Spiritu,
Actor. 23. verſ. 8. Hebr. 1. verſ. 14. Actuum cap. 23. *Saducei dicunt non eſſe reſurrectionem, neque angelum, neque ſpiritum*; voces enim iſtæ poſtremæ angelus, & ſpiritus, pro vno & eodem ponuntur, & Hebræor. 1. dicitur de angelis; *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus*, & Pſal. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, atqui nomen hoc, *Spiritus*, in ſacris litteris vt plurimum vſurpatur pro re ſimpliciter ſpirituali, ſeu quod idem eſt, ſimpliciter incorporea, vt conſtat ex cap. 4. Ioanzis, *Deus ſpiritus eſt*; Eccleſiaſt. 12. *Et ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*, Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, & rurſus: *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* Secundo ex Symbolo Concilij Nicæni, in quo dicitur de Deo, quòd ſit *Factor viſibilium omnium & inuiſibilium*, & ex Concil. Lateran. ſub Innocent. III. & refertur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica; dicitur enim illic Deum creaſſe ab initio temporis vtramque naturam ſpiritualem, & corporalem, quibus in locis particulæ iſtæ, *Corporea & ſpiritualis, viſibilis & inuiſibilis*, ſunt perpendendæ; nam cùm ſubſtantia corporea opponatur ſpirituali, & viſibilis inuiſibili, ſubſtantia ſpiritualis debet eſſe neceſſariò ſimpliciter incorporea; differentiæ ſiquidem alicuius generis ſeipſis totis differunt, neque in aliquo conueniunt ſub ea ratione qua ſunt tales differentiæ. Moneo tamen Patribus iſtius Concilij nuſquam veniſſe in mentem definire angelos eſſe ſimpliciter ſubſtantias ſpirituales: ſed tantùm vtramque ſubſtantiam, tam ſpiritualem quàm corpoream fuiſſe à Deo procreatam ex nihilo.

Tertiò, probatur Concluſio ex Patribus, qui communiter docent angelos eſſe ſimpliciter ſpirituales & incorporeos. Ita Dionyſ. in lib. de cœleſt. hier. cap. 1. & 2. & cap. 4. ſtatim in initio lib. de diuinis nominibus. *Vitam*, inquit, *habent ſempiternam (mentes ſcilicet angelicæ) & quæ immunis non poteſt, ab omnis interitu, morte, materia, ortuque ſoluta ac libera, nec in eas cadit inſtabilis, & fluxa, & quæ aliàs aliter fertur mutatio; eademque & vt corpore ac materia vacantes intelliguntur.* & Gregor. lib. 4. dialog. cap. 29. Quis ſanum ſapiens, eſſe ſpiritus corporeos dixerit: & Nyſſenus in lib. de oratione diuidit omnes ſubſtantias creatas in corporeas & in incorporeas, inter iſtas refert angelos; inter illas vero hominem, & res quaſlibet alias ſenſiles: Chryſoſt. & alij. 3. Dionyſ. Gregor. Nyſſen.

Quartò, ſi angeli eſſent corporei, fieri non poſſet vt legio vna dæmonum, intrà vnum & idem corpus humanum locaretur, conſtat enim legio è tex millibus ſexcentis, ſexaginta ſex; at ex cap 8. Luc. certum eſt legionem dæmonum recepiam eſſe in vno ſolo dæmoniaco. Luc. 8. verſ. 30.

Quintò, ſi angeli eſſent corporei inter agendum defatigarentur; corpus ſiquidem quod corrumpitur aggrauat animam: & Ariſtoteles docuit animam ſeneſcere in corpore, non quod de facto ſeneſcat, ſed quia organa quibus vtitur in ſuis actionibus exercendis verè ſeneſcunt, & minùs, apta redduntur ad operandum, ex communi doctrina Theologorum, & Philoſophorum: non poſſent præterea angeli, ità velociter ex vno loco ad alium quantumuis diſtantem intrà breuiſſimum tempus accedere quod conſtat angelos præſtare ex cap. 1. Iob. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Iob. 1. ℣. 7.

Temerarium dicere Angelos eſſe corporeos. Quod autem ſit manifeſtus error, & expreſſa temeritas noſtris ſeculis defendere angelos eſſe corporeos, colligitur ex eo quod fateantur omnes opinionem illam eſſe erroneam manifeſtè, & temerariam quæ aſſeritur contra communem vſum loquendi SS Patrum, Concil. Scripturæ, & Philoſophorum omnium: Scriptura autem,

Digitized by Google

Patres, Concilia, & denique Scholaſtici omnes docent de angelis quod ſint ſpiritus: ergo contrarium aſſerere eſt erroneum & temerarium.

Obiectio. Obiicies, angelos frequenter mortalibus apparuiſſe.

Solutio. Reſpond. hoc eſſe verum, ceterum in corporibus aſſumptis, non autem in veris, & ſibi propriis vt probabitur infrà.

Obiectio 2. Obiicies 2. angelos loqui, manducare, & bibere, itémque peregrinari cum hominibus, vt conſtat ex hiſtoria Tobiæ, & ex cap. 18. & 19. Geneſ.

Solutio. Reſpond. loquutiones iſtas, comeſtiones, & deãbulationes non fuiſſe propriè & formaliter loquẽdo veras comeſtiones, locutiones aut deãbulationes, ſed tantùm apparentes, propter ſimilitudinem quam habuerunt cum comeſtionibus veris, deambulationibus, & locutionibus noſtris: nam fieri nulla ratione poteſt, vt detur actio vitalis quæ non ſit à principio vitali, vitaliter operante; in angelis autem bonis vel malis, non datur principium vitale ſenſile, & organicum: non ergo potuerunt producere veras comeſtiones, &c. Nam actiones iſtæ ſunt ex ſe & ſua natura vitales, pendentes ab organo ſenſili & vitali.

Obiectio 3. Obiicies 3. Dæmones vinculis obſtringi apud inferos, & ibidem cruciari ab igne; dicitur enim

2. Petr. 2. verſ. 4. 2. Petri cap. 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus non peperit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reſeruari.* &

Matth. 25. Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

Solutio 1. Reſpond. Dæmones propriè & formaliter loquendo non vinciri neque conſtringi vinculis illis apud inferos, ſed tantùm metaphoricè, quatenus ſcilicet illic detinentur contra propriam voluntatem.

Solutio 2. Reſpond. 2. dæmones torqueri ab igne per veram & realem cauſalitatem, ſeu efficientiam; ac proinde phyſicè, & non moraliter tantùm, vt volunt aliqui. Neque enim magis abſurdum eſt ignem inferni, per verum & realem influxum producere qualitatem aliquam in ipſis dæmonibus, ex cuius poſitione ſequitur in iiſdem ſummus cruciatus, quàm ſacramenta nouæ legis producere gratiam in animabus eorum hominum qui dignè accedunt ad eorum ſumptionem. Dicemus autem in tractatu de ſacramentis in genere, ſacramenta nouæ legis producere gratiam in ratione cauſæ efficientis phyſicæ: ergo.

Replica. Inſtabis, fieri non poſſe vt aliquid operetur extra latitudinem ſui obiecti adæquati; dæmones autem eſſe extra latitudinem obiecti adæquati ignis, hoc enim cenſetur eſſe calefactibile, & combuſtibile.

Diſſoluitur. Reſpond. ignem ſpectari duobus modis, quatenus ſcilicet relinquitur intrà terminos propriæ naturæ, & præterea quatenus ſubiicitur omnipotentiæ diuinæ, ratione potentiæ quæ in omni planè re creata datur reſpectu Dei. Priori modo rectè probat argumentũ ignem inferni non poſſe agere in dæmones; ità enim dæmones ſunt extra latitudinem obiecti adæquati ignis. Poſteriori verò modo nedum pati poſſunt dæmones ab igne, ſed de facto patiuntur; continentur ſiquidem intrà latitudinem obiecti ignis, quatenus habet rationem inſtrumenti Dei vindicantis & vlciſcentis peccata dæmonum: ità enim obiectum ignis cenſetur eſſe quodcumque patibile: quod probatur ex eo quòd fateantur omnes Deum poſſe vel ſe ſolo, vel media qualibet alia creatura illud omne quod poteſt cum certa aliqua alia creatura producere: at poteſt Deus in omni planè re creata etiam ſpirituali producere certas aliquas qualitates ſpirituales, vt conſtat de fide, ſpe, & charitate, lumine gloriæ & aliis multis, quas Deus quotidie nobis confert, & contulit angelis in eorum productione: quare ergo non poterit Deus cum igne inferni producere qualitatem aliquam ſpiritualem in dæmonibus, ad cuius poſitionem ſequatur dolor quàm maximus in ipſis dæmonibus?

Obiicies in 7. Synodo act. 5. probari à Patribus iſtius Concilij ſententiam Ioannis Epiſcopi Theſſalonicenſis aſſerentis imagines angelorum in Eccleſiis rectè retineri, cuius rei cauſam iſtam ſubiungit; *Quia*, inquit, *Angeli ſunt corporei.* *Obiectio 4. 7. Synod.*

Reſpond. ſententiam iſtius Epiſcopi probari Patribus 7. Synodi, ex eo tamen cap. quòd doceat imagines angelorum debere retineri in Eccleſia; minimè verò placet Patribus iſtis ratio aſſignata ab iſto Epiſcopo, vt videtur colligi ex eo quòd diſputaretur eo in loco de vſu tantùm licito, vel illicito imaginum, non autem agitabatur hæc quæſtio; An angeli eſſent corporei, vel incorporei. Deinde, idem Ioann. Theſſalonicenſis Epiſcopus affirmat propterea angelorum imagines meritò retineri, quod frequentiſſimè apparuerint in aſſumptis corporibus. *Solutio.*

Tandem obiicies, Patres affirmare dæmones recreari & delectari ſuffitu & odore ſacrificiorum ſibi factorum. *Obiect. vlt.*

Reſpond. in dæmonibus nullam poſſe admitti delectationem; repugnat enim quempiam eſſe ſummè miſerum, & ſummè cruciari, & nihilominus delectari re aliqua. Quando ergo Patres docent dæmones delectari, id intelligendum venit hoc ſenſu, quòd voluntas ipſorum interdum & aliquando adimpleatur, non autem quòd verè & de facto delectentur. *Solutio.*

Articvlo 2. docet ſanctus Thomas angelos eſſe ſimpliciter immateriales, & quidem meritò. Articulo namque proximè antecedente tradiderat angelos eſſe ſimpliciter incorporeos: Sancti item Patres docent in intelligentiis nullam extare materiam. Ità Dionyſ. cap. 4. lib. de diuinis nominibus. Tertiò, materia cenſetur eſſe principium tranſmutationis, & corruptionis; definitur quippe hæc ab Ariſtotele, primum ſubiectum ex quo exiſtente aliquid fit, & in quod vltimò omnia reſoluuntur; certum autem eſt angelos eſſe incorruptibiles, quod probabitur poſtea. Quartò, ex multorum doctrina quantitas eſt propria affectio materiæ, in angelis autem nulla datur quantitas molis. *Dionyſ.*

Obiicies Boëtium, & D. Auguſtinum affirmare Deum ab initio produxiſſe ſimul materiam rerum viſibilium & inuiſibilium. Reſpond. 1. dubitari ab authoribus, an liber de vnitate & vno, ex quo citatur Boëtius pertineat ad illum. Deinde, licèt fateremur codicem hunc compoſitum à Boëtio; non tamen propterea vrgeret argumentum hoc; tantùm enim habet, formas ſimplices nulla recipere in ſe accidentia. Ad Auguſtinum verò non eſſe mirum ſi hoc dixerit, cùm crediderit angelos eſſe corporeos. Deinde, ſunt qui putent propterea ità loquutum fuiſſe, quod inter res viſibiles detur aliqua quæ habeat formam ſimpliciter ſupernaturalem, vt manifeſtè comprobatur ex omni homine, vel certè quod dentur aliæ ità tenues & ſubtiles, vt ſenſibus externis vix deprehendi poſſint. *Auguſt. Boëtius.*

Dices,

Digitized by Google

Dices, potentiam receptiuam eſſe materialem, genus item rei alicuius ſumi à materia; in angelis autem datur potentia receptiua, iréque conſtituuntur iſti ſub certo aliquo genere categorico: ergo dabitur in angelis materia. Reſpond. non omnem potentiam receptiuam eſſe materialem, nam fides, ſpes, charitas, gratia gratum faciens in eorum opinione qui putant diſtingui realiter à charitate, lumen gloriæ, & alia huius generis recipiuntur in animabus noſtris, tanquam in ſubiecto; & tamen animæ noſtræ ſunt ſubſtantiæ ſimpliciter ſpirituales: falſum eſt item genus in omni planè re ſumi à materia; nam cùm dentur ſubſtantiæ ſimpliciter ſpirituales completæ, admittenda eſt in iſtis natura generica & ſpecifica, & tamen nulla datur in eis, neque dari poteſt materia. Pronunciatum ergo hoc, genus ſumitur à materia, & differentia à formę locum habet in ſolis ſubſtantiis corporeis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Angeli ſint in magno aliquo numero.

S. Thom. *Angeli in magno numero.*

DVo tradit documenta ſanctus Thomas hoc loco. Primùm eſt, *Angelos eſſe propemodum infinitos numero.* Secundum eſt, *Numerum Angelorum ſuperare multitudinem rerum ſenſilium, & inſenſilium.* De primo nulla poteſt eſſe difficultas; dicitur enim Daniel 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei:* qui locus manifeſtè loquitur de angelis, & Iob. cap. 25. *Nunquid eſt numerus militum eius?* Moneo tamen locum hunc à quibuſdam explicari non de angelis, ſed de illis omnibus creaturis quibus vtitur Deus in certis quibuſdam actionibus exercendis: de qua re legendi ſunt interpretes ibidem. Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?* & Apocal. 5. *Et erat numerus eorum,* ſcilicet angelorum, *millia millium.* & Hebræor. 12. *Multorum millium angelorum frequentiam.* Deinde, ex ſacra Apocal. conſtat tertiam partem angelorum corruiſſe in infernum peccante Lucifero, & ex cap. 8. Luc. legionem angelorum malorum, quam diximus conſurgere ex ſex mille, ſexcentis, ſexaginta ſex locatum fuiſſe in vno dæmoniaco. Item nouimus ex iiſdem Scripturis cuilibet homini dari angelum cuſtodem: ergo cùm multitudo hominum ſit propemodum infinita, magis quoque erit infinita multitudo angelorum. Rurſus, ſancti Patres docent tantam eſſe angelorum multitudinem, vt à nullo planè hominum poſſit intelligi, ſed à ſolo Deo. Ità Gregor. lib. 17. magnorum moral. cap. 9. *Supernorum ciuium numerus infinitus & definitus exprimitur: vt qui Deo eſt numerabilis, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur:* quod nedum verum eſt de multitudine angelorum ſumpta materialiter, ſed etiam de eadem ſumpta formaliter; ità vt nullus noſtrûm ſit qui poſſit naturaliter intelligere tot, & non plures extare angelos, aut hos, & illos in particulari, exceptis tamen Michaële, Gabriele, & Raphaële, quandoquidem iſtorum nomina exprimuntur in ſacris litteris: & in quodam Concilio Rom. verbis expreſſis dicitur, nomina quorumcumque angelorum varia & diuerſa è proximè explicatis non eſſe vlla ratione in Eccleſia vſurpanda.

Quod verò attinet ad 2. documentum ſancti Thom. conſtanter affirmo non eſſe ſatis explicatum: Certum enim eſt inter res inſenſiles primas vendicare ſibi partes elementa & cœlos: quis autem dicat plures extare cœlos, & elementa quàm ſint res aliæ inſenſiles? & tamen D. Thom. propterea vult hoc loco angelos ſuperare numero ſubſtantias ſenſiles & inſenſiles, quòd angeli ſint præſtantiores hoc ipſo quòd magis accedunt ad Deum, ex quo colligit angelos debere eſſe numeroſiores. Deinde, inter res animatas ſenſiles homo cenſetur eſſe præſtantior, & nihilominus nullus eſt qui audeat aſſerere plures dari homines quàm dentur indiuidua cuiuſlibet alterius ſpeciei animalis. Tertiò, licèt fateremur quod volunt aliqui Thomiſtæ, propoſitionem iſtam ſancti Thom. intelligendam eſſe de ſpeciebus angelorum, ità vt velit plures dari ſpecies angelorum quàm dentur inter res ſenſiles & inſenſiles, propoſitio iſta adhuc non eſſet ſimpliciter vera; Guillelmus enim Pariſienſis Epiſcopus in tract. de angelis, & plerique alij cum eo, fatentur omnes angelos pertinere ad vnam & eamdem planè ſpeciem. Alij verò putant extare ad ſummum nouem ſpecies angelorum, quemadmodum ſunt tantùm nouem ordines eorumdem; neque etiam comprobatur euidenter propoſitio ſancti Thom. ex eorum opinione, qui aiunt illum comparaſſe tantùm angelos cum hominibus: nam fundamentum iſtorum authorum eſt manifeſtè falſum cùm credunt homines eſſe in hunc finem à Deo procreatos, vt reparentur ſedes deperditæ ab angelis, & tamen certum eſt omnem hominem eſſe à Deo productum vt æternam vitam conſequeretur, etiamſi nullus ex hypotheſi peccaſſet inter angelos. Deinde, licèt angeli deſtinati ſint ad hominum cuſtodiam, nihil tamen repugnat buominùs vnus & idem numero angelus, multorum, imò & infinitorum cuſtodiam aſſumat. Denique de ſolis hominibus beatis dicitur Apocal. cap. 7. *Poſt hæc, vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Si ergo homines iſti beati numerari nequeunt, quî verum eſſe poteſt angelos ſuperare ſua multitudine quoſlibet homines?

Incertũ eſt an numerus Angelorum maior ſit quàm numero rerum ſenſibilium & inſenſibilium.

Daniel 7. verſ. 10. Iob. 25. verſ. 3. Matth. 25. verſ. 53. Apocal. 5. verſ. 11. Hebr. 12. verſ. 22. Apocal. 7. verſ. 9.

Obiicies, Tobiæ cap. 12. dici; *Ego ſum Raphaël angelus, vnus ex ſeptem Angelis qui ſtamus ante Dominum,* ſimile quod dicitur Apocal. 1. *A ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt.* Reſp. ex iſtis locis non poſſe colligi, quod voluerint aliqui hæretici, extare tantùm ſeptem angelos; ſed tantùm, quod dentur ſeptem angeli qui ſtant ante conſpectum eiuſdem; cum iſtis tamen rectè cohæret, vt dentur infiniti alij in alio ſitu conſtituti. Accedit Gregorium homil. 25. in Euangel. affirmare numerum definitum & certum, pro indefinito poſitum fuiſſe hoc loco.

Obiectio.

Tob. 12. verſ. 15. Apocal. 1. verſ. 4. *Solutio.*

Gregor.

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

An Angeli differant specie.

Quorumdã opinio & fun damenta.

VARIANT Theologi scholastici in hac re explicanda; alij enim volunt quemlibet angelum constituere propriam speciem, & quidem ità, vt nec de facto multiplicentur intrà eamdem speciem, secundum numerum, nec possint virtute diuina multiplicari. Ità docent Thomistæ communiter, credúntque opinionem hanc traditam esse à sancto Thoma, pluribus in locis; & item in corpore huius artic. docet enim materiam signatam, seu quod idem est, affectam quantitate, esse principium indiuiduationis.

1.

2. Deinde, vnitas specifica & formalis censetur esse vna, & eadem planè, at angeli distinguuntur inter se formaliter.

3. Denique, in rebus æternis non multiplicantur indiuidua, vt constat de Sole, Luna, & aliis planetis.

Alij verò putant omnes angelos pertinere ad vnam & eamdem speciem, illa eadem ratione, qua omnes homines censentur esse vnius & eiusdem speciei infimæ. Ità Guillelm. Parisiensis, & alij nonnulli veteres Theologi in hac materia.

Alij verò putant esse tantùm nouem species angelorum, quemadmodum sunt nouem ordines eorumdem, ex doctrina communi Theologorum.

Alij fatentur intrà vnum & eumdem planè ordinem angelorum extare plures species eorumdem. Ità Molina hoc loco, & alij nonnulli recentiores.

Improbabile est Angelos non posse multiplicari intrà eamdem speciem.

CONCLVSIO 1. *Improbabile est Angelos non posse multiplicari secundum numerum, intrà eamdem speciem, virtute diuina.* Primùm, quia ea tantùm sunt deneganda omnipotentiæ diuinæ quæ manifestam inuoluunt contradictionem; at nullam dicit contradictionem angelos multiplicari intrà eamdem speciem; cùm species definiatur à Porphyrio capite de specie, id quod prædicatur de multis non differentibus in quid, quod explicatur communiter à Logicis omnibus, de prædicatione actuali, vel virtuali naturæ specificæ respectu suorum indiuiduorum: Authores autem isti volunt angelos nec actu, nec potestate diuina posse multiplicari intrà eamdem speciem. Confirmatur hæc eadem minor: De ratione cuiuslibet vniuersalis est, vt sit vnum aptum esse in multis, & vnum extra multa: ergo cùm natura angelica habeat naturam speciei alicuius, & species quælibet sit vniuersale quidpiam, necessariò dicendum est speciem istam angelorum reperiri actu, vel potestate in multis indiuiduis. Deinde, si angeli non possent multiplicari intrà eamdem speciem, id accideret vel propter summam eorum perfectionem, vel imperfectionem; neutrum dici potest: Non primum, personæ siquidem diuinæ sunt infinitis partibus perfectiores angelis quibusuis, & tamen istæ multiplicantur intrà Deum: Neque item 2. quia animæ rationales sunt omnium iudicio imperfectiores angelis quibusuis, & tamen istæ multiplicantur intrà vnam & eamdem planè speciem. Denique, potest Deus angelum Michaëlem v. g. annihilare; nam eadem facilitate qua produxit illum, potest etiam eumdem destruere: ergo poterit etiam Deus alium angelum eiusdem speciei cum Michaële producere; neque enim Deo magis est difficile aliquem angelum solo numero distinctum à Michaële producere, quàm ipsummet Michaëlem iam productum.

Probabile est Angelos pertinere ad eamdẽ speciem.

CONCLVSIO 2. *Probabile est omnes angelos pertinere ad vnam & eamdem planè speciem atomam.* Primùm, quia sancti Patres docent in omnibus angelis reperiri vnam & eamdem essentiam & naturam. Ità Athanas. quæst 8. ad Antioch. tomo 2. edit. Commelinianæ; quærit enim illic quot sint ordines angelorum & essentiæ. Respondet, *Vna & eadem est essentia, sicut etiam vna tantùm est hominum essentia*, & quæst. 7. rogat quid inter se differant angelorum essentiæ & dæmonum? Resp. *Essentia*, inquit, *non differt, sed voluntas diuersa est; sicut boni & mali hominis animus inter se differt*: & Damasc. lib. 1. Parallela cap. 6. *Angeli omnes, vt nomen vnum, sic vnam quoque naturam omnino habent.* & Basil. lib. 3. contra Eunomium. *Angeli omnes vt vnius appellationis, sic etiam sunt eiusdem naturæ inter se*, & Anselm. lib. 2. Cur Deus homo cap. 21. *Omnes Angeli sunt vnius naturæ.*

Athanas. Damasc. Basilius. Anselm.

Deinde, in omnibus angelis reperitur ratio intellectiui, & immaterialitatis, ità vt immaterialitas videatur esse ratio generica, intellectiuum verò differentia per quam distinguuntur isti à rebus intellectiuis; licèt enim Deus intelligat & item homines, non tamen illo eodem modo quo angeli; nam isti intelligunt per species sibi concreatas sinè discursu, & vnum post aliud tantùm; homines verò intelligunt dependenter à speciebus emendicatis ab obiectis, & medio discursu: Deus tandem intelligit vnico simplicissimo intuitu illud omne quod intelligit: ergo.

Tertiò, societas naturæ specificæ plurimum conducit ad amicitiam retinendam: at inter angelos datur summa concordia.

Denique, omnes homines sunt vnius & eiusdem planè speciei infimæ: quare ergo idem non dicetur de omnibus & singulis angelis?

Probabilius dari varias species Angelorum.

CONCLVSIO 3. *Est tamen multò probabilius inter Angelos dari varias & diuersas species infimas.* Primùm, quia SS. Patres docent propterea angelos non fuisse à Deo redemptos, bene tamen homines, quia tota natura angelica, peccante primo angelo, non perierat; bene tamen tota natura humana, peccante primo parente. Ità D. August. in Enchirid. ad Laurent. tom. 3. suorum operum cap. 29. *Placuit itaque vniuersitatis creatori atque moderatori Deo, vt, quoniam non tota multitudo angelorum perierat, Deum deserendo, ea qua perierat, in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo, illa deserente perstiterat, de sua certissimè cognita semper futura felicitate secura gauderet: Alia verò creatura rationalis, qua in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis, & originalibus & propriis tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelica societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret.* & Anselm. loco proximè citato: ergo dantur plures species necessariò inter angelos.

August. Anselm.

Secundò, in angelis datur prioritas & posterioritas, vt manifestè colligitur de angelis malis ex cap 11. Luc. *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* De bonis item angelis illud idem docet Dionysius in lib. de cœlest. hierar. tradit enim extare tres angelorum hierarchias, & in qualibet tres ordines: addit præterea superiores illuminare inferiores.

2. Luc. 11. vers. 15.

Tertiò,

Digitized by Google

3. Tertiò, in rebus ſenſilibus dantur infinitæ propemodum ſpecies: ergo illud idem erit dicendum de rebus ſimpliciter ſpiritualibus à Deo productis.

4. Denique, angelis data ſunt auxilia ſupernaturalia ſtatim in prima eorumdem creatione, iuxta inæqualitatem donorum naturalium, ex doctrina D. Thom. ſancti Thomę communiter conceſſa: ergo admittendæ ſunt variæ, & diuerſæ ſpecies inter angelos, alioquin dona ordinis ſupernaturalis æqualiter data fuiſſent angelis in prima eorum creatione; fuiſſent enim omnes æqualis perfectionis naturalis, reſpectu perfectionum eſſentialium, & item accidentalium quæ conſequuntur naturam cuiuſlibet rei neceſſariò.

Non repugnat hæc Concluſio præcedenti. Neque verò deſtruitur hæc Concluſio rationibus quibus confirmata fuit proximè antecedens aſſertio; nam quando Patres dicunt in angelis omnibus dari vnam & eamdem eſſentiam, hoc recte explicatur de natura & eſſentia generica; ità vt voluerint omnes angelos collocari ſub vno & eodem genere infimo. Intellectiuum item non cenſetur eſſe differentia vltima alicuius angeli, ſed tantummodò interiecta, quod videtur colligi ex eo quod dentur multa intellectiua, quæ tamen nulla ratione conſequuntur naturam angelicam, vt patet ex omnibus animabus noſtris: & D. Auguſtinus in lib. de Ciuitate Dei dubitat, an præter angelos & homines detur aliqua alia ſubſtantia rationalis à Deo producta.

Communio item naturæ ſpecificæ, licèt plurimum conducat ad amicitiam retinendam, non tamen eſt hæc ſimpliciter neceſſaria ad veram amicitiam, nam quilibet noſtrûm tenetur præcepto diuino ad Deum ſuper omnia diligendum, & item ad ſeipſum, & tamen Deus & homo non ſunt vnius & eiuſdem ſpeciei: defectus præterea communionis naturæ ſpecificæ poteſt ſuppleri dono aliquo ordinis ſupernaturalis; ac proinde licèt detur diuerſitas ſpecifica naturarum in angelis poterunt iſti ſeipſos diligere ſuppoſitis donis quibuſdam ordinis ſupernaturalis ſibi à Deo datis.

Nihil refert denique omnes homines eſſe vnius & eiuſdem ſpeciei infimæ; nam non ſunt angeli comparandi cum hominibus tantùm, ſed cum iſtis omnibus rebus ſenſilibus, quæ pertinent ad innumeras propemodum ſpecies. Denique tota ratio cur omnes homines ſint vnius & eiuſdem ſpeciei hæc redditur, quia quilibet informatur anima rationali, veluti forma propria: animæ autem ſunt vnius & eiuſdem rationis in omnibus hominibus; at angeli non componuntur ex materia & forma, ſed tantùm ex actu & potentia, ex eſſentia & exiſtentia, itémque ſubſiſtentia, ex genere & differentia.

Neſcitur numerus ſpecierum angelorum. Aduerte, minimè poſſe ſciri certò, quotus ſit numerus ſpecierum angelorum, neque item, an angeli multiplicentur ſecundum numerum intrà eamdem ſpeciem de facto; nihil enim hac de re dicitur aut in ſacris Conciliis, aut ſacris litteris, vel ſanctis Patribus. Deinde, docuimus numerum materialem vel formalem angelorum nulli hactenus innotuiſſe: imò neque ratione naturali demonſtrari poſſe exiſtentiam angelorum ab homine conſtituto in hac vita.

Diſſoluuntur rationes contrariæ. Ad rationes verò contrarias Thomiſtarum reſpond. ad 1. materiam ſignatam non eſſe principium indiuiduationis, vel formale, vel radicale, vt ipſi loquuntur: eſt enim de fide dari vnum tantummodo Deum ſecundum numerum, ità vt impoſſibile ſit vnitatem iſtam multiplicari; in Deo autem nulla datur materia ſignata, ſeu, quod idem eſt, affecta quantitate: præterea in quolibet homine datur vna diſtincta numero anima rationalis; & tamen animæ noſtræ ſunt immateriales ſimpliciter, & de fide eſt eſſe immortales, vt communiter fatentur omnes.

Ad 2. Ad 2. Reſpondeo diſtinctionem formarum non eſſe ſimpliciter idem cum diſtinctione ſpecifica, ſaltem propriè loquendo; nam duæ vltimæ differentiæ diſtinguuntur inter ſe formaliter, & tamen non poſſumus affirmare de iſtis quòd ſint duæ naturæ ſpecie diſtinctæ propriè & rigorosè loquendo de natura ſpecifica. Deus item diſtinguitur realiter & formaliter à rebus creatis, & tamen Deus non conſtituit ſpeciem aliquam diſtinctam à ſpeciebus rerum creatarum.

Ad 3. Ad vltimam. Reſpondeo indiuidua multiplicari nedum in rebus caducis, ſed etiam in æternis; dantur enim in Deo tres perſonæ diuinæ realiter inter ſe diſtinctæ: nullus eſt item qui negare queat animas hominum diſtingui inter ſe numero, & tamen pertinent iſtæ omnes ad vnam & eamdem planè ſpeciem. Sunt etiam qui credant cœlos omnes ſolo numero inter ſe diſtingui.

ARTICVLVS QVINTVS.

An Angeli ſint incorruptibiles.

Duplex ſententia. DVÆ ſunt hac de re Theologorum opiniones; Vna aſſerit angelos gratia, fauore, & liberalitate Dei eſſe incorruptibiles. Altera contra, angelos ex ſe & ſua natura incorruptibiles eſſe contendit. Vtraque eſt à nobis hoc loco concilianda, ideòque

Corruptibile & incorruptibile bifariam ſumitur. Aduerte, corruptibile & incorruptibile vſurpari duobus modis. Priori modo corruptibile cenſentur eſſe illud quod habet in ſe principium deſtructiuum ſui ipſius; hac ratione docet Ariſtoteles compoſitum ex quatuor elementis eſſe corruptioni obnoxium: qualitates enim iſtæ ſibi aduerſantur, & vna molitur exitium alterius. Incorruptibile verò cenſetur eſſe illud quod caret principio deſtructiuo ſui ipſius, & quidem intrinſeco; hac ratione fatentur communiter Philoſophi cœlos eſſe incorruptibiles, item animos noſtros: non enim datur in iſtis principium aliquod intrinſecum quod machinetur exitium vel cœlorum vel animorum noſtrorum.

Secundo modo corruptibile cenſetur eſſe illud, quod licèt careat principio ſibi intrinſeco deſtructiuo ſui ipſius, poteſt tamen ab aliquo alio agente extrinſeco corrumpi, idque propter dependentiam, quam dicit à tali principio extrinſeco: incorruptibile verò cenſetur eſſe illud quod caret principio intrinſeco deperditiuo ſui ipſius, & præterea principio extrinſeco à quo corrumpi poſſit hac ratione dicitur Deum eſſe incorruptibilem, eſt enim ens

Digitized by Google

simpliciter necessarium, ità vt non possit non esse.

Angeli corruptibiles impropriè. 1. Tim. 6. vers. 16. Idem 1. vers. 17.

CONCLVSIO 1. *Angeli sunt ex se & sua natura corruptibiles si corruptibile sumatur secundo modo:* nam Scripturæ sacræ docent solum Deum esse immortalem, seu incorruptibilem 1. Timoth. 6 *Qui solus*, scilicet Deus, *habet immortalitatem.* & cap. 1. *Regi seculorum immortali.*

Damasc.

Deinde, Patres verbis expressis docent solum Deum esse incorruptibilem, & angelos esse immortales non natura, sed gratia. Ità Damascen. lib. 2. de fide, cap. 3. sub initium. *Immortalis*, inquit, *item non quidem natura, sed gratia est angelus. Ità enim natura comparatum est, vt quidquid ortum habuit, finem quoque aliquando sit habiturum. Solus enim Deus semper est.*

Iustinus.

Illud idem docuerat anteà Iustinus lib. quæstionum quæ proponebantur à Gentibus, Christianis, quæst. 13. editionis Basilien sis: quærit enim illic sanctus Martyr; An id quod omnino genitum sit, incorruptibile esse possit, & qua ratione? Respond. *Quorum incorruptibilitas ex alterius dependet voluntate, ea nequeunt esse sinè generatione incorruptibilia. Quapropter solum Deum dicimus obtinere immortalitatem: quia ex sua ipsius natura, non ex alterius voluntate hæc illi adest:*

Cyrillus.

& Cyrillus lib. 8. Thesauri cap. 2. seu vltimo, paulò ante medium: *Nam & si angelus immortalis quadam res est propter voluntatem & gratiam Saluatoris; sed tamen quoniam ortum habuit & esse cæpit, occidere quoque potest, & non esse.* & in Concilio III.

Concil. Constant.

Constantinopolitano sub Agathone, actio. 11. ex Sophronio Patriarcha, ità dicitur de angelis & animis nostris: *Nullatenus moriuntur neque corrumpuntur, iuxta quod sensibilia desinunt, atque pertranseunt; non tamen sunt immortalia per naturam, neque in essentiam incorruptibilem transeunt, sed gratiam eis largitus est, à corruptione ea, & à morte coërcentem.*

Bernard.

& paucis interiectis similia habet: & Bernardus lib. 5. de Consideratione cap. 4. *Cives spiritus esse in cœlo, potentes, gloriosos, distinctos in personas, dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, corpore athereos, immortalitate perpetuos, impassibiles non creatos, id est, gratia, non natura.*

Tertiò, corruptibile hoc loco censetur esse illud, quod licèt careat principio destructiuo sui ipsius sibi intrinseco, potest tamen ab aliquo alio sibi extrinseco destrui; atqui possunt à Deo in nihilum redigi, eadem quippe facilitate qua Deus liberè produxit angelos, potest etiam eosdem destruere: cùm ergo angeli intrinsecè & essentialiter pendeant à Deo in esse, fieri, & conseruari, erunt isti verè corruptibiles ex se, & sua natura, respectu Dei illo sensu.

Incorruptibiles angeli ex se.

CONCLVSIO 2. *Angeli sunt incorruptibiles ex se & sua natura, si tamen incorruptibile sumatur pro eo quod caret principio sibi intrinseco destructiuo sui ipsius.* Primùm, quia sancti Patres verbis expressis docent angelos esse immortales, &

Dionys.

incorruptibiles ex se. Ità Dionys. cap. 4. lib. de diuinis Nominibus, statim fere initio, & cap. 6. eiusdem lib. *Etenim immortalium angelorum vita, & immortalitas, æternúsque angelorum motus, qui ab omni interim solutus est ac liber. Itaque viuere semper, immortalésque dicuntur.*

Athanas.

& Athanasius quæst. 19. ad Antiochum; *Nec enim potest corruptibilis oculus videre essentiam incorruptibilem.* & quæst. 30.

Deindè, de fide est animas nostras esse immortales: ità enim res hæc definita fuit in Concilio Lateranensi sub Leone X. & colligitur ex illo Sapien. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis:* ergo & angeli; nam de angelis dicitur Matth. 18. quòd semper videant faciem Patris in cœlis, & Matth. 22. quòd animæ nostræ sint similes angelis.

Concil. Lateran. Sap. 3. ℣. 1. Matth. 18. vers. 10. Idem 22. vers. 30.

Tertiò, tota ratio cur mixta sint ex se & sua natura corruptibilia, hæc redditur ab Aristotele, quia componuntur ex quatuor qualitatibus contrariis; atqui angelorum essentia consurgit ex rebus, quæ nullam dicunt inter se contrarietatem; componuntur enim angeli omnes ex re aliqua simpliciter spirituali, & quæ censetur esse solius considerationis metaphysicè: ergo sunt incorruptibiles.

Confirmatur. Principium corruptionis censetur esse materia, quæ definitur primum subiectum ex quo inexistente aliquid fit, & in quod vltimò omnia resoluuntur; at nulla planè datur materia in angelis, ex locis proximè citat. sanctorum Patrum: ergo nec principium corruptionis intrinsecum.

Obiectio 1.

Dices, implicare, esse corruptibile & incorruptibile; Conclusione autem 1. diximus angelos esse corruptibiles ex se.

Solutio.

Respond. propositionem maiorem esse veram de corruptibili & incorruptibili, modo tamen hæc duo dicantur de eodem, secundum idem, & eodem modo: angeli autem non sunt corruptibiles & incorruptibiles eodem modo; sed ratione diuersa, vt constat ex dictis.

Obiectio 2.

Obiicies; Scripturam sacram docere de Deo, quod solus sit immortalis, seu incorruptibilis, cap. 6. prioris ad Timoth.

Quorundã solutio refellitur.

Respond. non deesse qui putent solum Deum dici incorruptibilem & immortalem, quod immortalitatem à seipso solus habeat, & non ab alio acceptam. Ceterùm responsio hæc non videtur satis firma: Filius enim accepit suam essentiam à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & à Filio: & tamen Filius & Spiritus sanctus sunt tam verè Deus quàm Pater, cùm sit vna & eadem numero essentia in Patre, Filio, & Spiritu sancto.

Alij respondent, propterea solum Deum dici immortalem & incorruptibilem, quòd sit impeccabilis & immutabilis, mutatione nedum corruptiua, sed perfectiua: verùm atque isti argumento satisfaciunt; nam corruptibilitas & mortalitas sunt imperfectiones omnino diuersæ à mutabilitate & peccabilitate, ac proinde perfectiones istis oppositæ sunt inter se variæ, & diuersæ.

Authoris solutio.

Respondeo ergo propterea solum Deum dici immortalem, quod immortalitatem suam retineat à nullo dependentem: immortalitas autem & incorruptibilitas quæ datur in angelis, & animabus nostris, pendet in esse, fieri, & conseruari à solo Deo: ergo non sunt isti eadem ratione immortales, qua Deus.

Immortalitas angeli non est perfectio distincta ab ipsa.

Est autem aduertendum immortalitatem, quam dicimus inesse angelis, non esse perfectionem aliquam distinctam realiter ab essentia eorumdem; immortalitas quippe seu incorruptibilitas in angelis & animabus nostris est ipsamet angelorum & animarum essentia, prout caret principio sibi intrinseco, & item extrinseco creato à quo possit destrui.

Aduerte

Aduerte, stante hac hypothesi quòd quis intelligat existentiam angelorum, & quòd essentiam eorumdem perfectè cognouerit, cognosciturum etiam angelorum incorruptibilitatem, & immortalitatem; neque enim difficilius est intelligere angelos esse incorruptibiles, quàm animam rationalem; certum autem est Aristotelem solius naturæ præsidiis fultum intellexisse animarum nostrarum immortalitatem.

QVÆSTIO LI.

De comparatione Angelorum ad corpora.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Angeli habeant naturaliter corpora sibi vnita.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Angeli sibi assumant corpora.

CIrca istos duos Articulos tres sunt Dubitationes explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An Angeli appareant in veris & physicis corporibus, mortalibus; An verò imaginarijs, & phantasticis tantùm.

1. Opinio & fundamẽta. 1.

SVNT de hac re duæ opiniones, vna quæ negat apparere, aut apparuisse vnquam in veris corporibus, sed tantùm in delusorijs & imaginarijs; idque quod apparitiones imaginariæ magis conueniant hominibus & angelis, quàm quæ fieri possunt in veris corporibus: est enim angelus simpliciter spiritualis; mens item humana censetur esse soluta omni corpore.

2. Deinde, in sacris litteris dicitur de angelis quòd apparuerint plerisque inter dormiendum, vt constat ex cap. 2. Matth. *Apparuit angelus Domini Ioseph in somnis.* & in Actis Apostol. cap. 12. dicitur de alio angelo, quòd Petrum dormientem excitauerit; *Percussóque latere Petri excitauit eum dicens; Surge velociter, & præcingere & calcea te caligas tuas.*

Matth. 2. verſ. 13. Actor. 12. ℣. 7. & 8.

3. Tertiò, Lamiæ quæ dicuntur vidisse varias & diuersas formas, & item peragrasse permultas orbis regiones intrà breuissimum tempus, dicuntur vidisse ista solùm secùndum imaginationem & phantasiam, vt constat ex Concil. Ancyrano, vel Anquirensi cap. 1. & refertur in can. *Episcopi.* 26. quæst. 5.

4. Denique, visio fieri nequit nisi dependenter à colore & lumine; at nullus datur color, nec dari potest in illis corporibus in quibus apparent angeli mortalibus: nam corpora ista conficiuntur ab iisdem, vt postea dicitur ex elemento aëris; aërem autem esse ineptum ad colorem indubitatum est, ex eo quod medij colores supponant necessariò primos: isti autem nulla ratione sunt in aëre.

Angeli apparuerunt in corporibus.

Secunda sententia explicatur hac vnica Conclusione. *Angeli boni ac mali frequentissimè apparuerunt hominibus in hac vita constitutis, in vero & naturaliter corpore.* Probatur 1. ex cap. 18. & 19. Genes. Angelis quippe illic excipiuntur hospitio à Loth, & ab Abrahamo, imò obtenduntur in ædibus Loth à Sodomitis, & Gomorrhæis, & quidem eo consilio, vt prepostera libidine abuterentur huiusmodi corporibus assumptis ab angelis, & cap. 32. eiusdem libri certamen singulare init Iacob cum vno ex illis angelis, quos vidit ascendentes & descendentes per scalam, cuius altera extremitas cœlum, altera verò extremitas terram attingebat, & ex huiusmodi pugna permansit Iacob claudus toto tempore vitæ. Iosuë item 5. angelus videtur à toto exercitu gladium districtum in manu gerens, qui affirmat se esse principem exercitus Dei. Luc. item 1. & 2. manifestè dicitur de Gabriële, quod sit ingressus ad D. Virginem, & quod eam salutauerit verbis istis, *Aue gratia plena.* Pastoribus etiam Christo nato dicitur ab alio angelo cap 2. proximè citat. *Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus.* Exant innumeræ aliæ istis similes angelorum apparitiones in sacris litteris, quæ factæ fuerunt in veris corporibus, cùm huiusmodi corpora fuerint ab omnibus præsentibus visa, audita, & contacta.

Genes. 18. verſ. 2. & 19. verſ. 1. Luc. 1. ℣. 28. Luc. 2. ℣. 10. & 11.

2. Accedunt Patres, D. Augustinus lib. 15. de Ciuitat. cap. 23. *Apparuisse tamen hominibus angelos in talibus corporibus, vt non solùm viderì, verùm etiam tangi possent, eadem verissima scriptura testatur.* Beda quæst. 9. quæstionum variarum, qui liber extat tom. vltimo operum eiusdem, *Angeli corpora in quibus hominibus apparent, in supremo aëre sumunt, solidámque speciem ex cœlesti elemento inducunt, per quam humanis obtutibus, manifestiùs demonstrentur.* & Gregor. homil. 34. in Euangel. ait angelum Gabrielem fuisse missum ad Mariam, quatenus illi mysterium Incarnationis significaret. Damasc. 2. de fide cap. 3. *Sanè figuram eam quam Dominus Deus insserit assumunt, atque ità hominibus apparent, diuinaque ipsis mysteria patefaciunt:* Commentator verò huius operis ità dicit. *Noueris ille eam formam corpoream, quam assumunt angeli, vt visibilibus, & corporalibus visibiliter & corporaliter appareant, non esse de ipsorum substantia, sed aliunde, vt ex materia elementari efformatam:* addit interdum apparuisse in specie ignis, in specie brutorum animalium, equi, leonis, bouis, sed frequentiùs in specie formæ humanæ, propter maiorem conuenientiam, quæ datur inter angelum & mentem humanam: & D. Bernardus serm. 5. in Cantica, isti enim omnes verbis expressis docent angelos apparuisse interdum mortalibus in veris & naturalibus corporibus: ità D. Thom. hoc loco & interpretes eiusdem omnes, & Sententiarij in 2. dist. 8.

2. Beda. Gregor. Damasc. D. Bernar. D. Thom.

Rationes pro Conclusione.

Subiungo rationes aliquas in huius veritatis confirmationem: Scripturæ semper ad litteram intelligendæ sunt, nisi sequatur ex iis absurditas aliqua; at ex Scriptura manifestè constat angelos apparuisse in veris corporibus; nam corpora ista fuerunt visa & contacta ab innumeris propemodum hominibus, vt constat ex locis proximè citatis: ergo fuerunt vera corpora.

Digitized by Google

Denique, visio imaginaria distinguitur à vera & reali, quod sit de re minimè præsente, existimata tamen præsente, idque propter imaginationis læsionem, seu immutationem, ideòque nusquam comprobatur hæc iudicio sensuum externorum: ista verò censetur esse quæ est de re præsente, quæque iudicio & experientia sensuum externorum de facto comprobatur vera & realis; at dantur innumeræ angelorum apparitiones, quarum veritas comprobata fuit sensibus externis, ità vt angeli fuerint visi in corporibus assumptis, & item verè contacti, non quidem in seipsis, sed in corporibus assumptis: ergo non fuerunt illa corpora imaginaria aut delusoria, sed vera.

Soluuntur contraria fundamẽta. Ad rationes verò contrarias respond. Ad 1. non propterea docere nos angelos apparuisse in veris corporibus, quòd apparitiones veræ & reales magis conueniant aut disconueniant naturis hominum; & angelorum, sed quia ità tradunt Scripturæ, Patres, & denique Scholastici communiter. Denique, quod modus intelligendi hominis existentis in hac vita pendeat à speciebus sensibilibus, ità vt verè dixerit Aristoteles, nihil esse in intellectu quod non fuerit prius in sensu: propter hanc ergo causam magis conueniunt apparitiones factæ in veris corporibus ab angelis, mortalibus, quàm quæ fieri possunt apparenter tantùm.

Ad 2. Ad 2. respond. probare tantùm angelos interdum apparuisse, non quidem verè, sed tantùm imaginariè, quod nos vltrò concedimus. Addo tamen visionem illic relatam, & D. Petro factam, extitisse veram & realem, non apparentem tantùm, cùm dicatur illic quod angelus percusserit Petrum, quod cum fuerit alloquutus, eique viam qua libertate donatus est monstrauerit, & quidem angelo semper præeunte.

Ad 3. Ad 3. nusquam venisse Patribus Concilij Ancyrani in mentem definire omnes visiones factas in Lamiis extitisse imaginarias, sed aliquas tantùm, quales sunt illæ quæ referuntur de conuersione earumdem in iumenta: & item quando dicuntur intrà breuissimum tempus lustrasse prouincias remotissimas, & in illis aduertisse mira & singularia pleraque; cùm tamen istæ lamiæ in ædibus priuatis iudicio eorum omnium qui agunt in istis ædibus permanserint, ceterùm dormiendo. De istis ergo, & aliis nonnullis apparitionibus Lamiarum, docet Concil. prædictum quod extiterint tantùm apparentes, non autem veræ & reales; neque enim est in potestate dæmonis, aut etiam Dei, hominem mutare in brutum, remanente natura & essentia hominis vnà cum bruto. Hac ergo ratione dices Nabuchodonosor apparenter tantùm fuisse conuersum in brutum animal toto septennio, Dan. 4. stabularias similiter mulieres, quarum meminit D. Augustinus cap. 18. lib. 18. de Ciuit. mutasse creaturas aliquas rationales sumpto venenato caseo in iumenta, quæ postea deseruirent granis, & aliis rebus necessariis ad vitæ humanæ sustentationem conuehendis iumentorum more, & denique illud quod dicitur apud Palladium in vita Macharij de fœmina in iumentum conuersa ob indignam sumptionem sanctissimi Sacramenti: visiones enim istæ, seu conuersiones extiterunt tantùm apparentes, non autem veræ & reales.

Ad vlt. Ad vltimam respond. corpora in quibus apparent boni vel mali angeli esse compacta nedum ex aëre, verum etiam ex corporibus, & exhalationibus simul, vt postea dicetur; ac proinde non minùs posse apparere colorata, quàm nubes, & item iris in aëre, posse etiam verè videri & tangi.

Tribus modis fieri possunt apparitiones. Aduerte apparitiones istas angelorum posse fieri tribus modis. Primò, verè & realiter sine vlla illusione sensuum internorum, aut externorum; cuius generis sunt quæ passim leguntur in sacris Scripturis de angelis visis in Sodomis, & Gomorrhis: item de illo viso à Tobia, Abraham, Loth à D. Virgine, & ab alijs innumeris. 1.

Secundò, quotiescumque illuduntur sensus externi, & interni, ità vt videatur aliquid oculis externis quod minimè videtur, cuius generis censentur esse visiones illæ quæ referuntur in sacra Apocalypsi; non enim obiecta visa sensibus externis deprehendebantur, sed mediis quibusdam speciebus impressis phantasiæ, & imagini, vt communiter docent omnes. 2.

Aliæ denique contingunt quotiescumque aliquid verè obicitur sensibus externis; & tamen res ista quæ verè obicitur non videtur vt est à parte rei, sed longè aliter quàm sit, idque propter speciem impressam phantasiæ, quæ aliter repræsentat obiectum visum oculis externis, quàm de facto sit in seipso; cuius generis sunt apparitiones illæ quæ fiunt interdum media sola magia naturali, interdum verò operâ bonorum & malorum angelorum; de istis consulendus est Estius in 2. sentent. dist. 7. Tyræus in lib de apparitionibus, de dæmoniacis, & de dæmonibus. 3.

DVBITATIO SECVNDA.

Quánam ratione vniantur Angeli boni, vel mali, corporibus veris & naturalibus, in quibus videntur aliquando, & quæ assumuntur aliquando ab istis Angelis.

CONCLVSIO 1. *Angeli non coniunguntur corporibus assumptis ea ratione, qua forma naturalis coniungitur suæ materiæ; imò neq; hoc diuina opera fieri potest.* Primùm, quia implicat aliquid esse formam & non esse formam alicuius corporis naturalis: at implicat angelum esse formam alicuius corporis; est enim de ratione formę cuiuslibet entis physici, & naturalis, quod sit res aliqua incompleta & imperfecta, in ratione entis completi individui & singularis substantialis: est autem quilibet angelus substantia completa & perfecta, ità vt censeatur esse prima substantia: ergo non potest illi vniri vt forma. *Non possunt vniri Angeli vt forma.* 1.

Deinde, actus informationis nequit esse nisi à propria forma; dicitur enim communiter effectum formalem à nullo alio etiam diuina virtute posse produci, præterquàm à propria forma; at angelus non est forma, cùm sit ens per se completum: ergo nec potest actum informationis tribuere. 2.

Denique, quia ex forma & materia semper consurgit aliquod ens per se; at ex angelo & ex corpore assumpto nequit consurgere vnum ens per se, quod enim aduenit enti completo omnium consensione, facit ens per accidens, non autem per se: igitur nequit corpori vniri tamquam forma. 3.

Obiicit,

Digitized by Google

Obiectio. Obiicit Aureolus, qui licèt existimet angelum non esse formam corporis assumpti ab eodem, credit tamen diuina virtute posse esse formam corporis assumpti, idque quòd anima rationalis quamuis sit substantia spiritualis, & per se subsistat, est tamen hæc forma corporis humani.

Solutio. Respond. ex istis nihil planè posse colligi; non enim ideò anima rationalis est forma corporis humani, quòd hæc per se subsistat, & quod sit spiritualis, alioquin omnis res per se subsistens spiritualis posset esse forma corporis humani, quod tamen est manifestè falsum: nam Deus per se subsistit, & est simpliciter spiritualis, & tamen non potest esse forma alicuius entis creati. Deinde, certum est Deum posse producere substantiam aliquam spiritualem multis partibus nobiliorem angelo quolibet, & tamen non est verisimile substantiam istam diuina virtute posse esse formam alicuius entis naturalis; supponimus enim quòd ista substantia sit plenè completa in ratione substantię indiuiduę & singularis.

Obiectio 2. Obiicit 2. Aureolus: non est magis difficile Deo efficere, vt angelus sit forma corporis assumpti, quàm præstare vt aliquod accidens per se subsistat; ex mysterio autem sanctissimi sacramenti Eucharistiæ certum est accidentia per se existere: ergo & angelus poterit informare.

Solutio. Respond. negando propositionem maiorem; nam propterea facit Deus vt accidentia sanctissimi Sacramenti sint sinè subiecto, quia non est de ratione accidentis actu inhærere, sed tantummodò habere ordinem ad subiectum; est autem de ratione formæ cuiuslibet entis naturalis, quod sit substantia imperfecta, & incompleta in ratione substantiæ indiuiduæ & singularis; angelus autem quilibet est completè perfectus, in ratione substantiæ singularis, & quidem ex se, & sua natura.

Non vnitur hypostaticè etiam per omnipotentiam Dei. Conclvsio 2. *Angelus non vnitur hypostaticè corpori assumpto, neque item potest vniri eidem hac ratione per omnipotentiam Dei.* Prima pars huius Conclusionis ex eo manifestè innotescit, quod doceant omnes, in tractatu de incarnatione, vnionem hypostaticam hactenus fuisse tantùm factam inter Verbum diuinum, & humanam Christi naturam.

2. Deinde, quia assumptio corporis naturalis, fit à quolibet angelo bono vel malo, veluti à causa præcipua, & principali particulari, & quidem per vim & potentiam sibi connaturalem; vnio autem hypostatica sola omnipotentia diuina consurgere potest, quamobrem docent incarnationem esse miraculum miraculorum: ergo angelus non vnitur hypostaticè corpori assumpto.

Secunda verò pars probatur: Nulla subsistentia creata potest alicui alteri substantiæ, ab ea cuius est propria subsistentia communicari, vt manifestè colligitur ex eo, quod sancti Patres inter disputandum contra Nestorianos, & alios hæreticos admittentes in Christo duas personas, diuinam scilicet & humanam, ità contra istos argumentabantur. Humanitas Christi verè habet subsistentiam increatam Verbi: ergo hæc eadem humanitas caret subsistentia creata. Quæ ratio disputandi inepta esset si substantia creata posset vel consistere cum increata, vel cum creata alia subsistentia. Deinde, modus rei nequit separari à re cuius est modus; ità vt de facto sit extra rem quam modificat (est enim modus idem realiter cum re modificata) at substantia creata est modus naturæ substantialis creatę: ergo non poterit hic modus communicari corpori assumpto ab angelo, etiam diuina virtute.

Ex istis colliges Tertullianum non esse audiendum; hic enim in lib. de carne Christi, paulò post initium, docet columbam in qua apparuit Spiritus sanctus in baptismate Christi fuisse vnitam hypostaticè Spiritui sancto, imò hoc ipsum sentire videtur de angelis visis in veteri Testamento à Patribus. *Reiicitur Tertullian.*

Peccauit quoque in hac eadem re Origenes; tradidit enim, referente Hieronymo in suis commentar. ad cap. 3. Malachiæ, & ad cap. 1. Aggæi, Ioannem Baptistam extitisse angelum incarnatum, ac proinde potuisse facilè exultare in vtero materno ad præsentiam Mariæ: idem docet de Patriarcha Iacob & item de duobus Prophetis proximè commemoratis. *Origenis error.*

Conclvsio 3. *Angeli non vniuntur corporibus assumptis illa eadem ratione, qua accidens coniungitur suo subiecto:* nam accidens ita est in subiecto, vt naturaliter sinè eo esse non possit: angelus autem potest esse sinè corpore assumpto naturaliter; imò de facto est sinè vllo corpore vt plurimum. *Non vnitur Angelus corpori vt accidēs subiecto.*

Deinde, nulla substantia potest esse in aliquo tanquam in subiecto; est enim de ratione substantię per se existere & subsistere, solius autem accidentis est inesse alteri, tanquam in subiecto: ergo angelus non est in corpore assumpto, vt accidens in subiecto.

Conclvsio 4. *Angeli vniuntur corporibus assumptis, illa eadem ratione, qua motor vnitur mobili, seu, quod idem est, res quæ mouetur ab eo.* Ità D. Thom. art. 2. huius quæst. & interpretes eiusdem, & communiter Sententiarij dist. 8. lib. 2. *Vnitur Angelus vt motor mobili.* D. Thom.

Deinde, angelū assumere corpus, nihil est aliud quàm in vero & naturali aliquo corpore apparere, & eo vti veluti instrumento, ad hoc vt seiptum, vel certè suas actiones alicui alteri manifestet; at idem præstat motor quandocumque coniungitur mobili.

Denique, nullus est alius modus qui possit assignari à nobis, secundum quem vniatur angelus corpori assumpto; docuimus enim angelum non vniri tanquam formam corporibus istis, nec item hypostaticè, nec item ad modū accidētis subiecto: ergo dicendum est vniri illis, vt motorem mobili.

Dices, si ideò angelus dicatur vnitus corporibus assumptis, quod angelus habeat rationem motoris respectu corporis assumpti, sequeretur cœlos esse assumptos ab angelis, & item daemoniacos à dæmonibus; ex doctrina quippe Aristotelis, angeli mouent cœlos, & in rei veritate dæmones mouent corpora obsessorū modo in hanc, modò in alteram partem, vt volunt. *Obiectio.*

Resp. Pesantium & alios nonnullos ad hunc artic. sancti Thom. fateri de angelis posse concedi quod assumpserint cœlos, idque propter causam in argumento explicatam. Cetertùm rectiùs illi qui secus sentiunt: nam ad hoc vt aliquod corpus dicatur assumptum ab angelo, non est satis quod moueatur ab illo, sed præterea desideratur vt moueat huiusmodi corpus ex consilio, vt vel seipsum, vel suas operationes ceteris manifestet: certum autem est angelos non mouere cœlos, vt seipsos manifestent aliis, vel certè suas operationes cùm dentur plerique Phi- *Authoris solutio.*

loſophi & Theologi qui affirment cœlos non ab angelis, ſed à ſeipſis moueri. Eſt etiam notiſſimum dæmones nihil magis curare dum verſatur in dæmoniacis, quàm ſeipſos celare & occultare. Accedit quòd S. Thom. videatur docere art. 2. huius quæſt. angelum non aſſumere corpus aliquod niſi fuerit in eo ſubſtantialiter & definitiuè, quod tamen non potuit dici de dæmone conſtituto intrà corpus dæmoniaci, cùm ſit hic verè extra huiuſmodi corpus. Aduerte tamen, fundamentum hoc non eſſe ſatis tutum, nam nihil prohibet quominùs dæmon obſideat corpus aliquod humanum, aut etiam poſſideat, etiam ſi corpus hoc non habeat rationem loci adæquati angeli; poteſt tamen angelus naturaliter verſari in pluribus locis ſibi inadæquatis & partialibus.

Obiectio 2. Dices, ex iſtis colligi angelos, & item dæmones poſſe immutare ordinem in natura à Deo conſtitutum.

Solutio. Reſpond. nihil vetare quominùs conſecutio hæc admittatur à nobis, ſaltem ſi ſermo ſit de omnibus angelis ſeu dæmonibus ſimul ſumptis; reſpectu tamen naturæ ſenſilis: dicitur quippe apud Iob. de dæmone, *Non eſt poteſtas ſuper terram* Iob. 41. verſ. 24. *quæ comparetur ei.* Deinde, corpus ſphæricum poteſt in vtramque partem moueri, & quidem illa eadem facilitate qua mouetur in vnam partem; licèt autem id poſſit præſtare natura angelica, de facto tamen non poſſunt omnes angeli, & dæmones ſimul ſumpti immutare ordinem cõſtitutum à Deo in hoc vniuerſo, idque quòd certum ſit ſecundas cauſas non poſſe quidpiam operari, niſi dependenter à concurrente prima, ex illo Actu. 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* & Sap. 11. *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?* certum autem eſt Deum nolle concurrere cum angelis, vel dæmonibus, ad hoc vt immutent ordinem in natura conſtitutum: gubernatio enim vniuerſi penès ſolum Deum eſt, in ratione cauſæ præcipuæ & principalis, iuxta illud Sap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*, imò hoc magis innoteſcit in prouidentia ſupernaturali hominum & angelorum: de quibus dicitur; *Nemo poteſt rapere eas de manu mea.*

Actor. 17. verſ. 28. Sap. 11. verſ. 26. Sap. 8. verſ. 1. Ioann. 10. verſ. 29.

Naturaliter ſibi conficiunt corpora angeli.

1.

CONCLVSIO VLTIMA. *Angeli boni & mali aſſumunt corpora vera & naturalia, in quibus apparent mortalibus per virtutem ſibi à natura inſitam, ſeu, quod idem eſt, connaturalem.* Primùm, quia angeli cenſentur eſſe cauſæ præcipuæ & principales, particulares tamen formationis, & aſſumptionis iſtorum corporum, vt manifeſtè colligitur ex eo quòd apparitiones iſtæ, ſaltem in malis angelis, ordinentur in malum aliquem finem, quem non poteſt Deus vlla ratione intendere, cùm hic peccare nullo modo queat; huius generis ſunt apparitiones dæmonum, quæ leguntur in vitis ſancti Hilarionis, Antonij, Martini Epiſcopi Turonenſis.

2. Deinde, non eſt negandum angelis quod concedimus mortalibus quibuſdam: at certum eſt extare homines, ea pollentes induſtria, vt conficiant imagines aliquas in quibus deprehendantur motus aliqui ſimiles motibus illis qui dantur in nobis, aut etiam in brutis.

3. Tertiò, quilibet noſtrûm mouet proprium corpus per vim aliquam ſibi connaturalem, & hoc idem certiſſimum eſt de omnibus brutis.

4. Quartò, dæmones, itémque angeli opera quædam propemodum miraculoſa perficiunt, & quidem per vim aliquam ſibi à natura inſitam. Diximus enim in antecedentibus, angelum detuliſſe prophetam Abacuc ex propriis ædibus in Babyloniam intrà breuiſſimum tempus, licèt infinita propemodum diſtantia ſepararetur Babylonia à ſolo natiuo Abacuc. Exod. verò 7. dicitur de Magis Pharaonis, quòd ſuas virgas conuerterint in ſerpentes veros & naturales, non minùs quàm Moyſes ſuam; hoc autem factitatum eſt à Magis iſtis opera dæmonum, vt tradit S. Thom. D. Thom. 1. part. quæſt. 114. art. 4. Extat ſimile quidpiam factitatum à dæmone apud Euſeb. lib. 7. hiſtoriæ Euſebius. Eccleſiaſt. cap. 14. legitur enim illic incolas ciuitatis Cæſareæ Philippi ſolitos ſemel in anno victimam deijcere in fontes qui dant ortum fluuio Iordanis, & victimam illam poſtea ſolitam eleuari in cœlum, donec fugeret adſpectum planè omnium præſentium, idque virtute dæmonis, donec Aſſyrij precibus actio illa fuit impedita.

5. Quintò, non eſt abſurdum ſubiicere materiam iſtam ſenſilem ſaltem ſpectatam ſecundum partes imperio bonorum & malorum angelorum, cùm ex doctrina Ariſtotelis cœli moueantur ab angelis, & quidem per vim aliquam ſibi connaturalem: ergo angeli ſibi conficiunt huiuſmodi corpora per vim propriam ſibi à natura datam.

Obiectio. Obiicies, ſi vis iſta ſit naturalis in angelis, admittenda quoque eſt in animabus noſtris; apparent ſiquidem animæ tam verè quàm faciant angeli in corporibus aſſumptis.

Solutio. Reſpond. negando illationem antecedentis, ſeu maiorem, nam angeli non aſſumunt corpora per vim aliquam ſibi à natura inſitam, quòd angeli ſint ſubſtantiæ ſpirituales, ſed potiùs quia ſunt multis partibus perfectiores animabus noſtris. Deinde, quia animæ quando apparent, non in ſeipſis proximè & immediatè, ſed per angelos apparere dicuntur, vt docent Patres: maximè verò D. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis habenda, D. Auguſt. cap. 10. *Feruntur mortui nonnullis vel in ſomnijs, vel alio quocumque modo apparuiſſe viuentibus, atque vbi eorum corpora eſſent inhumata neſcientibus, locíſque monſtratis admoniſſe, vt ſibi ſepultura quæ defuerat præberetur. Quod angelicis operationibus fieri credideriim, ſine permittatur deſuper, ſine inbeatur.* & cap. ſequenti ſubdit in huius rei confirmationem duas apparitiones quibuſdã factas. Athan. in q. ad Anti- Athanaſ. ochũ q. 26. *Illæ quæ apud templa & tumulos ſanctorũ fiunt adumbrationes & viſiones, non per animas ſanctorum, ſed per ſanctos Angelos tranſfiguratos in ſpeciem ſanctorum.* Chryſoſt. homil. 23. in Matth. & D. Chryſoſt. Thom. 1. part. quæſt. 117. art. 8. ad 2. ait, ſi animæ appareant per ſeipſas in corporibus aſſumptis (quod videntur admittere nonnulli Patres, & D. Thom. 1. part. quæſt. 89. art. vltimo) non apparent in corporibus iſtis per vim ſibi connaturalem, ſed ſola liberalitate diuina eiſdẽ impertitam, qua ratione docet Gregor. Mag. lib. 4. dia- Gregor. log. cap. 4. animam Paſchaſij in Angulanis thermis apparuiſſe, & in caloribus iſtis ſubminiſtraſſe: idem docere videtur D. Auguſtinus de anima ſancti Felicis, in lib. de cura pro mortuis agenda, & D. Thom. loco proximè citato de anima Samuelis. Subiungunt autem iſtius documenti rationem, quia potentia omnis motrix quæ datur, naturaliter in animabus noſtris eſt organica, ac proinde pendet ab organo vitali vitaliter operante: non ergo poterunt iſtæ mouere vllum aliud corpus à proprio localiter, per vim aliquam ſibi à natura inditam.

Digitized by Google

ROGABIS, *Ex quanam materia formẽt angeli corpora in quibus apparent.* Sunt qui putent materiam iſtam creari ab angelis. Ità Tertul. lib. de carne Chriſti: ceterùm hæc opinio reijcitur ab omnibus, ex eo quòd ad creationem deſideretur virtus infinita, ſaltem in præcipuo & principali agente, hæc autem virtus infinita non datur in angelis, cùm ſint entitates creatæ.

Corpora angelorũ, ex aëre.

Dico igitur, *Corpora iſta componi ab angelis ex aëre.* Ità D. Thom. artic. 2. huius quæſt. & interpretes eiuſdem. Deinde, ità docent Patres, Gregor. lib. 27. Mor. cap. 2. D. Auguſtinus 3. de Trinit. cap. 1. & ſerm. 16. de diuerſis, qui eſt tract. 3. contra Manich. dicit enim illic, Deum poteſtati angelorum, ita corpoream creaturam ſubdidiſſe, vt eam ſibi pro voluntate coaptarent, atque inde verum corpus aſſumerent, quod ex qualibet ſpecie in quamlibet ſpeciem pro ſui miniſterij, atque officij ratione, conuerterent, & Beda lib. q. quæſt. 9.

Obiectio.

Dices, Patres aliquos affirmare corpora iſta formari ab angelis ex materia quadam ætherea.

Solutio.

Reſpond. Nomine ætherei ſignificari non rem cœleſtem ſimpliciter, ſed aëream, vt conſtat ex commentatore Bedæ ad lib. de natura rerum c. 7. Deinde, angeli iſti apparent frequentiſſimè in aëre. Tertiò, corpora aſſumpta ab angelis cedunt ictibus in ſe conuibratis, ſoluuntúrque facilè in auras, quotieſcumque æduntur, ſaltem interdum, & aliquando; ac proinde debent habere materiam ſibi quàm maximè præſentem. Addo, corpora huiuſmodi nedum fieri ex aëre, ſed etiam ex vaporibus & exhalationibus admixtis: primò, quia de corporibus iſtis concedunt omnes quòd ſint colorata & figurata; at colores præſupponunt neceſſariò qualitates primas, quemadmodum & figura præſupponit quantitatem. Deinde, corpora iſta in quibus apparent angeli ſunt verè ſolida, & craſſa; imò datur in illis temperamentum quodammodo ſimile illi temperamento quod datur in corporibus noſtris, vt colligere licèt ex cap. 18. & 19. Geneſ. & 32. & ex hiſtoria Tobiæ.

DVBITATIO VLTIMA.

An Deus apparuerit per ſeipſum proximè & immediatè in veteri Teſtamento, & item in nouo, in aliquo corpore ab eodem aſſumpto: An verò id præſtiterit tantummodo per angelum.

CONuenit inter omnes, *Deum potuiſſe aſſumere per ſeipſum proximè & immediatè quodlibet corpus, & in eo hominibus apparere:* de qua re nulla poteſt eſſe difficultas, cùm fides doceat diuinum Verbum incarnatum fuiſſe in tempore. Deinde, quod facit creatura in ratione cauſæ efficientis phyſicæ, illud idem poteſt præſtare Deus à fortiori: ac diximus angelos per virtutem ſibi connaturalem aſſumere corpora, & in iſdem apparere; hoc ergo poterit præſtare Deus.

Deus apparuit per angelum antiquitus.

Dico 2. *Deum apparuiſſe in veteri Teſtamento in aliquo corpore aſſumpto, non quidem proximè & immediatè per ſeipſum, ſed tantummodò per angelum.* Primò, quia omnes viſiones quæ referuntur in veteri Teſtamento de Deo, factæ mortalibus, tribuuntur in ſacris litteris non Deo, ſed angelis, vt

Exo. 3. v. 2. conſtat ex capit. 3. Exod. apparet enim illic Deus Moyſi in Rubo, & tamen alibi non Deus, ſed angelus dicitur apparuiſſe Moyſi: ità cap. 7. Actuum. Videtur etiam Deus ab eodem Moyſe in monte Sinaï, *Exod.* 19. apparitio tamen hæc tribuitur angelis à Stephano, in Actis loco proximè citato, & à Paulo cap 3. ad Galat. & cap. 2. ad Hebræos. Geneſ. item 18. & 19. innoteſcit Deus Loth, & Abrahæ, & tamen cap. 13. ad Hebræ. manifeſtè dicitur illam fuiſſe factam per angelos, & cap. 21. Geneſ. de Agar dicitur; quòd viderit Deum, modò verò angelum, & cap. 32. de Iacob ſcribitur quòd viderit Dominum, & quòd fortis extiterit, in lucta, & tamen Oſeæ cap. 12. legitur Iacob decertaſſe cum angelo.

Actor. 7. ℣. 30. Exod. 19. ℣. 30.

Deinde, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, Iuſtini Martyr. in dialog. cum Tryphone, Dionyſij Areopag. cap. 6. lib. cœleſtis hierac. D. Auguſtin. lib. 2. & 3. de Trinit. Hieron. ad cap. 3. ad Galat. & denique Greg. lib. 28. Moral. cap. 2. Iuſtinus. Dionyſ. D. Auguſt. Hieron. Gregor.

Tertiò, ſolet Deus gubernare inferiora per media, & media per ſuperiora; omnes enim res iſtæ ſenſiles ſubijciuntur dominio hominis; homo verò gubernatur per angelos, vt conſtat ex cap. 1. Hebr. credibile ergo eſt apparuiſſe Deum in veteri Teſtamento in corporibus aſſumptis ab angelis, non autem ab ipſomet Deo proximè, & immediatè.

Neque refert quòd nonnulli Patres contrariam ſententiam defendant, inter quos ſunt Euſebius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Theodoretus, Iſidorus, & alij; nam quotieſcumque de re aliqua extant duæ Patrum ſententiæ, liberum eſt vnicuique defendere quam volet: noſtra autem ſententia, eſt magis probabilis, idque propter rationes proximè adductas, & quòd Theologi communiter doceant angelos ſuſtinuiſſe perſonam Dei in illis apparitionibus, quæ referuntur de Deo in veteri Teſtamento. Nihil præterea in fauorem contrariæ ſententiæ colligi poteſt ex his quę refert Hilarius; nam non dicitur in Concil. Firmienſi ſolum Filium Dei apparuiſſe Iacob in veteri Teſtamento proximè & immediatè per ſeipſum; ſed tantùm apparuiſſe ſolum Filium Dei Iacob. Deinde, Concil. Firmienſe non fuit congregatum à Catholicis Epiſcopis, ſed ab Ariadnis, vt author eſt Hilarius in libro de Synodis.

Probabile eſt Deum apparuiſſe per ſe in corpore.

Doceo denique, *In nouo Teſtamento, eſſe quàm maximè probabile Deum apparuiſſe per ſeipſum proximè, & immediatè in corpore aſſumpto, non autem per angelum.* Primò; quia dicitur Matth. cap. 3 Spiritum S. apparuiſſe in ſpecie columbæ quando baptizatus fuit Chriſtus à Ioanne in Iordane, & Matth. cap. 17. itémque 3. vox Patris auditur ex nube, & in Actis cap. 2. Spiritus ſanctus ſimiliter apparet in linguis igneis, aut certè quaſi igneis: viſiones autem iſtæ nulli alteri à Deo tribuuntur in ſacris litteris. Ità docent etiam Patres, maximè verò Tertullianus lib. de carne Chriſti, cap. 3. D. Auguſtinus, de agone Chriſtiano, cap. 22. & in lib. 2. de Trinitat. cap. 6. & Chryſoſt. homil. 4. operis imperfecti in Matth. & Hierony. ad cap. 17. Matthæi. Denique, veritas ſanctiſſimi Sacramenti comprobatur ex viſionibus humanæ, naturæ Chriſti, quæ referuntur in Actis Apoſtolicis cap. 9. & 1. Corinth. capit. 15. dicitur enim illic Chriſtum apparuiſſe Paulo in via quando proficiſcebatur Damaſcum, & cap. citato prioris ad Corinthios teſtatur Paulus ſibi eodem planè modo apparuiſſe Chriſtum, quo poſt reſurrectionem ſuam apparuit Petro, & cete-

Matth. 3. ℣. 16. Actor. 2. ℣. 3. Tertul. D. Auguſt. Chryſoſt. Hieron. 1. Cor. 15. ℣. 6.

ris Apostolis, & item plusquàm quingentis fratribus.

Ex istis ergo probant Theologi, vnum numero corpus Christi post ascensionem eiusdem in cœlos, extitisse in duobus locis omnino varijs, & diuersis, contra hæreticos nostri temporis, qui putant per omnipotentiam Dei fieri non posse, vt vnum corpus sit in pluribus locis. Si autem visiones Dei & Christi, quæ referuntur in nouo Testamento, fuerunt factæ per angelos in corporibus assumptis, non autem proximè & immediatè per Christum, ratio ista colligendi esset planè ridicula ad probandam existentiam veram & realem corporis Christi in sanctissimo Sacramento.

Obiectio. Obijcies, docuisse nos Deum in veteri Testamento nusquam apparuisse proximè, & immediatè per seipsum, sed per angelos in corporibus assumptis, ad quid ergo variata fuit diuina prouidentia in istis apparitionibus incarnato Christo?

Solutio. Respond. Id factitatum esse, quia apparitiones veteris Testamenti fuerant à Deo ordinatæ ad significandum mysterium incarnationis futurum; apparitiones autem factæ in nouo Testamento diriguntur ad mysterium incarnationis repræsentandum, vt iam factum à Deo. Deinde, negant plerique Patres nomen angeli minùs bene dici de Deo in nouo Testamento. Denique, præcipua ratio censetur esse sola Dei voluntas, ità vt ratio principalis cur Deus in nouo Testamento per seipsum proximè apparuerit in aliquo corpore, sit refundenda in solam Dei voluntatem, cuius consilia sunt nobis imperscrutabilia, nisi fuerint ab eodem manifestata.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Angeli exerceant opera vitæ in corporibus assumptis.

Argumẽta in contrarium. RATIO dubitandi est. Prima, quia in Scripturis sacris frequentissimè inculcatur angelos fuisse loquutos, stetisse, sedisse, &c. quæ omnia sunt actiones vitales: ergo.

Deinde, generatio censetur esse actio vitalis, definitur enim productio viuentis à viuente coniuncto, in similitudinem naturæ specificæ; at angeli mali de facto genuerunt gigãtes illos quorum meminit sacra Genes. cap. 6. ex multorum Patrum sententia; explicant enim particulas istas; *Videntes filij Dei filias hominum*, de congressu malorum angelorum cum fœminis.

Genes. 6. ℣. 4.

Denique, comestio censetur esse vera actio vitalis, vt manifestè colligitur ex cap. 24. Luc. ex actu quippe illius nititur Christus comprobare euidenter se esse verè à mortuis suscitatum: atqui angeli non minùs verè manducarunt in corporibus assumptis quàm fecerit Christus post suam resurrectionem; vt docet D. Augustinus epist. 49. quæst. 1. tom. 3. *Quomodo autem contrarium est*, inquit, *& Christum post resurrectionem cibatum, & in resurrectione, qua promittitur, ciborum indigentiam non futuram; cùm & angelos legamus eiusdemmodi escas, eodémque modo sumpsisse, non ficto & inani phantasmate, sed manifestissima veritate, nec tamen necessitate, sed potestate?*

D. August.

Aduerte, actiones vitales diuidi à plerisque scholasticis Theologis in eas, quæ sunt vitales, & secundum essentiam, & modum simul; quales sunt intellectio, volitio, olfactio, visio, & omnes omnino aliæ quæ fiunt à sensibus tam externis, quàm internis: Alias verò secundum modum tantùm contendunt esse vitales; huius generis sunt motus progressiuus, risus, manducatio, potatio, sessio, & aliæ istis similes. Explicatur hæc eadem res ab alijs, verbis tantummodò immutatis, dum contendunt alias esse actiones vitales quæ pendeant à principio vitali, veluti à causa tantùm mouente & efficiente, & istæ idem planè sunt cum illis quas authores primæ opinionis nuncupant actiones vitales secundum modum tantùm: alias verò putant esse actiones vitales, quæ pendent à causa vitali, nedum veluti à causa efficiente, & mouente, sed etiam tamquam à principio constitutiuo actionis vitalis, vt actio vitalis est reduplicatiuè; istas contendunt esse actiones vitales secundum essentiam & modum simul authores primæ sententiæ. His ità præmissis sit

Actiones vitales duplices.

Nulla actio vitalis potuit fieri ab Angelo.

CONCLVSIO 1. *Nulla actio vitalis secundum essentiam & modum simul, ac proinde quæ pendet à principio vitali constituente, vt sic, naturam & essentiam actionis vitalis, potuit fieri ab angelis in corporibus assumptis.* Primo, quia actio vitalis debet necessariò recipi in eo subiecto à quo producitur; est enim actio immanens, vt constat ex visione, auditione, &c. atqui nulla ex his actionibus quæ tribuuntur angelis in sacris litteris, & quę fuerunt factę ab ijsdẽ in corporibus assumptis recipitur in potẽtia vitali, ídque quòd nulla detur in corporibus assumptis: ergo huiusmodi minimè possunt produci ab angelis in corporibus assũptis.

Inefficax 1. ratio.

Ceterùm ratio hæc nihil planè dicit; maior quippe huius ratiocinationis falsa est, vt apparet ex loquutione articulata, quæ computatur inter actiones vitales hominis, & tamen hæc non recipitur in ore, aut in aëre, tamquam in subiecto.

Germana probatio cõclusionis.

Probatur ergo ab alijs: Actio vitalis, vt sic, pendet intrinsecè, & realiter à principio vitali vitaliter operante; atqui nullum datur principium vitale, in corporibus assumptis ab angelis: hæc enim sunt corpora quædam mixta inanimata cum dixerimus componi ab angelis ex aëre, admissis exhalationibus, & vaporibus, quantùm satis est ad eorum compositionem.

Denique, actio vitalis, vt sic, non minùs pendet intrinsecè, & realiter à principio vitali vitaliter operante, quàm effectus formalis à causa formali, cùm effectus vitalis nedum sit à causa vitali in ratione causæ efficientis, sed etiam in ratione causæ formalis, saltem aliqua ratione: at effectus formalis, saltem per omnipotentiam Dei, nequit produci nisi à sua causa formali, propter hoc siquidem dicitur Deum non posse supplere defectum causę formalis, nisi tamen causa ista, per quam suppletur formaliter, contineat causam quæ suppletur, quod dico propter hypostasim humanæ naturæ Christi, quæ suppletur per subsistentiam diuini Verbi, quæ in se formaliter est subsistens, ceterùm infinito modo, quemadmodum subsistentia creata si adesset in Christo faceret humanam Christi naturam per se subsistentem: ergo non poterunt angeli actiones vitales exercere in illis corporibus quæ assumunt.

Actio vitalis secundũ modum repugnat angelo.

CONCLVSIO 2. *Actio secundum modum tantùm vitalis, nequit produci ab angelis in corporibus assumptis, saltem sub ea ratione qua vitalis est.*

Primò,

Primò, quia viſio oculi ſenſilis, nequit fieri etiam per omnipotentiam Dei, niſi ab oculo ſenſili: ergo illud idem erit dicendum de motu v. g. progreſſiuo producto ab aliquo animali; antecedens nititur hoc principio: Actio quælibet immanens vitalis poteſt produci tantùm à principio vitali vitaliter operante „& debet in eo recipi, tamquam in ſubiecto; diſtinguitur enim actio immanens à tranſeunte, quòd hæc recipiatur in re omnino varia & diuerſa à principio à quo producitur; illa verò recipitur neceſſario in principio à quo ortum habet.

Concluſio verò probatur, Motus progreſſiuus tam verè eſt actio vitalis, quàm ſit viſio oculi corporei: quemadmodum enim viſio pendet ab organo ſenſili, & corporeo intrinſecè & quaſi eſſentialiter; ità motus progreſſiuus pendet à tendonibus appetituum animalis, & ab imaginatione eiuſdem: quæ omnia vel ſunt organa, vel certè præſupponunt inſtrumenta quædam ſenſilia, quibus vtitur animal in motu progreſſiuo producente, & quidem ità, vt abſque iſtis nulla ratione poſſit conſurgere huiuſmodi motus in animali: ergo quemadmodum viſio oculi corporei nequit eſſe in corporibus aſſumptis ab angelis; ità neque dabitur in iſtis motus progreſſiuus.

Confirmatur: eſſe motiuum ſecundum locum, computatur inter proprietates animæ, ex doctrina Ariſtot. cap. 3. lib. 2. de anima; at loquitur illic Ariſtoteles de motu progreſſiuo animalis: ergo hunc non poterit producere angelus in corpore ſibi conjuncto.

Obiectio. Dices, nihil planè deprehendi in motu progreſſiuo animalis, quòd non recipiatur in eo motu qui fit ab angelo in corpore aſſumpto: ergo illum poterit in eo efficere.

Solutio. Reſpond. Antecedens eſſe verum, ſi conſulantur tantùm ſenſus externi; falſum verò ſi res iudicio rationis examinetur: nam in motu progreſſiuo animalis deprehenditur dependentia intrinſeca à principio vitali, vitaliter operante; minimè verò in primo motu qui producitur ab angelo in corpore aſſumpto, cùm nulla detur vita in huiuſmodi corpore. Deinde motus progreſſiuus ab animali productus eſt naturalis; ab angelo verò eſt violentus, & coactus: illud namque cenſetur eſſe violentum ſeu coactum, quod reperitur in re aliqua contra, ſeu præter eius inclinationem, & propenſionem naturalem, ex communi doctrina; at motus progreſſiuus qui datur in corporibus aſſumptis ab angelis eſt contra propenſionem, & inclinationem naturalem corporis aſſumpti; hoc enim diximus eſſe compactum ex aëre & vaporibus, itémque exhalationibus; ac proinde cenſetur eſſe huiuſmodi corpus, mixtum aliquod inſenſile, & inanimatum: de mixtis autem iſtis fatentur communiter philoſophi quod naturaliter moueãtur ad motum elementi prædominantis, ità vt ſi qualitas prædominans fuerit grauitas, feratur deorſum; ſi verò leuitas ſurſum, & quidem ex vi propenſionis & inclinationis naturalis: motus autem progreſſiuus animalis, vt ſic, fit à termino à quo, ad terminum ad quem ſupra planum.

Probat 2. Secundò probatur Concluſio: Locutio refertur inter actiones vitales tantùm ſecundum modum; at actio hæc reperiri nequit in corporibus aſſumptis cùm pendeat intrinſecè à vi inſita pulmonibus aſperæ arteriæ, & ab intentione animalis ordinantis ſuam loquutionem in hunc finem, vt ſuas cogitationes & affectus alicui alteri manifeſtet: hæc autem non reperiuntur in vllo planè corpore aſſumpto ab angelis, nec reperiri poſſunt propriè & formaliter loquendo de iſtis: ergo neque poterunt ab iiſdem produci.

Obiectio. Obijcies, tam verè percipere nos voces prolatas ab angelo in corpore aſſumpto, quàm voces pronunciatas à nobis ipſis: ergo verè illas formant.

Solutio. Reſpond. ex iſto antecedente ſolùm colligi dari aliquid in corporibus aſſumptis ab angelo, quod ſit ſimile locutioni noſtræ, quod nos vltrò concedimus; minimè verò reperiri locutionem propriè dictam, qualis eſt ea quæ datur in nobis, idque quòd locutio, vt ſic, pendeat à principio vitali, vitaliter operante: hæc autem nullum habet locum in corporibus aſſumptis ab angelis. Deinde, locutiones iſtæ conueniunt tantùm in ratione ſoni articulati, illa eadem ratione qua voces aliquæ effictæ à brutis animantibus conueniunt cũ locutionibus efformatis ab homine: idẽ dicendum eſt de ceteris omnibus actionibus vitalibus ſecundum modum tantùm.

Solutio argumentorũ. Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. Ex iſtis omnibus Scripturę locis ſolũ poſſe colligi angelos in corporibus aſſumptis exercere aliquas actiones, quæ retinent aliquam ſimilitudinem cum actionibus productis ab homine; & item à brutis; non autem eſſe verè & formaliter loquendo vitales, etiam ſecundum modum tantùm.

Replica. Inſtabis, ex Nicephoro lib. 11. hiſtor. Eccleſ. cap. 20. ſanctum Amphilochium, Iconiæ Epiſcopum ab angelo fuiſſe conſecratum: at ordinatio Epiſcopi nequit celebrari ſinè locutione propriè dicta: definiuit enim Concil. Florent. in omni ſacramento nouæ legis reperiri verba aliqua quæ habent rationem formæ ſacramenti. Nicephor.

Diſſoluitur. Reſpondeo, ordinationem iſtam non fuiſſe ſacramentalem; impoſſibile quippe eſt Sacramentum vllum conſurgere ſinè miniſtro debito, & forma à Chriſto inſtitutis; ſunt enim hæc de intrinſeca ratione ſacramenti, ex decreto Concilij Florentini, vel potius Eugenij Pontificis Maximi, quod extat poſt vltimam ſeſſionem eiuſdem Concilij: debitus autem miniſter ordinationis Epiſcopalis eſt Epiſcopus, ex inſtitutione Chriſti; effectus tamẽ ordinationis Epiſcopalis dari poteſt alicui ex ſpeciali Dei diſpenſatione; poteſt enim Deus ſinè ſacramento ordinis, effectum eiuſdem producere de poteſtate ſua abſoluta, qua ratione inſtitutus eſt & conſecratus Epiſcopus Amphilochius, eiuſque inſtitutio ità facta, probata fuit ab Epiſcopis Iconiæ regionis, ſeu prouinciæ. Idem dicendum eſt de multis conſecrationibus Eccleſiarum, quæ apud probatos authores referuntur factæ ab angelis. Florentin.

Ad 2. Ad 2. reſpond. Poſtulare explicationem illius difficultatis in qua quæritur: *An dentur ſpiritus ſuccubi, & incubi:* in qua re explicanda hęſit aliquando D. Auguſtinus, re tamen oculatiùs inſpectâ, docet citra ſummam temeritatem exiſtentiam iſtorum ſpirituum negari non poſſe: ità enim loquitur cap. 23. lib. 15. de Ciuitat. *Et quoniam creberrima fama eſt, multíque ſe expertos, vel ab eis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandũ non eſt, audiſſe confirmant, Syluanos, Panes, & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum.* Conſentit D. Thom. hoc loco in reſponſione ad vltimum, & Scholaſtici communiter in 2. diſtinct. 8. & Toſtatus quæſt. 12. ad cap. 7. Exod. D. Auguſt. D. Thom. Toſtat.

Digitized by Google

&c. quæst. 3. ad cap. 6. Genes. ait enim incubos dæmones dici quando mulieribus commiscentur incubando; quando verò viris, & patiuntur muliebria succubos, adeò vt idem dæmon qui est primò succubus ad virum, sit posteà incubus ad mulierem in quam transfundit semen à viro decisum.

Corollarium. Ex istis tamen non licèt colligere dæmones istos verè generare, esto sequatur partus interdum ex huiusmodi nefando concubitu: nam generare propriè dicitur de solis animalibus, saltem vt generatio sumitur hoc loco à nobis: dæmones autem isti sunt veræ substantiæ spirituales; & licèt appareant in veris corporibus, quia tamen hæc non sunt viuentia, sed insensilia, ideò inepta planè sunt ad generandum hominem vel brutum. Accedit generationem istam debere fieri à sibi simili: partus autem ex hypothesi subsecutus ex congressu dæmonis incubi cum fœmina, non est eiusdem rationis cum dæmone, sed omnino varius & diuersus. Deinde, D. Thom. loco proximè citato contendit parentem illius qui natus est ex prædicto concubitu, non esse dæmonem incubum, sed tantùm hominem illum à quo dæmon collegit semen quod induxit intrà matricem mulieris.

Ad id verò quod dicitur ex cap. 6. Genes. dico particulas istas, *Videntes filij Dei*, non esse intelgendas de angelis, licèt aliqui Patres secus sentiant, sed de filijs Seth, qui ideò appellantur filij Dei, quòd apud posteros istorum, cultus veræ religionis permanserit: filij autem Cham dicuntur ibidem filij hominum, quod defecerint eorum posteri à vero Dei cultu, & fuerint facti idololatræ.

Ad vltim. Ad vltimam respond. Christum post resurrectionem suam verè comedisse; ex actione quippe comestionis, & ex contactu proprij corporis voluit comprobare suam resurrectionem, Luc. cap. 24. Deinde, comestio hæc Christi tam verè habuit ortum ab illis ipsis principijs à quibus promanarunt comestiones factæ à Christo pro eo tempore quo fuit in vita mortali. Tertiò, ad comestionem propriè dictam non est necessarium, alimentum sumptum conuerti in substantiam aliti; concedimus enim de ægrotis moribundis quod verè manducent, & tamen vt plurimum non conuertunt alimenta in suam substantiam ob defectum caloris naturalis necessarij ad conuersionem faciendam. Denique, non desunt qui putent Christum conuertisse alimenta sumpta post resurrectionem in suam substantiam, idque ex dispensatione diuina, minimè verò ex necessitate naturæ. Ceterùm opinio ista reijcitur cõmuniter à Theologis, quoniam miracula non sunt multiplicanda sinè necessitate. Deinde, quia ad veram comestionem satis est, quòd habeat ortum à principio vitali vitaliter operante, & quòd sumptio alimenti ordinetur ad nutritionem manducantis, etiamsi nutritio hæc non fuerit subsecuta propter impedimentum aliquod naturale vel supernaturale. Ex istis tamen non licèt colligere angelos manducare verè, & propriè in corporibus assumptis, ex doctrina D. Augustini, comparatio enim istius partis, hoc in loco est intelligenda tantùm de vera sũptione alimentorum; ità vt velit tam verè angelos in corporibus assumptis sumere cibos dum videntur comedere, quàm præstiterit Christus post resurrectionem suam: nõ vult tamen D. Augustinus manducationem quæ deprehenditur in angelis medijs corporibus assumptis, esse veram actionem vitalem, vt concedendum est de manducatione Christi ab eo facta post suam resurrectionem.

D. August.

QVÆSTIO LII.

De comparatione Angelorum ad locum.

HÆC Quæstio tres habet Articulos.

In primo, docet angelum esse in loco.

In 2. Angelos non posse esse simul in pluribus locis adæquatis, bene tamen in loco maiore & minore, atque etiam indiuisibili.

In 3. denique, plures angelos non posse esse in vno & eodem loco.

Circa istos Articulos sit

DVBITATIO PRIMA.

An Angeli sint in loco, & quatenus.

CONCLVSIO 1. *Angeli sunt in loco, seu, Angeli sunt quod idem est, in certo aliquo spatio.* Primùm, *in loco*, quia de fide est angelos peccasse, & propter huiusmodi culpam excidisse de cœlis, & detrusos fuisse in infernum: dicitur enim Luc. 10. *Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem.* & Apocal. 12. *Non est inuentus amplius eorum locus in cælo.* & cap. 20. *Et Diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis.* & Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Luc. 10. ℣. 18. Apoc. 12. ℣. 18. Idem 20. ℣. 9. Matth. 25. ℣. 41.

Deinde, hæc est expressa Patrum sententia, Nazianzeni orat. 34. quæ est 2. de Theologia, Damascen. 2. de fide cap. 3. Gregor. Nysseni oratione de infantibus qui præmaturè arripiuntur, Gregor. Mag. homil. 34. in Euangelia, & Athanas. in epist. ad Serapionem. Nazianz. Damasc. Nyssen. Gregor. Mag. Athanas.

Tertiò, anima nostra & in corpore & extra illud vendicat sibi certum aliquem situm, eò quòd sit verè finita, & secundum suam substantiam, & secundum suas operationes: ergo.

Quartò, transeunt angeli ex vno loco in alium; dicitur enim cap. 28. Gen. de angelis tribus, quòd ascenderent & descenderent per scalam, cuius altera extremitas cœlos, alia verò terram attingebat.

Denique, quod ità est hîc, vt alibi non sit, illud est verè in loco, seu spatio aliquo; at angeli ità sunt hîc, vt alibi non sint, vendicant enim sibi & essentiam finitam, & præterea suæ actiuitatis sphęram similiter determinatam: ergo sunt in loco.

Obijcies 1. Quantitatem esse rationem existendi in loco, ex Aristotele lib 4. physicorum, & ex doctrina multorũ Patrum immaterialia nulla clauduntur loco; at angeli non habent quantitatẽ & sunt immateriales: ergo non sunt in loco. *Obiectio 1.*

Respond. Hæc intelligenda esse de corporibus: ità vt voluerit Aristoteles, itémque Patres isti *Solutio.*

cor-

Digitized by Google

corpora vendicare ſibi certum aliquem locum propter quantitatem qua informantur; hæc enim facit vt detur perfecta commenſuratio inter corpus locatum & locum; cum iſtis tamen rectè ſtat vt angeli ſint in loco per operationem tranſeuntem, eſto operatio iſta ſit inſenſilis, vt conſtabit inferiùs.

Obiectio 2. Obijcies 2. D. Auguſtinum lib. 83. quæſtionum affirmare angelos eodem modo eſſe in loco, quo Deus eſt in templo, Deus autem non eſt in templo tamquam in loco: ergo neque angeli.

Reſpondeo, Diuum Auguſtinum fauere noſtræ opinioni; quemadmodum enim Deus dicitur eſſe in templo, quòd certum aliquem effectum illic producat quem alibi non efficit: ità etiam angelus dicitur eſſe in loco, quòd operetur in certo aliquo ſpatio vel corpore, idque media operatione tranſeunte, quod non operatur alibi.

Quibus modis non eſt angelus in loco.

Conclvsio 2. *Angelus non eſt in loco per ſuam eſſentiam præcisè ſpectatam, nec per vbi eiuſdem, nec per proprietatem ſibi diuinitus infuſam, nec per modum, qui ei adueniat, quatenus vnitur corpori alicui cum quo coniungitur, & ratione cuius ſeruat diſtantiam ad polos huius vniuerſi; neque denique per iſta omnia ſimul ſumpta.* Probatur prima pars Concluſionis: Locus angeli cenſetur eſſe æqualis & inæqualis, maior & minor: quemadmodum enim anima rationalis habet vim diffundendi ſeipſam, ità vt nunc minus, aliàs verò maius informet corpus: ità in poteſtate angeli eſt operari in maiori, & minori ſpatio, idque media aliqua actione tranſeunte, omnium planè Theologorum conſenſione; at æqualitas iſta, aut inæqualitas nequit peti à ſubſtantia angeli, cùm ſit hæc ſimpliciter impartibilis & indiuiſibilis, vt pote ſimpliciter ſpiritualis: ergo non eſt in loco ratione propriæ ſubſtantiæ.

2. Deinde, ſi propterea angelus eſſet in loco, nulla poſſet aſſignari ratio, cur eſſet hîc potiùs, quàm illic; nam eſſentia angeli eſt ſimpliciter indiuiſibilis & impartibilis, & item indifferens ad hoc vt ſit hîc vel illic.

Aliæ verò partes Concluſionis probantur: de ratione loci eſt continentia, ſeu, quod idem eſt, locus continet locatum neceſſariò, ex illo Ariſtot. lib. 4. phyſicorum, locus eſt ſuperficies corporis continentis; at nec vbi angeli, nec proprietas eidem indita à Deo, nec modus qui ex hypotheſi aduenit angelo, ex eo quod coniungatur corpori alicui, continet angelum; ſed contra angelus continet iſta tria proximè explicata cùm recipiuntur in ipſius angeli ſubſtantia, tamquam in ſubiecto; vbi namque eſt modus intrinſecè afficiens angelum, proprietates autem omnes cùm ſint accidentia recipiuntur in ſubſtantia angeli, tamquam in ſubiecto: modus item cùm ſit idem realiter cum re modificata recipitur in angelo quem modificat, tamquam in ſubiecto: ergo non poteſt conſtitui in loco per vbi, aut per proprietatem.

Obiectio. Obijcies, quemlibet dæmonem, itémque animam damnatam ità eſſe hîc, vt non ſit alibi: ergo cùm hîc & illic ſint aduerbia loci, dæmones & damnati erunt in loco propriè dicto.

Solutio. Reſpond. Conceſſo antecedente nego conſequutionem; particulæ ſiquidem iſtæ, hîc, & illic, licèt apud Grammaticos ſignificent locum, tamen apud phyſicos, & metaphyſicos, non locum propriè dictum, ſed vbi tantummodo denotant: vt autem reſponſio hæc magis innoteſcat.

Vbi quid ſit. Aduerte, vbi nihil aliud eſſe quàm modum aliquem abſolutum, qui aduenit ſubſtantijs ſenſilibus, & inſenſilibus creatis, ex eo quòd ſubſtantiæ iſtæ ſint hîc potiùs quàm illic: quare, vbi, cenſetur eſſe terminus intrinſecus motus localis; locus verò propriè dictus ſuperficies corporis ambientis locatum, & conſequenter locus habet rationem termini extrinſeci cuiuſlibet motus localis: vnde de animabus damnatis, itémque de dæmonibus concedendum eſt, quòd quando tranſeunt ab vno ſpatio ad aliud, mutent & acquirant vbi de nouo, minimè verò locum propriè dictum, niſi contingat iſtos exercere aliquam operationem tranſeuntem quando mouentur localiter.

Angelus nõ eſt in rebus, vt in loco indeterminato.

Conclvsio 3. *Angelus non eſt præſens illis omnibus corporibus in quibus poteſt operari, & conſequenter neque etiam eſt in iſtis tamquam in loco indeterminato.* Hæc eſt contra Durandum in 2. diſt. 2. Probatur autem, quia alioquin dicendum eſſet angelos beatos eſſe in inferis; poſſunt enim effectus aliquos in iſtis locis producere: illatio tamen maioris negatur communiter ab omnibus, idque quòd ſedes angelorum beatorum ſint cœli: ergo.

2. Deinde, ſequeretur angelos eſſe vbique; vult enim Durandus, angelum eſſe præſentem in omni planè ſpatio, in quo poteſt operari; poteſt angelus operari in qualibet re ſenſili, cùm tota natura hæc ſubijciatur poteſtati angeli, ſi non totaliter, ſaltem ſecundum partes ſeorſim ſumptas: igitur angelus non poteſt eſſe præſens omnibus illis corporibus in quibus poteſt operari; ac proinde nec per id conſtituetur in loco.

Effugium Durandi. Reſpondet Durandus 1. Non eſſe abſurdum fateri angelum eſſe poſſe vbique, nam licèt de ſolo Deo dicatur, quod ſit vbique, conſeruando res omnes à ſe productas: angelus tamen non eſſet vbique hac ratione, ſed quia poteſt tantùm operari omni in loco.

Præcluditur. Verùm reſponſio iſta reijcitur, cùm enim ſubſtantia angeli finita ſit, vis quoque agendi illius erit finita, vnde vendicabit ſibi certos aliquos terminos extra quos nihil planè poterit operari. Confirmatur. Sphæra actiuitatis cuiuſlibet angeli eſt determinata, & limitata: ergo implicat angelum operari naturaliter vbique. Deinde, Deus non ideo eſt vbique quod res omnes & ſingulas conſeruet, ſed quod ſit immenſus, vt fatentur communiter omnes cum D. Thom. in quæſt. de immenſitate diuina. Denique, ſi ratio Durandi eſſet vera, ſequeretur angelos eſſe de facto in ſpatijs imaginarijs: poſſunt enim iſti producere aliquos effectus in illis.

Alia Durandi euaſio. Reſpondet 2. Durandus non propterea concedendum eſſe de angelis, quod ſint vbique, licèt poſſint in omni planè ſpatio & corpore operari, quod poſſint angeli operari in omnibus & ſingulis corporibus, non quidem copulatiuè ſumptis, ſed tantùm diſtributiuè.

Infirmatur. At neq; reſpõſio hæc aliquid dicit: deſtruit enim fundamentum Durandi, cùm doceat angelos, ideo eſſe præſentes omnibus & ſingulis ſpatijs, quod poſſit angelus in omni planè ſpatio & corpore operari. Deinde, ſequeretur angelum, qui mouet primum mobile, nedum eſſe in primo mobili, ſed etiam in omnibus alijs Cœlis inferioribus: quod tamen nullus hactenus dixit, non enim fie-

Digitized by Google

ri potest vt vnus angelus sit in tam magna quantitate, quanta est illa quæ datur in istis omnibus Cœlis. Denique, sequeretur angelum non moueri ad hoc vt incipiat esse in terris quandocumque transit à Cœlo in terram; est enim angelus ex sententia Durandi præsens quibuslibet spatijs etiamsi non operetur in illis, modò tamen possit in eis operari.

Est in loco per operationem tra seuntem.

CONCLVSIO VLTIMA. *Angelus est in loco per operationem transeuntem.*

Aduerte, nomine operationis transeuntis non significari actionem elicitam ab angelo, & receptam in re aliqua sensili tamquam in subiecto, cuius generis sunt motus progressiuus, calefactio, percussio, & aliæ innumeræ; sed significamus quamcumque actionem productam ab angelo, & receptam in re aliqua extra angelum, ideóque si angelus retineret verbi gratia lapidem, in media aëris regione, ne laberetur deorsum, hic esset in illo lapide, tamquam in loco: primò, quia de loco angeli concedendum est quod sit maior, & minor, æqualis & inæqualis: at æqualitas ista, & inæqualitas non aliunde peti potest, quàm ab operatione transeunte producta ab angelo; substantia enim illius vbi, eiusdem proprietas, & modus omnis, qui in eo datur sunt res aliquæ imparibiles, & indiuisibiles.

2. Deinde, continentia est de intrinseca ratione loci propriè dicti; locus enim est superficies corporis continentis: at de re aliqua spirituali nequit dici quòd contineat aliam, sed tantummodo de re sensili.

1. Denique quantitas est simpliciter necessaria ad hoc vt sit in loco propriè dicto, est enim hæc ratio existendi in loco ex Aristotele lib 4. physicorum, secluſa au ẽ operatione transeunte nulla datur quãtitas in angelis: igitur detracta operatione transeunte, angelus non est in loco. Ità D. Thom. hic, Bannez, Caiet. & ceteri Thomistę, Ægidius in 1. distinct. 37. art. 1. quæst. 1.

Obiectio. Obijcies, angelum moueri localiter, etiamsi nihil operetur in toto illo spatio in quo mouetur: ergo angelus non erit in loco per operationem transeuntem.

Solutio. Respond. Concesso antecedente, negando consequentiam; ad hoc enim vt aliquid moueatur localiter, satis est quòd mobile transeat à termino à quo, ad terminum ad quem, & quòd acquirat nouum vbi; est namque vbi terminus intrinsecus motus localis: Ad hoc autẽ vt aliquid sit in loco, non est satis quòd moueatur localiter, sed desideratur simpliciter & absolutè vt contineatur à loco: diximus enim locum esse superficiem corporis ambientis. Angelus autem licèt transeat ab vno spatio ad aliud spatium, non tamen ideò continetur à spatio in quo recipitur de nouo, neque item in eo quod deserit, quando ex hypothesi mouetur, & nihil operatur in huiusmodi spatio

Nominales sentent. Obijciunt Scotistæ & Nominales qui contrariam sequuntur sententiam in 2. distinct. 2. & in 1. distinct. 37. Stephanum Episcopum Parisiensem damnasse propositionem istam, *Angelus est in loco non per essentiam, sed per suam operationem tantùm*, consulta de hac re priùs Academia Parisiensi.

Ineffica cuer. Respond. Articulos reprobatos à Stephano Episcopo Parisiensi, reuocatos fuisse authoritate Vrbani V. Pontif. Maxim. quatenus aduersantur isti doctrinæ D. Thom. D. autem Thom. art. 1. quæst. huius, verbis expressis docet angelos esse in loco per suam operationem. Deinde, licèt fateremur censuram Stephani esse admittendam, non propterea sequeretur angelos esse in loco per suam essentiam; nam possemus respondere nomine loci illum intellexisse, non locum propriè dictum, sed vbi; ità vt voluerit angelos existentes alicubi, licèt nihil illic operentur, habere verum & sibi proprium vbi, ceterùm prior responsio est multò melior.

Obijciunt 2. animàs & item dæmones damnatos esse in inferis tamquam in loco sibi proprio, etiamsi nihil operentur in inferis; docent enim communiter Patres locum proprium damnatorum esse infernum: ergo non possunt dici esse in loco per operationem transeuntem. *Obiectio 2.*

Respondeo, non deesse qui existiment animas, & item dæmones esse in inferis, tamquam in loco sibi proprio: credunt enim satis esse ad hoc vt substantia aliqua spiritualis creata sit in loco proprio, quòd hæc vel operetur aliquid in eo, vel certè, quòd aliquid in se verè & realiter recipiat, media aliqua passione. Ceterùm responsio hæc est planè improbabilis; locus enim impropriè dictus continet locatum, minimè verò res locata locum: Dæmon autem, & anima rationalis damnata recipiunt passionem sibi illatam. Deinde, locus debet esse res aliqua sensilis; est enim superficies corporis continentis; passio autem omnis recepta in dæmonibus, & animabus damnatis non est sensilis, sed spiritualis: imò sunt qui dicant ignem inferni nullam producere qualitatem in damnatis à qua torqueantur; sed tantùm cruciari, hoc solo nomine, quòd detineantur in inferis contra eorum voluntatem. Dæmones ergo, & animæ damnatæ, quando nihil operantur extra se apud inferos, sunt in inferis; tamquam in vbi, minimè verò vt in loco propriè dicto.

Solutio authoris. Ad id verò quod Patres aiunt locum damnatorum esse infernum. Respond. Hoc esse intelligendum de loco communi illorum; ità vt velint receptaculum commune damnatorum esse infernum, sicut locus communis animalium, censetur esse terra, & aqua locus piscium; & denique aër auium; nos autem disputamus hîc non de loco communi damnatorum dæmonum, sed de loco proprio, & peculiari cuiuslibet angeli, vel dęmonis.

DVBITATIO SECVNDA.

An locus Angeli sit circumscriptiuus, vel definitiuus: & item, An sit sensilis?

RAtio dubitandi est, quia motus recipitur in re mobili; angelus autem est verè substantia spiritualis: ergo locus eiusdem erit etiam spiritualis.

Locus angeli sensilis. CONCLVSIO 1. *Locus angeli est res aliqua sensilis.* Primùm, quia diximus locum angeli esse superficiem continentem eius operationem extrinsecam.

Deinde, nulla res spiritualis censetur propriè continere rem aliquam spiritualem: locus autem intrinsecè & essentialiter dicit continentiam rei locatæ.

Tertiò, de loco quolibet asserendum est quòd sit æqualis, vel inæqualis, maior vel minor: at hæc nequeunt vlla ratione conuenire rebus spiritualibus

ritualibus saltem propriè & formaliter loquendo de æquali & inæquali: maius quippe & minus, æquale, & inæquale sunt proprietates quantitatis: at quantitas non datur in rebus spiritualibus, saltem formaliter loquendo: ergo asserendum est angeli locum esse sensibilem, cui omnia dicta competant formaliter & propriè. A

Angelus est in loco definitiuè.

Conclvsio 2. *Angelus non est in loco circumscriptiuè & definitiuè.* Primùm, quia angelus eodem planè modo est in loco, quo anima rationalis dicitur esse in loco, pro illo tempore quo informat corpus, saltem aliqua ratione; quod dico, quoniam anima est vera forma corporis humani, quæ proinde dicit necessariam connexionem cum corpore humano, censetúrque necessariò locata in illo eodem spatio, seu loco, in quo agit corpus, quod informatur ab huiusmodi anima; angelus autem non dicit necessariam connexionem cum operatione transeunte, à se producta, sed tantummodo liberè coniungitur huiusmodi operationi: non est item angelus forma talis operationis transeuntis, vt est per se notum: atqui anima est in corpore humano, & item in illo spatio, in quo locatur corpus humanum, non circumscriptiuè, sed definitiuè tantùm: est enim tota in toto corpore, & tota in qualibet parte ratione suæ indiuisibilitatis: ergo angelus erit in loco non circumscriptiuè, sed definitiuè. B

Confirmatur: Esse in loco definitiuè nihil aliud est, quàm esse totum in toto, & totum in qualibet parte loci; at angelus est totus in toto illo spatio in quo recipitur eius operatio, & totus in qualibet parte operationis, quòd sit simpliciter indiuisibilis & impartibilis: ergo est in illo definitiuè non verò circumscriptiuè. C

Obiectio.

Obijcies, corpus humanum informatum anima rationali esse in loco circumscriptiue; respondent enim partes corporis partibus spatij, & totum corpus est in toto spatio: ergo idem erit dicendum de anima, quæ informat eiusmodi corpus, & etiam de angelo, comparato cum operatione transeunte ab eodem producta.

Solutio.

Respondeo, concesso antecedente, negando consecutionem: ad hoc enim vt aliquid sit in loco circumscriptiuè, non sufficit quòd ratione alicuius alterius existentis in loco illa ratione dicatur esse in illo; sed desideratur vt in se sit formaliter & intrinsecè quantum: docet enim Aristoteles quantitatem esse rationem existendi in loco circumscriptiuè: angelus autem, itémque anima rationalis nullam habent quantitatem formaliter & intrinsecè, sed tantùm extrinsecè, quare non est mirum si non sint in loco circumscriptiuè. Esto dicat anima necessariam connexionem cum corpore quod informat, & angelus liberam cum operatione extrinseca quam producit. D E

Ad rationem verò dubitandi resp. Motum angeli recipi in angelo tamquam in subiecto, prout tamen postulat natura & essentia motus, quamobrem censetur esse spiritualis, quemadmodum & angelus. Ex hoc tamen non licet colligere, angelum habere pro loco rem aliquam spiritualem: diximus enim continere locatum, esse de ratione loci; res autem spiritualis non dicitur propriè continere aliam, ergo neque potest esse locus alicuius alterius rei spiritualis.

DVBITATIO TERTIA.

An Angelus possit esse vbique tamquam in loco.

Ratio dubitandi est, quia Tertullianus in Apologetico asserit totum hunc mundum esse locum angeli, ac proinde quemlibet ex angelis posse inuestigare nullo negotio quid in qualibet vniuersi parte fiat. Tertul. 1.

Deinde, ex regula Euclidis, quidquid est in vno loco æqualium, potest etiam esse in alio æquali: ergo data hac hypothesi, quòd angelus aliquis fuerit in quadrato, poterit etiam esse in toto illo spatio, quod interijcitur inter cœlum & terram, & præterea in cœlo, & in terra; potest enim huiusmodi quadratum diuidi ex ea parte qua latum est in varias & diuersas lineas, & quidem ità vt lineæ istæ addantur quadrato ex ea parte qua longius est, donec quadratum hoc tandem cœlum & terram contingat secundum longitudinem, & præterea totum spatium quod interijcitur inter cœlum & terram: qua hypothesi data, cùm angelus esset antea in toto quadrato, erit etiam in tota illa linea quæ consequitur ex diuisione quadrati; ac proinde etiam vbique, velut in loco proprio. 2.

Non potest naturaliter esse vbique.

Conclvsio 1. *Angelus non potest esse naturaliter vbique tamquam in loco.* Primùm, quia immensitas desideratur ad hoc vt aliquid sit vbique: est enim immensitas ratio existendi essentiæ diuinæ in omnibus planè rebus ex communi doctrina: immensitas autem non datur in in vlla planè re creata, sed in solo Deo. Secundò, quemadmodum essentia angeli est finita: ità & illud idem dicendum est de operatione eiusdem.

Potest simpliciter angelus constitui in omni spatio creato.

Conclvsio 2. *Per omnipotentiam Dei fieri potest vt angelus aliquis sit in omni planè spatio quod datur in hoc vniuerso.* Primũ, quia de fide est corpus Christi esse in dextera Patris, & præterea sub qualiber specie panis consecrata.

Deinde, si species panis poneretur in omni spatio quod concluditur intrà hunc mundum, posset huiusmodi species panis consecrari, quo facto corpus Christi esset vbique, nõ enim extaret locus vllus intrà hunc mundum in quo non esset corpus Christi, saltem per modum sacramenti: ergo illud idem poterit præstare Deus circa angelum, cùm nulla possit adduci ratio propter quam fateamur id posse, respectu corporis Christi, minimè verò respectu angeli.

Dices, materiam consecrandam debere esse præsentem sacerdoti: videtur autem impossibile sacerdotem posse esse in quolibet spatio vniuersi.

Resp. Concesso antecedente, negando illationem eiusdem: eadem quippe facilitate qua corpus Christi collocatur sub varijs & diuersis speciebus panis, poterit etiam Deus sacerdotem facere præsentem quibusuis speciebus panis; quamuis panes isti distent ab inuicem interuallo longissimo.

Obiectio.

Obijcies, ex dictis, immensitatem esse necessariam ad hoc vt aliquid sit vbique; angelus autem nec est, nec esse potest immensus, cùm ex se & sua natura sit finitus: ergo neque constitui in omnibus locis.

Solutio.

Resp. Immensitatẽ esse simpliciter necessariã, ad hoc vt repugnet dari spatiũ aliquod in quo nõ sit ea res, quæ cẽsetur esse immẽsa, qua ratione solus Deus est vbique: non tamen est necessaria immensitas, vt aliquid sit in omni planè spatio, quod de facto datur in hoc vniuerso, est enim spatium hoc

Digitized by Google

verè finitum, atque ideò multiplicata aliqua entitate finita, poterit totum hoc spatium repleri, quod fieret si ex hypothesi angelus locaretur vbique.

Dissoluuntur rationes dubitandi.

Ad rationes verò dubitandi respond. Ad 1. Tertullianum agere de loco communi angeli, ità vt velit quòd quemadmodum totum mare censetur esse locus piscium, sic totus hic mundus sit locus communis angelorum; non disputat autem de loco proprio angelorum, quem nos contendimus esse operationem transeuntem eorumdem.

Ad propositionem Euclidis. Respond. Verissimam esse in eo casu, in quo figura minimè mutatur; in data autem hypothesi quadratum transit in lineam; ac proinde licèt angelus esset antea in toto quadrato, non propterea erit in linea quæ resultat ex diuisione quadrati iuxta hypothesim datam, idque propter mutationem figuræ, & manifestè colligitur ex eo quòd candela aliqua possit esse capax illuminandi paruum aliquod cubiculum, non tamen poterit cubiculum hoc diuisum in varias partes postèà illuminare, si partes istæ diuidantur secundum latitudinem & fuerint additæ aliæ alijs secundum longitudinem tantùm.

Potest angelus esse in punctо.

Rogabis, *An possit esse angelus in punctо tamquam in loco.* Respond. *Affirmatiuè*: nihil enim repugnat quominùs angelus exerceat operationẽ transeuntem circa punctum; diximus enim operationem transeuntem cõtinere angelum in loco.

Dices, locum esse superficiem cotinentem locatum. Resp. Locum vel esse superficiem, vel aliquid eiusdem; punctum autem est aliquid superficiei, cùm superficies terminetur lineis & quælibet linea punctis.

DVBITATIO QVARTA.

An Angelus possit esse in pluribus locis adæquatis: & item inadæquatis; esto nihil operetur intrà spatium, quod interijcitur inter huiusmodi loca inadæquata.

Non potest Angelus esse in multis locis adæquatis.

Conclvsio 1. *Angelus nequit esse naturaliter in multis locis adæquatis*; locus enim adæquatus censetur esse is, qui ità locatum continet, vt nihil illius sit extra huiusmodi locum.

Deinde, diximus Dubitat. proximè antecedente angelum non esse naturaliter vbique, quod tamen fieri posse concedendum esset, si angelus posset esse naturaliter in pluribus locis sibi adæquatis: ergo nequit esse in illis.

Absolutè in locis adæquatis potest poni.

Conclvsio 2. *Angelus potest esse diuina virtute in pluribus locis adæquatis.* Primùm, quia de fide est corpus Christi esse sub omnibus speciebus consecratis, & quidem totum in tota hostia consecrata, & totum in qualibet parte hostiæ: ergo idem poterit dici de angelo in ordine ad varia loca adæquata.

1.

2. Deinde, duo corpora possunt esse in vno & eodem loco, per omnipotentiam Dei, vt constat ex vtero D. Virginis, & ex humanitate Christi, quando hęc nata est ex D. Virgine, sinè vlla lęsione, & alteratione vteri D. Virginis, & ex lapide sepulchri, quo immoto egressus est Christus.

3. Tertiò, nullam inuoluit contradictionẽ. Angelum esse in pluribus locis sibi adæquatis, quemadmodum neque si Deus collocaret vnum & idem numero corpus in plutibus locis circumscriptiuè; ex eo enim quòd angelus locaretur in duobus locis adæquatis, sequeretur tantùm multiplicari loca istius angeli: non autem angelum esse in loco adæquato, & non adæquato.

Illustratur exemplo sanctissimi sacramenti; de fide enim est corpus Christi esse sub qualibet specie sacramentali; & tamen nõ propterea sequitur corpus Christi esse sacramentaliter totum sub vna specie, & non esse, sed tantùm multiplicari rationem existendi sacramentaliter: ità multiplicatur locus angeli adæquatus, quando diuina virtute ponitur ex hypothesi in pluribus locis adæquatis, non autem sequitur angelum esse, & non esse in loco sibi adæquato.

Potest angelus esse in pluribus locis partialibus discontinuis.

Conclvsio vltima. *Angelus potest esse in pluribus locis partialibus, & inadæquatis, etiàsi non sit in toto spatio quod interijcitur inter huiusmodi loca partialia tamquam in loco.* vt hæc Conclusio probetur,

Suppono totam istam classem v. g. esse locum adæquatum angeli: hoc ergo ità cõstituto, probatur Conclusio: nihil repugnat quominùs angelus locatus in tota hac classe operetur in quolibet angulo eiusdem effectũ aliqué sensilem; est enim angelus liber in suis actionibus; & natura sensilis subijcitur eidem, spectata secundum suas partes distributiuè; at angelus est in loco per operationem transeuntem ex dictis: ergo esset hic angelus in quatuor locis inadæquatis.

Deinde, anima rationalis tota mouetur in manu, quotiescũque manus mouetur, & tota quiescit in pede, quando pes quiescit, idque propter suam indiuisibilitatem: ergo eadem facilitate qua potest anima tota moueri naturaliter in manu, quotiescumque manus mouetur, & tota in eodẽ instanti quiescere in pede, poterit etiam angelus quiescere in toto spatio quod intercipitur inter angulos huius classis, & nihilominꝰ in angulis eiusdem certas aliquas operationes trãseũtes exercere.

Obiectio.

Obijcies, non posse animam rationalem informare manum & pedem corporis humani, nisi informet etiam omnes partes interiectas, inter manũ & pedem; lucerna item nequit illuminare extremitates alicuius aulæ, nisi quoque illustret partes intermedias: ergo non poterit etiam angelus operationem aliquam exercere in angulis istius spatij v.g. nisi operetur etiam in toto spatio, quod continetur intrà classem istam.

Solutio.

Respond. Concesso antecedente, negando consecutionem: propterea enim anima nequit informare manum & pedem, nisi informet etiam partes intermedias, quia est necessariò forma huius corporis humani, ésque tota in toto, & tota in qualibet parte eiusdem necessario: angelus autem non est necessariò in tota hac classe tamquam in loco, sed liberè, ac consequenter poterit in vno angulo operari, minimè verò in alio, & esse tamquam in loco: cùm operatio transiens sit ratio constitutiua angeli in loco, vt docuimus. Ex eo autem quòd angelus dicatur esse in tota hac classe, tamquam in loco sibi adæquato, quando non operatur nisi in angulis classis, solùm colligitur angelum esse in tota hac classe, veluti in vbi, non autem vt in loco propriè dicto. Idem dicendum est de lucerna.

Replica.

Instabis, si responsio hæc esset vera, sequeretur angelum esse diuisum à seipso: nam ex hypothesi angelus exercet operationes transeuntes in omnibus angulis huius scholæ: minimè verò in toto spatio interiecto inter angulos istos.

Resp.

Digitized by Google

Respondeo, negando illationẽ antecedentis; ad probationem autem, ex ea tantummodo colligi actiones istius angeli esse ab inuicẽ seperatas, minimè verò angelum ipsum; quemadmodum dicimus de actionibus animæ rationalis quòd ab inuicem reuera separentur, licèt anima sit in se indiuisa, vt manifestè colligitur ex motu qui datur in manu, & ex quiete quæ deprehenditur in pede simul & semel.

DVBITATIO VLTIMA.

An plures Angeli possint esse in vno, & eodem loco simul & semel.

Possunt plures angeli eumdẽ locum occupare.

CONCLVSIO. *Plures angeli possunt recipi in vno & eodem loco naturaliter; nedum diuina virtute.* Primùm, quia ex cap. 8. Lucæ indubitatum est legionem angelorum receptam fuisse intrà vnum hominem; est autem improbabile effectum hunc fuisse productum à Deo per suam omnipotentiam cùm fuerit ordinatus in malum finem, quem Deus non potuit intendere.

1.

2. Secundò, nulla potest assignari ratio qua demonstretur vnam & eamdem numero operationem transeuntem non posse esse à pluribus angelis naturaliter, cùm experientia quotidiana doceat vnum & eumdem numero currum posse trahi à multis, & item plures causas, diuersi tamen ordinis, vnam, & eamdem numero operationem producere.

3. Tertiò, vni & eidem homini destinantur plures angeli custodes, si contigerit hominem istum assumi, vel ad dignitatem pontificiam, vel ad regiam, vel etiam ad tractanda negotia alicuius reipublicæ, ex communi doctrina Theologorum.

4. Denique, tota ratio cur duo corpora nequeant esse simul in eodem loco, hæc assignatur, quia quodlibet ex istis corporibus vendicat sibi quantitatem propriam, quæ excludit quantitatem alterius; at in angelis præcisè spectatis secundum se, nulla datur quantitas, cùm sint substantiæ spirituales: ergo naturaliter se compatientur in vno & eodem loco.

D. Thom. mens aperitur.

Dices D. Thom. art. 3. huius quæst. affirmare plures angelos non posse locari in vno & eodem loco. Respond. 1. D. Thom. intelligendum esse de loco adæquato respectu cuiuslibet angeli. Respond. 2. & quidem certiùs mentem D. Tho. esse, actionem transeuntem productam ab vno angelo totaliter, & adæquatè, non posse esse rationem existendi alicui alteri angelo, in illo eodem loco, in quo angelus ille recipitur velut in loco, qui operationem istam transeuntem totaliter & adæquatè producit, nam cùm angelus sit in loco per operationem transeuntem, & operatio ista transiens, sit ex hypothesi ab vno tantùm angelo, non poterit alius angelus esse in illo eodem loco in quo recipitur ista operatio transiens; non enim producit operationem istam. Deinde, repugnat angelum aliquem esse causam totalem & adæquatam alicuius operationis transeuntis & non esse; quod tamen concedendum esset si ille alius angelus esset in eodem loco in quo recipitur operatio, totaliter & adæquatè producta ab alio angelo.

Replica.

Instant, plures sacerdotes vnam & eamdem numero hostiam consecrare posse, & quidem ità, vt quilibet ex istis censeatur esse causa totalis & adæquata positionis corporis Christi sub huiusmodi specie consecrata; non enim vnus sacerdos operatur huiusmodi effectum dependenter ab alio sacerdote, cùm quilibet retineat vim sufficientem per quam possit huiusmodi effectum producere, omnium planè consensu: ergo.

Dissolnitur.

Resp. Ex istis nihil posse colligi; nam sacerdotes illi non sunt causę præcipuæ & principales positionis corporis Christi sub specie consecrata ab ijsdem, sed tantùm ministeriales & instrumentarię; secus verò Deus censetur esse causa præcipua & principalis. Deinde, sacerdotes isti operantur huiusmodi effectum non per vim aliquam sibi connaturalem, sed per potestatem aliquam sibi gratuitò & liberaliter à Deo concessam in eorum ordinatione: angelus autem censetur esse causa operationis transeuntis per quam constituitur in loco sibi adæquato præcipua & principalis particularis, idque per vim sibi connaturalem, ac proinde non poterit hæc operatio esse ratio existendi in loco alicui alteri angelo, loquendo naturaliter, qua ratione docemus hoc loco, angelos non posse collocari in vno & eodem loco adæquato, quoniam operatio ista transiens ab vno solo angelo totaliter & adæquatè est producta.

QVÆSTIO LIII.

De motu locali Angeli.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. Angelos posse moueri localiter.

ARTICVLO 2. Angelum quando mouetur continuè non posse moueri ab extremo ad extremum, nisi per medium; secus verò quando non mouetur continuè.

ARTICVLO VLTIMO. Tradit angelum moueri in tempore, quotiescumque mouetur hic motu propriè continuo; in instanti verò quando mouetur discretè.

Postulat hæc Quæstio explicationem sequentium difficultatum.

DVBITATIO PRIMA.

An Angelus verè, & propriè moueatur.

Argumentum negatiuæ.

RAtio dubitandi est, quia docet Aristoteles lib. 6. physicorũ impartibile non posse moueri; at *ta partis* angelus est impartibilis: ergo non poterit moueri.

1. Deinde, ex eodem Aristotele, quod mouetur localiter partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem; hoc autem de angelo dici nequit cùm sit indiuisibilis.

2.

3. Tertiò, motus recipitur in mobili, hic verò non potest recipi in angelo, cùm motus sit sensilis; computatur enim hic inter proprietates corporis naturalis.

4. Denique, motus localis arguit imperfectionem aliquam in eo qui mouetur localiter; per motum namque istum consequitur mobile perfectionem aliquam; at angeli maximè beati nulla egent perfectione: ergo minimè localis motus eis competeret.

Digitized by Google

Mouetur localiter propriè angelus.

CONCLVSIO *Angelus mouetur propriè localiter.* Primùm, quia ex ſacris litteris habemus iſtos deſcendere è cælo in terram, & rurſus à terra in cœlum aſcendere, Gen. 32. videtur etiam alibi angelos peregrinationes cum certis quibuſdam

Hiero 1. hominibus inſtituiſſe, vt conſtat ex lib. Tobiæ.

Deinde, ità docent Patres, maximè verò Hier. epiſt. 53. aduersùs Vigilantium. *Ergo*, inquit, *& Domini corpus in ſepulchro poſitum, immundum fuit, & angeli, qui candidis veſtibus vtebantur, mortuo cadaueri præbebant excubias?* Ambr. lib. 1. de Spiritu S. cap. 10. *Et Spiritus quidem miſſus dicitur, ſed Seraphim ad vnum, Spiritus ad omnes. Seraphim mittitur ad miniſterium, Spiritus operatur myſterium. Seraphim quod iubetur exequitur, Spiritus quod vult dimidit: Seraphim de loco ad locum tranſit, & deſcendit cum aliquo ſecundum ſuam naturam tranſitu.* Chryſoſt. homil. 3. in epiſt. ad Hebræos, Tertul. in Apologetico cap. 22. Nazianz. orat 2. de Theologia, & denique Dionyſ. lib. cæleſtis hierarch. cap. vltimo.

Ambroſ. Chryſoſt. Tertull. Nazianz. Dionyſ.

Satisfit argumentis contrarijs.

Ad rationes verò dubitandi reſpond. Ad 1. Non deeſſe qui exiſtiment punctum ſeu impartibile mathematicum, non poſſe moueri localiter ex doctrina Ariſtotelis.

Ceterùm opinio hæc defendi non poteſt; fatentur enim multi corpus perfectè ſphæricum moueri in puncto quotieſcumque mouetur circa corpus perfectiſſimè planum; tangunt enim ſe hæc duo corpora in puncto.

Denique, diximus de angelis quòd deſcendant, & aſcendant à terra in cœlum; ſi ergo mouentur iſti propriè localiter, licèt nec ſint quanti formaliter, nec detur in eis principium quantitatis, quare non mouebitur punctum Mathematicum localiter; cùm ſit hoc principium quantitatis, licèt non ſit formaliter quantum?

Solutio authoris.

Dico igitur, mentem Ariſtotelis eſſe eo in loco, diuiſibilitatem motus non eſſe repetendam ex diuiſibilitate mobilis, & quidem meritò: natura enim & eſſentia cuiuſlibet rei eſt neceſſariò ſumenda ex principijs, ex quibus conſurgit intrinſecè & eſſentialiter: motus autem localis conſurgit intrinſecè & eſſentialiter ex partibus præteritis & futuris copulatis, mutatis eſſe, veluti proprijs terminis, ex doctrina eiuſdem Ariſtotelis: Non venit autem in mentem illi eo in loco affirmare impartibile non poſſe moueri propriè localiter.

Ad 2.

Ad 2. reſpond. Propoſitionem iſtam, *Quod mouetur partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem*, habere tantùm locum in rebus per ſe & formaliter quantis; quandocumque contingit eas moueri localiter, non autem in omni eo, quod mouetur localiter propriè, vt patet de pũcto.

Reſpondeo 2. Propoſitionem prædictam æquiualere iſti: Quò magis aliquid recedit à termino à quo, quando mouetur localiter, eò quoque magis accedit ad terminum ad quem: quo admiſſo, propoſitio hæc nedum habet locum in rebus quantis, quando mouentur localiter, ſed etiam in rebus ſpiritualibus, quotieſcumque tranſeunt ab vno loco ad alium diſtinctum; nõ enim fieri poteſt vt accedant ad terminum ad quem, niſi etiam magis recedant à termino à quo, quando mouentur ab extremo ad extremum diſtans.

Ad 3.

Ad 3. reſp. Propoſitionem iſtam eſſe ſimpliciter falſam, motum ſcilicet recipi in mobili tamquã in ſubiecto: ità vt nihil moueatur quòd non recipiat in ſeipſo motum; nam de corpore Chriſti conſtituto ſub ſpeciebus conſecratis fatẽtur Theologi quòd moueatur ad motum ſpecierum ſub quibus eſt; & tamẽ motus hic nõ in corpore Chriſti, ſed in ſpeciebus conſecratis recipitur tanquam in ſubiecto. Anima item noſtra moto corpore mouetur, & tamen motus hic non in anima, ſed in corpore, veluti in proprio ſubiecto recipitur.

Reſpond. ergo, motum eſſe duplicem, ſenſilem ſcilicet, & ſpiritualem: hic in angelis recipitur quotieſcumque mouentur ab vno loco ad alium, quando nec agunt in corpore aſſumpto, nec vllam exercent operationem tranſeuntem in ſpatio illo toto, quod perficitur ab ipſis angelis ſuo motu; ille verò recipitur in ſolis corporibus quantis, vel in re quæ eſt principium quantitatis: prior ille motus habet pro termino vbi ſpirituale; poſterior verò vbi ſenſilè, quemadmodum res quæ mouetur in ſe ſenſilis, & motus ille ſenſilis: vbi autem quod aduenit angelo per huiuſmodi motum eſt ſpirituale, quemadmodum & motus eiuſdem & recipitur proinde in ſubſtantia angeli moti, tamquam in proprio ſubiecto.

Ad vltim.

Ad vltimam reſpond. Non eſſe abſurdum fateri aliquid aduenire angelis etiam beatis quotieſcũque mouentur localiter: cõſequuntur enim iſti vel nouum Vbi, vel certè & nouum Vbi, & nouum præterea locum. Quod autem dicitur nihil deeſſe beatis. Reſpond. Hoc eſſe verum ratione beatitudinis eſſentialis, hæc enim vna & eadem manet ſemper, idque inuariata. Cum iſtis tamen rectè cohæret, vt perfectiones aliquæ de nouo producantur in beatis cùm poſſint in beatitudine accidentali perfici, omnium ſententia.

DVBITATIO SECVNDA.

An motus localis, qui datur in Angelis ſit eiuſdem ſpeciei, cum eo, qui deprehenditur in iſtis rebus ſenſibilibus, quando hæc mouentur localiter.

Duplex motus in angelis.

ADuerte, in angelis deprehendi duplicem motum, continuum & non continuũ, aut, vt alij loquuntur, diſcretum: prior cenſetur eſſe is qui conſurgit ex partibus prioribus & poſterioribus copulatis, mutatis eſſe veluti terminis ſibi connaturalibus: poſterior verò definitur is qui conſurgit ex varijs, & diuerſis mutationibus ordinatis, non quidem ex ſe & ſua natura, ſed ſola angeli voluntate ad vltimum aliquem terminum obtinendum: primus in angelis deprehenditur quotieſcumque mouentur in corpore aſſumpto, & tranſeunt ab vno loco, ad alium diſtinctum ſucceſſiuè, aut etiam quando exercent operationem aliquam tranſeuntem formaliter quantam, & media iſta operatione mutant ſucceſſiuè locum: poſterior verò concedendus eſt angelis, quando nec agunt in corpore aſſumpto nec vllam operationem tranſeuntem exercent, ſed mutant ſpatia in quibus agunt, idque per varias & diuerſas mutationes ſibi ſuccedentes, & ordinatas ad vbi vltimum aliquod obtinendum.

Motus continuus angelorum.

CONCLVSIO 1. *Motus localis continuus, qui admittitur in angelis, quando mouentur in corpore aliquo aſſumpto, eſt eiuſdem ſpeciei cum eo, qui datur in rebus ſenſibilibus, quando hæ mouentur localiter circa centrum ab extremo ad extremum diſtans.* Primum, motus hic ſtro.

angeli

Digitized by Google

angeli habet pro termino locum propriè dictum, vt & motus continuus qui ſit à rebus iſtis ſenſibilibus: ergo iſti duo motus ſunt eiuſdem ſpeciei; vnitas quippe ſpecifica motuum deſumitur à termino vltimo motuum ex communi doctrina.

Deinde, motus continuus nihil aliud eſt, quàm ſucceſſio vnius ſuperficiei continentis perfectiſſimè locatum, in aliam ſuperficiem ſimiliter continentem locatum; atqui ſucceſſio iſta de facto datur in angelo, quotieſcumque tranſit hic medio corpore aſſumpto ab vno extremo ad aliud diſtans: ergo motus ille eſt eiuſdem planè ſpeciei cum motu rerum ſenſibilium.

Obiectio. Dices, angelum non eſſe in corpore aſſumpto localiter, illo eodem modo quo ſunt res iſtæ ſenſiles: nam angelus eſt in corpore aſſumpto definitiuè ex ſupradictis; res verò ſenſiles ſunt in loco circumſcriptiuè: ergo non mouetur angelus illo eodem modo quo res iſtæ ſenſiles.

Soluſio. Reſp. Conceſſo antecedente, negando conſequutionem; ad hoc enim vt angelus moueatur illo eodem modo quo mouentur iſta ſenſilia, ſatis eſt, quòd tranſeat ab vna ſuperficie, in aliam, & quidem per medium ſinè vlla interruptione: hoc autem præſtat angelus conſtitutus in corpore aſſumpto quotieſcumque tranſit medio iſto corpore à ciuitate iſta Toloſana v. g. Burdegalam: & quidem ità vt motus eius nulla quiete interrumpatur.

Motus diſcretus angeli diuerſus ſpecie à noſtro. Conclvsio 2. *Quando mouetur diſcretè admittit in ſe motum diſtinctum ſpecie, ab eo qui datur in rebus ſenſibilibus.* Primò, quoniam motus hic habet pro termino vltimo, vbi, non autem locum propriè dictum: diuerſitas autem ſpecifica motus petitur à diuerſitate ſpecifica terminorum.

Deinde, motus continuus qui datur in rebus ſenſibilibus eſt corporeus: motus autem diſcretus angeli eſt ſpiritualis.

Tertiò, motus hic non fit à loco ad locum, ſed ab vbi ad aliud vbi. Ità communiter recentiores & veteres Theologi Scholaſtici in 1. diſt. 37. alij vero in 2. diſtinct. 8. & interpretes D. Thom. art. 1. huius quæſt.

Angelus per ſe mouetur in corporibus aſſumptis. Rogabis, *An concedendum ſit de angelo quòd moueatur per ſe: an verò tantùm per accidẽs, quotieſcumque contingit angelũ moueri in corpore aſſupto.*

Reſpond. *Nihil vetare quominus poſſimus fateri angelos moueri tunc per ſe:* mouentur enim per vim ſibi à natura inſitam. Deinde, non eſt negandum angelis quod concedimus rebus ſenſilibus, niſi ſequatur aliqua imperfectio in angelis: at quælibet res naturalis, ex ſe & ſua natura poteſt mouere ſeipſam: definitur enim natura lib. 2. phyſic. ab Ariſtotele, *Principium motus & quietis eius in quo ineſt primò, & per ſe:* ergo idem erit dicendum de angelo, non enim propterea ſequetur imperfectionem aliquam habere locum in angelis, cùm perfectius ſit habere vim mouendi ſe, quàm contrà: concedendum eſt etiam angelos moueri per accidens, quando mouentur in corporibus aſſumptis, nam hoc omnes fatentur de anima noſtra in corpore conſtituta, & item de ſanctiſſimo corpore Chriſti in Euchariſtia. Deinde, diuerſi iſti motus dicuntur de Angelis ſi ordine ad res omnino varias & diuerſas.

Rogabis etiam, *Quanam menſura motus angelorum dimetiatur?* Reſpond. *Motum continuum menſurari tempore noſtro, motum autem diſcretum tempore diſcreto.* Prima pars probatur. Motus Angelorum continuus, eſt eiuſdem planè rationis, cum eo, qui datur in rebus ſenſilibus ex dictis, at motus rerum iſtarum omnium, tempore noſtro menſuratur: ergo & motus angeli. Deinde, tempus noſtrũ definitur à philoſopho, lib. 4. phyſic. *Numerus motus ſecundum prius & poſterius:* at in motu continuo angeli datur prius & poſterius, & item mutatum eſſe, quod habet rationem termini copulantis partes priores & poſteriores: motus ergo menſurabitur tempore continuo. Quod autem motus diſcretus angelorum menſuretur tempore diſcreto, ſatis innoteſcit, ex eo quòd motus hic conſurgat ex mutationibus inſtantaneis diſtinctis inter ſe realiter, & ordinatis ad vnum aliquem terminum obtinendum; non quidem ex ſe, ſed ſola angeli qui mouetur voluntate: ergo cùm tempus diſcretum nihil aliud ſit quàm duratio conſurgens ex multis inſtantibus diſcretis, motus diſcretus angeli tempore diſcreto menſurabitur.

DVBITATIO TERTIA.

An Angelus moueatur neceſſariò in tempore; an verò in inſtantis tantùm.

SVnt qui putent motum omnem angeli fieri in inſtanti, idque quòd credant ſucceſſionem cuiuſlibet motus oriri ex reſiſtentia medij pleni, in quo perficitur huiuſmodi motus, nihil eſt autem in naturæ vniuerſitate quod poſſit reſiſtere angelo, ſaltem ſi ſermo ſit de rebus creatis, ex illo Iob. 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei*, ſcilicet angelo malo. Iob 41. ℣. 24.

Conclvsio 1. *Angelus mouetur interdum neceſſariò in tempore.* Primò, quia dixi- *Mouetur aliquando neceſſariò in tempore.*
mus angelum in corpore aſſumpto moueri continuè & quidem per motum, qui eſt eiuſdem ratio- 2.
nis cum noſtro motu.

Deinde, in omni motu continuo dantur partes priores & poſteriores copulatæ mutatis eſſe: at partes iſtæ nequeunt pertranſiri niſi ſucceſſiuè: ergo.

Tertiò, ſi omnis motus angeli fieret in inſtanti, ſequeretur angelum ſimul, & ſemel poſſe eſſe in duobus locis ſibi adæquatis; mouetur enim ex hypotheſi ſemper in inſtanti, ac proinde poſſe tranſire in hoc inſtanti ab vno loco adæquato, ad alium indiſtantem ſaltem. 3.

Reſpondent, angelum poſſe quidem in eodem inſtanti moueri ab vno loco ad alium ſibi perfectiſſimè adæquatum, non tamen poſſe permanere in iſtis locis ſimul in eodem inſtanti. *Euaſio quorundam.*

Verùm reſponſio, hæc nihil planè dicit, quod enim naturaliter recipitur, in vno tantùm inſtanti in duobus locis adæquatis, poteſt etiam in ijſdem conſeruari, ſi non naturaliter, ſaltem per omnipotentiam Dei. Deinde, reſponſio hæc deſtruit naturam loci adæquati; definitur enim hic ſuperficies, quæ ità ambit totum locatum, vt nihil illius ſit extra huiuſmodi ſuperficiem. Denique, omnis motus angelicus cenſetur eſſe continuus & ſucceſſiuus: ergo quando angeli mouentur motu propriè dicto, in tempore continuo vel diſcreto, non autem in inſtanti mouẽtur: nam tempus conſequitur naturam motus, imò eſt idem realiter cum motu. *Infirma.*

Mouetur in instanti angelus.

CONCLVSIO 2. *Angelus mouetur interdum in instanti, non quidem per actionem quæ sit motus proprie dictus, sed per mutationem instantaneam.* Primò, quia diximus tempus discretum consurgere ex mutationibus instantaneis.

Deinde, quod quieſcit multo tempore, potest in instanti illius temporis verè moueri.

Tertiò, eadem potest esse mensura mutationis alicuius rei & quietis eiusdem; atqui angelus potest quiescere per instans, non enim hoc dicit vllam implicantiam: ergo.

Denique, vna & eadem numero materia priuatur aliqua forma substantiali, & inducitur alia, idque in eodem instanti, ex doctrina communi omnium Philosophorum: ergo poterit angelus modo explicato moueri in instanti. Ità communiter hoc loco, & in 1. dist. 37. alij verò in 2. distinct. 8.

Soluitur ratio dubit.

Ad rationem verò authorum contrariæ sententiæ. Respond. Motus successionem, etiam in rebus sensibilibus, non desumendam ex resistentia medij pleni: motus quippe, ex veriori sententia, continuus potest fieri in vacuo naturaliter. Deinde, medium plenum obijcitur interdum velocitati motus, non enim ità velociter mouetur lapis in aqua, quemadmodum in aëre. Dico igitur successionem motus accipi secundum naturam & essentiam ipsius motus: exigit enim hæc vt constet ex partibus prioribus & posterioribus copulatis mutatis esse.

Ad id verò quod dicitur nihil esse in rebus creatis quod possit impedire angelum ne moueatur continuè. Respondeo, hoc esse falsum; implicat enim dari motum continuum propriè dictum, & istum non esse successiuum, quæ repugnantia petitur ex natura ipsius motus continui.

DVBITATIO QVARTA.

An Angelus possit transire naturaliter ab vno extremo ad extremum distans, non transeundo per medium.

Quorundã opinio & fundamẽta.

SVnt qui putent fieri posse: angelus namque potest operari in duobus locis sibi inadæquatis, etiamsi nihil operetur in toto illo spatio, quod interijcitur inter ista duo loca inadæquata, vt docuimus quæst. proximè antecedente: ergo poterit etiam angelus transire ab vno loco ad alium medio impertranſito; hoc enim videtur esse positum in libera voluntate angeli; quemadmodũ & operari in duobus locis inadæquatis, etiamsi non operetur in spatio interiecto inter illa.

2. Deinde, de fide est corpus Christi constitui præsens speciebus consecratis, neque tamen transit per medium, quod interijcitur inter species consecratas, & dexteram Patris in qua est visibiliter: ergo & idem erit dicendum de angelo, cùm non subijciatur legibus loci, vt author est D. Tho. art 2 huius quæst.

Non potest transire angelus ab vno extremo ad aliud absque transitu per medũ.

CONCLVSIO 1. *Angelus nequit transire ab extremo ad extremum distans, nisi transeundo per medium, saltem quando mouetur motu continuo.* Primò, quia quod mouetur motu continuo, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem; aut saltem quò magis recedit à termino à quo, magis accedit ad terminum ad quem; at hæc nequeunt esse vera, nisi mobile tranſeat ab extremo ad extremum distans per medium.

Deinde, motus continuus censetur esse transitus successiuus ab vna superficie ad aliam superficiem. 2.

Tertiò, si posset angelus moueri ab extremo ad extremum distans, non transeundo per medium, sequeretur angelum esse diuisum à seipso; esset enim in extremis, minimè verò in spatio interiecto inter ista extrema; at non potest esse diuisus à seipso: ergo neque moueri ab vno extremo in aliud non transeundo per medium. 3.

Respondent, operationes angeli futuras diuersas inter se & distantes, non autem angelum ipsum. *Effugium.*

Ceterùm responsio hæc infirma est; supponit enim quòd angelus non exerceat vllam operationem transeuntem, & item quòd non sit in corpore assumpto, sed tantùm quod angelus transeat ad extremum distans: quo in casu, si angelus non sit in spatio interiecto inter ista duo extrema, angelus esset verè diuisus à seipso, & quidem naturaliter, quod mens humana capere non potest. *Præcluditur.*

Quartò, quando angelus transit à cœlo in terram, vel est secundum se totum in eodem instanti in cœlo, & in terra, & in toto illo spatio quod interijcitur inter cœlum & terram, vel non: primum dici non potest, quia incredibile est angelum habere vim diffundendi suam essentiam, per totum illud spatium quod interijcitur inter cœlum & terram, cùm sit substantia quædam finita; si autem dicatur 2. concedendum est angelum priùs pertranſire partes viciniores cœlo, quàm posteriores, quæ magis accedunt ad terram, & consequenter moueri per medium. 4.

Denique, si opinio contraria esset vera, sequeretur omnes angelos moueri est æquo, seu, quod idem est, æqualiter velocitari, quod tamen est falsum; docuimus enim omnem motum angeli esse æqualem, vel inæqualem, maiorem, vel minorem: Ità D. Thom. art. 2. huius quæst. & communiter Sent. alij in 2. distinct. 2. vt Scotus quæst. vltima, & Gabriel, quæst. 3. & Gregorius Ariminensis distinct. 6. quæst. 3. alij verò in 1. distinct. 37. vt Bonauent. part. 2. artic. 2. quæst. 2. & Richard. ibidem, artic. 3. quæst. 2. Alensis 2. part. quæst. 33. memb. 2. & ferè communiter recentiores. 5. D. Thom.

CONCLVSIO 2. *Angelus nequit moueri discretè ab extremo ad extremum distans, nisi per medium:* hæc est contra multos Thomistas, & vt videtur contra Vazq. disp. 196. & 197. Primò, quia motus discretus tam verè motus est quàm sit continuus: ergo tam verè successionem prioris & posterioris dicit. *Discretus motus angeli est per medium.*

Deinde, quod mouetur prius attingit medium quàm extremum, ex doctrina Aristotelis in physicis.

Tertiò, destrueretur alioquin ratio spatij cum quo perficitur motus: igitur non poterit moueri angelus discretè, etiam non transeundo per medium.

Respondent authores contrariæ sententiæ, rationibus istis probari angelum non posse moueri motu continuo medio impertranſito ab extremo ad extremum distans: minimè verò motu discreto. *Contrariorum solutio inefficax.*

Sed responsio hæc est impertinens; diximus enim motum discretum angelorum consurgere ex mutationibus instantaneis sibi inuicem sub-

Digitized by Google

ordinatis ad terminum aliquem obtinendum: at hæc dici non poſſunt, niſi tranſeat angelus per medium quod interijcitur inter ſpatium à quo mouetur, & illud ad quod mouetur, cùm hæc ſpatia ex hypotheſi diſtent verè ab inuicem.

Confirmatur. Tranſitus ab vno extremo ad aliud diſtans nequit intelligi, quin admittatur etiam tranſitus per medium; quemadmodum neque inter duo extrema quanta, poſſumus concipere iſta duo extrema, niſi concipiatur etiam quantitas intermedia: duo item nunc, terminantia tempus noſtrum non poſſunt concipi niſi concipiatur etiam pars præterita, & futura temporis. Denique, in huiuſmodi motu angelus acquirit ſucceſſiuè varia & diſtincta vbi: ergo debet etiam moueri neceſſariò per medium, cùm ſpatia quæ reſpondent iſtis vbi ſint inuicem diſtincta.

Satisfit rationibus cõtrariorum.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. conceſſo antecedente, negando conſecutionem; propterea enim angelus poteſt operari in duobus locis inadæquatis, eſto diſtent ab inuicem, quia ſubſtantia angeli eſt verè præſens in toto illo ſpatio, quod eſt inter iſta duo loca inadæquata eiuſdem; ideò verò non poteſt angelus tranſire ab extremo ad extremum diſtans, niſi per medium, quia alioquin angelus eſſet diuerſus à ſeipſo, cùm ſecundum ſuam ſubſtantiam non ſit in ſpatio interiecto inter iſta duo extrema diſtincta ex hypotheſi, neque præterea tranſeat per medium interiectum, vt ſupponimus.

Ad 2.

Ad 1. Reſpond. probare angelum per omnipotentiam Dei tranſire ab vno extremo ad aliud; non autem naturaliter, qua tamen ratione venit explicanda difficultas iſta: corpus enim Chriſti non naturaliter, ſed per omnipotentiam Dei conſtituitur ſub ſpeciebus conſecratis, etſi non deſinat eſſe in dextera Patris, nec item tranſeat per medium interiectum inter dexteram Patris, & ſpecies conſecratas.

Ad id verò quod dicitur à D. Thom. angelum non ſubiici legibus loci. Reſpond. hoc eſſe veriſſimum quando mouetur motu diſcreto, ſubiicitur tamen tunc temporis legibus vbi; proindéque quemadmodum ſpatia ad quæ mouetur angelus, diſtant ab eo à quo incipit moueri; ità debet hic neceſſariò tranſire per medium, ad hoc vt vbi diſtincta conſequatur.

DVBITATIO VLTIMA.

An facultas motrix angelorum diſtinguatur ab intellectu & voluntate eorumdem.

Facultas motrix angeli idem eſt cum intellectu & voluntate.

CONCLVSIO *negatiua.* Probant aliqui, quia in angelis ſunt admittendæ facultates, ſimpliciter ſpirituales; huius generis non poteſt eſſe facultas motrix, ſi diſtinguatur ab intellectu & voluntate eorumdem.

Quorundã probationes reijciuntur.

Cetertùm minor huius ſyllogiſmi falſa eſt; quemadmodum enim admittitur motus ſpiritualis in angelis, poteſt etiam in iiſdem admitti potentia motiua ſpiritualis ab intellectu & voluntate eorumdem diſtincta, non enim hæc vllam dicunt implicantiam.

Deinde alij ſic probant: in hominibus potentia motiua eſt diſtincta realiter ab intellectu, & voluntate: ergo non diſtinguetur in angelis ab intellectu & voluntate eorumdem; quę enim ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus: angelus autem eſt ſubſtantia ſuperior ad hominem.

Verùm, neque hæc ratio aliquid probat; nam ſi ità res haberet, intellectus & voluntas non diſtinguerentur realiter in angelis; diſtinguuntur enim iſtæ duæ potentiæ in homine realiter, & homo cenſetur eſſe angelis inferior.

Tertiò probant alij: facultas motrix non diſtinguitur in Deo ab intellectu & voluntate, vt communiter docent Scholaſtici, quæſt. 25. 1. part. D. Thom.

Verùm neque hæc Concluſionem noſtram demonſtrat; ex ea namque ſequeretur intellectum & voluntatem non diſtingui in angelis, quia non diſtinguuntur iſtæ potentiæ in Deo.

Germana ratio Concluſionis.

Dico ergo, propterea facultatem motricem, non diſtingui ab intellectu & voluntate in angelis; quia entia non ſunt multiplicanda ſinè neceſſitate: angelus autem ſuo intellectu & voluntate poteſt illud idem præſtare quod facit omne animal ſenſile, media facultate motrice: continet enim angelus virtute & eminenter potentiam loco motiuam, quæ datur in brutis & hominibus. Confirmatur. Ex communi ſententia non datur in homine realiter anima vegetans aut ſentiens, ſed tantùm formaliter, & nihilominus illud idem præſtat anima rationalis quod faceret anima vegetans aut ſentiens, ſi daretur in nobis à parte rei. Denique, fatentur plerique Peripatetici angelum mouere cœlos ſolo affectu & deſiderio: ergo non indiget potentia motrice diſtincta ab intellectu & voluntate eiuſdem.

Dices inter Articulos damnatos ab Epiſcopo Pariſienſi Stephano contineri iſtum: dicere angelum mouere ſe intellectu & voluntate error eſt.

Reſpondeo, reuocatas fuiſſe iſtas omnes cenſuras authoritate Vrbani Pontificis Maximi ſaltem quatenus recedunt à doctrina D. Thomæ.

Digitized by Google

QVÆSTIO LIV.

De cognitione Angelorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

An intellectio Angeli sit idem cum substantia eiusdem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An intelligere Angeli sit idem cum existentia eiusdem.

ARTICVLVS TERTIVS.

An vis intelligendi sit idem cum Angelo.

CIRCA istos tres Articulos explicanda est difficultas ista, *An essentia Angeli distinguatur realiter ab intellectione, & intellectu eiusdem.*

Aliquorum opinio & fundamẽta. 1. Simplicius, Themistius, Philoponus, Auerroës, & alij nõnulli Peripatetici contendunt substantiam angeli minimè distingui realiter ab intellectu eiusdem. Credunt enim ipsum tam intrinsecè & essentialiter esse intellectiuum quàm sit homo rationalis: propter hoc namque nuncupantur angeli communiter intelligentiæ.

2. Deinde, idem docet Aristoteles de angelis quod de Deo; at certum est diuinam essentiam non distingui realiter ab intellectu diuino: ergo neque substantia angeli ab intellectu eiusdem.

3. Denique, si aliter res haberet, sequeretur angelos inter intelligendum defatigari, & item non esse res simpliciter perfectas; quando enim actio distinguitur ab agente, certum est agens inter agendum defatigari, vt constat ex actionibus quas nos elicimus in hac vita; at absurdum est existimare angelos defatigari: ergo & eorum substantiam distingui ab intellectu.

Intellectus angeli distinguitur ab eiusdem essentia. CONCLVSIO 1. *Intellectus non est idem realiter cum essentia angeli.* Primùm, quia effectus distinguitur realiter à sua causa; at intellectus est effectus productus ab essentia angeli, conuenit enim inter omnes, proprietates profluere, & promanare ab essentia: intellectus autem censetur esse proprietas angeli, vel quasi proprietas: ergo non est idem cum essentia.

Deinde, accidens & substantia distinguuntur inter se realiter; at essentia angeli est substantia, intellectus verò eiusdem est accidens: ergo.

Tertio, essentia & potentia alicuius rei ad minus distinguuntur inter se realiter; at intellectus computatur inter potentias angeli: ergo distinguitur re ipsa à natura eiusdem.

Realiter. CONCLVSIO 2. *Existentia angeli est distincta realiter ab intellectu eiusdem.* Primùm, quia diximus essentiam & intellectum angeli distingui inter se realiter: ergo idem erit tenendum de existentia, nam existentia est idem realiter cum essentia angeli.

Intellectio distincta ab existentia angeli. CONCLVSIO 3. *Intellectio angeli non est idem realiter vel formaliter cum essentia & existentia eiusdem.* Primùm, quia accidens non est idem realiter vel formaliter cum substantia, intellectio autem omnis in angelis est accidens.

Deinde, agens non est idem semper cum operatione quam producit.

Tertiò, dantur in angelis innumeræ propemodum intellectiones ordinis supernaturalis: ergo.

Quarto, fatetur Leo epist. 91. solam diuinam essentiam respuere additionem alicuius perfectionis distinctæ realiter à se, & sanctus Dionysius in lib. de cælesti hierarch. affirmat, in angelis dari substantiam, actionem, & virtutem operandi: ergo videntur authores isti postremi fateri intellectum, & intellectionem distingui ab essentia angeli.

Solutio argumentorũ. Ad rationes verò authorum contrariæ sententiæ respond. Ad 1. angelos tam verè esse intellectiuos, quàm sint homines rationales, non tamen eodem modo, nam homines sunt intrinsecè, & essentialiter rationales; angeli verò non sunt essentialiter intellectiui: intellectus enim est facultas quædam, profluens, & promanans ab essentia illius, quapropter intelligere non est de intrinseca ratione angeli; ratio verò censetur esse differentia constitutiua hominis. 1.

Ad 2. Resp. Aristotelem non esse hac in re audiendum; nam angeli sunt finiti & creati: Deus autem increatus, & infinitus est. Deinde, respuit Deus omnem omnino compositionem; angelus autem componitur ex essentia & existentia, ex actu & potentia, ex genere & differentia, ex subiecto & accidente. 2.

Ad 3. propositionem istam, *Omne agens, quod agit per operationem distinctam realiter à se inter agendum fatigari*, esse falsam: nam conuenit inter omnes grauia, & leuia, quando mouentur ad sua loca, eò velociùs moueri, quò magis accedunt ad ea. Deinde, cœli mouentur sæpe eodem planè motu, & eadem ratione: propositio ergo illa vera tantùm est in rebus mixtis viuentibus; istæ enim solæ inter agendum defatigantur, idque quòd pendeant inter agendum ab organo sensili; angeli autem nec sunt mixta, nec vitam sensilem agunt. 3.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Angelis sit intellectus agens & patiens.

Opinio quorundam. SVNT qui putent intellectum agentem, & passibilem admittendum esse in angelis. Primùm, quia in illis omnibus concedendus est intellectus agens & patiens, in quibus intellectio dari non potest sinè dependentia ab intellectu agente, & patiente; at intellectio dari non potest in angelis, nisi cum dependentia ab intellectu agente, & patiente: patiens siquidem est qui recipit in se species ad intelligendum simpliciter necessarias, quando obiectum per seipsum nequit potentiæ cognoscitiuæ repræsentari; intellectus verò agens illustrat suo colore species receptas in intellectu patibili, ad hoc vt obiecta per eas repræsentata de facto cognoscantur: 1.

Digitized by Google

cantur: ergo in angelis erit admittendus intellectus agens & patiens.

2. Deinde, angelus intelligit ſaltem ſingularia per ſpecies emendicatas ab obiectis cognitis: ergo concedendi ſunt intellectus agens & patiens in illis; nam intellectus agens depurat ſpecies, ab obiectis acceptas, & tranſmittit ad intellectum patibilem, qui recipit iſtas ſpecies tanquam proprium earum ſubiectum.

3. Denique, licèt daremus angelos intelligere per ſpecies tantùm infuſas, adhuc tamen eſſet in illis intellectus patibilis; nam ſpecies iſtæ infuſæ recipiuntur verè in angelo, tanquam in ſubiecto: ergo ſubiectum hoc eſſet intellectus patibilis. Ità docent Albertus Magnus, Scotus, Baſſolis, Richardus, Alexander Alenſis.

Excluditur ab angelis intellectus agens & patibilis.

CONCLVSIO. *In Angelis non dantur propriè intellectus agens, & patibilis.* Primùm, quia ità ſentit D. Tho. hoc loco, & interpretes eiuſdem.

Deinde, ſi daretur intellectus agens, & patiens in angelis, id maximè fieret vel vt ſequeretur intellectio, vel vt ſpecies tranſmitterentur ad intellectum patibilem, vel denique vt emendicarentur ſpecies ab obiectis cognoſcendis; atqui nullum horum dici poteſt: non quidem primum, quia intellectus ex ſe ſatis eſt ad eliciendum actum intellectionis, modò habuerit ſpeciem ſibi præſentem, quæ perfectiſſimè repræſentet obiectum cognoſcendũ, & aduertat angelus ad huiuſmodi ſpeciem; neque item 2. & 3. quia angelus non intelligit per ſpecies emendicatas ab obiectis.

2. Deinde, tota ratio cur in nobis detur intellectus agens, & patiens, hæc redditur ab omnibus, ex ARISTOTELIS doctrina cap. 4. lib. 4. de anima, quia intelligimus nos per ſpecies acceptas ab obiectis, & quia ſpecies iſtæ recipiuntur in intellectu patibili, actione intellectus agentis; at rationes iſtæ nullum habent locum in angelis: habent enim iſti ſpecies rerum omnium concreatas ſibi, & coæuas, ità vt intelligant naturaliter illud omne quod intelligunt per ſpecies iſtas concreatas, vt oſtendetur: ergo non indigent intellectu agente & patibili.

Obiectio. Dices, ſi hæc ratio aliquid concluderet, ſequeretur in Chriſto & in primis parentibus minimè fuiſſe intellectum agentem, & paſſibilem; nam intellexit Chriſtus illud omne, quod intellexit in primo inſtanti ſuæ conceptionis per ſpecies ſibi infuſas: illud idem concedunt omnes de primis parentibus.

Solutio. Reſpond. in Chriſto & in primis parentibus fuiſſe propriè intellectum agentem, & patibilem; nam licèt intellexerint per ſpecies infuſas, & ſibi concreatas res iſtas omnes naturales; infuſio tamen huiuſmodi ſpecierum non fuit illis debita per ſe, & naturaliter, ſed per accidens, & ex ſola Dei liberalitate: Chriſto quidem, quòd hic eſſet verus Deus; dedecet autem eum qui Deus eſt aliqua neſcire: primis verò parentibus, propter perfectionem ſtatus in quo fuerunt creati, debita fuit ſpecierum iſtarum infuſio. Deinde, anima Chriſti, & anima primorum parentum ſunt eiuſdem rationis cum noſtris; in nobis autem dantur intellectus iſti. Tertiò, licèt Chriſtus, itémque primi parentes intellexerint per ſpecies infuſas entia creata naturalia, potuerunt tamen intelligere hęc eadem per ſpecies receptas ab obiectis, imò de facto intellexerunt; ob id namque admittunt omnes, præter ſcientiam infuſam, acquiſitam, & experimentalem in Chriſto. Confirmatur ijs quæ dicuntur Luc. 2. *Proficiebat Ieſus ætate, ſapientia, & gratia apud Deum & homines.*

Tertiò, probatur Concluſio: Cælum propterea creditur non eſſe in potentia ad formam orbicularem, quia fuit hæc illi coæua, & connaturalis: ergo neque angeli erunt in potentia ad ſpecies intelligibiles earum rerum, quas intelligunt, ſunt enim iſtæ & coæuæ angelis, & eiſdem connaturales. Confirmatur: modus intelligendi angelorum naturalis nullus alius eſt, quàm inueſtigare res quaſlibet mediis ſpeciebus ſibi concreatis.

Obiectio 2. Dices, angelos eſſe in potentia ad intelligendum: ergo poterunt etiam eſſe in potentia ad recipiendas ſpecies obiectorum quæ intelligunt.

Solutio. Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſequentiam: tota enim ratio, cur angeli ſunt in potentia ad intelligendum, eſt, partim, quia ſunt iſti res aliquæ creatæ: partim quià quod intelligunt, per varia & diuerſa media intelligunt, ac proinde multiplicantur in illis intellectiones, neque enim fieri poteſt vt vnica intellectione intelligant illud omne, quod intelligere poſſunt: ratio verò propter quam angelis non eſt potentia ad recipiendas ſpecies intelligibiles hæc redditur, quia modus intelligendi connaturalis in angelis eſt intelligere per ſpecies concreatas & ſibi coæuas.

Dixi, in angelis non dari propriè intellectum agentem vel patientem, quia non eſt negandum, quin in illis dentur impropriè ſaltem, & hoc forte voluerunt authores primæ ſententiæ; illud autem dicitur impropriè intellectus patibilis, quod recipit in ſe ſpecies aliquas, & eaſdem afferuat, ad hoc vt quis poſtea intelligere poſſit: illud verò dicitur impropriè intellectus agens, quod attingit ſua actione ſpecies receptas in intellectu patibili.

Satisfit rationibus ad. uerſariorũ. Ad rationes verò authorum primæ ſententiæ reſpond. Ad 1. conceſſa maiore, negando minorem; ad probationem verò, probare tantùm dari in angelis intellectum patibilem impropriè, nam quòd propriè non detur, manifeſtè colligitur ex eo, quod intellectus patibilis propriè dictus, ſit pura potentia in genere rerum intelligibilium, & quòd recipiendo ſpecies ab obiectis fiat omnia: angeli autem nuſquam fuerunt pura potentia reſpectu intelligibilium, neque emendicant vllas planè ſpecies ab obiectis cognitis: ergo neque dabitur in illis intellectus patibilis propriè dictus.

Ad 2. ſupponere falſum, dicemus enim art. 2. quæſt. ſequentis D. Thom. angelos intelligere ea omnia quæ naturaliter intelligunt per ſpecies infuſas & ſibi concreatas, non autem per emendicatas ab obiectis. 2.

Ad 3. Reſp. quemadmodum ad 1. 3.

Senſibili cognitione carent Angeli. ARTICVLO VLTIMO, docet D. Thom. intellectionem ſpiritualem, minimè verò cognitionem ſenſibilem locum habere in angelis: de qua re nulla ſupereſt occaſio dubitandi; tum quia cognitio ſenſilis pendet à ſenſibus externis; tum quia eſt actus animæ ſentientis, tùm quia pendet ab organo corporeo, hoc autem nullum habent locum in angelis: ergo nec intellectio ſenſilis.

Dices D. Auguſtinum affirmaſſe in angelis dari vitam, qua & intelligunt, & viuunt.

Reſpond. hæc eſſe intelligenda, vel iuxta eorum opinionem, qui crediderunt angelos eſſe verè corporeos, vel reſpectu operationum quas an-

Digitized by Google

geli exercent in corporibus assumptis, in istis siquidem & bibunt, & comedunt, & ambulant, & loquuntur: quare videntur quoque admittendæ in illis operationes aliquæ, quæ assimilentur actionibus propriè vitalibus, licèt non sint: vel denique iuxta eos, qui volunt intellectionem dubiam & incertam nuncupari cognitionem sensilem; datur autem in angelis cognitio quædam dubia & anceps, putà ea quæ respicit cogitationes nostras liberas, has enim certò assequi non possunt saltem naturaliter.

Obiectio. Dices D. Dionysium lib de cœlesti hierarch. affirmare dari in angelis phantasiam, ceterùm perversam.

Solutio. Respond. nomine phantasiæ, non intelligere Dionysium phantasiam propriè dictam, sed solam cognitionem, quam habent Dæmones de rebus bonis à se intellectis, quam ideò appellat perversam, quia ordinant illam in naturalem aliquem finem, vt colligi videtur ex eorum opinione qui putant dæmones in omni planè actione peccare.

Replica. Vrgebis, tribui memoriam dæmonibus, & angelis.

Dissolvitur. Respond. hæc intelligenda esse non de memoria propriè dicta, sed prout significat actũ recordationis à se aliquando exercitum, idque cum ratione: neque hoc magis absurdum videri debet, quàm sit eorum opinio, qui putant in angelis dari cognitionem experimentalem, vt Isidorus lib. 1. de summo bono. Deinde, quia angeli nedum assequuntur naturas genericas & specificas rerum naturalium, sed etiam indiuidua, si non omnia, saltem aliqua cuiuslibet speciei naturalis.

QVÆSTIO LV.

De medio cognitionis Angelorum.

RTICVLO 1. docet D. Thom. angelum non cognoscere immediatè per suam substantiam, sed per similitudines quæ repræsentant res istas creatas.

ARTICVLO 2. tradit angelum non cognoscere per similitudines emendicatas à rebus, sed per species sibi congenitas.

ARTICVLO VLTIMO, Angelum superiorem cognoscere per species magis vniuersales; inferiores verò per speciem minùs perfectam & vniuersam.

DVBITATIO PRIMA.

An species seu similitudines rerum sint necessariæ, ad cognoscendum res istas creatas in Angelis.

Durandi opinio negas species intelligibiles.

DVrandus, Nominales, & aliqui recentiores putant species intelligibiles non esse necessarias ad intelligendum in angelis, sed sufficere præsentiam obiecti intelligibilis, & aduertentiam intellectus angelici, circa obiectum hoc præsens intelligibile. Fúdamentum istorum authorum est, species intentionales non posse conducere ad intelligendas res creatas, nisi sint idem cum huiusmodi rebus creatis; at species istæ non sunt idem cum rebus creatis, imò vix dici potest quid sint, & in quo subiecto inhæreant: ergo huiusmodi species commentitiæ sunt, ac proinde nulla ratione necessariæ.

CONCLVSIO. *Species intelligibiles sunt necessariæ in Angelis ad intelligendas res istas creatas diuersas ab Angelo intelligente.* Primùm, quia fieri nequit, vt aliquid cognoscatur ab angelo, nisi fuerit intrà ipsummet angelum, saltem vt author est Aristoteles lib. de anima; at res istæ sensiles nequeunt esse per seipsas intrà intellectum angeli, vt est per se notum: ergo debent esse intrà angelum per suam similitudinem. Maior negatur ab authoribus contrariæ sententiæ, ceterùm immeritò; nam intellectus diuinus nihil planè intelligit quod non sit intrà eumdem, vel formaliter, vel eminenter: certum etiam est nulla cognoscere distinctè nisi per species emendicatas ab obiectis, ac proinde obiecta ista per speciem impressam esse intrà intellectum. *Indigẽt angels speciebus ad res intelligendas.*

Deinde, sola obiecti præsentia non sufficit ad hoc vt cognoscatur obiectum ab intellectu angeli; est enim intellectus angeli indefinitus & indeterminatus ad hoc, vel ad illud cognoscendum: ergo concedendum est dari aliquid intrà angelum, quod determinet intellectum illius ad obiectum hoc, non autem ad aliud intelligendum; at res ista determinans non potest esse aliud quàm species repræsentatiua obiecti cognoscibilis: ergo verè concedendę erunt huiusmodi species in intellectu angeli. 2.

Respondent authores aduersæ sententiæ, intellectum angeli determinari à propria voluntate, quæ est domina omnium actionum angeli ad extra, & consequenter minimè indigere speciebus. *Effugiũ aduersariorũ.*

Ceterùm responsio hæc est impertinens, cùm enim voluntas angeli ex se & sua natura sit cæca, non poterit determinare intellectum ad hoc potius quàm ad illud intelligendum, nisi posita priori aliqua cognitione in intellectu angeli, de re ista potius quàm alia cognoscenda. *Præcluditur.*

Alij verò respondent intellectum determinari per præsentiam obiecti, & potentię, in ratione obiecti, & potentiæ: sed hoc gratis adducitur, neque enim explicant quid sit obiectum esse præsens in ratione obiecti & potentiæ, & qua ratione id contingat in re proposita. *Aliorum solutio inefficax.*

Ad rationes verò authorum contrariæ sententiæ. Respond. speciem intelligibilem idem planè esse cum obiecto repræsentato, non quidem secundum esse existentiæ, quod habet à parte rei, sed in ratione similitudinis, seu quod idem est, in repræsentando; obiectum quippe perfectissimè repræsentatur per huiusmodi speciem, & quidem secundum omnia attributa sibi essentialia & propria, ideò fatemur de huiusmodi specie, quòd sit ratio cognoscendi huiusmodi obiectum repræsentatum; minimè verò obiectum cognitum, idque quòd cognitio terminetur non ad speciem, sed ad rem per speciem repræsentatam. Recipitur autem species ista in intellectu angeli tanquam in subiecto. *Soluitur fundamentum Durandi.*

DVBI.

DVBITATIO SECVNDA.

An species per quas Angeli intelligunt sint à rebus acceptæ, an verò concreatæ in instanti creationis in ipsis Angelis.

Species Angelorum nõ sumuntur à rebus creatis.

CONCLVSIO. *Species ista nullatenus mendicantur à rebus intellectis ab Angelis, etiamsi verum sit de rebus individuis materialibus, & immaterialibus intellectis ab Angelis; sed fuerunt concreatæ cum ipsismet Angelis.* Primùm, quia hoc videtur colligi ex cap. 28. Ezech. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore.* & paucis interiectis subiungit, *A die conditionis tuæ*; loquitur autem de primo angelo: ergo habuit angelus à primo instanti suæ creationis species repræsentantes perfectissimè quaslibet res naturales, alioquin dici nequit de eo, quòd fuerit plenus sapientia statim à sua conditione; nam ad hoc vt angelus sit plenus sapientia desiderantur obiecta cognita, vel proximè & immediatè per seipsa, vel species repræsentantes perfectissimè ista obiecta; neque enim fieri potest, vt aliquid cognoscatur ab angelo varium & distinctum à seipso, & à Deo Opt. Max. nisi fuerit hoc intrà angelum cognoscentem, ex communi doctrina sancti Thom. & Aristotelis.

1. Ezech. 28. vers. 12.

2. Deinde, hæc est expressa quorumdam Patrum sententia, D. Augustinus namque lib. 2. de Genes. ad litter. cap. 8. ait res corporeas priùs à Deo esse productas in cognitione angelorum, quàm fierent in seipsis; hoc autem intelligi nequit nisi admittamus species quarumcumque rerum in angelis concreatas: & Dionys. cap. 7. lib. de diuinis Nominib. *Angeli non congregant diuinam cognitionem à rebus diuisibilibus, aut sensibilibus.* & D. Thom. art. 2. huius quæst.

D. Augustin. Dionys. D. Thom.

3. Tertiò, accedit ratio sumpta ex eodem D. Thom. art. 2. huius quæst. Angelus enim in esse, fieri, & conseruari pendet à solo Deo, quemadmodum ab eodem solo producitur omnium consensu: ergo & in intelligendo à solo Deo pendet.

Responsio aduersariorum. Respondent Durandus & alij aduersarij sancti Thom. negando consequentiam: nam anima rationalis à solo Deo pendet in esse, fieri, & conseruari, & tamen nequit vlla intelligere nisi dependenter à phantasmate; non enim datur aliquid in intellectu nostro quod prius non fuerit in sensu, ex doctrina Aristotelis recepta communiter.

Reijcitur. Verùm resp. hæc non destruit rationem sancti Thom. licèt enim anima nostra, pro eo tempore quo agit in corpore, nequeat vlla inuestigare, cognitione distincta, nisi dependenter à sensibus externis: separata tamen à corpore illud omne quod intelligit pendet à speciebus sibi gratuitò, & liberaliter à Deo infusis.

Alia Conclusionis probatio. Subiungo & aliam rationem desumptam ex loco proximè citat. sancti Thom. Angelus non minùs fuit perfectus in primo instanti suæ creationis in ratione formæ intellectiuæ, quàm fuerint cœli in ratione formæ sphæricæ; at cœli statim à sua creatione habuerunt omnem vim necessariam ad motum sphæricum producendum: ergo & angeli similiter statim in primo instanti suæ creationis habuerunt omne præsidium necessarium ad intelligendum omnes, & singulas res naturales: præsidium autem hoc nequit consurgere A sinè speciebus exprimentibus res quascumque naturales: ergo illas tunc habuerunt.

Maior negatur à Durand. & ab aliis; credunt enim angelum non potuisse in primo instanti suæ creationis allequi & intelligere res istas omnes naturales.

Impugnatur euasio Durandi. Cetèrum responsio hæc nihil planè dicit; neque enim contendimus hoc loco, angelum statim ab initio suæ creationis omnes omnino res naturales inuestigasse; is enim, cùm sit substantia quædam finita, non potuit vnica intellectione omnes & singulas naturas intelligere. Affirmamus tamen, quemlibet angelum in primo instanti suæ B creationis habuisse illud omne, quod est simpliciter necessarium, ad rem quamliber naturalem intelligendam spectatam in indiuiduo, & quoad omnes conditiones suas indiuiduantes; quia cùm angelus sit simpliciter immaterialis, & à nullo præterquàm à solo Deo pendeat, debuit hic necessariò habere omnem speciem necessariam ad intelligendum res quascumque naturales, à primo instanti suæ creationis, præsertim cùm sit intellectiuus ex se, & sua natura.

Vlt. probat. Denique, primis parentibus infusæ fuerunt species repræsentantes res naturales in primo instanti suæ creationis, ex communi doctrina: Idem fatentur omnes de anima Christi; quid igitur mirum si hoc idem dicamus contigisse in angelis?

Species concurrunt effectiuè & obiectiuè. C ROGABIS, *Quænam ratione concurrant species istæ in Angelis, ad actum intellectionis?*

RESPOND. *Concurrere non effectiuè, sed obiectiuè tantùm; mouendo scilicet intellectum Angelorum ad intelligendum.* Nam intellectio effectiua est à solo intellectu, & ab auxilio quo fulcitur intellectus, vt intelligat; species autem concreata in angelo, nec est intellectus angeli, vt est per se notum, nec præsidium quod conferat vim intelligendi actiuè; nam gerit species ista concreata vices obiecti tantummodo cogniti, ità vt sit ratio cognoscendi tantùm obiectum, ex communi doctrina Aristotelis, & sancti Thomæ.

Species non possunt dici proprietates Angeli. ROGABIS 2. *An similitudines quibus diximus Angelos intelligere res quaslibet tam diuinas, & singulares, utémque vniuersas sint proprietates eorumdem?* D

RESPOND. *Non posse dici propriè & in rigore loquendo proprietates naturæ Angelicæ*; certum est enim proprietates à naturæ cuiuslibet principiis intrinsecis profluere; similitudines autem istæ per quas angeli intelligunt res, infunduntur à solo Deo: minimè verò producuntur à substantia angelorum. Deinde, proprietas conuertitur cum natura cuius est proprietas, ac proinde censetur hæc esse vna tantummodo species; at species & similitudines quibus angeli intelligunt sunt omnino variæ, & diuersæ: imò D. Thom. art. 3. huius quæst. affirmat angelos superiores intelligere per species magis vniuersas; inferiores verò, per species minùs vniuersas & perfectas.

Aliqua ratione possunt dici species proprietates naturæ Angelicæ. E Addo tamen, non esse negandum quin similitudines istæ dici possint aliqua ratione proprietates naturæ angelicæ; nam debentur omnibus & singulis angelis: modus quippe naturalis cognoscendi res naturales, pendet ab istis speciebus, quæ perfectissimè exprimunt res naturales, idcóque nuncupantur rectissimè, naturales: & item quod repræsentent perfectissimè quaslibet naturas creatas, ordinis tamen naturalis, & quidem nedum secundum proprias quidditates, & essentias earumdem, sed etiam secundum conditiones indiuiduantes cuiuslibet rei indiuiduæ & singularis.

1.

Digitized by Google

Neque hoc mirum videri debet, nam fatentur omnes essentiam diuinam, eò quod sit altioris ordinis à rebus istis omnibus creatis, exprimere perfectissime omnes omnino res creatas. A

2. Deinde, anima rationalis quia superior est ad animam sentientem, & vegetantem, ideo exequitur perfectissimè in omni homine idem quod præstat anima sentiens & vegetans in brutis.

3. Tertio, quæ sunt dispersa in inferioribus, deprehenduntur congregata & vnita in superioribus; species autē quibus angeli intelligūt res istas sensiles, materiales, & immateriales, sunt superiores speciebus quibusuis emendicatis ab obiectis, & ab iisdē productis: producūtur enim à solo Deo, & ab eodē infunduntur, propter quod nuncupantur ab aliquibus supernaturales: ergo species quibus intelligunt angeli res creatas repræsentant eas secūdum quidditates & conditiones indiuiduantes. B

Obiectio. Obiicit Scotus, & sequaces eius: si angeli intelligunt res indiuiduas materiales, & immateriales per species sibi concreatas, concedendæ erunt infinitę species concreatę in quolibet angelo: nam certum est indiuidua materialia & immaterialia continere numerum infinitum: hoc autem videtur absurdum, ergo & illud ex quo sequitur.

Solutio. Respond. negando illationem maioris: ad probationem autem, infinitam multitudinem indiuiduorum posse intelligi per vnam & eamdem numero speciem intelligibilem; nam cum species ista intelligibilis sit altioris ordinis ab his, quæ emendicantur ab obiectis, repræsentat perfectissimè omnes omnino conditiones indiuiduantes, & præterea quodlibet indiuiduum, huius, vel illius speciei, vt colliguur ex dictis. C

Deinde, non repugnat multa, vt multa sunt, cognosci cognitione distincta, quando per vnam, & eamdem numero speciem perfectissimè repræsentantur, vt fatentur D. Thom. quæst. 12. docet enim illic beatos quoslibet intrà diuinā essentiam videre omnia & singula Dei attributa necessaria; & item fatentur multi quemlibet beatum videre intrà diuinam essentiam omnia spectantia ad suum statum per illum eumdem numero actum, quo beatus videt essentiam diuinam. Poterit ergo angelus per vnam numero speciem concreatam vnica actione intelligere naturam v. g. hominis specificam, & præterea quodlibet indiuiduum eiusdem. D

Replica. Instant sequaces Scoti: vnius obiecti vnicam tantùm esse speciem intelligibilem, & item repugnare, id quod vnum est, esse plura & diuersa: ergo non poterit angelus intelligere per vnam speciem, naturam & indiuidua eiusdem.

Dissoluitur. Respond. primam propositionem habere locum in speciebus deriuatis ab obiecto, quòd istæ profluant ab eodem, quatenus in se est, & non aliter; ac proinde non potest species ista aliquid aliud repræsentare, præter huiusmodi obiectum; secus tamē sentiendum est de speciebus, quæ dantur in angelis, quia non ab obiectis, sed à solo Deo producuntur in cuius potestate est efficere, vt similitudines istæ perfectissimè exprimant hæc vel illa, vt ipse voluerit. Secunda verò propositio hac ratione venit explicanda, vt de qualibet specie cognita angelo concedendum sit, quòd sit vna numero, propter vnitatem subiecti in quo recipitur: varia verò & multiplex propter diuersas habitudines, & respectus, quos dicit ad res repræsentatas, neque hoc magis absurdum est, quàm E vnum numero speculum repræsentare simul & semel, idque distinctè, multa obiecta quæ extant ante huiusmodi speculum, vt docet experientia quotidiana.

Obiectio 2. Obiiciunt 2. Scotistæ: si angelus intelligeret per species sibi cognitas res indiuiduas, & singulares, sequeretur angelos cognoscere distinctè futura contingentia, antequam essent; sufficit enim ad hoc vt aliquid distinctè cognoscatur, quòd sit præsens potentię cognoscitiuę, per speciem perfectissimè repræsentantem, & quod potentia cognoscitiua aduertat ad rem repræsentatam per huiusmodi speciem.

Solutio. Respond. negando illationem maioris: Ad probationem autem, non sufficere vt aliquod indiuiduum cognoscatur distinctè, quòd repræsentetur per speciem intelligibilem, & quòd aduertat potentia cognoscitiua ad huiusmodi speciem; sed desideratur vlteriùs, quòd indiuiduum sit positum extra suas causas, ideóque quòd sit in esse actualis existentię: futurum autem contingens, non est ex hypothesi positum extra suas causas: ergo nequit intelligi ab angelo distinctè antequàm sit, sed tantummodo confusè. Addo non sufficere ad cognitionem distinctam futuri contingentis existentiam eiusdem, si futurum hoc contingens sit liberum, sed præter proximè commemorata necessaria est manifestatio eius, facta ab eo qui huiusmodi futurum contingens produxit, vt dicetur infrà.

Obiectio 3. Obiiciunt 3. Si angelus cognosceret per species concreatas res indiuiduas, & singulares, non posset assequi illa quæ essent posita in maxima distantia; nam desideratur aliqua proportio inter cognoscentem & cognitum.

Solutio. Respond. negando illationem antecedentis: ad probationem autem dico, dari sufficientem proportionem inter rem cognitam, & angelum cognoscentem, esto angelus sit in puncto Orientis, & res cognita in puncto Occidentis: nam supponimus ipsum cognoscere non per speciem sumptam à re cognita, sed per speciem sibi concreatam & infusam à Deo in primo instanti suæ creationis. Neque refert quòd angelus sit in Oriente, & res cognita in Occidente; nam distantia nihil obest ad hoc vt angelus cognoscat: sufficit enim præsentia speciei repræsentantis rem cognitam, ex communi doctrina. Deinde, sphæra actiuitatis assignatur angelis in ordine ad actiones tantummodo transeuntes; minimè verò in ordine ad actiones immanentes: imò hoc etiam habet locum in homine; quilibet enim nostrùm intelligit rem quantumuis absentem, & eamdem quoque perfectissimè amat; quid igitur mirum si hoc idem asseramus de angelis?

Obiect. vlt. D. August. Obiiciunt vltimo, D. Augustinum lib. 4. de Genes. ad litter. cap. 32. affirmare de angelis, quod cognoscant res omnes, & intrà Deum, & in seipsis: & alibi docet nedum affici nouitate rerum sensus internos hominis, sed etiam intellectum angelorum; at non potest angelus cognoscere res in seipsis, & intrà Deum, nisi videat easdem & in Deo, & in seipsis; ac proinde per speciem emissam à rebus ipsis: ergo.

Solutio. Respond. concessa maiori, nego minorem, quo ad istam partem in qua dicitur angelum non posse cognoscere res in seipsis, nisi emendicet species ab ijsdem: nam angelus perfectissimè cognoscit res quaslibet etiam indiuiduas, & singulares in seipsis, quando videt eas per species sibi conge-

Digitized by Google

congenitas, ſuppoſita tamen exiſtentia actuali eorumdem in rebus cognitis, & hoc tantum voluit D. Auguſtinus eo in loco, neque hoc mirum videri debet; propterea enim res illæ cognoſcuntur ab angelis intrà Deum, ex doctrina D. Auguſtini, quòd perfectiſſimè repræſententur intrà diuinam eſſentiam; at ſimiliter repræſentantur per ſpecies concreatas angelis: ergo poterunt ex æquo cognoſci per has ſpecies, quemadmodum & per diuinam eſſentiam.

Ad alium verò locum D. Auguſtini. Reſp. notitiæ rerum affici ſenſus internos hominis, quia res terminant actiones ſenſuum internorum, & conſequenter concedendum eſt etiam de angelis quòd eorum intellectiones habeant pro termino res intellectas abiiſdem creatas, non autem quòd angeli mutuentur ſpecies à rebus intellectis.

DVBITATIO VLTIMA.

An Angeli ſuperiores intelligant per ſpecies magis vniuerſas; inferiores verò, per minùs vniuerſas, ac proinde per ſpecies minùs perfectas.

Angeli ſuperiores intelligunt per ſpecies magis vniuerſales.

Conclvsio *affirmatiua.* Ità enim docet ſanctus Thom. art. 3. huius quæſtionis.

Deinde, inter angelos alij ſunt aliis perfectiores; pertinent enim ad diuerſas ſpecies, imò conſtituuntur tres angelorum hierarchiæ, & in qualibet hierarchia tres ordines: ergo, cùm modus cognoſcendi ſequatur modum eſſendi, angeli ſuperiores cognoſcent etiam res creatas nobiliori & perfectiori modo, quàm inferiores.

QVÆSTIO LVI.

De cognitione Angelorum, reſpectu rerum immaterialium.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Angelus cognoſcat ſeipſum.

Angelus cognoſcit ſeipſum. Tob. 12. verſ. 15. Apocal. 7. verſ. 2.

Respondet D. Thomas affirmatiuè, & quidem meritò, nam Tob. 12. dicitur; *Ego ſum Raphaël Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* & Apocalyp. 7. vnus angelus clamat ad alios quatuor angelos voce magna. Deinde, non eſt negandum angelo, quod concedimus homini; at quilibet noſtrùm in particulari cognoſcit multos homines. Denique, angelus quilibet habet pro obiecto adæquato illud omne quod conſequitur rationem entis; at eſſentia cuiuſlibet angeli habet rationem entis: ergo poterit cognoſci à ſeipſa.

Cognitio angeli eſt intuitiua.

Eſt autem aduertendum cognitionem, qua cognoſcit angelus ſeipſum eſſe intuitiuam; non autem abſtractiuam: nam quod ità cognoſcitur, vt ſit præſens potentiæ cognoſcitiuæ, & quidem per ſeipſum proximè & immediatè, vel per ſpeciem perfectiſſimè repræſentantem huiuſmodi obiectum, illud cognoſcitur intuitiuè: at eſſentia angeli eſt præſentiſſima proximè, & immediatè per ſeipſam intellectui eiuſdem, vt poſtea probabitur: ergo cognitio illa erit intuitiua, non verò abſtractiua. Item, cognitio intuitiua eſt multis partibus perfectior abſtractiua; hæc enim fit per ſpecies alienas, & conſequenter ex cognitione alicuius alterius rei; illa verò fit per propriam ſpeciem, perfectiſſimè repræſentantem obiectum cognitum, vel certè per ipſammet rem proximè & immediatè præſentem potentiæ cognoſcitiuæ ex communi doctrina: ergò hæc erit admittenda in angelo reſpectu ſui ipſius, non autem abſtractiua vt volunt aliqui. Non eſt tamen negandum quin angelus poſſit cognoſcere ſeipſum confusè per ſpecies alienas, cùm hac ratione cognoſcatur etiam Deus à nobis, & item innumeræ propemodum aliæ res creatæ.

Cognoſcit ſeipſum abſq; ſpecie.

Aduerte 2. Angelum non cognoſcere ſeipſum intuitiuè per ſpeciem aliquam ſibi concreatam, aut emendicatam à ſeipſo; nam ſpecies impreſſa eſt tantùm neceſſaria ad cognitionem intuitiuam, quotieſcumque obiectum cognitum non eſt præſens potentiæ cognoſcitiuæ per ſeipſum proximè & immediatè, vt conſtat ex his quæ docent Theologi in tract. de beatitudine: aſſerunt enim illic propterea Deum videri intuitiuè à quolibet beato ſinè ſpecie intelligibili; quia Deus proximè & immediatè per ſeipſum eſt præſens mentibus quorumcumque beatorum; at eſſentia cuiuſlibet angeli comparata cum intellectu eiuſdem, eſt eidem præſentiſſima proximè, & immediatè; & quidem ità, vt per nullam potentiam poſſit eſſentia ſeparari ab intellectu, & è contrà, ſtante hypotheſi, quòd angelus ſit à parte rei, prout de facto iam exiſtit: ergo cognitio illa conſurgit ſinè vlla planè ſpecie intelligibili. Non eſt tamen negandum quin abſolutè, & per omnipotentiam Dei fieri poſſit vt angelus cognoſcat ſeipſum per ſpeciem impreſſam; docuimus enim quæſt. 12. huius partis poſſe dari ſpeciem impreſſam, quæ perfectiſſimè repræſentet Deum prout in ſe eſt, vnde poterit etiam dari ſpecies impreſſa de quolibet angelo in particulari, quam poterit Deus collocare in intellectu angeli repræſentati; & ſic angelus hic cognoſceret ſeipſum per ſpeciem impreſſam, nedum per propriam eſſentiam.

Obiectio.

Obiicies aduersùs ſupra dicta, angelum non cognoſcere ſeipſum per ſuam ſubſtantiam; ad hoc enim hæc ſubſtantia deberet eſſe forma angeli, cùm id per quod intellectus intelligit ſe habeat tanquam forma illius.

Solutio.

Reſpond. tunc tantùm ſpeciem intelligibilem eſſe formam intellectus, quando illi inhæret; non verò quando obiectum eſt ità proportionatum potentiæ & intimum, vt proximè poſſit illa elicere actionem cum illo.

Obiectio 2.

Obiicies 2. ſequi ex eadem doctrina angelum cognoſcere quæcumque accidentia ſibi inhærentia naturalis ordinis, abſque aliqua ſuperaddita ſpecie, cùm ſint ſpiritualia & reipſa vnita ſubſtantiæ angeli.

Solutio.

Reſpond. hoc eſſe verum, ſunt enim huiuſmodi accidentia ſufficienter coniuncta cum intellectu in eodem ſubiecto.

Replica. Instabis: ergo anima in corpore existens cognoscet seipsam per propriam substantiam; est enim spiritualis & præsens suo intellectui.

Dilucitur. Respond. id negando, quia quamdiu anima informat corpus dependet in suis actionibus ab operationibus sensuum, etiam respectu cognitionis propriæ naturæ; vnde non potest intelligere nisi conuertendo se ad phantasmata: considerando verò illam separatam à corpore eodem modo philosophandum est de modo illius cognoscendi, sicut de angelis.

Cognoscit se liberè Angelus. Aduerte tandem cognitionem qua seipsum cognoscit angelus, non esse necessariam simpliciter, sed liberam, & consequenter intermitti posse, nihil enim est quod possit necessitare voluntatem hominis, vel angeli, nisi solum summum bonum, eò quòd contineat in se rationem cuiuslibet boni: at essentia angeli comparata cum intellectu, & voluntate eiusdem, non complectitur rationem omnis boni, vt est per se notum: ergo non poterit necessitare intellectum, & voluntatem istius angeli ad cognoscendum seipsum. Deinde, angelus nedum cognoscit seipsum, sed etiam Deum, naturas omnes creatas genericas, & specificas, itémque indiuidua: ergo cum ista sint propemodum infinita, & intellectus angeli sit finitus non poterit omnia simul intelligere, sed assequetur vnum post aliud, atque ità intermittet suas intellectiones.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An vnus Angelus cognoscat alium Angelum.

Vnus angelus cognoscit alium Angelum. Hvic quæstioni respondet etiam affirmatiuè D. Thom. in quo nulla superest occasio dubitandi: diximus enim Articulo proximè antecedente quemlibet angelum contineri intrà latitudinem obiecti adæquati intellectus eiusdem. Deinde, in tractatu de beatitudine fatentur communiter Theologi quemlibet ex beatis cognoscere ceteros omnes beatos: ergo angelus vnus cognoscet alium.

Aduertendum est autem doctrinam hanc habere locum, nedum in supremo angelo, sed etiam in infimo: ità vt vltimus angelorum perfectissimè cognoscat ceteros omnes; non enim datur aliquid in angelis superioribus, quod possit impedire angelum inferiorem ne cognoscat angelos superiores. Deinde, tam verè dantur species perfectissimè repræsentantes angelos in infimo angelorum, quàm dentur in superioribus: diximus enim ens vt ens habere rationem obiecti adæquati intellectus angelici. Præterea quilibet ex angelis potest assequi illud omne quod continetur intrà latitudinem obiecti adæquati intellectus eiusdem; at angeli omnes sunt intrà latitudinem obiecti cognitionis angeli infimi: ergo cognoscentur ab eodem.

Occurritur obiectioni. Quòd si quis obiiciat Chrysostom. Dionys. & alios nonnullos Patres affirmare dæmones aliquos non cognoscere certos angelos. Respondendum est Patres istos non de angelis, sed de cogitationibus eorumdem liberis esse loquutos. Accedit Conclusionem istam intelligendam esse de bonis angelis, aut etiam, vt alij volunt, de bonis & malis spectatis secundum facultates sibi à natura concessas; ità vt velimus omnem angelum aptum natum esse cognoscere ceteros omnes, nisi negetur à Deo concursus illis naturaliter debitus, quod præstare Deum respectu dæmonum quorumdam asserunt Patres isti.

Obiectio. Obiicies, neminem ex mortalibus hactenus cognouisse naturaliter omnes omnino homines: ergo non erit concedendum de quolibet angelo quod ceteros omnes intelligat naturaliter.

Solutio. Respond. concesso antecedente negando consecutionem: est enim dispar ratio in istis; nullus siquidem est inter homines qui possit ceteros omnes naturaliter inuestigare, quia modus connaturalis intelligendi hominis pendet à speciebus emendicatis ab obiecto; angelus autem intelligit illud omne quod cognoscit, varium & diuersum à seipso & à Deo, per species sibi concreatas, vndè cùm habeat istas præsentissimas semper poterit intelligere ceteros omnes angelos, quando & vbi voler.

Motiuum tres quæstiones. Rogabis, *An Angelus cognoscat ceteros Angelos per propriam essentiam, quemadmodum cognoscit seipsum, vt docuimus art. proximè anteced.*

Et, *An intermittatur ista cognitio in Angelo cognoscente.*

Et denique, *An sit comprehensiua Angelorum cognitorum.*

Angelus cognoscit alios Angelos per species sibi concreatas. Respond. 1. *Angelum cognoscere ceteros Angelos, non per essentiam eorumdem, tanquam per medium cognoscendi, sed per solas species sibi concreatas.* Primùm, quia docuimus quæst. præcedente, angelos cognoscere illud omne quod intelligunt per species sibi congenitas; in qualibet autem natura vnus modus intelligendi videtur tantùm admittendus. Deinde, angelus intelligit tantùm seipsum, & consequenter etiam Deum per propriam essentiam, neque enim fieri potest, vt angelus perfectissimè cognoscat seipsum, nisi etiam videat propriam essentiam pendere à Deo Opt. Max. idque necessariò, cùm essentia angeli sit ens per participationem. Non est tamen negandum, quin per potentiam Dei fieri possit vt ceteri omnes angeli diuersi à Gabriele, cognoscantur ab eodem per proprias essentias, ità vt essentia cuiuslibet istorum angelorum, sit ratio cognoscendi in Gabriele eosdem angelos; ex istis siquidem nulla sequitur implicantia, & contradictio.

Deinde, quilibet angelus cognoscit seipsum per propriam essentiam: Deus item conspicitur in cœlis à quolibet beato per propriam essentiam: ergo poterit Deus efficere vt essentia alicuius alterius angeli, sit alteri angelo ratio cognoscendi illũ.

Obiectio. Obiicit Capreolus, fieri non posse vt vnus angelus cognoscatur ab alio per propriam essentiam, nisi illabatur hic intrà alium angelum, quod tamen fieri posse negant omnes communiter cum Magistro; volunt enim hoc competere soli Deo.

Solutio. Respond. negando illationem maioris; nam sufficit vt res aliqua cognoscatur ab alia, quòd res ista sit intrà cognoscentem, eo modo quo postulat obiectum cognitum: obiectum autem cognitum exigit tantùm, vt sit præsens potentiæ cognoscitiuæ in ratione obiecti, quatenus obiectum est: & quòd potentia aduertat ad huiusmodi obiectum, quod contingit etiamsi res cognita non illabatur intrà cognoscentem, vt manifestè colligitur ex essentia cuiuslibet angeli, quæ cognoscitur ab intellectu eiusdem; etiamsi essentia ipsius non illabatur intrà intellectum eiusdem.

Obiectio. Obiiciunt nonnulli alij, fieri non posse vt aliquid cognoscatur per seipsum proximè & immediatè, nisi fuerit hoc minùs spirituale, quàm cognoscens.

Respond

Solutio. Reſpond. antecedens hoc eſſe falſum: eſſentia namque diuina cognoſcitur à quolibet beato per ſeipſam proximè; & tamen eſſentia diuina multis partibus cenſetur eſſe magis ſpiritualis, quàm ſit anima cuiuſlibet beati.

Poteſt ceſſare Angelus à cognitione alterius Angeli. Ad 2. quæſitum. Reſpond. *Angelum poſſe intermittere cognitionem quam habet de ceteris Angelis; licèt an intermmutat, non nobis conſtet.* Nihil enim eſt præter diuinam eſſentiam, quod poſſit neceſſitare intellectum creatum & voluntatem angeli ad aliquid cognoſcendum neceſſariò, & ſinè vlla intermiſſione: Nam deſideratur ad hoc vt obiectum cognitum complectatur in ſe rationem cuiuſlibet entis aut boni, quod in nullo alio præterquàm in ſolo Deo eſſe poſſit.

Cognitio alterius Angeli non eſt comprehenſiua. Tandem reſpond. ad 3. *Cognitionem quam habet Angelus vnus de ceteris Angelis, non eſſe comprehenſiuam vnius, vel alterius Angeli cogniti;* Ad comprehenſionem ſiquidem deſideratur vt tanta ſit cognitio, quanta eſt cognoſcibilitas obiecti, vt communiter docetur ad quæſt. 12. at cognitio quæ datur in angelo de ceteris non eſt tanta, quanta eſt cognoſcibilitas cuiuſlibet angeli cogniti, cùm in quolibet angelo dentur cogitationes liberæ, quæ tamen non cognoſcuntur ab iſto angelo cognoſcente, vt probabitur art. 4. quæſt. ſequent. ergo illa cognitio nequit dici, aut eſſe comprehenſiua.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Angelus per ſua naturalia Deum cognoſcere poſſit.

RESpondet D. Thomas affirmatiuè.

DVBITATIO VNICA.

An Deus cognoſcatur ab Angelis & qua ratione.

Cognoſcit Angelus Deum variis mediis. CONCLVSIO eſt, *Quicumque ex Angelis cognoſcit Deum, & quidem per propriam eſſentiam; & item per eſſentias ceterorum Angelorum, & denique per res iſtas omnes ſenſiles creatas.* Primùm, quia dicitur Sapien. 1. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia,* id eſt mundus, *ſcientiam habet vocis,* & cap. 13. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ poterit cognoſcibiliter earum creator videri.* & Pſal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* & Rom. 8. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

Sap. 1. v. 7.

Idem 13. verſ. 5. Pſal. 18. verſ. 1. Rom. 1. verſ. 20.

2. Deinde, ſancti Patres, quotieſcumque agunt de opere ſex dierum, docent mundum hunc eſſe officinam quàm maximè accommodatam ad inſtruendos homines circa cognitionem vnius veri Dei: quoniam ex creaturis iſtis quilibet poteſt facilè intelligere vnum extare tantùm Deum, qui rebus iſtis omnibus contulit eſſe.

3. Tertiò, cauſa cognoſcitur per ſuos effectus à poſteriori: at & fides, & ratio docet omnia quæ ſunt in naturæ vniuerſitate, veluti à cauſa efficiente eſſe à Deo, & item conſeruante, ex illo, *Quomodo autem poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes?* loquitur autem de Deo hoc in loco: igitur nullus erit angelus qui Dei exiſtentiam

Sap. 11. verſ. 26.

A non deprehendat naturaliter ſupradictis modis.

Cognitio c'a Deo non eſt intuitiua in angelo. Eſt autem aduertendum cognitionem illam, quam habent angeli de Deo naturaliter, non eſſe diſtinctam, & intuitiuam; ſed tantùm confuſam & abſtractiuam: intuitiua namque & diſtincta Dei cognitio haberi nequit ſinè lumine gloriæ, vel aliquo alio auxilio ordinis ſupernaturalis, quod æquiualeat lumini gloriæ, vt docent omnes cum ſancto Thoma quæſt. 12. huius partis. Deinde, cognitio hæc intuitiua Dei facit hominem ſimpliciter beatum; fieri autem nequit, vt aliquis ſit beatus ſinè ſpeciali aliquo Dei auxilio ordinis ſupernaturalis, cuius generis non eſt cognitio, quæ B datur in angelis naturaliter de Deo, aut de vlla alia re creata: cognitio verò abſtractiua cenſetur eſſe ea, quæ habetur de Deo per ſpecies rerum creatarum, ac proinde cùm hac tantùm ratione cognoſcatur Deus ab angelis naturaliter, cognitio hæc erit abſtractiua & præterea confuſa, quia non eſt de Deo, ſecundum illud omne quod conuenit ei intrinſecè & eſſentialiter. Confirmatur: Fatentur Theologi communiter homines & angelos cognoſcere de Deo naturaliter quòd ſit, minimè verò quid ſit à parte rei, aut, vt alij loquuntur, cognoſcitur Deus ab hominibus & angelis naturaliter ſecundum attributa tantùm appropriata, non C autem ſecundum attributa propria, ſeu, quod idem eſt, non ſecundum attributa reuelata.

QVÆSTIO LVII.

De cognitione Angelorum reſpectu rerum materialium.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. quælibet materialia intelligi ab angelis.

ARTICVLO 2. omnia ſingularia: Ceterùm de iſtis quid ſit ſentiendum, diximus ſupra quæſt. 55.

Futura neceſſaria non ſunt Angelis. ARTICVLO 3. tradit futura quæ habent ortum à cauſis determinatis ad vnum, & quæ à ſolo Deo impediri poſſunt, notiſſima eſſe angelis, idem dicit de futuris determinatis ad vnum, quæ poſſunt impediri ab aliquo alio præterquàm à Deo. Primi generis cenſentur Eclipſes Solis, & Lunæ, ortus & occaſus Solis, coniunctiones & oppoſitiones ſyderum. Poſterioris verò pluuiæ, niues, grandines, de E qua re nulla videtur eſſe difficultas: pertinent enim hæc omnia ad obiectum naturale intellectus angelici; quælibet autem potentia naturaliter fertur circa ſuum obiectum.

Deinde, cauſæ iſtorum futurorum contingentium perfectiſſimè comprehenduntur ab angelis.

Tertiò, dantur in angelis ſpecies perfectiſſimè repræſentantes huiuſmodi futura contingentia.

Quartò, ſancti Patres confirmant verbis expreſſis doctrinam ſancti Thom. vt conſtat ex D. Auguſtino, cap. 2. lib. 9. de Ciuitate, & cap. 7. lib. de dæmonum diuinatione, & ex Athanaſio, in quæſtionibus ad Antioch. quæſt. 99. ait enim

D. Auguſt. Athanaſ.

Digitized by Google

illic dæmones perfectiſſimè Nili inundationem antequam hæc contingat, cognoſcere.

Obiectio. Obiicies Tertullianum in Apologetico, & Athanaſ. loco proximè citato affirmare dæmones non poſſe certò prædicere futura.

Solutio. Reſpond quidquid ſit de Tertulliano, Athanaſium loqui de futuris liberis, de qua re diſputabitur à nobis art. ſequenti.

Obiectio 2. Obiicies 2. Si futura cognoſcerentur certò ab angelis, non eſſent contingentia: quod enim certò & diſtinctè cognoſcitur, exiſtentiam quoque certam habere debet.

Solutio. Reſpond. negando illationem antecedentis, contingentia quippe effectus futuri repetenda eſt ex cauſa quæ poteſt agere vel non agere, vel certè impediri ab aliquo alio agente naturali, vel ſupernaturali: futuritio verò ab ipſamet re futura pendet, illa eadem ratione, qua præteritio petitur à re præterita; ex eo autem quod res aliqua poſſit eſſe, & non eſſe ſolùm colligere licèt angelum non poſſe cognoſcere futurum contingens antequàm ſit diſtinctè, vt monuimus aliàs; poteſt tamen cognoſci confuſè antequàm ſit in eſſe actualis exiſtentiæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Angelus cognoſcat cogitationes cordis.

Cogitationes liberæ bifariã ſpectantur. DVPLICITER cogitationes liberas ſpectari duobus modis; vel quando ſunt futuræ tantùm, vel quando ſunt extra ſuas cauſas poſitæ; iuxta vtramque conſiderationem Articulus hic venit explicandus, quare ſit

DVBITATIO PRIMA.

An cogitationes liberæ futuræ cognoſcantur certò ab Angelis bonis vel malis, idque naturaliter.

RAtio dubitandi eſt. Prima, vetat Deus Leuitic. 20. ne quis conſulat Magos aut Arioſos de rebus futuris, eò quod Magi iſti præſagirent res futuras: igitur ſignum eſt cogitationes futuras cognoſcere angelos.

2. Deinde, ex cap. 28. lib. 1. Reg. indubitatum eſt Samuelem apparuiſſe Saüli poſt mortem, poſitis incantationibus Pythoniſſæ & indicaſſe ei finem vitæ ſuæ.

3. Denique, in Actis cap. 16. legimus iuuenculam feciſſe magnum quæſtum ſuis dominis, diuinando res futuras: conſtat etiam ex Patribus multis, Sybillas nedum prædixiſſe quæ pendent à libera hominum voluntate, ſed etiam ab ipſomet Deo, antequàm eſſent in naturæ vniuerſitate: ergo multo melius id poterunt angeli ſiue boni, ſiue mali.

Cogitationes liberæ futuræ latẽt Angelos. CONCLVSIO. *Cogitationes liberæ futuræ hominum vel Angelorum non cognoſcuntur certò, nec cognoſci poſſunt ab Angelis.* Primò, quia in ſacris litteris dicitur de cogitationibus liberis hominum, quod ſoli Deo ſint notæ: Hierem. 17. *Inſcrutabile eſt cor hominis, & quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes:* & Eſaï. 46. *Ego ſum Deus, & non eſt vltra Deus, nec eſt ſimilis mei, annuncians ab exordio nouiſſimum, & ab initio, quæ nondum ſunt facta.* Hiere. 17. verſ. 9. Iſaï 46. v. 9. & 10.

2. Secundò, Geneſ. 41. dicitur neminem ex Magis Pharaonis potuiſſe explicare ſomnium illic relatum, bene tamen Ioſephum, idque quòd fulciretur iſte ſpeciali Dei reuelatione; ſimile quid legitur de ſomnio Nabuchodonoſor apud Daniel. cap. 2. arcanum quippe iſtius ſomnij nullus ex ariolis attingere potuit, ſecus tamen Daniel, non quidem naturaliter, ſed per ſpecialem Dei reuelationem ſibi factam.

3. Tertiò, ſancti Patres docent Chriſtum euidenter demonſtraſſe ſe eſſe verum Deum, hoc ipſo quod liberas hominum cogitationes ante omnium oculos ponèret. Ità docet Origenes in lib. contra Celſum, Anſelmus in lib. de caſu diaboli cap. 21. Damaſcenus 2. de fide cap. 4. & Euſebius de præpar. Euangelic. lib. 5. & innumeri alij quos citabimus Dubit. proximè ſequente. Origen. Anſelm. Damaſc. Euſeb.

Ratio Concluſionis. Accedit ratio: cogitationes iſtæ futuræ non poſſunt intelligi niſi vel in ſeipſis, vel in earum cauſis, vel denique in connexione attributorum cum ſubiecto: at primum dici non poteſt, quod enim non eſt in ſeipſo, nequit ab vlla re creata intelligi in ſeipſo; quod dico propter Deum qui rem quamlibet futuram intelligit in ſeipſa, *Vocat enim ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, vt loquitur Paulus, modò tamen hæc ſint futura in certa temporis differentia, aut modo extiterint aliquando: neque item 2. quia quo magis angelus videt voluntatem creatam, quæ ex hypotheſi producet poſtea effectum, eo quoque magis intelligit eam eſſe liberam; ac proinde magis indefinitam, & indeterminatam ad agendum, vel non agendum: eſt enim de ratione cuiuſlibet cauſæ liberæ, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, poſſit agere, & non agere: ergo ex inſpectione huiuſmodi voluntatis liberæ non poteſt angelus certò cognoſcere futuram cogitationem. Nec denique 3. quia attributum hoc non dicit neceſſariam connexionem cum ſubiecto, quandoquidem res ſignificata per huiuſmodi propoſitionem, nec eſt in ſeipſa, nec pendet à cauſa aliqua determinata ad agendum, ſed ab ea quæ poſitis ad agendum neceſſariis poteſt agere & non agere.

Soluuntur argumenta contraria. Ad rationes verò dubitandi reſpond. Ad 1. propterea Deum prohibuiſſe ne quis conſuleret Magos, quia ex huiuſmodi conſultatione conſurgebat & imminutio diuini cultus ſoli Deo debiti, & pernicies eorum, qui huiuſmodi conſultationes procurabant; non autem quod Magi prædicerent futura ſimpliciter: nam certum eſt Sacerdotes in veteri Teſtamento conſultos de rebus futuris reſpondiſſe certiſſimè & indubitanter, ſeruatis tamen illis quæ Deus præcipiebat obſeruanda: Prophetæ item propterea nuncupati fuerunt Videntes, quod conſulti de rebus futuris certiſſimè de iiſdem reſponderent; Magi vero & Arioli nuſquam certo cogitationes humanas futuras aperiè potuerunt, ſed tantùm probabiliter, imo vt plurimum quàm maximè dubitanter.

Ad 2.

Digitized by Google

2. Ad 2. Reſpond. Samuelem verè fuiſſe ſuſcitatum à mortuis, non quidem incantationibus Pythoniſſæ, ſed per totam omnipotentiam diuinam, ideóque potuiſſe Samuelem prædicere certò Saüli finem vitæ ſuæ, non quidem ex ſeipſo, ſed accedente ſpeciali Dei reuelatione. Conſulendi ſunt de hac re Toſtatus, & alij interpretes eiuſdem loci.

3. Ad 3. Iuuenculam illam multa prædixiſſe, ceterùm dubia & incerta omnia; Sybillæ verò plura ſimiliter tradiderunt de rebus futuris, ſed ex doctrina Hieronymi per ſpecialem reuelationem ſibi à Deo factam, veluti in præmium ſuæ virginitatis, & pudicitiç.

DVBITATIO SECVNDA.

An cogitationes liberæ extra ſuas cauſas poſitæ, innoteſcant naturaliter Angelis.

Quorundã opinio & explicatio.

SVnt qui putent cogitationes noſtras liberas ſpectari & ſecundum ſubſtantiam & ſecundum modum. Priori modo oſtendunt cogitationes noſtras nihil aliud eſſe, quàm entitates ipſarum cogitationum, præſcindendo à fine in quem ordinantur à nobis; hac ratione dicunt largitionem eleemoſynæ factam, vel propter Deum, C vel propter ſubleuandam proximi miſeriam, ſecundum ſuam ſubſtantiam nihil aliud eſſe, quàm largitionem eleemoſynæ abſtrahendo à fine proximè explicato, propter Deum, vel propter ſubleuandam proximi miſeriam. Poſteriori verò modo cogitationes noſtræ nihil aliud ſunt, quàm eædem ſpectatæ ſecundum finem in quem ordinantur à nobis liberè: putant ergo iſti authores angelum naturaliter inueſtigare ſubſtantiam cogitationis liberæ, minimè verò modum eiuſdem.

Nominalũ ſententia & fundamẽta.

Alij verò exiſtimant angelos quoſlibet naturaliter aſſequi poſſe cogitationes noſtræ liberas, impediri tamen à Deo, ne illas conſequantur. Ità Nominales fere omnes. Probant, quia D

1. in quolibet angelo dantur ſpeciẽs concreatæ quæ perfectiſſimè repræſentant omne futurum in certa temporis differentia ordinis naturalis: ergo & quaſlibet cogitationes liberas.

2. Deinde, quia quilibet angelus poteſt naturaliter cognoſcere quamcumque ſpeciem exiſtentem in intellectu alterius angeli & hominis; modò tamen aduertat angelus ad iſtam ſpeciem, & ſint hi duo angeli debitè proportionati ſibi ipſis.

3. Tertio, licèt cogitationes noſtras ſint liberæ dum fiunt; ſunt tamen neceſſariæ quando exiſtunt extra ſuas cauſas, quidquid enim eſt, quando eſt, neceſſariò eſt.

4. Quartò, ſi libertas impedimento eſſet angelo cognoſcendi cogitationes noſtras, ſequeretur nullas ex iſtis rebus creatis poſſe cognoſci ab angelis; fuerunt enim omnia iſta liberè procreata à Deo. E

5. Denique, quamprimùm Dæmon videt quempiam ſuccubuiſſe tentationibus eiuſdem, definit eum tentare: argumento igitur eſt quod aſſequitur cogitationes noſtras liberas.

3. Sentẽtia. Alij denique contendunt cogitationes liberas non innoteſcere angelis naturaliter, neque poſſe innoteſcere, niſi fuerint manifeſtatæ

A vel à Deo, cui nihil poteſt eſſe occultum, vel ab eo qui elicit cogitationes liberas. Ità D. Tho. hoc loco, & interpret. eiuſdem ferè omnes, & & communiter Sentent. in 2.

Exiſtentes cogitationes liberæ notæ angelis ſecundum eſſentiam. 1.

CONCLVSIO 1. *Non eſt improbabile cogitationes liberas hominum, ſpectatas tantùm ſecundum ſuam eſſentiam cognoſci ab angelis naturaliter, minimè verò ſecundum modum.* Primùm, quia ſecretum cogitationum noſtrarum liberarum videtur tantùm eſſe poſitum in modo, ſeu fine, in quem ordinatur cogitatio à nobis.

2. Deinde, nulla datur in nobis ſpecies im- B preſſa aut expreſſa quam non poſſit angelus naturaliter cognoſcere; ſunt enim omnes iſtæ ſpecies ordinis naturalis, vt ſupponimus.

3. Tertiò, idem eſt iudicium de actibus internis imperatis, quod de externis; at negari nequit quin angelus naturaliter poſſit inueſtigare omnem actum externum imperatum à voluntate, poſtquam hic actus eſt à nobis productus; ſignis ſiquidem quibuſdam externis innoteſcit huiuſmodi actus, nedum in angelis ſed etiam nobis ipſis, quidni idem poterit circa cogitationes liberas, modo explicato in Concluſione?

Probabilius non cognoſci ab Angelis cogitationes liberas.

CONCLVSIO 2. *Multò probabilius eſt cogitationes noſtras liberas non cognoſci poſſe naturaliter ab Angelis, nedum ſecundum modum, quod fatentur omnes, ſed neque ſecundum ſubſtantiam.* Primum, quia in ſacris litteris dicitur de cogitationibus liberis, quod ſint ſoli Deo notæ, Hierem. 17. & lib. 1. Reg. cap. 16. *Homo videt ea quæ apparent, Dominus autem intuetur cor.* & lib. 3. cap. 8. *Quia tu ſolus nôſti cor filiorum hominum.* 1. Paralip. 28. & cap. 6. lib. 2. *Tu ſolus nôſti corda hominum.* & Prouerb. 24. *Qui eſt inſpector cordis, Seruatorem animæ tuæ nihil fallit.*

1. Reg. 16. verſ. 7. 3. Idem 8. verſ. 39. 2. Paralip. 6. verſ. 30. Prouerb. 24. ℣. 12.

Idem docent Patres, D. Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 2. *Et tibi Domine, cuius oculis nuda eſt abyſſus humanæ conſcientiæ, quid occultum eſſet in me, etiam ſi nollem confiteri tibi? te enim mihi abſconderem, non me tibi: Tibi ergo Domine manifeſtus ſum, quicumque ſum. Neque id ago verbis carnis & vocibus, ſed verbis animæ & clamore cogitationis quem nouit auris tua.* Hieronymus ad cap 9. Matth. ſuper illa verba. *Videns cogitationes eorum. Oſtendit ſe Deum, qui poſſit cordis occulta cognoſcere, & quodammodo tacens loquitur: Eadem maieſtate & potentia, qua cogitationes veſtras intueri poſſum, & hominibus peccata dimittere.* Ambroſius lib. in Luc. 5. ad cap. 5. eiuſdem. *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quis hoc dicit? Sacerdos magnus qui lepram videbat in cordibus Iudæorum, vt occultorum cognitor ſit Sacerdos, quem occulta non latent, ideò volens ſaluos facere peccatores, & occultorum cognitione Deum ſe eſſe demonſtrat, & admiratione factorum, adiciens, ait. Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Beda, Theophylactus ad hunc locum Lucæ, Cyrillus lib. 2. in Ioannis cap. 19. Athanaſius quæſt. 27. ad Antiochum. Chryſoſtomus homil. 3. in Matth. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 18. Caſſianus lib. 7. Collationum. Nam ex iſtis plerique affirmant Chriſtum euidentiſſimè demonſtraſſe ſe eſſe verum Deum, ex eo quòd cogitationes hominum certiſſimè, & indubitanter aſſequeretur & eaſdem publicè propalaret.

Hieron. Ambroſ. Beda. Theophyl. Cyrill. Athanaſ. Chryſoſt. Gregor. Caſſian.

Digitized by Google

Tertiò, volunt authores Concluſionis proximè antecedentis, propterea cogitationes noſtras eſſe ignotas angelis ſecundum modum, quia cogitationes iſtæ ordinantur à nobis liberè, in hunc vel illum finem; at non minùs poteſt à nobis ordinari ſubſtantia cogitationis liberę in hunc vel illum finem, quàm modus cogitationis: ergo non minùs erit angelo occulta ſubſtantia cogitationis, quàm modus eiuſdem. Confirmatur. Non minùs liberè cogitamus nos de ſubſtantia cogitationis, quâ de fine eiuſdem: ergo tam verè cogitatio ſecundum ſuam ſubſtantiam erit ignota angelis, quàm modus eiuſdem.

Obiectio. Obiicies, Concluſionem iſtam deſtrui rationibus Concluſionis proximè antecedentis.

Solutio rationum pro 1. Concluſione. Reſpond. hoc eſſe falſum. Prima quippe ratio aſſerit ſecretum cogitationum liberatum poſitum eſſe tantùm, in modo earumdem, quod non videtur eſſe coniunctũ cũ veritate; nam ſubſtantia cogitationis liberæ non minùs eſt formaliter libera, quàm ſit modus eiuſdem, cùm ortum habeat à voluntate libera, liberè operante, non minùs quàm modus illius: vnde tam verè erit occulta quàm modus. Secunda item ratio, nihil planè dicit contra hanc Concluſionem; non enim videt angelus omnem ſpeciem expreſſam exiſtentem in intellectu hominis, ſed tantùm impreſſam, propter hanc cauſam dicuntur ſpecies expreſſæ, quodammodo ſupernaturales; quia nequeunt ab vlla creatura naturaliter inueſtigari, niſi fuerint iſtæ manifeſtatæ vel à Deo, cui nihil poteſt eſſe occultum, vel à creatura quæ cogitationes iſtas producit liberè. Vltima denique ratio minùs efficit; nam falſum eſt idem eſſe iudiciũ de actu interno imperato à voluntate & elicito ab intellectu, quod de actu externo imperato ſimiliter à voluntate; nam actus externus, etiamſi à voluntate liberè ſit imperatus, ſigno tamen externo cuilibet innoteſcit; actus verò internus elicitus ab intellectu, & à voluntate imperatus, nullo planè ſigno externo manifeſtatur, ideóque manet verè occultus, reſpectu cuiuſlibet creaturæ diuerſæ ab ea quæ huiuſmodi actum liberè exercuit.

Replica. Dices, D. Auguſtinum lib. de dæmonum diuinatione, affirmare dæmones nedum aſſequi diſpoſitiones hominum factas, opere ſcilicet externo, ſed etiam mente.

Diſſoluitur. Reſpond. D. Auguſtinum velle tantùm poſitis quibuſdam actibus internis conſurgere in imaginatione noſtra, ſaltem interdum, ſignum aliquod ex quo coniectari licet, quid voluntas, & intellectus de aliqua re ſenſerint: ac proinde contendit D. Auguſtinus probabiliter poſſe dæmones cogitationes noſtras liberas inueſtigare, non autem certò & indubitanter. Reſp. 2. D. Auguſtinum locum hunc retractaſſe lib. 2. Retract. cap. 30.

Sola fide ſcimus angelos latere cogitationes hominum. Oſtenditur inefficacia rationũ naturalium. Conclvsio 3. *Fide potiùs quàm vlla ratione naturali defendimus cogitationes liberas eſſe dæmonibus & Angelis occultas, itémque cuilibet alteri à Deo, & ab eo qui illas elicit.* Primùm, quia nulla hactenus adducta eſt ratio, qua probetur euidenter cogitationes noſtras eſſe occultas, vbi ſunt extra ſuas cauſas poſitæ: Nam quod plerique dicunt omnem cogitationem liberam ex ſe & ſua natura eſſe occultam, non eſt euidenter notum lumine naturali; neque enim probant propoſitionem iſtam, imò petunt principium, ſupponunt enim illud eſſe veriſſimum, de quo tamen diſputatur, an ità ſit.

Deinde, qui cogitationem liberam elicit non obſtante libertate eam perfectiſſimè intelligit: non ergo libertas, vt ſic, facit cogitationem aliquam eſſe occultam.

Neque item verum eſt quod docent communiter Thomiſtæ, propterea cogitationes humanas eſſe occultas, quòd voluntas noſtra ſubiiciatur ſoli Deo, & ordinetur in Deum, veluti in vltimum finem: nam omnia quæ ſunt in hoc vniuerſo, & totus hic mundus ſubiiciuntur ſoli Deo ſimpliciter, & abſolutè, & referuntur in eum tanquam in vltimum finem, & tamen non idcirco mundus hic, aut res quælibet in eo exiſtens, ſunt ex ſe & ſua natura nobis occulta, vt eſt per ſe notum.

Nihil etiam probant qui volunt ideò cogitationes noſtras liberas eſſe occultas, quia contulit nobis Deus facultatem loquendi per quam exprimimus cogitationes noſtras liberas aliis à nobis: Bruta ſiquidem externis quibuſdam ſignis affectus internos manifeſtant aliis, neque tamen dicimus de affectibus internis brutorum, quòd ſint ex ſe & ſua natura occulti.

Minùs etiam euidenter demonſtrant alij cogitationes noſtras eſſe occultas ex eo, quòd exiſtiment cogitationes iſtas non pertinere ad obiectum naturale intellectus angelici: Nam licèt hoc ſit aliqua ratione verum, non tamen ſimpliciter & abſolutè: diximus enim cum qui elicit cogitationem liberam naturaliter illam inueſtigare; ſupernaturale autem dicitur eſſe illud ad quod nulla creatura rationalis, relicta intrà terminos propriæ naturæ peruenire poteſt.

Non demonſtrant etiam Concluſionem illi, qui aiunt duo eſſe neceſſaria, ad hoc vt cogitatio libera cognoſcatur: Alterum quòd cogitatio iſta ſit extra ſuas cauſas poſita: Alterum quòd dirigatur ab eo qui cogitationem iſtam exercuit in eum, cui vult cogitationem ſuam liberam eſſe notam.

Nam non explicant, quî fieri poſſit, vt per directionem cogitationis liberæ poſſit hæc cogitatio libera alicui alteri innoteſcere; cùm occultum, nobis non poſſit fieri manifeſtum, niſi per aliquid quod ſit magis notum: directio autem iſta cogitationis liberæ facta à cogitante in eum, cui vult ſuam cogitationem eſſe notam, non minùs eſt nobis occulta quàm ſit ipſamet cogitatio libera; tam enim verè liberè dirigit cogitationem ſuam in alium, quàm liberè illam eliciat.

Quod autem fide teneatur hæc propoſitio, indubitatum eſt ex eo, quòd Scriptura, Patres, & ſacra Concilia doceant expreſsè cogitationes humanas, ſeu, quod idem eſt, liberas, ſoli Deo innoteſcere.

Corollariũ. Ex quibus colliges, citra temeritatem & manifeſtum errorem defendi non poſſe, angelos bonos, vel malos, ex ſe & ſua natura poſſe certò cogitationes noſtras liberas inueſtigare.

Probabiliter poſſunt angeli deprehendere cogitationes hominum. Conclvsio vltima. *Non eſt negandum quin Angeli poſſint probabiliter cogitationes liberas hominum aſſequi.* Primùm, quia ità dicunt Patres, & item omnes omnino Theologi Scholaſtici.

Deinde, non eſt negandum angelis bonis & malis, quod concedimus mathematicis, & me-

Digitized by Google

dicis: at mathematici aliqua prædicunt quæ pendent à voluntate libera, non quidem certò, ſed probabiliter; medici item ex contactu aëris in ternos affectus corporis, ergo multò melius id præſtare poterunt angeli.

Soluuntur rationes aduerſarior.

Ad rationes contrarias reſpond. Ad 1. Non eſſe ſatis ad hoc vt cogitatio libera cognoſcatur ab

1. angelo, quòd detur in eo ſpecies perfectiſſimè repræſentans cogitationem iſtam; nam requiritur præterea, vt cogitatio ſit extra ſuas cauſas poſita, & quòd manifeſtetur à cogitante liberè. Diximus enim cogitationes iſtas eſſe ex ſe & ſua natura occultas reſpectu cuiuſlibet creaturæ diuerſę ab ea quæ elicuit huiuſmodi cogitationem: neque poſſe hanc cogitationem alicui innoteſcere, niſi acceſſerit manifeſtatio eiuſdem ab eo facta qui illam exercuit.

2. Ad 2. reſpond. Angelum bonum vel malum non videre omnem ſpeciem expreſſam exiſtentem in intellectu alterius: nam ſpecies expreſſa libera, cùm ex ſe & ſua natura ſit occulta, iuxta modum explicatũ in antecedenti reſponſione, non poteſt ab angelo videri, niſi manifeſtata fuerit ab eo, in quo datur huiuſmodi ſpecies expreſſa libera.

3. Ad 3. Probare tantùm cogitationem liberam poſitam extra ſuas cauſas eſſe neceſſariam, non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm ex hypotheſi, ratione ſcilicet exiſtentiæ eiuſdem; hoc enim probat tantùm axioma iſtud: Quicquid eſt, quando eſt, neceſſariò eſt; ratione verò eſſentiæ cogitatio iſta verè libera eſt, exit enim à voluntate liberè operante.

4. Ad 4. Nihil probate; non enim contendimus res à Deo creatas eſſe liberas, ſed tantùm cogitationes aliquas Dei, quas proinde dicimus à nullo poſſe intelligi, præterquàm à ſolo Deo, niſi fuerint ab ipſo, vel cogitante explicatæ & manifeſtatæ.

Vltima. Ad vltimam, dæmonem poſito peccato alicuius non ſtatim intermittere ſuas tentationes; admonent enim Scripturæ, itémque Patres eum qui agit in peccato aliquo ſtatim, vel certè paulò poſt labi in aliud peccatum; hoc autem non videtur fieri ſinè aliqua tentatione dæmonis.

Cogitans liberè aſſequitur ſuã cogitationẽ. Aduerte autem eum qui liberè cogitat, aſſequi ſuam cogitationem certiſſimè, idque propter plenitudinem dominij, quod habet in ſuam voluntatem, & in cogitationes omnes liberas eiuſdem.

DVBITATIO TERTIA.

An Angeli inter ſe loquantur, & qua ratione.

Angeli loquũtur verè. Iſai. 6. v. 3. idé 63. v. 1. Pſ. 23. v. 8. 1. Cor. 13. v. 1. & 17. D. Auguſt.

FAtentur communiter omnes, angelos inter ſe verè loqui, & quidem meritò; dicitur enim de Cherubinis, Iſai. cap. 6. quòd vnus clamauerit ad alium, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus*, &c. & cap. 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* & Pſalm. 23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* & 1. Corinth. cap. 13. *Si linguis hominum loquar & angelorum.* Subſcribunt Patres, maximè verò D. Auguſtin. lib. de diuinatione dæmon. cap. 6. *Multa dæmones futura prænunciant, cùm tamen ab eis longè ſit altitudo illius prophetiæ, quam Deus per ſanctos angelos ſuos operatur: nam ſi quid de illa Dei diſpoſitione prænunciant, audiunt vt prænuncient,*

A *& cùm ea prædicunt quæ inde audiunt, non fallunt neque fallantur, veriſſima enim ſunt angelica oracula.* Dionyſius de cæleſti hierarch. cap. 7. *Hoc enim Theologi planè tradunt, inferiores cæleſtium naturarũ* Dionyſ. *ordines à ſuperioribus rite diuina operatis, hominesque ſacras diſcere: ſummos autem à Deo ipſo pro ſuo capite doceri myſteria.* & paucis interiectis: *alij*, inquit, *ordinis illius, vt more hominum loquar, quaſi vox & fremitus aquarum multarum clamant, benedicta gloria Domini de loco ſuo.* Iſidor. lib. 1. Sententiar. cap. 10. *Subminiſtrant alij aliorum præceptis, atque* Iſidor. *obediunt inſſis. Vnde & ad Prophetam Zachariam angelus angelum mittit, & quæcumque nunciare debeat præcipit.* & D. Thom. ad cap. 13. 1. Co-

B rinth. D. Thom.

Tertiò, probatur hac vnica ratione: in angelis datur facultas intelligendi, ergo & loquendi; ioquutio quippe nihil aliud eſt quàm expreſſio cogitationum internarum facta verbis, vel alijs ſignis ex inſtitutione ſignificantibus, aut etiam aliqua ratione nobis incognita.

Non conuenit autem inter Theologos Scho- *Scoti opinio.*
laſticos qua ratione colloquantur angeli; Scotus enim & Nominales propterea volunt vnum angelum ceteros alloqui, quòd producat in iſtis ſpeciem aliquam perfectiſſimè exprimentem cogitationem ſuam, & proinde, quæ ſit eiuſdem rationis, cum ea quam habet angelus, qui cogitat, & qui vult cogitationem ſuam alijs angelis manifeſtare.

C Ceterùm opinio hæc non poteſt à nobis defen- *Rejcitur.*
di; diximus enim angelos non intelligere per ſpecies emendicatas à rebus intellectis. Deinde, eſt maximè probabile vnum angelum non poſſe intrà angelum quidpiam producere, præter motum, vel ea quæ habent aliquid commune cum motu.

Thomiſtæ verò propterea putãt angelos inter *Thomiſtarũ*
ſe loqui, quia manifeſtant ſuas cogitationes aliis, *ſententia.*
medijs quibuſdam ſignis ſpiritualibus ex inſtitutione ſignificantibus.

Verùm neque hæc explicatio eſt efficax; ex ea *Nõ placet.*
enim manifeſtè ſequitur angelum vnum non poſſe loqui vni ex tribus ſibi ipſi æque proportionatis, ex hypotheſi, niſi alloquatur etiam alios

D duos: non enim poteſt fieri vt ſignum hoc ſpirituale tranſmittatur, ad vnum ex iſtis tribus angelis, quin deprehendatur etiam ab alijs duobus, cùm ſint in eadem planè proportione, vt ſupponimus, cum angelo loquente. Deinde, non poteſt dici, quæ ſint iſta ſigna ſpiritualia, nec item ex cuius inſtitutione ſignificent.

Dico igitur, *propterea angelos inter ſe loqui, quòd* *Authoris*
vnus ex iſtis formet in ſeipſo conceptionem propriam, & *explicatio.*
eamdem ex pleniſſimo dominio quod habet in actus ſuæ voluntatis dirigat & ordinet ad eum cui vult conceptionem ſuam eſſe notam. Primùm, quia inter nos vnus alloquitur alium, quando in ſeipſo formar ſuam conceptionem & eamdem dirigit ad alte-

E rum, medio verbo aliquo ex hominum inſtitutione ſignificante: ergo idem erit dicendum de angelo.

Deinde, fatentur communiter plerique, an- 2.
gelum conſtitutum in cœlo, poſſe loqui vni tantùm ex angelis conſtitutis in terra, etiamſi ex hypotheſi angeli iſti in terra conſtituti ſint in vno & eodem planè ſitu, puta in cuſpide, aut ſummitate alicuius acus: at hæc dici non poſſunt, niſi dicamus angelum loquentem ex pleniſſimo dominio quod habet in actus ſuæ voluntatis poſſe cogita-

Digitized by Google

tionem suam ordinare tantùm ad vnum ex istis angelis, & ex vi istius ordinationis angelum istũ assequi cogitationem eiusdem; minimè verò alios angelos, qui ex hypothesi sunt in eodem situ cum isto audiente. A

Obiectio. Dices, hominem non posse alteri loqui, nisi exprimat suam cogitationem verbo, vel aliquo signo significante ex hominum institutione: ergo neque angelus.

Respond. Ex istis nihil posse colligi: propterea enim cogitur homo exprimere cogitationẽ suam alteri, verbo, vel aliquo alio signo, quia pendet in intelligendo à speciebus emendicatis ab obiecto: angelus autem non intelligit aliqua, ex his quæ sunt ordinis naturalis dependenter ab obiectis cognitis, sed tantùm à speciebus concreatis: & si sermo sit de cogitationibus liberis has intelligit per manifestationem, & directionem illius qui exercuit huiusmodi cogitationes liberas. B

DVBITATIO QVARTA.

An Angeli illuminentur, alij ab alijs.

Angeli inferiores illuminantur, & cetera. Dionys.

DIsputat de istis D. Thom. quæst. 106. huius part. & communiter eius interpretes ibidem, quorum placitis prætermissis sit C

CONCLVSIO. *Angeli inferiores illuminantur purgantur, & perficiuntur à superioribus.* Ità enim docet verbis expressis Dionys. cap. 3. & 13. lib. cæl. hierar. & interpret. D. Thom. ad locum citatum eiusdem.

Deinde, ille verè purgatur, perficitur, & illuminatur, qui instruitur in ijs, quæ antèa non nouit; at angeli inferiores instruuntur à superioribus circa ea, quorum cognitionem antea non habuerunt, vt author est Dionysius loco proximè citato: cognoscunt præterea angeli inferiores multa mysteria gratiæ per reuelationem factam à superioribus, vt docent plerique Patres ad caput 3. Ephes. & videtur ex eo colligi quòd ordo diuinæ prouidentiæ postulet, vt inferiora gubernentur per superiora. D

Licèt autem angeli inferiores illuminentur, vt plurimum à superioribus, nihil tamen repugnat, quominùs inferiores illuminent superiores; nam ad Ephes. capit. 3. dicitur, angelos didicisse mysterium incarnationis ab Ecclesia Catholica: & Patres ibidem, maximè verò Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, & alij nonnulli affirmant D. Paulum manifestasse multa mysteria gratiæ angelis: quid igitur mirum si angelus inferior illud idem præstat respectu superioris?

Aduerte, autem angelos inferiores illuminari à superioribus, in his quæ pertinent ad mysteria gratiæ tantùm, vt docent communiter omnes, & manifestè colligitur, ex eo quòd angeli inferiores non minùs perfectè assequantur res naturales independenter à re qualibet creata, quàm faciant angeli superiores; habent enim angeli inferiores tam verè in seipsis species omnium rerum naturalium concreatas, quàm superiores. E

DVBITATIO VLTIMA.

An Angeli discurrant, ac proinde, an componant & diuidant in intelligendo.

Non discurrunt angeli. D. Thom.

CONCLVSIO. *Angeli in intelligendis rebus naturalibus nulla ratione discurrunt, bene tamen vnum post aliud cognoscunt.* Primò, quia ità docet D. Thom. quæst. 58. huius partis, & interpret. eiusdem ibidem.

Accedit ratio: discurrere est vnum ex alio, & per aliud cognoscere; at angelus nullam rem ordinis naturalis cognoscit per aliam, sed vnico intuitu simplicissimo videt per speciem sibi concreatam, essentiam hominis verbi gratia, proprietates omnes eiusdem, conditiones indiuiduantes, genericas, & specificas, & denique causas omnes; eò quòd ista omnia perfectissimè exprimantur per huiusmodi speciem concreatam: ergo angeli vt res naturales intelligant non vtuntur discursu.

Denique discursus præsupponit ignorantiam alicuius termini; vel connexionis necessariæ inter terminos alicuius propositionis, vel denique rei quæ ex alijs præcognitis colligitur: at hęc non possunt habere locum in angelis, cùm cognoscant per species quæ perfectissimè repræsentant naturas genericas, specificas, indiuiduas, & omnes omnino modos earumdem: ergo non discurrunt.

Vnum post aliud cognoscunt angeli.

Propterea autem cognoscunt angeli vnum post aliud ex rebus etiam naturalibus, quia non omnes res naturales repræsentantur per vnam & eamdem numero speciem concreatam, sed per diuersas & distinctas: vnde cùm vna cognitio distincta pendeat quasi intrinsecè à specie impressa concreata, ideò cognoscit angelus vnum post aliud, etiam ex rebus naturalibus.

Discurrunt angeli circa cogitationes nostras.

Non est tamen negandum quin angeli in inuestigandis cogitationibus nostris discurrant; nam dixímus angelos non assequi cogitationes nostras liberas certò, & indubitanter: sed tantùm probabiliter. Deinde, discurrere, propriè nihil aliud est quàm aliquid nobis incognitum ex alijs quibusdam præcognitis colligere, idque vel euidenter vel probabiliter; atqui angeli ex signis sibi notis quæ vident nobis inesse ob cogitationes liberas colligunt nos de hac re, vel de illa cogitare: ergo discurrunt, & ideò componunt & diuidunt etiam in istis cogitationibus assequendis.

Vt autem quæ hactenus dicta sunt de cognitione angelorum pleniùs intelligantur. Aduertenda sunt aliqua.

Non adhæret angelus immobiliter rebus intellectis.

Primò obseruandum est angelum inter cognoscendum non adhęrere immobiliter rebus à se intellectis, quemadmodum volũnt Thomistæ. Nam cũ angelus sit quã maximè liber, in eius potestate est intermittere intellectionem huius vel illius rei intellectæ. Deinde, nihil est quod necessitare possit intellectum, & voluntatem creaturæ rationalis præter solum Deum clarè, & vt in se est, visum, idque quòd complectatur omnem rationem entis, & boni; at nulla res creata habet rationẽ cuiuslibet entis & boni, cùm sit finita: ergo poterit angelus intermittere quamcumque cognitionem, diuersam ab ea qua cognoscit Deum prout in se est clarè; & idem dicendum est de amore.

Secundò,

Digitized by Google

Quando habitibus indigeat angelus & quando nō.

Secundò obſeruandum eſt, angelos in intelligendis rebus naturalibus non egere habitibus, vel per ſe infuſis, vel acquiſitis; bene tamen in aſſequendis rebus ordinis ſupernaturalis, & item in cogitationibus noſtris inueſtigādis. Prima pars huius documenti comprobatur ex eo, quod habitus acquiſiti, aut etiam infuſi ſunt neceſſarij tantùm ad intelligendum, quando facultas non eſt ſatis ad intelligendum per ſeipſam ſolā; ſunt enim habitus iſti adiumenta quædam quibus fulcitur facultas intelligendi, ex doctrina communi Ariſtotelis, & D. Thom. in tractatione de habitibus: at angeli nullam experiuntur difficultatem in rebus naturalibus intelligendis; cùm intelligant hæc omnia per ſpecies ſibi concreatas & ſinè vllo planè diſcurſu: ergo non indigent habitibus ad res naturales intelligendas. A B

Secunda verò pars oſtenditur ex eo quòd impoſſibile ſit effectum ordinis ſupernaturalis produci, niſi à cauſa ſupernaturali ex communi doctrina; at ſupponimus angelum producere intellectionem ſupernaturalem: ergo deſideratur in eo, ad id, donum aliquod actuale, vel habituale ordinis ſupernaturalis.

Confirmatur: de fide eſt hominem non poſſe credere, ſperare, & diligere vt oportet, niſi cum ſpeciali Dei auxilio ordinis ſupernaturalis: ergo.

Poſtrema denique pars innoteſcit, ex eo quòd cogitationes noſtræ liberæ non cognoſcantur ab angelis certò, ſed tantū probabiliter; quare quò frequentiùs de noſtris cogitationibus iudicant, eò quoque magis expeditè & facilius de ijſdem ſērentiam ferunt: ergo ex iteratis iſtis actibus conſurgit qualitas aliqua habitualis quæ recipitur in intellectu angelorum, vt & in nobis. C

ARTICVLVS QVINTVS.

An Angelus cognoſcat myſteria gratiæ.

Myſteria gratiæ bifariam ſumuntur.

ADVERTE, myſteria gratiæ alia eſſe ſecundum ſubſtantiam & entitatem ſimpliciter ſupernaturalia, vt cōſtat ex myſterio ſanctiſſimę Trinitatis, incarnationis, iuſtificationis, glorificationis, & ſimilibus: alia verò ſunt tantùm ſupernaturalia ſecundum modum, minimè verò ſecundum ſubſtantiam, ſeu, quod idem eſt, ſecundum terminum productum, vt conſtat ex illum inatione cæci nati, *Ioann. 9.* & ſuſcitatione Lazari, *Ioan. 11.* & ſic de alijs innumeris: de iſtis ergo omnibus explicandus eſt hic Articulus. D

Nō cognoſcunt myſteria gratiæ naturaliter.

CONCLVSIO 1. *Angeli non cognoſcunt naturaliter, neque cognoſcere poſſunt myſteria gratiæ ſimpliciter ſupernaturalia ſecundū ſuam ſubſtantiam, bene tamen ſupernaturalia ſecundum modum; non quidem ſi modus ſpectetur præcisè, ſed ſi attendatur terminus productus in huiuſmodi myſterio gratiæ.* E

Probatur prima pars Concluſionis, ex Paulo 1. Cor. cap. 2. *Quæ ſunt* (inquit) *Dei nemo cognouit niſi Spiritus Dei.*

1. 1. Cor. 2. ℣. 11.

Deinde, myſteria iſta vocantur communiter ineffabilia.

Tertiò, licèt dentur ſpecies iſtorum myſteriorum in angelis, non debentur ijſdem, ſed ſola gratuita Dei liberalitate fuerunt à Deo infuſæ.

Denique, myſteria hæc ſunt extra latitudinem obiecti adæquati naturalis intellectus angelici, ex communi doctrina: ergo ea non poſſunt aſſequi angeli naturaliter.

Supernaturalia ſecundū modū cognoſcunt angeli.

Secunda verò pars probatur: Myſteria gratiæ ſecundum modum tantùm ſpectata, maximè verò in ordine ad terminum productum ſunt res aliquæ naturales: diximus enim ſuſcitationem Lazari, & illuminationem cæci nati, pertinere ad myſteria gratiæ ſecundum modum; atqui Lazarus ſuſcitatus & cæcus illuminatus ſunt eiuſdem planè ſpeciei & rationis cum homine genito per naturalem generationem, & cum viſu producto per actionem naturalem, vt eſt per ſe notum: ergo poterunt angeli naturaliter cognoſcere terminos iſtos productos.

Tertia denique pars probatur, angelos ſcilicet non poſſe cognoſcere naturaliter modum, quo producuntur termini in iſtis myſterijs gratiæ. Primùm, quia termini iſti producuntur per creationem, aliàs per reſurrectionem: at nec creatio, nec reſurrectio innoteſcit angelis naturaliter (nam eſt axioma communiſſimum, à priuatione ad habitum non dari regreſſum per potentiam naturalē; & item ex nihilo nihil fieri) ergo non poſſunt viribus naturæ aſſequi.

Deinde, licèt angelus cognoſcat naturaliter illud omne quod non implicat contradictionem; non eſt tamen euidenter notum angelo naturaliter, nullam implicare contradictionem hominem verè cæcum illuminari poſſe, vel mortuum ad vitam reuocari: ergo non poterit illa cognoſcere.

Speciali Dei reuelatione quædā myſteria fuerunt notis. ta angelis in via.

CONCLVSIO 2. *Myſteria tamen ſanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, Iuſtificationis, & Glorificationis fuerunt angelis nota in primo inſtanti ſuæ creationis per ſpecialem Dei reuelationem.* Probatur primùm, de myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis, ità enim docent D. Thom. hoc loco, & quæſt. 64. huius part. & in 2. diſt. 11. quæſt. 1. & communiter interpretes. D. Thom.

Deinde, eadem fuit fides angelorum & hominum; at certum eſt hominibus reuelatum eſſe myſterium Trinitatis: ergo & Angelis.

De myſterio verò incarnationis ità docent Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, ad hæc verba, Pſalm. 81. *Surge Deus iudica terram*, & Catharinus lib. de eximia Chriſti prædeſt. & lib. de gloria angelorum, D. Thom. diſt. proximè citata lib. 2. Bernard. ſerm. 17. in Cant. &, vt videtur, D. Auguſtinus 5. de Geneſ. ad litter. cap. 19. Deinde, Chriſtus non minùs eſt caput angelorum, quàm hominum; ergo tam verè crediderunt angeli in Chriſtum, quàm homines; licèt non ità plenè explicitè: quod dico, quia certum eſt ex cap. 3. ad Epheſ. & ex cap. 3. 1. Timoth. & ex Patribus multis Latinis & Græcis angelos didiciſſe circumſtantias multas incarnationis Chriſti ab Eccleſia, & Apoſtolo Paulo. Pſ. 81. v. 8

Beati angē cognouerūt myſteria.

CONCLVSIO VLTIMA. *Angeli beati in primo inſtanti beatitudinis ſuæ cognouerunt in Verbo ſimul Verbum myſterium Trinitatis & incarnationis:* nam præmium reſpondet fidei & meritis in via factis: at certum eſt ex dictis angelos credidiſſe in via myſteria ſanctiſſimæ Trinitatis & incarnationis: ergo cognouerunt in Verbo myſterium Trinitatis & incarnationis in primo inſtanti beatitudinis.

Digitized by

QVÆSTIO LVIII.

De modo cognitionis Angelorum.



RTICVLO 1. Docet intellectum angeli non indigere habitu ad cognoscenda quæ sunt ordinis naturalis, secus ad ea quę sunt supernaturalia, quod nos obseruauimus quęstione præcedente, ad art. 4.

ARTICVLO 2. Tradit quęcumque cognoscuntur ab angelo in Verbo cognosci simul, sicut & illa quæ cognoscuntur per vnicam speciem extra Verbum, secus illa quę per diuersas species.

DVBITATIO VNICA.

An Angeli cognoscant plura, vt plura simul.

Cognoscunt multa vt multa.

CONCLVSIO 1. *Angeli cognoscunt multa vt multa cognitione distincta simul:* patet, tum quia diximus in antecedentibus angelum superiorem cognoscere per vnam & eamdem numero speciem omnes omnino naturas genericas, & specificas ordinis naturalis; ergo cognoscit multa, vt multa simul: tum quia vna numero cognitio potest attingere illud omne, quod repræsentatur per vnam speciem cùm hæc sit vna ratio cognoscendi res omnes repræsentatas per huiusmodi speciem: ergo saltem in hoc casu poterit angelus cognoscere plura vt plura, cognitione distincta, idque per modum vnius, & vna numero intellectione: etenim sicut oculus, & quicumque alius sensus externus deprehendit obiecta plura per modum vnius, putà plures colores, & plures partes in corpore humano, plures item soni os in musica: ità poterit angelus plura obiecta sub vnica ratione, & vnica intellectione intelligere.

Possunt intelligere multa vt multa quãdo repræsentantur per diuersas species.

CONCLVSIO 2. *Angelus potest intelligere multa, vt multa, cognitione distincta, non solum, quando repræsentantur per vnam & eamdem numero speciem, sed etiam, quando per diuersas.* Primum, quia datur in angelis cognitio de rebus creatis tam vespertina, quam matutina, auctore D. Thom. art. 6. & 7 huius q. at cognitiones ista sunt de vna & eadé plane re, & simul: siquidem in eodé planè temporis instanti videt angelus in Verbo res omnes naturales creatas, & eadem in seipsis per species sibi infusas: ergo potest cognoscere multa vt multa, repræsentata etiam per diuersas species.

Deinde, Christus vt homo, simul conspexit diuinam essentiam, vt in se est, & res omnes creatas perfectissimè intellexit, nec non cogitationes hominum liberas, & quidem per varia & diuersa media, ob triplex genus scientiæ, quod agnoscunt Theologi in illo; videlicet, beatæ, infusę, & acquisitæ: ergo poterunt angeli etiam per diuersas species plura, vt plura intelligere.

Obiectio. Dices, nos id non posse distincte: ergo neque angelos.

Solutio. Respond. Quidquid sit de antecedente, negando consequutionem: propterea enim nos non possumus intelligere plura distincte, quia cognoscimus per species immissas ab obiectis, quæ cum exeant ab illis, quatenus obiecta sunt in se, illa tantum repræsentant & nihil aliud, quo fit vt nihil aliud etiam intelligere possimus ab illo obiecto repræsentato per huiusmodi speciem: at angelus res naturales intelligit per species sibi concreatas, quæ perfectissimè repræsentant plura, vt plura distincta inter se formaliter & tealiter.

ARTICVLO 3. & 4. Docet D. Thomas angelos non cognoscere res per discursum, de quo nos egimus Dubitatione vlt. ad art. 4. præcedentis quæst.

ARTICVLO 5. Non posse esse falsitatem in intellectu angeli respectu cognitionis quidditatiuæ rerum naturalium, cum eas intelligat vt in se sunt.

ARTICVLO 6. & 7. Dicit in angelis esse cognitionem matutinam & vespertinam, qua de re legendus est D. Thom. & Ægidius à Præsentatione tom. 1. in 1. 2. lib. 5. quæst. 16. §. 5. vbi quæ fuerit mens D. Augustini circa huiusmodi cognitionem erudite aperit.

QVÆSTIO LIX.

De voluntate Angelorum.

RTICVLO 1. Docet D. Thom. in angelis dari voluntatem.

ARTICVLO 2. Voluntatem distingui ab intellectu in angelis.

ARTICVLO 3. Angelos esse liberos, quod tamen intelligendum venit de libertate contradictionis, minimè verò de libertate contrarietatis: hæc enim versatur circa bonum & malum; illa verò vel circa bonum tantùm, vel certè circa malum, ità vt ex pluribus malis, apprehensis tamen vt bonis, possit voluntas libera vnum acceptare, & respucere aliud, vel certè suspendere omnino suam actionem, circa quodlibet ex istis.

Possunt ergo angeli boni tantùm liberè ferri circa bona, excepto tamen Deo clarè, & vt in se est viso, & amato; ità vt dicantur liberi, libertate contradictionis, quia possunt ferri circa quodlibet bonum extra Deum: mali item dicuntur liberi libertate contradictionis tantùm, quia in eorum potestate est ferri circa hoc vel illud malum, non verò circa bonum.

ARTICVLO VLTIMO, docet non dari appetitum irascibilem aut concupiscibilem, in angelis; licèt enim angeli irascantur, & concupiscant quodammodo, id tamen per solam voluntatem faciunt.

Digitized by Google

QVÆSTIO LX.

De amore & dilectione Angelorum.

RTICVLO 1. Docet in angelis dari amorem naturalem.

ARTICVLO verò 2. Amorem hunc eſſe electiuum.

ARTICVLO 3. Angelum amare ſeipſum, & amore naturali, & electiuo: idem docet de amore quo angeli proſequuntur ceteros angelos.

ARTICVLO 4. & 5. Angelum magis amare Deum, quàm ſeipſum.

Hæc autem omnia ſunt ſatis ex littera D. Thom. explicata.

QVÆSTIO LXI.

De productione Angelorum in eſſe naturæ.

RTICVLO 1. Docet D. Thom. Angelos habere cauſam ſui eſſe.

ARTICVLO 2. Non fuiſſe factos ab æterno.

ARTICVLO 3. Fuiſſe procreatos cum hoc mundo viſibili.

ARTICVLO VLTIMO. Fuiſſe creatos in cœlo empyreo.

Hæc Quæſtio poſtulat explicationem ſequentis Dubitationis.

DVBITATIO VNICA.

Quandónam Angeli fuerint à Deo procreati.

SVnt qui putent ante hunc mundum viſibilem angelos fuiſſe à Deo productos & quidem multo tempore; idque quòd ità doceant plerique Patres: Origen. homil. 4. in Iſai. & lib. 1. periar. cap. 7. & 8. Nazianzen. orat. 2. de Paſchate, & de Natiuitate, Baſilius homil. 1. & 2. hexam. Seuerianus & Diodorus in catena in Geneſ. Cyrill. Alexand. lib. 6. in Ioan. Damaſc. 2. de fide, cap. 3. Ambroſ. lib. 1. hexamer. cap. 5. Hilar. in lib. de Trinitate, Hieronym. in epiſtol. ad Titum cap. 1. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono, cap. 12. Caſſianus, Collatione 8. cap. 7. Beda in lib. variarum quæſt. quæſt. 9. & alij nonnulli.

Deinde, propter hanc cauſam prætermiſſa fuit à Moyſe, angelorúm creatio in ſacra Geneſi.

Tertiò, quia alioquin fuiſſet Deus otioſus, ante productionem huius vniuerſi.

Quartò, Paulus ad Titum cap. 1. fidem facit Deum promiſiſſe creaturis quibuſdam rationalibus, vitam æternam ante tempora ſecularia, id eſt ante huius mundi productionem, vt communiter explicant interpretes huius loci.

Denique, angeli laudauerunt Deum cum crearet hic aſtra matutina, ità enim legunt Septuaginta Iob. 38. *Quando facta ſunt ſydera laudauerunt me voce magna omnes angeli mei.*

CONCLVSIO 1. *Angeli fuerunt procreati ſimul cum hoc vniuerſo viſibili.* Primùm, quia dicitur Eccleſiaſt. cap. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*, nulla facta diſtinctione inter angelos & inter iſtas res ſenſiles, aut denique inter animas noſtras, licèt iſtæ non priùs creentur quàm diſpoſitum ſit proprium corpus ad vniuſcuiuſque introductionem, ex communi doctrina. *Fuerunt creati cũ hoc orbe.* Eccleſ. 18. v. 1.

Deinde, Exod. 2. dicitur, Deum intrà ſex dies creaſſe ea omnia quæ ſunt in hoc vniuerſo, & die ſeptimo quieuiſſe ab omni opere, quod patrarat.

Tertiò, ità docent Patres, maximè verò Diuus Auguſtinus de Geneſ. ad litter. cap. 8. *Nec mirum eſt, quòd ſanctis angelis ſuis in prima lucis conditione formatis priùs Deus oſtendebat quod erat deinceps creaturus.* & lib. 11. de Ciuit. cap. 6. & 12. Confeſſ. cap. 13. Epiphan. lib. 2. de hæreſ. hæreſi 65. *Firmamentum terræ ac cœli, & cum his ſimul angeli facti fuerunt, vna enim cum cœlo & terra angeli creati ſunt.* Athanaſ. in quæſtionibus ad Antioch. q. 3. & alij innumeri cum D. Thom. hoc loco, & Sententiarij in 2. diſt. 2. D. Auguſt. Epiphan.

Quartò, ex D. Thom. art. 4. huius quæſt. angeli fuerunt creati in cœlo empyreo; at cœlum empyreum eſt verè pars aliqua huius vniuerſi. Præterea, angeli ſunt ad hominum cuſtodiam ordinati, & aliqui mouent orbes cœleſtes ex doctrina Peripateticorum: ergo non videntur iſti eſſe facti ante hunc mundum viſibilem. D. Thom.

CONCLVSIO 2. *Sinè vllo periculo erroris liberum eſt defendere, angelos ante hunc mundum viſibilem fuiſſe creatos.* Primùm, quia ità docet Sanctus Thomas hoc loco, maximè verò artic. 3. & item Caiet. Bannez ibidem Concluſ. 2. Vazquez, Sixtus Senenſis lib. 5. ſuæ bibliothecæ, annotat. 5. Cano lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. & plerique alij recentiores, contra Gregor. de Valent. Molinam, & alios nonnullos recentiores. *Poteſt deſẽdi angelos ante mundũ fuiſſe productos.*

Dices, Concluſionem iſtam pugnare cum Concil. Lateranenſi ſub Innocent. III. dicitur quippe illic ab initio temporis vtramque naturam corpoream, & ſpiritualem, angelicam & mundanam fuiſſe ſimul à Deo procreatam.

Reſpond. Definitionem iſtam poſitam eſſe à Patribus Concil. Lateranenſis contra nonnullos hæreticos illius temporis, qui aſſerebant mundum hunc non in tempore; ſed ab æterno fuiſſe productum: non venit autem in mentem Patribus definire angelos fuiſſe procreatos, vel cum hoc mundo viſibili, vel ante, de qua tamen re diſputatur hoc loco à nobis. Fauet iſtis quòd definitio iſtius Concilij fuit notiſſima S. Thom. cùm Concilium hoc fuerit celebratum circa annum Chriſti 1215. D. verò Thom. floruit anno Chriſti 1274. vel circiter; certum eſt etiã perſpectam fuiſſe definitionem iſtam alijs Scholaſticis citatis à nobis in confirmationem huius Concluſionis, & tamen conſtanter docuerunt angelos ante hunc mundum fuiſſe procreatos.

Digitized by Google

Rationibus contrarijs ſatisfiunt quidam.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. Patres iſtos fauere noſtræ Concluſioni 2 quia tamen Concluſ. 1. docuimus mundum & angelos fuiſſe ſimul procreatos. Reſpond. Habere nos alios Patres, qui ſecus ſentiunt.

Ad 2. Moyſem ex ſententia Chryſoſtomi prætermiſiſſe angelorum creationem in ſacra Geneſi, quòd res illi eſſet cum populis rudibus & addictis mirum in modum ſolis rebus ſenſilibus: Theodoretus verò, & Athanaſius, aliique nonnulli propterea volunt nullam feciſſe mentionem creationis angelorum, ne daret Hebræis occaſionem idololatrandi, cui vitio nimis addicta erat gens Hebræa.

Non bene.

Ceterùm neutra ex iſtis reſponſionibus videtur vera; nam credidetunt Iudæi animarum immortalitatem, & item quòd iſtæ eſſent ſubſtantiæ ſpirituales. Deinde, quamnam dat ille occaſionem idololatrandi qui dicit angelos eſſe à Deo procreatos? cùm certiſſimum ſit nullam rem creatam poſſe eſſe Deum, ex præſcripto rectæ rationis.

Gen. 1. v. 1.

Vera ſolutio authoris.

Indicauit ergo Moyſes creationem angelorum quando dixit Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, quemadmodum etiam nomine terræ ſignificat terrena omnia; ita nomine cœli deſignat cœleſtia & ſpiritualia quæque, & conſequenter angelos.

Ad 3. reſpond. Etiamſi Deus non produxerit angelos, ante hunc mundum viſibilem, non tamen propterea poſſe colligi Deum extitiſſe otioſum antequàm produceret hunc mundum; nam ſatis erat occupatus in contemplatione ſui ipſius, & rerum omnium quæ repræſentantur intrà ſuam eſſentiam, contemplatio ſiquidem ſui ipſius eſt vna ex præſtantiſſimis Dei occupationibus.

Ad 4. Verbum, *promittere*, illic idem eſſe atque decernere, præſcribere & ordinare, vt communiter explicant Patres ad hunc locum; ità vt ſenſus Pauli ſit, Deum ordinaſſe ante productionem huius vniuerſi creaturas multas rationales in vitam æternam, veluti in finem ſupernaturalem.

Neque hoc mirum; fatentur enim omnes cum D. Thom. quæſt. 23. huius part. Deum ex omni æternitate prædeſtinaſſe aliquos in vitam æternam in tempore infallibiliter obtinendam, non tamen neceſſariò.

Ad vltimam reſp. Angelos potuiſſe laudare Deum cùm crearet hic aſtra matutina, nempe ſolem, lunam, & cetera ſydera: Sol quippe & Luna quarto die fuerunt à Deo procreata, angeli verò primo die ex veriori opinione. Deinde, licèt daremus ea omnia quæ ſunt in hoc vniuerſo fuiſſe ſimul à Deo procreata, & inter ſe diſtincta, quod voluit D. Auguſtinus, & alij quidam cum eo: poſſemus tamen adhuc reſpondere angelos tunc temporis, vel potiùs in eo inſtanti, verè laudaſſe Deum; fuerunt enim iſti pro eo primo inſtanti compotes vſus rationis, & libertatis, ac proinde cùm bene cognouerint Deum, & nullum daretur impedimentum in iſtis quominùs poſſent laudare & amare Deum, certè poſſumus affirmare angelos iſtos verè laudaſſe Deum. Confirmatur hoc, ex eo quòd non deſint qui putent angelos in primo inſtanti ſuæ creationis potuiſſe verè peccare, & item vtì mereri vitam æternam; de qua re dicetur inferiùs.

In cælo empyreo creati angeli.

Rogabis, *Quænam in loco fuerunt angeli procreati.* Reſpond. *In cælo empyreo*: ità D. Thom. art. 4. huius q. & Patres citati à nobis in confirmatione 1. Concluſionis huius Dubitationis. Deinde, locus præſtantiſſimus debetur etiam nobiliſſimæ creaturæ: certum autem eſt cœlum empyreum inter res omnes ſenſiles vindicare ſibi ſupremas partes; in hoc enim videtur Deus à beatis, & præterea ſuperius eſt ad ceteros omnes oculos, illuſtratúrque ſumma & præſtantiſſima luce: ergo cœlum empyreum eſt locus creationis ipſorum.

QVÆSTIO LXII.

De perfectione naturæ Angelorum in eſſe gratiæ.

Articvlo 1. Docet D. Thom. angelos in primo inſtanti ſuæ creationis fuiſſe beatos, beatitudine naturali, minimè verò beatitudine eſſentiali ſupernaturali.

Articvlo 2. Non potuiſſe angelos ſe conuertere in Deum veluti in vltimum finem ſupernaturalem, ſinè gratiæ auxilio.

Articvlo 3. Fuiſſe creatos in gratia.

Articvlo 4. Promeruiſſe ſibi vitam æternam.

Articvlo 5. Poſt primum actum charitatis donatos fuiſſe beatitudine æterna.

Articvlo 6. Angelis datam fuiſſe gratiam in primo inſtanti creationis inæqualem, iuxta inæqualitatem perfectionum naturalium, quæ fuerunt in ipſis.

Articvlo 7. Cum beatitudine ſupernaturali permanſiſſe in iſtis & cognitionem, & dilectionem Dei naturalem.

Articvlo 8. Angelos beatos peccare non poſſe.

Articvlo vltimo. Angelos non poſſe proficere in ſua beatitudine eſſentiali.

DVBITATIO PRIMA.

An Angeli fuerint beati in primo inſtanti ſuæ creationis.

Beati naturaliter fuerunt in primo inſtanti.

Conclvsio 1. *Angeli fuerunt beati beatitudine naturali in primo inſtanti ſuæ creationis:* ità enim docet S. Thom. art. 1. huius quæſt. & communiter interpretes, ſequacéſque eiuſdem.

D. Thom.

Deinde, beatitudo naturalis conſurgit in creatura rationali ex poſſeſſione cuiuſlibet perfectionis ſibi debitæ naturaliter, & ex rectitudine morali, ità vt creatura rationalis dicatur tunc temporis beata naturaliter, cùm habet in ſe omnem omnino perfectionem naturalem ſibi debitam naturaliter, & præterea diligit Deum, vt Deus eſt author naturæ; carétque proinde omni culpa & vitio; at hæc omnia fuerunt in angelis in primo inſtanti ſuæ creationis omnium conſenſione: ergo in eodem inſtanti fuerunt beati beatitudine naturali.

Obijcies,

Digitized by Google

Obiectio. Obijcies, si angeli fuissent in primo instanti suæ creationis beati, beatitudine naturali, sequeretur beatitudinem istam perseuerare in dæmonibus; naturalia namque tam verè dantur post peccatum quàm ante in hominibus & angelis; at non est concedendum dæmones esse beatos, etiam beatitudine naturali: ergo neque fuisse conditos in ipsa.

Solutio. Respondeo, negando illationem antecedentis. Ad probationem autem, naturalia permansisse in hominibus & angelis post peccatum quoad suam entitatem, ceterùm læsa & debilitata, vt communiter fatentur omnes; neque enim ità expeditè & promptè potest homo operari bonum, post peccatum, quemadmodum antea; imò hoc idem dicendum est de angelis: cùm nullum planè possint bonum opus exercere quantumuis minimum, sed perpetuò peccent. Deinde, certum est item beatitudinem naturalem supponere rectitudinem voluntatis; at constat etiam voluntatem cuiuslibet dæmonis esse deordinatam.

Non fuerũt beati supernaturali beatitudine. CONCLVSIO 2. *Angeli in primo instanti suæ creationis non fuerunt beati beatitudine supernaturali.* Primùm, quia sancti Patres docent angelos fuisse liberos in primo instanti suæ creationis, ac proinde potuisse ferri vel in bonum, vel

D. August. in malum. Ità D. August lib. 11. de Ciuit. cap. 13. *Æqualis felicitatis omnes ab initio creati sunt; & ità fuerunt, donec isti qui nunc mali sunt, ab illo bonitatis lumine sua voluntate cecidissent.* & lib. de Genes.

Ambros. ad litter. cap. 11. Ambros. & alij nonnulli: at qui beatus est beatitudine supernaturali, nequit vlla ratione peccare, vt fatentur omnes in tractatione de beatitudine, & manifestè colligitur ex eo quòd beati rapiantur à perfectione essentiæ diuinæ, ità vt non possint intermittere, vel actum visionis, vel amoris essentiæ diuinæ: ergo in primo instanti suæ creationis angeli non extiterunt beati beatitudine supernaturali.

Deinde, inter priuilegia Christi, quatenus homo est, refertur hoc, quòd à primo instanti suæ conceptionis fuerit beatus.

Ioan. 16. ỷ 22. Matth. 25. ỷ. 46. Denique, beatitudo supernaturalis amitti nequit, Ioann. 16 *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* & Matth. 25. *Ibunt isti in vitam æternam:* at certum est ex angelis tertiam partem defecisse, & propter peccata propria adiudicatam fuisse pœnis æternis. Hoc est contra Sententiarios aliquos, & Magistrum in 2. dist. 4. videtur enim illic admittere angelos omnes in primo instanti suæ creationis conspexisse diuinam essentiam clarè, & vt in se est, non quidem per modum permanentis, sed tantùm per modum transeuntis, qua ratione fatentur aliqui Moysem & Paulum constitutos in hac vita vidisse diuinam essentiam.

Obiectio. Obijcies, D. Augustinum lib. 11. de Ciuitat. cap. 9. affirmare angelos non esse peregrinatos à Deo, & alibi cum Gregor. Mag angelos esse confirmatos in beatitudine in qua fuerunt creati.

Explicatur Augustin. Respond. Primum locum intelligendum esse non simpliciter, sed secundum quid; nam angeli verè fuerunt viatores, vt ipsemet D. August. subindicat eo in loco; quia tamen breuissimum tempus interiectum fuit inter creationem angelorum, & damnationem eorumdem, itémque beatitudinem aliorum, ideò in ordine ad breuitatem istius temporis interiecti, ait angelos non fuisse

à Deo peregrinatos: nã in primo instanti fuerunt omnes à Deo procreati, in secũdo boni meruerũt vitam æternam, in tertio donati sunt beatitudine æterna; mali verò peccauerunt in 2. & in 3. experti sunt pœnas æternas.

Obiectio 2. Obijcies, de angelo malo dici apud Ezech. cap. 28. quòd fuerit in delicijs paradisi Dei.

Solutio. Respond. Per delicias paradisi non significari eo in loco beatitudinem æternam supernaturalem creaturæ rationalis, sed statum aliquem felicissimum, in quo fuerunt omnes angeli creati à Deo, idque in primo instanti creationis eorumdem similem statui innocentiæ, quem communiter admittimus extitisse in primis parentibus ante primum peccatum eorumdem.

DVBITATIO SECVNDA.

An Angeli fuerint omnes in gratia gratum faciente procreati.

RAtio dubitandi est, quia 1. Ioann. 3. dicitur de dæmone quòd ab initio peccet; & Ioann. 8. dicitur similiter, quòd fuerit ab initio homicida. Deinde, 16. quæst. 2. can. *Visis*, dicitur à Ioanne Pontif. Maxim. quòd dæmon doleat apud inferos de charitate, quam habere non potuit in cœlis: dolet enim & erubescit charitatem, quam in cœlo nequiuit habere, igitur non fuit constitutus in gratia.

1. Ioan. 3. ỷ. 8. idem 8. ỷ. 44.

Fuerunt producti omnes angeli cum gratia habituali. CONCLVSIO 1. *Angeli omnes fuerunt in gratia gratum faciente procreati: ac etiam in charitate ordinis supernaturalis.* Primùm, quia dicitur Ioann. 8. de dæmone, quòd in veritate non stetit: nomine autem veritatis significatur illic gratia gratum faciens, aut, vt alij volunt, rectitudo data angelo in primo instanti suæ creationis, & Isai. 14. dicitur de eodem; *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui manè oriebaris?* & Ezech 28. habetur de eodem, quòd fuerit plenus sapientia, & perfectus decore, idque à conditione sua.

Isai 14. ỷ 12. Ezech. 28. ỷ. 12. 2.

Deinde, hæc est expressa Patrum sententia, D. Augustini lib. 11. de Ciuitat. cap. 11. *Simul vt facti sunt* (loquitur autem de angelis) *lux facti sunt: non tamen ità tantùm creati, vt quoquomodo essent, & quoquomodo viuerent,* quod de illuminatione per gratiam necessariò venit intelligendum, & lib. 12. cap. 9. *Erat* (inquit) *Deus simul in eis condens naturam*, scilicet angelicam, *& largiens gratiam.* Cyrillus lib. 4. contra Iulianum. *Ab ipsa quidem origine virtutes sanctas, ac rationales fortitas, subsistentes absque omni macula assuetas humili sensu illius sceptris & dominicæ voluntati obedire, irreprehensibilémque prorsus præ se ferentes obedientiam.* Hieron. ad cap. 5 Oseæ Prophetæ, Damasc. lib. 2. de fide, cap. 3. & Sententiarij in 2. distinct 3. & 4.

D. August. Cyril. Hieron. Damasc.

Accedit ratio: Angeli in primo instanti suæ creationis nullo planè excepto fuerunt ordinati in vitam æternam, veluti in suum vltimum finem supernaturalem; Deus enim omnem creaturam rationalem ad vitam æternam obtinendam creauit, cùm velit omnes homines saluos fieri; & ad agnitionem veritatis peruenire, ex doctrina Pauli: at non potuit angelus esse ordinatus in vitam æternam in primo instanti suæ creationis, nisi habuerit gratiam gratum facientem, hæc enim est radix meriti in nobis, & semen vitæ æternæ omnium consensione: ergo fuerunt conditi in huiusmodi gratia gratum faciente.

Digitized by Google

Denique, primi parentes creati fuerunt in gratia, & in charitate, dicitur namque Eccl. 7. cap. Deum feciſſe hominem rectum, idem erit dicendum de angelis.

Per diſpoſitiã propriã conſequuti ſũt gratiã.

CONCLVSIO 2. *Angeli conſecuti ſunt gratiam gratum facientem, in primo inſtanti creationis per diſpoſitionem propriam, ità vt concedendum ſit de iſtis quòd ſe diſpoſuerint liberè ad huius gratiæ conſecutionem.* Primùm, quia ex hominibus adultis nulli iuſtificantur à peccato mortali niſi dependenter à diſpoſitione ſibi propria, vt colligunt Doctores ex illo Iſai. 55. *Derelinquat impius viam ſuam & miſerebitur eius.* & ex illo Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro,* &c. Et alibi: *Conuertimi ad me & conuertar ad vos.* Fauet iſtis locus ille communiſſimus D. Auguſtini: *Qui fecit neſcientem, non iuſtificat niſi volentem:* ergo illud idẽ dicendum eſt de angelis reſpectu collationis primæ gratiæ datę ijſdem in primo inſtanti creationis eorumdem; nam modus iuſtificandi perfectiſſimus, angelis eſt adſcribendus: talis autem eſt modus iuſtificandi dependenter à propria diſpoſitione, vt communiter fatentur omnes.

Iſai. 55. ¶. 7. Ioël. 2. ¶. 12. Ezech. 18. ¶. 30. D. Auguſt. ſerm. 15. de verb. Apoſtol.

D. Thom.

Deinde, primus parens fuit in gratia & in charitate creatus, ex doctrina D. Thom. communiter retepta: at diſpoſuit primus parens ſeipſum ad gratiæ iuſtificantis receptionem, vt videtur colligi ex D. Thom. hac part. quæſt. 95. art. 1. ad 4.

Tertiò, angelus in primo inſtanti ſuæ creationis, fuit verè liber, & præterea exercuit actum dilectionis Dei ex veriori doctrina: at dilectio Dei cenſetur eſſe diſpoſitio infallibilis in homine conſtituto in peccato mortali ad gratiam habitualem obtinendam: ergo illud idem erit dicendum de angelo.

Obiectio.

Obijciunt authores contrariæ ſententiæ, naturam præcedere gratiam, cùm gratia quælibet recipiatur in ſubſtantia & natura hominis vel angeli, tamquam in ſubiecto: igitur non potuerunt ſimul creari in gratia, & in eodem inſtanti, ſeſe diſponere ad eamdem.

Solutio.

Reſpond. Naturam præcedere gratiam non quidem tempore, ſed tantùm in aliquo inſtanti prioritatis naturæ, & hoc probat obiectio; cùm iſtis tamen rectè cohæret, vt in eodem inſtanti temporis ſit gratia gratum faciens cum natura cuiuſlibet angeli; vt docet D. Auguſtinus cap. 9 lib. 12. de Ciuitat. *Deus* (inquit) *ſimul erat condens naturam*, ſcilicet angelicam, *& largiens gratiam.* Deinde, elicere actum diſpoſitionis ad gratiam, & gratiam recipere non pugnant inter ſe, cùm largitio gratiæ ſit à ſolo Deo veluti à cauſa efficiente; productio verò diſpoſitionis ad gratiam habitualem obtinendam eſt ab angelo, & ab auxilio aliquo actuali diuino ordinis ſupernaturalis, omnium planè conſenſione.

Replica.

Inſtabis, diſpoſitionem ad alicuius formæ introductionem eſſe diuerſam à forma, quæ introducitur, vt eſt per ſe notum; dilectio autem quæ cenſetur eſſe diſpoſitio in angelis ad gratiã gratum facientem obtinendam, non diſtinguitur à gratia gratum faciente, cùm omnis dilectio ſit à gratia gratum faciente veluti à cauſa propria: ergo.

Diſſolnitur.

Reſp. Conceſſa maiori, negando minorem: ad probationem autẽ, dilectionem quam diximus eſſe diſpoſitionem in angelis ad gratiam gratum faciẽtem habendam, non eſſe effectiuè à gratia, vel qualitate habituali antecedẽter, ſed tantum concomitanter; diximus enim diſpoſitionem iſtam produci à dono aliquo actuali, quod priùs ſaltem natura præceſſit infuſionem gratiæ gratum facientis.

Vrgent.

Dices, ex iſtis ſaltem colligi per huiuſmodi dilectionem Dei, ſeu, quod idem eſt, per diſpoſitionem iſtã meruiſſe ſibi primam gratiam.

Inaniter.

Reſp. Negando antecedens; nam de fide eſt primam gratiam dari gratis, ex Paulo Rom. 11. *Alioquin* (inquit) *gratia iam non eſt gratia.* In hac ſententia ſunt vt videtur D. Thom. art. 3. huius quæſt. & 6. Caiet. in 1. 2. D. Thom. q. 24. & recentiores multi.

Rom. 11. ¶. 6.

Satisfit rationibus aduerſariorũ.

Ad rationes verò contrarias reſp. Ex illis duobus locis Scripturæ probari tantùm angelos peccaſſe, paulò poſt ſuam creationem; non autem quòd angeli iſti non fuerint in gratia procreati: peccauerunt enim in ſecundo inſtanti ſuæ creationis, ac proinde propter breuitatem temporis interiecti inter creationem & lapſum eorumdem, dicuntur peccaſſe ab initio, & item homicidas extitiſſe: cogitauerunt ſiquidem de perdendo homine, vt dicetur inferius.

2.

Ad 2. reſpond. Ex eo loco tantùm probari dæmones dolere apud inferos de charitate conſummata, quam non habuerunt in terris, aut etiam in cœlo quando fuerunt creati; habuerunt tamen charitatem imperfectam à qua excidertnt per peccatum.

Non fuit æqualis gratia data angelis.

Aduerte gratiam datam angelis in primo inſtanti creationis non fuiſſe æqualem in omnibus: Sanctus enim Thom. art. 6. huius quæſt. affirmat gratiam iſtam datam fuiſſe angelis iuxta inæqualitatem perfectionum naturalium eorumdem; & conſequenter quemadmodum perfectiones naturales non ſunt in omnibus angelis æquales, pertinent namque ad diuerſas ſpecies, ità & gratia collata eſt inæqualis. Accedit quòd docuerimus in hac Dubitatione conceſſam fuiſſe gratiam iſtam cuilibet angelo dependenter à propria diſpoſitione; certum autem eſt non omnes angelos diſpoſuiſſe ſe ad huius gratiæ receptionem, cum eodem conatu, ſed cum diuerſo, vnde gratia collata erit etiam inæqualis.

DVBITATIO VLTIMA.

An Angeli ſibi promeruerint vitam æternam & quando.

Probi angeli meruerunt gloriã.

CONCLVSIO 1. *Angeli boni meruerunt ſibi vitam æternam.* Primùm, quia beatitudo æterna nuncupatur, merces, Matth. 6.

Deinde, dicitur hæc eadem, corona iuſtitiæ, 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui: in reliquo reposita eſt mihi corona iuſtitiæ.*

2. Tim. 4. ¶. 7.

D. Auguſt.

Tertiò, ità docent Patres, D. Auguſtin. de dono perſeuerantiæ, cap. 7. *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia quantùm valuerit, apparuit in angelis, qui Diabolo cum ſuis cadente in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatẽ perpetuam non cadendi, in qua nunc eſſe eos certiſſimi ſumus, peruenire meruerunt.* & de corrept. & gratia cap. 10. & 11. Greg. lib. 5. Moral. cap. 22. & Anſel. de caſu diaboli, cap. 5.

Gregor. Anſelm.

Actionibus antecedentibus meruit gloriam.

CONCLVSIO 2. *Angeli promeruerunt ſibi vitam æternam actionibus antecedentibus, non autem conſequentibus eamdem.* Primùm, quia meritum comparatur ad præmium, illa eadem ratione, qua via ad terminum; via autem ſemper eſt prior ſuo termino.

De-

Deinde, licèt meritum ex ſe & ſua natura non ſit prius præmio; de lege tamen communi nullum datur præmium mortalibus à Deo, niſi poſt meritum; propter hanc enim cauſam monemur in ſacris litteris, vt honeſtas & meritorias operationes exerceamus in hac vita, quò interueniente morte conſequamur præmium eiſdem debitum, Ioann. 9. *Me oportet operari donec dies eſt, venit nox*, id eſt mors, *in qua nemo poterit operari.* & 1. Corinth. 9. *Sic currite vt comprehendatis.* & rurſus: *Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Ioā. 9. v. 4. 1. Cor. 9. v. 24. & 25.

Tertiò, perfectio quæ datur in angelis tota deſumenda eſt, ex actionibus in via factis, vt author eſt D. Thom. hoc loco.

Denique, angeli promeruerunt vitam æternam eo actu quem exercuerunt in ſecundo inſtanti ſuæ creationis, vt author D. Thom. hoc loco: at in ſecundo inſtanti ſuæ creationis fuerunt angeli viatores: ergo tunc promeruerunt ſuis operibus adeptionem gloriæ æternæ.

Actu dilectionis Dei vitam æternam meruerunt beatitudinem.

CONCLVSIO 3. *Angeli promeruerunt ſibi vitam æternam per actum dilectionis Dei ſuper omnia, quem exercuerunt in ſecundo inſtanti ſuæ creationis.* Primùm, quia actus hic fuit quàm maximè liber & perfectiſſimus.

Deinde, quia hic actus fuit terminus quorumcumque actuum viæ in angelis bonis.

D. Thom. Tertiò, hæc eſt expreſſa ſententia D. Thom. art. 5. huius quæſt. & omnium Thomiſtarum.

Obiectio. Dices, docuiſſe nos Dubitat. proximè antecedente, angelos diſpoſuiſſe ſe in primo inſtanti ſuæ creationis, ad gratiæ iuſtificantis receptionem: ergo actus hic fuit etiam meritorius vitæ æternæ.

Solutio. Reſpond. Iſtis omnibus conceſſis, non negare nos, quin angeli boni promeruerint vitam æternam aliquo actu diuerſo ab eo, quem exercuerunt in primo inſtanti ſuæ creationis: contendimus enim tantùm angelos maximè meruiſſe vitam æternam, medio illo actu quem exercuerunt in ſecundo inſtanti ſuæ creationis, idque, quòd actus hic fuerit perfectiſſimus; etſi enim elicitus à ſola charitate, fuit tamen imperatus à qualibet alia virtute exiſtente in angelis, quod tamen non poteſt dici de actu illo quo diſpoſuerunt ſe, ad gratiæ iuſtificantis receptionem. Deinde, actus hic qui coniunctus eſt cum natura ex doctrina D. Thom. nedum eſt à natura, ſed etiam imputatur authori naturæ, vnde non videtur eſſe coniunctus cum pleniſſima libertate, qualis tamen reperitur in actu elicito ab illis in actu ſecundo ſuæ creationis.

Non poſſũt peccare angeli beati. Aduerte, angelos ità eſſe confirmatos in gratia vt nullam planè culpam, quantumuis minimam admittere poſſint: beatitudo quippe æterna reſpuit omnem omnino culpam, quemadmodum & pugnam. Deinde, voluntas cuiuſlibet beati eſt in omnibus & ſingulis conformis diuinæ; ac proinde quemadmodum Deus nullam poteſt culpam admittere, ità hoc idem de beatis concedendum eſt.

Quòd ſi in ſacris litteris dicatur Deum reperire prauitatem in angelis, hoc venit intelligendum de angelis omnibus pro eo tempore quo fuerunt inuia.

Quando item inuitantur angeli ad penitentiam in Apocalypſi Ioannis, locus hic non de angelis, ſed de Epiſcopis, & alijs Eccleſiæ Paſtoribus explicatur ab omnibus: dicuntur enim illic Epiſcopi angeli, quod Epiſcoporum ſit inuigilare gregi, & ab eo repellere quodlibet malum, quantum poſſunt, vt angeli cuſtodis eſt arcere mala quæcumque ab eo quem cuſtodit.

Addo, angelos ità eſſe in gratia confirmatos, vt ab ea excidere nulla ratione queant, cùm ſint beati; de ratione autem beatitudinis eſt vt amitti nequeat, ex cap. Ioann. 16. & Matth. 25. Deinde, beatitudo definitur, ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectiſſimus; ſi autem poſſet intermitti, non eſſet poſſeſſio perfectiſſima quorumcumque bonorum, eſſet enim coniuncta cum formidine amittendi beatitudinem.

Non poſſũt excidere à gratia. Ioann. 16. v. 22. Matth. 25. v. 46.

Ad ea verò quæ hactenus de bonis angelis docuimus pleniùs intelligenda, tria ſunt breuiter obſeruanda. Primum eſt, in angelis bonis dari tres hierarchias, ex doctrina Dionyſ. cap. 6. lib. cœleſtis hierarch. communiter ab omnibus acceptata; quælibet autem ex iſtis hierarchijs tres continet angelorum ordines, in prima collocantur Cherubini, Seraphini, & Throni. In ſecunda Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. In tertia Principatus, Archangeli, Angeli, ex diſpoſitione Dionyſij; quoniam apud alios paulò aliter diſtribuuntur ordines iſti, de qua re legendus eſt S. Thom. quæſt. 108. huius partis. Nomine autem hierarchiæ ſignificatur ſacer principatus, ſi vis & impoſitio prima huius nominis attendatur: ſi autem res ſubiecta, reſpublica deſignatur, quæ conſurgit ex angelis quibuſlibet bonis, inter quos aliqui præſunt, alij verò obſequuntur; alij illuminant, alij verò illuminantur.

Tres hierarchiæ angelorum. Dionyſ. *Quid tò hierarchia.*

Secundum aduertendum eſt, angelos mitti interdum à ſolo Deo immediatè, aliàs verò ab angelis ſuperioribus, vt conſtat ex c. 18. & 19. Geneſ. ex hiſtoria Tobiæ, & ex innumeris locis noui Teſtamenti, de qua re lege D. Thom. quæſt. 112. huius partis.

Angeli mittuntur.

Denique obſeruandum eſt, angelos deſtinatos eſſe ad hominum cuſtodiam, quod neſcio qua ratione negetur ab hæreticis noſtri temporis; hoc enim manifeſtè conſtat ex capite 1. Hebræor. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis.* & Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandauit de te.* & Matth. 4. Subſcribunt Patres, Gregor. lib. 4. Dialogor. Origen. homil. 13. in Numer. D. Auguſt. lib. 83. quæſt. & D. Hieron. ad c. 18. Matth. *Magna* (inquit) *eſt dignitas animarum vt vnaquæque habeat angelum in ſuam cuſtodiam delegatum.* Datur autem cuilibet homini in particulari angelus cuſtos, & item cuilibet Eccleſiæ, regno, prouinciæ, & præterea præfectis huiuſmodi Eccleſiarum, & regnorum; de qua re legendus eſt ſanctus Thomas, & interpretes eiuſdem recentiores quæſt. 113. huius partis.

Cuſtodes hominum angeli. Hebr. 1. v. 14. Pſalm. 90. v. 11. Mat. 4. v. 6. Gregor. Origen. D. Auguſt. Hieron.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXIII.

De malis Angelis.

RTICVLO 1. Docet D. Thom. quamlibet creaturam intrà terminos propriæ naturæ relictam errare & peccare poſſe.

ARTICVLO 2. Quælibet peccata poſſe eſſe in angelis ſecundùm reatum; actu tamen, ſeu effectu primum peccatum angelorum extitiſſe ſuperbiam.

ARTICVLO 3. Ait angelum expetiſſe deitatem, non quidem ſecundum æqualitatem, ſed tantùm ſecundum ſimilitudinem.

ARTICVLO 4. Nullos eſſe angelos ex ſe & ſua natura malos.

ARTICVLO 5. Angelum non peccaſſe in primo inſtanti ſuæ creationis, nec potuiſſe peccare per inordinatum ſuæ voluntatis actum, idque quòd fuerit in gratia gratum faciente procreatus.

ARTICVLO 6. Tradit angelum poſt primum inſtans ſuæ creationis ſtatim peccaſſe, ac proinde in ſecundo inſtanti temporis diſcreti.

ARTICVLO 7. Supremum inter angelos primo loco peccaſſe.

ARTICVLO 8. Peccatum primi angeli præbuiſſe occaſionem peccandi ceteris angelis.

ARTICVLO VLTIMO. Ex angelis multò plures perſeuerataſſe in gratia, quàm ab eadem exciderunt.

DVBITATIO PRIMA.

An Angeli fuerint impeccabiles, vel certè eſſe potuerint, relicti intrà terminos propriæ naturæ.

Peccare potuit angelus.

CONCLVSIO 1. *Quilibet angelus relictus intrà terminos propriæ naturæ peccare potuit.* Primùm, quia nulla datur, nec dari poteſt creatura quæ peccare non poſſit, vt probabitur ſtatim; nam ſolus Deus, ex ſe & ſua natura impeccabilis eſt.

Deinde, tertia pars angelorum verè peccauit, ex illo Apocalyps. *Trahebat ſecum*, ſcilicet Lucifer, *tertiam partem ſtellarum cœli*, id eſt angelorum, ex communi interpretatione Patrum: ergo.

Apoc. 12. ỽ. 4.

Nulla creatura pura impeccabilis.

CONCLVSIO 2. *Nulla planè extitit hactenus, aut extare poteſt creatura ex ſe & ſua natura impeccabilis.* Primùm, hæc videtur eſſe mens ſanctorū Patrum, D. Auguſtini 12. de Ciuit. capit. 1. & 6. ait enim peccatum nullam aliam poſſe habere cauſam, præter voluntatem creatam, non quidem, quatenus hæc à Deo producta eſt, ſed quia ex nihilo facta eſt, & lib. 3. contra Maximin. cap. 12. & author lib. de fide ad Petrum,

D. Auguſt.

A ait enim illic, non peccare, non eſſe naturæ creatæ, ſed gratiæ tribuendum eſſe: Cyrillus lib. 3. contra Iulianum, reſponder Iuliano, propterea Deum non feciſſe hominem impeccabilem, quia ſi homo impeccabilis eſſet, homo non eſſet (ſcilicet à Deo factus) vnde ſentit hic author nullam extare poſſe creaturam impeccabilem ex ſe & ſua natura. Cyril.

Subiungo rationes aliquas: Tota ratio cur humana Chriſti natura peccare nequeat, hæc aſſignatur communiter, quòd ipſa ſubſiſtat ſubſiſtentia increata diuini Verbi, ſanctificetúrque intrinſecè ſanctitate quæ eſt per eſſentiam, & ideò quòd ſit Deus: ergo vel iſta ratio nihil probat, vel aſſerendum eſt ſolam deitatem ex ſe & ſua natura eſſe impeccabilem. *Rationes pro Concluſione.*

Deinde, peccare, ex doctrina Sancti Thomæ nihil aliud eſt, quàm à regula ſibi impoſita authoritate ſuperioris deflectere; at creatura quælibet rationalis nedum de facto exiſtens, ſed etiam poſſibilis, poteſt deficere à præcepto ſibi impoſito à ſuo ſuperiore; tum quia natura rationalis creata eſſet verè finita & ordinis naturalis, vnde poſſet decipi & falli inter agendum, idque vel ex prauo, & deordinato affectu, vel etiam ex inaduertentia, & inconſideratione: defectus enim iſti conſequuntur naturam creatam relictam intrà terminos ſuæ propriæ naturæ, & manifeſtè colligitur ex praxi quotidiana hominum & angelorum.

Denique, poſſe peccare eſt imperfectio, ità coniuncta cum libero arbitrio creato, vt hæc nequeat ab eo amoueri, ſinè ſpeciali Dei auxilio, vt communiter docent omnes in tract. de liber. arbitr. at ſupponimus naturam rationalem creatam vel creabilem eſſe liberam: ergo poſſet hæc verè peccare ex ſe, & ſua natura.

Dices, poſſe Deum creare naturam rationalem ad vnum determinatam; ergo poſſet iſta natura eſſe impeccabilis: ſuppono enim quòd eſſet determinata ad bonum tantùm in communi. *Obiectio.*

Reſpondeo, negando antecedens; radix namque libertatis cenſetur eſſe recta ratio, ac proinde cùm creatura iſta eſſet rationalis, eſſet quoque libera, vnde poſitis omnibus ad agendum neceſſariis poſſet agere, & non agere: poſſet etiam legem ſibi impoſitam à Deo violare, atque ità peccare vel committendo, vel omittendo obſeruationem alicuius præcepti. *Solutio.*

DVBITATIO SECVNDA.

Quod fuerit primum peccatum Angelorum.

Peccatum angelorum non fuit omiſſio.

CONCLVSIO 1. *Non fuit omiſſio illius præcepti, quo debuerunt angeli ſe conuertere in Deū, tamquam in ſuum vltimum finem*; ità enim ſequeretur culpam primo loco contractam à dæmonibus fuiſſe peccatum omiſſionis, & non commiſſionis, cuius tamen oppoſitum, videtur affirmari Iſai. 14. & Ezech. 28. vbi dicitur dæmonem expetiuiſſe primo ſuo peccato deitatem.

Iſai. 14. ỽ. 13. Ezech. 28. ỽ. 6.

Deinde, peccatum dæmonis primum, cenſetur eſſe grauiſſimum, omnium conſenſu, & colligitur ex pœnis exquiſitis quibus torquetur apud inferos; at peccata omiſſionis non ità ſunt grauia, vt ſunt peccata commiſſionis,

missionis, ex communi doctrina: ergo primum peccatum angeli mali non fuit omissio.

Delectatio non fuit delectatio venerea.

CONCLVSIO 2. *Culpa ista non fuit delectatio venerea sensilis, aut insensilis, vt volunt aliqui.* Primum, quia delectatio venerea sensilis, nequit habere locum in re simpliciter spirituali: angeli autem ex dictis fuit substantiæ simpliciter spirituales.

Deinde, monuimus in antecedentibus locum Gen. 6. v. 2 hunc Genes. 6. *Videntes filij Dei, filias hominum*, non de angelis, sed de nlijs Seth esse intelligendum.

Tertiò, delectatio spiritualis nisi fuerit coniuncta cum deordinatione aliqua, nequit esse culpabilis in angelis, aut hominibus: est autem difficile explicare qua ratione delectatio spiritualis in angelis fuerit deordinata.

Quarto, non bene nuncupatur delectatio dæmonum venerea spiritualis; neque enim delectationes veneręq; sunt spirituales: ergo illorum peccatum non fuit delectatio huiusmodi.

Primum peccatum angeli fuit superbia.

CONCLVSIO 3. *Primum peccatum angelorum fuit superbia*, dicitur enim Eccles. 10. *Initium omnis peccati superbia.* & Tob. 4. *In superbia sumpsit initium omnis perditio.* & Isai. 14. ità loquitur Lucifer, *Conscendam in cœlum super astra Dei, exaltabo solium meum.* & Ezech. cap. 28. *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Loquitur autem de dæmone, ex omnium Patrum interpretatione, & Iob cap. 41. dicitur de eodem, *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.*

Eccles. 10. ỳ 15
Tob. 4. ỳ 14.
Isai. 14. ỳ. 13.
Ezech. 28. ỳ 17.
Iob 41. ỳ. 25.

Deinde, ità docent Patres, D. Augustinus 11. de Ciuitat. cap. 13. explicans illa verba Ioann. 8. *Ille homicida erat ab initio. Suo recusans* (inquit) *esse subditus creatori, & sua per superbiam velut potestate primata elatus, & qui per piam subiectionem noluit tenere quod verè est, affectat per superbiæ elationem simulare quod non est.* Ambros. in Psalm. 36. ad hæc verba; *Vidi impium superexaltatum. Vidi elevantem se* (inquit) *& superexaltantem se sermonibus suis, æstimantem se aliquid esse, qui nihil est. Quomodo se superexaltat? Ponam* (inquit) *thronum meum super nubes, & ero similis Altissimo. Meritò ergo superexaltatus videtur impius, qui se in illo monte constituit, de quo scriptum est. Si habueritis fidem dicetis huic monti, Tollere & iactare in mare.* Hieronymus ad cap. 14. Isai. *Qui per superbiam dixerat: In cœlum ascendam, ero similis Altissimo, non solum In infernum, sed ad inferiorum vltimum detrahitur: quia nec sufferebat superbia eius desiderare cœlestia, nisi ad tantam prorupisset insaniam, vt Dei sibi similitudinem vendicaret.* Damascenus lib. 2. de fide, cap. 4. *Qui creatoris beneficium consequutus erat, non ferens libera voluntate, ex eo quod secundum naturam erat, in id quod contra naturam erat, immutatus est: atque aduersus opificem suum Deũ se extulit, rebellare videlicet aduersus eum in animum inducens, ac primus à bono abscedens in malum incidit. Vna porro cum eo annulsa est, eique comitem se adiunxit, simúlque corruit innumerabilis subiectionum ipsi angelorum multitudo.* Cyprianus in sermon. de ieiunio & tentatione Christi, Nazianzenus oratione de Christi natiuitate, Chrysostomus lib. de cordis compunctione, Gregorius lib. 4. Moral. capit. 9. & denique Anselmus de casu Diaboli, cap. 1. Sententiarij verò communiter dist. 6. alij 3. lib. 2. & recentiores hic.

Ambros.
Hieron.
Damasc.
Cyprian.
Nazianz.
Chrysost.
Gregor.
Anselm.

Accedit & hæc ratio congruæ: Actus primo loco elicici à Christo censentur esse actus charitatis & humilitatis; ergo cùm Christus opponatur ex diametro dæmoni hic exercuit primam culpam superbiæ; hæc enim dicit oppositionem cum humilitate, & charitate.

Obijcies, Paulum 1. Timoth. 6. affirmare auaritiam esse radicem omnium planè malorum; *Radix* (inquit) *omnium malorum est cupiditas*: imò hoc ipsum confirmant Patres; maximè verò Chrysostomus ad locum proximè citatum Pauli, & Theophylactus ibidem: *Cædes* (inquit) *& rapina, fraudes, & mendacia, iusiurandi violatio, & alia genera iniquitatis ex hac radice, scilicet auaritia, pullulant.*

Obiectio. 1. Tim. 6. ỳ. 10. Chrysost.

Respondeo, Paulum & sanctos Patres non de peccatis commissis ab angelis instituere eo in loco sermonem, sed de peccatis, quæ vt plurimum committuntur ab hominibus: Conclusio autem nostra loquitur de primo peccato ab angelis perpetrato.

Solutio.

Vt autem res hæc plenius intelligatur. Aduertendum est culpam primam commissam ab angelo, nedum esse superbiam, sed etiam habere adiuncta quælibet alia peccata; est enim culpa commissa ab angelo quàm maxima, ex doctrina omnium Theologorum, & manifestè colligitur ex his quæ dicentur à nobis statim.

Dico igitur, culpam istam superbiæ dæmonis coniunctam fuisse cum inuidia, ex illo Sapient. 2. *Inuidia Diabeli mors intrauit in orbem terrarum:* Ratio hoc ipsum suadet; ille quippe censetur esse inuidus, qui de prosperitate aliena dolet, quatenus vel verè obest, vel obesse creditur propriè; at certum est dæmonem, pro eo tempore quo primo loco peccauit molestè tulisse felicitatem hominis, & quidem quòd crederet illam sibi obesse: propter hanc enim causam nuncupatur Diabolus homicida ab initio, Ioann. 8. Cogitauit siquidem in eo instanti de perdendis quibusuis hominibus, & consequenter homicidium fuit vna ex circumstantijs culpæ primæ angeli.

Superbia dæmonis coniuncta cũ inuidia. Sap. 2. ỳ. 24.

Laborauit etiam peccatum angelorum odio & ira, vt manifestè colligitur ex illo Apocalyps. 12. *Væ terræ & mari, quia descendit ad vos Diabolus magnam iram habens* & ex Psalm. 73. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper* explicatur autem locus hic posterior communiter à Patribus de odio dæmonum contra Deum.

In peccato dæmonis odium & ira. Apoc. 12. ỳ. 12. Psalm. 37. ỳ. 23.

Imò non caruit culpa ista dæmonis vitio infidelitatis, non quidem formaliter loquendo de infidelitate, sed reatu, vt euidenter demonstratur ex eo, quòd dæmon propter propriam culpam careat fide infusa, spe, & charitate, ex doctrina omnium Theologorum, vnico excepto Durando, qui credit fidem permanere in dæmonibus agentibus apud inferos. Ceteri tamen omnes contrarium docent, existimant enim fidem infusam nedum destrui per peccatum hæreseos, & infidelitatis, sed etiam per adeptionem illius status, qui est incompossibilis cum fide infusa; huius autem generis est status damnationis æternæ, vt probabitur in tractatione de fide. Deinde, qui facit vt aliquis deficiat à fide Catholica hic ad minus rea-

Infidelitas.

Digitized by Google

tu, seu, quod idem est, obligatione censetur esse infidelis: at vix dantur qui discredant articulis fidei, nisi moti & inducti à dæmone: ergo.

Quod autem peccatum infidelitatis formaliter non habeat locum in dæmonibus, ex eo conuincitur, quòd fieri nequeat, vt aliquis sit formaliter infidelis, nisi formaliter & actu assentiatur alicui propositioni contrariæ Articulis fidei Catholicæ; at certum est assentiri dæmones indubitanter Articulis fidei, coguntur enim ad id etiam inuiti, ex illo Iacobi, *Dæmones credunt & contremiscunt.* Deinde, notissimum est eisdem, Deum nec falli, nec fallere posse, & consequenter propositiones omnes reuelatas à Deo mortalibus esse verissimas & certissimas. Denique, norunt indubitanter Scripturas sacras, & omnia quæ hactenus fuerunt à sacris Concilijs definita, & credunt ista esse certissima, cùm sciant Spiritum sanctum præesse Concilijs, & Scripturas sacras ab eodem fuisse dictatas, vnde cùm Spiritus sanctus errare nequeat, omnia quæ habentur in Concilijs, & in sacris litteris sciunt esse indubitata.

Iacob. 2. ℣. 19.

Idololatra dæmon.

Fœdata quoque fuit prima culpa dæmonis vitio idololatriæ, & quidem formaliter & actu. ex capite siquidem Isai. 14. & Ezechiel. 28. habemus dæmonem expetiuisse similitudinem diuinitatis, quare concupiuit vt honor Deo debitus sibi quoque attribueretur, qua in re cernitur vitium idololatriæ.

Denique, reatu commaculatum fuit peccatum hoc qualibet culpa sensili, vt docent Patres aliqui, cum Scholasticis; maximè verò Diuus Augustinus, ait enim dæmones delectari rebus corporalibus, non quidem vt animalia cibis, sed vt spiritus signis. Denique, culpa quælibet sensilis vix ab aliquo committitur, nisi ex dæmonis suggestione, qui autem inducit alium ad peccandum, non minùs sordescit peccato isto alieno, quàm qui peccatum istud admisit: agentes enim & consentientes eodem planè reatu constringuntur.

D. Augusti.

DVBITATIO TERTIA.

Quidnam fuerit obiectum peccati primi Angelorum.

PEsantius ad art. 3. huius quæst. Sancti Thom. octo refert hac de re Theologorum sententias, quibus prætermissis, quid magis probabile videatur explico sequentibus Conclusionibus.

Obiectum peccati dæmonis non fuit deitas.

CONCLVSIO 1. *Obiectum culpæ primæ angelorum non fuit deitas absolutè, & formaliter spectata; seu, quod idem est, suo primo peccato non expetiuit dæmon, vt esset Deus absolutè, & simpliciter loquendo de Deo.* Primò, quia non potuit dæmon expetere absolutè & simpliciter quod cognouit simpliciter impossibile; voluntas enim cùm sit cæca, ea tantùm velle de facto potest, quæ sibi proponuntur ab intellectu; at intellectus angeli dictabat impossibile esse aliquid aliud à Deo esse absolutè & formaliter Deum, implicat enim dari plures Deos: ergo non potuit id expetere.

Deinde, angelus in primo instanti suæ creationis perfectissimè cognouit seipsũ; at qub magis propriã essentiam intuebatur, eò quoquè magis videbat esse rem aliquam creatam; & pendere à Deo in esse, fieri, & conseruari: ergo cùm repugnet rem creatam esse Deum absolutè & simpliciter, non potuit angelus expetere deitatem sumptam absolutè, & formaliter.

Non desunt tamen qui putent, dæmonem potuisse expetere esse Deum ex inconsideratione aliqua; illo eodem modo quo fatentur aliqui, impossibile, cognitum vt impossibile, posse à nobis expeti, non quidem actu aliquo absoluto voluntatis, sed tantummodo conditionato, putà per actum qui vulgò nuncupatur velleitas.

Ceterùm opinio ista meritò improbatur: Primum enim peccatum angeli fuit actus aliquis absolutus, & quàm maximè libere ab angelo malo elicitus, quare non potest is nuncupari velleitas, seu, quod idem est, actus aliquis conditionatus.

Peccatũ dæmonis fuit appetitus alicuius similitudinis Dei.

CONCLVSIO 2. *Dæmon suo primo peccato expetiuit similitudinem aliquam deitatis, vnde peccatum hoc habet pro obiecto similitudinem huiusmodi deitatis;* hoc probatur ex cap. 14. Isai. *Conscendam in cælum super astra Dei, exaltabo solium meum, & ero similis Altissimo.* Quæ verba dicuntur illic à primo angelo, & Ezech. 28. dicitur ab eodem: *Eleuatum est cor tuum, quasi cor Dei.* in persona regis Tyri.

Isai. 14. ℣. 13. Ezech. 28. ℣. 6.

Deinde, ità Patres conceptis verbis sentiunt: Diuus Gregorius in lib. Mor. frequentissimè, sed præsertim lib. 34. cap. 17. explicando illa verba, Iob. 41. *Non est potestas in terra quæ comparetur ei. Ità enim Deus super omnia est, vt ipse sub nullo sit. Leuiathan verò iste eius celsitudinis culmen aspiciens, ius peruersæ libertatis appetijt, vt & præesset cæteris, & nulli subesset: dicens; Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo.* & Diuus Augustinus in Psalm. 70. concione 2. *Hoc Diabolus fecit; imitari Deum voluit, sed peruersè: non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem.* & alibi. Ambrosius in Psalm. 118. in enarratione octonarij 16. super hæc verba: *Non calumnientur me superbi. Qualis enim aduersùs seruulos Dei potest superbus esse, qui aduersùs Deum se exaltat, & dicit: In cælum ascendam, super sydera cæli ponam sedem meam, sedebo in monte excelso, super montes altos, qui sunt ad Aquilonem, ascendam super nubes, & ero similis Altissimo? Quid igitur mirum, si grauare homines potest, qui peruicaci spiritu nec Deo cedit? Quomodo mensuram veritatis, & fidem in hominem seruabit, qui sacrilego, impudentique mendacio omnipotenti se Domino æquandum esse promisit?* Chrysost. hom. 3. de verbis Isai. Isidorus, de summo bono, cap. 12. & D. Thom. art. 3. huius quæst. & quæst. 16. de malo art. 3.

Isai. 14. D. Augusti. Ambros. Chrysost. Isidor. D. Thom.

Non fuit appetitus beatitudinis dæmonis habendæ independenter.

CONCLVSIO 3. *Deitatis similitudo expetita à dæmone per primum peccatum, non est beatitudo eiusdem supernaturalis consequenda independenter à quolibet alio, vt volunt aliqui:* contendunt enim dæmonem primo suo peccato voluisse esse beatum illo eodem modo quo Deus beatus est; vnde vti Deus beatus est independenter, à quolibet alio, ità putant dæmonem voluisse esse beatum beatitate supernaturali, sinè vllo dono ordinis supernaturalis.

Probatur autem Conclusio. Primùm, quia non potuit dæmon expetere beatitudinem supernaturalem independenter à quolibet alio, nisi posito isto errore in intellectu eius, nempe

quòd beatitudo ſupernaturalis obtineri poſſit ſinè vlla dependentia à Deo Opt. Max. certum enim eſt voluntatem non poſſe quidquam appetere, niſi fuerit hoc præcognitum ab intellectu; at non potuit intellectus angeli cognoſcere beatitudinem ſupernaturalem poſſe obtineri ſinè vlla dependentia à Deo Opt. Max. ratio ſiquidem naturalis dictat media & finem debere eſſe eiuſdem ordinis: ergo cùm beatitudo ſit ſupernaturalis, medium quoq; conſequendi beatitudinem iſtam debuit eſſe ſupernaturale, & conſequenter, non potuit dæmon expetere beatitudinem ſupernaturalem ſinè vlla dependentia à medio aliquo ſupernaturali.

Deinde, Scripturæ ſacræ & ſancti Patres verbis expreſſis docent, obiectum culpæ primæ angeli fuiſſe aliquid omnino varium & diuerſum à beatitudine ſupernaturali obtinenda, vt manifeſtè colligitur ex probatione Concluſ. proximè antecedentis: ergo.

Non fuit excellentia propria naturæ.

CONCLVSIO 4. *Obiectum primi peccati angelorum non eſt excellentia propria naturæ.* Hæc Concluſio eſt contra nonnullos Thomiſtas, vt & proximè comprobata, & quodammodo contra ſanctum Thom. art. 3. huius quæſt. in corpore articuli. Vt autem hæc pleniùs intelligantur

Notabile.

Aduertendum eſt, authores iſtos in ea eſſe ſententia vt credant angelum in 2. inſtanti ſuæ creationis cogitaſſe de propria natura, & de qualibet alia re creata, deprehendiſſéque ſuam naturam multis partibus eſſe nobiliorem, quacumque alia re creata, nihilque de ſubiectione ſui cogitaſſe reſpectu diuinæ eſſentiæ, ſed voluiſſe à nullo planè dependere, quemadmodum neque diuina natura ab vllo alio pendet. In hoc ergo reputant iſti poſitam eſſe ſimilitudinem Deitatis expetitæ à dæmone ſuo peccato primo.

Sed contra hæc probatur Concluſio. Primùm, Scripturæ, itémque ſancti Patres euidenter docent obiectum primæ culpæ angelorum fuiſſe aliquid nobilius & præſtantius, quàm ſit excellentia naturæ angelicæ; cùm doceant angelum voluiſſe eſſe ſimilem Deo, natura autem angelica ſpectata ſecundum omnes perfectiones naturales & comparata cum aliis rebus creatis, nec eſt, nec eſſe poteſt Deus, vt eſt per ſe notum. Deinde, non potuit angelus in 2. inſtanti ſuæ creationis ſibi perſuadere ſe non egere alicuius alterius ope, vt volunt iſti; nam quò magis angelus videbat propriam naturam, eò quoque magis deprehendebat eam eſſe creatam: ac proinde pendere in eſſe, fieri, & conſeruari à ſuo authore. Tertiò, Lucifer traxit ceteros angelos in ſuam ſententiam, & ex conſequenti, medio aliquo euidente, vel certè quàm maximè probabili, vt colligitur ex cap. 12. Apocal. dicitur enim illic primum angelum traxiſſe ſecum tertiam partem ſtellarum, id eſt, angelorum; at medium quo vſus eſt primus angelus in perdendis ceteris angelis, non potuit eſſe motiuum propriæ excellentiæ, ea ratione qua vult prædicta ſententia cùm clarè reliqui viderent illius impoſſibilitatem: igitur &c.

Obiectum peccati Angeli fuit appetitus vnionis hypoſtaticæ.

CONCLVSIO VLTIMA. *Obiectum culpæ primæ Angeli cenſetur eſſe vnio hypoſtatica cum natura Angelica; ac proinde ſimilitudo diuinitatis expetita ab Angelis eſt vnio hypoſtatica.*

Notabile 1.

Aduerte, Deum in primo inſtanti creationis angelorum reuelaſſe, futurum aliquando vt Verbum diuinum vniretur humanæ naturæ hypoſtaticè, & præcepiſſe omnibus & ſingulis angelis, vt Chriſtum verum Deum & hominem adorarent, vt manifeſtè colligitur ex illo Dauid. Pſal. 96. *Adorate eum omnes Angeli eius*, locus enim iſte explicatur à Paulo Hebræor. 1. *Et cùm iterum introduxit primogenitum in orbem terræ dicit; Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Pſal. 96. verſ. 8. Hebræ. 1. verſ. 6.

Deinde, Chriſtus cenſetur eſſe caput hominum, & angelorum; imò ſunt qui putent omnem gratiam, & gloriam, quæ datur in angelis & hominibus, aut quæ data fuit, repetendam eſſe ex meritis Chriſti.

Tertiò, Apocal. 12. dicitur Michaël cum dæmone decertaſſe cum dæmone, & de iſto triumphaſſe ceterum in ſanguine Agni, id eſt, Chriſti.

Denique, fides, ſpes, & charitas, fuerunt in angelis omnibus in primo inſtanti creationis eorumdem, & ideò cùm fides faciat vt rebus à Deo reuelatis aſſentiamur, & vt debitum cultum Deo perſoluamus, angeli ex dictamine fidei debuerunt exhibere Chriſto cultum latriæ, cùm ſit hic verus Deus, & verus homo; at cognitio iſta verè fuit in omni angelo in primo inſtanti ſuæ creationis: ergo per reuelationem.

Notabile 2.

Aduerte 2. angelos malos in 2. inſtanti ſuæ creationis contemplatos fuiſſe propriam naturam & item humanam, ac iudicaſſe magis conueniens eſſe diuinam naturam, vel potiùs Verbum diuinum vniri naturę angelicę, quàm humanæ; eſt enim natura angelica multis partibus perfectior.

His ità conſtitutis, probatur Concluſio à nonnullis. Primùm, ex D. Bernardo ſerm. 17. in Cantica, & ſerm. 2. de Octaua Paſch. & ſerm. 1. de Aduentu. Ceterùm minùs rectè, tantùm enim ait iſtis in locis, ideò incarnatum eſſe filium Dei, qui eſt ſapientia Patris, quia homo & angelus peccauerunt expetendo æqualitatem ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; non meminit autem appetitionis vnionis hypoſtaticę. Bernard.

Sunt etiam qui Concluſionem probent ex Cyprian. in opuſcul. de zelo & inuidia, & ex Irenæo lib. 4. aduersùs hæreſes cap. 78. & ex Baſilio ſermo. de inuidia. Ceterùm minùs bene; nam vt obſeruat Vazq. diſp. 235. huius part. tantùm docent angelum primum, nedum peccaſſe peccato ſuperbiæ, ſed inuidiæ contra Chriſtum; & contra hominem, nihilque habent de deſiderio vnionis hypoſtaticæ reſpectu primi angeli.

Rationes pro Cõcluſione.

Probatur ergo rationibus: Prima. Ex doctrina Patrum & omnium planè Theologorum, angelus primo ſuo peccato voluit eſſe Deus, vt manifeſtè etiam probatur ex cap. 14. Iſaï. & 28. Ezech. at non potuit angelus meliori modo eſſe Deus quàm per vnionem hypoſtaticam alicuius ſuppoſiti diuini cum ſua natura; ità enim fuiſſet verè Deus, quemadmodum & humana natura aſſumpta à Verbo, verè Deus eſt, vt docet fides Catholica: ergo.

Deinde, authores Concluſionis proximè antecedentis, ideò volunt angelum expetiuiſſe ſimilitudinem deitatis, quòd noluerit hic alicui alteri ſubiici, ſeu, quod idem eſt, ab vllo alio pendere, ſed omnia ſibi ſubiici; at non potuit angelus faciliori ratione hæc duo obtinere quàm per vnionem hypoſtaticam: eam ob rem enim ſubiiciuntur omnia Chriſto, quatenus homo eſt, Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Eſt etiam humana Chriſti natura quaſi independens à quolibet alio, propter eamdem vnionem hypoſtaticam cum Verbo diuino, quia Verbum eſt independens à quocumque alio. Denique, hæc Matth. 28.

Digitized by Google

Concluſio paucioribus implicatur difficultatibus quàm vlla alia ex his quæ defenduntur ab authoribus contrariæ ſententiæ.

Obiectio. Obiicies, ſi ità res haberet, ſequeretur angelos non peccaſſe expetendo vnionem hypoſtaticam, cùm nemo peccet expetendo bonum.

Solutio. Reſpond. negando illationem maioris: ad probationem autem neminem peccare expetendo bonum, ſi id faciat debitè, & vt oportet; angeli autem expoſtularunt vnionem hypoſtaticam, contra decretum diuinum de vnione hyoſtatica, futura tantùm cum humana natura, & præterea ex inuidia contra hominem concepta.

Replica. Inſtabis, non potuiſſe dæmonem expetere vnionem hypoſtaticam, niſi deſiderando quoque deſtructionem ſui ipſius; non enim poteſt ſubſiſtentia increata ſtare cum ſubſiſtentia creata, vt docetur in tractat. de incarnatione.

Diſſoluitur. Reſp. dæmonem expetiuiſſe deſtructionem propriæ ſubſiſtentiæ quando deſiderauit vnionem hypoſtaticam, non quidem per ſe, ſed tantùm per accidens, idque propter cauſam proximè explicatam in obiectione: per ſe enim deſiderauit tantùm vnionem hypoſtaticam, quòd ſubſiſtere ſubſiſtentia increata ſit multis partibus perfectius, quàm ſubſiſtere ſubſiſtentia creata.

Replica 2. Vrgebis, ſaltem concedendum erit dæmonem peccaſſe peccato inuidiæ, non autem ſuperbiæ expetendo vnionem hypoſtaticam.

Enervatur. Reſp. hoc eſſe verum conſequenter tantùm; antecedenter ſiquidem & primò peccauit peccato ſuperbiæ angelus; concomitanter verò, vel potius conſequenter peccato inuidiæ, moleſtè quippe tulit vnionem hypoſtaticam futuram cum humana natura, & non cum propria, quæ tamen multò nobilior eſt illa.

Vazq. obiectio. Obiicit Vazq. diſp. citata: Vnio hypoſtatica cum humana natura eſt poſterior peccato angelorum, & hominum; docent enim cum ſancto Tho. communiter Theologi, incarnationem non eſſe futuram Adamo non peccante: ergo obiectum peccati angeli non potuit eſſe appetitus vnionis hypoſtaticæ.

Soluitur. Reſp. in doctrina Scotiſtarum obiectionem iſtam nihil dicere, cùm doceant diuinum Verbum incarnandum, eſto non peccaſſet primus parens.

Reſp. 2. in præſcientia diuina peccatum hominis & angeli prius eſſe incarnatione Verbi diuini; in prouidentia tamen Dei, incarnatio Verbi diuini prior eſt peccato primorum parentum, & angelorum: eſt enim Chriſtus primus omnium prædeſtinatorum reſpectu naturæ humanæ & angelicæ; propter hanc quippe cauſam cenſetur eſſe caput hominum & angelorum, vnde & potuit angelus peccare expetendo vnionem illam. In hac Concluſione ſunt verbis conceptis Iacobus noſter de Valent. in Pſal. 81. 93. & 102. Viguerius in inſtitutionibus Theologicis, parte 2. Ambroſ. Catharin. ad cap. 3. Geneſ. & opuſculo de eximia Chriſti prædeſtinat. & opuſcul. de angelorum bonorum gloria, & malorum lapſu: eamdem credunt quàm maximè probabilem Vazq. aliique multi recentiores.

DVBITATIO VLTIMA.

An Angelus peccauerit in primo inſtanti ſuæ creationis, aut in aliquo alio.

Nemo peccauit in primo inſtanti. D. Thom.

Conclvsio 1. *Nemo ex Angelis peccauit in primo inſtanti ſuæ creationis.* Ità D. Tho. art. 5. huius quæſt.

Deinde, diximus omnes angelos fuiſſe creatos in gratia.

Tertiò, omnes angeli dilexerunt Deum dilectione naturali in primo inſtanti ſuæ creationis.

Denique, ità docent Patres communiter.

Peccauit angelus ſupremus in 2. inſtanti ſuæ creationis.

Conclvsio 2. *Angelus ſupremus peccauit in 2. inſtanti ſuæ creationis.*

Aduerte, nomine inſtantis 2. à creatione angeli, non ſignificari à nobis hoc loco inſtans temporis continui, ſed tantùm diſcreti; actiones ſiquidem angelorum menſurantur, non tempore noſtro, ex communi doctrina, ſed tempore diſcreto, quod conſurgit ex multis inſtantibus diſcretis. Ità ſanctus Thom. & interpretes eiuſdem art. 5. huius quæſt. Accedit quòd boni angeli meruerunt perfectè & completè ſuam beatitudinem in 2. inſtanti ſuæ creationis, & in 3. donati fuerunt eadem: ergo mali etiam angeli meruerunt in 2. inſtanti pœnas æternas, & eaſdem in tertio ſunt experti.

Potuerunt peccare in primo inſtanti ſuæ creationis.

Conclvsio 3. *Angeli potuerunt peccare in primo inſtanti ſuæ creationis.* Primùm, quia ad hoc vt aliquis peccet ſatis eſt ſtatus viæ, libertas, præſentia obiecti illiciti, & determinatio voluntatis, circa huiuſmodi obiectum: atqui hæc omnia potuerunt eſſe in angelis reſpectu primi inſtantis creationis eorumdem; nam fuerunt tunc verè viatores, liberi, & potuerunt ſe determinare ad obiectum aliquod acceptandum, vel non acceptandum: ergo &c. potuerunt deinde mereri in primo inſtanti ſuę creationis, cùm habuerint omnia neceſſaria ad meritum; imò ſunt qui putent angelos bonos meruiſſe, ceterum imperfectè in primo inſtanti ſuæ creationis: ergo potuerunt etiam demereri; non enim plura, imò neque tot ſunt neceſſaria ad demerendum quàm ad merendum.

Obiectio. Obiicies cum authoribus contrariæ ſententię, angelos fuiſſe creatos in gratia: ergo non potuerunt peccare in primo inſtanti ſuę creationis, gratia namque & peccatum opponuntur.

Solutio. Reſp. conceſſo anteced. nego conſecutionem, ad probationem autem, gratiam & peccatum mortale opponi de lege communi tantum, non autem ex ſe, & ſua natura, vt probabitur multis in tractatione de gratia.

Replica. Inſtabis, ex doctrina ſancti Thom. art. 5. huius quæſt. actio quæ eſt ſimul cum natura, nedum eſt à natura creata, ſed etiam ab authore naturæ; at fieri nequit vt Deus peccet: ergo neque angelus in primo inſtanti potuit peccare.

Diſſoluitur. Reſp. propoſitionem maiorem veram eſſe in agentibus neceſſariis, non autem in liberis: angelus autem agit liberè nedum in 2. inſtanti ſuæ creationis, ſed etiam in primo.

Replica 2. Vrgebis, conſultationem, ſeu deliberationem neceſſariam eſſe ad hoc vt peccet; at non potuit angelus in primo inſtanti ſuę creationis deliberare de agendis: ergo neque peccare.

Impugnatur. Reſp. propoſitionem maiorem eſſe falſam: diximus ſiquidem angelos vnico intuitu ſimplici, inte l-

intelligere illud omne, quod intelligunt: ac proinde non discurrere saltem in inuestigandis rebus naturalibus, & consequenter possunt etiam angeli nulla præmissa consultatione de rebus agendis, vel bene vel malè operari. A

Denique probatur Conclusio. Peccarunt angeli de facto in 2. instanti suæ creationis: ergo potuerunt idem in primo, nam tam verè instans primum, fuit instans, quàm 2. & illa eadem fuerunt in angelo in primo instanti, quæ in 2. respectu potestatis operandi, vel non operandi bene, vel malè.

Supremus Angelus peccauit. Aduerte, angelum qui peccauit fuisse supremum omnium, vt docet D. Thom. art.7. huius quæst. & communiter discipuli eiusdem ibidem: imò hoc videtur colligi ex cap. 14. Isaï. & 28. Ezech. neque refert Damascenum secus sentire, ait enim in lib. de fide eos minùs bene sentire de prouidentia Dei, qui docent supremum omnium angelorum peccasse, nam præter proximè dicta habemus ceteros Patres vindices, & assertores doctrinæ sancti Thomę. B

Supremus Angelus fuit occasio aliis peccandi. Obseruandum est etiam, supremum angelum præbuisse occasionem peccandi ceteris angelis, & extitisse causam peccandi in illis omnibus qui peccauerunt, vt colligitur ex cap. 12. Apocal. dicitur enim illic dæmonem cum suis decertasse contra Michaëlem, & Draconem traxisse secum tertiam partem stellarum: & alibi dicitur de primo angelo qui peccauit, suo peccato perdidisse terram suam, & occidisse populum suum. Ità D. Thom. art.8. huius quæstionis. C D. Thom.

Aduerte denique, extare inter Theologos qui putent angelos malos permansisse in gratia, & charitate, per sex integros dies nostri temporis. Alij verò docent perseuerasse in gratia ad duos dies. Alij denique, ad vnum tantùm.

Imaginaria opiniones quorundã emanescunt. Cetertùm, nulla ex istis opinionibus videtur probabilis, tantùm abest vt aliqua sit vera; nam si angeli mali perseuerassent tanto tempore in gratia & charitate supernaturali, procul dubio se conuertissent in Deum tanquam in vltimum finem supernaturalem, non enim extitisset in illis vllum impedimentum, quominùs conuerterentur, vnde & fuissent consecuti beatitudinem æternam, sicut & boni angeli; sed de istis vide interpretes sancti Thom. ad art.5. & 7. huius quæst. D

QVÆSTIO LXIV.

De pœnis Angelorum.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. intellectum angeli retinere illam eamdem cognitionem post peccatũ, quam habuit antea, si sermo sit de cognitione naturali; cognitionem tamen supernaturalem contendit aut esse imminutam, aut certè omnino extinctam post peccatum in angelis. E

ARTICVLO 2. docet voluntatem angeli mali obstinatam esse circa malum, ità vt ab eo retilire nequeat. Circa istos duos Articulo sit

DVBITATIO PRIMA.

An detur eadem cognitio in Angelis nunc, quæ fuit ante peccatum in eisdem.

CONCLVSIO 1. *Cognitio naturalis eadem prorsus est nunc in angelis quæ fuit ante peccatum.* Primùm, quia angelus intelligit illud eo ne quod intelligit naturaliter per species concreatas, & quidem vnico intuitu: species autem istæ se habent nunc in angelis eodem planè modo, quo ante peccatum. *Non est mutata cognitio naturalis Angelorũ.*

Deinde, naturalia remanserunt illa sa in dæmonibus, ex doctrina sancti Thom. art. 1. huius quæst. ergo eamdem retinent cognitionem naturalem quam antea.

CONCLVSIO 2. *Cognitio quorumdam mysteriorum fidei perseuerauit in dæmonibus, hoc est post eorumdem peccatum:* dicitur enim de illis apud Iacobum, quòd credant & contremiscant. *Permansit aliquorum mysteriorũ cognitio post peccatum.*

Deinde, ex cap.3. Genes. colligitur mysterium incarnationis innotuisse dæmonibus; ità enim refert illic Moyses Deum alloquutum fuisse serpentem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuũ & semen illius: & ipsa conteret caput tuum.* Genes.3. vers. 15.

Tertiò, Dæmones longè faciliori ratione assequuntur Scripturas quàm faciat vllus planè mortalium: ergo permansit aliqualis mysteriorum cognitio.

CONCLVSIO VLTIMA *Cognitio ista non est dicenda absolutè supernaturalis sed tantum secundum quid, nempe ratione sui obiecti:* propter hanc enim causam dicitur de Dæmone quòd suo peccato perdiderit suam sapientiam, Ezech.28. Imò non desunt qui putent eam ob rem dæmones nuncupari tenebras, aut incolere tenebras, Ephes. cap. 6. *Aduersùs mundi rectores tenebrarum harum.* Demum cognitio illa censetur esse absolutè & simpliciter supernaturalis, quæ nedum versatur, circa obiectum aliquod supernaturale, sed etiam tendit in huiusmodi obiectum, medio aliquo supernaturali; at dæmones non tendunt in res istas supernaturales, quas ex hypothesi cognoscunt per medium aliquod supernaturale; cum nullum detur in istis auxilium ordinis supernaturalis: ergo huiusmodi cognitio non erit supernaturalis. *Cognitio mysteriorũ in dæmone non dicenda supernaturalis.* Ephes. 6. vers. 12.

DVBITATIO SECVNDA.

An Dæmones possint resipiscere à peccatis commissis; & si non possint, vnde tanta obstinatio in illis circa peccata commissa.

CONCLVSIO 1. *Dæmones non possunt resipiscere à peccatis commissis.* Primùm, quia repugnat, saltem de lege communi, vt aliquis experiatur pœnas æternas, & quòd resipiscat à peccatis illis propter quæ torquetur; tota enim ratio cur aliquis crucietur in inferno perpetuò hæc assignatur communiter ex Gregorio: Quia, inquit, ad æquitatem iusti iudicij Dei pertinet, vt is nusquam careat pœna, qui nusquam voluit carere culpa. *Non possunt penitere dæmones.*

Deinde, pœna æterna præsupponit simpliciter culpam mortalem, atqui dæmones torquẽtur pœnis æternis, ex illo Apocalyps 20. *Bestia & pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Apoc. 20. vers. 10.

Digitized by Google

Denique, reſipiſcere à peccatis dicit diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem obtinendam, ex communi doctrina; imò ſunt qui dicant perfectam reſipiſcentiam eſſe diſpoſitionem ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans: at dæmones non poſſunt iuſtificari à peccato commiſſo, quia ſunt extra viam, ergo neque poſſunt etiam reſipiſcere à peccatis commiſſis.

Negnenm aliquod bonum opus producere dæmones.

Conclvsio 2. *Dæmones nedum non poſſunt reſipiſcere à peccatis, ſed neque vllum planè bonum actum moralem exequuntur.* Primùm, quia qui peccant in omni opere quod exequuntur, illi nullum planè bonum morale exercent; repugnat enim eſſe peccatum & bonum opus, cùm bonum ex qualibet circumſtantia rectæ rationis conſurgat, malum autem ex quolibet defectu: at dæmones in omni actione quam exercent verè peccant; eſt enim hæc actio, quæcumque illa ſit, connuncta cum odio Dei, vt colligunt Doctores ex illo Pſal. 73. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*: ergo dæmones ſemper manent in peccato. Confirmatur hæc minor, ex doctrina authoris lib. de fide ad Petrum, vbi ait dæmones non poſſe carere mala voluntate.

Pſal. 73. verſ. 23.

Deinde, bonitas moralis præſupponit intrinſecè circumſtantiã vltimi finis, ſi non formaliter, & expreſsè, ſaltem virtute, ex tractatu de actibus humanis: at nulla datur, nec dari poteſt de lege communi actio in dæmonibus, quæ habeat adiunctam circumſtantiam vltimi finis expreſsè vel poteſtate; nam operantur iſti illud omne, quod agunt ex odio Dei: cùm enim pœnas æternas ſemper ſuſtineant, ſemper etiam oderunt Deum, qui exigit huiuſmodi pœnas optaréntque non eſſe Deum, vt pœnę iſtæ terminarentur in illis.

Obiectio.

Dices, dæmones poſſe dolere de peccatis commiſſis propter pœnas eiſdem conſtitutas: at actus iſte cenſetur eſſe bonus ad minus moraliter, vt manifeſtè docet Concil. Trident. ſeſſ. 14. can. 5. vbi dicitur dolere, de peccatis propter pœnas non eſſe rem malam.

Concil. Trident.

Solutio

Reſpond. dæmones vitiare ſemper actum iſtum odio quo feruntur erga Deum; hoc enim nuſquam intermittitur in illis.

Conclvsio 3. *Obſtinatio dæmonum circa peccata commiſſa non eſt repetenda ex eo quod adhæreant iſtis immobiliter rebus quibuſuis à ſe volitis, vt docet ſanctus Thom. art 2. huius quæſt. & Thomiſt. communiter ibidem.* Primùm, quia ſaltem eſt angelos bonos vel malos adhærere immobiliter rebus volitis, excepta tamen volitione, qua beati angeli amant diuinam eſſentiam clarè, & vt in ſe eſt viſam: ergo.

D. Thom.

Deinde, nulla res creata, quæcumque illa ſit, poteſt neceſſitare voluntatem angeli boni vel mali, vt adhæreat ei immobiliter: eſt enim voluntas omnis huiuſmodi libera, ſaltem libertate contradictionis reſpectu cuiuſlibet mali.

Poſtremò, poſſunt angeli tranſire ab intellectione vnius rei ad aliam; diximus enim angelos non intelligere omnia ſimul, ſed ſucceſſiuè, ergo poſſunt etiam tranſire à volitione vnius rei, ad aliam; voluntas namque poteſt illud omne velle, quod poteſt intellectus cogitare, & conſequenter intermittere ſuas volitiones, etſi voluntas illa ſit damnata propter libertatem contradictionis, qua poteſt velle hoc malum, vel illud.

Denique, dæmones ſollicitarunt Iudæos, vt perderent Chriſtum, & eſt indubitatum poſtea monuiſſe eoſdem, vt abſtinerent à morte Chriſti, hoc enim videtur colligi ex verbis iſtis vxoris Pilati, Matth. 27. *Nihil tibi & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum*: ſignum igitur eſt non adhærere immobiliter obiectis quæ exſecutant. Matth. 27. verſ. 19.

Conclvsio vltima. *Obſtinatio dæmonum circa malum, refundenda videtur in ſubtractionem auxily efficacis.* Primùm, quia obſtinatio dæmonum eſt detumenda, vel ex qualitate aliqua producta in dæmonibus, per quam neceſſitantur circa malum, vel ex odio aliquo inſito voluntati dæmonum, vel ex immobilitate voluntatis eorumdem circa volita, vel denique ex negatione auxilij efficacis neceſſarij ad vitandum huiuſmodi malum: at 1. & 2. dici nullo modo poſſunt: nam ſi ità res haberet, cùm qualitas iſta & item actus odij ſint entitates aliquæ veræ & reales, Deus eſſet author obſtinationis iſtius in dæmonibus: conuenit enim inter omnes quamlibet entitatem veram & phyſicam eſſe magis à Deo, quàm ab vlla planè re creata; at Deus non eſt author obſtinationis dæmonum circa malum, vt poſtea probabitur: ergo. Neque item 3. dici poteſt, vt conſtat ex Concluſione proximè probata, ſupereſt ergo vt dicatur vltimum.

Obſtinati dæmones ob defectum auxily efficacis.

3.

Tertiò, auxilia ſufficientia, & efficacia neceſſaria ad vltimum finem obtinendum, dantur à Deo, ſolis exiſtentibus in via; ordinátur enim iſta ex ſe, vel ex Dei lege tantùm ad vitam æternam obtinendam: ergo cùm dæmones ſint extra ſtatum viæ, & iſtis concedat Deus auxilia ſufficientia, eorum obſtinatio videtur repetenda ex ſubtractione auxilij efficacis: etenim ſi Deus concederet illis auxilia efficacia, cùm doleant & triſtentur de peccatis commiſſis, ex doctrina Patrum, haud dubiè reſurgerent à peccatis.

Obiectio.

Dices, ſi ità res haberet, ſequeretur Deum eſſe authorem obdurationis dæmonum circa malum; vitarent enim iſti peccata ſi adeſſet auxilium efficax neceſſariũ ſimpliciter ad vitanda iſta peccata.

Solutio.

Reſp. non eſſe concedendum vſpiam abſolutè, & ſimpliciter, Deum eſſe authorem obſtinationis dæmonum circa mala; eadem quippe ratione Deus eſt author obſtinationis damnatorum omnium, & dæmonum; at Deus non eſt author abſolutè & ſimpliciter loquendo damnationis hominum, neque obſtinationis eorumdem; dicit enim Ozeæ 13. *Perditio tua ex te Iſraël tantummodo in me auxilium tuum.* Deinde, obſtinationis cauſa hominum damnatorum, & dæmonum cenſetur eſſe culpa mortalis finalis admiſſa in ſtatu viæ, cùm propter hanc adiudicauerit Deus homines, & angelos pœnis æternis; & propter hanc eamdẽ culpam finalem mortalem, negat Deus auxilia efficacia damnatis hominibus & dæmonibus, ex communi doctrina.

Ozeę 13. verſ. 10.

Replica.

Dices, ſaltem colligi ex iſtis dæmones non peccare acceptando mala aliqua de nouo; nemo ſiquidem peccat in his quæ vitare non poteſt.

Diſſoluitur.

Reſp. negando illationem maioris: ad probationem autem, dæmonem habere præſentiſſimum auxilium ſufficiens, cum quo, abſolutè & ſimpliciter loquendo, poteſt vitare quodlibet peccatum; de facto tamen non vitabit: quia licèt auxilium hoc ſit ſufficiens ad declinandum quodlibet peccatum, nuſquam tamen ſortitur ſuos effectus, propter depraua tam voluntatem quæ non vult acceptare huiuſmodi auxilia ſufficientia, vnde tota culpa non in Deum, aut in auxilium, ſed in dæmonem ipſum, eſt refundenda. Non eſt tamen negan-

Digitized by Google

negandum, quin aliqua ratione poſſit Deus dici author obſtinationis dæmonum circa malum, nempe conſequenter; quatenus ſcilicet propter peccata aliàs commiſſa, & propter adeptionem damnationis negat Deus auxilia efficacia, quæ ſi conferret dæmonibus abſtinerent ſinè dubio ab omni peccato. Confirmatur hoc ex illo communiſſimo axiomate D. Auguſtini, Deus eſt cauſa obdurationis & cæcitatis, non quidem obdurationem & cæcitatem producendo, ſed tantùm gratiam ſubtrahendo, intellige efficacem, non enim vnquam ſubtrahit ſufficientem.

In dæmonibus datur dolor.

ARTICVLO 3. docet in dæmonibus dari dolorem, de qua re vix poteſt eſſe difficultas aliqua; dolor quippe ſemper coniungitur cum pœna, præſertim quando pœna ſubſequitur culpam propriam: at dæmones experiuntur pœnas acerbiſſimas apud inferos, vt probabitur artic. ſequente, & manifeſtè colligitur ex eo quòd priuatio beatitudinis æternę, propter peccata commiſſa, nequeat ſeparari à ſua pœna, dæmones autem priuantur beatitudine æterna propter peccata ab ipſis commiſſa. Denique, dolor cenſetur eſſe paſſio nata in voluntate ex abſentia boni conuenientis, & præſentia mali diſconuenientis; at diximus beatitudinem abeſſe à dæmonibus propter peccatum ab iiſdem commiſſum: certum eſt etiam dari in dæmonibus qualitatem aliquam productam ab igne inferni, à qua torquentur ſupra modum, vt probabitur: ergo dabitur in eiſdem dolor.

Obiectio.

Dices, dolorem eſſe paſſionem appetitus ſenſilis: ergo non dabitur in dæmonibus, cùm careant omni planè ſenſu externo.

Solutio.

Reſp. negando antecedés; dolor enim ſequitur nedũ appetitũ ſenſilem, qui datur in animalibus, ſed voluntatem ſeu appetitum rationalem; in dæmonibus autem admittitur appetitus hic rationalis, omnium conſenſu.

Nulla delectatio in dæmonibus.

Datur autem tantus dolor in dæmonibus, vt nullam planè experiantur delectationem, neque gaudium vllum; delectatio ſiquidem nequit ſtare cum ſumma infelicitate, & miſeria; in dæmonibus autem datur ſumma infelicitas, & miſeria ex priuatione viſionis eſſentię diuinę ob peccata commiſſa, & propter pœnam quam patiuntur ab igne ſenſili.

A cap. 55. *Nobis inferi, non nuda cauoſitas, nec ſubdualis aliqua mundi ſentina creduntur; ſed in foſſa terræ, & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus eius abſtruſa profunditas.* & de reſurr. carnis, cap. 17. *Nam & nunc animas torqueri, foueriquę penès inferos, licèt nudas, licèt adhuc exules carnis probauit Lazari exemplum.* D. Auguſtini de Geneſ. ad litter. 12. cap. 32. *Pœnalia loca ſæpe demonſtrata ſunt iis qui rapti ſunt à corporis ſenſibus, & mortuis ſimiles iacuerunt, & infernales pœnas viderunt.* D. Auguſt.

Denique, datur certus aliquis locus in quo angeli & beatorum animæ recipiuntur: ergo dabitur etiam locus in quo dæmones & homines damnati torquebuntur: ſed de hac materia ex profeſſo agetur ad 3. part. tractat. de indulgentiis, quæſt. 5. parte 2.

Obiectio.

Dices, docuiſſe nos, angelos non eſſe in loco, niſi per operationem tranſeuntem.

Solutio.

Reſp. dæmones non agere in inferno tanquam in loco ſibi proprio, ſed tantùm vt in loco communi; illo eodem modo quo piſces dicuntur eſſe in mari, aues in aëre, & denique animalia in terra.

Dæmones cruciantur à vero igne.

Secundò, ſtatuendum eſt dæmones cruciari ab igne vero & elementari, qui exiſtit in inferno, dicitur enim Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo,* &c. & Apocal. 20. dicitur de dæmonibus: *Vbi beſtia & pſeudoprophęta cruciabuntur in ſecula ſeculorum.* & quidem medio igne, vt colligitur ex illo Iſaï. vltimo. *Et ignis eorum non extinguetur.* Confirmatur hoc ex cap. 16. Luc. vbi dicitur ab anima diuitis epulonis, *Crucior in hac flamma*, & apud Matth. dicitur, *Mittite in gehennam ignis inextinguibilis.* Subſcribunt Patres D. Auguſt. lib. 21. de Ciuitate, cap. 10. *Adhærebunt ergo ſpiritus dæmonum, imò ſpiritus dæmones, licèt incorporei corporeis ignibus cruciandi.* Gregor. lib. 4. dialogorum, cap. 29. *Sic fit, vt res corporea incorporeum exurat, dum ex igne viſibili ardor ac dolor inuiſibilis trahitur, & per ignem corporeum, mens incorporea etiam corporea flamma cruciatur.* Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. Proſper Aquitanicus lib. 3. de vita contemplatiua. Iſaï. vlt. verſ. 24. Luc. 16. verſ. 24. Matth. 18. verſ. 9. D. Auguſt. Gregor. Clem. Ale. Proſper.

Accedit ratio: non eſt magis abſurdum dæmones torqueri ab igne elementari exiſtente in inferno, quàm animas noſtras ſanctificari mediis ſacramentis; tam enim verè ſunt ſacramenta ſenſilia & corporea, quàm ſit ignis inferni: at de fide eſt ſacramenta nouæ legis ſanctificare animas noſtras, ac etiam agere in illas (neque enim ſanctificatio hæc fieri poteſt niſi dependenter ab aliqua actione morali vel phyſica producta à ſacramentis) ergo & ignis quoque inferni aget in dæmones eoſdem torquendo.

Obiectio.

Dices, ignem non poſſe ſubſiſtere ſinè pabulo, vt conſtat experientia quotidiana, nullum autem datur pabulum in viſceribus terrę quo ſuſtineatur ignis inferni.

Solutio.

Reſp. propoſitionem maiorem eſſe tantùm veram de noſtro igne; ignis enim conſtitutus in propria ſphæra caret materia ex qua de nouo producatur, vel media qua ſuſtineatur: quid igitur mirum ſi hunc eumdem ignem, vel aliquam eius partem conſeruet Deus alibi ſinè vllo pabulo?

Moralè efficientiam ignis aſtruunt quidam.

Eſt autem grauis difficultas inter Theologos, qua ratione ignis iſte torqueat dæmones conſtitutos in inferis.

Sunt qui putent id præſtare moraliter tantùm, hoc ſcilicèt nomine, quòd dæmones contineantur

ARTICVLVS QVARTVS.

An aër iſte ſit locus pœnalis dæmonum.

Locus ſubterraneus receptaculũ Dæmonum.

CIRCA hunc Articulum primò conſtituendum eſt extare certum aliquem locum ſubterraneum, in quo recepti ſũt omnes omnino dæmones, vèl certè recipientur aliquando, qui vulgò nuncupatur infernus: nam idem eſt planè receptaculum dæmonum, & hominum damnatorum, vt colligi videtur ex illo Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius:* at homines damnati recipiuntur in aliquo loco ſubterraneo, vt manifeſtè dicitur Numer. 16. de Core, Dathan & Abiron, *Deſcenderunt in infernum viui, operti humo*, & ex cap. 16. Luc. *Mortuus eſt diues & ſepultus eſt in inferno.*

Matth. 25. verſ. 41.

Nume. 16. verſ. 24. Luc. 16. verſ. 22.

Origen. Tertull.

Deinde, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, Origen. homil. 9. in Leuit. Tertull. lib. de anima,

Digitized by Google

illic ab igne, contra propriam voluntatem, & quod concipiant illum ignem perpetuò, quasi rem aliquam sibi quàm maximè contrariam, & nocuam. Probant 1. quia hæc est expressa Greg. Ma. sententia Gregor. Mag. lib. 4. Moral. cap 29. & D. Augusti. D. Augustini cap. 10. lib. 21. de Ciuitat. Torquentur, inquit, dæmones ab igne corporeo, ceterum mitis modis.

2. Deinde, fieri nequit, vt aliquid assumatur tanquam instrumentum physicum ad producendum effectum causæ principalis, nisi habeat in se virtutem sibi connaturalem, per quam possit effectum causæ magis principalis attingere, nequo enim potest manus v.g. hominis assumi ad videndum propriè, & formaliter loquendo à Deo Opt. Max. bene tamen oculus aut intellectus; at nulla planè datur vis connaturalis in igne, per quam possit attingere dolores & cruciatus qui dantur in dæmonibus, vindicante Deo eorum peccata, vt manifestè colligitur ex eo, quòd dæmones sint incorporei; ignis verò inferni corporeus: ergo non poterit ignis esse causa physica instrumentalis cruciatus dæmonum.

3. Tertiò, inferni ignis eodē planè modo torquet omnes omnino dæmones: sed qui versantur in aëre isto caliginoso, ab eo tempore quo peccarunt non possunt torqueri physicè ab eo; desideratur enim contactus physicus inter id quod agit, & patitur physicè, qualis tamen nullus datur inter ignem inferni, & dæmones constitutos in aëre tenebroso, vt est per se notum.

4. Postremò, forma mente cōcepta non minùs nocet, quàm faciat ea quę est impressa subiecto quod patitur, vt constat ex phreneticis & ex reis; plus enim cruciantur isti quando audiunt sententiam capitis prolatā à legitimo & vltimo Iudice, quàm quando eis amputatur caput: extat de hac re singulare exemplum apud Maldonatum ad hæc verba, Luc. 21. *Et factus est sudor eius quasi gutta sanguinis*: scribit enim suo tempore Parisijs accidisse vt damnato reo aliquo vltimo supplicio, statim audita sentententia cruorem emiserit per omnes & singulas corporis partes, ex horrore mortis. Luc. 21. verſ. 44.

Vlt. Denique, pœnę inferni sunt inæquales, inæqualitas autē hęc consistere nequit cum actiuitate physica ignis: ergo non agit physicè in dæmones & animas damnatorum. Hanc sententiam defendunt plerique veteres & recentiores Theologi, Cano, Bellar. Vazq. & plerique Thomistæ, licèt non eadem ratione.

Ignis physicè agit in dæmones. Secunda sententia explicatur hac vnica Conclusione. *Ignis torquet dæmones in ratione causæ efficientis physicæ, ac proinde non moraliter tantùm.* Primùm, quia Scripturę sacrę plus tribuūt igni agenti in dæmones & animas damnatas, quàm patiatur causa moralis; nam causa moralis non influit in effectum per veram efficientiam, sed tantùm consulendo, deterrendo, præcipiendo, & aliis huius generis modis; at Scripturę sacrę docent verbis expressis ignem inferni torquere, & cruciare animas, vt constat ex cap. 16. Luc. *Crucior in hac flamma*, ait anima diuitis epulonis, vbi pernenit ad infernum, & Apocal. 12. dicitur de dæmonibus: *Proiectus est draco ille magnus in stagnum ignis & sulphuris, vbi bestia*, &c. ergo cùm hæc significent verum & realem aliquem influxum ignis in dæmones, cruciantur isti ab igne inferni physicè, minimè verò moraliter tantum. Apoca 12. verſ. 8.

2. Subscribunt Patres, dum aiunt dæmones cruciari ab igne corporeo, nedum videndo huiusmodi ignem, aut apprehendendo, veluti sibi contrarium, sed experiendo virtutem, ità Greg. lib. 4. dialogor. cap. 29. *Quamuis*, inquit, *colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur.* & rursus paulò ante: *Igne visibili ardor, ac dolor inuisibilis trahitur, vt per ignem corporeum mens incorporea etiam corporea flamma crucietur*: & D. Augustinus lib. 21. de Ciuitat. cap. 10. *Cur*, inquit, *non dicamus etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi quamuis miris, tamen etiam veris modis, si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei possunt colligari.* Gregor. D. Augusti.

3. Tertio, humanitas Christi, itémque sacramenta nouę legis producunt gratiam in ratione causæ efficientis physicę ex veriori sententia, imò hoc videtur colligi ex verbis istis Luc. 6. *Et virtus de illo*, scilicet Christo, *exibat, & sanabat omnes*, & ex cap. 8 Luc. ità enim loquitur Christus de seipso exercendo opera miraculosa, *Noui de me exisse virtutem aliquam*: ergo & ignis inferni torquet etiam physicè animas & dæmones apud inferos. Cōfirmatur: Illud agit physicè quod per verum & realem aliquem influxum producit aliquid in dæmonibus, & animabus damnatorum: at ignis inferni producit in animabus & dæmonibus qualitatem aliquam media qua consurgit in illis summus dolor, quemadmodum & in corporibus animalium producitur medio igne qualitas aliqua realis, quæ cruciat corpora ista: ergo verè agit physicè. Ità sentiunt ex veterib. Albertus Magnus in 4. dist. 44. & plerique recentiores. Luc. 6. verſ. 19. Idem 8. verſ. 46.

Qualitas producta in dæmonibus supernaturalis. Aduerte qualitatem istam productam in dæmonibus esse supernaturalem tantùm secundum modum, minimè verè secundum substantiam: ratio prioris est, quia quod recipitur in re aliqua spirituali tanquam in subiecto, debet esse res aliqua spiritualis, ex communi doctrina: at qualitas ista recipitur in dæmonibus, & animabus damnatorum qui tamen sunt substantię spirituales: ergo. Ratio verò posterioris est, quia illud dicitur simpliciter spirituale tantùm secundum modum, quod à solo Deo producitur, veluti à causa præcipua & principali, & à creatura veluti ab instrumento, nulla prærequisita dispositione ex parte subiecti in quo recipitur huiusmodi res producta: at qualitas ista spiritualis impressa dæmonibus à solo Deo est, tanquam à causa præcipua, & principali, & ab igne inferni, tanquam ab instrumento: nam ignis relictus intrà terminos propriè naturę non posset vllatenus agere in rem spiritualem, sed id habet, quia assumitur à Deo velut instrumentum iustitię diuinę, quo Deus vlciscitur peccata dæmonum apud inferos: dicitur præterea de hac qualitate, quòd non sit simpliciter naturalis, quia naturale quodlibet perficit subiectum in quo recipitur, vel certè aptum natum est perficere; qualitas autem ista obest & nocet dæmonibus, eosque deformes reddit, illa eadem ratione, qua defectus naturales deformant corpora, & peccata animas nostras. Addunt qualitatem istam nuncupandam esse præternaturalem, idque colligunt ex proximè dictis.

Satisfit rationibus aduersariorū. Ad rationes verò contrarias. Resp. D. Gregorium & D. Augustinum nobis fauere, vt constat ex dictis.

Ad 2. ignem inferni posse agere moraliter in dæmones constitutos in media aëris regione, licèt operetur physicè circa eos qui sunt in inferno; nam 2.

Digitized by Google

nam fatentur multi Thomiſtæ cum Suare ſacramenta nouæ legis producere gratiam phyſicè quando ſunt, quando verò non ſunt moraliter.

Reſpond. 2. dæmones conſtitutos in aëre pati ab igne inferni phyſicè; ſufficit enim ad hoc, quòd qualitas prædicta producatur à Deo Opt. Max. in dæmonibus iſtis dependenter ab igne exiſtente in inferno; idem quippe dicendum eſt de hac re, quod dicemus de ſacramentis nouæ legis, in tractatione de efficientia ſacramentorum.

3. Ad 3. negando propoſitionem maiorem.

4. Ad 4. formam mente conceptam torquere, tamdiu quamdiu læſa eſt imaginatio, exiſtente errore aliquo in intellectu; in dæmonibus autem non videtur extare error aliquis, circa ignem inferni; non enim poſſunt ſibi perſuadere ignem iſtum eſſe ſibi aduerſum, niſi quia producit in eis aliquid, à quo verè infeſtantur, & moleſtantur. Deinde, cauſa phyſica ſemper operatur, manente eadem proportione circa paſſum.

Vlt. Ad vltimam, pœnas inferni ideò eſſe inæquales, quòd vtatur Deus igne veluti inſtrumento, ac proinde facit Deus vt ignis hic magis hunc quàm illum cruciet; quia plura ſunt illius quàm iſtius peccata. Atque hæc de natura Angelorum tam bonorum, quàm malorum.

A Quæſtione 65. ad 119. & vltimam huius partis agit D. Thomas de opere ſex dierum, & multis alijs, quæ à nobis & in ſcholis fere ſolent prætermitti, quia vel ex lectione ipſius D. Thom. intelliguntur, vel quia philoſophica magna ex parte ſunt, vnde & traduntur in ipſa philoſophia à profeſſoribus artium.

Circa tamen Quæſtionem 114. quæ eſt de impugnatione dæmonum in homines, vtilis erit ſequens tractatio quæ eſt de Dæmoniaco.

TRACTATVS DE DÆMONIACIS.

PROOEMIVM.

INCIDIMVS in eam ætatem, in qua tam præceps, & effusa quorumdam temeritas, & audacia, vt nedum apud se firmiter statuât nullos extare in hac naturæ vniuersitate Cacodæmones, qui corruptos, ac deprauatos mortalium mores, in hac, aut in altera vita vlciscantur; sed & impietatem tantam apud posteros, magna animorũ contentione, libris etiam typis mandatis transmittere conatur. Alij verò licèt de dæmonum existentia bene sentiant, & eosdem prauarum actionum vltores & vindices agnoscãt; ità tamen sunt faciles, & credvli, vt quamprimùm vim aliquam epilepsia, melancholiæ, aut alicuius alterius ægritudinis, non ità quibusuis de plebe notæ, inesse quibusdam deprehendunt, statim eos non solùm à dæmone agitari, sed plenissimè possideri, audacter nimium pronuncient: & quod me in hac causa anxium & solicitum tenet, decipi hac in re nedum rusticos, agrestes, & incultos homines, sed vrbanos, elegantes, & eos interdum, qui cum litterarum studio, morum probitatem & vitæ integritatem coniunxerunt. Testes occurrunt locupletissimi eorum quæ acta fuerunt anno 1599. mense Aprili in hac ciuitate Tolosana, in qua non poterant non adesse iudices, vti non defuerunt, qui de huiusmodi rebus sententiam indubitatam pronuntiarent. Placet quippe mali huius grauitatem, & turpitudinem exemplis potiùs domesticis, quàm alienis comprobare. Quamprimùm ergo iuuenis quidam non obscuro loco natus, itémque muliercula ex infima plebe deprehenduntur conuulsiones aliquas quæ suos paroxismos, & intermissiones admittebant, sustinere, rugitus, mugitus, hinnitus, grunnitus ad instar alicuius sordidissimæ suis emittere, contractiones oris, vultus, & oculorum cũ horrido quodam aspectu tolerare, statim per totam ciuitatẽ, quinimò per prouinciam Occitanam euulgatur istos non solùm dæmonum impietatem, seueritatem, & crudelitatem experiri, sed etiam ab iisdẽ occupari. Quibus nescio certè, an aliquid, aut grauius, aut deterius Reipublicę Christianę accidere queat: hinc siquidem & sacrorũ Exorcismorũ prophanatio, & augustissimi Eucharistię sacramenti, quæ tamen omnia summa Dei erga homines beneficentia in Ecclesia Catholica, tanquam arma tutissima, nedum ad dæmonum feritatem coërcendam, sed etiam ad eamdem omni ex parte reuincendam fuerunt relicta. Quocirca ne hæc & similia contingant, existimaui me rem non inutilem & ingratam facturum Reipub. Christianæ, si breuem de dæmoniacis tractatum conficerem, quem proinde maioris ordinis & lucis gratiâ in sequentes Dubitationes partiemur. Prima, Qui sint dicendi propriè dæmoniaci. 2. An aliquando fuerint veri dæmoniaci. 3. Quibus signis certò, & indubitanter dignoscendi sint dæmoniaci. 4. Quæ sint causæ propter quas patitur Deus quempiã à dæmone possideri. 5. Cuius sit, suppositâ causa ex parte hominis, efficere vt quis à dæmone possideatur. 6. Quæ mala sint, quæ patiuntur, vel pati possunt dæmoniaci. 7. An detur vis & potestas aliqua expellendi dæmones. 8. Quibus mediis curentur dæmoniaci. Vltima, An ex ligno aliquo certò possit quis affirmare dæmonem fuisse expulsum.

Partitio tractatus.

DVBI-

Digitized by Google

DVBITATIO PRIMA.

Qui dicendi ſint propriè Dæmoniaci.

Dæmoniaci illi qui dæmonem in ſe habent.

EXISTIMO *eos ſolos computandos eſſe inter dæmoniacos propriè, qui dæmonem in ſeipſis habent, quique ab eodem in proprio corpore varia & diuerſa mala patiuntur.* Duæ autem iſtæ conditiones ità ſunt ad id neceſſariæ, vt neutra earum ſeparatim ſumpta, ad dæmoniacum conſtituendum ſufficiat. Id colligitur euidenter ex Cyprian. Cypriano in epiſtola ad Donatum, & ex eodem ad Demetrianum Africę Proconſulem, ex Aurelio Prudentio de diuinitate Chriſti contra Iu- B Abulenſ. dæos, ex Abulenſi ad cap. 8. Matthæi, quæſt. 144. Petro Thyræo parte 1. cap. 2. diſputationis de dæmoniacis, Petro Loierio, Syluestro, & nonnullis aliis recentioribus, dum agunt ex profeſſo, aut de dæmonibus, aut de Magia.

Lorin. Concl. Ratio idipſum ſuadet. Prima, fidem faciunt Scripturę ſacrę Iob in proprio corpore multa mala ſuſtinuiſſe, idque opera dæmonis, idipſum conſtat de Apoſtolo Paulo cap. 12. poſterioris ad Corinth. 2. Cor. 12. verſ. 7. *Datus eſt mihi Angelus Satanæ, vt me colaphizet:* at neuter ex iſtis dici potuit dæmoniacus, ob defectum prioris conditionis neceſſarię ad dæmoniacum conſtituendum, deſideratur enim vlteriùs, quòd quis in- C trà ſeipſum dæmonem habeat.

2. Deinde, temporibus Eccleſię primitiuę quemadmodum Spiritus ſanctus deſcendebat in ſpecie viſibili in quoſcumque confirmatos, vt colligitur ex cap. 8. Actuum; ità excommunicati cruciabantur in ſpecie viſibili à dæmonibus, vt communiter docent Patres & colligitur ſatis euidenter ex cap. 5. prioris ad Corinth. & ex cap. 1. 1. Timoth. Corinthius quippe inceſtuoſus, Alexander, & Hymenæus traduntur Satanę, authoritate Pauli, vt diſcant non blaſphemare, & vt pœnas peccatis propriis debitas experiantur; nullus tamen ex iſtis dictus fuit aliquando dæmoniacus, eò quòd intrà eoſdem D dæmon ſedem & domicilium non haberet conſtitutum.

3. Tertiò, latitauit dæmon intrà diuam Magdalenam aliquando: dicitur enim Marci 16. Marc. 16. verſ. 9. *De qua ejecerat ſeptem dæmonia:* idem concedendum videtur de Iuda proditore, propter hæc Ioann. 13. verſ. 2. verba, *Cùm iam miſiſſet diabolus in cor Iudæ: vt traderet eum:* at neuter horum fuit aliquando dictus dæmoniacus quoniam nulla mala in proprio corpore à dæmone accepit.

4. Quartò, nulli familiariùs verſantur cum dæmone, magis, ſagis, & lamiis; at magi, lamię, & ſagę nunquam computatę fuerunt inter dæmoniacos: ergo vt quis dicatur propriè E dæmoniacus debet habere in ſe verè dæmonem.

Obiectio. Dices, Exorciſmos applicari ſolis dæmoniacis: ergo cùm iſti applicentur, nedum illis qui à dæmone patiuntur in corpore, ſed etiam nondum baptizatis, & nonnullis aliis rebus, inſenſibilibus, duæ prædictæ conditiones non erunt neceſſariæ ad dæmoniacum conſtituendum.

Solutio ex Cypriano. Reſpondeo, negando antecedens; conſtat enim ex Cypriano epiſt. 2. & 76. ad Magnum filium, illis omnibus exorciſmos poſſe applicari, in quibus dæmon poteſtatem aliquam habet: Certum autem eſt pueros nondum baptizatos, & item eos, qui graue peccatum aliquod commiſerint, dæmonis imperio eſſe quodammodo ſubditos vt tradit Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. cap. de peccato originali, & manifeſtè colligitur ex verbis Petri, *A quo enim* 1. Petr. 2. *quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt,* quilibet verſ. 19. autem inquente & incitante diabolo peccat & ſuperatur ab eo, ac proinde ſeruus illius efficitur. Deinde, propter hanc cauſam dicitur dæmon in ſacris litteris, princeps huius mundi, Ioannis 14. & ad Epheſ. 6. Vide de hac re Baronium tomo 1. pag. 434. editionis Romanæ.

DVBITATIO SECVNDA.

An fuerint aliquando veri Dæmoniaci.

Quorumdã placitum. SVnt qui putent nullos hactenus extitiſſe veros dæmoniacos: ità Leuinus Lemnius lib. 2. de naturæ occultis, licèt hic ab hac opinione recedere videri velit; vult enim interdum fieri poſſe, vt medio humore melancholico loquantur, qui nuſquam nauarunt operam litteris, & Græcè, & Hebraicè, & de quauis re propoſita accuratè reſpondere poſſint, idque ſe vidiſſe aſſerit in quibuſdam phreneticis; tribuit autem omnes iſtos effectus humori melancholico: idem docent plerique alij recentiores labe Caluiniana infecti: contra iſtos ſit

Error eſt negare dæmoniacos numquam extitiſſe. CONCLVSIO. *Cura manifeſtam impietatis, & hæreſeos notam, nullis licet affirmare nuſquam extitiſſe veros dæmoniacos.* Primùm, quia in ſacris litteris dicitur Chriſtum, itémque Apoſtolos curaſſe multos dæmoniacos. Lucę 11. *Erat ejiciens dæmonium.* Lucæ 10. *Etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo* Marci, & Lucę 9. *Vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nobiſcum.* Marci 5. Luc. 8. & Matthæi 17. dæmoniacus lunaticus à Chriſto curatur. Actorum 15. ſimile quid dicitur de diuo Paulo. Luc. 11. verſ. 14. Idem 10. verſ. 17. Idem 9. verſ. 47.

2. Deinde, SS. Patres docent temporibus primitiuę Eccleſię, innumeros propemodum dæmoniacos priſtinę ſanitati fuiſſe reſtitutos opera exorciſtarum, & item fauore alicuius Chriſtiani: ità Tertullianus ad Scapulam cap. 2. Tertul. *Dæmones* (inquit) *non tantùm reſpuimus, verùm & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut pleriſque notum eſt.* & in Apologetico cap. 23. *Edatur aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem à Dæmone agi conſtet,* &c. & Cyprianus ad Demetrianum Africę Proconſulem, ità de hac re loquitur; *O ſi audire eos velles, & videre, quando à nobis adiurantur & torquentur ſpiritalibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus ejciuntur, quando eiulantes, & gementes voce humana, & poteſtate diuina, flagella & verbera ſentientes venturum iudicium confitentur. Veni & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus, & quia ſic Deos te colere dicis, vel ipſis quos colis crede: vel ſi & tibi credere voluerit, de te ipſo loquetur audiente te.* & paucis interiectis, *Videbis nos rogari ab ijs, quos tu rogas; timeri ab eis, quos tu adoras; videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos, & tremere captiuos, quos tu ſuſpicis, & veneraris vt Dominos,* &c. & ad Donatum epiſt. 2. *Facultas datur immundos & erraticos ſpiritus qui ſe expugnandis hominibus immer-*

Digitized by Google

ſerint, ad confeſſionem minis increpantibus cogere, vt recedant, duris verberibus vrgere; conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur: plaga occulta, & pœna manifeſta. & Prudentius in apotheoſi, id eſt, de diuinitate Chriſti contra Iudæos.

Prudent.

Torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi,
Ferre poteſt, agitant miſerum tot verbera lingua,
Quot laudata Dei reſonant mirabilia Chriſti;
Intonat Antiſtes Domini, fuge callide Serpens,
Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes:
Mancipium Chriſti fur corruptiſſime vexas,
Deſine, Chriſtus adeſt, humani corporis vltor
Non licet, vt ſpolium rapias, cui Chriſtus inhæſit,
Pulſus abi ventoſe liquor, Chriſtus iubet, exi.
Hæc inter voces mediæ Cyllenius ardens
Eiulat, & notos ſuſpirat Iupiter ignes.

3. Tertiò, idipſum colligitur ex decretis Conciliorum & ſummorum Pontificum, in Carthaginenſi IV. cap. 92. referente Burchardo lib. 3. ſui Decreti cap. 213. præcipitur, vt dæmoniaci ſumptibus Epiſcoporum nutriantur, & in Concilio Arauſicano cap. 14. vt in neceſſitate conſtitutis baptiſmus applicetur, & item Euchariſtia porrigatur, quod tamen intelligendum venit de illis dæmoniacis, qui lucida aliqua habent interualla; ſi enim vſus rationis in illis nullus fuerit, Euchariſtia minimè eſt illis concedenda, vt colligitur ex cap. 11. prioris ad Corinth. Anaſtaſius item Pontifex Maximus præcipit, vt cogantur dæmoniaci, & energumeni ad pauimentum Eccleſiæ verrendum referente Buchardo cap. 18. libri proximè citati, prohibetur denique ne quis ex dæmoniacis ad ſacros ordines promoueatur, & ſi contigerit aliquem fuiſſe promotum vt ab ordine ſuſcepto deijciatur: ità Concilium Arauſicanum cap. 16. & refert idem Buchardus cap. 72. libri ſupradicti.

Quartò, ex diuerſitate & varietate eorum hominum, qui referuntur à ſanctis Patribus, tanquam dæmoniaci, præſertim verò à Cypriano, ſermone de lapſis; ab Hieronymo in vita Hilarionis, ab Ambroſio, ſermone de ſanctis Geruaſio & Protaſio; ab Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate; Palladio in hiſtoria Lauſiaca; Gregorio Turonenſi, libris de gloria Martyrum, & de gloria Confeſſorum; à Nicephoro, Theodorito, & aliis authoribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Denique, ex cap. 16. lib. 1. Regum, Saül quippe eo in loco refertur tanquam dæmoniacus, dicitúrque de eodem quòd ſonitu citharæ Dauidicæ fuerit liberatus.

ROGABIS, *Qui verum fuit Saülem à Dæmone fuiſſe liberatum harmonia citharæ Dauidicæ, præſertim cùm Dæmones ſint res omnino ſpirituales, & ſenſilia in iſtas agere minimè poſſint?*

Ineſt rebus aliqua vis qua alliciũtur dæmones ad mala agenda.

Reſpondeo, miſſis aliorum de hac re variis opinionibus, *Ineſſe rebus ſenſilibus vim aliquam, qua dæmones alliciuntur, vt in corporibus humanis effectus aliquos ſua crudelitatis producant; in alys item nonnullis rebus ſenſilibus ineſſe vim, à qua dæmones in corporibus humanis exiſtentes, aut etiam alibi, multa, eáque grauiſſima incommoda patiuntur.*

D. Auguſt. Ità D. Auguſtinus lib. 21. de Ciuitat. cap. 6. *Illiciuntur* (inquit) *Dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipſe, ſed Deus condidit, delectabilibus pro ſua diuerſitate diuerſis, non vt animalia cibæ, ſed vt ſpiritus ignis: qua cuiuſque delectationi congruunt, per varia genera herbarum, lignorum, lapidum, rituum, carminum,* &c. & Euſebius de præparatione Euangelica lib. 5. cap. 6. *Quam,* inquit, *diuinitatem habere poſſunt illi, qui ad tantam miſeriam ſunt deiecti, vt ab hominibus detineantur, neque virtute, aut ſapientia cogantur, ſed arte quadam malefica impellantur; nam ſi diuina impaſſibilis eſt omnino natura, qui ergo Dij erunt illi qui veſtitu, qui lineis, qui catenis, arborum floribus ab hominibus vinciuntur?* & cap. 7. eiuſdem libri, *Vide* (ait ille) *homines quibus rebus cogantur, niſi ab ipſiſmet dæmonibus diſcere potuerunt.* & D. Auguſtinus loco proximè citato, cap. 1. eadem fere verba habet. & Clemens Romanus lib. 4. Recognitionum in initio idem planè dicit; quærit enim illic an teneantur dæmones deſiderio inhabitandi corpora humana. Reſpondet id cupidiſſimè expetere, poſteà verò tradit modum, quo id aſſequuntur: *Dæmones autem habere deſiderium immergendi ſe corporibus hominum, hæc cauſa eſt, Spiritus ſunt, habentes propoſitum conuerſum ad malitiam: per cibos* (ergo) *& potus immodratos, ac libidinem, peruergent homines ad peccatum, eos tamen, qui peccandi propoſitum gerunt; qui dum videntur neceſſaria natura velle complere, non tenentes modum per nimietatem, ingrediendi in ſemetipſos dæmonibus faciunt locum.* Clem. Rom.

2. Deinde, idipſum colligitur ex cap. 6. Tobiæ, dicitur enim illic Iuniorem Tobiam dæmonis Aſmodæi dolos ſuffitu portiunculæ iecoris piſcis cuiuſdam, ingentis magnitudinis, conſilio Raphaëlis Archangeli vitaſſe, *Exentera,* inquit Raphael ad Tobiam, *piſcem hunc, & cor eius, & iecur, & fel repone tibi, ſunt enim hæc ad medicamenta neceſſaria vtiliter:* & item, *cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere; ità vt vltra non accedat ad eos,* & cap. 3. lib. 4. Regum dicitur de Eliſæo Propheta, quòd cùm futura præſagire vellet, pſaltem aliquem interpellabat, qui cantionem aliquam decantaret: huius autem rei nulla alia poteſt aſſignari ratio, præter eam quæ adducitur ab interpretibus illius loci, quòd ſcilicet crederet Propheta ſpiritus bonos allici harmonia & concentu inſtrumentorum muſicorum; malos verò contrà cruciari & torqueri. Refert & aliquid iſtis non abſimile Krantius lib. 5. Daniæ cap. 3. ſcribit enim illis in partibus extitiſſe muſicum quendam ità perfectè in pulſandis inſtrumentis muſicis exercitatum, vt homines in quoſcumque vellet affectus adduceret, ex mœſtis lætos, ex alacribus triſtes, ex indignantibus placatos, ex placidis indignantes, & etiam vſque ad furorem inſanientes efficeret: addit hæc omnia fuiſſe experimento comprobata in ipſomet Henrico Rege Daniæ, præſentibus aulicis, principibus & magnatibus illius imperij.

3. Probatur & 3. loco ex Ioſepho lib. 8. antiquitatum Iudaïcarum cap. 2. narrat enim præſente Imperatore Veſpaſiano, Aulicis, imò & toto exercitu eiuſdem, dæmoniacos pleroſque curatos fuiſſe opera Eleazari hominis Iudæi, idque admoto annulo naribus dæmoniaci, ſub cuius pala, ſiue ſignaculo latebat radix à Salomone indicata Baaras à loco, in quo naſcebatur nuncupata, authore eodem Ioſepho lib. 7. de bello Iudaïco, cap. 23.

Sunt

Sunt qui hanc eamdem vim ineſſe putent thapſię, pæonię nigrę, virgulto verbaſci, ramis rhamni, valuis tamen & feneſtris impoſitis, artemiſię rubeę, Soliſequio, Saluię, pulegio, foliis Sambuci, fabis nigris, & denique ſpinę albæ, hinc apud Ouidium 6. Faſtorum, Ianus cuidam Nymphæ

Ouidius.

--- Spinam, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas (hæc erat alba) dedit.

quo loco, vt hoc obiter moneam, licèt per, *Triſtes noxas*, ſtriges, aues quaſdam nocturnas infantium cunas infeſtantes, vt inſequentibus verſibus patet, intelligat Poëta; quia tamen huiuſmodi aues fabuloſas exiſtimat Plinius lib. 11. cap. 29. natur. hiſtor. & generali noxarum nomine, non incommodè omne genus ſpectrorum accipi poteſt, ideo nos hîc quoque, illa eadem verba de malis geniis, & cacodæmonibus interpretamur.

Plinius.

4. Quarto, probatur ex cap. *Dæmonium* 26. quæſt. 7. dicitur enim illic, *Dæmonium ſuſtinenti luces herbas, vel petras habere, ſinè incantatione*: at quorſum Eccleſia Catholica vſum huiuſmodi rerum ſenſilium in dæmoniacis curandis retineret, niſi in illis vim aliquam eſſe agnoſceret, à qua dæmones patiantur? præſertim cùm Eccleſia, ex doctrina Pauli 1. Timoth. cap. 3. *Sit columna & firmamentum veritatis.*

1. Tim. 3. verſ. 15.

5. Denique, ex communi doctrina Rabinorum, Targum Chaldæus Canticorum 4. verſu 6. ità de hac re loquitur: *Omni tempore quo populus domus Iſraël tenebat artem Patrum ſuorum iuſtorum manibus ſuis, fugiebant Dæmones tenebriones matutini & meridiani de medio eorum, eò quòd maieſtas gloriæ Domini reſidebat in loco ſanctuarij in monte Moria, & omnes Dæmones, & ſpiritus nocentes fugiebant ab odore incenſi aromatum.*

Solvuntur additis in principio.

Ad id autem quod obiicitur. Reſpond. ſenſilia in res ſpirituales agere non poſſe, ſi hæc intrà terminos ſuæ naturæ fuerint relicta, ſiue, quod idem eſt, ſi vis à natura eiſdem inſita tantùm inſpiciatur; ſecus tamen accidit vbi hæc eadem fuerint eleuata, vel conſtitutione diuina, vel conſecratione & Eccleſiæ benedictione, vt manifeſtè reprobatur exemplo ignis inferni; hic enim ex veriori ſententia, eſt ſenſilis & corporeus, torquet tamen Angelos malos, & item animas apud inferos conſtitutas, vt conſtat ex cap. 16. Lucæ, *Crucior*, ait anima diuitis epulonis, *in hac flamma*, vbi tartarea illa loca petiit, & ex cap. vltimo Iſaïæ: *Ignis eorum non extinguitur, & vermis eorum non moritur*, loquitur autem Propheta de pœnis damnatorum; & Apocalypſis 19. *Miſſi ſunt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.* Deinde, illud idem demonſtro ex Sacramentis; hæc enim ſunt res aliquæ ſenſiles; fatentur tamen Thomiſtæ omnes hæc eadem producere gratiam gratum facientem in genere cauſæ efficientis phyſicæ, in anima illius qui ſacramenta ſuſcipit. An autem vis hæc inſit rebus ſenſilibus inhæſiuè, an vero tantùm aſſiſtenter explicabitur Dubitatione penultima huius tractatus.

Luc. 16. verſ. 24.
Iſai. 66. verſ. 24.
Apoc. 20. verſ. 14.

DVBITATIO TERTIA.

Quæ ſint ſigna per quæ certò & indubitanter dignoſcendi ſint Dæmoniaci

VAriant in hac re explicanda Theologi, nec immeritò; eſt quippe quæſtio iſta quàm maximè difficilis, & intricata, nec fortè adhuc omni ex parte ab aliquo ſatis explicata.

Prima ergo ſententia eſt eorum qui putant eos omnes certò dicendos eſſe dæmoniacos, qui dentibus ſtrident, ore ſpumant, & in terra mouentur, idque quòd Marci cap. 9. & Lucę 9. ſimile quid, de quodam dæmoniaco à Chriſto ſanato referatur. *1. Opinio.*

Verùm ſententia hæc non videtur vera. Primùm, quia quærimus in vniuerſum, quæ ſint ſigna per quæ quis certò deprehendatur dæmoniacus; certum eſt autem ex ſacris litteris, multos fuiſſe dæmoniacos, in quibus effectus iſti minimè fuerunt deprehenſi. Deinde, Epileptici, ſiue, quod idem eſt, morbo ſacro laborantes, ſaltem vt plurimum ſpumant ore, ſtrident dentibus, & in terra volutantur, vt docet quotidiana experientia, nec tamen propterea licèt affirmare iſtos eſſe dæmoniacos. *Falſa.*

Ad id verò quod obiicitur ex cap. 9. Marci, & Lucę. Reſp. probari tantùm ibi dæmoniacum illum ore ſpumaſſe, & reliqua, quæ illic referuntur præſtitiſſe, idque quòd torqueretur à dæmone medio humore illo, ex quo in corpore humano reſultat morbus epilepticus.

Secunda ſententia eſt eorum, qui putant eos omnes inter dæmoniacos eſſe indubitanter referendos, qui nudi incedunt, in ſepulchris mortuorum habitant, loca deſerta & ſolitudines petunt, qui modo in ignem, aliàs in aquam, & in alia quęuis pericula præcipites ruunt; qui denique ſibi & aliis, ſi liceat tamen, vitam adimunt, idque quòd ſimilia quædam referantur de quibuſdam dæmoniacis à Chriſto priſtinæ ſanitati reſtitutis, Marci cap. 5. Lucę 8. & Matthæi 17. *2. Sententia.*

Ceterùm neque hæc ſententia videtur omni ex parte vera. Primùm, quia licèt fateamur familiare eſſe dæmonibus in ſepulchris mortuorum demorari, vt author eſt Chryſoſtomus homilia 29. in Matthæum; Dæmones libenter morantur in ſepulchris mortuorum, prauam opinionem hominibus immittere volentes quod mortuorum animę dæmones fiant. Idem docuerunt Euthymius & Theophylactus ad cap. 8. Matth. & Euſebius de præparatione Euangelica lib. 5. cap. 1. *Pulſis*, inquit, *Dæmonibus, & alijs falſis Dijs, qui hunc aërem terreſtrem & caternas terræ habitare condemnati, in ſepulchris mortuorum & alia quamis immunda materia vagantur, ſanguine gaudentes & vaporibus*, &c. ac proinde deducunt dæmoniacos dæmones ad iſta ſepulchra, vt faciliùs prædictum errorem mortalibus perſuadeant; non tamen inquam, propterea licèt colligere quemlibet latitantem in ſepulchris mortuorum, aut eſſe dæmoniacum, aut certò colligi pertinere ad numerum dæmoniacorum. Primùm, ex cap. vltimo Marci & Matthæi, Angelus qui Chriſti reſurrectionem annunciauit Magdalenæ, & aliis, apparuit in dextra ſepulchri Chriſti, nec tamen fuit aut eſſe potuit dæmoniacus. *Reijcitur.*

Digitized by Google

Deinde, temporibus primitiuæ Ecclesiæ correpti vel à dæmone, vel graui aliqua infirmitate ad sepulchra martyrum confugiebant, quatenus beneficium sanitatis contactu reliquiarum SS. Martyrum consequerentur, vt pluribus à nobis probabitur aliàs.

Exploditur 2. hæc eadem sententia. Primùm, quia certum est plerosque sibi ipsis vitam ademisse, vt constat de Samsone, Iudicum 16. de Razia in libris Machabæorum, & aliis innumeris, qui tamen non fuerunt dæmoniaci; computatur quippe Samson inter sanctos, ad Hebr. cap. 11. Deinde, plerosque ex sanctis hominibus declinasse hominum consortia, & loca deserta petiisse, in illisque omnem vitæ partem consumpsisse, idque docet Ecclesia de D. Ioanne Baptista.

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens petisti.

Et sacri Scriptores de Pambone, Maçario, Antonio, Paulo primo Eremita, & aliis innumeris, de quibus cõsulẽdus est Palladius in vita Hilarionis.

Effugium aduersariorum. Præcluditur.

Respondent authores contrariæ sententiæ non posse deprehendi dæmoniacos certò ex vno aliquo effectu de relatis, & commemoratis, bene tamen ex omnibus simul iunctis. Sed neque ista responsio aliquid dicit. Primùm, quia in furiosis, dementatis, & phreneticis hominibus omnes ferè supradicti effectus reperiuntur, vt docet quotidiana experientia.

Deinde, ex cap. 4. Danielis constat Principem Assyriorum Nabuchodonosor per tres annos, cum dimidio vt aliqui volunt, aut, vt habet communis opinio, per septem integros, in syluis & nemoribus, sinè vllis planè vestibus ad instar bruti animalis, vitam traduxisse, idque quòd morbo melancholico torqueretur, vt author est Franciscus Vallesius de Philosophia sacra, & Pererius ad caput 4. Danielis, nec tamen hic fuit dæmoniacus aliquando.

D. Thom. Tertiò, ex sententia sancti Thom. quæst. 114. huius partis, art. 4. dæmon neminem per seipsum proximè & immediatè torquet, sed interiecta aliqua re sensili. Idẽ tradũt illi, qui asserunt dæmonẽ expectasse Lunæ incrementũ, ad hoc vt excruciaret dæmoniacũ illum lunaticũ, cuius meminit Lucas cap. 8. ergo fieri poterit, vt quis mala omnia prædicta sustineat, etiamsi nullus in eo detur dæmon; nam qualitates istę malignę, eamdem planè retinent naturam absente dæmone, quàm habent eodem præsente, ac proinde poterunt eadem planè operari.

Ad id verò quod obiiciunt ex cap. 5. Marci, 17. Matthæi, & 8. Lucæ, respondeo, probare tantùm homines illos fuisse verè dæmoniacos, non autem quod ex illis effectis colligere liceat certò, & indubitanter aliquos esse dæmoniacos, propter causas explicatas: moneo tamen ex illis effectis posse interdum colligi saltem probabiliter aliquos esse dæmoniacos.

3. Aliorum opinio.

Tertiò, sunt qui putent eos certò esse dæmoniacos, qui loquuntur linguis peregrinis & nulli mortaliũ cognitis, vel voces barbaras, & omni ex parte incognitas mortalibus quibusuis proferunt, qui clamores & vlulatus beluinos edunt.

Deficit à veritate.

Verùm neque isti ad veritatem accesserunt. Primùm, quia certum est in potestate quorumdam hominum esse vt voces incognitas effingant: ità Aristoteles in cap. de Relatis, docet Philosophis liberum esse excogitare nouas dictiones, quatenus suas cogitationes aliis Philosophis incognitas manifestent. Deinde, voces istę articulatę nedum possunt ab homine proferri, ex proprio dictamine rectæ rationis; sed etiam clamores belluini; experientia quippe quotidiana constat, aliquos ità à natura bene aptatos esse, vt in eorum potestate sit repræsentare clamorem vel voces cuiuslibet animalis, idque non minùs perfectè quàm ipsummet animal irrationale: vnde videmus nonnullos vt perdices cacabare, asinorum modo rudere, quasi vulpes gannire, ad instar canum latrare, more leonum rugire, alios hinnire, alios mugire & sic de aliis; imò anno 1606. mense Aprili in hac ciuitate Tolosana visa est mulier quædam quæ & ad instar lupi vlularet & quasi porcus grunniret; communi tamen & Medicorum & Theologorum sententia non fuit propterea iudicata dæmoniaca, & nunc, laus Deo, bene habet, nec tamen turpes illas actiones exercet, aut exercere potest.

Non est tamen negandum, quin ex huiusmodi clamoribus belluinis, & ex prolatione vocum omnino incognitarum deprehendantur aliquando dæmoniaci. Primùm, quia libenter morantur dæmones in rebus sordidis & fœtidis, vt constat ex Eusebio paulò ante allegato, Euthymio & Theophylacto ad cap. 1. Matthæi. Secundò, propter hanc eamdem causam videmus dæmones expetiuisse, vt in porcos intrarent, Luc. 8. *Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos.* Marci 5. *Mitte nos in porcos, vt in eos introëamus, &c.* Tertiò, Sigibertus in Chronico, circa annum Domini 517. refert in Alexandria plerosque dæmoniacos fuisse deprehensos ex solo latratu.

Luc. 8. vers. 33. Marc. 5. vers. 12.

4. Sentent.

Sunt qui quarto loco putent illos omnes esse dæmoniacos, qui toruis oculis inspiciunt, & vultum truculentum, & horridum retinent, & perpetuò dormiunt, & quidem ità, vt in illis nulla appareat aut deprehendi possit actio vitalis, cùm tamen verè viuant.

Refellitur.

Sed neque ex istis certò quis potest pronunciari dæmoniacus. Primùm, quia constat dari aliquas ægritudines, quæ ità infestant partes exteriores, & item aliquas ex interioribus, vt nulla planè functio vitalis, imò neque respiratio cernatur. Hoc morbo periisse Scotum sunt qui referant. Deinde, ex cap. 9. Actuum, scimus Paulum per tres dies integros nulla audiuisse, nec vidisse, nec manducasse, idque sola Dei voluntate. & cap. 12. posterioris ad Corinth. ait, *Raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum, & audiuisse arcana verba quæ non licet homini loqui.* & rursus: *Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit.*

2. Cor. 12. vers. 3.

2.

Deinde, Sagæ, Venefici, & Magi, inunctis propriis corporibus certo quodam vnguento, faciunt corpora ità terræ pauimento, aut proprio cubili adhærere, vt hæc videantur, quasi mortua: ac proinde nulla in illis palpitatio, nulla respiratio, nullus motus cernitur. Cuius rei extant exempla quamplurima apud Iacobum Sprengerium in libro, cui titulus est, Malleus maleficarum: Sagæ autem non possunt dici dæmoniacę propriè.

3.

Tertiò, certum est veneficos & incantatores nedum præstare, vt quis videatur habere faciem deformem, sed ità horridam vt nullus planè sit qui præsentiam huiusmodi faciei sustinere queat, vt colligere licèt ex Malleo maleficarum, ex Syluestro in lib. de maleficarum, & strigarum admirandis.

Digitized by Google

Quartò, febricitantes & correpti mania, siue frenetici ità agitantur, vt nuſpiam quieſcant: illa igitur ſigna non videntur certa. Non eſt tamen negandum quin aliquando ex illis effectis poſſit quis iudicari dæmoniacus, præſertim ſi acceſſerint aliqua alia, putà loqui linguis peregrinis, ore reſpirare ignem, de rebus abſentibus non minùs quàm de præſentibus certò diſſerere, & ſimilia.

5. *Opinio.* Alij verò putant eos ad numerum dæmoniacorum pertinere, qui de dæmone, vel ſemper, vel vt plurimum loquuntur, qui eidem in omnibus & ſingulis obſequuntur, qui eiuſdem operam & auxilium implorant, qui denique relicto vero Deo ſe totos dæmonibus conſecrant.

A veritate aliena. Sed neque iſti ad veritatem acceſſiſſe videntur: primùm, quia nulli hactenus fuerunt, qui magis dæmonum auxilia implorauerint, ſagis, magis, & alijs huius generis hominibus: & tamen nec ſagas, nec magos quis hactenus dixit eſſe dæmoniacos.

Deinde, dæmoniacum nullus eſt ex iudicibus qui vltimo ſupplicio, aut aliquo alio afficiat, licèt hic aut alium, aut ſeipſum percutiat: ſagæ tamen capite plectuntur, vbi iudici conſtat vel propria confeſſione, vel teſtium depoſitione, eas alicui vitam vel ſanitatem eripuiſſe, aut aliqua alia notabilia damna Reipublicæ intuliſſe. Cuius rei nulla alia aſſignari poteſt ratio, niſi quòd ſagæ ſint omnium ſuarum actionum dominæ, ac proinde liberè occidunt, furantur, intoxicant, venena ſpargunt, & ſimilia: at verò dæmoniaci nec liberè, nec voluntariè aliquid faciunt, cùm eorum actiones ſint à dæmone, tamquam à cauſa principali, ab ipſis verò tamquam à cauſa inſtrumentali: dæmon quippe eſt in illis, Deo id iuſtiſſimis de cauſis permittente, tamquam motor in naui, aut ſeſſor in equo, cui affidet.

Confirmatur. Dæmoniacus nec meretur, aut ſatisfacit patiendo, nec demeretur peierando, aut aliud quoduis faciendo, vt communiter omnes fatentur: Sagæ autem, & Magi peccant, Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere* Deuter. cap. 18. *Non ſis maleficus nec incantator.* Leuit. 19 *Ne declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Ego Dominus Deus veſter.* & cap. 20. *Anima quæ declinauerit ad magos interficiam illam de medio populi ſui.* & 1. Regum cap. 28. dicitur de Saule, quod magos omnes ſuſtulerit. & 2. Paralipom. cap. 33. narratur de Ochoſia quòd vita fuerit priuatus, idque quòd apud ſe retineret magos, veneficos, & ſimiles.

Exod. 22. ỽ. 18. Deut. 18. ỽ. 11. Leuit. 19. ỽ. 31. idē 20. v. 6.

Deinde, ex eo quòd quis dæmonem implorat, & eius cultui ſeipſum conſecrat, & eidem in omnibus obſequitur, ſolùm colligere licèt iſtum grauiſſimè peccare contra primum præceptum Decalogi: *Non habebis Deos alienos coram me:* at non omnis qui peccat contra hoc, aut etiam alia præcepta Decalogi ſtatim dæmoniacus eſt dicendus, alioquin omnes idololatræ eſſent dæmoniaci; quod nullus hactenus dixit.

Deuter. 5. ỽ. 7.

Tertiò, grauiùs peccat qui cognitam veritatem ſciens & volens impugnat, quàm qui dæmonem aut implorat, aut perpetuò de eo loquitur: primum quippe illud cenſetur eſſe in Spiritum ſanctum; hoc verò minimè, ſaltem ex ſua natura: de peccato autem in Spiritum ſanctum dicitur Matth. 12. *Neque remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro:* at qui peccat in Spiritum ſanctum non dicitur ſtatim dæmoniacus: ergo

Matth. 12. ỽ. 32.

A neque qui dæmonis auxilium implorant, vt volunt illi authores.

Alij verò putant eos pertinere ad numerum dæmoniacorum quibus tanta vis additur, vt hæc ſuperet vim cuilibet corpori humano inſitam: huius generis ſunt, qui quaſuis lacerant veſtes, funes diſrumpunt, catenas frangunt, onera ad quæ hominum robur non ſufficit, geſtant, & hominem in puncto temporis ex vno in alium locum transferunt, idque per aërem; & alia ſimilia præſtant, ad quæ naturales vires non ſufficiunt. 6. *Sentent.*

B At neque iſta ſigna ſunt ſimpliciter neceſſaria: primum, quia ſcimus Chriſtum ex deſerto in pinnaculum templi Hieroſolymitani fuiſſe à dæmone tranſlatum, & ex pinnaculo in altiſſimum montem, Matth. 4. Item certum eſt Prophetam Abacuc ab angelo fuiſſe de proprijs ædibus delatum in Babyloniam manu angeli, quatenus Danieli in lacu leonum agenti cibos ſubminiſtraret; ità Daniel. 14. Philippus Diaconus Act. 8. in Azotum dicitur arreptus: Simonem magum per aëra volaſſe narrant Egeſippus lib. 3 de excidio vrbis Hieroſolymitanæ, cap. 6. Ambroſius ſermone 6. & ad caput. 8. Romanorum. Auguſtin. ſermone 3. de Petro & Paulo. Simile quid refert Philoſtratus de Apollonio in vita eiuſdem, fuit autem hic inſignis magus. Sunt etiam qui referant vna & eadem nocte natiuitatis Chriſti, Berengarium magum illuſtrem & ſingularem, & in Eccleſia Turonenſi, & Romana legiſſe eo tempore quo officium Nocturnum celebrabatur vnam ex nouem lectionibus præſcriptis, & in Breuiario Romano notatis. Ità Ioann. Maldonat. tract. de dæmonibus, cap. An ſagæ ex vno ad alium locum tranſeant de facto. Nullus tamen ex iſtis dictus fuit aliquando dæmoniacus. *Scopum minimè attigit.*

Deinde, quis ſciuit, aut ſcire potuit aliquando quanta ſit vis homini debita; vſu quippe quotidiano diſcimus alios, alijs eſſe validiores & robuſtiores. Samſon enim portas ciuitatis Gazæ in altiſſimum montem, & longo interuallo ab eadem vrbe diſtantem tranſtulit, idque nullo alio adiutus auxilio, vt dicitur Iudic. 16 catenas item quibus erat conſtrictus nullo negotio perfregit, innumeros Philiſtæos enecauit, ſola aſini mandibula ſuffultus. Caſtrum in quo excæcatus miſerè & crudeliſſimè detinebatur vbi cognouit hoſtes religionis agere, & menſæ accumbere, facilè deſtruxit, ſolòque æquauit, vt habet caput proximè citatum, & Sabellicus lib. 2. cap. 9. exemplorum tomo 4. refert Maximum Imperatorem qui Alexandro Mammeæ filio ſucceſſit tanta fortitudine præditum fuiſſe, vt equum pugno percuſſum dentibus nudaret: & de Caio Iunio narrat idem auctor quòd carpenta, vnâ manu comprehenſa obnixus contineret, iumentis etiam contra nitentibus. & Hieron. in vita Hilarionis narrat Marſitam iuuenem Hieroſolymitanum tantis valuiſſe viribus, vt quindecim modios frumenti, diu longéque portaret; ex iſtis tamen nullus fuit dæmoniacus. 2.

C D E

Negari tamen minimè debet, quin ex huiuſmodi actionibus liceat interdum coniectari quempiam eſſe dæmoniacum; maximè verò quando quis tanta agilitate & currendi velocitate pollet, vt hæc humanas vires ſuperare videatur, aut onera tanta defert, vt ad illa ſubleuanda vires multorum hominum ſufficere nequeant, aut in aëre quis multo tempore eleuatus permanet, & ſic

de alijs ſimilibus actionibus, primùm, quia ex A ea eſt quorumdam hominum malitia, vt perſpecta Euchariſtia, aut auditis exorciſmis fingant ſe eſſe dæmoniacos, ac proinde ſtrideant dentibus, ore ſpument, voluentur, iaceant humi, faciem horridam & truculentam præ ſe ferant, & alia præſtent, quæ veri dæmoniaci facere conſueuerunt.

iſta nimia agilitate fuit deprehenſus dæmoniacus aliquis Mediolani, referente Burchardo in vita Bernardi lib. 2. cap. 4. & alius inuenis quidam Treuiris, præſente ſancto Nicetio Treuirenſi Epiſcopo, omnibuſque ferè incolis illius ciuitatis, idque eo tempore quo ſacrum ſolemne die feſtiuo abſoluebatur; iuſſus quippe egredi energumenus extra Eccleſiam, etſi ad id cogeretur decem hominum manu violenta, arrepta tamen columna immobilis omnino extitit, nec vſpiam illorum opera deijci potuit, donec Nicetius, ſigno crucis facto, dæmoniacum prædictum ſua veſte operuit, vt authores ſunt Gregor. Turonenſis in vita ſancti Nicetij, & Baronius tomo 7. anno Chriſti 530. folio 164. edit. Rom. de eadem corporis firmitate, & robore incredibili innotuit annis elapſis, dæmoniaca illa Laudunenſis quæ ad præſentiam ſanctiſſimi ſacramenti, non ſinè omnium ſpectantium incredibili admiratione curata fuit per illius vrbis Epiſcopum, neque enim hæc, licèt eſſet corpore ægra à quatuor, aut octo hominibus certo quodam in loco detineri poterat, vt conſtat ex hiſtoria Pariſijs, & alibi iamdiu edita.

Refert exemplum de hac re quidam author ex recentioribus: Narrat enim mulierem quamdam quę aliquid indecens & inhoneſtum commiſerat, vt tegeret ſuum vitium finxiſſe ſe eſſe dæmoniacam, ac proinde prouoluebatur per lutum, ore ſpumabat, & multa alia præſtabat quę veri dæmoniaci interdum faciunt. Deinde, quia effectus iſti poſſunt aliunde quàm à dæmone in corpore humano habere ortum, vt nos ipſi vidimus in hac vrbe anno 1599. & anno 1606. menſe Aprili. Admotis quippe reliquijs, & ſanctiſſimo ſacramento iuueni cuidam ſtatim contractiones omnium partium corporis ſuſtinebat, conuulſiones innumeras patiebatur, eiulabat, ructabat, ſtertebat, grunniebat ad inſtar alicuius ſuis ſordidiſſimæ; communi tamen ſententia Theologorum & Medicorum ſimul conclamatum fuit iſtum non eſſe dæmoniacum, idque veriſſimè; nam intrà pancos dies conualuit & adhuc bene habet: docuerunt autem Medici effectus illos habuiſſe ortum à morbo melancholico, qui in eo plurimum vigebat.

Exemplū.

Hoc ergo vnico argumento crediderim certò & indubitanter innoteſcere dæmoniacos, *quando reſoluitur aliqua ſiunt ab homine, quæ neque ab vlla cauſa naturali, neque item à Deo, aut aliquo bono angelo, aut agnoſcatur ſancto ortum habere poſſunt.* Ità communiter docent omnes, Toſtatus quæſt. 144. ad cap 8. Matthæi, Sprengerius in Malleo maleficarum, Thyræus parte 2. de dæmoniacis, & Martinus Delrio.

Authorie dæmoniaci.

Deinde, actiones dæmoniacorum non imputantur dæmoniaco ſed dæmoni; propter hanc quippe cauſam nec vltimo, nec vllo alio ſupplicio afficiuntur illi, licèt alijs, & ſibi noceant; neque item merentur aut demerentur apud Deũ, ex omnium doctrina: ergo ex illis actionibus deprehendentur dæmoniaci, quæ nec Deum, nec bonum angelum, nec ſanctum, nec hominem, ſed ipſummet dæmonem tantùm habere poſſunt authorem.

Tertiò, ad hoc vt quis dicatur dæmoniacus duo ſunt ſimpliciter neceſſaria ex Dubitatione 1. Alterum vt intrà eum dæmon ſedem habeat conſtitutam; alterum vt huic moleſtiam quamdam inferat malus ille ſpiritus: ergo ex illis actionibus quæ maximè virum bonum torquent, & quę neque Deum, neque ſanctum, aut angelum, aut virum bonum compotem rationis habere poſſunt authorem, dicemus certò colligi hunc vel illum eſſe dæmoniacum.

Quænam autem ſint iſtæ actiones difficile eſt ſtatuere; accedunt tamen ad illas, loqui linguis peregrinis ſibi anteà omnino incognitis. Cuius rei ſubijcit exemplum ſatis celebre Hieron. in vita Hilarionis; narrat enim de quodam iuuene Imperatoris filio, quod cùm ad ſanctum Hilarionem duceretur, lingua Syriaca perfectiſſimè loquebatur, quam tamen alias nuſpiam nec didicerat, nec audierat ab aliquo alio. Item ignem ore vomere, idque in odium rerum ſacrarum; tetrum fœtorem ſpirare, peierare, blaſphemias in Deum, & ſanctos euomere, de rebus abſentibus præteritis, & futuris multa, eáque veriſſimè explicare, abditas

7. *Opinio:* Sunt & alij, qui putent rerum ſacrarum applicatione, vt contactu reliquiarum ſanctarum, applicatione ſacræ Euchariſtiæ, recitatione exorciſmorum, aut piarum precum, pſalmorum, C maximè verò illius verſiculi in quo hęc verba leguntur; *Deum qui te genuit dereliquiſti & obliuiſcis Domini creatoris tui*, aſperſione aquæ luſtralis, ſigno crucis Chriſti in fronte expreſſo, & alijs ſimilibus deprehendi certò dæmoniacos.

Deut. 32. ỳ. 18.

Aberrat etiam à ſcopo. Ceterùm licèt iſtis machinis citiùs & certiùs quàm quibuſuis alijs prodantur & innoteſcant dæmones, vt facilè colligi poteſt ex cap. 10. Lucæ; *Dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo.* Marc. 9. Luc. 9. *Vidimus quemdam in nomine tuo dæmonia eijcientem.* Marc. 16. *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent.* & ad Philipp. 2. *In nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris.* Imò hoc vnico argumento ſancti Patres antiquitus contra Ethnicos docuerunt Chriſtum eſſe verum Deum, quòd audito nomine Chriſti, ſtatim dæmones ab homine recederent, vt conſtat ex Iuſtino Martyre, in dialogo cum Tryphone: vbi ſic loquitur prope medium: *Cuius etiam nominis potentiam dæmones tremunt, & reformidant; & hodie quoque illi per nomen Jeſu Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato, qui Judææ procuratorem egit adiurati, nobis parent: vt inde etiam omnibus pateat, Patrem ei tantam dediſſe poteſtatem & virtutem, vt & dæmonia nomini ipſius, & paſſionis eius obitæ functioni ſubiecta ſint.* & Apologia prima pro Chriſtianis, ex Origene lib. 2. contra Celſum, ex Tertull. lib. de corona militis, Ad Scapulam cap 4. & in Apologetico, cap. 37. & lib. de ſpectaculis, capite 12. de Munere, & lib. de idololatria: Cypriano epiſtola ad Demetrianum, & in lib. de idolorum vanitate. Certum eſt etiam ad ſepulchra martyrum dæmones rugire & dentibus ſtridere, vt probabitur inferius: hæc eadem præſtant perſpecta Euchariſtia, viſis ſanctorum reliquijs, auditis exorciſmis, & alijs ſupra commemoratis. Non tamen ex illis certò poteſt quis deprehendere propterea quèpiam eſſe dæmoniacum: primùm, quia

Ioan. 10. ỳ. 17. Idem 9. ỳ. 47. Marc. 16. ỳ. 18. Philip. 2. ỳ. 10.

Iuſt. Mar.

Origen.

Digitized by Google

abditas & occultas rerum quarumdam cauſas manifeſtare, & reuelare, & ſic de alijs.

Vix certò deprehendi poteſt eſſe dæmoniacũ aliquem.

Ex iſtis colligere licèt difficillimum eſſe pronuntiare aliquem certò eſſe dæmoniacum; vix enim aſſignari poteſt aliquod ſignum ex quo certo & indubitanter id colligi poſſit, ſaltem in vniuerſum. Poſitis tamen his & alijs circumſtantijs hîc & nunc, in hoc & illo homine, ex omnibus illis primis putarem certò poſſe deprehendi: fieri ſiquidem poteſt vt is, qui linguis loquitur incognitis, & nulla induſtria humana comparatis ſit hæreticus, aut Atheus, quòd proſequatur cultores diuini numinis odio, hoc ſolo nomine quòd Deum verum colant, & item quòd hic à dæmone multa, Deo id iuſtiſſimis de cauſis permittente, patiatur: hoc ergo in iſtis circumſtantijs poſito, pronuntiari veriſſimè & indubitanter poterit quis, quòd ſit dæmoniacus. Idem eſt de alijs actionibus, concurrentibus ijſdem circumſtantijs, aut ſimilibus, iudicium.

DVBITATIO QVARTA.

Quæ ſint cauſæ propter quas patitur Deus aliquos à Dæmone poſſideri.

Peccatũ eſt cauſa cur quis dæmoniacus efficiatur.

CONCLVSIO 1. *Una ex præcipuis cauſis propter quas quis experitur dæmonum crudelitatem eſt peccatum.* Primùm, quia ſancti Patres docent neminem in dæmonum venire poteſtatem, niſi præcedente aliqua enormi, & turpi culpa: ità Caſſianus lib. 7. Collationum cap. 14. *Conſtat enim* (inquit) *immundos ſpiritus, non aliter poſſe in illos quorum obtenturi ſunt corpora penetrare, niſi priùs eorum mentes, cogitationéſque poſſederint, quos cum timore, ac memoria Dei, vel ſpirituali meditatione nudauerunt, velut exarmatos omni præſidio, ac munitione diuina nudatos facilè vincendos audenter inuadunt, domicilium deinceps in eis, velut in poſſeſſione ſibi tradita præſumentes.* & D. Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate, cap. 22. *Vera* (inquit) *pietate homines Dei, aëream poteſtatem inimicam contrariámque pietati exorcizando ejciunt, non placando: omnes tentationes aduerſitatéſque eius vincunt orando non ipſam, ſed ſuum Deum aduerſùs ipſam; non enim aliquem vincit, aut ſubingat, niſi ſocietate peccati.* & ſermo. 197. de tempore quærit, quî fiat, vt cùm in ſacris litteris dicatur dæmon ligatus, homines tamen interdum poſſideat, & ità miſerè excruciet, vt nullus grauiora tormenta pati aliquando viſus ſit. Reſpondet, *Verum eſt, fratres chariſſimi, quia multum prænalet, ſed tepidis, & negligentibus & in veritate Deum non timentibus dominatur; alligatus eſt enim tamquam innexus canis catenæ, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit.*

2. Deinde, omnium planè malorum quę in hac aut altera vita patitur homo cauſa, cenſetur eſſe peccatum, vt conſtat de morte, Romanorum 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* de bello, 2. Regum, cap. 12. de peſte cap. 24. ergo cùm inter pœnas iſtius vitæ nulla detur grauior ea quæ infligitur dęmoniacis, hæc à peccato ortum habebit. Confirmatur ex ſacris litteris: Nam propter peccata traditi fuerunt nonnulli manibus dæmonis, vt in illis peccata commiſſa vindicaret; ità Alexander & Hymenæus torquentur à dæmone 1. Timoth. cap. 1. præcepto Pauli, & Corinthius quidam inceſtuoſus, 1. Corinth. cap. 5. Saül item experitur dæmonum carnificinam, cap. 16. lib. 1. Regum propter peccata commiſſa: *Et receſſit a Saul ſpiritus Domini, & exagitabat eum ſpiritus nequam a Domino*, inquit ſacra Scriptura.

Quartò, referunt ſancti Patres varia exempla eorum, qui dæmonum torturam propter peccata commiſſa fuerunt experti: Cyprianus ſermone de lapſis, Hieronymus in vita Hilarionis, Gregor. Mag. lib. 1. Dialogorum cap. 4. & 10. & denique Caſſianus lib. 7. Collationum, cap. 17. Cyprian. Hieron. Caſſian.

Cùm autem diximus quempiam torqueri à dæmone propter peccata, illud non eſt intelligendum de ſolis peccatis mortalibus; certum enim eſt nonnullos torqueri interdum à dæmone propter peccata venialia, vt tradit Caſſianus lib. 7. Collationũ, c. 25. ait enim, *Veniales culpæ dæmonibus homines ingredienti occaſionem præbuiſſe.* & cap. 27. refert Abbatem Moyſem hoc ſolo nomine expertum fuiſſe dæmonum tyrannidem, quòd inter diſputandum cum Macario verbum aliquod in eũ durius protuliſſet: Subſcribit Caſſiano Gregorius lib 1. Dialogorum, cap. 4. Narrat enim virginem quamdam ideò à dæmone fuiſſe poſſeſſam, quòd hortum ingreſſa lactucas comediſſet, non præmiſſo crucis Chriſti ſigno, & cap. 10. refert matronam quamdam ſimilem pœnam toleraſſe, quòd ſupplicationi ſolemni interfuiſſet, cùm tamen non abſtinuiſſet à copula coniugali eo die: tantùm autem culpæ iſtæ ad ſummum potuerunt eſſe veniales. Rurſus fatentur ſancti Patres propter peccatum originale, pleroſque a dæmone fuiſſe obſeſſos, id tradit Auguſt. lib. 21. de Ciuit. cap. 8. at peccatum originale cenſetur eſſe minus culpa veniali, ſaltem ex aliquo capite, quatenus videlicet non habet hoc adiunctum conſenſum formalem voluntatis noſtræ, qui tamen reperitur in peccato veniali. Gregor. D. Auguſt.

Demum, dicemus interdum fieſi vt quis patiatur dæmonis torturam, ſecluſo omni planè peccato; ergo propter peccatum veniale poterit quis torqueri à dæmone; pœna quippe debita peccato veniali eſt temporalis, obſeſſio autem dæmonis conſequitur vitam hanc temporalẽ.

D. Auguſt.

CONCLVSIO 2. *Propter peccatum alienum contingit interdum à dæmone aliquem poſſideri.* Primùm, non eſt magis abſurdum quempiam expetiri dæmonum tyrannidem propter peccata aliena, quàm alias pœnas temporales: at certum eſt pati nos frequentiſſimè pœnas peccatis alienis debitas, Exodi 20. *Ego ſum Deus zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Threnorum 5. *Patres noſtri peccauerunt, & nos iniquitates eorum portauimus.* Ezechielis 18. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* & 2. Regum cap. 12. filius natus ex adulterio Dauidis damnatur morte, ordinatione diuina, propter peccatum parentis; ità enim illic loquitur Propheta Dauidi: *Tranſtulit à te Dominus peccatum tuum, verumtamen filius qui natus eſt tibi morte morietur.* *Propter peccatũ alienum ſunt aliquando dæmoniaci.* 1. Exod. 20. ℣. 5. Thren. 5. ℣. 7. Ezech. 18. ℣. 2. 2. Reg. 12. ℣. 14.

Deinde, baptizati in tenera ætate torquentur à dæmone interdum, vt conſtat ex D. Auguſtino lib. 21. de Ciuitate, cap. 14. *Ipſi* (inquit) *paruuli per lauacrum regenerationis ab originalis peccati, quo ſolo tenebantur vinculo iam ſoluti, mala multa patientes, nonnulli etiam incurſus ſpirituum malignorum aliquando patiuntur.* & Hieronym. in epiſtol. ad Paulam, de obitu Bleſillæ. 2. D. Auguſt.

Tertiò, iure diuino propter peccatum primi parentis indicitur cuilibet noſtrũ mors, ad Rom. 5. 3.

Digitized by Google

Lege item ciuili filius ſpoliatur hereditate paterna propter delictum patris; lege verò Eccleſiaſtica arcetur quis à promotione ſacrorum ordinum ob peccatum parentis, vt conſtat ex diſt. 56. can. 1. apud Gratianum, & ex toto titulo de filijs preſbyterorum apud Gregorium, & in Epitome ſacrorum Canonum Antonij Auguſtini Epiſcopi Tarraconenſis: ergo fieri quoque poterit, vt quis propter culpam alienam à dæmone torqueatur: ità Ioannes Maldonatus in tractatu de dæmonibus, Petrus Thyræus parte 2. diſputationis de dæmoniacis, Martinus del Rio, & alij communiter.

Abſque vlla prorſus culpa poteſt eſſe quis dæmoniacus.

CONCLVSIO 3. *Contingit interdum quempiam ſuſtinere dæmonum tyrannidem, ſeclusa omni culpa propria & aliena.* Primùm, id docet diſertis verbis Hieron. in epiſt. ad Paulam, de obitu Bleſillæ.

Deinde, certum eſt interdum aliquem torqueri à dæmone ne labatur in aliqua peccata, vt author eſt Gregor. lib. 1. Dialogorum.

Item, negari non poteſt quin Iob permulta mala in corpore proprio ſuſtinuerit, dæmonis crudelitate; nec tamen id factitatum fuit propter culpas eiuſdem; dicitur enim de eo, cap. 1. hiſtoriæ eiuſdem, *Vir erat in terra Hus, nomine Iob,* Iob 1. ℣. 1. *& erat vir ille ſimplex, rectus, ac timens Deum,* & idé ℣. 22. alibi: *In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Deum loquutus eſt.* Ità authores proximè citati.

Obiectio. Dices Auguſtinum affirmare neminem torqueri à dæmone, niſi qui ſe eidem coniunxerit mortifera ſocietate ſerm. 197. de tempore.

Solutio. Reſpondeo, Auguſtinum intelligendum eſſe de his quæ vt plurimum fiunt, non autem de his quæ rarò.

Ob bonos fines vult Deus aliquos fieri dæmoniacos.

CONCLVSIO 4. *Ad explorandam quorumdam patientiam, & ad virtutem verum ſacrarum manifeſtandam virtus Deus, vel patitur interdum aliquos à dæmone torqueri.* Propter primam cauſam dæmonum crudelitatem ſuſtinuit Iob, vt communiter docent ſancti Patres, & colligitur ex toto libro eiuſdem: Propter ſecundam verò refert exemplum ſingulare Burchardus lib. 2. cap. 3. Narrat enim iuuenculam quamdam à dæmone fuiſſe poſſeſſam, vt virtus ſancti ſacramenti in dæmonis expulſione quibuſuis innoteſceret; ait enim Bernardum ità adiuraſſe dæmonem illum, poſita hoſtia conſecrata ſuper patenam. *Adeſt,* D. Bernar. *inique ſpiritus iudex tuus, adeſt ſumma poteſtas, iam reſiſte ſi potes. Adeſt ille qui pro noſtra ſalute paſſus. Nunc* (inquit) *princeps huius mundi ejicietur foras. Hoc illud corpus eſt, quod de corpore Virginis ſumptum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt, quod in tumulo tacuit, quod de morte ſurrexit, quod videntibus diſcipulis aſcendit in cœlum. In huius ergo maieſtatis terribili poteſtate, tibi ſpiritus maligne præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præſumas:* & confeſtim pax & ſalus integra reddita eſt mulieri. Idem putat Maldonatus dicendum de dæmoniaca Laudunenſi anno 1566. in Galliis; adiuratus quippe virtute ſanctiſſimi ſacramenti coactus fuit dæmon deferere iuuenculam, quam mirum in modum excruciabat: idem colligitur ex Auguſt. lib. 21. de Ciuitate Dei, c. 6. Ambroſio, ſermone de ſanctis Geruaſio & Protaſio, & denique Hieronymo contra Vigilantium.

CONCLVSIO VLTIMA. *Propter malam parentum imprecationem indubitatum eſt aliquos interdum à dæmone poſſideri.* Ità Ioann. Maldonatus refert dæmoniacum quemdam ſuo tempore Romæ reſpondiſſe. Idem tradit Petrus Thyræus de quodam dæmoniaco in Pannonia anno 1584. *Imprecatio parentum cauſat dæmoniacos aliquando.*

Deinde, filij quamdiu ſunt in tenera ætate ſubijciuntur parentibus, ratione educationis; propter hanc ſiquidem cauſam docent communiter Theologi filios infidelium, qui nuſquam dederunt nomen Religioni Chriſtianæ, non poſſe baptizari inuitis parentibus: ergo ſi conſecrentur filij dæmonibus, non erit mirum ſi patiatur Deus eoſdem à dæmone torqueri. Sunt qui putent eaſdem pœnas tolerare nonnullos, quòd nec ſint confirmati, nec rite baptizati, quorum ſententia probatur à Ioann. Maldonato locis proximè citatis.

Aduerte, in nullo planè caſu poſſe certò definiri, aliquem propter hanc, vel illam cauſam à dæmone poſſideri; cùm enim præcipua cauſa obſeſſionis dæmonis repetenda ſit ex Dei voluntate, & nullus planè ſit qui occulta diuinæ voluntatis nota habeat, ſecluſa ſpeciali Dei reuelatione, nemo prorſus erit qui certam cauſam obſeſſionis dæmonis definire poſſit: Ità Hieron. in epiſt. ad Paulam, de obitu Bleſillæ.

DVBITATIO QVINTA.

Cuius ſit ſuppoſita cauſa & demerito ex parte hominis, efficere vt quis à dæmone poſſideatur.

IN hac difficultate quædam ſunt omnino certa & indubitata; alia verò dubia. Certum igitur eſt, *in poteſtate Dei Optim. Maxim. eſſe, ſuppoſita culpa, imò nulla exiſtente culpa, efficere vt quis dæmonis crudelitatem experiatur:* Primùm, quia Lucæ 1. dicitur: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Eſther 13. *Non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati.* & Pſalm. 113. *Quæcumque voluit Dominus fecit.* Luc. 1. ℣. 37. *Deus poteſt efficere dæmoniacos.* Eſther. 13. ℣. 9. Pſal. 113. ℣. 3.

Deinde, nulla planè creatura eſt, quæ imperium diuinæ voluntatis efficacis declinare queat; ergo ſi Deus firmiter apud ſe conſtituerit hæc & illa agere, nec dæmon, nec alius homo impedire poterit quominùs ab hoc vel illo dæmone patiatur.

Tertiò, diximus cauſam ſaltem permiſſiuam obſeſſionis dæmonis eſſe Deum.

Quartò, dæmoniacorum pœna eſt ſaltem interdum vltrix & vindicatiua peccatorũ commiſſorum; ergo cùm Deus ſit vindex peccatorum noſtrorum, huic maximè erit adſcribenda obſeſſio dæmonum. Certum item eſt dæmones interdum torquere viros ſanctiſſimos, quales fuerunt Iob, & illi quorum meminerũt Caſſianus, Palladius & alij, idque vt eorum patientia & conſtantia in malis tolerandis innoteſceret; at hæc probatio ſupponit Deum tamquam cauſam præcipuam: ergo ſemota omni culpa poterit Deus efficere, vt dæmon aliquem poſſideat.

Certum item eſt, *Dæmones ſuperiores poſſe inferioribus imperare, vt corpora aliqua humana infeſtent, ſuppoſita tamen Dei permiſſione.* Primùm, quia quemadmodum inferiores angeli à ſuperioribus illuminantur; ità & inferiores dæmones à ſuperioribus quoque & aguntur, & prætererea impediuntur. *Superiores dæmones efficere poſſunt vt inferiores corpora poſſideant.*

Secundò, vnus dæmon pellit alium, vt conſtat ex illo Lucæ 11. *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filij veſtri in quo ejiciunt?* Luc. 11. ℣. 19.

Tertiò,

Digitized by Google

Quartò, id conſtat ex dæmonibus ipſis; fatentur enim Sprengerius, Sylueſter, & alij, qui de iſtis rebus ſcripſerunt plerosque dæmones faſſos eſſe ſe à dæmonibus ſuperioribus immiſſos eſſe in corpora humana.

Quintò, non eſt dubium, quin dæmon poſſit ſortilego & mago alicui ſeipſum deuincire, & obligare, ità vt poſita tali obligatione poſſit à mago & cogi & aſtringi; at dæmon inferior dicit maiorem dependentiam ad ſuperiorem, quàm faciat hic idem ad quemlibet magum; hæc enim eſt tantùm voluntaria, & libera reſpectu magi; illa verò eſt neceſſaria: ergo poterit dæmon ſuperior imperare, &c.

Incidens dubitatio.

Dubium autem eſt, *An in poteſtate hominum proborum, vel etiam improborum ſit, efficere, vt quis à dæmone torqueatur:* ratio dubitandi eſt. Prima, quia dicitur de dæmone, Iob. 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei.* Deinde, ſenſilia in res ſpirituales agere non poſſunt, ac proinde, neque eas vlla arte, aut violentia cogere.

Iob 41. verſ. 24.

Magi & ſagæ poſſũt efficere dæmoniacos.

CONCLVSIO 1. *Magi, ſagæ & alij ſortilegi, ſuppoſita tamen Dei permiſſione, poſſunt efficere vt quis à dæmone vere torqueatur.* Primùm, id fatentur ipſimet dæmones, quando exorciſmis coguntur.

Secundò, etiam quando conuicti de crimine magiæ; torturæ & quæſtioni obijciuntur.

Tertiò, Hieronymus in vita Hilarionis refert iuuenculam quamdam à ſpiritu maligno fuiſſe obſeſſam opera cuiuſdam iuuenis, qui eius ardebat amore, edoctus tamen ab Æſculapij Vatibus: Imò addit in vita eiuſdem quòd cùm Hilariõ inculpaſſet dæmonem, eumdem reſpondiſſe, magicis artibus ad id fuiſſe coactum. Tandem ità concluſum fuit Romæ in quadam congregatione facta huius rei gratia, à viris maximè doctis, vt refert Maldonatus in tractatu de dæmonibus, quæſtiuncula, An poſſit dæmon per magos & ſagas expelli, aut inijci in homines. Anaſtaſius item Nicænus quæſt. 23. aſſerit Simonem magum ſubieciſſe dæmonibus eos omnes, qui ipſum præſtigiatorem nuncupaſſent: Idipſum faciebat Apollonius Tyanæus, vt conſtat ex eius vita apud Philoſtratum. Extat de eadem re exemplum non vulgare apud Theodorum, in hiſtoria ſanctorum Patrum in Macedonia, ſectione 13.

Denique, magorum & ſagarum opera multò grauiora mala inferunt dæmones mortalibus, vt conſtat ex confeſſione eorumdem apud Sylueſtrum & Sprengerium: ergo poſſunt huiuſmodi efficere, vt aliquis ſit dæmoniacus.

Viri iuſti imperio poteſt fieri dæmoniacus.

CONCLVSIO 2. *Poteſt vir iuſtus, & timorata conſcientia immittere dæmones in humana corpora.* Primùm, ex Paulo 1 Corinth. cap. 5. inceſtuoſus Corinthius opera Pauli traditur in manus dæmonis: *Tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis vt ſpiritus ſaluus ſit.* & 1. Timoth. c. 1. Alexander & Hymenæus traduntur dæmonibus vt diſcant non blaſphemare.

2. Luc. 9. v. 1. Idem 10. v. 19.

Deinde, Lucæ cap. 9. dicitur de Apoſtolis, *Dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia.* & cap. 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem ſuper omnem virtutem inimici.*

3.

Tertiò, precantur dæmones interdum ſanctos, & iuſtos homines vt ſinant ipſos, hos, & illos cruciare, & torquere, vt cõſtat ex reſponſis eorumdẽ apud Sprengerium in Malleo maleficarũ; imò rogant illos, vt vbi egreſſi fuerunt patiantur commorari in vaſe aliquo, vt author eſt Surius de geſtis ſancti Cyriaci tomo 1. in vita ſancti Marcelli Papæ.

Ad rationem autem dubitandi. Reſpondeo, non dari maiorem poteſtatem, dæmonis virtute, loquendo de poteſtate naturali alicui debita; poteſtas autem hominis iuſti in dæmones non eſt naturalis, ſed tantùm voluntate diuina ſibi tradita.

Soluitur ratio dubitandi.

Ad 2. reſpondeo, eadem ratione qua Dubitatione 2. reſponſum fuit §. Rogabis.

DVBITATIO SEXTA.

Quæ mala Dæmoniaci patiantur, aut pati poſſint à Dæmone.

TOt mala in vniuerſum poteſt quis à dæmone ſuſtinere, quot ſunt bona in vniuerſum: hęc autem diuiduntur in bona animi, corporis, & fortunę, ac proinde, *Dico poſſe dæmoniacum pati à dæmone reſpectu actionum intellectus*, vt conſtat exemplo Saulis; dicitur enim de eo quòd fureret, & inſaniret: item exemplo dæmoniacorum quos refert Lucas, cap. 8. Marcus cap. 5. & Matth. cap. 17. dicitur namque de iſtis, quòd in ſepulchris habitarent, quòd loca deſerta, & ſolitudines peterent, quòd hominum conſortia declinarent, quòd modò in ignem, modò in aquam ſeipſos præcipitarent: at hæc omnia ſunt actiones hominis furioſi.

Multa malа operatur dæmon in corporibus obſeſſis.

Deinde, negari non poteſt quin ea pars, quæ phantaſmatum capax eſt, impediri poſſit à dæmone, ne ſuo fungatur officio, ſaltem vt par eſt: at perturbata iſta parte, non poteſt intellectus de rebus ſibi propoſitis rectè iudicare.

Tertiò, non eſt negandum dæmoni, quod virtute herbarum aut ceterarum rerum naturalium fieri poteſt; at virtute alicuius morbi naturalis impeditur vſus rationis in homine, vt conſtat experientia.

Quarto, idem quoque videtur ſtatuendum, quempiam in voluntate poſſe multa mala ſuſtinere dæmonis opera; allicitur quippe & inclinatur interdum voluntas ad amorem, aliàs vero ad odium, idque virtute dæmonis: hinc pocula amatoria quæ à Græcis φιλτρὰ nuncupantur; extat de hac re illuſtre exemplum apud Hieronymũ in vita Hilarionis. Deinde, illud idem comprobatur exemplo nonnullorum coniugatorum, qui propter dæmonum incantationes præſentiam alterius tunc ſuſtinere non poſſunt, eo quod voluntas obiectum aliquod recipiat media phantaſia, in quo præſentia alterius coniugis apparet veluti obiectũ quàm maximè diſconueniens, vt pluribus obſeruauit Martinus del Rio, diſquiſitionum magicarum lib. 1. quæſt. 9. tomo 1.

Non tamen concedendum eſt voluntatem poſſe à dęmone aliqua ratione cogi: primùm, quia fatentur omnes id non poſſe Deum præſtare, ſaltem quoad actus elicitos de quibus hîc loquimur. Deinde, voluntas poteſt quidem neceſſitari, vt patet in beatis diuinam eſſentiam conſpicientibus; actus quippe hic eſt ſimpliciter neceſſarius, & item actus amoris erga diuinam eſſentiam; quia voluntati proponitur obiectum in quo apparet ratio cuiuſlibet boni; at non poteſt diabolus proponere voluntati aliquod obiectum in quo appareat ratio cuiuſlibet boni: ergo nec illã neceſſitare.

Non poteſt dæmon voluntatem cogere.

Quinto, coactio præsupponit actionem propensioni & inclinationi voluntatis contrariam; at impossibile est voluntatem elicere aliquam actionem, quæ non sit vel amor, vel odium, vel volitio, vel nolitio: ergo non poterit hęc cogi à dæmone.

Dæmoniaci possunt pati à dæmone in proprio corpore.

Possunt item dęmoniaci pati à dęmone in proprio corpore, vt constat exemplo sanctissimi Iob; item exemplo dęmoniaci Marci & Lucæ, cap. 9. dicitur enim de eo quod stridéret dentibus, quod in terra volueretur, & denique quod ore spumaret, & Marci, cap. 5. Lucæ 8. & Matthæi 17. dicitur de dæmoniaco lunatico, quod modò in ignem, aliàs in aquam seipsum dejiceret, & cetera quę illic dicuntur: & Lucę 11. dicitur de alio quod cęcutiret; imo ex sententia Gregorij ad hunc locum, nedum cæcus erat, sed & mutus, & surdus simul, idque opera diaboli: mala autem hæc certo numero comprehendi non possunt, de quibus legendus est Martinus del Rio, lib. 1. disquisitionum Magicarum à quęst. 9. ad vltimam vsque, tomo 1. Nos autem paucula quædam hic referemus.

Potest dæmoniacus tranferri in varia loca.

Dico ergo primùm, *Fieri posse vt dæmoniacus ex vno ad alium locum transferatur, idque breuissimo temporis interuallo, etsamsi loca ista plurimum inter se distent:* hęc manent satis probata ex dictis Dub. 5. huius tract.

Obiectio.

Obijciet tamen aliquis can. *Episcopi* 26. quæst. 5. in quo feriuntur anathemate omnes illi qui putant sagas ex vno ad alium locum vere transire, illicque choreas cum Diana & Herodiade agere, & cum innumeris alijs mulierculis.

Solutio 1.

Respondeo, Canonem illum esse multis quàm maximè suspectum, refertur enim hic ex Concilio Anquirensi, & tamen nullibi legitur, præterquàm apud Gratianum. Deinde, licèt hic author sit satis exactus in colligendis aliorum scriptis, laborat tamen hoc vitio, vt aliqua interdum ex suis adijciat, interdum vero aliqua prætermittat, quæ plurimum faciunt ad Canonis veram intelligentiam. Tertio, Canones Græci omnes sunt maximè breues, hic autem est prolixus admodum. Vltimo, nihil est in eo quod redoleat phrasim Græcam, siue rationem loquendi Grecorum, quod tamen familiare est ceteris omnibus Canonibus Græcis.

Solutio 2.

Respondeo 2. Admittendo Canonem illum esse Concilij Ancyrani siue Anquirensis, & dico in eo damnari tantùm eorum opinionem, qui putant sagas ità ex vno ad alium locum transire, vt de facto transmutentur substantialiter, & quod choreas cum Diana & cum Herodiade agant; hæc enim sunt per se falsa; tum quia certum est nec Herodiadem nec Dianam exstare; tum quia certum est sagas non posse virtute dęmonis transformari substantialiter, sed tantùm apparenter.

Replica.

Instabis, dici in Canone illo: si quis dixerit sagas de vno ad alium locum transire: ergo.

Dissoluitur.

Respondeo, hæc quidem dici, ceterùm incidenter, perfunctoriè & quasi præter mentem Concilij; neque enim omnia quæ habentur in sacris Concilijs definiuntur, sed tantùm ea, propter quę definienda Concilium fuit cõgregatum, vt patet exemplo septimæ Synodi, in hac enim dicitur neque Deum, neque angelos esse pingendos, non tamen propterea licèt affirmare Deum & angelos non esse pingendos: qui enim hæc diceret in hæresim Caluinianam laberetur, damnatam in Concilio Trident. dicuntur autem ista in septima Synodo incidenter tantùm, quæ nullam planè faciunt fidem, sed tantùm ea quæ dicuntur ex instituto: ac proinde ex huiusmodi particula, *Si quis dixerit Sagas transferri*, nihil planè colligi potest: cum Concilium illud esset tantùm congregatum ad hoc vt definiret sagas non transformari substantialiter, & choreas cum Diana & Herodiade non agere.

Possunt dæmoniaci transformari.

Dico 2. *Posse quidem apparenter transformari dæmoniacos virtute dæmonis*, vt manifestè colligitur ex Palladio in historia Lausiaca: refert enim mulierem quamdam ob neglectam sanctissimi sacramenti communionem apparuisse iumentum, & ductam fuisse ad Abbatem Macarium, ità vt crederetur ab omnibus iumentum aliquod. Deinde, exemplo Nabuchodonosoris, Danielis capite 4. dicitur enim illic de eo: *fœnum vt bos cõmedes* Daniel. 4. v. 22.

2.

Deinde, non est verisimile eum fuisse pulsum imperio, nisi quod veluti brutum animal omnibus appareret.

3.

Tertio, adducit multa hac de re exempla D. August. lib. 8. de Ciuitate, cap. 17. vel 18. Dixi apparere bruta: quoniam fieri non potest, vt homo immutetur substantialiter à dæmone: tum quia vnio animæ cum corpore præsupponit actionem, ad quam nulla ratione potest concurrere dæmon: tum quia anima vbi semel fuerit à corpore separata, eidem nisi per solam Dei omnipotentiam vniri non potest, tum quia fides dictat animas à corpore separatas statim vel repetere cœlos, si plenissimè satisfecerint pro peccatis, & in gratia decesserint, vel descendere in infernum, si separatio facta sit in statu peccati mortalis, vel in purgatorium, si anima habeat aliquid purgandum & sit in statu gratiæ: Non est tamen negandum quin ex re insensili possit dæmon facere sensilem, vt manifestè colligitur ex cap. 7. Exodi, vbi dicitur magos Pharaonis virgas suas eadem ratione conuertisse, qua id præstitit Moyses; huius autem virga omnium planè consensione de facto conuersa fuit in serpentem. Vide plura de his apud Pererium ad locum citatum Exodi.

Non possunt fieri dæmoniaci insensibiles.

Sunt qui putent posse dæmonem dæmoniacos reddere inaspectabiles; ceterùm res hæc mihi probari non potest. Primò, quia coloratum est, obiectum visus. Deinde, posito obiecto & potentia, & medio debitè disposito, sublatisque omnibus impedimentis, non potest non resultare visio; at dæmoniacus quilibet in se coloratus est, præterea ex hypothesi, debitè proportionatur potentiæ visiuæ, & omnia impedimenta videndi sunt sublata, tam ex parte obiecti quàm medij & potentiæ: ergo resultabit necessariò visio. Non debemus tamen ire inficias, quin possit dæmon efficere, ne dæmoniacus à quibusdam videatur, idque ex positione alicuius impedimenti in potentia visiua, aut in medio; nam cùm possit dæmon excæcare hominem; imò & occidere, vt constat de filijs Iob, & item ex viris Saræ filiæ Raguelis, Tobiæ cap. 6. poterit à fortiori inducere impedimentum aliquod prohibens ne dæmoniacus videatur.

In bonis fortunæ possunt pati.

Potest denique quis multa incommoda pati à dæmone in bonis fortunæ, vt patet ex historia Iob. Deinde, multò faciliùs potest dæmon quempiam affligere in bonis externis, quàm in proprio corpore,

Digitized by Google

Zachar. 2. ỽ. 8. poris humani, quàm bonorum fortunæ, vt colligere licet ex iſtis verbis: *Qui tetigerit vos, tangit oculi mei pupillam*, &c.

Non merẽtur dæmoniaci moti à dæmone. Maximum autem malum quod ſuſtinent dæmoniaci à dæmone hoc videtur eſſe, quòd licet in gratia gratum faciente ſint conſtituti, non tamen propterea poſſunt mereri, ſaltem pro eo tempore quo à dæmone ad agendum mouentur vt manifeſtè colligitur ex eo, quòd libertas ſimpliciter neceſſaria ſit ad meritũ; in iſtis autem actionibus non ſunt dæmoniaci liberi, aguntur quippe illi à dæmone eadem ratione, qua equus dirigitur à ſeſſore.

Dæmones non poſſunt vera miracula patrare. Pſalm. 71. ỽ. 18. Idem 135. ỽ 4. Ioã. 3. ỽ. 2. D. Auguſt. Origen. Iſidor. Sunt autem qui hoc loco quærant, An dæmoniaci opus aliquod miraculoſum præſtare queant dæmonis virtute. Reſpondeo, id fieri nulla ratione poſſe: Primò, quia opus miraculoſum ſoli Deo in ſacris literis tribuitur, Pſalm. 71. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus.* & Pſalm. 135. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* & Ioann. 3. *Nemo poteſt hæc ſigna facere, niſi fuerit Deus cum illo.*

Deinde, ità docent D. Auguſt. 3. de Trinitat. cap. ite 8. Origenes lib. 2. contra Celſum, & Iſidorus, vt refertur in cap. *Non mirum* 26. quæſt. 5.

Tertiò, miracula cenſentur eſſe ſigna, per quæ vera religio à falſa dignoſcitur: impoſſibile autem eſt Deum concurrere ad deceptionem.

Vltimò, miraculum cenſetur eſſe, *Opus rarum, & inſolitum a ſolo Deo factum capacitatem naturæ tranſcendens:* ergo non poteſt procedere à dæmoniaco.

Obiectio. Obijcies, illuminationem cæci computari inter opera miraculoſa Ioann. 9. Conſtat autem Imperatorem Veſpaſianum proprio ſputo cæcum quempiam illuminaſſe, vt referunt authores prophani.

Solutio. Reſp. 1. Illuminationem cæci ſecundum modum, eſſe tantùm opus miraculoſum, non autem ſecundum ſubſtantiam; natura quippe quotidie in animalibus producit facultatem videndi: Catulus item ante octauum diem à natiuitate minimè videt, poſito verò octauo die incipit videre, nec tamen propterea actio hæc dicitur miraculoſa.

Reſp. 2. Hiſtoriam iſtam fuiſſe excogitatam à prophanis authoribus in odium religionis Chriſtianæ, legitur quippe hiſtoria iſta Veſpaſiani, apud Suetonium, qui fuit infenſiſſimus religionis Chriſtianæ hoſtis.

DVBITATIO SEPTIMA.

Penès quos ſit poteſtas curandi Dæmoniacos.

Antiquitùs quilibet Chriſtianus poterat dæmoniacos curare. Marc. 16. ỽ. 17. Matth. 17. ỽ. 19 Tertul. Epiphan. Lactant. Iuſtinus. TEmpore primitiuæ Eccleſiæ potuit quilibet Chriſtianus curare quoſcumque dæmoniacos, vt colligitur ex cap. 16. Marci; *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eijcient.* Matthæi 17. *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis dixeritis monti huic, tranſi hinc, illuc & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Deinde, ex Tertulliano lib. de corona militis, cap. 11. ait enim milites expulſiſſe dæmones, & de idololatria c. 11. ait patrẽtes Chriſtianos ſolitos exorcizare proprios filios, ſi contigiſſet eos à dæmone torqueri: ex Epiphanio tomo 2. de hæreſibus, hæreſi 30 Lactant. lib. 4. diuinarum Inſtitutionum cap. 27. Iuſtino martyre in dialogo cum Tryphone, de veritate religionis Chriſtianæ. Imò non deſunt qui putent idem priuilegium remanere apud quemlibet Chriſtianum, ea lege vt fidem vt oportet retineat.

Apoſtolis conceſſa facultas. Luc. 10. ỽ. 17. Ibid. 19. Poteſtas tamen iſta conceſſa fuit Apoſtolis, ex 9. & 10 Lucæ; *Domine ecce dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo* & rurſus: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem inimici.* Deinde, Marci 5. & Mat. 17. conqueruntur Apoſtoli apud Chriſtum quòd dæmoniacum lunaticum curare non potuerint; retorquet Chriſtus culpam non in defectum poteſtatis, ſed in defectum fidei, nempe in incredulitatem Apoſtolorum. Tertiò, Apoſtoli dæmoniacos pleroſque curarunt, Lucæ 8. 9. & 10. Actorum. 15. & 19.

Exorciſtis. Euſeb. Porrò, poteſtas hæc ſpeciali aliqua ratione pu tà ex officio, ſolis exorciſtis conuenit, vt conſtat ex epiſtola Cornelij Papæ ad Fabium Antiochenũ, referente Euſeb. lib 6. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 35. & ex Concilijs Carthag. IV. Romano, ſub Syluestro huius nominis Pontifice I. Laodicæno.

Tertull. Ex Patribus, Tertullianos de præſcriptionibus aduersùs hæret. cap. 41. damnat enim mulieres tum quòd docere in publicis conuentibus tentarent, & quòd dæmoniacos vellent exorcizare.

Ioſephus. Tertiò, quilibet Ordo ordinatur in certum aliquem finem, vti & quodlibet ſacramentum; at non poteſt dici quis ſit finis exorciſtatus, niſi dæmones pellere; fuit autem ordo hic in lege veteri, vt conſtat ex Ioſepho lib. 8. Antiquitatum Iudaïcarum cap. 2. & ex cap. 19. Actuum.

Obiectio. Dices, Lucæ & Marci 9. quempiam eieciſſe dæmonia, qui Chriſtum non ſequebatur.

Solutio. Reſp. 1. Ex his & alijs ſimilibus nonnullis poſſe colligi probitatem vitæ non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad dæmoniacos curandos; donum ſiquidem hoc computatur inter gratias gratis dãtas, vt Cyprian. authoreſt Cypria. lib. de vnitate Eccleſiæ circa medium; ſanctitas tamen vitæ ad hunc effectum conducit multum; vt conſtat ex his quæ refert Theod. Theodor. lib. 5. Eccl. hiſt. c. 21. ex Gregorio Thaumaturgo, & ex Burchardo lib. 2 de vita D. Bernardi, cap. 4.

Reſp. 2. Infideles & item hæreticos poſſe interdum facere vera miracula, ceterum non in confirmationem erroris aut falſitatis, ſed in bonum & honeſtum aliquem finem, idque quòd Deus ſit ſemper cauſa præcipua operis miraculoſi; homo autem tantùm inſtrumentalis.

DVBITATIO OCTAVA.

Quibus remedijs liceat pellere Dæmones.

Remedia ſenſibilia ad fugandos dæmones inefficacia. EX veteri Teſtamento conſtat apud Iudæos nonnulla conſtituta fuiſſe remedia ſenſilia, quibus pellerentur dæmones. Primum eſt, ſonitus citharæ Dauidicæ, 1. Reg. 16. 2. Suffitus iecoris, fellis & cordis, piſcis cuiuſdam ingentis magnitudinis Tob. cap. 6. Demũ radix Baaras ſub ſignaculo annuli alicuius conſtituta lib. 8. Antiquitatum Iudaïcarum Ioſephi, cap. 2. & de bello Iudaico, c. 23. lib. 7. Verùm remedijs iſtis, noſtris in tẽporibus vix vti poſſumus. Primũ, quia neſcimus an vis expellendi dæmones fuerit penès concentũ citharæ Dauidicę, an verò penès ipſũmet Dauidem pſallentẽ, an etiã penès vtrumq; ſimul. Deinde, latet nos, quis ſit piſcis ille cuius cor, iecur, & fel cõ-

ducunt ad dæmonum expulſionem, ex ſacris quippe litteris ſolùm colligitur piſcem fuiſſe ingentis cuiuſdam magnitudinis, non autem exprimitur nomen, aut illius natura. Tertiò, ignoramus an vis curandi dæmoniacos fuerit in huiuſmodi partibus piſcis tantum moraliter, illa eadem ratione, qua vis protrahendi vitam in multos annos creditur à nonnullis fuiſſe in ligno vitæ. Quartò, non deſunt qui putent piſcem hunc, medio quo pelluntur dæmones apud Tobiam, fuiſſe cæcum, extant tamen innumeri, qui ab hac opinione recedunt. Quintò, radix Baaras nullis medicis eſt noſtris temporibus cognita, nec immeritò; aſſerit quippe Ioſephus lib. 7. de bello Iudaïco, cap. 23. à loco in quo naſcebatur fuiſſe nuncupatam: variant autem in dies locorum nomina.

Expoſitis ergo iſtis remedijs, quatuor tantummodo referemus ex his quæ ſunt efficaciſſima, & à Chriſto eiúſque Eccleſia inſtituta, quibus in lege gratię dęmones pelluntur. Primũ ergo remediũ

1. Luc. 10. ℣. 17. Marc. 16. ℣. 18. Philipp. 2. ℣. 10. Luc. 9. ℣. 49. Iuſtin.

eſt nominis IESV inuocatio. Lucę 10. *Etiam dæmonia ſubijciuntur multis in nomine tuo.* Marci 16. *In nomine meo dæmonia ejcient.* Ad Phil. 2. *In nomine Jeſu omne genu flectatur*, &c. Marci & Lucæ 9. *Vidimus quemdam in nomine tuo ejcientem dæmonia.* Deinde, ex ſanctis Patribus, Iuſtino in dialogo cum Tryphone: *Per nomen iſtius ipſius filij Dei & primogeniti creaturæ omnis, dæmonium omne adiuratum vincitur, & in ſubiectionem redigitur.* & paulò ante: *Cuius nominis*, ſcilicet Ieſu, *potentiam dæmones tremunt & reformidant. Et hodie quoque illi per nomen Ieſu Chriſti crucifixi adiurati nobis parent.* Ex Epiphanio tomo 2. hæreſi 30. narrat

Epipha.

enim Ioſephum quemdam in nomine Ieſu quoſdam curaſſe dæmoniacos, imò propter hanc cauſam prædicti Patres & plerique alij docuerunt contra Ethnicos, Chriſtum eſſe verum Deum, minimè verò illos quos gentilitas venerabatur vt Deos; neque enim nomina eorum Deorum poterant timorem incutere dæmonibus; nomen verò Chriſti quemlibet dæmoniacum perfectiſſimè curabat.

2. Remediũ eſt vſus reliquiarum. Chryſoſt.

Secundum remedium eſt, vſus reliquiarum ſanctorum, & rerum conſecratarum, quales ſunt cereus paſchalis, aqua luſtralis, cera benedicta veſtes ſacerdotales, & ſimilia, vt colligere licet ex Chryſoſtomo homilia de ſeptem Machabęis, & in oratione de ſancto Babyla: Ea, inquit, eſt ſanctorum poteſtas, vt ne vmbras quidem aut veſtes ferre poſſint dæmones. & homil. 32. in epiſtolam ad Rom. *Propterea celebro hanc vrbem*, Romanam ſcilicet, *non propter copiam auri, neque propter aliam phantaſiam; ſed propter columnas illas Eccleſiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi ſepulchro, videre puluerem corporis illius quæ adhuc deerant in Chriſto adimplentis, ſtigmata illius geſtantis, prædicationem Euangelij vbique diſſeminantis, puluerem, inquam, oris illius, per quod Chriſtus loquutus eſt, per quod lux emicuit quouis fulgore clarior, & vox exilijt quouis tonitru dæmonibus terribilior.* & Gregorius Nazianzenus oratione 18. ait ad ſepulchrum martyris Cypriani dæmones fuiſſe pulſos; & oratione 3. in Iulianum Apoſtatam ait, quòd cùm Iulianus conſuluiſſet aliquando dæmonia interuentu cuiuſdam magi, euanuiſſe dæmones territos, ſola nominis Chriſti inuocatione, & crucis expreſſione. Abdias Babylonicus lib. 7. refert filium Regis Hirtaci energumenum contactu reliquiarum D. Atha-

Nazianz.

naſij fuiſſe ſanatum, de qua tamen re plurimum dubito, niſi fuerit aliquis alius ſanctus ab Athanaſio Epiſcopo Alexandrino, qui hoc nomine fuerit donatus: probatur etiam ex Rufino, lib. 2. cap. 25. Socrate lib. 3. cap. 16. Euagrio lib. 1. cap. 10. Nicephoro libro 10. cap. 28. & ex Cypriano lib. contra gentes, aiunt etiam iſti omnes oraculum Apollinis nulla potuiſſe dare reſponſa ſepulto iuxta eius fanum ſancto martyre Babyla: ex Ambroſio ſerm. 5. de ſanctis. Vbi ait ad ſepulchra martyrum Geruaſij & Protaſij rogire dæmones, ex Hieron. epiſt. 27. ad Euſtochium, *Ibi*, inquit, *ſiti ſunt Eliſæus & Abdias propheta, quo maior inter natos mulierum non fuit Ioannes Baptiſta vbi multis intremuit cõſternata mirabilibus* (loquitur de Paula) *namque cernebat varijs dæmones rugire cruciatibus: & ante ſepulchra ſanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum, alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere.* & Sozomeno lib. 7. cap. 26. ait enim Epiphanium mortuum feciſſe, quod viuus non poterat, ad eius quippe ſepulchrum expulſi fuerunt dæmones.

Ambroſ. Hieron.

Tertium remedium eſt, crucis Chriſti repræſentatio; fugat quippe ſignum hoc quoſque dæmones à quocumque fuerit expreſſum, vt conſtat ex Lactantio diuinarum Inſtitutionum lib. 4. cap. 27. ex Auguſtino ſermon. 137. de tempore, & ex Theodorito lib. 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 16. Nazianzeno oratione 3. contra Iulianum Apoſtatam; referunt enim Iulianum territum aſpectu dæmonum, effinxiſſe ſignum crucis Chriſti, ſtatimque dæmones diſparuiſſe: *Vt egregium*, inquit, *virum progredientem, adoriri terrores caperunt, ac ſubinde plures & formidabiliores (ſonos quoſdam inſueros, aiunt, tetróſque odores, atque ignea ſpectra, & neſcio quas nugas & deliramenta) rei nouitate perculſus (harum enim rerum ſtudium ſerò amplexus fuerat) ad crucis vetúſque remedium confugit, hócque aduerſus terrores conſignat, eúmque quem perſequebatur, opitulatorem adſciſcit. Valuit ſignaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? Reſpirat malum: rurſus audaciam concipit, rurſus agere editur, rurſus ijdem terrores vrgent, rurſus ſignum adhibetur, ac dæmones conquieſcunt.* Epiphanio in panario, ſiue de hæreſibus tomo 2. hæreſi 30. Cypriano ſerm. de paſſione Domini paulò ante finem. *Iam* (inquit) *videt Hebraus*, &c. & paucis interiectis: *cuius*, ſcilicet crucis, *tanta eſt hodie authoritas & poteſtas, vt non ſolùm Iſraëlitica limina muniat, ſed ab ijs etiam qui Iſraëliticè non viuunt, ſolum ſacramenti ſignum repellat dæmonia; & vbicumque conſpecta fuerit, terribilis ſit eis ſacri nominis virtus, & ſanguinis nota.*

3. Remediũ. Crucis repræſentatio. Lactant. D. Auguſt. Theodor. Nazianz. Epiphan. Cyprian.

Quartum & vltimum remedium eſt abiuratio per exorciſmos; illis quippe pelluntur dæmones, vt conſtat ex Ioſepho lib. 8. antiquitatum, capit. 2. ex Actis Apoſt. cap. 19. Tertul. lib. de idololatria, cap. 11. & de corona militis c. 11. Cypriano epiſt. 2. ad Donatum, & de idolorũ vanitate: *Hi adiurati*, inquit, *per Deũ verũ à nobis, ſtatim cadunt, & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur. Videas illos noſtra voce & operatione maieſtatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari, vnde veniant, & quando diſcedant, ipſis etiam qui ſe colant, confiteri.* & ex Prudẽtio de diuinitate Chriſti contra Iudæos, & denique ex Concilio Carthaginenſi

4. Remediũ. Adiuratio per exorciſmos. Ioſeph. Tertull. Cyprian. Prudent.

Digitized by Google

IV. Non eſt autem liberum vti quibuſuis exorciſmis, ſed illis ſolis quos Eccleſia probauit, vt colligere licet ex Concilio Carthaginenſi citato.

2. Deinde, quia propter hanc cauſam temporibus primitiuę Eccleſię in omnibus & ſingulis Eccleſijs certus ac definitus erat exorciſtarum numerus, vt colligitur ex epiſt. Anacleti, ad Epiſcopos Africanos, & ex Concilio Atauſicano, & ex epiſt. Cornelij Pontificis Roman. apud Euſebium lib. & capite citatis.

3. Tertiò, quia ob hanc eamdem cauſam, non aliter illis in temporibus applicabantur exorciſmi, quàm in libro ab Epiſcopo tradito legerentur: adminiſtrabantur item exorciſmi, non in Eccleſia, idque ob reuerentiam loci ſacri, neque in domibus priuatis, propter timorem, ſed prę foribus Eccleſię. Quæ etiamnum cauſa eſt cur & hodie videamus pueros baptizandos exorcizari in veſtibulis Eccleſiarum; non autem intrà Eccleſiam, aut in ædibus priuatis: Noſtris tamen temporibus exorciſmi in ordine ad dæmoniacos applicantur in Eccleſiis, terminantur item exorciſmi, non ea ratione qua aliæ orationes; *Per Dominum noſtrum*, &c. ſed, *Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem*; idque quod dæmones ſola recordatione vltimi iudicij mirum in modum torqueantur, vt obſeruauit Cyprianus ad Demetrianum.

4. Quartò, iſtis remediis poſſemus & alia multa addere, putà Symboli recitationem, ieiunium, Euchariſtiam, aquam luſtralem, orationem, litaniarum recitationem, aut illius Cantici Deuteronomij, quo verba iſta leguntur: *Deum qui te genuit dereliquiſti, & obliuius es Domini creatoris tui*, Sanctorum inuocationem, veſtes ſacras, maximè verò ſtolam, miſſæ ſacrificium, Sanctorum imagines, præſertim D. Virginis, & Chriſti crucifixi, ceterùm hæc omnia remedia in exorciſmis continentur.

Deute. 32. verſ. 18.

Vis aliqua ineſt rebus præfatis cõtra dæmones.

ROGABIS, *An remedijs iſtis inſit vis aliqua, quapellantur Dæmones* RESPONDEO *affirmatiuè*. Primùm, quia remedia iſta ſuos conſequuntur effectus, non ex dignitate perſonę applicantis, ſed ex ſeipſis, vt conſtat ex cap. 9. Lucę, & Marci; dicitur enim illic de quodam qui fidem Chriſti non profitebatur, quòd ſola expreſſione nominis Ieſu curaret dæmoniacos, & Epiphanius eadem planè tradit de quodam Ioſepho Iudæo, hæreſi 30.

Nomẽ Ieſu. Deinde, præter verba ſacramentorum ſunt aliqua alia practica, maximè verò nomen Ieſu, dicitur quippe de eo ad Philip. 2. *In nomine Ieſu omne genu flectatur*. & nomen Ieſu cenſetur eſſe vnum ex præcipuis remediis quibus curantur dæmoniaci.

Philipp. 2. verſ. 10.

Tertiò, Crux Chriſti à quocumque fuerit efficta & dæmoni repræſentata, torquet & fugat dæmonem, licèt hic virtutem paſſionis Chriſti non credat, vt conſtat ex facto Iuliani Apoſtatæ apud Theodoritum lib. 3. hiſtorię Eccleſiaſticę, & apud Gregorium Nazianzenum oratione 3. contra Iulianum.

Item exorciſmis pelluntur dæmones, atque reliquijs Sanctorum, vt patet ex dictis; at fieri poteſt vt exorciſta non ſit in ſtatu gratię, quemadmodum & accidere poteſt vt dæmoniacus non ſit in gratia conſtitutus: ergo illis rebus ineſt aliqua virtus ad dæmones fugandos.

Non ineſt tamẽ vis iſta remedijs his ea ratione, qua albedo ineſt parieti, aut candor niui; ità enim ſequeretur variam & multiplicem eſſe potentiam iſtam, ſucceſſiuam & permanentem iuxta diuerſitatem ſubiecti in quo reciperetur: Ineſt verò illa ratione, qua vis agendi admittitur ineſſe inſtrumentis merè ſeparatis: quemadmodum ergo de inſtrumentis illis dicitur, quòd eatenùs agant, quatenùs à principali agente mouentur; ità etiam & hæc remedia eatenùs agunt, quatenùs à principali agente, nempę Deo, mouentur, & conſequenter vis agendi ineſt illis tantùm aſſiſtenter; de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio. Primùm, quia Deus cenſetur eſſe cauſa principalis expulſionis Dæmonis, cetera verò omnia à Deo, ſunt tantùm cauſæ inſtrumentales reſpectu eiuſdem effectus. Deinde, vis iſta expellendi dæmones eadem ratione ineſt remediis iſtis, qua vis iuſtificandi ineſt ſacramẽtis; hæc autem cenſentur habere vim iuſtificandi tantùm aſſiſtenter, non autem inhæſiuè. Tertiò, ignis inferni torquet animas illic conſtitutas, non quidem hoc ſenſu quaſi impreſſam habeat quamdam qualitatem, media qua torqueat animas, ſed media qua habeat concurſum diuinum ſibi annexum, ſiue diuinam motionem: ergo idem planè erit dicendum de iſtis remediis.

Ex opere operato pelluntur dæmones mediis iſtis remediis

An autem ſuos conſequantur effectus ex opere operato, an verò ex opere operantis ſunt qui dubitent. Ceterùm indubitata videtur eorum opinio, qui putant ex opere operato pelli dæmones mediis iſtis remediis; diximus enim nomen Ieſu à quocumque prolatum, itémque ſignum crucis Chriſti à quocumque effictum, & in quauis materia dæmoni repræſentatum eumdem pellere. *plicatione remediorũ.*

Nõ ſtatim.

Non vacat tamen difficultate, an vis remediorum iſtorum tanta ſit, vt quamprimùm hæc dæmonibus applicata fuerint poſſint eoldem expellere: Pars tamen negatiua defendenda eſt, in ordine ſaltem ad effectum totalem, ità vt ab homine dæmoniaco, non ſtatim pellatur dæmon poſita remediorũ iſtorum applicatione vt plurimum. Primùm, quia Luc. 8. Marci 5. & Matth. 17. non potuerunt Apoſtoli curare dæmoniacum lunaticum, licèt vſi fuiſſet remediis à Chriſto inſtitutis. Deinde, fatentur omnes exorciſmos non habere infallibilem promiſſionem reſpectu ſuorum effectuum, quod tamen puto eſſe intelligendum de vltimo effectu, ſiue, quod idem eſt, de vera expulſione dæmonis in ordine ad primam aut ſecundam, aut alias applicationes; nam certum eſt exorciſmos nunquam applicari, quin ab illis aliquid patiatur dæmon. Tertiò, viri quàm maximè probi non potuerunt interdum ſuis exorciſmis curare nonnullos dæmoniacos, imò coacti fuerunt remittere illos ad alios exorciſtas, idque ad inſtantiam dæmonis exiſtentis intrà huiuſmodi homines, vt conſtat de B. Benedicto apud Hincmarum in vita S. Remigij: ait enim Benedictum remiſiſſe dæmoniacum quemdam Romanũ ad B. Remigium in Galliis agentem, quatenus ab eo curaretur. Ex Gregor. Turonenſi de gloria Confeſſorum, vbi refert filiam Imperatoris Leonis à nullo planè potuiſſe curari, donec ad Archidiaconum Lugdunenſem peruenilſet, & ex Burchardo in vita D. Bernardi lib. 2. cap. 4. exprobrat enim dæmon quidam D. Bernardo: *Non me deiecit Bernardus, non Syrus.* Reſpondit Bernardus, *Nec te Syrus, nec Bernardus eyciet, ſed Dominus Ieſus Chriſtus.* Quartò, expulſio dæmonis reſpectu exorciſtæ computatur inter gratias gratis datas, vt author eſt Cyprian. lib. de vnitate Eccleſiæ. Tandem tamẽ expellitur dæmon virtute remediorum

Digitized by Google

prædictorum. Primùm, quia promissiones Christi sunt indubitatę & certissimę; dicitur autem
Marc. 16. vers. 18. Marci cap. 16. *In nomine meo dæmonia ejicient.* &
Luc. 10. vers. 19. Lucę cap. 10. *Dedit illis potestatem super omnem virtutem inimici.* Deinde, nullus hactenus extitit verus dæmoniacus, qui sanitati pristinę non fuerit restitutus applicatione exorcismorum, vt constat ex Gregor. Turonensi in libris de gloria Martyrum, & de gloria Confessorum, Prudentio in apotheosi, Cypriano ad Donatum, ad Demetrianum, & alibi sæpe: ergo tandem expellitur dæmon à corpore obsessi.

DVBITATIO VLTIMA.

Quæ sint signa ex quibus colligere licet quempiam esse à Dæmone liberatum.

Tunc censetur liberà Dæmone quando diu non torquetur.

CONCLVSIO. *Hoc vnico signo colligitur, quempiam à Dæmone esse liberatum, quòd ab eodem minimè torqueatur, itque à multo tempore; nam licèt Dæmon possit fingere se recessisse, non tamen suum discessum ità potest dissimulare, vt illum ad multum tempus celare queat.* Primùm, quia nihil dæmoni gratius est, quàm infestare hominem 1. Petri c. 5.

Deinde, non agit dæmon intrà hominem nisi permittente Deo; quamprimùm autem posita est diuina permissio, innumera propemodum mala infert homini dæmon, vt constat exemplo Iob: signa autem quibus dæmon suum consueuit manifestare discessum sunt varia & multiplicia: à quibusdã enim affertur euersio vasis repleti aqua,
Ioseph. vt constat ex Iosepho lib. 8. antiquitatum cap. 2. ab aliis verò extinctio alicuius candelæ, fractio vitri, egressus quorumdam animalium à corpore dæmoniaci, confessio ipsiusmet dæmonis, lapsus dæmoniaci in terram, eiuldẽ eiulatus & clamores ingentes dæmoniaci, allisio denique cum exanimatione fere dæmoniaci. Cæterùm signa ista non ità sunt certa, vt propterea credendum sit ab homine dæmonem recessisse. Primùm, quia ex cap. 16. lib. 1. Regum constat dæmonem rediisse frequentissimè ad Saulem. Deinde, Luc. c. 11. dicitur dæmonem auidissimè expetere torquere illos eosdem à quibus recessit, *Reuertar in domũ meam vnde exiui*, &c. Luc. 11. vers. 24.

Nihil est præstandum in gratiam dæmonis.

Aduerte, non esse præstandum aliquid in gratiam dæmonis, quod vel per se malum sit, vel speciem mali habere videatur, vel denique alicui obesse possit, etiamsi propterea polliceatur dæmon se discessurum. Primùm, quia nunquam sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, ad Roman. 3.

Deinde, illud omne quod præstat dæmon consueuit ordinare in malum aliquem finem. Tertiò, quia est mendacissimus. Si tamen roget rem aliquam, quæ nec mala sit, nec alicui obesse queat, sunt qui putent eam posse ab exorcistis exhiberi, ea lege, quòd ordinetur in bonum dæmoniaci.

Aduerte, liberũ esse exorcistis imperare dæmonibus, vt exitum suum prodant, hoc vel illo signo, quemadmodum & in eorumdem potestate est exigere, quo nomine vocetur dæmon, quos habeat socios suę obsessionis, propter quas causas ingressus sit huiusmodi hominem: legimus enim Christum Marci cap. 5. rogasse dæmoniacum quo nomine vocaretur, respondisséque dæmonem his verbis, *Legio, quia multi sumus.* Legio autem ex Glossa ordinaria continet numerum 6666.

A quorum importunis insidijs & immani tyrannide nos semper protegere dignetur idem Christus Dominus æterni Patris omnipotens filius, suæ sacratissimæ passionis merito, nec non eiusdem Genitrix purissima Virgo Maria, quibus laus & honor in secula seculorum, Amen.

FINIS.

IN PRIMAM SECVNDÆ DOCTORIS ANGELICI DIVI THOMÆ,

Dubitationes, & breues ac dilucidæ Concluſiones R. P. M. IOANNIS PVTEANI *Auguſtiniani, in Academia Toloſana S. Theologiæ Profeſſoris Regij.*

PROOEMIVM.

QVONIAM D. Thomas in prima Parte de Deo, quatenus in ſe eſt, & de eodem, vt eſt principium rerum omnium diſputauit; ideò in hac Secunda Parte, & in Tertia de eodem quatenus eſt finis hominis, & de mediis eam internis, quàm externis, quibus ad illum peruenitur, aut ab eodem receditur tractationem inſtituit. Ceterùm quia Pars 2. quæ de mediis internis, eſt nimis prolixa, ſubdiuiſa eſt in duas partes alias; quarum altera dicitur Prima Secundæ, in qua de mediis internis; hoc eſt de actibus humanis, & de virtutibus in communi: Altera verò Secunda Secundæ, in qua de iiſdem mediis in particulari accuratè agit; de mediis verò externis in Tertia Parte: Incarnatio namque, & Sacramenta ſunt media aliqua externa, per quæ in Deum, tanquam in vltimum finem ordinamur: Hæc autem Pars in quatuor præcipuas tractationes ſecatur. In 1. diſſeritur de beatitudine, ſeu de vltimo fine hominis. In 2. de actibus humanis. In 3. de virtutibus & vitijs, ſeu peccatis iiſdem oppoſitis. In 4. de lege & gratia, id eſt, de vltimo fine hominis.

QVÆSTIO PRIMA.

De vltimo hominis fine.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm conueniat homini agere propter finem.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit actio humana.

VARIANT in hac re explicanda Sententiarij. Alij namq; putant actionem humanam eſſe eam, quæ habet ortum ab homine ex pleniſſima, & perfectiſſima cognitione. Probatur primò: Ea actio cenſetur eſſe humana, quæ fit ab homine, quatenus homo eſt, & quæ conuenit homini, quatenus talis eſt; atqui omnis actio facta ab homine ex pleniſſima cognitione, conuenit homini, quatenus homo eſt; eſt enim homo ex ſe, & ſua natura intellectiuus, & item rationalis, ac proinde ratiocinationis capax: ergo actio humana erit ea quæ procedit ab homine, vt homo eſt. Ità plerique recentiores & vt videtur Azor lib. 1. Inſtitutionum moral cap. 1 quæſt. 3. ait enim actiones viſionis, amoris, & dilectionis, quæ dantur in beatis eſſe actiones humanas, licèt poſtea ſubiungat, eas dici humanas, quòd comparentur actionibus in hac vita factis.

Quorumdã opinio.

Sunt qui hoc confirment ex eo, quòd actio humana reiiciatur à brutis, ob defectum perfectiſſimæ cognitionis, qui datur in illis. Ceterùm ratio hæc nihil dicit; ſolus enim defectus libertatis producit in brutis defectum actionis humanæ, vt conſtabit ex Concluſione noſtra.

Aliorũ ſententia & fundamẽta.

Alij aliter, putant actiones humanas eſſe eas ſolas, & omnes quæ habent ortum ab homine; poſita tamen diſcuſſione, & inueſtigatione accurata, ex parte intellectus; neque ad eas ſufficere libertatem. Probant, quia libertas datur in pueris, ſtultis, & dormientibus, neque propterea in iſtis admittitur actio humana, cùm nulla laus, aut vituperium, nullum præmium, aut pœna debeatur illis: ergo. Antecedens autem probatur, quia omnis potentia rationalis eſt indifferens ad oppoſita.

1.

2. Deinde, quia dici non poteſt, quid ſit illud, quod tollit libertatem à pueris, ſtultis, & dormientibus: nam illud eſſe non poteſt paſſio; cùm operentur interdum ſecluſa omni planè paſſione; neque iudicium perfectum, cùm hoc non habeat locum in iſtis; neque denique apprehenſio obiecti, quoniam obiectum apprehenſum non ſemper mouet agens ad agendum, vt conſtat experientia quotidiana: ergo.

3. Denique, quia diſcurſus omnis videtur eſſe cum libertate coniunctus, & id certiſſimum eſt de merito ex D. Thom. quæſt. vltima huius partis: atqui diſcurſus deprehenditur interdum in pueris, & item in dormientibus, & ſomniantibus; meritum autem aliquod conceditur actionibus ſtultorum, ſaltem ex ſententia quorumdam Patrum, maximè verò D. Auguſtini 12. de Geneſ. ad litter. cap. 12. igitur illæ cenſendæ erunt actiones humanæ, quæ proficiſcuntur ab homine poſita diſcuſſione ex parte intellectus.

Actio humana eſt quæ fit ab homine liberè.

Conclvsio. *Actio humana cenſetur eſſe ſola & omnis liberè ab homine facta.* Primùm, quia ità ſentiunt D. Thom. hoc loco Caietan. & alij. Deinde, actio humana eſt ea, quæ conuenit homini, quatenus homo eſt, vt author eſt idem D. Thom. in corpore art. atqui omnis actio libera, & ſola conuenit homini vt homo eſt; nam hoc ſolo videtur differre à brutis, quòd ſuas actiones liberè exerceat, cùm bruta eas attingant neceſſariò.

Aliquorũ effugiũ præcluditur.

Reſpondent aliqui maiorem propoſitionem eſſe falſam; cognitio ſiquidem, quæ antecedit in nobis omnem vſum voluntatis, motus item vulgò nuncupati primò primi, conueniunt homini, quatenus homo eſt; neque tamen actiones iſtæ cenſetur eſſe humanæ. Ceterùm reſponſio hæc nihil planè dicit; nam actiones proximè commemoratæ, non conueniunt homini, quatenus homo diſtinguitur à brutis, inter agendum; nam cognitio agendorum tam verè locum habet in brutis, quàm in nobis; bruta item quemadmodum agunt neceſſariò, ità ſimiliter actiones proximè commemoratæ ſunt ab homine neceſſariò; ac proinde non poteſt dici de iſtis actionibus, quòd conueniant homini, quatenus homo diſtinguitur à brutis, ſiue, quod idem eſt, quatenus homo eſt.

Deinde, actio humana dicitur ea quæ habet ortum ab homine ex eo, quod homo eſt; atqui actio hominis libera, & ſola habet ortum ab homine, ex eo omni capite quo eſt homo, nempe ab intellectu, & voluntate: ergo. Ità Azor. Ceterùm hæc ratio non videtur ſatis efficax ad Concluſionem confirmandam; actio ſiquidem quæ datur in beatis circa diuinam eſſentiam amandam & videndam, omnium conſenſione, eſt ab intellectu, & voluntate beatorum, neque tamen exiſtimatur eſſe humana: amor item quo quilibet noſtrùm fertur in vltimum finem, ſpectatum in vniuerſum, eſt actio producta ab intellectu, & voluntate, neque propterea eſt humana: igitur actio humana non eſt illa quæ fit ab homine, vt homo eſt.

Tertiò probatur: Omnis actio in qua homo agit, & non agitur, eſt humana; at in actionibus liberis homo agit, & non agitur: ergo. Ità Caiet. hoc loco. *3. Ratio.*

Reſpondent tamen Conradus, & Barthol. Medina maiorem eſſe falſam; nam tam bene mouetur homo in actionibus liberis exercendis à Deo, quàm in neceſſariis: fatentur enim omnes ſecundas cauſas non poſſe quidpiam operari, niſi in virtute primæ, & item quemlibet effectum magis pendere à Deo, quàm ab vlla cauſa ſecunda. Deinde, tam verè eſt homo cauſa totalis, & adæquata actionis neceſſariæ, ſicut liberæ. Nihilominùs reſponſio hæc, licèt quoad ſuas probationes ſit veriſſima, non tamen quod attinet ad ſubiectam materiam de qua agit hoc loco Caiet. diſputat enim, de ſolis actionibus moralibus, & de iſtis aſſerit, quòd ſint ab homine certo aliquo modo, ſecundum quem nullo modo ſunt ab alio, nempe in genere moris, & in genere vtilitatis; moralitatem ſiquidem & vtilitatem conſequuntur actiones liberæ ab homine, qui eas elicit; ac proinde, cùm de iſtis veriſſimum ſit hominem agere, & nullo modo ab alio agi, ſtatuendum eſt actiones huiuſmodi eſſe verè & propriè humanas. *Solutio Cõradi.* *Non eſt ad rem.*

Deinde, rationes quibus confirmant ſuam reſponſionem authores præfati tantùm concludunt, effectum quemlibet magis eſſe à cauſa prima & vniuerſali, quàm ſit à ſecunda in genere cauſæ efficientis, non autem in genere moris.

Quartò probatur: Actiones illæ ſunt verè humanæ, quarum homo dominus eſt, vt author eſt, D. Thom. in corpore art. at omnium & ſingularum actionum liberarum homo dominus eſt; de iſtis enim omnibus & ſolis actionibus, verum eſt affirmare, quòd poſitis omnibus ad agendum neceſſariis poſſit homo agere, & non agere: qua in re conſtitutum eſt dominium naturale quod habet homo in ſuas actiones: ergo omnis etiam ſola actio liberè ab homine facta, cenſenda erit humana. *4. Probatio.*

Obiiciunt, ſeruum omnem carere dominio, & nihilominus aliquas exercere actiones humanas. *Obiectio.*

Reſpondeo, ſeruum carere quidem dominio ciuili, & politico, minimè verò naturali, ſaltem reſpectu ſuarum operationum internarum; ſeruitus enim non deſtruit libertatem, in ordine ſaltem ad actus elicitos ab intellectu & voluntate; imò docebimus quæſt. 7. huius partis, voluntatem non poſſe vlla ratione cogi à Deo in ſuis actionibus elicitis exercendis. *Solutio.*

Denique probatur Concluſio: Omnis actio meritoria, aut demeritoria, præmio vel pœna digna, omniũ conſenſu eſt humana; at ſolę & omnes actiones liberæ ſunt meritoriæ vel demeritoriæ, præmio vel pœna dignę: negant aliqui minorem, ſed parum rectè; nam dicemus quæſt. 7. ſeq. meritum, & demeritum, præmium & pœnam, laudem & vituperium eſſe proprietates humanarũ actionum, eſtque communis doctrina Peripateticorum, dum docent actionibus neceſſariis nullam tribuendam eſſe laudem vel vituperium: ergo ſi talis fuerit, cenſenda erit actio humana. *Vltima probatio.*

Vt autem Concluſio hæc pleniùs intelligatur. Aduerte actionem deliberatam eſſe liberam, & contrà; dicitur autem actio deliberata, in qua voluntas *Actio deliberata, libera eſt.*

Digitized by Google

voluntas nihil agit, niſi præcedente deliberatione, & conſultatione aliqua in intellectu: ac proinde iudicium intellectus duplex eſt, aliud perfectum, aliud imperfectum; hoc conſequitur comprehenſionem boni vel mali conuenientis, illud verò obiectum perfectiſſimè cognitum; & per conſequens duplex fortè datur in nobis voluntas, deliberata ſcilicet, & indeliberata, quo fit vt omnis actus voluntatis noſtræ tam eliciti, quàm imperati, ſunt voluntarij ſiue liberi, vel certè indeliberati, ſeu, quod idem eſt, voluntarij, & ſpontanei. Neque enim ſubſcribere poſſum eorum opinioni qui putant omnes actus imperatos voluntatis, eſſe deliberatos; nam actus viſionis qui datur in beatis circa diuinam eſſentiam & motus primò primi in nobis, ſunt actus imperati à voluntate, & tamen actus iſti omnes ſunt indeliberati. Cùm autem dixi, dari in nobis duas voluntates deliberatam, & indeliberatam, id non ità eſt intelligendum, quaſi velimus concedendas eſſe duas facultates realiter diſtinctas, eſt enim à parte rei vna numero voluntas quæ dicitur deliberata, & indeliberata, prout agit cum deliberatione & ſine deliberatione.

Actio humana non eſt idē quod actio hominis.

Aduerte 2. aliud eſſe actionem humanam, & aliud actionem hominis: actio enim humana, illa tantum eſt quæ fit ab homine liberè; actio verò hominis, illud omne, quod fit ab homine quocumque modo fiat, & ideò dormire, vigilare, loqui, flere, & ſimilia actiones hominis ſunt, non autem humanæ. In iſtis autem omnibus actionibus duo ſunt aduertenda; Alterum eſt ſubſtantia ſeu entitas, alterum modus: ſubſtantia centetur eſſe illud totum, quod per definitionem actionis ſignificatur, vt ſubſtantia eleemoſynæ largitionis, nihil aliud eſt, quàm traditio alicuius rei ad ſubleuandam proximi miſeriam; modus autem eſt id quod modificat actiones iſtas, qui eſt duplex, neceſſarius, & liber: hic diſtinguit actiones humanas, ab actionibus hominis; nam licèt omnis actio libera, ſit actio hominis, non tamen eſt actio hominis tantùm ſed humana etiam, idque quòd ſit ab homine liberè, & non neceſſariò operante; at non omnis hominis actio humana cenſetur.

Diſſoluuntur argumenta 1. ſent.

Ad rationes verò authorum primæ ſententiæ. Reſpondeo actionem factam ex pleniſſima cognitione ab homine, non eſſe humanam, quia non eſt hæc libera; diximus autem libertatem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad actionem humanam. Sunt qui aliter reſpondeant: nihil vetare quominùs fateamur actionem factam ex plena cognitione eſſe humanam, ſaltem abſolutè loquendo, idque, quod modus agendi ex perfectiſſima cognitione videatur eſſe proprius ſolis hominibus, differat verò D. Thomas hoc loco de actionibus humanis, quatenus homo diſtinguitur à brutis, quæ agunt ſemper ex imperfecta cognitione; ſecundum tamen vſum, & conſuetudinem loquendi recentiorum Theologorum actiones iſtæ non poſſunt dici humanæ, quia ex D. Thom. actio humana ea ſola habetur quæ eſt libera. Idem ad ſecundam rationem.

2. Sent. fundament. ſuſtſit.

Ad rationes verò authorum 2. ſententiæ reſpondeo. Ad 1. negando libertatem dari in pueris dormientibus, & in ſtultis in actu ſecundo, licèt in actu primo concedenda ſit in illis libertas, vtpote quæ definiatur à D. Thom. hoc loco, facultas intellectus, & voluntatis; intellectus autem, & voluntas verè dantur in omnibus hominibus quicumque illi ſint.

Sunt qui rem iſtam aliter explicant, aiunt enim vſum libertatis nullum dari in pueris, & ſtultis, bene tamen facultatem libertatis.

Ad primam verò confirmationem. Reſpond. & omnem potentiam rationalem, non eſſe indifferentem ad oppoſita vbique locorum, ſed tantùm poſitis certis quibuſdam conditionibus; nam agentes in cœlis retinent veram libertatem, & tamen non feruntur liberè circa diuinam eſſentiam. Deinde, anima quamprimùm corpori hominis eſt vnita æquè ſuas habet potentias, atque quando peruenit ad vſum rationis, neque tamen poteſt anima omnes ſuas facultates ad actum reuocare, quamprimùm vnita eſt corpori vt conſtat experientia.

1. Confirmationi. 1.

Ad ſecundam verò rationem. Reſp. voluntatem neceſſitari in ſtultis, pueris, & dormientibus ab apprehenſione boni, licèt certè malè cogniti, & ab imperentia deliberandi de agendis, quæ in illis omnibus reperitur; voluntas ſiquidem noſtra ex ſe, & ſua natura hoc habet, vt non poſſit non ferri circa obiectum ſibi propoſitum, quandocumque proponitur illi ſine vlla ratione mali, neque datur locus intellectui deliberandi de agendis, vt communiter docent authores ad quæſt. 7. huius partis, aliſ ad 18.

2.

Ad tertiam. Reſp. diſcurſum propriè dictum, nullum dari in pueris, & in alijs proximè commemoratis ob defectum deliberationis, & conſultationis ex parte intellectus. Ad id verò quod additur ex D. Auguſtino, & aliis nonnullis Patribus in oppoſitum. Reſpond. Patres iſtos voluiſſe tantùm in pueris, & ſtultis dari vmbram, ſimilitudinem, & figuram diſcurſus, non autem diſcurſum propriè dictum, cùm nequeant reddere rationem eorum, quæ agunt, aut ſi reddant, caſu, & temerè id præſtant; aut certè, quia recordantur eorum, quæ audierunt aliquando ab alijs; meritum item aut demeritum propriè dictum non eſt admittendum in prædictis, ſed tantùm vmbra meriti, aut demeriti, quatenus ſcilicet actiones puerorum, & ſtultorum comparantur interdum cum actionibus eorum, qui vſum rectæ rationis habent, & tamen magis videntur iſti recedere ab actionibus honeſtis, quàm pueri & dementati.

3.

DVBITATIO SECVNDA.

An omnis actio humana ſit propter finem.

1.

RAtio dubitandi eſt, quia ſi ità res haberet ſe queretur dari progreſſum in infinitum, finis enim haberet aliquem alium finem, & ità in infinitum, aut certè idem eſſet cauſa ſui ipſius, quorum tamen neutrum dici poteſt, cùm natura abhorreat ab infinito, & quælibet cauſa diſtincta ſit realiter à ſuo effectu, ex communi doctrina.

2.

Deinde, ſimplex amor finis alicuius non eſt propter finem, qui enim elicit hunc actum non cogitat actu aliquo explicato de fine.

3.

Tertiò, quemadmodum ſe habet principium in theoreticis, ità finis in practicis, ſiue operabilibus in genere moris; at principium non eſt cauſa illius aſſenſus, quo intellectus noſter aſſentitur principiis, ſed ipſemet intellectus & habitus, quibus facilitatur in ſuis actionibus exercendis: ergo.

Digitized by Google

4. Quartò, delectatio de fine obtento, non est propter finem, cùm sit eo posterior.

Vlt. Denique, actus otiosus censetur esse humanus, de hoc siquidem erit reddenda ratio in die iudicij, *Matth.* 12. at actus hic caret fine: ergo non omnis actio humana est propter finem.

Omnis actus humanus habet finem. 1. CONCLVSIO. *Omnis actus humanus vendicat sibi aliquem finem, quis vulgò dicitur, finis cuius gratia, quia est id quod mouet agens, per intellectum ad agendum.* Primùm, quia electio mediorum, intentio finis, & amor eiusdem, & denique delectatio de huiusmodi fine, sunt omnium consensu actus humani: at omnes isti sunt propter finem: & quidem de mediis nulla est dubitatio, nec item de intentione, & amore finis, hic enim intenditur & amatur, propter semetipsum: nec demum de delectatione, quia licèt hæc non respiciat finem obtinendum, datur tamen in nobis de fine obtento: ergo omnis actus humanus fertur in aliquem finem.

2. Deinde, omnis actus voluntatis versatur circa bonum verum, aut apparens, siue, vt alij loquuntur, circa appetibile, sed omnis actus humanus, est actus voluntatis: ergo versantur isti circa bonum, ergo & circa finem; finis enim & bonum, sunt vnum & idem ex doctrina Aristotelis, & D. Thom. 1. part. quæst. 5

3. Tertiò, principium in vnoquoque genere, est causa eorum, quæ sunt sub illo genere, vt supponit D. Thom. hoc loco ex Aristotele; at finis est principium primum in genere rerum operabilium.

Vlt. Denique, omnis actio agentis per intellectum, est propter finem, agit enim hic ex præcognitione finis: atqui actio humana est actio agentis per intellectum: ergo est propter finem: hæc ratio est D. Thom. 3. contra Gentes cap. 2.

Obiectio. Dices, D. Thom. affirmare hoc loco operationem, quę est vltimus finis, non esse propter finem.

Solutio. Respond. D. Thom. negare tantum operationem, quæ est vltimus finis, non esse propter finem distinctum realiter ab operatione ipsa, non autem non esse propter finem; nam operatio hæc, vt est vltimus finis, ità quoque est propter seipsam, ac consequenter & propter finem; imò non est negandum operationem quæ est vltimus finis, non habere finem aliquem, habet enim finem cui, cum hæc operatio sit vltimus finis illius hominis, qui actionem seu operationem istam exercuit.

Soluuntur rationes dubitandi. Ad rationes verò dubitandi respond. Ad primam, negando illationem maioris. Ad primam verò probationem, non propterea dari progressum in infinitum in finibus; nam vltimus finis est ratio appetendi seipsum, & item media omnia in huiusmodi finem ordinata, illo eodem modo quo prima dispositio est ratio recipiendi se, & quælibet alia à se; ac proinde, quemadmodum dispositio prima impedit progressum in infinitum, ità etiam & finis vltimus impedit eumdem, seu similem progressum in illis & ijs expetendis. Ad secundam verò probationem: Non esse absurdum idem esse causam suiipsius in genere causæ finalis; finis enim in esse intento & apprehenso consideratus, est causa suiipsius in esse actualis existentię: imò non est absurdū idem esse causam sui ipsius in genere causæ efficientis, saltem si sermo sit de causa efficiente instrumentali: nam fatentur omnes verba consecrationis habere vim producendi corpus Christi sub speciebus consecratis: quin & plerique alij recentiores docent verba consecrationis de facto producere corpus Christi in sacramento, & tamen omnia hæc verba, ipsam vim agendi mutuantur ab ipso corpore Christi in esse actualis existentiæ constituto: non erit ergo mirum finem producere seipsum diuersa ratione sumptum.

Ad secundam respond. Amorem simplicem finis repetendum esse ab ipso fine: nam licèt actu aliquo explicato, & formali non sit simplex hic amor ab ipso fine, est tamen ab eodem actu aliquo virtuali, cùm non possit hic simplex amor finis intelligi, nec esse sinè dependentia à fine: quemadmodum neque visio potest esse sinè dependentia ab obiecto viso. 2.

Ad tertiam: quidquid sit de maiori, nego minorem; licèt enim assensus circa principia in genere causæ efficientis sit ab intellectu, & ab habitibus in eo collocatis: in genere tamen causæ finalis, assensus hic est ab ipsimet principiis, seu ab appetitu innato cuiuslibet, quo cupimus veritatem quamlibet intelligere, idque naturaliter; causant autem huiusmodi principia appetitum & desiderium, non per iudicium, vt facit voluntas, quando aliquid amat; sed per apprehensionem, veluti conditionem sinè qua non, vel certè per apprehensionem, vt habet rationem dispositionis determinantis vltimò & per se intellectum nostrum ad assentiendum principiis, & per principia Conclusionibus eductis ex principiis: hinc pronunciatum illud communissimum Logicorum: Assensus fit circa principia propter ipsamet principia; assensus verò circa conclusionem fit medio assensu principiorum. 3.

Ad quartam: delectationem quæ datur in nobis de fine obtento esse propter finem, non quidem obtinendum, sed obtentum, vt pluribus demonstrat Suarez disp. 23. sect. 6. suæ Metaphys. & plerique recentiores hoc loco. 4.

Ad vltimam: verba otiosa non carere fine aliquo, cùm imputentur ex multorum sententia ad culpam: dicuntur namque otiosa, non quod careant omni fine, sed quod non habeant eum in quem debuerunt ordinari, pro eo tempore in quo ab homine prolata sunt. 5.

DVBITATIO TERTIA.

An finis moueat voluntatem nostram tantùm ad operandum: seu; An solus finis sit obiectum voluntatis nostræ adæquatum.

Sententia communis. RESpondet D. Thom. affirmatiuè, & item interpretes eiusdem omnes. Deinde, voluntas nostra habet pro obiecto adæquato bonum seu appetibile, bonum autem & finis sunt vnum & idem: ergo finis erit obiectum adæquatum voluntatis.

Quid finis nomine significetur *varia sententia.* Non tamen conuenit inter omnes quid significetur nomine finis hoc loco apud D. Thom. Conradus putat significari illud omne, quod mouet, & terminat actum voluntatis nostræ, & sic docet obiectum voluntatis nostræ adæquatum, esse, id quod mouet voluntatem ad agendum, & quod terminat actum eiusdem ex sententia D. Thom. Cetertùm opinio hæc est aliena à D. Thoma: hic enim admittit vnum tantum obiectum voluntatis; Conradus verò videtur constituere duo, motiuum scilicet & terminatiuum.

Suarez

Digitized by Google

Suarez verò diſp. 23. tom. 2. Metaph. Caiet. hoc loco, Franciſcus à Victoria, & Salas diſp 6. ſect. 2. tract. 1. arbitrantur, nomine finis ſignificari tantùm finem vltimum, ac per conſequens volunt obiectum adæquatum voluntatis noſtræ eſſe finem vltimum, ſub ratione finis vltimi; ità vt voluntas noſtra nihil planè velit, niſi quatenus in eo reperitur ratio finis vltimi.

Quòd ſi authoribus iſtis obieceris, voluntatem nedum ferri in finem; ſed etiam in media ad finem huiuſmodi ordinata conſequendum. Reſpondent voluntatem noſtram ferri in media, quatenus hæc participant rationem finis; nam media, inquiunt, tamdiu ſunt media, quamdiu iuuant ad finem conſequendum; imò deſinunt hæc eſſe media per ſolam deſitionem finis, licèt nulla contingat mutatio in illis.

Refellitur Suarez. Ceterùm hæc ſententia licèt ſit valde probabilis, non tamen videtur eſſe ſimpliciter vera; nam bonitas mediorum omnino diuerſa à bonitate finis; hæc enim eſt abſoluta, illa verò reſpectiua: propter hanc ſiquidem cauſam nuncupatur bonitas vtilis, cùm conducat ad finem obtinendum. Deinde, vt omnia & ſingula media referuntur ad finem vltimum; ità media magis remota à fine vltimo poſſunt referri ad medium ſibi magis proximum. Tertiò, ſi illud omne quod voluntas noſtra appetit expoſcat illud propter ſolam bonitatem vltimi finis, ſequitur omnia media eſſe æquè vtilia ad finem conſequendum, cuius tamen oppoſitum docet experientia.

Reſpondent authores iſtius ſententiæ, inæqualitatem vtilitatis mediorum deſumendam eſſe ex inæqualitate participationis vltimi finis bonitatis. Ceterùm hæc reſponſio nihil planè dicit, quando enim aliquid conuenit aliquibus tantum extrinſecè, nulla poteſt aſſignari ratio, propter quam vni potius, quàm alteri conueniat: bonitas autem vltimi finis conuenit ſolum denominatione extrinſeca mediis ad huiuſmodi finem conſequendum ordinatis.

Explicatio Vazquezij. Vazquez verò diſp. 1. cap. 2. & 4. huius partis, putat voluntatem noſtram verſari circa media & finem, veluti circa proprium & adæquatum obiectum; ac proinde docet voluntatem ferri in media, quatenus media ſunt, minimè verò quatenus in illis reperitur ratio finis. Primùm, quia illud omne quod expetitur à nobis, propter bonitatem quę in eo reperitur expetitur; obiectum ſiquidem voluntatis cenſetur eſſe bonum: at bonitas mediorum eſt diuerſa omnino à bonitate finis, cùm ſint hæ duæ entitates realiter diſtinctæ. Deinde, ratio finis nequit competere mediis: ergo ratio mouendi voluntatem competit mediis præcisè.

Aliena à mente D. Thom. Ceterùm neque hæc videtur accedere ad mentem D. Thom. hic enim verbis expreſſis habet voluntatem noſtram tantum ferri in finem; media autem, vt ſic, non ſunt finis. Deinde, omnis actio humana eſt propter finem; atqui electio mediorum eſt actio humana: ergo eſt propter finem. Tertiò, actio deliberata & humana conuertuntur; ſed deliberamus nedum de vltimo fine, ſed etiam de mediis ad finem neceſſariis: ergo voluntas noſtra fertur in media quatenus participant rationem finis.

Vera authoris explicatio. Vera eſt ergo eorum opinio, qui putant nomine finis ſignificari hoc loco, illud omne, quod habet rationem finis in vniuerſum: ità vt obiectum adæquatum voluntatis noſtræ, ex ſententia D. Thom. ſit ſolus finis, vt autem hæc ſententia intelligatur

Aduerte, fines eſſe in duplici differentia: alij namque ſunt vltimi, alij ſunt interiecti, ſeu intermedij, vt manifeſtè docet Ægidius in 2. diſt. 38. quæſt. 2. art. 2. Ockam in 2. diſt. 2. art. 2. quæſt. 3. corollario 2. & 3. & videtur colligi ex Ariſtotele lib. 2. Phyſicor. cap. 3. & lib. 5. Metaph. cap. 2. definitur ſiquidem illic finis hac ratione: Finis eſt id cuius gratia aliquid fit: ſubiungit deambulationem & humorum extenuationem computari inter fines; certum autem eſt iſta habere rationem medij, reſpectu ſanitatis, quæ eſt vltimus finis: finis autem intermedius cenſetur eſſe id cuius gratia aliquid fit, licèt ad aliquid aliud id referatur; vt v.g. ſumptio medicinæ poteſt eſſe finis alicuius medij prioris, licèt hæc ordinetur ad purgandos malos humores, & ad ſanitatem conſequendam: finis autem vltimus eſt, id cuius gratia cetera omnia fiunt, ipſum verò nullius alterius gratia. *Finium alij ſunt vltimi, alij interiecti.*

Aduerte 2. bonitatem mediorum eſſe duplicem, extrinſecam, ſcilicet, & intrinſecam: prima conuenit mediis, cum dependentia à fine; propter eam enim cauſam dicitur hæc bonitas vtilis, ſecunda verò competit mediis intrinſecè: quemadmodum enim media habent entitatem realiter differentem à fine; ità vendicant ſibi bonitatem propriam, diſtinctam à bonitate finis. Ens enim & bonum ità ſunt coniuncta, vt ab inuicem ſeparari nullo modo queant; quoniam ergo duplex hæc bonitas admittitur in mediis, & quemadmodum media omnia referuntur ad finem; ità etiam vnum medium poteſt comparari cum altero medio, & ideò illius quoque finis dici poteſt non quidem vltimus, ſed intermedius: ità docent authores iſti obiectum adæquatum voluntatis noſtræ eſſe finem, ſumptum in vniuerſum, ſiue, quod idem eſt, prout includit finem vltimum & intermedium. Hæc ſententia videtur eſſe manifeſtè Ægidij, Ockam, & quorumdam recentiorum. Probatur hac vnica ratione: Illud omne quod voluntas noſtra expetit, habet rationem finis, ex doctrina D. Thom. hoc loco; at finis vltimus, & interiectus habet in ſe rationem finis: ergo vterque eſt obiectum voluntatis. *Bonitas mediorũ extrinſeca, & intrinſeca.*

Ad rationes verò authorum ſecundæ ſententiæ. Reſpond. media tamdiu eſſe media, quamdiu conducunt ad vltimum finem obtinendum, & item, fine deſtructo deſinere media eſſe media, etiamſi nulla contingat mutatio in mediis, ſed in ſolo fine, ſunt enim media & finis relata, deſtructo autem vno relatorum, deſtruitur & aliud. Ex iſtis tamen non licet colligere media expeti tantùm propter bonitatem vltimi finis: nam præter illa quæ dicuntur extrinſecè de mediis, datur in illis bonitas quædam intrinſeca, quam poteſt voluntas expetere prout hæc habet rationem finis intermedij, vt conſtat exemplo extenuationis humorum, hæc enim appetitur à nobis propter ſanitatem, ſanitas verò vt actiones conformes diuinæ legi frequentiùs exerceantur. *Soluuntur 1. opinionis fundamẽta.*

Ad rationes verò Gabrielis Vazquez. Reſp. ad primam, illud omne quod expetitur à nobis expeti propter bonitatem extrinſecam, vel intrinſecam, vt conſtat ex annotato ſecundo, & item ex potione: hanc enim deſideramus propter ſanitatem, quæ dicitur intrinſecè de medicina, ſiue potione, & per conſequens poterit *Satisfit argumentis Vazq.*

voluntas noſtra media appetere propter bonitatem finis vltimi, & item propter bonitatem finis intermedij, quæ datur in omnibus mediis à primo & vltimo, & in primo medio ex multorum ſententia; quia licèt careat hoc medio aliquo priore ſe, admittit tamen aliquem actum antecedentem vel in intellectu, vel in voluntate, cum quo comparatum poteſt dici quodammodo finis intermedius; ac proinde habebit bonitatem finis intermedij aliquo modo.

Ad ſecundam. Reſpond. rationem finis competere mediis; nam finis in vniuerſum, nihil aliud eſt, quàm id cuius gratia aliquid fit, vnum autem medium poteſt comparari cum alio medio, quemadmodum & omnia comparantur cum vltimo fine. Vrget Vazq. finem eſſe cuius gratia aliquid fit; ipſum verò nullius alterius gratia: at media omnia ſunt gratia vltimi finis: ergo. Reſp. proximè adductam definitionem, eſſe definitionem tantùm finis vltimi; & ideò probari hoc argumento media non poſſe habere rationem vltimi finis, quod nos vltrò concedimus: cum iſtis tamen rectè cohæret, vt media conſequantur rationem finis in vniuerſum; hæc enim nihil aliud eſt quàm id cuius gratia aliquid fit, vnum autem medium eſt propter aliud.

DVBITATIO VLTIMA.

Qua ratione finis moueat voluntatem noſtram in actionibus ſuis exercendis.

Duo neceſſaria vt finis producat ſuos effectus.

ADuerte, duo eſſe ſimpliciter neceſſaria ad hoc vt finis ſuos in nobis producat effectus; Alterum, principium formale operandi, ſiue cauſandi; alterum conditio ſinè qua non operari poteſt: eadem quippe ratione loquendum eſt de cauſa finali, qua de cauſa efficienti, ceteris tamen paribus; in cauſis autem efficientibus datur & principium formale operandi, quod v. g. in igne reſpectu calefactionis eſt calor, & item conditio ſine qua non, approximatio ſcilicet, ad id quod patitur, ità duo hæc ſunt ſimpliciter neceſſaria in cauſa finali. Quærimus ergo hoc loco principium formale cauſandi finis, & item conditionem ſinè qua non, finis operari poteſt.

Finis cauſat realiter.

1. CONCLVSIO 1. *Principium reale cauſandi finis eſt eſſe reale quod habet à parte rei, aut habiturus eſt*; nam per illud finis producit ſuos effectus, tanquam per principium formale cauſandi, per quod finis eſt quid bonum, & vltimum, aut intermedium: at finis ſecundum eſſe quod habet in intentione non eſt bonum quidpiam, neque etiam quid intermedium aut vltimum: ergo non cauſat ſecundum eſſe illud intentionale ſed ſecundum eſſe reale.

2. Deinde, obiectum adæquatum voluntatis eſt bonum; atqui finis & bonum ſunt vnum & idem, ex doctrina Ariſtotelis & D. Thom. 1. part. quæſt. 5. art. 4. ergo cum bonitas inſit fini ſecundùm eſſe reale quod habet à parte rei, ſecundùm quoque illud omne erit principium formale cauſandi.

3. Tertiò, illud cenſetur eſſe principium productiuum formale in fine, per quod finis terminat appetitionem voluntatis noſtræ; at terminat hic oppoſitum voluntatis noſtræ, per illud omne, quod habet à parte rei; hoc enim adepto conquieſcit planè voluntas noſtra, definitque vlteriùs finem expetere: ergo.

4. Quartò, principium formale productiuum in fine, eſt illud idē quo fraudatur quis, dum contingit non potiri fine cōcuptio: atqui fraudamur fine ſecundùm eſſe quod habet à parte rei, non verò ſecundùm eſſe quod habet in intentione, vt conſtat exemplo Medici curantis ægrotū, cum ſanitatem ei minimè reſtituit, licèt præſtiterit ea omnia quæ ſunt artis Medicinæ vt curaret ægrotum: ergo principium formale cauſandi finis, eſt eſſe reale quod habet.

Finis ſuos producit effectus, ſecundum eſſe quod habet in intentione tanquam per conditionem ſimpliciter neceſſariam ad hoc vt operetur.

Eſſe intentionale concipitur ſinè qua non, finis cauſat.

CONCLVSIO 2. Primùm, quia propter hanc cauſam fatentur omnes finem eſſe primum in intentione, & vltimum in executione. 1.

Deinde, finem eſſe primam cauſam concedunt omnes, idque quod ceteras omnes videatur antecedere in his quæ agunt ex cognitione finis. Ità D Thom. art. 2. huius quæſt. & 3. contra Gentes, cap 17. Ariſtotel. lib. 11. Metaphyſ. cap 1. textu 36. Albertus in 2. Phyſicor. Alenſis 1. parte, quæſt. 17. membro 3. & alij: at hæc vera eſſe tantùm poſſunt de fine ſpectato ſecundùm eſſe quod habet in intentione: ergo ſecundùm hoc eſſe finis, agit tanquam per conditionem ſinè qua non. 2.

Tertiò, abſque apprehenſione finis ex parte intellectus, non poteſt cauſare; non enim hoc poteſt niſi ametur, nequit autem amari niſi cognoſcatur; cùm voluntas, vtpote potentia cœca, non feratur in incognitum: ergo ſaltem cognitio obiecti erit conditio ſinè qua non finis cauſare poteſt. 3.

Obiectio.

Dices, nullam cauſam de facto operari, niſi fuerit; at finis tantùm eſt ſecundùm eſſe intentionale: ergo ſecundùm hoc eſſe operabitur tantùm.

Solutio.

Reſpondeo, propoſitionem maiorem eſſe veram in cauſis naturalibus, formalibus & præterea efficientibus principalibus: cauſæ ſiquidem efficientes principales influunt in effectum per verum & realem aliquem influxum, formales verò & naturales de facto cōcurrunt ad compoſitionē entis naturalis: ac proinde cùm ens naturale conſurgat ex illis, veluti ex ſuis partibus, quemadmodū ens naturale verè ponitur extra ſuas cauſas; ità neceſſe materiā & formā de facto exiſtere in ſeipſis: in cauſis tamen finalibus maior hæc falſa eſt, quia finis attingit ſuos effectus tantùm per motionem metaphoricam, non autem per verum & realem influxum, vt faciunt cauſæ efficientes, & per conſequens ſatis eſt ad hoc vt finis verè cauſet, quòd ſit futurus, aut ſperetur futurus, & quod ſit in eſſe obiectiuo.

Obiectio.

Dices, vt plurimum fraudari homines fine ſecundùm eſſe reale, nuſquam autem ſecundùm eſſe intentionale: ergo potius agit hic ſecundum eſſe intentionale, quàm ſecundum eſſe reale.

Solutio.

Reſpondeo, conceſſo antecedente nego conſequens; eſt enim de ratione cauſalitatis finis, vt eius principium formale non ſit in eſſe actualis exiſtentię, ſed tantùm in eſſe cognito, & apprehenſo; ità vt principium formale productiuum verè non ſit in ſe, ſed tantùm in eſſe cognito: hoc autem eſſe cognitum eſt conditio ſinè qua finis non operaretur.

Digitized by Google

ARTICVLVS SECVNDVS.

An ſit proprium creaturæ rationali agere propter finem.

Rationes dubitandi.

RAtio dubitandi eſt, quia opus naturæ eſt opus intelligentiæ 2. Phyſic. apud Ariſtotel. at nomine naturæ illic ſignificantur res deſtitutæ ratione.

1.

2. Deinde, bruta videntur agere propter finem, vti conſtat ex araneis, & alijs nonnullis animalibus; hæc enim telas ordiuntur vt muſcas capiant: ergo non competit ſoli creaturæ rationali agere propter finem.

3. Denique, angeli, dæmones, & Deus agunt propter finem, neque tamen iſti ſunt homines.

Aduerte, non quæri hoc loco, An homo agat propter finem; de hac enim re fusè Articulo 1. diximus. Quærimus ergo; An homo agat propter finem ſolus, & qua ratione: nam quæ agunt propter finem, interdum ex deſiderio, interdum verò ex amore & complacentia operantur. Priori modo operantur ea quæ finem in ſe non habent, ſed media operatione illum conſequuntur: poſteriori verò modo quæ finem in ſe habent, & ad agendum mouentur, vt cùm alijs communicent, ac proinde delectantur quòd ſibi & alijs inſit.

Homo agit propter finẽ.

CONCLVSIO 1. *Homo agit propter finem ex deſiderio interdum, aliàs verò ex complacentia.* Prima pars probatur ex Dauide, Pſalm. 118. *Inclina cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem.* Iob 7. *Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui.* Epheſ. 3. *Huius rei gratia flecto genua mea.* 2. Corinth. 4. *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.*

Pſal. 118. ℣. 112. Iob. 7. ℣. 2. Epheſ. 3. ℣. 14. 2. Cor. 4. ℣. 10.

2. Deinde, is verè agit ex deſiderio finis, qui cognoſcit habitudinem finis ad media, & proportionem mediorum ad finem, & denique qui carent iſto fine: at certum eſt hominem cognoſcere finis habitudinem ad media, & proportionem mediorum ad finem; eligit enim hic non quælibet media, vt finem conſequatur, ſed

3. quæ videntur eſſe magis vtilia, & experientia conſtat hominem carere fine intento, vt plurimum: igitur, & cet.

Tertiò, is verè agit ex deſiderio finis, qui perficitur à fine; at certum eſt nos in dies perfici mediis his & illis operationibus: fatentur enim omnes ex actibus frequentatis in nobis produci habitus tam intellectus, quàm voluntatis: ergo verè operamur ex intentione finis.

Secunda verò pars Concluſionis probatur: Quilibet noſtrûm diligit aliquando Deum ex motiuo charitatis; at ratio charitatis poſtulat vt Deus diligatur propter ſeipſum: ergo ex complacentia eiuſdem.

Confirmatur: qui dat eleemoſynam propter Deum tantùm, hic operatur in amore & complacentia finis; at certum eſt dari eleemoſynas pijs & religioſis hominibus intuitu ſolius bonitatis diuinæ: ergo illa operatio eſt ex complacentia finis. Ità communiter omnes hoc loco, & ad 1. part. quæſt. 44.

Angeli agunt propter finem

CONCLVSIO 2. *Nedum homo, ſed etiam Angeli, imò dæmones ipſi operantur ex deſiderio, & amore finis.* Primò, quia non minùs dæmones & angeli perfici poſſunt inter agendum, quàm quilibet noſtrûm.

Deinde, licèt non diſcurrant propriè angeli, & dæmones, ſaltem vt plurimum, diſcurrunt tamen aliquando, & conſultant de rebus agendis: at omnis actio deliberata eſt propter finem, ex artic. 1. huius quæſt. ergo angeli & dæmones operantur propter finem. Hæc Concluſio probatur ex locis Scripturæ ſacræ, Iſai. 14. dicitur de dæmone; *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* & alibi precatur Chriſtum, vt eum cum ſocijs mittat in procos. De angelis verò dicitur, Luc. 15. *Gaudium erit angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*: ergo.

Iſai. 14. ℣. 15. Marc. 5. ℣. 12. Luc. 15. ℣. 10.

Actio immanens Dei non eſt propter finem.

CONCLVSIO 3. *Nulla actio Dei immanens fit ab eo propter finem.* Aduerte, actiones immanentes nullas propriè dari in Deo: actio enim eſt accidens, quæcumque illa ſit.

Notabile.

Deinde quia Deus eſt actus puriſſimus, & per conſequẽs incapax receptionis alicui⁹ entitatis de nouo; licèt autẽ actiones immanentes non habeãt propriè locum in Deo, conceditur tamen aliquid in eo quod imitatur huiuſmodi actiones: huius generis ſunt cognitio qua Deus cognoſcit ſeipſum, amor quo amat ſeipſum, intellectio Patris producentis Filium, & ſimiles. Probatur Concluſio: Primò, actiones immanentes ſunt eiuſdem planè naturæ & eſſentiæ cum diuina natura; at diuina natura nullum planè finem poteſt habere: ergo neque actiones immanentes.

2. Deinde, finis eſt perfectior his omnibus quæ ſunt ad finem; at in diuinis non datur aliquid perfectius alio, ex Symbolo Athanaſij; *In hac Trinitate nihil maius aut minus.*

Symbol. Athanaſ. 3.

Tertiò, illic tantùm datur cauſalitas finis, vbi datur cauſalitas cauſæ efficientis; at repugnat intrà diuinam eſſentiam dari cauſalitatem cauſæ efficientis, cùm Deus ſit prima cauſa, & per conſequens improducta per veram efficientiam: ergo non dabitur finis cauſalitas.

4. Quartò, actiones propter finem debent eſſe deliberatæ, ſaltem vt plurimum; at actiones intrà Deum ſunt ſimpliciter neceſſariæ: ergo nulla actio immanẽs in Deo poteſt eſſe propter finem.

Obiectio.

Obijcies, patrem ſua intellectione producere Filium, & conſequenter ordinare intellectionem ſuam in Filium tamquam in finem: ergo actiones immanentes Dei ſunt propter finem.

Reſponſ.

Reſpondeo, conceſſa prima parte antecedentis, negando ſecundam: aliud namque eſt actionem aliquam habere terminum productum, & aliud habere finem in quem ordinatur. Primum, concedendum eſt de intellectione Patris, per hanc enim producitur Verbum; non autem ſecundum, idque quòd Filius productus, non fit perfectior Patre producente, neque perficitur Pater per huiuſmodi productionem.

Obiectio 2.

Obijcies 2. Deum intelligere ſe, & alia à ſe, propter ſemetipſum: ergo & propter finẽ aliquẽ.

Solutio.

Reſpondeo particulam, *propter*, dicere veram cauſam, non quidem reſpectu dilectionis diuinæ, ſed tantùm reſpectu rei dilectæ, variæ & diuerſæ ab ipſomet Deo, & quia res iſta dilecta, verè producta eſt in genere cauſę efficientis phyſicę, ideò ordinatur quoque hæc in certum aliquem finem, qui eſt Deus ipſe, vel eius gloria. Ità D. Thom. 1. part. quęſt. 19. art. 2. & 9. & lib. primo contra Gentes, cap. 86. ait voluntatis diuinæ nullam dari cauſam, ſed tantùm rationem, Alenſis 1. part. quæſt. 3. art. 3.

Externa Dei actiones habent finem.

CONCLVSIO VLTIMA. *Actiones diuinæ externæ certum ſibi aliquem finem externum vendicant: ſeu, quod idem eſt, Deus in omnibus ſuis actionibus ad extra propter finem operatur.* Primùm, incarnatio eſt actio Dei ad extra, & item prædeſtinatio, & denique creatio: at omnes iſtæ ſunt propter certum aliquem finem. Prima ordinatur in ſalutem generis humani, 1. Timoth. 1. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere:* Secunda item eſt propter oſtenſionem diuinæ bonitatis, ad Epheſ. 1. & Rom. 9. *Vt oſtenderet diuitias ſuæ gloriæ*, &c. Tertia denique eſt propter manifeſtationem diuinæ omnipotentiæ. Imò hoc ipſum docet D. Thom. 1. part. quæſt 44.

1. Timot. 1. v. 15. Rom. 9. v. 23. Prou. 16. v. 4.

2. Deinde, actio cuiuſlibet agentis per intellectum eſt propter finem, ſaltem ſi ſermo ſit de actione tranſeunte; agit enim ex præcognitione finis: at Deus eſt agens per intellectum.

3. Denique, omnis actio agentis liberi extra ſe eſt propter finem; at Deus agit extra ſe quàm maximè liberè: ergo & propter finem aliquem. Ità ſentiunt ſancti Patres, Hieron. ad cap. 16. Prouerb. Auguſtinus in Enchirid. ad Laurent. cap. 9. Scholaſtici verò omnes hoc loco, & prima parte, quæſt 44.

Hieron. D. Auguſt.

Obiectio. Dices, actionem Dei tranſeuntem eſſe idem cum eſſentia diuina; eſt enim actio, id quod exit ab agente, quatenus agens eſt; at diuinæ eſſentiæ nullus datur finis, nec dari poteſt: ergo & cetera.

Solutio. Reſpondeo, negando propoſitionem maiorem, actiones ſiquidem Dei ad extra ſunt idem cum rebus ipſis productis, vt docent omnes de creatione; contendunt enim hanc identificari perfectiſſimè cum re creata; vnde ſicut res quælibet creata cauſam admittit aliquam efficientem; ità quoque actionis creationis dabitur finis aliquis, quem Deus intendit inter creandum, atque idem eſt iudicium de alijs omnibus actionibus tranſeuntibus diuinis.

Obiectio 2. Dices, eum qui agit propter finem perfici à fine, repugnare autem Deum perfici: ergo & agere propter finem.

Solutio. Reſpondeo, maiorem eſſe veram, de eo qui agit propter finem ex deſiderio finis; falſam verò de eo qui operatur ex complacentia, & amore finis: Deus autem tantùm agit ex amore & complacentia finis.

Diſſoluuntur rationes dubitandi. Ad rationes verò dubitandi reſp. Ad primam, inſenſibilia operari quidem propter finem, non quidem intentum, aut cognitum ab ipſis, ſed ab authore naturæ; ad hoc enim diriguntur in ſuos fines, vt docet D. Thom. 1. part. quæſt. 103. ar. 1. & lib. 3. contra Gentes, capite 25. & hoc loco, Interpretes verò Ariſtotelis lib. 2. Phyſicorum.

1. D. Thom.

2. *Solutio aliquorũ ad 2.* Ad ſecundam. Sunt qui reſpondeant bruta agere propter finem, nedum quatenus res quædam eſt, ſed etiam quatenus eſt formaliter finis, & ideò docent bruta agere propter finem, & item propter media cognita ſub ratione mediorum. Probant, quia inquiunt, ad hoc vt aliquid agat propter finem non eſt neceſſe quòd cognoſcat fundamentum relationis cauſæ finalis, ad media, neque item quæ ſit ratio, propter quam hoc medium conducat ad finem obtinendũ magis quàm aliud; nam agunt homines propter finem formaliter ſumptum, etiamſi iſta duo neſciant aut non cogitent de iſtis, ſed ſatis eſt vt aliquid agat propter finem, quòd apprehendat bonum ſibi conueniens: at certum eſt multos apprehendere finem, veluti bonum aliquod ſibi conueniens.

Deinde, conuenit inter omnes bruta agere ſponte & voluntariè: at voluntarium cenſetur eſſe illud quod habet ortum à principio aliquo intrinſeco à cognitione finis, vt docet Ariſtotel. 3. Ethicor. cap. 1. Damaſc. lib. 2. de fide, cap. 24. & nonnulli alij Patres. Damaſc.

Ceterùm hæc reſponſio, licèt magnos habeat aſſertores & vindices, non videtur ſimpliciter vera, & ſi vera ſit, non eſt tamen ſententia D. Thomæ; aſſerit enim hîc & alibi ſæpiſſimè, bruta non operari propter finem cognitum formaliter, vt finis eſt: ſed tantùm vt res eſt, quod etiam ſentiunt Medina, Caiet. Conrad. Sumel hoc loco. *Non placet.*

Ratio idipſum ſuadet; nam vt aliquid agat propter finem ex cognitione finis, deſideratur vt moueat ſeipſum in finem, minimè verò ab alio, vt docet D. Thom. in corpore Articuli: bruta verò mouentur non à ſeipſis, ſed à propenſione & inclinatione aliqua naturali ſibi ab authore naturæ conceſſa, aut à Deo perfectiſſimè cognoſcente eorum finem in ratione finis; ac proinde nuſquam aberrant à conſecutione ſui finis. 1.

Deinde, quæ agunt propter finem, formaliter loquendo, cognoſcunt perfectiſſimè finem; iſta autem cognoſcunt imperfectè, vt auctor eſt D. Thom. quæſt. 6. huius part. 2. 3.

Tertiò, quę agunt propter finem, vt finis eſt, debent habere dominium ſuarum actionum, ex eodem D. Thom. in corpore huius Articuli; at bruta non habent dominium ſuarum actionum, nam dominium hoc præſupponit libertatem, hęc autem non eſt in brutis. 4.

Denique, vt aliquid agat propter finem, debet ſaltem poſſe cognoſcere proportionem finis ad media, & contrà, mediorum ad finem, quando proportio hæc eſt occulta: at non poſſunt bruta aſſequi proportionem iſtam finis ad media, aut mediorum ad finem, quando hæc eſt occulta, idque ob defectum rationis, quæ in illis nec eſt, nec eſſe poteſt: igitur nequeunt bruta operari propter finem.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. Non eſſe 1. eſſe eum qui agit propter finem cognoſcere actu aliquo explicito, & formali fundamentum relationis cauſæ finalis, aut relationem, aut denique, quare hoc medium potius conducat ad finem, quàm aliud, vt benè probat argumentum: eſt tamen ſimpliciter neceſſarium, vt aliquis agat propter finem formaliter loquendo, quòd hæc omnia poſſit cognoſcere; bruta autem non habent potentiam inueſtigandi proximè commemorata, ſaltem quando hæc ſunt occulta: vnde neque dicuntur agere propriè propter finem, loquendo de fine formaliter ſumpto.

Ad ſecundam: Bruta agere quidem voluntariè, & per conſequens ex aliqua cognitione finis, ceterùm imperfecta: hoc autem non ſufficit, vt aliquid agat propter finem formaliter ſumptum, vt conſtat ex dictis.

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm actus hominis recipiat ſpeciem ex fine.

Actus humanis accipit ſpeciem à fine.

CONCLVSIO D. Thomæ eſt, *Actus humanos ſumere ſuam vnitatem ſpecificam, à fine, prout finis conuertitur cum obiecto*, quæ res videtur certiſſima: Primò, quia actus ſumit ſuam vnitatem ſpecificâ ab obiecto, vel à modo tendendi in obiectum, ex communi doctrina Philoſophorum, ad 2. de anima: ſed finis & obiectum ſunt vnum & idem ex hypotheſi in actibus humanis: ergo ſumunt ſpeciem à fine. 1.

Deinde, diuerſitas obiectorum ſatis eſt ad diuerſitatem ſpecificam actuum inducendam, ex doctrina vulgò recepta: ergo & vnitas eiuſdem ad conſtituendam vnitatem. 2.

Tertiò, idem eſt iudicium de actibus humanis, quod de potentia, & habitibus; at potentiæ & habitus diſtinguuntur ſpecie penès ſua obiecta: ergo & actus humani. 3.

Quartò, motus omnis ſpectatus aut vt eſt actio, aut vt paſſio, ſumit vnitatem ſuam ſpecificam, vt actio eſt, ab actu, qui eſt principium agendi; vt paſſio verò ab actu qui eſt terminus motus noſtri: atqui actus humani habentes pro obiecto finem, vt ſunt actiones, procedunt ab ipſomet fine, vt à principio actiuo; vt autem ſunt paſſiones, habent pro termino finem: ergo vtroque modo ſumunt vnitatem ſpecificam à fine. 4.

Quintò, omnis differentia intrinſeca & communis pluribus individuis eſt ſpecifica, ſaltem ſi ſumatur ex aliquo communi: at actus humani qui verſantur circa tale obiectum ob hunc vel illum finem hoc vel illo modo cognitum habèt indifferentiam quamdam intrinſecam, ex aliquo communi ſumptam, communem ſibi per quam diſtinguitur ab alijs multis, & eſt ſpecifica: ergo ex fine deſumenda eſt diſtinctio ſpecifica actuum humanorum: Ità communiter Interpretes D. Thom. hoc loco. 5.

Obiectio. Obijcies, quod tribuit ſpeciem actibus humanis debet illis eſſe intrinſecum; at finis eſt res extrinſeca actibus humanis, cùm hic ſit idem cum obiecto actuum humanorum: ergo nequit illis dare ſpeciem.

Solutio. Reſpondeo, finem & obiectum ſumpta materialiter, eſſe res omnino diſtinctas, & diuerſas ab actibus humanis; ordo tamen quem dicunt actus humani ad finem, & ad obiecta, non eſt res aliqua extrinſeca actibus humanis, ſed intrinſeca; ab hoc autem ordine ſumitur vnitas ſpecifica actuum humanorum: & id voluit D. Thom. quando dixit actus humanos ſpecificari à fine.

Replica. Inſtabis, ordinem hunc eſſe relationem, & ſic poſteriorem actibus humanis conſtitutis in ſua entitate: præterea actum humanum eſſe quid abſolutum conuenit inter omnes, reſpectiuum autem non videtur eſſe de eſſentia abſoluti: ergo.

Diſſoluitur. Reſpond. Ordinem quem dicunt actus humani ad finem, eſſe verè relationem, non quidem categoricam, ſed tranſcendentalem, & per conſequens eſſe quidpiam intrinſecum, & ſubſtantiale actibus humanis: idem ſiquidem dicendum eſt de hac relatione quod de reſpectu, quem dicit creatura ad creatorem, aut de eo quem dicit accidens, ad ſubſtantiam: certum autem eſt reſpectus iſtos conuenire intrinſecè rebus creatis, & accidentibus; neque enim eſſe, aut concipi poſſunt ſine huiuſmodi reſpectibus. Ex quibus colliges, non eſſe neceſſe actus humanos præexiſtere relationi, quæ in illis datur ad finem vel ad obiecta; prioritas enim hæc tantùm locum habet in fundamentis relationum categoricarum.

Alia obiectio. Dices, ſi hæc opinio eſſet vera ſequeretur actus, qui verſantur circa eumdem finem pertinere ad vnam & eamdem ſpeciem, quod tamen conſtat eſſe falſum ex actibus amoris, delectationis, & intentionis finis eiuſdem.

Solutio. Reſpondeo, negando antecedens, licèt enim diuerſitas finium, & obiectorum ſatis ſit ad diuerſitatem actuum humanorum conſtituendam ſpecificam; non tamen identitas finium ſatis eſt ad identitatem actuum ſpecificam conſtituendam: nam vnitas ſpecifica actuum humanorum, non eſt adæquatè, & ſimpliciter ex fine vel obiecto ſumenda, ſed tantùm præcipuè, & principaliter, cùm petatur aliquando ex modo tendendi in finem, vel obiectum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm detur aliquis finis vltimus humanæ vitæ.

Datur finis vltimus humanæ vitæ.

CONCLVSIO eſt *affirmatiua*: nec vlla poteſt eſſe dubitandi ratio, ſi ſer to ſit de fine vltimo reſpectu quarumdam operationum humanarum in certo genere: nam ſanitas verbi gratia, finis eſt omnium operationum medicinalium; victoria item omnium operationum militarium. 1.

Deinde, in finibus vltimis non datur progreſſus in infinitum. 2.

Tertiò, actio quælibet humana debet eſſe determinata; determinatur autem à fine, cùm ſit primus in intentione, & vltimus in executione: certum eſt etiam dari aliquem vltimum finem humanæ vitæ verum, ſaltem ex diuina ordinatione, hic enim eſt vita æterna, ſeu Deus ipſe, in hunc namque ordinantur omnes omninoactiones humanæ honeſtæ, vt colligi videtur ex cap. 15. Geneſ. ità enim alloquitur illic Deus Abrahã: *Ego ſum merces tua magna nimis.* & Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum*, id eſt meipſum, in quo apparet omnis ratio boni, & ex capite vltimo Apocal. vbi dicitur de Deo quod ſit α, & ω. 3. Geneſ. 15. ℣. 1. Exod. 33. ℣. 19. Apoc. 22. ℣. 13.

Deinde, ratio hoc ipſum conuincit: eſt enim de ratione finis vltimi omnium operationum humanarum ſatiare appetitum creaturę rationalis cumulatiſſimè; & item quòd eo ſemel obtento nec amittatur, nec amitti poſſit, vt probabitur inferius: at viſio diuinæ eſſentiæ, vt in ſe eſt, nec amitteretur vbi ſemel fuerit obtenta, nec amitti poteſt, & hæc ità ſatiat appetitum creaturæ rationalis, vt nihil aliud appetere poſſit de facto.

Quartò, ſi non daretur certus vltimus finis reſpectu omnium operationum humanarum honeſtarum, ſequeretur hominem eſſe temerè factum: imò non poſſet hic rectè gubernare ſeip- 4.

Digitized by Google

ſum cùm inſtitutio recta hominis, ſeu gubernatio petenda ſit ex fine vltimo propter quem factus eſt homo: ergo aſſignãdus eſt aliquis vltimus finis reſpectu actionum humanarum: ità Doctores communiter hoc loco, & in 4. diſt. 49.

Certum denique eſt dari aliquem finem vltimum in communi ſumptum, reſpectu omnium operationum humanarum, nempe beatitudinem in communi ſumptam, prout abſtrahit à beatitudine vera & exiſtimata: diximus enim in antecedentibus finem, & bonum conuerti; conſtat autem omnes actiones humanas reſpicere bonum, verum, vel exiſtimatum, ſeu apparens, & quælibet proinde operari propter beatitudinem: ergo & propter aliquem vltimum finem in communi ſpectatum.

ARTICVLVS QVINTVS.

**Vtrùm fieri poſſit vt quis operetur propter plures vltimos fines.*

Argumenta contraria.

1. RATIO dubitandi eſt: vnius & eiuſdem effectus dantur plures cauſæ totales, & adæquatæ, vt conſtat ex pluribus ſacerdotibus vnam & eamdem numero hoſtiam conſecrantibus: ergo fieri etiam poteſt vt quis operetur propter duos vltimos fines totales & adæquatos.

2. Deinde, finis vltimus cuiuſlibet hominis alius eſt naturalis, alius ſupernaturalis: ergo cùm gratia non deſtruat naturam, ſed perficiat, poterit quis operari ſimul & ſemel, propter iſtos duos vltimos fines.

3. Denique vna numero actione fieri poteſt, vt quis plura peccata non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie diſtincta committat, vt conſtat de eo qui diſplodendo bombardam occidit plures homines, & inter iſtos enecat patrem, aut etiam ſacerdotem aliquem: ergo de facto hic operatur propter plures vltimos fines, & totales; nam quodlibet peccatum mortale numero diſtinctum, vel ſpecie ab alio, habet rationem vltimi finis, & vt videtur totalis finis, quia vnum nullo modo pendet ab alio peccato.

Non poteſt quis operari propter duos vltimos fines.

CONCLVSIO 1. *Fieri non poteſt vt quis operetur propter duos, aut plures vltimos fines totales & adæquatos, ſaltem ſimul, bene tamen ſucceſſiuè.*

1. Prima pars videtur probari ex verbis Chriſti, Mat. 6. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.*

Mat. 6. ℣. 24.

2. Deinde, vnius & eiuſdem effectus nequeunt eſſe plures cauſæ totales & adæquatæ, ſaltem præcipuæ & principales: at finis vltimus cenſetur eſſe cauſa præcipua & principalis in genere cauſæ finalis: ergo.

3. Tertiò, repugnat quidpiam eſſe cauſam præcipuam, & principalem, & totalem, & nihilominus habere aliud ſibi coniunctum cum quo producit ſuum effectum: ergo non poſſunt vnius & eiuſdem actionis dari plures cauſæ finales adæquatæ & totales.

Secunda verò pars probatur: iudicium practicum de rebus agendis variari poteſt; qui enim nunc agit propter finem honeſtum, poſtea operabitur propter turpem: ergo. In hac Concluſione conueniunt omnes hoc loco, & in 4. diſtinct. 49.

CONCLVSIO VLTIMA, *Nihil repugnat quominùs quis operetur propter plures vltimos fines partiales conſtituentes vnum, idque ſimul vel ſucceſſiuè.* Propter plures vltimos fines partiales poteſt quis operari.

Primò, quia voluntas noſtra poteſt illudomnes velle ſimul & ſemel, quod poteſt intellectus diſtincta & perfectiſſima cognitione intelligere: atqui intellectus noſter poteſt perfectiſſimè & diſtinctiſſimè intelligere ſimul & ſemel plures fines vltimos conſtituentes vnum totalem, & adæquatum: ergo.

2. Deinde, ſunt aliqui inter Philoſophos qui credunt beatitudinem hominis poſitam eſſe in quiete, voluptate, bonis naturæ, & denique in virtute: Ariſtoteles verò potuit hanc eamdem in actione virtutis, exiſtimauitque egere bonis iſtis externis: ergo cùm quis omnium conſenſu operetur propter beatitudinem, poterit agere ſimul, & ſemel propter plures vltimos fines partiales complentes vnum totalem.

Soluuntur rationes dubitandi.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. plures ſacerdotes conſecrantes eamdem numero hoſtiam eſſe tantùm cauſas inſtrumentales, & minùs præcipuas conſecrationis; fines verò vltimi, nequeunt eſſe plures cauſæ totales & adæquatæ vnius & eiuſdem effectus, quia quilibet iſtorum cenſetur cauſa præcipua & principalis effectus producti.

2. Ad ſecundam reſpondeo: ex ſententia quorumdam dari tantùm vnum vltimum finem creaturæ rationalis, nempe Deum, qui dicitur naturalis, quatenus per media naturalia acquiritur, & ſupernaturalis, quatenus per media ſupernaturalia comparatur. Cetertùm, reſponſio hæc non ſatisfacit: primò, quia videtur loqui de ſolo fine naturali vltimo creaturæ rationalis, non autem de formali, de quo tamen hìc quæritur. Deinde, quia communis opinio Theologorum omnium docet, fines vltimos formaliter ſpectatos deſumendos eſſe ex diuerſis rationibus formalibus, quibus finis materialis vltimus obtinetur: Iſtæ autem rationes formales ſunt duæ omnino inter ſe variæ & diuerſæ; obtinetur enim Deus, qui eſt vltimus finis materialis creaturæ rationalis, & ſub ratione naturali, & item ſub ratione ſupernaturali. Tertiò, fatentur plerique paruulos qui moriuntur ante adultam ætatem, & non ſuſcepto baptiſmate poſt iudicium vltimum potituros vltimò ſolo fine naturali. Quartò, docebimus in ſubſequentibus creaturam rationalem tendere in viſionem claram diuinæ eſſentiæ, tamquam in finem ſupernaturalem.

Dico igitur duos eſſe vltimos fines hominis, fieri tamen non poſſe, vt homo operetur ſimul propter iſtos duos vltimos fines; nam ſi ità res haberet, oporteret finem naturalem ſubordinari fini ſupernaturali aut contrà, quod tamen fieri non poteſt, cùm medium & finis debeant eſſe eiuſdem ordinis. Deinde, repugnat eſſe finem totalem, & adæquatum alicuius effectus, & habere aliquid aliud à ſe, ſibi adiunctum, cum quo producat huiuſmodi effectum.

Vlt.

Ad vltimam reſpondent aliqui, eum qui plura peccata mortalia vna numero actione committit, non intendere obiecta huiuſmodi peccatorum, veluti fines vltimos, ſed vel commodum proprium, vel beatudinem in communi ſumptam, quod confirmari contendunt ex D. Auguſtino, cap. vltimo lib. 14. de Ciuitate: *Fecerunt itaque ciuitates duas*, inquit, *amores duo; terrenam ſcilicet amor ſui vſque ad contemptum Dei; cæleſtem verò amor Dei vſque ad contemptum ſui.* D. Auguſt.

Cete-

Digitized by Google

Ceterùm reſponſio hæc non videtur ſatis explicata: primò, quia docent Patres in omni peccato dari auerſionem à Deo tamquam ab vltimo fine, & conuerſionem ad creaturam tamquam ad vltimum finem. Ità D. Auguſtinus loco proximè citato, & communiter alij. Deinde, quilibet noſtrûm tenetur diligere Deum ſuper omnia, ex illo Matth. 10. *Qui diligit patrem aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus:* at qui peccat mortaliter plus diligit creaturam, quàm creatorem: ergo intendit creaturam veluti ſuum vltimum finem.

Matth. 10.

Expenitur Auguſtinus.

Ad Auguſtinum verò reſpond. Ex eo poſſe tantùm colligi in quolibet peccato mortali reperiri amorem proprium, quod tamen nos vltrò concedimus; non autem quod propriè hic amor ſit vltimus finis per ſe intentus ab eo qui peccat, ſed tantùm concomitanter: alioquin dicendum eſſet omnia omnino peccata deſumere ſuam vnitatem ſpecificam ab iſto proprio amore ſaltem in genere moris, cuius tamen oppoſitum docebimus quæſt. 19. huius partis. Reſpondeo ergo, eum qui plura cómmittit peccata mortalia vnica numero actione, intendere plures fines vltimos partiales tantùm, non autem totales; qui enim verbi gratia plures ſimul trucidat homines, finis totalis quem intendit, eſt iſtorum omnium occiſio: occiſio verò hæc, quia ſecundum ſuam ſpeciem perfectiſſimè completur in quolibet homine occiſo, ideò dicitur varia & multiplex partialiter, aut interpretatiuè, vt alij loquuntur.

Obiectio.

Dices, eum qui peccat venialiter non recedere à Deo tamquam ab vltimo fine, & tamen conſtituere ſibi obiectum peccati venialis vltimum finem.

Solutio.

Reſpondeo, obiectum peccati venialis habere rationem vltimi finis, reſpectu illius qui peccat venialiter, tantùm ſecundum quid, non autem ſimpliciter & abſolutè, alioquin peccatum hoc non eſſet veniale, ſed mortale; diximus enim auerſionem à Deo tamquam ab vltimo fine & cõuerſionem ad creaturam velut in vltimum finem habere rationem peccati mortalis; ac proinde cùm peccatum veniale nulla ratione poſſit eſſe mortale, non datur in hoc conuerſio in creaturam tamquam in vltimum finem, ſed tantùm conuerſio ad creaturam aliqua ratione, nempe veluti ad ſuum terminum, aut ad finem vltimum, ſecundum quid tantùm, non verò ſimpliciter.

ARTICVLVS SEXTVS.

An omnia quæ vult homo velit propter vltimum finem.

1. Sentẽtia.

DVæ ſunt hac de re ſententiæ: prima vult omnes actiones humanas (de iſtis enim diſputat Diuus Thomas hoc loco) referri in vltimum finem ex ſe & ſua natura.

2. Sentẽtia.

Secunda ſententia, non ex ſe & ſua natura, ſed ex intentione operantis contendit ordinari in vltimum finem. Ità D. Thom. hîc, & in 4. diſt. 49. Conrad. Medina & alij nonnulli.

Probant, quia quamprimum homo peruenit ad ætatem rationis elicit actum voluntatis, qui dicitur finis intentio, ratione cuius vouet ſeipſum, & ſuas omnes actiones Deo veluti fini vltimo, & per conſequens, licèt poſtea non cogitet de vltimo fine, actionis humanæ, ratione actus proximè commemorati ordinantur in Deum tamquam in vltimum finem. Deinde, in omni planè peccato quilibet quærit quodammodo Deum, vt author eſt D. Auguſtinus lib. 2. Confeſſ. *Sed etiam*, inquit, *ſic te imitando, indicant creatorem te eſſe omnis naturæ, & ideò non eſſe quo à te omni modo recedatur:* ergo actio peccati refertur quodammodo in Deum.

D. Auguſt.

CONCLVSIO 1. *Non omnes actiones humanæ ex ſe & ſua natura referuntur ad finem vltimum verum, creaturæ rationalis:* Primum, quia non omnes actus humani poſſunt eſſe media ad vltimum finem verum creaturæ rationalis obtinendum.

Non omnes humanæ actiones referuntur ad verum finẽ vltimum.

Deinde, illud tantùm ordinatur in vltimum finem verum creaturæ rationalis, quod de facto conducit ad eiuſmodi finem conſequendum: at non omnes actiones humanæ conducunt, aut conducere poſſunt ad vltimum finem verum creaturæ rationalis habendum; verus enim finis vltimus illius eſt ſolus Deus, vt probabitur inferiùs: ad hunc autem obtinendum nullo modo conducunt aut conducere poſſunt actiones, quæ habent rationem culpæ mortalis. 2.

Reſpondent Thomiſtæ, actiones fœdatas malitia peccati mortalis fieri ab homine ex appetitu beatitudinis in communi, ſiue, quod idem eſt, ex fine vltimo in communi conſiderato creaturæ rationalis: vnde docent in omnibus actionibus humanis magis reperiri amorem Dei, quàm odium eiuſdem. Ceterùm, quamuis hæc reſponſio quoad primam partem non videatur neganda, ex ea tamen non videtur colligi omnes actiones humanas ex ſe & ſua natura ordinari in vltimum finem verum creaturæ rationalis. Primum, quia diximus ſolum Deum eſſe vltimum finem verum creaturæ rationalis: peccata autem mortalia auocant à Deo tamquam à fine vltimo, & conuertunt nos ad creaturam, tamquam in vltimum finem, ex Patribus Articulo proximè antecedenti citatis.

Thomiſtarũ ſolutio.

Deinde, qui peccat mortaliter hoc ipſo, quòd peccat, conuincitur pluris feciſſe creaturam, quàm Deum, quod tamen prohibetur, Matth. 10. *Ne ergo timueritis eos, &c.* 2. Mat. 10. ℣. 16.

Tertiò, quælibet culpa lethalis meretur pœnam æternam, vt probabitur in diſput. de peccatis. 3.

Quartò, quælibet culpa mortalis habet annexum odium Dei, ex illo Sapient. *Odio eſt Deo impius, & eius impietas.* 4.

Quintò, peccatum veniale auocat hominem à Deo aliqua ratione, ac proinde licèt non ſoluat amicitiam Dei; meretur tamen certam aliquam pœnam temporalem, quam infligit Deus aliquando. 5.

Denique, illæ tantum actiones ordinantur in finem vltimum verum hominis, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt à Deo; at actiones lethales in genere moris nulla ratione poſſunt eſſe à Deo, vt probabitur ſuo loco: ergo nequeunt eſſe propter vltimum finem. 6.

Reſpondent Thomiſtæ, actiones mortales ſpectari, & ſecundum ſuam entitatem, & ſecundum moralitatem quam habent: priori modo fatentur entitatem eſſe à Deo; atque ità ordinari in Deum ex ſe, & ſua natura, & item in vltimum

Solutio Thomiſtarũ.

Digitized by Google

finem creaturæ rationalis. Ceterùm, hæc reſ- A
Extra rem. pontio non eſt ad rem; quærimus enim hoc loco, an actiones omnes humanæ ſpectatæ in genere moris ordinentur in vltimum finem verum creaturæ rationalis: Certum autem eſt peccata mortalia haud poſſe ordinari in Deum, cùm nihil habeant commune, vt ſic, cum Deo; nam in genere moris actiones iſtæ nihil aliud ſunt quàm deformitates, & turpitudines aliquæ, vt probabitur inferiùs.

Actiones honeſtæ ordinantur in vltimũ finẽ.

CONCLVSIO 2. *Licèt non omnes actiones humanæ ordinentur in vltimum finem verum creaturæ rationalis; ordinantur tamen omnes honeſtæ in eiuſmodi finem, idque ex ſe & ſua natura.* Primùm,

1. quia actiones iſtæ, vt ſic, ſunt participationes B quædam bonitatis diuinæ naturæ.

2. Deinde, quia licèt actiones huiuſmodi ſpectatæ tantùm in genere moris, non ſint meritoriæ ſemper de condigno præmij alicuius ſupernaturalis; ſecus tamen de congruo, vt dicemus in diſputat. de merito.

3. Tertiò, actionibus iſtis debetur per ſe merces aliqua temporalis, cùm ſint laudabiles & honeſtæ: ergo ordinantur in vltimum finem verum creaturæ rationalis.

Non omnes honeſtæ ordinantur in vltimũ finẽ ex intentione operantis.

CONCLVSIO 3. *Non omnes actiones humanæ ordinantur in vltimum finem verum, aut exiſtimatum in ſtimatum intentione operantis.* Primùm, quia verus vltimus finis hominis eſt ſolus Deus; at ſunt C aliqui ità perditi, vt putent nullam dari Deitatem, Pſalm. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt* Pſ. 13. ℣. 1. *Deus.*

2. Deinde, humana actio non deſinit eſſe humana, licèt non fuerit hæc ordinata in vltimum finem creaturæ rationalis: ſatis enim eſt ad hoc vt actio ſit humana, quòd fiat liberè, & reſpiciat finem vltimum aliquem in certa aliqua operatione.

Quæcumque actio humana tẽdit in beatitudinem communi.

CONCLVSIO VLTIMA. *Omnis actio humana ex ſe & ſua natura ordinatur in vltimum finem hominis, ſi nomine finis vltimi hominis intelligantur beatitudo ſumpta in communi.* Primùm, D quia hæc videtur eſſe mens D. Thom. hoc loco, & in 4. diſtinct. 49. Medinæ, Conrad. & recentiorum.

2. Deinde, quidquid ſit deliberatè à nobis, ſub ratione boni ſit, at finis & bonum conuertuntur: ergo cum nomine vltimi finis nihil aliud intelligatur hoc loco, quàm beatitudo in communi ſumpta, omnis actio humana erit propter huiuſmodi beatitudinem.

Soluuntur contrariæ rationes.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. actum qui primò fit ab homine vbi ad ætatem rationis peruenit non eſſe neceſſariò finis vltimi intentionem: Primùm, quia homo in eo inſtanti verè liber eſt, & conſequenter hunc vel illum actum exercere poteſt. E

Deinde, quodlibet bonum, ſatis eſt ad mouendam voluntatem, etiam in primo inſtanti vſus rationis.

Tertiò, de ratione cauſæ liberæ eſt, nedum vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſit agere & non agere, ſed etiam quòd poſſit ſuſpendere omnem actum: ergo, &c.

Obiectio.

Obijcies, fieri non poſſe vt voluntas noſtra, velit aliquod bonum particulare, niſi poſita volitione boni communis, ſeu in vniuerſum ſpectati, illa eadem ratione, qua nec intellectus poteſt aſſentiri concluſionibus, niſi prius præbuerit aſſenſũ principijs, quę ſunt cauſę cõcluſionis.

Solutio.

Reſpondeo, non eſſe parem rationem inter voluntatem & intellectum, quatenus intellectus aſſequitur principia & concluſiones ex principijs deductas; nam ratio aſſentiendi concluſionibus eſt aſſenſus circa principia; ratio verò quæ mouet voluntatem ad hoc vt expetat hoc vel illud bonum, eſt bonitas; hæc autem ex hypotheſi datur in quolibet obiecto volito: ergo ſatis quoque erit ad mouendam voluntatem.

2. Ad 2. reſpondeo, mentem D. Auguſtini non eſſe affirmare hominem peccando, vel quærere Deum directè, vel peccando cum amare, vel denique in Deũ ſuam actionem ordinare, ſed tantum immediatè, quatenus ſcilicet fieri non poteſt vt quis peccet, niſi actionem exerceat, ſaltem ſi ſermo ſit de peccato commiſſionis; de iſtis enim tantum diſſerit ſanctus Doctor, eo in loco; & quia hæc actio in genere entis ſpectata, eſt à Deo, ideò peccando quærit peccator quodammodo Deum.

ARTICVLO 7. Quærit D. Thom. An vnus ſit vltimus finis omnium hominum. Reſpondet homines omnes habere vnum & eumdem vltimum finem formalem; contingit enim omnes omnino homines agere propter felicitatem in communi, vt pluribus docet Diuus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. capite 20. & lib. 1. de libero arbitrio, capite 14. & lib. 19. de Ciuitate, capite 1. & lib. 13. de Trinitate, capite 2. D. Auguſt.

Reſpondet 3. Non omnes homines habere vnum & eumdem finem materialem; diximus enim in antecedentibus, finem materialem eſſe duplicem; alium verum, alium verò exiſtimatum, & exiſtimatum eſſe adhuc in multiplici differentia: reſponſio ergo hæc D. Thom. intelligenda eſt de ſolo vltimo fine materiali exiſtimato: nam ſi ſermo ſit de vero vltimo fine materiali creaturæ rationalis, vnus tantum eſt vltimus finis materialis, nempe ſolus Deus.

ARTICVLO 8. Quærit, An omnes homines conueniant in vltimo fine. Reſpondet D omnes creaturas conuenire cum homine in re quæ verè eſt vltimus finis materialis; res quippe iſta eſt ſolus Deus: creaturæ autem omnes, cum ſint entitates aliquæ participatæ diuinæ bonitatis, ordinantur in Deum, vt manifeſtè colligitur ex cap. 16. Prouerb. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus:* Addit 2. non omnes creaturas eadem ratione tendere in Deum, tamquam in vltimum finem, de qua re nullus ſupereſt dubitandi locus, cum certum ſit hominem potiri Deo viſione clara diuinæ eſſentiæ, & amore eiuſdem, quod habere locum non poteſt in brutis animantibus, nec in alijs rebus inſenſibilibus. Prou. 16. ℣. 4.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

De his in quibus hominis beatitudo consistit.

ARTICVLVS PRIMVS.

An obiectum beatitudinis sint diuitiæ.

Finis vltimus & beatitudo idem.

ADVERTE, nomine vltimi finis & beatitudinis, vnum & idem significari, cum hoc tamen discrimine, quòd nomine vltimi finis, significetur obiectum materiale beatitudinis nostræ; nomine verò beatitudinis designatur communiter ratio formalis constitutiua beatitatis: item quemadmodum albedo v. g. est ratio formalis constitutiua albi reduplicatiuè, qua album est, ità & id quo denominatur quis beatus, est beatitudo.

Boni diuisio.

Aduerte 2. Bonum & ratione formali & ratione subiecti, diuidi: priori modo bonum, aliud est honestum, aliud vtile, aliud delectabile; primũ, censetur esse illud quod est per se, & quatenus tale est, amabile; secundũ, definitur illud quod eatenus est expetibile, quatenus conducit ad aliquod aliud bonum obtinendum; tertium, creditur esse id quod consurgit ex adeptione boni cõcupiti. Ità communiter omnes interpretes D. Th. hoc loco, & aliqui Sent. in 4. dist. 49. Posteriori verò modo diuiditur bonum, in bona animi, corporis, & fortunæ: quid vtrumque sit est notissimum: à diuisione ergo auspicatur D. Thomas tractationem suam de beatitudine, quæritque proinde

ARTICVLO 1. An obiectum beatitudinis nostræ supernaturalis sint diuitiæ.

Respondèrque negatiuè, & quidem meritò; nam ex sacris litteris manifestè colligitur solum Deum esse obiectũ felicitatis nostræ. Deinde, obiectum beatitudinis expetitur propter seipsum, diuitiæ autem non ob seipsas, sed propter earum vsum desiderantur. Tertiò, diuitiæ impediunt interdum hominem à consecutione felicitatis æternæ.

1.Tim.6. v.9. & 10. 1.Tim 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli* & rursus: *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.*

Luc.12. vers.20. idem 16. vers.22. Imò hoc ipsũ colligitur ex historijs trium diuitum quorum meminit sacra pagina, Lucæ 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* de alio verò dicitur Lucæ 16. *Mortuus est autem dives, & sepultus est in inferno:* Tertio

Mat. 19. vers.24. denique Mat. 19. *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorũ.* Quartò, obiectum beatitudinis explet appetitum creaturæ rationalis, Psal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, imò pertinet ad hanc beatitudinem

Ioan. 16. vers. 22. Matth. 25. vers. 46. quòd semel adepta amitti nequeat ex Ioan. 16. *Et gaudium vestrũ nemo tollet à vobis*, & Mat. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitã æternam:* diuitiæ autem neque satiant appetitum creaturæ rationalis, nec censentur esse inamissibiles, vt patet experientia: ergo non possunt esse, &c.

Non est tamen negandum quin diuitiæ conducant interdũ ad beatitudinem æternam; nam possunt esse instrumenta virtutum, vt manifestè colligitur ex cap. citat. Matth. 25 *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum:* subiungit enim causam lucri, *Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere.* ibidem 25. vers. 34. & 35.

ARTICVLO 2. Docet beatitudinem non esse positam in honore.

ARTICVLO 3. Non consistere in fama, & existimatione, aut gloria.

ARTICVLO 4. Non in principatu & potestate.

ARTICVLO 5. Nõ in aliquo corporis bono.

ARTICVLO 6. Non in voluptate.

ARTICVLO 7. Non in aliquo bono animi: de istis omnibus lege D. Thom.

ARTICVLVS VLTIMVS.

An beatitudo posita sit in aliquo bono creato.

Solus Deus obiectum beatitudinis.

CONCLVSIO. *Nihil extat in natura vniuersitate præter Deum Opt. Max. quod rationem obiecti beatitatis creaturæ rationalis habere possit.* Hinc vox illa Dauidis Psal. 41. affectu & desiderio pleniſſima. *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quãdo veniam & apparebo ante faciem Dei:* quo loco duo sunt obiter aduertenda; alterũ est legendum esse fortem, non fontem, sicut habent innumeri propemodum codices editionis vulgatæ, ante correctionem Sixti V. & Clementis VIII. Pont. Max. Græca siquidem exemplaria, quibus in Psalmis Latinè donandis Ecclesia Catholica, in omnibus ad hodiernum vsque diem adhæsit, ἰσχυρὸν habent, quod, *fortem*, non, *fontem* significat. Alterũ est hymnum hunc, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis, quem Ecclesia Catholica feria 6. hebdomadæ sanctæ inter celebrãda crucis Christi mysteria suo ore hactenus celebrauit, & religiosissimè decantauit ex hoc loco Dauidis habuisse initium; neque enim alibi tria hæc Dei epitheta, sanctus, fortis, & immortalis, siue viuens, simul coniuncta reperire licet: quod miror à nullo ex ijs qui de ritibus Ecclesiasticis, aut de diuinis Officijs scripserunt hactenus fuisse obseruatum. Sed ad rem nostram redeuntes. Idẽ Dauid Ps. 72. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino meo spem meam.* & Psal. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.*

Psal. 72. v. 25. 26. 27. & 28. idem 102. vers. 5.

Obiectio.

Dices, nihil in locis istis Dauidicis affirmari de obiecto beatitudinis nostræ, atque adeò hęc testimonia detorqueri ad causam, non obiectiuã, sed efficientem præcipuam nostræ felicitatis, illa eadẽ ratione, qua aliqui dicunt Deum dici charitatem, 1. *Ioan.* quod hic sit causa præcipua charitatis, quæ in nobis datur, iuxta illud Rom. 5. *Charitas Dei quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ S. qui datus est nobis.* Rom. 5. vers. 5.

Solutio.

Esto, sit vt vis, licèt oppositum constanter negetur; quid dices ad illud omnipotentis Patriarcham Abrahamũ alloquentis. Gen. 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis?* Quid ad Genes. 15. vers. 2.

Alia confirmatio. verba Chriſti, Ioan 17. *Hec eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Quid ad SS. Patrum teſtimonia, maximè verò ad illud Greg. Nyſſe. lib. de beatitudinibus in initio? *Porrò*, inquit, *quòd verè beatum habendum ſit, ipſum diuinum numen eſt. Nam quidquid id tandem eſſe ponamus: beatitudo eſt illa immortalis & incorrupta vita, ineffabile pariter & inanimaduerſibile, atque inexcogitabile bonum, innarrabilis inexplicabiliſq; pulchritudo à ſeipſa profecta, à ſeipſa data, & gratia & ſapientia & potentia: vera lux: fons omnis bonitatis: rebus vniuerſis præſidens ac ſuperimpoſita poteſtas: ſola amabilis, ſemper eodem modo ſeſe habens, perpetua exaltatio: ſempiterna lætitia: de qua ſi quis dicat omnia quæ poſſit, nihil dicit eorum, quæ rei dignitas poſtulat atque requirit. Neque enim intelligentia mentiſque & ingenij agitatio attingit & aſſequitur id quod eſt: atque etiam ſiquid de illo bono vel ſublimius vel altius cogitare & intelligere valeamus, nulla tamen ratione vel oratione quod cogitatur & intelligitur, enuntiatur.*

Ioan. 17. verſ. 3. Gregor. Nyſſeni teſtimon.

Compertum autem eſt nihil extare in hoc vniuerſo præter Deum ad quod mens humana pertingere quodammodo non poſſit; de hoc quippe ſolo dicitur: *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* 17. Pſ. *quòd habitet lucem inacceſſibilem quam nullus hominũ vidit, nec videre poteſt.* 1. Tim. 6. ac proinde ad quẽ loquendum ſermo fileat, inueſtigandum ſenſus hebetentur, & intelligendum intelligentia comprimatur, vt loquitur Gregor. Nazian. oratione quadam de Theologia. Subſcribunt & huic doctrinæ D. Auguſt. in epiſt. 56. ad Dioſcorum, refutatis enim illic variis de hac re Philoſophorum Ethnicorum placitis, tandem ità rem totam concludit. *Nihil igitur occurrit præter Deum quod obiectum noſtræ beatitudinis eſſe poſſit. Quod qui non vident, bellant inquietis altercationibus variè pro ſuo quiſque captu, in corpore ſummum hominis bonum conſtituentes, & carnalium ſeditioſorum turbas concitant: inter quos Epicurei apud indoctam multitudinem excellentiore authoritate viguerunt.* & paucis interiectis: *Deus*, inquit, *proponitur humanis mentibus, purgatis tamen ab omni labe humanarum cupiditatum ad fruendum, in quo vno arquieſceret omnis beatitudinis appetitus, & in quo vno nobis bonorum omnium finis eſſet.* Facit & in huius rei confirmationem, quotidianum illud eiuſdem Auguſt. teſtimonium cap. 4. lib 5. Confeſ. *Infelix enim homo qui ſcit illa omnia, te autem neſcit: Beatus autem qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui verò & te, & illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt.* Quibus neſcio an aliquid potuerit dici magis accommodatum ad id de quo quæritur comprobandum.

Pſal. 17. verſ. 12. 1. Tim. 6. verſ. 16.

Rationes pro concluſ. Rationes aliquas ex proprietatibus, & affectionibus beatitudinis petitas ſubijcio. Concors ergo eſt omnium planè Theologorum, & Philoſophorum ſententia, fieri non poſſe vt aliquid rationem obiecti beatitudinis habere poſſit, niſi illud idem quodlibet bonum ſuo ambitu complectatur: definiunt enim beatitudinem, ſtatũ omnium bonorum aggregatione perfectiſſimum, cum Boëtio, aut cum Ariſtot. ſtatum qui ità rebus omnibus abundat, vt nullis egeat; at in Deo trino, & vno; omnipotente, infinito, immutabili, immenſo & æterno, omnia nedum quę ſunt, fuerunt, aut futura ſunt, ſed etiam quæ nuſquam erunt, & tamen eſſe poſſunt, verè contineri, & quidem longè perfectiori modo, quàm ſint in ſeipſis conſtat ex 33. Exod. *Oſtendam tibi omne bonũ.*

Exod. 33. ℣. 19.

A hoc eſt, meipſum in quo eſt ratio cuiuſlibet boni, vt explicant communiter Patres, & Anſelm. in Monologio cap. 35. *Creata ſubſtantia tantò verius eſt in verbo, & intelligentia creatoris quàm in ſeipſa: quantò verius exiſtit creatrix, quàm creata eſſentia.* Idem docet D. Thom. prima part. quæſt. 4. art. 2. & communiter omnes ibidem. Addunt obiectum beatitudinis illud tantùm eſſe poſſe, quod mentes hominum, & Angelorum ità ad ſe allicit, rapit, & trahit, vt ab eo ſemel adepto ſeiungi & alienari nullo modo queant, Ioan. 16. *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Eſt & alia de hac eadem re propoſitio communibus ſuffragijs comprobata; nihil ſcilicet eſſe poſſe obiectum beatitudinis creaturæ rationalis, niſi illud idem ſatis ſit ad explendum hominum & Angelorum appetitum; neque hoc mirum; Quis enim eum verè beatum exiſtimet, qui rei alicuius penuriam patiatur? qui teneatur deſiderio earum rerum quibus cognoſcit ſe eſſe priuatum? qui anxiè & ſollicitè bonorum ſibi cõuenientium abſentiam reparare contendat; poſita autem viſione diuinæ eſſentiæ mentes hominũ & Angelorum cumulatiſſimè ſatiantur, ex Dauide Pſal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ioanne Apoc. 7 *Non eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos Sol, neque vllus æſtus.* D. Aug. cap. 35. lib. Soliloquiorum. *O regnum beatitudinis ſempiterna, vbi tu, Domine, ſpes ſanctorum, & diadema gloriæ facie ad faciem videris à ſanctis, lætificans eos vndique in pace tua, quæ exuperat omnem ſenſum. Ibi gaudium infinitum, lætitia ſinè triſtitia, ſalus ſinè dolore, via ſinè labore, lux ſinè tenebris, vita ſinè morte, omne bonum ſinè omni malo. Vbi inuentus nunquam ſeneſcit, vbi vita terminum neſcit, vbi decor nunquam palleſcit, vbi amor nunquã tepeſcit, vbi ſanitas nunquã marceſcit, vbi gaudium nunquam decreſcit, vbi dolor nunquam ſentitur, vbi gemitus nunquam auditur, vbi triſte nihil videtur, vbi lætitia ſemper habetur, vbi malum nullum timetur: quoniam ibi ſummum bonum poſſidetur, quod eſt videre ſemper faciem Domini virtutum.*

B

Beatorum ſatietas. Pſal. 16. ℣. 15. Apoc. 7. ℣. 16.

C

Et Prudent. in hymn. pro exequijs defunctorum:

Quânam regione iubebis
Animam requieſcere puram?
Gremio ſenis abdita ſancti
Recubabit, vt eſt Eleazar,
Quem floribus vndique ſeptum
Dives procul aſpicit ardens,
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam paradiſi,
Licet & nemus illud adire
Homini quod ademerat anguis.

D

Et in hymno martyrum 18. Cæſaraugustanorum:

Hoc ſub altari ſita ſempiterno,
Lapſibus noſtris veniam precatur
Turba, quam ſernat procerum creatrix
Purpureorum.

Addunt in huius veritatis confirmationẽ alij, pertinere ad obiectum beatitatis ità conſtituere affectum & palatum cuiuſlibet beati, vt tantis iſtis & conquiſitis epulis ſemel deguſtatis, nequeant eaſdem vlla ratione reſpuere aut faſtidire; propter hanc enim cauſam contendunt conuiuas iſtos in ſacris literis cõparari ſtellis fulgentibus in perpetuas æternitates Daniel. 12. & ioli, qui nec intermittit, nec intermittere aliquando poteſt ſui luminis quàm maximè neceſſariam rebus ſublunaribus emanationem. Matth 13. *Tunc fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris eorum:* conuiuium autem hoc cœleſte, & diuinum ità ſcitè ab æ-

E

Matth. 13. ℣. 43.

terno

æterno illo & omnipotenti conuiuatore Deo fuit inſtructum, vt nihil illic guſtetur, quod guſtum non expleat, & explendo acuat, nihil videatur quod viſum non ſatiet, & ſatiando ad videndum magis, ac magis inuitet, vt pluribus probat Auguſtin. cap. 20. lib. 12. de Ciuit. contra nonnullos Philoſophos, qui putarunt animas ex beatis futuras miſeras, & rurſus ex miſeris beatas. *Quorum*, inquit, *piorum aures ferant poſt emenſam tot tantiſque calamitatibus vitam, ſi tamen vita iſta dicenda eſt vita quæ potiùs mors eſt, ità grauis, vt mors quæ ab hac liberat, mortis huius amore timeatur, poſt tam magna mala, támque multa & horrenda tandem aliquando per veram religionem atque ſapientiam expiata & finita, ità peruenire ad conſpectum Dei, atque ità fieri beatũ, contemplatione incorporeæ lucis per participationem incommutabilis immortalitatis eius, cuius adipiſcendæ amore flagramus, vt eam quandoque neceſſe ſit deſeri, & eos qui deſerunt, ab illa æternitate, veritate, felicitate deiectos, tartarea immortalitati, turpi ſtultitiæ, miſeriæ execrabilibus implicari, vbi Deus amitatur, vbi odio veritas habeatur, vbi per immundas nequitias beatitudo quæratur?* Tandem res iſta videtur definita à Benedicto XI. in Extrauagante quã refert Alphonſus à Caſtro verbo, *Beatitudo*. hæreſi 6. Legendi autem ſunt de hac re D. Thom. hoc loco, & 3. contra Gentes. Abulenſis ad cap. 5. Matth. à quæſt. 18. ad 27. toti enim ſunt in eo vt demonſtrent, nec in diuitijs, nec in honoribus, nec in gloria, nec in poteſtate, nec in voluptate, nec in bonis animæ, nec in vllo bono creato beatitudinem eſſe conſtitutam.

Humanitas Chriſti obiectum beatitudinis ſecundarium.

Neque verò propterea velim, quempiam in eam venire ſententiam vt credat, nulla alia præter diuinam eſſentiam à beatis in æternis illis domicilijs videri, nulla præter deitatem habere rationem obiecti beatudinis noſtræ: humanitas ſiquidem Chriſti ad minus rationem obiecti ſecundarij conſequitur, ex illo Pſalm. 16. *Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cùm apparuerit gloria tua* Nomine ſiquidem gloriæ illic nedum diuinæ eſſentiæ, ſed multò magis Chriſti humanitatis viſio videtur adumbrata: dictio ſiquidem Hebraïca ..... qua vtitur vates regius, nedum gloriam, ſed figuram, imaginem & ſimilitudinem ſignificat: Chriſtum autem eſſe imaginem, & ſimilitudinem Patris æterni author eſt Paul. ad Hebræ. 1. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figuræ ſubſtantiæ eius, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis* & ad Coloſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ*: Nihil igitur prohibet quominùs aſſeramus Dauidem exoptaſſe humanitatis Chriſti iucundiſſimum conſpectum, veluti rem pertinentem ad plenum, & abſolutum ſuæ beatitudinis cumulum.

Pſalm. 16. ỳ. 15.

Hebr. 1. ỳ. 3.

Coloſſ. 1. ỳ. 15.

Confirmatur & veritas iſta ex lectione Septuaginta in Pſalm. 16. ἐν τῷ ὀφθῆναι τὴν δόξαν σου· licet enim, τὸ δόξαν, apud auctores probatos ſignificet ſententiam, axioma, famam, honorem & gloriam, apud Paulum tamen confunditur cum imagine; legẽ enim Moſaïcam, quam dixerat eſſe gloriam, ſtatim appellat imaginem cap. 3. poſterioris ad Cor. & 11. prioris, mulierem contendit eſſe gloriam hominis, virũ verò quem aſſerit eſſe caput mulieris, gloriam & imaginem Dei vocitat: *Vir*, inquit, *non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt; mulier autem gloria viri eſt.* Habet theſis hæc noſtra vindicem & aſſertorem Iobum, non tam dignitate regia, quàm

1. Cor. 11. ỳ. 7.

Iob. 19. ỳ. 25. 26. & 27.

virtute conſtantię clarum. *Scio*, inquit c. 19. ſuæ hiſtoriæ, *quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum, circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Hinc enim non deitatis ſed humanitatis ſuauem, gratã, & hilarem ſocietatem toto pectore exoptaſſe colligere licet, quòd & de oculis iſtis ſenſilibus, qui inutiles planè ſũt ad res ſpirituales, qualis eſt deitas, conſpiciẽdas, & de Saluatore ſiue Redemptore loquatur qui non eſt deitas, ſed humanitas, ſubſiſtens, non quidem ſibi propria, ſed diuina diuini Verbi ſubſiſtentia, authore Dauide Pſal. 48. *Frater non redimit, redimet homo:* & denique quòd nõ tam de communi illa omnium ſuſcitatione futura ante Chriſti tribunal, ſed de ea qua Chriſtus tertia die à ſua paſſione vnà cùm pleriſque iuſtis reſurrexit, Mat. 27. videatur intelligendus: hic enim vnà cum iſtis omnib' eodẽ die glorioſus reſurrexit, ex c. 42. hiſtorię eiuſdẽ iuxta lectionem Septuaginta, *Mortuus eſt*, inquit Iob, *ſenex & plenus dierum:* ſcriptum autem eſt ipſum, ſcilicet Iob, rurſus reſurrecturum cum illis cum quibus reſuſcitat Dominus; hanc verò reſurrectionem, ideò nouiſſimam diem appellat, quòd facta ſit in ſtatu legis gratiæ, qui eſt omnium nouiſſimus ex ijs, qui futuri ſunt inter homines conſtitutos in via.

Pſalm. 48. ỳ. 8.

Iob. 42. ỳ. 16.

Placet & hoc confirmare ex ijs quę habet Ioan. Vaſęus in chronico Hiſpanię ad annũ Chriſti 717. Narrat ergo diuictis bellica laude claris principib' Gothis, quorũ omniũ vltimus fuit Rodericus: modum conficiendi, & adminiſtrandi ſacram Euchariſtiam inter Catholicos ac religioſos Sacerdotes fuiſſe quodammodo variatum, & immutatum. Cùm enim hactenus vſus Eccleſiæ Romanę obtinuerit vt ſpecies panis à Sacerdote conſecratæ in tres partes ſit diuiſa, Sacerdotes illius ætatis cæperunt prædictam ſpeciem panis conſecratam partiri in duas ferè æquales, & rurſus quamlibet ex his ſubdiuidere; cererùm vnam in quinque alias, quarum prima dicebatur *Incorporatio*, altera *Natiuitas*, tertia *Circũciſio*, quarta *Apparitio*, vltima *Paſſio*: alteram verò in quatuor, quarum prima dicebatur *Mors*, altera *Reſurrectio*, tertia *Gloria*, vltima *Regnum*: & propter hanc cauſam Leo III. Pont. Max. nouies intrà eumdem diẽ ſacra fecit, & communicauit, vt referunt VValafridus Strabo lib. de reb. Eccl. cap. 21. author lib. Gemmæ animæ, cap. 114 & Baron. ad annum Chriſti 816. tomo 9. particulas autem ità diuiſas ſupra patenam in modum crucis ponebant. Gratam habuerunt hanc eamdem rationem collocandi ſupra patenam ſpecies diuiſas in modum crucis Græci; licèt iſti ſpeciem panis conſecratam, in quatuor tantùm partes ſecarent, vt conſtat ex Liturgijs Ioan. Dhryſoſt & Baſilij quę extant tomo 6. Bibliothecæ ſanctæ: ac tandem peractis quibuſdam precibus ſubiungit Vaſæus Sacerdotem vltimam particulam, quam diximus *Regnum* vocitatam, ſolitum ſibi communicare; quid autem de alijs fieret ne verbum quidem habet. Sum autem id aſſequutus ex Officio Muzarabico, ſiue Gothico, quod extat in Auctuario Bibliothecę ſanctę p. 1. cap. 28. & ex Officio priuato quod Capellani Muzarabes in die D. Iacobo dicato recitare conſueuerunt, quódque extat loco proximè citato: vbi etiam cernere licèt figuram ſpecierum conſecratarum ad modum crucis. Dicitur ergo illic quòd Sacerdos omnes iſtas particulas ſibi communica-

Hoſtiæ conſecratæ partitio apud aliquos.

Digitized by Google

Euchariſtiæ pars vltima cur regnum dicta.

ret. Particulam verò vltimâ ſanctiſſimi ſacramẽti ideò *Regnũ* eſſe vocitatã putant quòd dignitas illa plus quam regia & felicitas, quæ aduenit animabus iuſtorum in æternis illis domicilijs ſit ex præſentia humanitatis Chriſti, quæ verè in ſanctiſſimo ſacramento continetur repetenda: quod confirmant ex illis omnibus locis Scripturæ, in quibus vita æterna dicitur regnum, Mat. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum.* Mat. 11. *Regnum cœlorum vim patitur.* Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum.* Matth. 25. *Venite poſſidete regnum.*

Matth. 5. ℣. 20. idẽ 11. ℣. 11. idẽ 19. v. 14. idem 25. ℣. 54.

Subiungo & aliud, & quidem eò libentiùs, quòd à nullo ex ijs qui noſtris ſeculis de rebus Euchariſtiæ ſcripſerunt fuerit obſeruatum, ex Fulberto Carnotenſi Epiſcopo, epiſt. 2. ad Fucardum: hic ergo aſſerit nullos antiquitus in Gallijs conſecratos eſſe Sacerdotes, quibus non daretur vna numero ſpecies panis conſecrata abſumenda ſenſim, & paulatim intrà quadraginta dies proximos ab eorum conſecratione; dabatur autem ſpecies hæc ſanctiſſimi ſacramenti intrà membranam, ſiue pergamentum, vt loquitur Fulbertus in hunc vſum comparatum: contendit porrò hęc ideò accidiſſe, vt Sacerdotes de nouo conſecrati conuerſationis quadragenariæ Chriſti, & Aſcenſionis eiuſdem glorioſiſſimæ in cœlum admonerentur, vbi nedum animæ ſanctorum, ſed etiam infinita illa Angelorum multitudo gratiſſimo, ac iucundiſſimo humanitatis Chriſti perfruitur conſpectu; aut, vt alij volunt, ne præſentia obiecti ſuæ beatitudinis fraudarentur, ſed manibus illud attrectarent, animo conſpicerent, palato præſentirent, & degustarent æternas illas & numquam intermorituras delicias. Tandem rem hanc definio teſtimonio Auguſt. in Manuali capite 26. *Deo*, inquit, *an ſimilitudine hominis apparuit, vt vterque ſenſus hominis in ipſo beatificaretur, & reficeretur, oculis cordis in eius diuinitate, & oculis corporis in eius humanitate: vt ſiue ingrediens, ſiue egrediens, in ipſo paſcua inueniret natura humana conduta ab ipſo.* Atque hæc dicta velim in gloriam & honorem ſanctiſſimæ humanitatis Chriſti, & auguſtiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti cui tantùm debemus.

D. Auguſt.

QVÆSTIO III.

De obiecto formali beatitudinis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An aliquid creatum ſit beatitudo formalis.

Varia Doctorum ſententia 1.

VARIANT in hac re explicanda Scholaſtici; ſunt enim qui putent beatitudinem noſtram formalem poſitam eſſe in vnione eſſentię diuinę cum animabus noſtris; ità Henricus Gandauenſis. Ceterùm, hæc opinio exploditur communiter à Theologis. Primùm, quia beatitudo creaturæ rationalis eſt participatio quædam beatitudinis increatæ Dei, ex communi doctrina: at beatitudo formalis Dei non eſt poſita in vnione aliqua eſſentiæ diuinæ cum perſonis; nec item præſentia eiuſdem eſſętię cum ijſdem, neque in identitate perſonarum diuinarum cũ eſſentia, vel contrà, nec denique in eſſe diuino ſub ea ratione præcisè, qua eſſe diuinũ eſt, ſed in viſione eſſentię diuinę, prout in ſe eſt, vt communiter fatentur Thomiſtæ omnes: ergo id quoq; erit dicendũ de beatitudine noſtra formali.

Henricus.

Accedit, Chriſti naturam humanam fuiſſe vnitam hypoſtaticè Verbo diuino, & tamen vi huius vnionis non potuit dici beata formaliter, cùm potuerit Deus aſsumere naturam aliquam inſenſibilem, non minùs quàm naturam humanam, tamen natura hęc inſenſibilis aſsumpta nõ propterea foret beata formaliter: ergo beatitudo formalis non eſt poſita præcisè in vnione eſſentiæ diuinę cum anima noſtra.

Denique, Deus coniungitur animabus iuſtorum, pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali per gratiam & charitatem; imò debet eſſe in omni planè re creata, per eſſentiam, præſentiam & potentiam; ità vt intimè coniungatur rebus omnibus, & tamen nulla res creata dicitur beata. Vide multa alia contra hanc opinionem apud Curielem quæſt. 2. ad hunc artic. D. Thomæ.

2. Sententia.

Alij verò putant beatitudinem noſtram formalem poſitam eſſe in illo eodem actu quo Deus videt ſuam eſſentiam: quare contendunt nos eſſe formaliter beatos per illam eamdem numero beatitudinem, qua Deus eſt in ſe beatus.

Refellitur.

Ceterùm, hæc opinio reijcitur communiter ab omnibus; de fide namque eſt beatitudinem ſanctorum eſſe inæqualem, Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* 1. Corinth. 15. *Differt enim ſtella à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum:* ſi ergo beatitudo æterna formalis, ſit illa eadem numero quæ datur in Deo, beatitudo ſanctorum non poteſt eſſe inæqualis cùm in Deo nihil ſit maius aut minus, ſed omnia ſunt impartibilia & indiuiſibilia.

Ioan. 14. ℣. 2. 1. Cor. 15. ℣. 41.

Efficaciter oſtenditur formalem beatitudinẽ non eſſe aliquo Deum ſeipſũ intuetur.

Deinde, de fide eſt Deum eſſe incomprehenſibilem reſpectu cuiuſlibet creaturæ, vt dicitur 1. Timoth. 6. *Lucem habitat inacceſſibilem*; at ſi beatitudo noſtra ſit illa eadem, qua Deus beatus eſt, ipſe comprehenderetur ab vnoquoque beatorum; nam formaliter per viſionem qua videt ſuã eſſentiam eſt beatus, quæ verè eſt comprehenſiua diuinæ eſſentiæ: ergo cùm hæc viſio detur in omnibus beatis comprehendetur ipſe à quolibet; quod tamen citra ſummã temeritatẽ dici nequit.

1. Tim. 6. ℣. 16.

Tertiò, definitum fuit in Concilio Viennenſi & refertur in Clementina, *Ad noſtram*, de hæreticis, lumen gloriæ eſſe neceſſarium in beatis ad videndam diuinam eſſentiam prout in ſe eſt; at hæc doctrina ſuſtineri nequit ſi quilibet beatus conſtituatur talis formaliter per illam eamdẽ viſionem, qua Deus eſt beatus; nam certum eſt ipſum comprehendere ſeipſum perfectiſſimè per intellectionem, qua intelligit ſuam eſſentiam, & omnia, quæ repræſententur in eadem, ſinè vllo lumine gloriæ, cùm hoc ſit qualitas aliqua producta, quare in Deo nullũ poteſt habere locum: ergo beatitudo noſtra formalis non poteſt eſſe actus ille quo Deus ſuam intuetur eſſentiam.

Addo per omnipotentiam Dei fieri non poſſe, vt quis videat diuinam eſſentiam, per illam eamdem numero viſionem, qua Deus videt ſeipſum. Primùm, quia Trident. definiuit ſeſſ. 6. cap. 7. hominem non iuſtificari merè paſſiuè, ſed concurrere ad ſuam iuſtificationem: ergo ſimiliter erit dicendum hominem non poſſe formaliter beatificari, niſi ad hanc eamdem actiuè concurrat.

Dices

Effugium præcluditur. Dices, hac ratione probari tantùm de lege communi neminem poſſe beatificari medio illo actu, quo Deus beatus eſt, non autem de poteſtate abſoluta Dei.

Sed contrà, implicat actum vitalem immanentem non habere ortum à potentia vitali vitaliter operante, & recipi in alio aliquo diuerſo ab eo, à quo elicitur; actus ſiquidem elicitus immanens, in eo tantùm locatur ſubiecto à quo exijt: at quilibet beatus, eſt formaliter beatus medio actu vitali elicito & immanente, nempe media viſione eſſentiæ diuinæ, & amore eiuſdem: ergo non poterit Deus facere vt viſio iſta & amor ſit ab aliquo alio, præterquàm ab intellectu, qui videt eſſentiam diuinam, & à voluntate quę amat eamdem. Confirmatur: Non poteſt Deus facere, vt ſit aliquis videns formaliter per viſionem, ab aliquo alio productam, neque intelligens per alterius intellectionem: ergo non poterit efficere vt aliquis ſit beatus formaliter per illam eamdem numero beatitudinem, qua Deus formaliter eſt beatus; non enim aliquid dici poteſt de alio formaliter, niſi ſit in eo vel ad modum formæ inhærentis, vel de eius eſſentia, vel denique niſi fuerit terminus eiuſdem: nullum autem ex dictis dici poteſt de beatitudine Dei formali, vt eſt per ſe notum: ergo neque poterit, &c.

Obiectio. Obijcies, cum authoribus contrariæ ſententiæ, Deum ſupplere in quolibet beato ſpeciem intelligibilem, quæ de lege communi neceſſaria eſt in nobis ad intelligendam rem aliquam: ergo poterit & fieri vt aliquis videat diuinam eſſentiam per illam eamdem numero viſionem, qua Deus videt ſeipſum. Nam propterea eſſentia diuina ſupplet vicem ſpeciei intelligibilis, quia facit illud idem, quod faceret ſpecies impreſſa ſi adeſſet; at viſio qua Deus videt ſeipſum debet præſtare illud omne quod facit viſio elicita à quolibet beato, cùm hæc ſit ſimpliciter infinita: igitur.

Solutio. Reſp. conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad probationem autem propterea diuinam eſſentiam ſupplere vicem ſpeciei intelligibilis in quolibet beato, quia hæc eſt tantùm neceſſaria quando obiectum cognitum non eſt per ſe ipſum immediatè præſens potentiæ cognoſcitiuæ: viſio autem qua Deus videt ſeipſum propter ea ſupplere nequit viſionem creatam in beatis, quia de intrinſeca ratione cuiuſlibet viſionis eſt, vt ſit act° vitalis & immanés, ac proinde debet hęc neceſſariò recipi in eo tantũ ſubiecto à quo exit.

Replica. Inſtabis poſſe Deum magis intimè coniungere ſeipſum intellectui cuiuſlibet beati, quàm coniungatur eidem actus viſionis à ſeipſo elicitus.

Diſſoluitur. Reſp. Non poſſe fieri, vt per modum informationis vniatur Deus intellectui alicuius beati: fatentur enim omnes Deum non poſſe ſupplere rationem cauſæ formalis, quod tamen fieret, ſi viſio, qua Deus videt ſeipſum communicaretur intellectui beatorum, & quidem ità vt intellectus cuiuſlibet beati abiſta viſione nũcuparetur vidẽs.

Alia replica. Vrgent, ſi Deus eſſet eſſentialiter & formaliter color, & vniretur ex hypotheſi ſic alicui intellectui beato, intellectus ſic diceretur formaliter coloratus: at Deus eſſentialiter & intrinſecè eſt ſua viſio, & ex hypotheſi Deus vnitur intellectui cuiuſlibet beati: ergo per hoc dicetur formaliter videns.

Euadatur. Reſpond. ad minorem, Deum vniri mentibus quorumcumque beatorum propriè & immediatè, ceterùm in ratione obiecti cogniti, prout in ſe eſt, non autem per modum informationis, quaſi Deus recipiatur in mentibus beatorum: illo eodem modo quo accidens aliquod recipitur in ſuo ſubiecto, quod tamen eſt neceſſarium, vt attributa quæ de Deo dicuntur formaliter & intrinſecè poſſint dici de mentibus beatorum: quod enim enunciatur de aliquo eſſentialiter & intrinſecè debet eſſe vel de eius eſſentia, vel certè debet recipi in eo, tamquam in ſubiecto: viſio autem qua Deus videt ſeipſum, licèt idem realiter & eſſentialiter ſit cum diuina eſſentia, non tamen recipitur hæc in mentibus beatorum, tamquam in ſubiecto, certum eſt ſiquidem non eſſe de intrinſeca ratione intellectus cuiuſlibet beati.

Vrgent aduerſarij. Inſtant authores contrariæ ſententiæ, ſubſiſtentiam increatam Verbi diuini fuiſſe communicatam humanæ Chriſti naturæ: ergo & poterit viſio increata qua Deus videt ſeipſum proximè & immediatè beatis communicari.

Enervãtur. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam: ſubſiſtentia enim increata ideò communicata eſt humana Chriſti naturæ, quòd hæc ſimpliciter infinita ſit in ratione ſubſiſtendi, & non eſt neceſſe ſubſiſtentiam recipi in aliquo tamquam in ſubiecto: poſtulat enim ratio ſubſiſtentiæ, vt terminet dependentiam naturæ ſubſtantialis, & eamdem in ratione ſubſtantiæ individuę, & ſingularis compleat: viſio autem nequit recipi in aliquo alio, niſi in eo à quo habet ortum, idque quòd ſit actus vitalis & immanens, qui in eo tantùm poteſt eſſe à quo ortum ſuum habet proximè & immediatè.

Obiectio 2. Obijciunt 2. Quemlibet beatum nedum videre creaturas aliquas intrà Deum, ſed etiam Deum ipſum; at non poteſt Deus videri commodiori modo, quàm per ſpeciem qua videt ſeipſum: ſicut enim Deus eſt infinitus, ità & viſio qua videt ſeipſum eſt infinita.

Solutio. Reſpondeo, ad videndum Deum prout in ſe eſt, non eſſe neceſſarium lumen infinitum, ac proinde neque viſionem; poteſt enim infinitum videri medio lumine finito: conſtat ſiquidem Deũ pertinere ad obiectum Meraphyſicæ, & tamen ſcientia iſta verè finita eſt, cùm ergo cognoſcatur Deus infinitus à quolibet beato, & item creaturæ aliquæ intrà eumdem Deum, quilibet beatus medio lumine gloriæ finito intelliget Deum, & præterea creaturas iſtas.

Vltima obiectio. Obijciunt denique, beatitudinem formalem eſſe ſummum bonum & vltimum finem noſtrũ; at ſolus Deus eſt vltimus finis noſter, itémque ſummum bonum, ex D. Auguſt. Et colligitur ex illo Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: ergo.

Solutio. Reſpond. Conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem autem ſolum Deum eſſe ſummum bonum noſtrum obiectiuum, non eſſentiale & ſubiectiuum, ità vt ſolus Deus ſit obiectum eſſentiale beatitudinis noſtræ; beatitas autem formalis ſeu ſubiectiua, non eſt Deus, ſed viſio qua vident beati Deum prout in ſe eſt. Reſp. 2. Teſtimonia D. Auguſt. intelligenda eſſe cauſaliter, ità vt velit ſolum Deum eſſe cauſam præcipuam & principalem beatitudinis noſtrę obiectiuæ, de qua re nulla eſt controuerſia.

Dico tandẽ, beatitudinem noſtram formalẽ eſſe aliquid creatũ: tum quia ità docet D. Th. hoc loco, & omnes interpretes eiuſdem ibidem. & Sentent. in 4. diſt 49. Deinde, beatitudo formalis

nostra non est Deus ipse, sed visio producta à nobis de Deo, prout in se est; at nihil præter Deum est increatum: ergo. Vide plura de istis apud Ægidium de præsentatione hoc loco.

A

ARTICVLVS SECVNDVS.

An beatitudo formalis sit operatio.

DVÆ sunt hoc loco Dubitationes explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An beatitudo formalis sit operatio.

B

Beatitudo formalis est operatio.

1. Ioan. 3. ℣. 2. Ioan. 17. ℣. 3. 1. Cor. 13. ℣. 12. Mat. 5. ℣. 8. Ioan. 14. ℣. 9.

CONCLVSIO 1. *Beatitudo formalis creaturæ rationalis est operatio aliqua vera, & realis.* Primùm, quia nuncupatur hæc in sacris litteris, visio 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* 1. Corinth. 13. *Nunc videmus per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.*

C

Deinde, res hæc videtur definita in Clementina *Ad nostram*, de hæreticis, & in Extrauagante aliqua Benedicti XI. definitur quippe istis in locis, aut saltem videtur definiri beatitudinem nostram positam esse in visione & fruitione diuinę essętię.

D. Auguſt.

Tertiò probatur ex Patribus, D. Auguſt. lib. 12. cap. 1. de Ciuit. *Quod cùm ità sit*, inquit, *huic naturæ, quæ in tanta excellentia creata est, vt licèt ipsa sit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id est, summo Deo, beatitudinem consequatur; nec expleat indigentiam suam, nisi vtique beata sit; eique explenda non sufficiat nisi Deus bonus.* & lib. 1. de doctrina Christiana cap. 6. & 10. de Ciuitat. cap. vltimo. Nazianzeno in plagam grandinis. Cypriano lib. 4. epistol. 6. Ambrot. lib. 2. de Spiritu sancto, & 2. de Officijs, cap. 2. Gregor. Mag. lib. 1. Moral. cap. 10. & alijs innumeris, cum D. Thom. hoc loco & interpret. eiusdem.

Nazianz. Cypriani Ambroſ. Gregor. Magn. D. Thom.

D

Accedit ratio: Auxilia quæ dantur beatis, ad hoc vt sint formaliter beati, respiciunt operationem aliquam; nam lumen gloriæ ordinatur ad Deum videndum, vt colligunt Theologi, ex illo Dauidis Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen:* at operatio quæ habet ortum à lumine gloriæ, & ab intellectu cuiuslibet beati censetur esse sola visio essentiæ diuinæ, prout in se est.

Deinde, beatitudo creaturæ rationalis est participatio quædam beatitudinis increatæ Dei; at beatitudo Dei posita est in operatione aliqua, quæ est idem formaliter & realiter cum ipso Deo.

E

Tertiò, ad beatitudinem desideratur possessio ipsius deitatis, vnio cum Deo, & aliqua delectatio, quæ consequatur huiusmodi possessionem: ergo concedenda erit aliqua operatio per quam beatus quilibet tendat in Deum, prout in se est, & præterea qua cognoscat se verè potiri Deo.

Operatio beatifica nõ est transiẽs.

CONCLVSIO 2. *Operatio ista non est transiens sed immanens.* Primùm, quia docebimus ad Articulum 4. huius quæst. beatitudinem positam esse in visione & in amore essentiæ diuinæ prout in se est; at actus isti non sunt transeuntes sed immanentes cum recipiantur necessariò in ijs principijs à quibus ortum habent.

Deinde, actus proximè citati sunt verè vitales; ergo sunt immanentes: non enim potest actus vitalis recipi in aliquo, nisi fuerit hoc vitale, & nisi ortus fuerit à principio vitali vitaliter operante. Ità communiter omnes ad hunc locum, & aliqui 1. part. quæst. 12. alij verò in 1. dist. 49.

Operatio beatitudinis perfectissima.

CONCLVSIO VLTIMA. *Operatio in qua posita est beatitudo formalis creaturæ rationalis debet esse perfectissima, non quidem spectata secundùm entitatem suam præcisè, sed secundùm rationem terminandi & complendi vltimò.* Prima pars probatur, quia de fide est beatitudinem formalem esse in beatis inæqualem.

Deinde, quia certum est beatitudinem Dei secundùm suam entitatem spectatam, infinitis partibus perfectiorem esse beatitudine cuiuslibet beati.

Tertiò, vnio hypostatica putatur esse actio ceteris omnibus præstantior, terminus siquidem istius censetur esse Deus: ergo beatitudo formalis secundum suam entitatem non est perfectissima operatio.

Secunda verò pars probatur: beatitudo ità complet appetitum cuiuslibet beati, vt non possit hæc intendi aut remitti, cùm sit inuariabilis & immutabilis de lege communi. Ità omnes interpretes D. Thomæ.

Obiectio.

Obijcies, beatitudinem definiri statum omnium bonorum aggregatione perfectissimum.

Solutio.

Resp. Hæc non esse intelligenda simpliciter, sed tantùm comparatiuè respectu cuiuslibet beati; ità vt sensus istius propositionis sit, cum qui beatus est ità compleri vltimò sua beatitudine, vt nequeat vlteriùs compleri de lege communi, in ratione beatitudinis essentialis supernaturalis: quod dico, quia non est negandum quin beatitudo ista possit augeri accidentaliter. Vide plura de istis apud Ægidium de Præsentatione, quæst. 6. art. 2. tomo 1. suorum operum.

DVBITATIO SECVNDA.

An operatio ista qua censetur esse beatitudo formalis creaturæ rationalis producatur à solo Deo; An etiam à creatura rationali.

1. Sententia probat. 1.

SVnt qui putent à solo Deo produci, minimè verò à creatura quæ beatur per huiusmodi operationem. Primùm, quia lumen gloriæ cùm sit per se & sua natura infusum, à solo Deo producitur: ergo & visio qua videtur essentia diuina, prout est in se à quibusuis beatis, producitur à solo Deo: quando enim dantur duo aliqua inter se subordinata, & minus producitur à solo Deo, producitur etiam maius ab eodem solo: at lumen gloriæ minus est quàm sit visio, qua videtur Deus à beatis: ergo cum quilibet beatus fit formaliter talis per visionem, qua videt Deum prout in se est, hæc à solo Deo erit effectiuè.

2.

Deinde, si hæc operatio esset à beato, posset hæc beatitudo intermitti ab eodem: quilibet enim nostrùm censetur esse Dominus suarum operationum: atqui nullus est ex beatis qui possit intermittere suam beatitudinem, est enim de essentia beatitudinis, vt sit immutabilis.

Digitized by Google

3. Tertiò, ſi beatitudo formalis eſſet effectiuè à beatis non autem à ſolo Deo, ſequeretur eum qui præſtantiorem & nobiliorem haberet mentem; faciliori & nobiliori modo attingere ſuam beatitudinem, idque naturaliter; at illatio hæc defendi nequit, beatitudo ſiquidem formalis cuiuſlibet beati cenſetur eſſe tota ſupernaturalis, ac proinde debet habere ortum à principiis ſupernaturalibus. Item ſequeretur creaturam rationalem beatificare ſeipſam; nam produceret effectiuè ſuam beatitudinem: at illatio iſtius probationis eſt contra D. Paulum Rom. 6. dicitur enim illic de gloria æterna, quòd ſit tota gratia Dei; *Gratia, autem, Dei, vita æterna.* & pſalmiſta regius ità loquitur de hac re, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: in hac ſententia ſunt Paludanus in 4. diſt. 6. Ockam in 1. diſt. 7. quæſt. 2. con. 2. & in 2. diſt. 19. admittunt tamen authores aliqui ex iſtis, duplicem viſionem in beatis circa diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt; vnam productam ab ipſiſmet beatis; aliam verò à ſolo Deo; in hac putant eſſe poſitam beatitudinem formalem cuiuſlibet beati; in illa verò minimè.

Rom. 6. verſ. 23. Pſal. 83. verſ. 12.

1. Sententia. Secunda ſententia eſt eorum qui putant, operationem per quam conſtituuntur beati formaliter agentes in cœlis produci & à beatis ipſis & à Deo ſimul: ceterùm de potentia Dei abſoluta fieri poſſe, vt hæc producatur à ſolo Deo. Quod attinet ad 1. partem huius opinionis, nihil eſt in ea damnandum, vt poſtea demonſtrabitur: vltima verò pars eiuſdem improbabitur poſtea à nobis.

Confirmatur autem ab iſtis authoribus ex eo, quod quilibet effectus productus à Deo, & à creaturis ſimul, poſſit à Deo ſolo produci; nam omnis actiuitas quæ datur in cauſa ſecunda, nobiliori & perfectiori modo reperiatur in Deo; at viſio circa diuinam eſſentiam prout in ſe eſt comproducitur à quolibet beato vna cum Deo, vt probabitur inferiùs: ergo.

Quod autem media iſta operatione producta à ſolo Deo, & recepta in intellectu & voluntate, creatura rationalis eſſet verè beata formaliter, confirmant, ex eo quòd impoſſibile ſit effectum formalem ſeparari à cauſa formali; at effectus formalis viſionis eſſentiæ diuinæ eſt facere hominem beatum formaliter: ergo cum viſio iſta, etſi à ſolo Deo producta, ex hypotheſi recipiatur in creatura rationali tanquam in ſubiecto, hæc erit verè beata formaliter. In hac ſententia ſunt aliqui Thomiſtæ, maximè vero Capreolus in 1. diſt. 49. quæſt. 1. art. 4. Vega articulo 6. in Concil. Trident. cap. 8. & Scotus diſt. 3. lib. 7. quæſt. 8. Verùm non conuenit inter iſtos authores qua ratione poſſit produci à ſolo Deo. Aliqui enim volunt poſſe produci tantum in ratione alicuius qualitatis, minimè verò actionis vitalis, quatenus actio eſt reduplicatiuè.

Tertia ſententia explicatur ſequentibus Concluſionibus.

Beatitudo formalis à creatura effectiuè & à Deo principaliter.

CONCLVSIO 1. *Operatio qua facit creaturam rationalem formaliter beatam ab ipſomet beato eſt effectiuè, & item à Deo: ceterùm cum hoc diſcrimine, quòd operatio iſta ſit à Deo veluti à cauſa præcipua & partiali.* Prima pas Concluſionis probatur: Primùm, quia operatio quæ facit creaturam rationalem formaliter beatam eſt viſio, & amor eſſentiæ diuinæ, vt art 4. huius quæſt. probabitur; at viſio & amor ſunt à beatis effectiuè: ità enim dicitur de cognitione qua cognoſcitur Deus à beatis. Ioann. 17. verſ. 3. Ioann. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum; & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* & 1. Corinth. cap. 13. de hac re loquitur D. Paulus. *Tunc*, inquit, ſcilicet cùm conſecuta fuerit beatitudo, *cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* & Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* 1. Corinth. 13. *Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Dicitur denique in ijſdem ſacris litteris, quòd beatitudo noſtra ſit gaudium. Rom. 14. *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia & gaudium, & pax in Spiritu ſancto.* Ioann. 16. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui*; at cognitio, viſio, & gaudium eliciuntur neceſſariò ab eo qui cognoſcit, videt, & gaudet: ſunt enim iſtæ actiones vitales, quæ pendent intrinſecè à principiis vitalibus vitaliter operantibus: ergo.

1. Cor. 13. verſ. 12. Matth. 5. verſ. 8. 1. Cor. 13. verſ. 12. Rom. 14. verſ. 17. Ioann. 16. verſ. 22. Matth. 25. verſ. 23.

2. Deinde, beatitudo formalis eſt actus vitalis & immanens, cùm ſit hæc viſio & amor; atqui actus vitalis elicitur à ſubiecto in quo recipitur, idque neceſſariò; non enim aliter diſtinguitur ab operatione tranſeunte, niſi quòd hæc recipiatur in alio ſubiecto, diuerſo ab eo à quo exit; actus autem immanens in eo dumtaxat recipitur à quo deriuatur, ex communi doctrina Theologorum & Philoſophorum.

3. Denique, certum eſt lumen gloriæ eſſe ſimpliciter neceſſarium ad videndum Deum, prout in ſe eſt, reſpectu cuiuſlibet creaturæ rationalis, idque quòd hæc conſtituatur potens ad id medio iſto lumine gloriæ; at ſi eſſentia diuina videatur à beatis viſione producta à Deo, minimè verò ab ipſis beatis, lumen gloriæ non eſt neceſſarium ad videndam diuinam eſſentiam reſpectu beatorum, cùm certum ſit Deum non egere lumine gloriæ vt videat ſeipſum: ergo non poterit creatura rationalis formaliter fieri beata, mediante viſione producta à ſolo Deo.

2. Partis probatio. Secunda verò pars Concluſionis probatur, ex eo quod impoſſibile ſit vllam rem creatam poſſe aliquid producere, niſi concurrente prima cauſa, maximè ſi ſermo ſit de effectibus ordinis ſupernaturalis, inter quos computatur beatitudo formalis; propter hanc enim cauſam dicit Chriſtus, *Sine me nihil poteſtis facere.* & rurſus. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* at beatitudo noſtra formalis eſt operatio quædam vt ſupponimus: ergo hæc erit à Deo. Confirmatur. Quilibet effectus magis eſt à cauſa prima, quàm à ſecunda; pendet enim in eſſe, fieri, & conſeruari à prima: at beatitudo formalis eſt effectus aliquis: ergo erit à Deo neceſſario effectiuè. In hac ſententia ſunt communiter interpretes ſancti Thomæ recentiores, Ægidius de Præſentatione loco ſupra citato, Medina & alij. Quod autem operatio iſta ſit à nobis veluti à cauſa inadæquata, & partiali remota, probauimus ad quæſt. 12. 1. part. D. Thomæ: docuimus enim illic, ex lumine gloriæ, & intellectu beati conſurgere vnum ens totale & adæquatum, quod producit viſionem diuinæ eſſentiæ, ità vt neutrum ex iſtis ſeorſim ſumptis ſufficiat ad actum viſionis producendum, bene tamen coniunctim: præterea in nobis dari capacitatem non quidem proximam, ſed remotam videndi diuinam eſſentiam, ac proinde intellectum beati non habere rationem cauſæ verè inſtrumentariæ reſpectu viſionis diuinæ eſſentiæ, idque quod inſtrumentum propriè dictum operetur tantum per vim in alio exiſtentem, non autem per virtutem aliquam ſibi à natura inſitam: intellectus autem beati cuiuſlibet eſſentiam diui-

Ioann. 15. verſ. 5. Idem 6. verſ. 44.

nam conſpicit per vim ſibi à natura inſitam, completam tamen & perfectam medio lumine gloriæ, quod eſt ordinis ſimpliciter ſupernaturalis, ac conſequenter eſt abſolutè neceſſarium in intellectu beati, vt potentia incompleta & imperfecta naturalis quæ datur in illo, eſſentiam diuinam actu videat. Vide plura de hac re loco citato quæſt. 12. 1. part.

Implicat beatitudinẽ formalem produci à ſolo Deo.

CONCLVSIO 2. *Per nullam potentiam fieri poteſt, vt beatitudo formalis producatur à ſolo Deo, ſtante hypotheſi quòd ſit actio vitalis & immanens.* Probatur: quia non poteſt Deus ſupplere cauſam vitalem vitaliter operantem; at beatitudo formalis creaturæ rationalis eſt ex hypotheſi operatio quædam vitalis vitaliter producta, vt dicemus ad art. 4. huius quæſt. ergo implicat beatitudinem iſtam eſſe viſionem & amorem eſſentiæ diuinæ prout in ſe eſt, & produci à ſolo Deo.

Euaſio.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, propoſitionem maiorem eſſe falſam: primi quippe parentes ſunt eiuſdem rationis cum ceteris hominibus qui producuntur generatione naturali, & tamen fuerunt producti ſinè vlla generatione naturali: corpus item Chriſti producitur de nouo in ſacramento Euchariſtiæ, & tamen non generatur.

Debilis.

Ceterùm doctrina iſta non vrget noſtram ſententiam: nam non probat Deum ſupplere actionem vitalem, quatenus vitalis eſt, ſed tantùm ſe ſolo producere terminum qui ſit per generationem naturalem, quod nos vltrò concedimus: non enim primi parentes dicuntur eſſe formaliter geniti ex vi illius actionis, qua ſunt à Deo creati: corpus item Chriſti data hypotheſi, quòd de nouo producatur ſub ſpeciebus conſecratis, non dicitur propterea genitum, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium, ſi Deus ſuppleret generationem propriè dictam: nam actio vitalis nedum eſt in ratione cauſæ efficientis, ſed etiam formalis, ac proinde denominat formaliter generantem eum qui generat, item genitum eum qui generatur.

2. Probatio Concluſionis.

Probatur Concluſio ſecundò: Nemo dicitur amans ab amore ab aliquo alio producto, vt author eſt D. Thomas 2. 2. quæſt. 23. ergo nullus etiam dicitur formaliter videns aut beatus, à viſione ſeu beatitudine producta ab aliquo alio: nam tam intrinſecè pendet viſio & beatitudo à cauſa vitali vitaliter operante, quàm faciat amor à potentia amante.

Effugium.

Reſpondent authores contrarij, amorem voluntarium non poſſe produci à ſolo Deo: ſecus verò amorem inuoluntarium, qualis eſſet ex hypotheſi is qui produceretur à ſolo Deo, & locaretur in voluntate alicuius creaturæ rationalis per omnipotentiam Dei.

Præcluditur.

Verùm reſponſio hæc ſuſtineri nullo modo poteſt: non enim poteſt aſſignari actus amoris qui non ſit voluntarius, cùm pendeat intrinſecè à voluntate, & à facultate appetitiua. Deinde, nihil eſt magis naturale amori, quàm pendere à principio cognoſcitiuo. Tertiò, amans tendit neceſſariò per amorem in rem amatam: qui enim amat, magis eſt vbi amat, quàm vbi animat; at hoc dici non poteſt ſi detur aliquis actus amoris qui non ſit voluntarius.

Soluuntur rationes cõtrariæ.

Ad rationes verò contrarias. Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad probationem verò, propoſitionem illam eſſe ſimpliciter falſam: Quando dantur duo aliqua ità affecta, vt vnum ſit minus, aliud maius, ſi Deus ſit author minoris, erit etiam maioris: nam actus fidei cenſentur eſſe minus perfecti quàm ſit fides ipſa, & tamen certum eſt fidem à ſolo Deo produci, actus verò eiuſdem, à nobis & à Deo.

Reſpond. 2. lumen gloriæ minus eſſe quàm ſit actus viſionis diuinæ eſſentiæ: nam actus viſionis circa illam totus eſt ſupernaturalis, & dependenter à lumine gloriæ. *Solutio 2.*

Ad 2. Reſpond. actum elicitum liberè à creatura rationali poſſe ab eadem intermitti: beatitudo autem non eſt actus elicitus à beatis liberè, ſed neceſſariò: eſt enim axioma vſitatiſſimum apud Scholaſticos, voluntatem creatam neceſſitari ex manifeſtatione obiecti continentis rationem boni cuiuſlibet: huiuſmodi autem eſt eſſentia diuina, Exodi 33. *Oſtendam tibi omne bonum*, id eſt, meipſum. 2.

Ad 3. præſtantiam intellectus relicti intrà terminos propriæ naturæ ſe ſolam non poſſe conducere ad magis vel minus videndum: eget ſiquidem intellectus lumine gloriæ, vt eſſentiam diuinam conſpicere poſſit, ac proinde inepta eſt maior vel minor vis naturalis, quæ datur in intellectibus eorum, qui de facto diuinam intuentur eſſentiam. 3.

Ad vltimam, non eſſe abſurdum creaturam rationalem ſolam eſſe cauſam ſuæ ſalutis & adeptionis vitæ æternæ: ità enim loquitur Paulus cap. 9. prioris ad Corinth. *Omnibus omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem.* Iacob. cap. 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* & Matth. 18. *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum:* locus autem iſte, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, tantùm probat ſolum Deum eſſe cauſam præcipuam & principalem noſtræ felicitatis, cum quibus rectè cohæret vt aliquis alius ſit cauſa noſtræ ſaluris & beatitudinis, nempe minùs præcipua & principalis. *Vlt.* 1. Cor 9. verſ. 19. Iacob. 5. verſ. 20. Matth 18. verſ. 15. Pſal. 83. verſ. 12.

ARTICVLO 3. docet beatitudinem formalem non eſſe poſitam in operatione aliqua ſenſili.

ARTICVLVS QVARTVS.

An beatitudo ſit actus voluntatis & intellectus.

CIrca hunc Articulum ſit

DVBITATIO PRIMA.

An beatitudo formalis ſupernaturalis creaturæ rationalis poſita ſit in vnà tantùm operatione, an verò in pluribus.

D. Thom. ſententia.

VARIANT in hac re explicanda Scholaſtici: D. enim Thomas cum ſequacibus ſuis beatitudinem eſſentialem contendit eſſe poſitam in ſola actione intellectus, qua conſpicitur Deus, vt in ſe eſt.

Scoti opinio.

Scotus verò putat beatitudinem iſtam poſitam eſſe in ſolo amore, ſicut & eiuſdem diſcipuli. Alij verò in duabus iſtis operationibus proximè explicatis contendunt beatitudinem eſſentialem conſiſtere, quæ opinio videtur probabilior: explicatur autem ſequentibus Concluſionibus.

Beatitudo formalis eſſentialis poſita eſt in actu intellectus quo videtur Deus à beatis

CONCLVSIO 1. *Beatitudo formalis ſeu actus intellectus.*

Digitized by Google

à beatis prout in ſe eſt. Probatur primùm ex illis locis Scripturæ in quibus beatitudo noſtra viſio nuncupatur. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* & cap. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui eſt in cœlis.* Ioann. 17. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* & cap. 14. *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* & ibidem. *Qui videt me, videt & Patrem meum.*

Matth. 5. verſ. 8. Idem 18. verſ. 10. Ioann. 17. verſ. 3. Idem 14. ℣. 8. & 9.

Deinde, idem docent Patres quos citabimus in confirmationem Concluſionis proximè ſequentis, & item Benedictus XI. in ſua Extrauagante quæ incipit, *Vnigenitus*, dicitur enim illic hominem eſſe verè beatum videndo Deum, & fruendo eius viſione.

Accedit ratio D. Thomę, & Thomiſtarum hoc loco: Beatitudo formalis poſita eſt in ea operatione, per quam adipiſcimur Deum ſummum bonum noſtrum; at per viſionem qua videtur Deus, prout in ſe eſt, conſequimur ſummum bonum noſtrum; de facto ſiquidem conſtituitur Deus præſens mentibus quorumcumque beatorum, & medio lumine gloriæ videtur à quolibet beato prout in ſe eſt. Moneo tamen beatitudinem eſſentialem non eſſe poſitam præcisè in adeptione, & conſequutione vltimi finis, ſed multò magis in vnione creaturæ rationalis proximè & immediatè cum vltimo fine, qui eſt Deus ipſe: quod eſt diligenter aduertendum, alioquin non poſſemus defendere beatitudinem eſſentialem eſſe in actu amoris quo amatur Deus clarè viſus à beatis; nam per actum amoris non conſequuntur Deum, ſed præſupponitur conſequutus, cùm obiectum voluntatis conſtituatur præſens eidem per actum intellectus, omnium planè conſenſione; vnimur tamen proximè & immediatè Deo non minùs per actum voluntatis quàm intellectus.

Beatitudo formalis eſt etiam actus voluntatis.

CONCLVSIO 2. *Beatitudo formalis ſeu eſſentialis non tantùm poſita eſt in actu intellectus, ſed etiam voluntatis.* Probatur primò ex illis locis Scripturæ in quibus beatitudo noſtra nuncupatur, Gaudium. *Euge ſerue bone & fidelis intrà in gaudium Domini tui.* & Ioann. 16. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium:* & rurſus. *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis:* loquitur autem Scriptura de beatitudine noſtra, ex communi ſententia interpretum. & Rom. 14. *Regnum Dei non eſt eſca, neque potus, ſed iuſtitia, & gaudium, & pax in Spiritu ſancto.*

Matth. 25. verſ. 21. Ioann. 16. verſ. 20. & 22. Rom. 14. verſ. 17.

D. Auguſtini ſententia.

Deinde, idem docent SS. Patres, maximè verò D. Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſiç, cap. 3. *Beatus*, inquit, *quantum exiſtimo, neque ille dici poteſt, qui non habet quod amat, qualecumque ſit: neque qui habet quod amat, ſi noxium ſit; neque qui non amat, quod habet, etiam ſi optimum ſit. Nam & qui appetit quod adipiſci non poteſt, cruciatur: & qui adeptus eſt, quod appetendum non eſt, fallitur: & qui non appetit quod adipiſcendum eſſet, ægrotat. Nihil autem iſtorum animo contingit ſinè miſeria, nec miſeria & beatitudo in homine vno ſimul habitare conſueuerunt. Nullus igitur illorum beatus eſt. Quartum reſtat, vt video, vbi beata vita inueniri queat, cùm id quod eſt hominis optimum, & amatur & habetur.* & 1. de Trinitat. cap. 8. & 1. de doctrina Chriſtiana cap. 32. & lib. 10. Confeſſ. cap. 21. & 23. & in Soliloquijs cap. 22. 35. & 36. ſimile ſquid habet, ità vt ponat beatitudinem noſtram, modò in actu voluntatis, modò in actu intellectus. Idem docet Hugo à ſancto Victore ad hæc verba cap. 7. Dionyſij lib. de cœleſti Hierarchia, *Multas quidem & beatas videas:* Duo ſunt, inquit, *cognitio & amor, alterum ad illuminationem pertinet, alterum ad refectionem; cognitio illuminat, dilectio ſatiat: cognitio veritatis, & amor bonitatis; in his beatitudo conſiſtit cognoſcere & amare Deum.* & Bernardus alicubi. *Si adhuc abſentes initiat fides & deſiderium, præſentes profectò conſummat intellectus & amor.*

Hugo à S. Victore. Bernard.

Reſpondent iſtis Thomiſtæ: probari huiuſmodi teſtimoniis completam & totalem beatitudinem poſitam eſſe nedum in actu intellectus, ſed etiam amoris; minimè verò beatitudinem formalem, ſeu eſſentialem; non enim de beatitudine formali, & eſſentiali loquuti ſunt aliquando Patres expreſsè.

Thomiſtar. ſolutio.

Ceterùm reſponſio hæc non minuit vim argumenti cum SS. Patres doceant hominem non minùs beari medio actu amoris, quàm actu viſionis circa diuinam eſſentiam. Deinde, quia tam proximè & immediatè vnitur creatura rationalis Deo vltimo fini ſuo, per actum amoris, quàm per actum viſionis. Vnde ergo poſſunt Thomiſtæ colligere hominem non beari eſſentialiter per actum amoris ſed tantùm per actum viſionis, cùm beatitudo formalis nihil aliud ſit quàm proxima & immediata vnio cum ſummo bono noſtro, ſeu, quod idem eſt, cum vltimo fine?

Infirma.

Probatur 1. ex Extrauagante Benedicti XI. in qua verba hæc leguntur. *Nec non, quod ex tali viſione, & fruitione eorum animæ, quæ iam deceſſerunt, ſunt verè beatæ, & erunt illorum, qui poſtea decedent, cùm eamdem videbunt eſſentiam, ipſáque perfruentur ante generale iudicium:* quibus verbis quidam exiſtimant hanc ſententiam eſſe definitam.

2. Probatio.

Reſpondent Thomiſtæ, Extrauagantem iſtam emanaſſe authoritate prædicti Pontificis contra eos, qui contendebant animas ante diem iudicij non videre diuinam eſſentiam. Subiungunt particulam iſtam (verè) idem ſignificare quod, perfectè; ac probari ex hoc loco beatitudinem perfectam conſurgere in beatis ex actibus intellectus & amoris ſimul, non autem beatitudinem eſſentialem.

Ceterùm reſponſio hæc non ſatisfacit: nam certum eſt ad perfectam beatitudinem, nedum deſiderari actus viſionis & amoris, ſed etiam delectationis, & præterea gloriam corporis, ſaltem ſi ſermo ſit de beatitudine hominum & tamen Benedictus XI. non meminit delectationis, nec item gloriæ corporis: non ergo loquitur de completa & perfecta beatitudine eſſentiali ſummus Pontifex.

Probatur 3. ex Concilio Viennenſi, & refertur in Clementina, *Ad noſtram*, de hæreticis; damnantur quippe illi hoc loco qui aſſerunt animam non indigere lumine gloriæ ad Deum videndum, & eo beatè fruendum; & ex Catechiſmo Concil. Trident. ad hæc verba, *Credo vitam æternam*, ità enim loquitur illic; *Solida beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, vt Deum videamus, eiuſque pulchritudine perfruamur,* quibus nihil potuit dici magis expreſſum ad ſententiam iſtam comprobandam.

3. Probatio.

Accedunt rationes aliquæ. Prima: Beatitudo eſſentialis poſita eſt in illis omnibus actionibus, quibus coniungimur Deo proximè & immediatè, veluti vltimo fini noſtro; at nedum Deo cõiungimur proximè & immediatè per actũ intellectus, qui eſt viſio diuinę eſſentię, prout in ſe eſt ſed etiã per actum amoris qui conſequitur eſſentiam diuinam clarè viſam. Nam licèt voluntas præſupponat

Rationibus demonſtratur Concluſio.

Digitized by Google

actum intellectus, quia non aliter poteſt habere ſuum obiectum præſens in ratione obiecti: certum tamen eſt voluntatem eſſe vltimam potentiam creaturæ rationalis, non minùs quàm ſit intellectus, & præterea dominam ceterarum potentiarum, quæ dantur in nobis; & denique per iſtam nos vniri Deo vt vltimo fini noſtro.

Deinde, beatitudo noſtra cenſetur eſſe participatio beatitatis diuinę; at Deus non ideò dicitur formaliter beatus tantùm, quòd videat ſuam eſſentiam, ſed etiam quod hanc eamdem amet: ergo idem dicendum erit de formali noſtra beatitudine. In hac ſententia ſunt Thomas Argentinas quæſt. 3. Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 4. quæſt. 2. art. 1. ad 8. Ægidius Romanus quodlibeto 3. quæſt. vlt.

Obiectio 1. Obiicies, eſſentiam cuiuſlibet rei poſitam eſſe in indiuiſibili; ſunt enim naturæ rerum ſimiles numeris, quibus ſi aliquid addatur vel detrahatur, variatur ſpecies: ergo beatitudo eſſentialis non poteſt eſſe poſita in duabus operationibus.

Solutio. Reſpondeo, quidquid ſit de antecedente, negando conſequentiam; nam eſſentia cuiuſlibet rei naturalis, conſurgit ex materia, & forma quæ ſunt res realiter inter ſe diſtinctę. Deinde, ſpecies, cuiuſlibet quantitatis diſcretæ reſultat ex vnitatibus realiter inter ſe diſtinctis: quid igitur mirum ſi beatitudo creaturę rationalis componatur ex duabus actionibus realiter inter ſe diſtinctis? Reſpond. 2. propoſitionem iſtam; Naturæ rerum conſiſtunt in indiuiſibili, nihil aliud ſignificare, quàm eſſentiam cuiuſlibet rei vendicare ſibi certam aliquam perfectionem quæ ità debet eſſe inuariabilis, vt ſi contigerit hanc eamdem mutari, deſinat eſſe prorſus ſpecifica, ex hoc autem non improbatur beatitudinem eſſentialem conſurgere ex duplici operatione. Reſp. 3. beatitudinem eſſentialem non eſſe ens aliquod per ſe, ſaltem ſi ſpectetur in eſſe naturæ, ſeu, quod idem eſt, in ratione entis phyſici, ſed eſſe ens veluti morale, & artificiale, & propterea ſicut res artificialis, & item moralis, conſurgunt ex pluribus entibus inter ſe realiter diſtinctis etiam formaliter loquendo, ità illud idem dicendum eſt de beatitudine eſſentiali.

Obiectio 2. Obiicies 2. ſi beatitudo conſurgeret ex duabus operationibus, ſequeretur vnam alteri eſſe anteponendam, quod tamen non patitur ratio beatitudinis, cùm hæc debeat eſſe perfectiſſima; definitur enim ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.

Solutio. Reſpondeo, nihil repugnare quominùs vna ex prædictis actionibus anteponatur alteri; nam in quolibet ente naturali, forma eſt præſtantior materia, & tamen ex iſtis conflatur ens naturale. Ad id verò quod dicitur beatitudinem eſſe rem perfectiſſimam. Reſpond. hoc eſſe verum de beatitudine perfecta, totali, & adæquata, non autem partialiter conſiderata; & adhuc non ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm reſpectu illius cuius eſt beatitudo. Dicemus enim beatitudinem ſanctorum in ſanctis eſſe inæqualem.

Obiectio 3. Obiicies 3. Deum eſſe obiectum beatitudinis noſtræ, ſub ea ratione, qua ens ſimpliciter infinitum; nam aliter non poſſet explere capacitatem intellectus creati: ergo non ſunt duæ operationes neceſſariæ in creatura rationali, ad hoc vt conſtituatur formaliter beata.

Reſponſio. Reſp. obiectum beatitudinis noſtræ ſpectari duobus modis, materialiter ſcilicet, & formaliter: Priori modo certum eſt Deum ſub vna tantùm ratione eſſe obiectum felicitatis noſtræ, vt probat argumentum: poſteriori tamen modo Deus cenſetur eſſe obiectum beatitudinis noſtræ, ſub duplici ratione, nempe & quatenus ens eſt, & præterea, vt bonus eſt. Ens autem, vt ens, cenſetur eſſe obiectum formale intellectus; bonum verò, vt tale, voluntatis: ac proinde, cùm duplex iſta ratio deprehendatur in Deo, creatura rationalis non poterit eſſe eſſentialiter beata, detracta duplici operatione, intellectus ſcilicet, & voluntatis; cùm per primam debeat neceſſariò videre Deum, vt in ſe eſt; per poſteriorem verò amare. Hæc Concluſio aſſeritur à Thoma Argentinate in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 2. Gandauenſi quolibeto 13. quæſt. 12. & in ſumma art. 48. quæſt. 2. & art. 49. quæſt. 6. & alijs multis recentioribus.

Amor complacentiæ ad beatitudinem pertinet.

Cùm autem diximus amorem pertinere ad beatitudinem eſſentialem, hoc venit intelligendum de amore complacentię quo beati amant quodlibet bonum, prout eſt bonum Dei, non autem de amore concupiſcentię; nam beatitudo formalis debet verſari circa Deum proximè, veluti circa ſuum proprium obiectum, amor autem concupiſcentię, qui datur in beatis non verſatur circa Deum, vt ſic, ſed potius circa bonum ſibi proprium, ità vt quilibet beatus hoc amore feratur circa bonum proprium, vt eſt ſibi proprium. Deinde, beatitudo formalis poſita eſt in eo actu quo coniungimur Deo proximè & immediatè; per actum autem amoris concupiſcentiæ coniungimur bono nobis proprio, non autem ipſimet Deo ſaltem proximè, & immediatè. Denique, amor concupiſcentiæ in eo omni in quo datur, eſt connaturalis, nihil quippe magis naturale eſt vnicuique rei prædictæ cognitione; quàm amare ſe, & ea quæ dicunt neceſſariam connexionem cum ſeipſa; Beatitudo autem formalis creaturæ rationalis eſt ſimpliciter ſupernaturalis, nempe ex obiecto, & ex modo tendendi in obiectum. De iſtis vide multa apud Ægidium de Præſentatione, quæſt. 11. art. 3. §. 2. & art. 4. §. 1. 2. & 3. lib. 4. de beatitudine.

DVBITATIO SECVNDA.

In qua ex duabus operationibus ſupradictis magis poſita ſit beatitudo noſtra eſſentialis.

1. Aliquorũ opinio.

SVnt qui putent magis pertinere ad voluntatem, ac proinde ad actum amoris complacentiæ, quo beati amant diuinam eſſentiam clarè viſam: ità docent Ægidius Rom. quodlibeto 3. quæſt. vlt. Richardus in 4. diſt. 49. art. 1. quæſt. 6. Argentinas ibidem, & alij plerique recentiores: nituntur autem varijs, & diuerſis fundamentis; ex iſtis autem omnibus, duo tantùm putà quòd videantur magis ſolida adducuntur.

1. Argumentum.

Primum fundamentum eſt. Beatitudo debet eſſe magis poſita in nobiliſſima, & præſtantiſſima hominis facultate; at voluntas eſt huiuſmodi; tum quia per illam magis aſſimilamur Deo, tum quia inter Angelos primas ſibi vendicant Seraphini, qui hoc nomine, ideò donantur quòd ardeant charitate, ac proinde dependenter ab aliquo actu voluntatis: ordo autem ſecundus Angelorum nuncupatur ordo Cherubinorum, ità dictus, quòd illuminet ceteros Angelos, & ſic depen-

Digitized by Google

dependenter ab actu intellectus : tum denique quia ſumma damnatorum miſeria poſita eſt in odio quo proſequuntur Deum : ergo beatitudo magis pertinet ad voluntatem, quàm ad intellectum.

2. Aliud fundamentum : Finis eſt ſemper præſtantior ijs quæ ſunt ad finem ; at cognitio, qua beati cognoſcunt Deum, ordinatur ad actum amoris eiuſdem, veluti in ſuum finem, vt docet Anſelm. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo ; *Præpoſterum*, inquit, *ordo eſt amare, vt videas, debitus verò ordo, videre vt ames* : ergo beatitudo formalis magis erit poſita in actu amoris, quàm viſionis.

Beatitudo formalis eſt magis actus intellectus quam voluntatis.

CONCLVSIO. *Beatitudo formalis eſt magis poſita in actu intellectus, quo beati vident diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt, quàm in actu voluntatis qui eſt amor conſequens talem viſionem.* Primùm, quia ità docent Paludanus in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 3. num. 3. & 4. Henricus de Henric. lib. de vltimo fine hominis, cap. 10. ſub initium. Ægidius de Præſentatione, quæſt. 12. art. 4. lib. 4. de beatitudine, accedunt rationes.

Prima : Beatitudo debet eſſe præcipuè in operatione illius facultatis quæ maximè coniungit nos Deo, conſtituendo Deum præſentem nobis in ratione obiecti ; at certum eſt hoc præſtare intellectum, minimè verò voluntatem : nam intellectus verè apprehendit ſuum obiectum, & conſtituit illud idem præſens ſibi in ratione obiecti, facit enim intellectus intelligibile ſibi ſimile, ex illo Ariſtotel. in lib. de anima, intellectus intelligendo fit omnia. Fatentur etiam omnes voluntatem eſſe cæcam ex ſe, neque aliter habere ſuum obiectum præſens, quàm per actum intellectus.

2. Probatio. Probatur ſecundò. Beatitudo eſt maximè poſita in operatione illius facultatis, quæ eſt homini magis propria ; at huius generis eſt intellectus, tum quia primus gradus naturæ intellectualis, cenſetur eſſe vis intelligendi, tum quia intellectus operatur independenter à voluntate, ſaltem reſpectu ſuæ primæ intellectionis ; voluntas autem nequit operari niſi cum dependentia ab intellectu : igitur beatitudo conſtituitur maximè in operatione intellectus.

3. Tertiò. Beatitudo magis ponitur in operatione illius facultatis, quæ magis exigit præſentiam ſui obiecti ; nam de ratione beatitudinis formalis eſt, coniungere nos proximè & immediatè, obiecto beatifico ; atqui intellectus exigit præſentiam ſui obiecti in intelligendo, ità vt nequeat quidpiam intelligere intuitiuè, niſi obiectum fuerit præſens, vel per ſeipſum proximè, vel certè per ſpeciem ſui perfectiſſimè repræſentatiuam, voluntas autem non exigit neceſſariò præſentiam ſui obiecti, ſed verſatur circa res abſentes : ergo principalius ponitur beatitudo in actu intellectus.

Obiectio. Dices, hac ratione probari nedum beatitudinem eſſentialem in actu intellectus magis eſſe poſitam quàm voluntatis, ſed etiam poſitam eſſe tantùm in actu intellectus : nam diximus de ratione beatitudinis eſſentialis eſſe coniungere nos Deo proximè & immediatè, quod non facit voluntas per actum amoris.

Solutio. Reſpond. amorem in communi ſumptum non arguere præſentiam rei amatæ, ſecus tamen dicendum eſt de amore beatifico.

Replica. Inſtabis amorem in particulari ſumptum, eſſe eiuſdem rationis cum amore in communi, præſertim ſi ſupponamus duos iſtos amores verſari circa idem obiectum, & eodem modo ; at amor in communi ſumptus non non arguit præſentiam ſui obiecti : ergo neque beatificus.

Obiectio hæc torquet & torſit multorum ingenia, vt videre eſt apud Scotum in 4. diſt. 49. quæſt. 4.

Scoti reſponſio. Reſpondet ergo hic, amorem beatificum propterea dicere præſentiam ſui obiecti, quòd detur in eo aliqua perfectio quæ conſurgere non poteſt, niſi poſita præſentia ſui obiecti.

Enervatur. Ceterùm reſponſio hæc non ſatisfacit argumento ; nam cùm cauſalitas obiecti beatifici reſpectu perfectionum, quæ dantur in actu amoris, ſit cauſalitas tantùm obiectiua, non effectiua, poterit Deus producere omnem perfectionem quæ datur in actu beatifico ſe ſolo, vnà cum cauſa vitali vitaliter operante. Deinde, recedit Scotus ab hac eadem reſponſione ; ac proinde ſubiungit aliam, aſſeritque actum amoris beatifici non eſſe eiuſdem ſpeciei, cum amore in communi ſumpto, quæ doctrina defendi nullo modo poteſt, ſtante hac hypotheſi, quòd amor beatificus, & amor in communi ſint de vno, & eodem planè obiecto : eſt enim propoſitio firma, vnitatem ſpecificam quorumcumque actuum repetendam eſſe ab obiecto, vel à modo tendendi in illud. Accedit quòd charitas viæ ſit eiuſdem rationis cum ea quę datur in patria : *Charitas*, enim, *nunquam excidit*, ex doctrina D. Pauli 2. Corinth. 13.

Soluuntur rationes cõtrariæ. Reſpondeo ergo cum recentioribus nonnullis ; propterea actum amoris beatifici exigere neceſſariò præſentiam ſui obiecti, quòd actus hic præſupponat quaſi intrinſecè claram & manifeſtam Dei viſionem, prout Deus in ſe eſt : amor autem in communi ſumptus etiamſi ſit eiuſdem ſpeciei, & rationis cum amore beatifico, non propterea tamen exigit præſentiam ſui obiecti ; ſed tantùm tendentiam in ſuum obiectum, præſcindendo à præſentia, vel abſentia eiuſdem.

Ad fundamenta verò opinionis contrariæ reſp. Ad primum, propoſitionem iſtam ; Beatitudo eſt magis poſita in præſtantiſſima hominis facultate, abſolutè loquendo eſſe falſam ; nititur enim hæc teſtimonio Ariſtotelis, cuius authoritas non poteſt eſſe magna inter diſputandum de beatitudine ſupernaturali, cùm hæc fuerit ipſi incognita. Deinde, Ægidius de Præſent. loco proximè citat. verbis expreſſis docet præſtantiam beatitudinis ſupernaturalis non eſſe repetendam ex dignitate facultatis, quæ attingit beatudinem noſtram, ſed multò magis, ex nobiliori, & digniori modo, quo attingitur à nobis. Certum autem eſt longè perfectiori ratione vnumquemque beatum coniungi ſuo obiecto beatifico, per intellectus, quàm per voluntatis actum ; nam per illum videt omnem omnino perfectionem exiſtentem in Deo, & quidem independenter à voluntate ; voluntas autem non attingit vlla ratione Deum, niſi cum dependentia ab actu intellectus ; eſt enim hæc ex ſua natura cæca, neque aliter habet ſuum obiectum præſens, quàm per actum intellectus. Reſpond. 2. quidquid ſit de maiori propoſitione, negando minorem : ad primam autem probationem eiuſdem, falſum eſſe hominem magis aſſimilari Deo per actum voluntatis, quàm per actum intellectus.

2. Ad 2. probationem, Seraphinos hoc nomine donari, quòd inter illuminandos homines excitent in illis ardorem & feruorem charitatis ; non au-

Digitized by Google

tem quòd maior detur in eis charitas: Cherubinos verò, ideò donari hac appellatione, quòd illuminent tantùm homines, aut etiam Angelos inferiores: nomina namque iſta indita ſunt Angelis propter effectus quos producunt ad extra; ex his autem non licet colligere actus voluntatis præſtantiores eſſe actibus intellectus. A

Vlt. Ad vlt. probationem. Reſp. ſummam damnatorum miſeriam in genere moris, poſitam eſſe in odio, quo proſequuntur Deum: in genere verò entis poſitam eſſe in priuatione viſionis, & amoris eſſentię diuinę: ac proinde ex hoc etiam capite non poſſunt aliquid aduerſarij concludere contra nos.

Duplex in homine cognitio. Ad aliud fundamentum. Reſp. cognitionem in homine eſſe duplicem: prima eſt quæ datur in eo, pro eo tempore quo agit in hac vita mortali, & quidem dependenter à fide: alia verò, quæ contingit in altera vita dependenter à lumine glorię: prima illa cognitio ordinatur ad actus charitatis exercendos, & ità explicandus eſt Anſelmus eo in loco: poſterior verò non ordinatur ad actum charitatis exercendum, ſed tantùm ad conſpiciendas perfectiones, quæ ſunt in Deo. Ad id verò quod dicitur finem præſtantiorem eſſe medijs quibuſlibet. Reſpond. hoc eſſe verum de fine comparato, cum mediis, & contra: ac proinde ſenſus eſt finem in ratione finis præſtantiorem eſſe medio quolibet? ſumpto in ratione medij: cum iſtis tamen ſtat, vt medium aliquod præcisè ſpectatum ſecundum ſuam entitatem, præſtantius ſit fine, ſpectato tantùm ſecundum ſuam entitatem. B C

Corollariũ. Ex iſtis colligo, fruitionem quæ datur in beatis, & item gloriam corporis, non pertinere ad eſſentiam beatitudinis, ſed tantum ad integritatem, & complementum eiuſdem: nam fruitio ſeu delectatio eſt poſterior actibus viſionis, & amoris diuinę eſſentię. Deinde, fieri poteſt vt aliquis ſit verè beatus, qui tamen nullam experietur delectationem, imò ſunt qui hoc fateantur de anima Chriſti, pro eo tempore quo verba iſta protulit in cruce, *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* ità Cano in tractat. de locis Theologicis. Quòd autem gloria corporis pertineat tantum ad complementum beatitudinis, minimè verò ad eſſentiam, manifeſtè colligitur ex D. Auguſt. in epiſt. ad Cardanum 56. ait enim illic gloriam corporis conſurgere, ex beatitudine eſſentiali animę. Deinde, animę Sanctorum ſunt verè beatę, & tamen nulla ex iſtis potitur felicitate corporis.

Matth. 7. verſ. 46. D

Obiectio. Dices, animam Chriſti fuiſſe beatam à primo inſtanti ſuæ conceptionis, & tamen caruit Chriſtus gloria corporis: falſum eſt ergo quod docent communiter Scholaſtici poſt D. Auguſt. gloriam corporis conſequi neceſſariò ex beatitudine animæ, quotieſcumque anima beata eſt, & coniungitur proprio corpori.

Solutio. Reſpondeo, negando conſequutionem; diuina ſiquidem diſpenſatione factum eſt, vt corpus Chriſti non fuerit glorioſum, ſtatim atque eius anima fuit beata, idque vt daretur locus reparationi generis humani; decreto quippe diuino conſtitutum fuerat Chriſtum nomine quorumcumque mortalium in cruce moriturum, ad hoc vt media iſta morte genus humanum redimeretur à ſeruitute diaboli: hoc autem non potuit contingere exiſtente corpore Chriſti glorioſo, pertinet enim dos immortalitatis ad gloriam corporis, vt probabitur inferiùs. E

Articvlo 5. docet D. Thom. viſionem eſſentię diuinę in beatis eſſe theoreticam, & aliqua ratione practicam, & quidem meritò: nam hæc cognitio cenſetur eſſe theoretica, cuius finis eſt nuda, & ſimplex contemplatio; at viſio eſſentię diuinę in quolibet beato habet pro fine nudam, & ſimplicem cognitionem; verſatur enim hæc viſio maximè circa eſſentię diuinę contemplationem, & item attributorum tam abſolutorum quàm relatiuorum. *Viſio beata ſpeculatiua & practica.* 1.

Deinde, viſio diuinę eſſentię in quolibet beato nedum eſt apprehenſiua, ſed etiam iudicatiua, vt pluribus demonſtrat Ægidius de Præſentatione ad hunc artic. D. Thomę: ergo viſio hæc erit theoretica, & quodammodo practica. Nam propterea viſio dicitur apprehenſiua quòd faciat vt aliqua cognoſcantur intrà diuinam eſſentiam vnà cum ipſamet eſſentia: Ideò verò dicitur iudicatiua, quòd dictet hîc & nunc, cum his & illis circumſtantiis aliqua eſſe agenda, aut declinanda: at ratio practici reperitur in eo quod ordinatur ad agendum, vel non agendum, vel certè in eo quod praxim ipſam dirigit. 2.

Tertiò, viſio eſſentiæ diuinę in beatis reſpondet quodammodo fidei; hîc enim contendimus, vt alibi coronemur: at certum eſt fidem eſſe theoreticam, & quodammodo practicam, dictat enim hæc aliqua eſſe ſimpliciter credenda, propter ſimplicem cognitionem, vt, quod Deus ſit trinus & vnus: quod Pater generet Filium, quòd Pater & Filius producant Spiritum ſanctum: dictat etiam eadem fides, aliqua eſſe exequutioni demandanda, cuius generis ſunt frequentatio ſacramentorum, obſeruatio præceptorum Dei & ſimilia: ergo partim theoretica erit beatitudo, pratim practica. 3.

Confirmatur: habitus Theologiæ, ex veriori opinione cenſetur eſſe vna ſpecie qualitas, & tamen hæc eſt theoretica, & quodammodo practica, vt dicemus ad quæſt. 1. 2. part. S. Thomę. Ità docent Capreolus in 4. diſt. 49. quæſt. 1. art. 3. Paludanus ibidem. Ægidius de Præſent. quæſt. 9. lib. 4. de beatitudine §. 4. & 5. & communiter Thomiſtæ omnes recentiores.

Obiectio. Obiicies, practicum & theoreticum, eſſe differentias per ſe oppoſitas.

Solutio. Reſpond. negando antecedens: licèt enim theoreticum, & practicum interdum connotent differentias oppoſitas, putà quotieſcumque dantur habitus ſpecie diſtincti, ità inter ſe affecti, vt vnus verſetur abſolutè circa ſimplicem ſpeculationem, alius verò circa praxim; non tamen propterea theoreticum, & practicum cenſentur eſſe, vt ſic, differentię oppoſitę; fieri enim poteſt vt vnus & idem ſpecie habitus, verſetur partim circa nudam cognitionem, partim circa operationem, quo in caſu habitus hic erit verè theoreticus, & practicus, vt pluribus demonſtrat Alphonſus Curiel quæſt. 4. de beatitudine, §. 14. huius autem generis eſt viſio beatifica in beatis.

Articvlo 6. docet beatitudinem formalem, non eſſe poſitam in contemplatione ſcientiarum ſpeculatiuarum.

Articvlo 7. docet beatitudinem formalem ſanctorum non eſſe poſitam in contemplatione Intelligentiarum; quod tamen venit intelligendum de primario, & præcipuo obiecto beatitudinis Sanctorum: nam certum eſt Angelos pertinere quodammodo ad beatitudinem noſtram; cùm omnes omnino naturæ genericæ & ſpecificæ, quæ dantur in naturæ vniuerſitate, ordinis

ordinis naturalis cognoſcantur à quibuſuis beatis, & quidem in Verbo, vt volunt aliqui, vel certè per ſpecialem Dei reuelationem extra diuinam eſſentiam, vt alij ratiocinantur.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An beatitudo ſit viſio eſſentiæ diuinæ.

DVo pertractantur communiter hoc loco: alterum eſt, *An poſſit aliquis naturaliter cognoſcere, beatitudinem creaturæ rationalis poſitam eſſe in clara & manifeſta Dei viſione:* alterum; *An poſſit aliquis naturaliter expetere viſionem iſtam.*

Non poteſt naturaliter cognoſci beatitudo.

Quantum ad primum: *Statuendum eſt neminem poſſe ſcire naturaliter beatitudinem noſtram poſitam eſſe in manifeſta viſione eſſentiæ diuinæ*; nam beatitudo iſta non debetur creaturæ rationali naturaliter, ſed ex ſola Dei gratuita ordinatione; nihil enim eſt magis gratuitum in Deo, quàm deſtinare aliquos ad vitam æternam; at voluntas Dei non poteſt nobis innoteſcere, niſi accedente peculiari eiuſdem reuelatione, ex illo Pauli Corinth. 2. *Quæ Dei ſunt nemo cognouit niſi ſpiritus Dei.*

1. Cor. 2. verſ. 11.

Deinde, beatitudo iſta eſt ſimpliciter ſupernaturalis, neque poteſt ab vllo attingi ſinè ſpeciali Dei auxilio.

Tertiò. Ne vnum quidem datur medium naturale ad beatitudinem iſtam intelligendam; omnis enim cognitio naturalis quæ datur in nobis, dependet à ſenſibus externis; cognitio verò iſtius beatitudinis non pendet ab illis, neque motiuè, neque terminatiuè, ſaltem ſi ſermo ſit de ſenſibus externis relictis intrà terminos propriæ naturę.

Obiectio.

Obiicies, quemlibet naturaliter cognoſcere beatitudinem creaturæ rationalis poſitam eſſe in eiuſdem præſtantiſſima operatione; & item præſtantiſſimum obiectum intellectionis cuiuſlibet eſſe Deum: ergo naturæ viribus poteſt cognoſci beatitudinem poſitam eſſe in clara Dei viſione.

Solutio.

Reſpond. ex iſtis nihil poſſe colligi; nam ratio naturalis dictat tantùm, Deum poſſe intelligi à nobis naturaliter, per media à natura nobis data; nullum autem datur medium in nobis naturaliter, ad cognoſcendum Deum clarè, vt in ſe eſt, ſed tantùm quoad exiſtentiam quam habet, & vt loquuntur, quoad cognitionem eiuſdem confuſam; non autem diſtinctam, claram & euidentem, prout Deus in ſe eſt. Ratio item naturalis docet beatitudinem noſtram poſitam eſſe in præſtantiſſima operatione, quæ datur in nobis naturaliter, non autem abſolutè & ſimpliciter, in qualibet præſtantiſſima operatione, cuius generis eſſe poteſt cognitio ſupernaturalis.

Poteſt expeti naturaliter beatitudo.

Quod verò attinet ad ſecundum: *Certum eſt poſſe quempiam expetere beatitudinem ſupernaturalem, ſeu, quod idem eſt, viſionem eſſentiæ diuinæ naturaliter, ſuppoſita tamen reuelatione diuina, per quam nobis innoteſcit beatitudinem noſtram poſitam eſſe in iſta viſione.* Primùm, quia nedum Catholici, ſed etiam hæretici expetunt viſionem eſſentiæ diuinæ; quemadmodum credunt illi aliqua ex his quæ pertinent ad fidem Chriſtianam, & Catholicam, non tamen media fide diuina, ſicut Catholici; ſed media dumtaxat fide humana, vt fatentur omnes in tractatione de fide.

Deinde, vna & eadem planè res poteſt per diuerſa media intelligi, putà per demonſtrationem, opinionem, fidem infuſam: ergo poterit etiam viſio eſſentiæ diuinæ appeti nedum per media ſupernaturalia ſed etiam naturalia, ſuppoſita tamen reuelatione diuina de beatitudine poſita in iſta viſione.

Obiectio.

Dices, ex iſtis colligi beatitudinem iſtam poſſe dici naturalem.

Solutio.

Reſpond. id non eſſe negandum, ſaltem aliqua ratione; licèt enim hæc ſit ſimpliciter ſupernaturalis, cùm eſſentia cuiuſlibet actus petatur ab obiecto, & obiectum viſionis diuinę eſſentię ſit ſimpliciter ſupernaturale de facto, cùm attingatur tantùm per media ſupernaturalia; viſio iſta erit ſimpliciter ſupernaturalis, & item appetitus eiuſdem: ſecundum quid tamen appetitus hic dicendus eſt naturalis, quatenus ſcilicet habet ortum à voluntate noſtra, quæ eſt potentia aliqua naturalis, & præterea quia voluntas noſtra appetit huiuſmodi beatitudinem, ſinè vllo ſpeciali Dei auxilio, ſuppoſita tamen reuelatione diuina ſupradicta. Deinde, quia voluntas noſtra appetit huiuſmodi beatitudinem ſub ea ratione qua datur in obiecto iſtius beatitudinis ratio vnica boni, & nulla planè ratio mali.

Sunt autem qui hoc loco diſputent, an detur in nobis potentia aliqua naturalis ad videndum Deum, prout in ſe eſt. Ceterùm res hæc fuit à nobis pertractata ad quæſt. 12. 1. part. S. Thomę.

QVÆSTIO IV.

De his quæ exiguntur ad beatitudinem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm delectatio requiratur ad beatitudinem.

Delectatio conſequitur beatitudinem.

DOCET D. Thomas in hoc Articulo, delectationē conſequi naturam & eſſentiam beatitudinis, minimè verò ad eius eſſentiam pertinere. Idem fatentur Thomiſtæ, & Scotiſtæ, & meritò quidem; nam in beatis datur verè gaudium ex adeptione felicitatis æternæ. Ioann. 16. *Gaudium veſtrum* Ioann. 16. *nemo tollet à vobis.* & Matth. 25. *Intrà in gaudium* verſ. 24. *Domini tui.* Roman. 14. *Regnum Dei non eſt eſ-* Matth. 25. *ca, neque potus, ſed iuſtitia, gaudium, & pax* verſ. 21. *in Spiritu ſancto.* 1. Petri cap. 1. *Quem cùm non* Rom. 14. *videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes* verſ. 17. *creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenar-* 1. Petr. 1. *rabili, & glorificatæ, reportantes finem fidei veſtræ* verſ. 8. *ſalutem animarum.*

Deinde, ex adeptione boni conuenientis, pro eo tempore, quo sumus in hac vita, colligitur delectatio in nobis; vt docet experientia quotidiana: ergo & in altera vita ex possessione tanti boni, quantum est essentia diuina, resultabit in beatis maxima aliqua delectatio.

Vt autem Articulus hic faciliori negotio intelligatur tres sunt Dubitationes examinandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An delectatio sit actio; an verò passio.

1. Sententia & fundamenta.

1. SVnt qui autument delectationem in beatis esse passionem, nulla verò ratione actionem natam vel ex obiecto conueniente, vel certè ex actu amoris, quo beati tendunt in suam felicitatem: Probant primùm, quia Aristoteles lib. 10. Ethicorum ad Nicomachum definit delectationem non esse operationem.

2. Deinde, idem est iudicium de delectatione quod est de tristitia; sequitur quippe hæc in nobis ex præsentia mali disconuenientis, aut ex absentia boni conuenientis, vt author est D. August. cap. 8. lib. 14. de Ciuitat. illa verò habet ortum ex adeptione boni conuenientis & proprij, ex eodem, ibidem: at tristitia censetur esse passio, non autem actio; tum quia voluntas nostra non vult tristitiam, sed eam conatur abijcere quantum potest; tum quia actiones nostræ censentur esse positæ in nostra potestate, sumus enim liberi, quamdiu versamur in via, saltem adepta ætate adulta; at tristitia, vel delectatio non est posita in potestate nostra, non enim beati possunt non lætari de sua felicitate, neque nos possumus non tristari de malis, quæ nobis contingunt, vt docet experientia: igitur delectatio non est actio sed passio. In hac sententia sunt Ockam, Alphonsus Toletanus, Gabriel, & alij Nominales in 4. dist. 49. & in 1. dist. 1. Scotus in 4. dist. 49. quæst. 7. & in 3. dist. 15. quæst. vnica, §. aliter potest dici.

Delectatio non est passio.

CONCLVSIO. *Delectatio in beatis est pura operatio, non autem passio.* Primùm, quia ità docet Aristoteles de delectatione appetitus sensilis & rationalis, cap. 7. lib. 3. de anima, & cap. 1.

1. Aristotel.

lib. 1. Rhetoricorum; ait enim illic, delectationem esse motum quemdam animi, & affectionem totam simul. & cap. 12. lib. 7. Ethicorum, & cap. 13. ait delectationem esse operationem.

2. D. August.

Deinde, idem docent Patres aliqui, maximè D. August. cap. 6. lib. 14. de Ciuitat. *Quid est*, inquit, *cupiditas & lætitia, nisi voluntas in eorum consensionem, quæ volumus?* vbi nomine voluntatis, operationem eiusdem intelligit.

3. Tertiò, delectatio coniungit voluntatem nostram, cum bono delectabili, & quidem obiectiua coniunctione: nam delectatio consurgit ex præsentia boni proprij conuenientis, prout præsens, & conueniens est, vel certè ex obiecto quod apprehenditur à nobis, quasi bonum proprium, & nobis conueniens: at nulla potentia coniungitur suo obiecto, nisi per veram operationem elicitam ab ipsa potentia, vt constat exemplo potentiæ visiuæ; hæc enim per actum visionis coniungitur tantùm coloratis, color autem censetur esse obiectum visus: ità probat Ægidius de Præsentat. loco supra citato.

4. Quartò, in actionibus tantùm deprehenditur meritum, aut demeritum; ab opere quidem merè tolerato, nullus laudatur, aut vituperatur, nullus præmio aut pœna afficitur, ex communi doctrina Theologorum; at delectatio aliqua in nobis censetur esse meritoria, & item demeritoria, vt patet ex eo qui delectatur de ampliatione diuini cultus, & de emendatione peccatorum, propter Deum, pro eo tempore, quo agit in hac vita mortali, & in gratia: ille verò qui delectatur de ampliatione peccatorum, demeretur; maximè si id præstet ex amore mali, vel ex odio Dei, aut proximi: ergo delectatio non est passio, sed actio.

5. Quintò, quilibet penitens hoc ipso quòd dolet & tristatur de peccatis commissis, quatenus commissa sunt contra Deum, exercet actum perfectæ contritionis, qui omnium planè consensione, censetur nedum remissinus peccati, sed etiam meritorius vitæ æternę; minimè verò primæ gratię: ergo si tristitia sit operatio quædam voluntatis nostrę, illud idem erit dicendum de delectatione.

Vlt.

Denique, delectatio nihil aliud est quàm affectus voluntatis circa bonum proprium præsens, conueniens, ac proinde adeptum, aut certè existimatum quasi bonum proprium; at affectus voluntatis non potest esse sinè aliqua operatione eiusdem; exit enim à voluntate velut à principio vitali vitaliter operante, & ideircò delectatio est operatio quædam vitalis voluntatis nostræ: Ità docet D. Thomas art. 3. quæst. 64. 1. part. & art. 3. quæst. 22. huius partis ad 3. & lib. 1. contra Gentes cap. 90.

Solutio fundamentorum contraria sent.

Ad rationes verò contrarias, resp. Ad 1. Aristotelem non negare delectationem, quam diximus esse affectum voluntatis circa bonum proprium, esse operationem, vt constat ex locis citatis eiusdem Aristotelis in confirmatione nostræ Conclusionis; sed contendere tantùm illic eam delectationem, quæ reperitur in omni planè elicita operatione à quacumque potentia vel agente, non distingui realiter ab ea operatione, cum qua coniungitur, sed sola ratione, & esse quasi modum eiusdem: docet ergo delectationem istam quæ consequitur naturam cuiuslibet operationis, non esse distinctam realiter ab ea, quod nos vltrò fatemur. Quod autem in omni operatione detur aliqua delectatio, patet ex eo quòd quælibet res agendo perficiatur; vnumquodque autem delectatur de sua perfectione adepta, eo modo quo capax est delectationis.

1.

Ad 2. concessa maiore, negando minorem. Ad probationem autem primam eiusdem: voluntatem abiicere obiectum tristitię quantum potest, minimè verò tristitiam ipsam, cùm hæc sit aliquis voluntatis actus elicitus. Ad secundam verò probationem, hominem esse liberum pro toto tempore quo agit in hac vita mortali, non quidem respectu cuiuslibet operationis, sed in ordine ad aliquas operationes; non enim est in potentia nostra, proposita beatitudine in communi, non ferri circa eamdem, saltem quod attinet ad specificationem actus: indubitatum est etiam actiones naturales, quales sunt crescere, dormire, & similes, non pendere à libertate nostra in omni planè casu: tristari ergo interdum positum est in nostra potentia, interdum minimè: sed de hac re dicetur Dubitatione vltima huius Articuli.

2.

DVBI-

DVBITATIO SECVNDA.

Quodnam ſit proximum & immediatum obiectum delectationis beatorum.

Quorundã ſententia. SVnt qui putent viſionem eſſentię diuinę eſſe proximum & immediatum obiectum delectationis Sanctorum. Idem docent illi qui credunt cum iſtis authoribus beatitudinem formalem poſitam eſſe in actu amoris, circa diuinam eſſentiam clarè, & ſicuti in ſe eſt, cognitam. Probant: quia illud eſt obiectum immediatum delectationis beatorum, quod eſt proximum beatitudinis eorumdem; delectantur namque iſti maximè de obiecto ſuæ beatitudinis; at beatitudo poſita eſt in actibus viſionis & amoris diuinæ eſſentiæ, vt docuimus quæſt. 2. huius tractatus: ergo delectationis obiectum erit eadem diuinæ eſſentiæ viſio.

2. Deinde, obiectum immediatum delectationis eſt idem planè cum obiecto deſiderij illius rei quam proſequimur, pro eo tempore quo agimus in hac vita: nam quemadmodum voluntas noſtra conquieſcit, poſita adeptione rei deſideratæ; ità hæc delectatur maximè de poſſeſſione & adeptione iſtius rei; at id quod deſideratur à nobis pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali, eſt viſio eſſentiæ diuinæ, prout in ſe eſt, ex illo Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te Deus.* & 1. Corinth. 13. *Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* & Ioann. 17. *Hæc eſt vita æterna,* &c. ergo.

Pſal. 41. verſ. 1. 1. Cor. 13. verſ. 12. Ioann. 17. verſ. 3.

3a Denique, obiectum proximum triſtitiæ in damnatis non eſt Deus ipſe, ſed priuatio viſionis eiuſdem; de hac ſiquidem re ſummopere triſtantur damnati: ergo obiectum delectationis proximum in beatis erit viſio eſſentiæ diuinæ, vel certè amor eiuſdem. In hac ſententia ſunt Durand. in 1. diſt. 2. quæſt. 2. & in 4. diſt. 49. quæſt. 5. & alij nonnulli.

Alij verò putant viſionem eſſentiæ diuinæ eſſe tantùm conditionem neceſſariam ad actum delectationis in beatis, obiectum verò delectationis immediatum eſſe Deum ipſum: ità docent Capreolus in 1. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. Paludanus diſt. 49. quæſt. 9 Nominales ferè omnes ibidem, & Caietanus ad quæſt. 17. 2. 2. D. Thomæ art. 5. quo loco diſputat de virtute ſpei.

Duplex in beatis delectatio. Aduerte in beatis duplicem dari delectationem; vna enim conſequitur actum amoris amicitię, quo beati amant diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt; altera verò conſequitur amorem concupiſcentiæ, quo beati amant bonum ſibi proprium, & de eius adeptione lætantur: de prima delectatione, conuenit inter omnes verſari proximè circa Deum viſum, aut amatum: tota controuerſia eſt de delectatione poſteriori, an huius obiectum immediatum ſit vel Deus ipſe, vel viſio & amor, an verò iſta tria ſimul ſumpta.

Deus finis, qui. Aduerte iterum obiectum, ſeu, quod idem eſt, finem vltimum creaturæ rationalis ſpectari duobus modus: interdum enim ſpectatur vt finis qui; & ità, omnium planè conſenſione, ſolus Deus eſt vltimus finis creaturæ rationalis: interdum verò alius cenſetur eſſe finis, quo,

Viſio finis, quo.

A atque ità viſio, vel amor eſſentię diuinæ cenſetur eſſe finis eiuſdem creaturæ rationalis; ſunt enim hæc duo velut quidam modi quibus attingitur Deus prout in ſe eſt à creatura rationali, atque ità conſtituitur hæc intrinſecè beata. Ex iſtis autem duobus finibus qui, &, quo, conſurgit vnus totalis finis creaturæ rationalis, qui à nonnullis nuncupatur finis, vt quod: His ità breuiter conſtitutis ſit

Obiectum proximum deletationis Deus viſus. 1. CONCLVSIO 1. *Obiectum proximum & immediatum delectationis in beatis eſt Deus viſus, & amatus.* Primùm, quia illud eſt obiectum delectationis immediatum in beatis, de quo beati immediatè delectantur: atqui delectantur de B Deo viſo & amato immediatè; cùm obiectum totale beatitudinis noſtræ ſit eſſentia diuina clarè & vt in ſe eſt viſa & amata, vt conſtat ex dictis quæſt. 2. huius tractat. ergo, vt ſic, eſt immediatum obiectum delectationis.

2. Deinde, delectatio nihil aliud eſt quàm affectus voluntatis circa bonum proprium adeptum & præſens, vel certè exiſtimatum, quaſi adeptum, vt dictum fuit Dubit. proximè antecedente: at bonum proprium cuiuſlibet beati præſens & adeptum, eſt Deus, vnà cum viſione & amore eiuſdem. Ità docent Capreolus loco ſupra citat. Curiel §. 4. Dubitat. 1. ad art. 1. huius quæſt. D. Thomæ. Ægidius de Præſentatione lib. 4. de Beatitudine, quæſt. 8. art. 3. & nonnulli Recentiores. C

Concluſ. 2. CONCLVSIO 2. *Delectantur beati proximè & immediatè de diuina eſſentia etiam ſi attingatur hac ab ijſdem, mediis actibus viſionis & amoris.* Primùm, quia quoticſcumque obiectum aliquod attingitur medio aliquo actu proximè, & immediatè, actus hic non impedit, quominùs obiectum dicatur obtentum proximè, & immediatè, vt conſtat ex actu viſionis reſpectu parietis viſi; & item ſoni alicuius particularis reſpectu auditus: at eſſentia diuina videtur & amatur à beatis proximè, mediis iſtis actibus: ergo eſſentia diuina erit obiectum D immediatum delectationis beatorum. Hæc ratio non eſt ità efficax quemadmodum credit Caietanus eius author; ſupponit enim viſionem & amorem diuinæ eſſentiæ eſſe media quædam incognita, cuius tamen oppoſitum eſt neceſſariò hoc loco defendendum; cùm delectentur beati proximè, nedum de Deo, ſed etiam de actibus viſionis & amoris eiuſdem.

2. Probatur ergo ſecundò ab alijs: idem eſt obiectum immediatum delectationis beatorum, quod eſt obiectum immediatum ſpei noſtræ ſupernaturalis; delectantur ſiquidem maximè beati in cœlis de eo quod crediderunt, & ſperauerunt pro eo tempore, quo fuerunt in via, E vt fatentur omnes hoc loco; at obiectum immediatum ſpei ſupernaturalis eſt Deus (propter hanc enim cauſam numeratur virtus iſta inter Theologicas) ergo Deus viſus & amatus erit etiam obiectum immediatum delectationis.

3. Tertiò, ſi quæ eſſet ratio propter quàm diceremus Deum non eſſe obiectum immediatum delectationis beatorum, hæc eſſet; quia non delectantur de Deo, niſi mediis actibus viſionis, & amoris eiuſdem; at ratio iſta non impedit: nam ex fine, qui, &, quo conſurgit vnus totalis finis, qui in re præſenti nullus alius eſt quàm Deus viſus & amatus, prout in ſe eſt;

Digitized by Google

ergo delectatio habebit pro immediato obiecto Deum, eiúſque viſionem & amorem. Confirmatur: finis vt eſt adeptio & vt eſt res adepta, non ſunt duo fines, ſed vnus tantummodo totalis & integer, vt conſtat ex potatione vini, & vino; ex poſſeſſione auri, & auro; delectatur quippe auarus nedum de auro, ſed etiam de auro poſſeſſo proximè & immediatè; & idem dicendum eſt de eo qui bibit vinum: ergo Deus & viſio eiuſdem, erunt obiectum delectationis beatorum.

4. Quartò, Deus eſt immediatè ſummum bonum, & proprium reſpectu cuiuſlibet beati: ergo eſt etiam immediatum obiectum delectationis, quæ datur in beato, ex vi beatitudinis eſſentialis; nam ſummum bonum & proprium, eſt id quod maximè delectat beatum.

Vlt. Denique, ità ſentiunt Curiel §. 4. Dubit. 1. ad art. 1. huius quæſt. & Ægidius de Præſentatione, lib. 4. de beatitudine quæſt. 8. art. 3. num. 6. & 7.

Obiectio. Dices, Theologos affirmare communiter in diſput. de peccatis, aliud eſſe delectari de delectatione; aliud de re delectata: ergo aliud eſt beatum delectari de viſione & amore Dei, & aliud de Deo.

Solutio. Reſpond. diſtinctionem prædictam fuiſſe à Theologis excogitatam, ad hoc vt aſſignarent diſcrimen inter delectationem, quæ datur in nobis de peccato aliquo ſola cogitatione commiſſo, & inter peccatum opere externo conſummatum: volunt enim delectationem quæ conſequitur peccatum opere externo conſummatum, maiorem eſſe illa, quæ peccatum, ſola cogitatione commiſſum conſequitur, ſaltem vt plurimum; ſicut & peccatum exterius conſummatum, maius eſt peccato ſola cogitatione admiſſo. Hoc tamen venit intelligendum extenſiuè & plerumque; nam docebimus in tractatione de peccatis, actum externum nihil addere ſupra malitiam actus interioris, præter extenſionem aliquam: delectatio item de peccato ſola cogitatione commiſſo poteſt interdum eſſe intenſior ea, quæ conſequitur peccatum opere externo conſummatum; licèt vt plurimum hæc delectatio ſit intenſior: diſtinctio autem hæc locum habere nequit in re propoſita, cùm loquamur de delectatione beatorum quæ terminatur ad Deum viſum & amatum prout in ſe eſt, velut ad ſuum proximum & immediatum obiectum.

Replica. Inſtabis, viſionem eſſentiæ diuinæ eſſe medium incognitum reſpectu cuiuſlibet beati: ergo cùm voluntas ſit cæca non poterit de iſta viſione delectari.

Diſſoluitur. Reſpond. viſionem iſtam poſſe duobus modis conſiderari in beatis. Primò, vt eſt via per quam attingitur Deus. Deinde, vt hæc eadem eſt ratio formalis conſtitutiua beatitudinis cuiuſlibet beati. Priori modo certum eſt viſionem eſſe medium incognitum; ſic enim eſt ratio duntaxat cognoſcendi Deum, ac proinde non delectatur beatus de iſta viſione, hoc modo ſpectata; ſecus tamen de eadem poſteriori modo conſiderata, hanc enim perfectiſſime cognoſcit intellectus beati, idque vel cognitione directa vel reflexa; intelligit enim beatus ſe eſſe formaliter & intrinſecè beatum, quod videns amat diuinam eſſentiam, & hoc idem apprehendit voluntas, vnde & ſequitur delectatio ſumma in voluntate de Deo viſo & amato prout in ſe eſt.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. concella maiori, negando minorem: ex fine, qui, & ex fine, quo, conſurgere vnum totalem finem qui vulgò nuncupatur finis cuius gratia, ſeu, vt quod, de quo delectantur beati proximè & immediatè; hic autem nullus alius eſt quàm Deus viſus & amatus prout in ſe eſt. *Diſſoluuntur rationes contrariæ.* 1.

Ad 2. Reſpond. hominem in hac vita conſtitutum nedum ſperare Deum, ſed etiam eiuſdem viſionem & amorem; viſio enim & amor eſſentiæ diuinæ prout in ſe eſt, cenſetur eſſe obiectum amoris concupiſcentiæ, reſpectu cuiuſlibet beati: ac proinde delectatur hic non ſolùm de Deo, ſed de eodem ſimul & viſo & amato. 2.

Ad vltimum reſpondeo, Deum, vt ſic, non eſſe obiectum triſtitiæ damnatorum; non enim Deus habet rationem mali, neque habere poteſt, vt ſic, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium ad hoc vt Deus, vt ſic, poſſit eſſe obiectum triſtitiæ: concedendum tamen eſt damnatos triſtari de amiſſione diuinæ eſſentiæ, quia concipiunt amiſſionem iſtam tanquam rem ſibi quàm maximè perniciosam. Adde, eoſdem damnatos concipere etiam Deum veluti vindicem acerrimum propriarum iniquitatum, ac proinde ex iſta apprehenſione conſurgit in iſtis triſtitia, quæ tamen non dicitur de damnatis, hoc ſolo nomine quòd priuentur eſſentia diuina, ſed quia in iſtis datur priuatio, & eſſentiæ diuinæ, & viſionis eiuſdem, prout in ſe eſt, & denique amoris quo quælibet creatura rationalis illuſtrata lumine fidei requiſiuit propriam felicitatem pro eo tempore quo fuit in via. *Vlt.*

DVBITATIO VLTIMA.

An delectatio ſit neceſſaria in beatis, an verò libera.

CONCLVSIO. *Delectatio eſt neceſſaria & nulla ratione libera.* Primùm, quia id videtur colligi ex illo Ioann. 16. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* & Iſaiæ 65. *Gaudebitis & exultabitis uſque in ſempiternum.* *Delectatio eſt neceſſaria.* 1. Ioann. 16. verſ. 24. Eſaï. 65. verſ. 18.

Deinde, quod habet ortum à voluntate prout hæc eſt ad vnum determinata, producitur ab ea neceſſariò, non liberè: nam de ratione libertatis eſt vt ſit indeterminata & indefinita ad agendum, & non agendum, vt dicitur in diſputatione de actibus humanis: at delectatio quæ datur in beatis habet ortum à voluntate eorumdem, prout eſt determinata ad vnum tantùm: quemadmodum enim intellectus beati non poteſt non videre diuinam eſſentiam, & voluntas eamdem non amare; ità etiam nequit voluntas non delectari de Deo viſo, & amato prout in ſe eſt, vt colligitur ex loco proximè citato Ioann. 2.

Tertiò, ſi voluntas beatorum poſſet intermittere actum delectationis de Deo viſo & amato, vel id fieret quia defatigaretur voluntas beati, ab obiecto iſtius delectationis, vel quia occurreret eidem obiectum multis partibus præſtantius, obiecto delectationis, vel denique quia recta ratione iudicaret ſatius eſſe intermittere delectationem, quàm continuare: at nullum ex iſtis dici poteſt: 3.

Digitized by Google

Non quidem primum, quia eſſentia diuina clarè, & vt in ſe eſt viſa & amata, nullam inducit aut inducere poteſt triſtitiam, cùm careat omni planè ratione mali: neque item ſecundum; non enim datur, nec dari poteſt obiectum præſtantius Deo viſo, & amato, prout in ſe eſt: nec denique tertium, quia recta ratio iudicare nequit præſtantius eſſe ceſſare à propria beatitudine, quàm in eadem perſeuerare: ergo nulla ratione dici poteſt libera delectatio beatorum. Ità docent D. Thomas 3. contra Gentes cap. 62. & in 4. diſt. 48. quæſt. 1. art. 3. Durandus, Caietanus, Conradus ad hunc art. D. Thomę.

Obiectio. Obiciunt aliqui ex Scoto: quod habet ortum à principio libero, producitur liberè; at B delectatio quæ datur in beatis producitur ab eorumdem voluntate, quæ tamen eſt principium operandi liberè, vt conſtat ex actionibus eiuſdem à nobis in hac vita factis. Charitas item cenſetur eſſe principium productiuum delectationis beatorum, ex veriori opinione, & tamen charitas non neceſſitat voluntatem, ſed contingenter ſe habet ad actus eiuſdem: ergo idem dicendum erit de delectatione.

Solutio 1. Reſpond. quidquid ſit de maiori, negando minorem; voluntas namque neceſſitatur in cœlis, & ad Deum amandum prout in ſe eſt, & præterea ad eliciendum actum delectationis de Deo viſo & amato; neque enim fieri poteſt, C ſaltem de lege communi, vt detur obiectum quàm maximè conueniens, & præſens in facultate appetitiua, quin ſequatur delectatio in eadem de huiuſmodi obiecto.

Solutio 2. Reſpond. 2. delectationem non eſſe ità coniunctam cum beatitudine in quolibet beato, quin diuina virtute poſſit ab ea ſeparari. Primùm, quia delectatio non coniungitur cum beatitudine eſſentiali, ex natura rei, ſed ex lege ordinaria. Deinde, quando dantur duo actus, quorum vnus eſt altero prior, poteſt Deus conſeruare priorem ſinè poſteriori, maximè quando actus illi diſtinguuntur realiter inter ſe, & vnus non præſupponit alium neceſſariò: atqui D beatitudo eſſentialis & delectatio in quolibet beato ſunt actus inter ſe realiter diſtincti, neque vnus præſupponit neceſſariò alium, vt per ſe notum eſt: ergo. Tertiò, magis pendet quodlibet accidens à ſuo ſubiecto quàm delectatio in beatis à viſione, & amore eſſentiæ diuinæ; nam accidens pendet à ſubiecto in genere cauſæ materialis, ex communi doctrina Metaphyſicorum; delectatio verò pendet ab actu viſionis hoc ſolo nomine, quòd medio Deus præſens conſtituitur voluntati, vt hæc poſtea de eodem viſo & amato delectetur; ac proinde delectatio pendet ab actu viſionis in ratione tantùm conditionis ſimpliciter neceſſariæ vt E ſequatur delectatio: at de fide eſt accidens poſſe conſeruari ſinè ſuo ſubiecto, vt conſtat ex venerabili Euchariſtiæ ſacramento: ergo. Ità docent Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 7. §. Dico ergo in ſolutionem, & Recentiores ferè omnes ad hunc articulum.

Obiectio. Obiicies, fieri non poſſe vt aliquis ſit beatus etiam diuina virtute, niſi detur in eo delectatio de obiecto ſuæ felicitatis: nuncupatur enim beatitudo propter hanc cauſam, Gaudium, Ioann. 16. & Matth. 29.

Solutio. Reſpond. antecedens eſſe falſum, neque oppoſitum ſequitur ex locis citatis ibidem; ex iſtis namque dumtaxat probatur beatitudinem de lege communi coniunctam eſſe cum gaudio, non autem de poteſtate Dei abſoluta. Adde, in data hypotheſi de beatis concedendum eſſe, quod non detur in illis delectatio; ac proinde quòd neque totaliter & completè ſint beati, ſed tantùm eſſentialiter; cùm eſſentialis beatitudo poſita ſit in ſolis actibus viſionis & amoris eſſentiæ diuinæ. Vide plura apud authores proximè citatos.

ARTICVLO 2. docet viſionem eſſe magis præcipuam in beatitudine quàm delectationem, de quo nulla poteſt eſſe dubitatio; cùm viſio ſit eſſentialis beatitudo, delectatio autem conſequatur tantùm beatitudinem iſtam; imò nequit hæc delectatio habere locum in beatis niſi dependenter à viſione.

ARTICVLVS TERTIVS.

An ad beatitudinem requiratur comprehenſio.

CIRCA hunc Articulum quædam ſunt adnertenda. Primum eſt, *Comprehenſionem eſſe neceſſariam ad beatitudinem creaturæ rationalis*: dicitur enim cap. 9. prioris ad Corinth. *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium, ſic currite vt comprehendatis.* Nomine autem brauij intelligit D. Paulus beatitudinem æternam, vt conſtat ex verbis eiuſdem. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* & 2. ad Timoth. cap. 4. de ſeipſo ità loquitur Paulus: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex.* *Cõprehenſio neceſſaria ad beatitudinem.* 1. Cor. 9. verſ. 24. 2. Cor. 9. verſ. 25. 2. Tim. 4. v. 7. & 8.

Deinde, propter hanc cauſam agentes in cœlis nuncupantur communiter, Comprehenſores, & idem fatentur omnes de Chriſto: pro toto illo tempore quo fuit in hac vita mortali.

Tertiò, Comprehendere, non eſt rem aliquam ità cognoſcere, vt nihil illius cognoſcentem lateat, qua ratione vſurpatur à Theologis verbum, *Comprehendere*, in tractat. de viſione, ad quæſtio. 12. 1. part. ſed, Comprehendere, hoc loco nihil aliud eſt, quàm tenere, ſeu poſſidere, id quod proſequuti ſumus pro toto illo tempore quo fuimus in via, quaſi currendo ad hoc vt tandem conſequeremur rem proſequutam: certum autem eſt quemlibet Chriſtianum, currere; quaſi poſt Deum, quamdiu agit in hac vita, & tandem tenere Deum vel poſſidere, quando contigit viſio eſſentiæ diuinæ, & amor eiuſdem, prout in ſe eſt; hunc enim cognoſcimus, neque aliquid aliud vltra expetimus, ex illo Pſal. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Confirmatur hoc ex illo Dauidis Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te Deus.* Pſal. 16. verſ. 15. Pſal. 41. verſ. 1.

Secundò aduertendum eſt, *Comprehenſionem, viſionem & delectationem eſſe tantùm dotes cuiuſlibet animæ beatæ.* Ità communiter Scholaſtici in 4. diſt. 49. maximè verò D. Thomas quæſt. 4. art. 3. & ad cap. 6. Hebr. lectione 1. *Dotes animæ.* D. Thom.

Deinde, nomine dotis nihil aliud intelligunt A hoc loco, quàm bona illa, quæ contingunt quibuſuis beatis, quamprimùm donantur ſua beatitudine, quæque verſatur circa Deum ipſum tantùm; atqui bona iſta nulla alia ſunt præter viſionem Dei, delectationem de eodem; & comprehenſionem ſeu aſſequutionem eiuſdem, coniunctam tamen cum tanta certitudine, vt nullus ſuperſit de Deo amittendo timor.

Obiectio. Obiicies, amorem computandum eſſe inter dotes beatorum; beati namque ſtatim à principio ſuæ felicitatis incipiunt amare Deum clarè viſum.

Solutio. Reſpond. negando antecedens: ad probationem autem amorem iſtum eſſe eiuſdem planè ſpe- B ciei, & rationis, cum eo qui fuit in beatis, pro eo tempore quo fuerunt in hac vita: docet enim Paulus charitatem nunquam excidere, bene tamen fidem & ſpem.

Deinde, vnitas ſpecifica cuiuſlibet actus reperenda eſt à ſuo obiecto, vel à modo tendendi in illud; at amor qui datur in beatis & in agentibus in hac vita, verſatur circa vnum & idem planè obiectum & eodem modo; nam obiectum iſtius amoris cenſetur eſſe Deus prout eſt ſummè bonus & ſummè diligibilis propter ſemetipſum, & quidem media charitate: certum autem eſt conſtitutos in hac vita amare Deum, prout Deus eſt ſummè diligibilis propter ſemetipſum. Deinde, amor potius C dicendus eſt arrha, quàm dos; datur enim hîc in nobis vt ſit medium quoddam dotis conſequendę in cœlis, illo eodem modo quo arrhæ præmitti ſolent conſummationi matrimonij, ac proinde largitioni dotis.

Dotes non ſunt habitus in beatis. Tertiò, obſeruandum eſt, *Dotes non eſſe habitus in beatis*, vt voluerunt aliqui, *ſed potius actus*. Primum, quia viſio, comprehenſio, & delectatio ſunt nomina quædam ſignificantia actus, non autem habitus, vt eſt per ſe notum. Deinde, nomine dotis ſignificatur præcipua poſſeſſio, ſeu diuitię pertinentes ad vxorem, vt rectè obſeruat Salas diſp. 8. tractat. 2. ſect. 1. at diuitię iſtę non non ſunt poſitæ in poſſeſſione quorumdam habi- D tuum, ſed in adeptione actuum viſionis, comprehenſionis & delectationis: ergo. Ità docent communiter Theologi: imò hæc videtur eſſe opinio D. Thomę ad 3. huius art. & 1. part. quæſt. 12. artic. 7. ad 1. licèt in 4. diſt. 49. ſecus docuerit.

Obiectio. Dices, comprehenſionem non eſſe actum diuerſum à viſione; nam hoc ipſo quòd aliquis beatus incipit videre Deum, eumdem comprehendit & quidem cum tanta certitudine, vt nulla ſuperſit formido de eo amittendo: ergo non erunt dotes tres, vt nos docuimus in 2. adnotato.

Solutio. Reſpond. comprehenſionem non eſſe actum diſtinctum realiter à viſione Dei, bene tamen E formaliter; ità enim comprehenſio nihil aliud eſt quàm relatio quæ conſequitur actum viſionis eſſentię diuinæ, ità vt hæc relatio ſit ab eo inſeparabilis tamdiu, quamdiu manet viſio; ac proinde de relatione iſta concedendum eſt quòd ſit realis, non autem ſolùm rationis, vt volunt aliqui: dotes autem non multiplicantur ſecundum exiſtentias varias & diuerſas reales quas habent, ſufficit enim quòd diſtinguantur inter ſe vel realiter (qua ratione ſeparantur ab inuicem viſio & delectatio) vel formaliter, vti ſeparatur comprehenſio à viſione, licèt hæc diſtinguatur realiter à delectatione.

Tandem obſeruandum eſt, *Dotes iſtas, ſaltem in ratione dotis, nullum habere locum in Chriſto, aut Angelis*: dos enim pertinet tantùm ad vxorem, Chriſtus autem rationem vxoris conſequi nequit, ſed ſponſi tantùm. Deinde, matrimonia celebrantur inter ea quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ac proinde & dos debetur iſtis propriè loquendo; at Angeli non ſunt eiuſdem ſpeciei cum Chriſto, vt eſt per ſe notum. Ità communiter omnes hoc loco, & in 4. diſt. 49. *Dotes non ſunt in Chriſto.*

Dices, Chriſtum & quemlibet Angelum bea- *Obiectio.* tum videre Deum, ac proinde eumdem comprehendere, & denique de eo viſo delectari: ergo dabuntur in iſtis dotes; diximus enim dotem eſſe viſionem, comprehenſionem, & delectationem.

Reſpondeo hoc argumento tantùm probari, *Solutio.* dotes ſpectatas in eſſe rei, ſeu, quod idem eſt, prout ſunt dona quædam ſupernaturalia, quæ verſantur proximè circa Deum, habere locum in anima Chriſti, & in quolibet Angelo beato, quod vltrò concedimus; minimè vero in ratione dotis, quatenus dos eſt; hæc enim eſt ità coniuncta cum ratione ſponſæ, vt in illis tantum reperiatur propriè, qui matrimonio propriè dicto coniunguntur, & rationem ſponſæ conſequuntur. Viſio ergo eſſentiæ diuinæ, quæ eſt prima dos, reſpondet fidei, illa ratione qua perfectum reſpondet imperfecto: comprehenſio vero reſpicit ſpem, eodem modo quo terminus viæ reſpicit viam, ſeu tendentiam: delectatio denique reſpicit charitatem, hæc enim facit vt quis delectetur de tanta bonorum aggregatione & cumulo, quantus eſt cumulus perfectionum quæ dantur in Deo; hic autem cumulus perfectionum diuinarum innoteſcit cuilibet beato ſtatim ab initio ſuæ felicitatis. Vide plura de iſtis apud authores.

ARTICVLVS QVARTVS.

An rectitudo voluntatis requiratur ad beatitudinem.

DVæ ſunt hoc loco Dubitationes explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An Beati de facto peccent pro eo tempore quo ſunt beati.

SVNT qui putent partem affirmantem eſſe indubitatam, ſaltem reſpectu Angelorum: credunt enim iſtos leues aliquas culpas admittere inter cuſtodiendos homines, quod probant ex cap. 4. Iob. *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.* & cap. 15. *Cœli non ſunt mundi in conſpectu eius*, nomine autem, cœli, hoc loco intelliguntur habitatores cœli: & ex Pſal. 101. *Ipſi peribunt, tu autem permanes.* ità docuit Origenes lib. 1. Periarchon, cap. 6. & lib. 2. cap. 3. & homil. 13. & 23. in Lucam. & homil. 20. & 24. in Numeros. imò hoc *Aliquorum opinio.* Iob. 4. verſ. 18. Idem 15. verſ. 15. Pſal. 101. verſ. 27. Origen.

Digitized by Google

Hieron. videtur aſſeruiſſe Hieronymus ad cap. 6. Micheæ, ad hæc verba: *Surge & contende iudicio*, ceterùm non ex propria, ſed ex aliena ſententia hoc dixiſſe Hieronymum probabilius eſt; huic enim Patri quàm maximè familiare eſt, loqui ex opinione aliorum, vt conſtat ex commentarijs eiuſdem in epiſtolam Pauli ad Galatas, & ex Apologia contra Rufinum; illis quippe duobus in locis fatetur ſe multa ex aliorum opinione ſcripſiſſe. Sunt qui dicant placuiſſe hanc opinionem Fabro Stapulenſi in opere de tribus Magdalenis; ceterùm ab huiuſmodi calumnia liberatur à Ioan. Salas tractat. 2. diſput. 7. ſect. 8. aſſerit enim illic ex mente alicuius alterius Doctoris, nihil de hac re reperiri in libro de tribus Magdalenis.

A

B

Conclvsio. *Beati nullam planè culpam, etiam minimam, admittunt in cœlis.* Primùm, quia hæc eſt ſanctorum Patrum doctrina, maximè D. Auguſtin. lib. 12. de Geneſ. ad litter. cap. 36. & lib. 14. de Ciuit. cap. 9. ait enim priori loco de Angelis: *Illam incommutabilem ſubſtantiam Creatoris ita conſpiciunt, vt viſione atque amore & eam præponant omnibus, & ſecundum eam iudicent de omnibus, & in eam dirigantur, vt agantur, & ex ea dirigant quid quid agunt.* & poſteriore loco. *Vbi enim boni adepti amor immutabilis eſt, profectò ſi dici poteſt, malè cauendi timor ſecurus eſt. Timoris quippe caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit nolle peccare.* & Anſelm. de caſu diaboli, capite 6. qui de Angelis ità dicit: *Quapropter à Deo ſunt profecti, vt ſunt adepti quidquid potuerunt velle: nec iam videant, quod plus velle poſſunt, & propter hoc peccare nequeunt.* & Gregor. lib. 5. Moral. cap. 28. vbi ait: *Natura Angelica eſt in ſemetipſa mutabilis, quam videlicet mutabilitatem vincit per hoc, quod ei qui ſemper idem eſt, vinculis amoris alligatur.* & Greg. Nazian. oratione 42.

D. Auguſt. Anſelm. Gregor. Nazianz.

C

Deinde, voluntas beatorum eſt in omnibus conformis diuinæ, dicitur enim de beatis, quòd ſequantur Agnum quocumque ierit; at certum eſt Deum nullam planè admittere, neque item probare culpam.

Confirmatur: de Eccleſia triumphante dicitur maximè, quòd ſit ſinè ruga & ſinè macula.

D

Matth. 25. ℣. 46. Iſai. 65. ℣. 18. Dan. 12. ℣. 3. Ioan. 16. ℣. 24. Tertiò, de ratione beatitudinis eſt quòd ſit perpetua, Matth 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam* Iſaiæ 65. *Gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum.* Dan. 12. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* & Ioan. 16. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*: at ſi aliqua culpa, etiam minima committatur à beatis, felicitas iſtorum non poteſt eſſe æterna, quia cuiliber culpæ etiam minimæ debetur pœna aliqua, quæ tamen ſtare nequit cum beatitudine.

D. Thom. Denique, ità docent D. Thom. hoc loco, & omnes interpretes eiuſdem, ibidem, & in 4. diſt. 49. & plerique in 1. diſt. 1. & in 2. diſt. 7.

E

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad primam, locum hunc, ſaltem quoad particulas iſtas: *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles*, intelligendum eſſe de hominibus conſtitutis in hac vita, vt explicant D. Auguſt. in annotationibus ad Iob & Hieron. ibidem; non autem de angelis beatis: poſterior verò particula eiuſdem loci, de ſolis malis Angelis venit intelligenda, quemadmodum docent Patres proximè citati. Greg. tamen lib. 5. Moral. cap. 28. ſentit explicandam eſſe de bonis Angelis, in quibus deprehendit Deus præſultatem, ſi conſiderentur ſecundum propriam naturam; ſic enim ſunt verè praui, id eſt, inſtabiles & inconſtantes; loquitur autem de prauitate naturali, non autem culpabili; prauitas autem iſta, ſeu inconſtantia naturalis ſublata fuit in Angelis beatis largitione beatitudinis ſupernaturalis, qua ità confirmati ſunt circa bonum, vt ab eo deficere nullo modo queant.

D. Auguſt. Hieron. Gregor.

Ad 2. teſtimonium reſpond. Si loquatur de Angelis, vel etiam de beatis, probare tantùm Angelos non eſſe mundos in conſpectu Dei, ſi ſermo ſit de natura eorumdem præciſè, ſpectata intrà terminos propriæ naturæ; minimè verò ſi de angelis ſermo ſit, ſpectatis vt ornantur perfectionibus ordinis ſupernaturalis; hac enim ratione ſunt quà maximè mundi, ad hoc vt videant diuinâ eſſentiâ: priori verò modo Angeli dicuntur immùdi, quòd careant perfectionibus neceſſarijs ad Deum videndum, & præterea quòd ſint fragiles, poſſintque proinde declinare non minùs in malum, quàm terri in bonum. Vltimus verò locus non de Angelis, ſed de cœlis intelligitur communiter à Patribus.

DVBITATIO SECVNDA.

Vndènam repetenda ſit impeccabilitas in beatis.

Svnt de hac re duæ opiniones: Prima eſt eorum qui putant iſtam impeccabilitatem deſumendam eſſe ex ſpeciali Dei prouidentia, qua decreuit Deus non concurrere cum beato ad actionem malam, materialiter ſpectatam admittendam; & præterea, quia hac eadem prouidentia factum eſt, vt cuilibet beato detur auxilium aliquod ſpeciale ad vitandum quodlibet peccatum in quacumque circumſtantia: ac proinde fatentur authores iſti, beatos ex vi & natura ſuæ beatitudinis, non eſſe impeccabiles, ſed tantùm ex prouidentia peculiari diuina. Addunt præterea abſolutè loquendo beatos peccare poſſe, idque quòd detur in iſtis illa eadem voluntas quæ fuit in via; voluntas autem in via verè peccare potuit, fuit enim libera, nedum libertate contradictionis, ſed etiam contrarietatis, quæ verſatur circa bonum & malum veluti circa ſuum obiectum. *1. Opinio.*

Deinde, viſio manifeſta eſſentiæ diuinæ non determinat voluntatem cuiuſlibet ad Deũ amandum, & licèt id præſtaret, non ideò tamen redderet voluntatem beati impeccabilem; nam peccatum veniale ſtare poteſt cum charitate, etiam intenſiſſima, ex communi doctrina, non enim pugnat veniale cum charitate, ſeu gratia gratum faciente: ità ſentiunt Gabriel in 2. diſt. 1. quæſt. 2. & in 2. diſt. 7. quæſt. vnica, art. 1. & ſupplementum eiuſdem in 4. diſt. 49. quæſt. 2. artic. 3. dubitat. 6. Ockam in 1. diſtinct. 1. quæſt. 2. & in 2. diſtinct. 19. & Gregor. Arimin. diſt. 7. lib. 2. quæſt. 2. artic. 2. & alij nonnulli Nominales. *Non probatur.*

Ceterùm, hæc opinio licèt nullo negotio defendi poſſit, non tamen eſt nobis ſuſtinenda: Primùm, quia non eſt philoſophica; tribuit enim ſoli voluntati diuinæ impeccabilitatem beatorum, quæ ratio reſpondendi vel docendi cenſetur eſſe refugium miſerorum. Deinde, quia nullam reddit cauſam iſtius ſpecialis prouidentiæ diuinæ; non enim adducunt vllum locum Scripturæ, Conciliorum, aut Patrum, ex quo colligatur,

Digitized by Google

aut legatur expresse ista specialis prouidentia. Tertiò, quia voluntas, licèt sit eadem in beatis cùm ea quæ fuit in ipsdem in via, non tamen eodé planè modo se habet in cœlis quo in via: nam voluntas in patria est tantum libera libertate contradictionis, & quidè in ordine, ad actus diuersos ab actibus visionis & amoris Dei, nam respectu istorum est necessitata simpliciter; non enim potest non videre, & non amare beatus Deum prout in se est.

Impeccabilitas beatorum in beatitudinem eorumdem refundenda.

Secunda sententia explicatur hac vnica Conclusione. *Beatorum impeccabilitas in beatitudinem eorumdem refundenda est, ita vt ideo peccare nequeant, quia sunt beati, seu quod idem est, quia vident & amant essentiam diuinam:* Ità docet D. Thom. hoc loco & 1. part. quæst. 62. artic. 8. & 4. contra Gentes, cap 92. & de veritate, quæst. 22. art. 6. & quæst. 28. art 8. Capreolus in 1. dist. 1. quæst. 1. & omnes interpretes Diui Thomæ hoc loco.

Deinde, hæc videtur esse mens sanctorum Patrum locis Dubitat proximè antecedente citatis, & item D Augustin. lib. 13. de Trinitat. cap 5 vbi sic ait: *Beatus igitur non est, nisi qui habet omnia quæ vult, & nihil vult malè.* & cap. 7. *Non enim volet miser viuere in illa felicitate, aut volet aliquid quod deerit, aut deerit quod voluerit.*

Varia rationes pro conclusione.

Non conuenit tamen inter Scholasticos quæ sit ratio istius conclusionis demonstratiua. Sunt qui adducant istam quæ desumitur ex D. Thom. lib. 4. contra Gentes, cap. 92. Beatitudo reijcit quodlibet malum à beato: est enim de intrinseca ratione beatitudinis, vt sit cumulus omnium bonorum aggregatione perfectus; at peccatum quantumuis minimum habet rationem mali: ergo erit incompossibile cum beatitudine.

1. Ratio inefficax.

Cæterùm, ratio hæc non est satis efficax; nam posset aliquis respondere impeccabilitatem sanctorum reperendam esse ex speciali Dei prouidentia, non autem ex beatitudine præcisè spectata, cùm beatitudo essentialis dicat tantùm actus amoris & visionis essentiæ diuinæ: isti autem duo actus non possunt esse cumulus omnium bonorum aggregatione perfect. simus, cùm præter istos desideretur ad completam beatitudinem delectatio seu fruitio, itémque gloria corporis.

2. Ratio.

Alij verò probant ex D. Thoma loco proximè citato, & ex Durando in 2. dist. 1. quæst. 1. Fieri nequit vt aliquis peccet, nisi posito in eo errore aliquo, aut certè inconsideratione, seu inanimaduertentia aliqua; docet namque Aristot. cap. 1. lib. 3. Ethicorum, omnem peccantem esse ignorantem; at in beatis, hoc ipso quòd sunt beati, nullus datur error aut inconsideratio inter agendum, cùm videant omnia omnino agenda intrà diuinam essentiam, aut extra eamdem per reuelationem sibi diuinitus factam: ergo ob rationem assignatam beati erunt impeccabiles.

Infirma.

Verùm neque hæc ratio Conclusionem nostram demonstrat: nam dubium est an omnis peccator debeat esse ignorans aut errans, cùm dentur multi qui contra dictamen propriæ conscientiæ operentur; huius generis sunt illi omnes qui peccant contra Spiritum sanctum in via aliqua specie. Deinde, ignorantia verè datur in beatis: Scriptura quippe docent, istos nescire diem iudicij, neque item cogitationes nostras, ac proinde poterunt beati peccare circa illa omnia, non obstante beatitudine propria. Tertiò, reuelatio diuina non est satis ad hoc vt impediat peccatum, vt constat ex nobis, quotidie enim peccamus inter operandum, etiamsi nobis constet reuelatione diuina, hæc esse agenda, illa verò vitanda.

3. Aliorum probatio.

Probant tertiò aliqui: Quemadmodum se habet voluntas nostra ad bonum in communi sumptum, ità se habet eadem ad essentiam diuinam clarè visam amandam, & circa ea omnia quę in eadem repræsentantur; at proposito bono in communi sumpto non potest voluntas non ferri circa illud: ergo voluntas beati non poterit non ferri circa essentiam diuinam amandam: ergo neque poterit peccare.

Non est adæquata.

Cæterùm, ratio hæc probat tantùm voluntatem beati necessitari circa amorem essentiæ diuinę clarè visæ, quod nos vltrò fatemur, minimè verò circa quodlibet bonum extra diuinam essentiam constitutum, ac proinde poterit voluntas beatorum peccare circa ista bona. Deinde, plerique dicunt rationem istam in eo deficere quod probet tantùm voluntatem non posse peccare circa bonum, in communi sumptum; quia nullum planè bonum datur, quod non contineatur in huiusmodi bono communi: extra autem diuinam essentiam continentur infinita bona, in quibus, si non reperitur ratio mali, potest tamen in eis apprehendi ex defectu aliquo existente in intellectu cuiuslibet beati.

4. Authorũ probatio.

Postremo probant alij: Voluntas nostra non potest aliquid velle nisi sub ratione boni, si termo sit de affectu prosecutionis: nihil item potest respuere nisi sub ratione mali, si termo sit de affectu fugæ; at quando essentia diuina videtur à beatis, ità videtur ab istis vt in ea appareat tantùm ratio boni, & nulla mali, nedum respectu essentiæ diuinæ, sed etiam respectu eorum, quæ sunt extra diuinam essentiam: hæc enim non solùm cognoscuntur extra, sed etiam intrà eamdem: ergo.

Ratio tamen hæc laborat hac difficultate, quòd affirmet ea quæ sunt extra diuinam essentiam cognosci à beatis, intrà eamdem: de qua tamen re non constat; dantur enim plerique Theologi Scholastici qui affirmant nullas res creatas cognosci à beatis intrà diuinam essentiam, sed tantùm extra per specialem reuelationem sibi à Deo factam, quæ tamen reuelatio diuina non sufficit ad vitanda peccata ex dictis in antecedentibus.

Probatio ex Vazquezy opinione.

Probatur ergo à Gabriele Vazquez. Voluntas creata tunc temporis peccare nequit, quotiescunque mouetur magis efficaciter ad Deum amandum, & ad cetera omnia præstanda, quæ Deus exoptat fieri à nobis: voluntas siquidem in suis actionibus exercendis sequitur semper eâ partem, ad quâ magis efficaciter mouetur: at voluntas cuiuslibet beati, mouetur efficaciùs, hoc ipso quòd est beata, ad Deum amandum super omnia, & ad agendum ea omnia, quæ Deus intendit fieri à beatis: diximus enim voluntatem beatorum necessitari, ex vi visionis ad Deum amandum, & præterea ad obtemperandum eidem in omnibus & singulis: ergo non poterunt beati peccare.

Solummodo contrariationes.

Ad rationes vero contrarias respondeo. Ad 1. eamdem esse voluntatem in beatis quæ fuit in via, cæterùm longè aliter affectam in cœlis, quam fuerit in statu viæ: intellectus enim cuiuslibet beati fulcitur lumine gloriæ, ac proinde videt Deum prout

Digitized by Google

prout in se est, ex quo determinatur voluntas beati ad Deum amandum necessariò, & eidem in omnibus obtemperandum: vnde non mirum est si dicamus de beatitudine quòd reddat homines beatos impeccabiles.

Ad 2. Peccatum veniale esse incompossibile cum amore Dei in statu beatitudinis: dicitur quippe Apocal. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Deinde, quia nihil planè damnationis potest habere locum in beatis, cùm dicatur de istis quod sinè ruga sint, & sinè macula. Apoc. 21. ỽ. 27.

ARTICVLVS QVINTVS.

An ad beatitudinem requiratur corpus.

DVÆ sunt hoc loco Dubitationes explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An beati donentur sua beatitate essentiali ante diem iudicij; An vero cogantur expectare corporum resurrectionem.

EXTAT de hac re vetustissimus error: Tertullianus quippe lib. 4. contra Marcionem, cap. 43. & lib. de anima, cap. 57. contendit neminem ex hominibus videre Deum, prout in se est, ante generalem omnium planè hominum resurrectionem: Idem docuit postea Vigilantius referente Hieron. in libris contra eumdē. Subscripserunt Armenij ex Guidone Carmelita in lib. de hæresibus, & Alphonso à Castro verbo, *Beatitudo*, hæresi 6. & item Græci, vt colligere licet ex Conc. Florent. & ex Sandero lib. 7. de visibili Monarchia, cap. 108. & Caluinus lib. 3. suæ Institutionis, cap. 20. sect. 20. & 24. & Lutherus in Genesim, sub initium. Circa verò annum Christi 1316. excitata fuit grauis de hac re inter Catholicos disceptatio, si tamen vera sunt quæ refert Ockam, in opere nonaginta dierum: scribit enim Ioannem XXII. præcepisse Academiæ Parisiensi ne quem ad gradum Doctoratus admitteret, nisi priùs hic fidem fecisset publicam de sustinenda opinione, quæ asserit neminem ex hominibus ante diem iudicij potiri sua felicitate. Controuersia ista accuratè pertractatur à Belarmin. lib. 1. de beatitudine sanctorum, per multa capita, & à Pesantio disp. 1. ad hunc art. D. Thomæ.

Animæ defunctorum donantur beatitudine nō expectato vltimi iudicij die. Luc. 23. ỽ 43. 2. Cor. 5. ỽ. 10.

CONCLVSIO. *De fide est animas eorum omnium qui cumulatissimè satisfecerunt pro peccatis commissis, donari beatitudine sua essentiali ante diem iudicij, ac proinde non est quòd anima ista expectent, vel iudicium generale, vel corporum resurrectionem, ad hoc vt sint beata.* Primùm, quia dicit Christus bono Latroni, Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*, id est, donaberis felicitate æterna, vt explicant Patres ad hunc locum communiter, & cap. 5. posterioris ad Corinth. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, sine bonum, sine malum.* & ibidem ait, nos pro toto illo tempore quo sumus in hac vita peregrinari à Domino, & ità quidem, vt peracta peregrinatione constituamur ante Deum, simúsque illi præsentes: certum autem est posito termino peregrinationis viatores agere in patria: hæc enim solet esse vt plurimum terminus cuiuscúque viatoris: patria autem hominis Christiani & Catholici censetur esse cœlum, ex illo Cypriani de oratione dominica, *Vt qui cœlestes & spirituales esse cœpimus*, per gratiam scilicet, *non nisi spiritualia & cœlestia cogitemus, & agamus.* & Ecclesiast. 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas.* & ad Philipp. 1. ità de scipto loquitur Paulus. *Desiderium habens dissolui & esse cum Christo.* & D. Stephanus Actorum cap. 7. imminente morte ait; *Ecce video cœlos apertos & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* & rursus; *Domine Iesu suscipe spiritum meum:* ex quibus manifestè colligitur Stephanum certò existimasse beatitudinem sibi debitam contedendam esse statim à sua morte, & Ephes. 4. dicitur, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, ex quo loco probant communiter Theologi, Patres veteris testamenti & legis naturalis detentos in limbis ob defectum solutionis debitę peccatis, vnà cum Christo conscendisse cœlos, & ab eo tempore sua felicitate plenissimè potiri: imò hoc ipsum docet Paulus Hebr. cap. 5. & Apoc. 6. dicitur stolas singulas consignatas fuisse Martyribus post eorumdem mortem; nomine aūtem stolæ significatur illic visio essentię diuinę, seu felicitas æterna. Cyprian. Eccles. 11. ỽ. 28. Philip. 1. ỽ. 23. Actor. 7. ỽ. 55. ỽ. 58. Ephes. 4. ỽ. 8.

Deinde, res hæc ità fuit definita à Benedicto XI. aliàs XII. in Extrauaganti, *Benedictus Deus*, quam referunt Alphonsus à Castro loco supra citato, & Marcilius quæst. 13. lib. 4 Sententiarum, & in cap. *Apostolicam sedem.* de Presbytero non baptizato, & in cap. *Maiores*, de baptismo & eius effectu, & in Concilio Florentino sub Eugenio IV. in decreto vnionis, in Francofordiensi in epistol. ad Episcopos Hispaniæ prope finem. 2.

Tertiò, ità docent Patres D. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 3. *Nebridium carne*, inquit, *soluisti, & nunc ille viuit in sinu Abraham. Quidquid illud est quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus viuit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptiuus, ex liberto filius, ibi viuit. Nam quid alius tali anima locus? ibi viuit, iam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam, pro auiditate sua sinè fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea vt obliuiscatur mei, cùm tu, Domine, quem potat ille, nostrî sis memor.* Cyprianus epist. 52. ad Antonianum fratrem prope finem. *Aliud est*, inquit, *missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem: & aliud statim fidei & virtutis mercedem accipere:* Et de exhortatione martyrij. *O dies ille qualis & quantus aduenit, fratres dilectissimi, cùm ceperit populum suum Dominus recensere, & diuina cognitionis examine singulorum merita recognoscere. Quæ erit gloriâ, & quanta latitia, admitti vt Deum videas; honorari, vt cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium capias?* Ambr. epist. 85. vbi ait DD. Protasium & Gerualium, esse plenos luminis & fulgoris. Bernardus epist. ad fratres de Hibernia, de sancto Malachia sic loquitur: *Nec iam fide ambulas, sed in specie regnas. Absit vt imminuta, nedum exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur, cùm ad fontem ipsum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cuius & ipsa priùs stillicidia sitiebas.* Quod dico propter Sixtum Senensem, qui in sua Bibliotheca, annot. 345. contendit D. Bernardum in contraria extitisse sententia. Quod etiam docuit Alphonsus in opere 3. D. August. Cyprian. Ambros. Bernard.

de hæreſibus, verbo, *Beatitudo*, hæreſ. 6. Ex Patribus verò Græcis Concluſio hæc defenditur, ab Origene lib. 4. Periarchon: *Si quis mundo corde*, inquiens, *& pura mente, & exercitatori ſenſu fuerit: ciùs ad aëris locum aſcendet, & ad cœlorum regna perueniet:* loquitur autem de ijs qui moriuntur inter pios & Chriſtianos homines. Baſilius oratio in Gordium martyrem ait, illum ſtatim à morte Angelorum manibus ad vitam æternam tranſlatum, & in orat. de quadraginta martyribus ſimile quid refert. Nazianzen. orat. 20. quæ eſt in laudem D. Baſilij in fine. *Tu verò ſacrum & diuinum caput, è cœlo nos quæſo inſpice, carniſque ſtimulum à Deo nobis ad diſciplinam datum, aut precibus tuis ſiſte, aut certè, vt cum forti animo perferamus, perſuade: atque omnem noſtram vitam ad id, quod maximè conducibile eſt; dirige: nóſque, poſtea quam ex hac vita migrauerimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe: vt ſimul viuentes, & ſanctam, ac beatam Trinitatem, cuius nunc exiguam ſpeciem & imaginem accepimus, puriùs pleniúſque cernentes, deſiderij noſtris finem ſtatuamus, ac bellorum eorum, quæ inuiſimus, vel pertulimus, hoc præmium referamus.*

Origen. Baſilius. Nazianz.

Vltima probatio à ratione.

Probatur denique Concluſio rationibus. Prima: ſi quid eſſet quod impediret iuſtos ſtatim à morte donari ſua felicitate eſſentiali, id eſſet vel quod beatitudo nedum animæ de beatur, ſed etiam corpori, vel quia anima nequit beari ſinè corpore (ſupponimus enim iuſtos iſtos pleniſſimè ſatisfeciſſe pro peccatis commiſſis, in hac vita, & ſolutum eſſe pretium redemptionis generis humani) at neutra ex iſtis rationibus aliquid dicit; nam beatitudo eſſentialis animæ poſita eſt in actibus viſionis, & amoris eſſentiæ diuinæ, qui nulla ratione pendent à corpore, vt per ſe liquet.

1.

Deinde, licet corporis felicitas ſupponat animæ beatitatem, vt probabitur infra; felicitas tamen animæ nulla ratione pendet à corpore, cùm ab eodem realiter diſtinguatur, & ſit incorruptibilis, & ſubſtantia ſpiritualis, quia ſubſiſtit per propriam ſubſiſtentiam etſi imperfectam & incompletam: Rurſus, ratio non dictat cauſam principalem non poſſe remunerari quando non adeſt inſtrumentum, cùm quo ipſa eſt operata; corpus autem cenſetur eſſe inſtrumentum reſpectu operationum meritoriarũ quas habemus, pro toto eo tempore quo agimus in hac vita: ergo remanente corpore in ſepulchra animo fruetur ſua beatitudine.

Geneſ. 15. ℣. 1. 2. Tim. 4. ℣. 8. Iacob. 1. ℣. 12. Leuit. 19. ℣. 13.

Secundo, vita æterna nuncupatur merces, Geneſ. 15. *Ego ſum merces tua magna nimis*, ait Deus ad Abraham: item, corona. 2. Timot. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* & alibi; *Cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ:* at iniquum planè videtur vt, parta victoria, negetur corona, & peracto diei labore differatur denarius diurnus, iuxta illud Leuitici 19. *Non morabitur apud te opus mercenarij vſque manè:* ergo cùm poſita morte, tempus merendi ſit in vnoquoque noſtrûm collatum, debet vita æterna ſtatim aduenire, ſtante hypotheſi, quòd nullum detur in nobis peccatum, & quòd nulla ſuperſit ſatisfactio adimplenda.

2.

3.

Tertiò, Deus eſt multò procliuior ad miſericordiam, quàm ad vindictam; canit ſiquidem de eo Eccleſia: *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*; atqui interueniente morte illius, qui agit in peccato mortali, adiudicatur ſtatim pœnis æternis, vt patet exemplo diuitis epulonis, Lucæ 16. *Mortuus eſt diues & ſepultus eſt in inferno.* & ibidem dicitur ab eo: *Crucior in hac flamma:* ergo qui bene vixit recipiet ſtatim præmium laborum.

4.

Quarta ratio. Si ſtatim à morte non donantur iſti beatitudine cœleſti, fruſtra inuocantur ab Eccleſia: temerè item eorum tranſitus celebratur à nobis cum laudibus, hymnis & canticis: at illationes iſtæ defendi nequeunt, cùm ſint contra communem vſum & praxim Eccleſiæ vniuerſalis, & fidem Catholicam: ergo & illud ex quo ſequuntur.

Vlt. ratio.

Vltima ratio deſumitur ex oratione, quæ recitatur ex præſcripto Eccleſiæ in feſto D Gregor. Magni: *Deus qui animæ famuli tui Gregorij æterna, beatitudinis præmia contuliſti.* & ex Antiphona quæ cantatur in officio de martyribus: *Gaudent in cœlis animæ iuſtorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſequuti.* Et ex apparitionibus multarum animarum quæ viſæ ſunt repetere cœlos, aut etiam in ipſiſmet cœlis agere, ſtatim atque fuerunt à proprijs corporibus ſeparatæ: de quibus legendus eſt D. Gregorius lib. 4. dialogorum à cap. 7. ad 15. vſque. D. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 29. & 30. Petrus Damianus, aliique multi recentiores: dicitur etiam in Scriptura, Matth. 25. *Ibunt iſti in vitam æternam, illi autem in ignem æternum.* & Danielis 12. *Qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant ſemper.*

Gregor. D. Auguſt. Petr Dam. Matth. 25. ℣. 46. Dan. 12. ℣. 2.

Obiectio.

Obijciunt fautores erroris confutati: Primùm apud Matth. cap. 20. dici aduentante veſpera, per quam ſignificatur iudicium generale, Patrem familias ſuis agricolis reddidiſſe ſingulis denarios ſingulos, eſto inæqualis eſſet eorum labor; nomine verò denarij deſignatur felicitas æterna: ergo beatitudo non dabitur ſtatim à morte.

Solutio.

Reſpond. Quę habentur in parabolis, non omnia & ſingula eſſe aduertenda; ſed ea tantùm quę conducunt ad finem parabolarum, vt author eſt Chryſoſtom. homil. 20. in Matthæum. Finis autem huius parabolæ nullus alius eſt, quàm demonſtrare bene operantibus debitam eſſe mercedem aliquam, non autem tantam, vel certè concedendam eſſe mercedem iſtam aut in hac, aut in altera vita: de iſtis quippe nihil planè cogitauit Chriſtus eo loco, ac proinde circumſtantia ſolutionis factæ ſimul à Patre familias agricolis iſtis nõ eſt perpendẽda, neque item circumſtantia obmurmurationis agricolarum, hæc enim introducuntur tantùm ad ornandam parabolam: minimè verò ad probandum intentum eiuſdem.

Obiectio 2.

Obijciunt 2. maximè Caluinus loco ſupra citato, illud quod dicitur Mat. 25. *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratũ vobis regnũ:* at verba Chriſti ſunt ad litteram intelligenda, & ſecundum eamdem cenſentur eſſe veriſſima: ergo ante diem iudicij animæ non verſantur in cœlis, alioquin non diceret Chriſtus, *Venite, poſſidete*, ſi iam venerunt & poſſideant.

Matth. 25. ℣. 34.

Solutio.

Reſpondeo, Chriſtum meritò dicturum: *Venite benedicti*, &c. quia totus homo, nuſquam venit in cœlum, nuſquam etiam totus fuit beatus, ſed tantùm in ordine ad animam; poſt diem verò judicij totus homo donabitur ſua felicitate; anima enim proprio corpori vnietur, qua poſita vnione conſtituetur ante tribunal Chriſti, vt referat prout ſe geſſerit in corpore proprio, ex capite 5. poſterioris ad Corinth. locus ergo hic Matth. venit explicandus de perfecta, & conſummata

Digitized by Google

ſummata felicitate: non autem de eſſentiali, hæc enim poſita eſt in ſolis actibus viſionis & amoris Dei.

Obiectio 3. 1. Ioan. 3. ỳ. 2. Obijciunt 3. Illud 1. Ioann. cap. 3. *Nondum apparuit quid erimus, cùm autem apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* ex quo ità diſputant: Cùm apparuerit Chriſtus videbimus eum prout in ſe eſt; at ante diem iudicij non apparebit Chriſtus, ſed tantùm in generali iudicio, ex innumeris locis Scripturæ: ergo.

Solutio. Reſpondeo, particulam iſtam, *Nondum apparuit*, non eſſe referendam ad Chriſtum, ſed ad verba proximè antecedentia, ità vt velit D. Ioannes, nunc non innoteſcere nobis, aut alijs quid boni vel etiam miſtri nobis accidere debeat, bene tamen hæc omnia nobis manifeſta fient quando venerit ad nos Chriſtus, & vel per priuatum iudicium, vel certè per generale pronuntiatum fuerit, quid debeatur noſtris meritis, vel demeritis; iudicium autem priuatum de vnoquoque noſtrùm exequitur Chriſtus ſtatim poſt mortem; quemadmodum & generale in iudicio vniuerſali: ac proinde non poſſunt ex iſtis Caluiniſtæ colligere, animas ante diem iudicij non videre Deum, cum præter iudicium generale detur aliud priuatum, quod contingit ſtatim à morte cuiuſlibet, & in eo decernitur, vt anima quæ in gratia & charitate deceſſit, ſublato omni impedimento, donetur beatitudine æterna.

Obiectio 4. Hebr 11. ỳ. 40. Obijciunt 4. Locum illum qui habetur Hebr. cap. 11. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.* ex quo ità argumentantur: Patres veteris Teſtamenti, non potuerunt conſequi vitam æternam ſinè Patribus noui, idque ex lege & ordinatione diuina: ergo ante diem iudicij nullus eſt qui donetur beatitudine æterna: quemadmodum enim Patres antiqui non potuerunt beari, niſi cum illis qui vixerunt temporibus Apoſtolorum; ità neque vllus vitam conſequetur æternam, ſinè ceteris iuſtis, qui viuent vſque ad diem iudicij.

Solutio 1. Reſpondeo 1. Locum Pauli intelligendum eſſe de Patribus veteris Teſtamenti, quos contendit deceſſiſſe non acceptis repromiſſionibus de myſterijs Incarnationis Chriſti, & alijs conducentibus ad generis humani reparationem: ità Primaſius. Primaſius, & alij nonnulli Patres.

Solutio 2. Reſpondeo 2. Nedum de Patribus veteris Teſtamenti, ſed etiam de illis omnibus iuſtis qui fuerunt in lege naturæ, locum hunc eſſe intelligendum, & iſtos non potuiſſe conſequi vitam æternam ex doctrina Pauli ante aſcenſionem Chriſti: ità communiter Patres, quorum reſponſio videtur probari ex illo, Epheſ. 4 *Aſcendens,* Epheſ. 4. ỳ. 8. Chriſtus ſcilicet, *in altum captiuam duxit captiuitatem*: qui locus ſumptus eſt ex Dauide Pſal. 67. Pſal 67. ỳ. 19. Ex iſtis autem non poſſunt hæretici colligere neminem donari ſua felicitate ante iudicium generale, cùm conſtet ex loco proximè citato, Chriſtum vnà cum Patribus legis naturalis & Moſaïcę repetiſſe cœlos die poſt ſuam reſurrectionem quadrageſimo.

Obiectio 5. Apoc 6. ỳ 9. & 11. Obijciunt 5. Illud Apocal. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*: & paucis interiectis: *Dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum qui interficiendi ſunt, ſicut & illi*: ergo concedendus eſt aliquis locus in quo degunt animæ iuſtæ ad diem vſque judicij.

Reſpondeo, nomine altaris non ſignificari eo in loco certum aliquod ſpatium, aut receptaculum in quo degant animæ, ſed potiùs fauorem, gratiam & benevolentiam Dei; ità vt ſenſus illius loci ſit: Vidi animas, ſub fauore, & benevolentia Chriſti conſtitutas, quibus dictum eſt, &c. idque quòd earum completa & conſummata beatitudo nequeat habere locum ante diem iudicij generalis, ſeu, quod idem eſt, antequàm completus ſit numerus ſanctorum.

Obiectio vltima. Obijciunt denique innumera Patrum teſtimonia Tertulliani, Lactantij, Victorini & ceterorum quos refert Belarmin. loco qui ſupra: & præterea ſubiungunt definitionem Ioan. XXII. Pont. Maxim. qua contendunt eſſe determinatum animas expectare diem iudicij, ad hoc vt donentur beatitudine æterna, & ità opinionem iſtam fuiſſe acceptatam à Doctoribus Pariſienſibus, ex præcepto Pontif. Maxim.

Solutio. Reſpondeo primùm, Patres iſtos, non de beatitudine eſſentiali, ſed de totali, & adæquata fuiſſe loquutos, exceptis tamen Tertulliano, Lactantio & Victorino, quorum authoritas in hac re non eſt magni facienda. Certum enim eſt Tertullianum fuiſſe Montaniſtă, imò ſunt qui fateantur eum extitiſſe hæreſiarcham; Lactantius verò ex maiori opinione Doctorum, fuit magis exercitatus in lectione vnius Ciceronis, quàm Scripturarum ſacrarum, aut Patrum. Victorinus autem ex D. Hieronymo in epiſtola 84. ad Hieron. Magnũ oratorem in fine, fuit parum exercitatus in rebus Eccleſiaſticis, ac proinde non mirum ſi in tanta re defecerit. Quod attinet ad Ioan. vero XXII. ſunt qui reſpondeant, cum antequàm Pontificia dignitate donaretur, in eo errore fuiſſe, eáque adepta in eadem falſitate per aliquod tempus perſeueraſſe, atque Pariſienſibus præcepiſſe, vt neminem ad gradum Doctoratus promouerent quin priùs huic documento ſubſcripſiſſet; ceterùm id præſtitiſſe non vt Pontifex erat, ſed vt priuatus aliquis Doctor. Rectiùs tamen illi qui putant præceptum hoc nuſquam emanaſſe à Ioan. XXII. ſunt enim qui dicunt eumdem promotum ad Pontificiam dignitatem, damnaſſe, & retractaſſe huiuſmodi opinionem. Deinde, fides Guillelmi Ockami, non poteſt nobis non eſſe ſuſpecta, cùm certiſſimum ſit eum fouiſſe ſchiſma introductum temporibus prædicti Pontificis, præſentia & fauore Ludouici IV. Bauari Imperat. fecit quippe hic imperator vt viuente Ioann. XXII. creatus fuerit Nicolaus vulgò nuncupatus V. qui toto triennio Romæ contra Ioann. XXII. ſedem Pontificiam occupauit. Tertiò, ſcripſit Guillelmus Ockam in odium Ioannis Pontificis Maxim. opus nonaginta dierum in quo deprimit, quantum poteſt dignitatem Pontificiam, & extollit imperatoriam. Liber denique ab eodem editus de potentia Eccleſiaſtica, improbatur communiter à quibuſuis Catholicis, ac proinde cùm hic ſit primus qui errorem iſtum Ioanni XXII. adſcripſerit, eius authoritas non videtur eſſe ſatis ad hoc vt ei certò & indubitanter aſſentiamur.

Digitized by Google

DVBITATIO SECVNDA.

An anima ſit futura beatior poſt reſurrectionem.

Aliquorum opinio.

ALphonſus Toſtatus ad cap. 5. Mat. quęſt. 63. refert aliquos credidiſſe animas futuras minùs beatas poſt reſurrectionem corporis, quàm ſint iam, idque quòd animæ ſeparatæ à corpore magis ſint ſimiles Deo, quàm cum corporibus vniuntur; ſunt enim ſimpliciter ſpirituales, quẽadmodum & Deus totus ſpiritus eſt, *Ioann 4.* at quò magis accedit aliquid ad Deum, eò magis cenſetur eſſe beatum: ergo poſt reſurrectionem B plus beatitudinis conſequentur animæ quàm nunc.

Deinde, animæ à corporibus ſeparatæ habent vim magis vnitam, & collectam, quàm cùm corporibus coniunguntur; vis autem vnita eſt fortior ſeipſa diſperſa: Confirmant ex illo,

2. Opinio & fundamẽta.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Alij verò putant animas poſt diẽ iudicij futuras beatiores intenſiuè, quàm de facto exiſtant. Probant primùm, quia ità ſentit D. Auguſt. verbi expreſſis lib. 12. de Geneſi, ad litteram capite 35. *Porro*, inquit, *ſi tale ſit corpus cuius ſit difficilis & grauis adminiſtratio, ſicut hæc caro quæ corrumpitur, & aggranat animam, de propagine tranſgreſſionis exiſtens, multò magis auertitur mens ab illa viſione ſummi Cœli: vnde neceſſariò abripienda erat ab eiuſdem carnis ſenſibus, vt ei quomodo capere poſſet illud oſtenderetur: Proinde cùm hoc corpus iam non animale, ſed per futuram commutationem ſpirituale receperit Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ ſuæ modum, obediens & imperans, viuificata & viuificans, tam ineffabili facilitate, vt ſit ei gloria, quod ſarcina fuit.* Deinde, hoc ipſum affirmari videtur in Decreto vnionis in Concilio Florentino: dicitur enim illic conuenire inter Græcos & Latinos animas ante diem reſurrectionis eſſe beatas, futuras tamen beatiores poſt reſurrectionem.

Accedunt rationes. Prima: Quandocumque datur principium præſtantius alicuius operationis, eò quoque operatio cenſetur eſſe præſtantior, ceteris tamen paribus; at principium productiuũ beatitudinis eſt præſtantius poſt reſurrectionem, quàm ſit antea: nam poſt reſurrectionem viſio & amor, in quibus conſiſtit felicitas cuiuſlibet beati, ſunt à toto homine, cùm anteà eſſent à ſola anima: ergo poſt reſurrectionem beatitudo erit præſtantior.

2. Secunda, anima ſeparata à corpore appetit eiuſdem reformationem, appetitu ſibi innato & connaturali; at appetitus hic retardat complacentiam, vel delectationem conceptam de Deo E viſo & amato, vt videtur colligi ex propoſitione illa adducta ſupra.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus: ergo.

3. Denique, miſeria, & infelicitas damnatorum futura eſt intenſior poſt iudicium, quàm ſit modò: nedum enim cruciabuntur in anima, ſed etiam in proprio corpore, ex cap. 5. poſter. Cor. & ex 16 Lucæ: ergo idem erit quoque dicendum de beatitudine ſanctorum. Ità docent Magiſter Sententiarum diſt. 45. lib 4. D. Thom. ibidem q. 1. art. 4. quæſt. 1. & alij nonnulli.

CONCLVSIO 1. *Beatitudo ſanctorum futura eſt maior poſt iudicium, extenſiuè ſaltem.* Primùm, quia accedet gloria corporis ad felicitatem animæ, ex D. Auguſt. epiſt. 56. ad Dioſcorum, quo loco ait gloriã animæ deriuandam eſſe in corpus: *Tam potenti enim natura Deus fecit animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine quæ in fine temporum ſanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, non beatitudo quæ fruentis, & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor:* ità vt velit gloriam corporis pendere à felicitate animæ veluti à ſuo fonte & radice. *Beatitudo futura maior extenſiuè poſt iudicium.* D. Auguſt.

Deinde, totus homo erit poſt reſurrectionem beatus, cùm modò beatitudine potiatur duntaxat ſecundum animam.

Tertiò, ex vnione animæ cum corpore, & ex donis ſuperadditis ipſimet animæ & corpori conſurget occaſio noui gaudij & delectationis in beatis.

Denique, tunc temporis beatitudo erit pleniſſimè conſummata, cùm iam ſit tantùm incompleta & imperfecta; diximus enim beatitudinem totalem eſſe ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectiſſimum, quod contingit tantùm poſt iudicium in quolibet beato.

CONCLVSIO 2. *Beatitudo ſanctorum non eſt maior reſpectu animæ poſt reſurrectionem, quàm eſſentialis ſit iam; ac proinde nulla ratione intendetur hæc beatitudo eſſentialis, ſed inuariata permanebit ſecundum reſurrectionem.* Primùm, quia ità docent D. Thom. hoc loco. Caiet. Conradus, Medina ibidem & plerique veteres Scholaſtici. *Beatitudo eadem poſt intenſionem.* D. Thom. 1.

Deinde, Concluſio hæc videtur eſſe definita, itémque præcedens à Benedicto XII. in ſupra citata Extrauagante, ait enim illic beatitudinem aduenire animabus iuſtorum, ante diem iudicij, perſeuerare in iiſdem ad diem vſque reſurrectionis, & à die reſurrectionis in perpetuas æternitates: videtur autem affirmari, quòd beatitudo iſta perſeueret in eodem planè gradu perfectionis. Rurſus, Ioann. Villanus in hiſtoria Florentinorum lib. 11. cap. 15. refert ſe accepiſſe à viris D Theologis, qui dicebant adfuiſſe præſentes Pontifici Maximo proximè commemorato, quando definiuit animas non futuras beatiores intenſiuè poſt iudicium generale.

Secundò probatur, ex illis locis ſanctorum 2. Patrum quos citauimus Dubitatione proximè antecedente; diximus enim Patres iſtos affirmare beatitudinem habere locum in animabus ante diem iudicii, eámque perfectiſſimè reſpondere meritis in hac vita factis: ergo cùm merita iſta nulla ratione augeantur poſt mortem, beatitudo quoque minimè augebitur aut intendetur.

Tertiò, ſi beatitudo intenderetur in beatis 3. poſt corporis reſumptionem, intenſio hæc eſſet E repetenda, vel à gratia, vel à charitate, vel à lumine gloriæ quæ dantur in beatis, vel ab anima ipſa, vel ab intellectu, & voluntate eiuſdem, vel denique à maiori manifeſtatione diuinæ eſſentiæ: at nullum ex iſtis dici poteſt; nam gratia, charitas, & lumen gloriæ poſt adeptam beatitudinem, nulla ratione intenduntur, quoniam perfectiſſimè correſpondent meritis in hac vita factis; ità vt detur perfectiſſima æqualitas inter merita noſtra, & gratiam charitatémque conſummatam, & lumen gloriæ. Neque item intenſior beatitudo peti poteſt ex anima, intellectu & voluntate eiuſdem; quia ſunt qui putent animam nullam habere

Digitized by Google

habere in ſe vim connaturalem ad producendos actus viſionis, & amoris eſſentiæ diuinæ, prout in ſe eſt, ſed habere tantum rationem cauſæ inſtrumentalis: & licèt fateamur in anima dari vim aliquam, incompletam tamen & imperfectam, ad eliciendos actus viſionis, & amoris, certum tamen eſt animam per ſe ipſam ſolam non poſſe attingere prædictos actus, ſed poſtulare neceſſariò lumen gloriæ, ad hoc vt videat Deum prout in ſe eſt, & amet eumdem; hæc autem omnia non minùs habet anima beata antequam vniatur corpori, quàm cùm eidem vnita eſt, poſita reſurrectione corporis: ergo tam perfectè videbit Deum ante vnionem corporis, quàm poſt. Neque denique intenſio eſt repetenda eſt ex maiori manifeſtatione eſſentiæ diuinæ, facta beatis poſt reſurrectionem: nam eadem planè ratione, & in eodem gradu manifeſtatur eſſentia diuina cuilibet beato ante reſurrectionem quàm poſt; quia iſta manifeſtatio reſpondet adæquatè meritis in hac vita factis.

Vltima. Vltimò, licèt daremus poſt vnionem cum corpore, animam habere eſſendi modum magis perfectum, quod fatetur D. Thom. 1. part quæſt. 85. art. 1. vel non habere digniorem, quod fatetur Scotus, Maior, & alij nonnulli in 4. diſtinct. 43. & 45. non tamen propterea ſequeretur animam magis intensè videre Deum poſt reſurrectionem, quàm anteà; quia cauſa præcipua, & principalis viſionis, ſeu beatitudinis eſſentialis eadem planè eſt ante, & poſt reſurrectionem; ità vt hęc immutata ſemper perſeueret: ergo eumdem quoque ſemper producet effectum.

D. Thom.

Solutio contrariarum vationum. Ad rationes verò authorum 1. ſententię reſp. Ad 1. Animam à corpore ſeparatam magis eſſe ſimilem Deo, quantum ad modum eſſendi negatiuum, qui eſt carere corpore, quàm poſt reſurrectionem, vt eſt per ſe notum; minimè verò quoad modum eſſendi poſitiuum, qui eſt, eſſe ſubſtantiam ſpiritualem; nam hic modus æquè conuenit animæ dum vnita eſt corpori, & dum ab eo ſeparata eſt; ità enim ſemper eſt ſubſtantia ſpiritualis ex ſe, & ſua natura, quemadmodum Deus: ex iſtis autem non poſſunt authores huius opinionis colligere animam magis perfectè videre Deum, dum non eſt vnita corpori, quàm poſtea, corpus enim eſt impertinens ad producendum actum viſionis, aut etiam ad illum impediendum, cùm actus viſionis minimè ſit dependenter à corpore.

2. Ad 2. reſp. Virtutem vnitam fortiorem eſſe ſeipſa diſperſa, ſi ſermo ſit de virtute condenſata, & diuiſa per rarefactionem, aut per aliquem alium modum realem, qui diuidat virtutem iſtam in multas partes: ceterùm ratio iſta nunc temporis nullo modo militat contra noſtram ſententiam, virtus quippe animæ rationalis, nec eſt vna per condenſationem (hoc enim rebus ſolis quantitatiuis conuenit) nec diuidi poteſt per rarefactionem, nec per vllum alium modum, ità vt diuidi queat anima in partes in ſe inuicem realiter diſtinctas, idque quòd ſit ex ſua natura ſpiritualis ſubſtantia: falſum tamen eſt virtutem, quæ eſt vna per contractionem, applicatam pluribus partibus ad hoc vt eas informet, minùs potentem eſſe poſt informationem quàm eſſet anteà; nam anima rationalis non minùs potęs & perfecta eſt quando corporis humani in vtero materno agentis partes informat, quàm dum informat idem corpus vbi debitam quantitatem obtinuit.

In Primam Secundæ D. Thom.

omnium planè pluſquè horũ contenſione. Angelus item, licet exerceat operationem in tranſeuntem circa minus aliquod corp.ⁿ & poſtea circa aliquod aliud maius, non tamen propterea de huiuſmodi Angelo concedimus, quod ſit potentior, dum mouet corpus maius, quam dum mouet minus.

Ad rationes verò authorum 2. ſententiæ, reſpondent quidam. Ad 1. D. Auguſtinũ rem hanc propoſuiſſe, non quidem aſſerendo, ſed dubitando, & inquirendo: ceterùm doctrina hæc meritò reijcitur; verbis enim expreſſis habet Auguſt. cap. illo 15. lib. 12. de Geneſi ad litteram, beatos poſt diem iudicij longè faciliori & maiori modo viſuros eſſe Deum quàm antea. Ioan. verò Salas & alij multi recentiores credunt D. Auguſtinum emendaſſe ſuam de hac re ſententiam, idque propter ea quæ habet lib. 1. Retractationum, cap. 14 Sed neque iſti videntur audiendi, nam ex toto illo cap. nequit colligi ſuam hac de re retractaſſe opinionem: præſtat ergo cum alijs affirmare D. Auguſtinum exiſtimaſſe animas beatas poſt reſurrectionem viſuras eſſe Deum intenſiùs, quàm anteà: huius tamen authoritas non eſt ceteris Patribus anteponenda, neque item rectę rationi, quæ dictat viſionem & amorem in beatis reſpectu eſſentiæ diuinæ reſpondere perfectiſſimè meritis in hac vita factis, & conſequenter nullam pati actus iſtos intenſionem, aut variationem ex vnione animæ cum corpore.

Ad argumenta 2 ſententiæ ſolummodo.

2. Ad 2. Concilium Florentin. voluiſſe tantùm, beatitudinem in ſanctis poſt reſurrectionem futuram eſſe maiorem extenſiuè, non autem intenſiuè.

3. Ad 3. Animas poſt reſurrectionem habituras perfectiorem eſſendi modum, non quidem intenſiuè, ſed extenſiuè propter communicatum hunc eſſendi modum proprijs corporibus; ac proinde maior erit earum beatitudo extenſiuè tantùm, non autem intenſiuè.

Vltima. Ad vltimam: appetitum informandi corpus proprium, qui admittitur in animabus beatorum, non impedire, aut retardare vlla ratione perfectionem actuum viſionis, & amoris eſſentiæ diuinæ; nam actus iſti ſunt ſimpliciter neceſſarij in beatis: eſt enim axioma communiſſimum apud Theologos, voluntatem creatam neceſſitari, quandocumque proponitur illi obiectum bonum, quod complectitur in ſe rationem cuiuſlibet boni: certum autem eſt eſſentiam diuinam continere in ſe, omnem omnino rationem entis, ac proinde omnem planè bonitatem; cùm ergo bonitas iſta innoteſcat animæ cuilibet beatæ ſtatim à principio ſuæ felicitatis, voluntas beati neceſſitabitur ad actum amoris producendum, prout poſtulat ratio & natura ſuę felicitatis Deinde, lumen gloriæ ex ſua natura aufert omne impedimentum videndi Deum, operatúrque neceſſariò quàmprimùm eſt in intellectu creato, ac proinde tantum quantum poteſt.

A

ARTICVLVS SEXTVS.

An ad beatitudinem requiratur aliqua perfectio corporis.

DVBITATIO PRIMA.

An proprium corpus ſit neceſſarium ad conſummatam beatitudinem.

Totalis beatitudo dependet à corpore.

ONCLVSIO. *Fieri nequit vt aliquis ſit totaliter beatus, niſi fuerit in proprio corpore beatus.* Primùm, quia de fide eſt quoſlibet homines eſſe aliquando reſuſcitandos; dicitur enim in Symbolo Apoſtolorum. *Credo carnis reſurrectionem.* & in Symbolo Athanaſij: *Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis.* & in ſacris litteris nihil frequentiùs inculcatur, vt conſtat ex cap. 15. prioris ad Corinth. & ex cap. 5. poſterioris: at corporis ſuſcitatio non videtur ad aliud neceſſaria, quàm ad hoc vt quilibet beatus ſit completè talis; nam diximus animas ante diem reſurrectionis potiri ſua felicitate.

Symbol. Apoſtol. Symbol. Athanaſ.

B

C

Iob. 19. ℣. 25.

Deinde, Iob. 19. dicitur, *Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.*

Tertiò, beatitudo cuiuſlibet hominis eſt quædam participatio beatitudinis Chriſti, vt colligitur ex cap. 3. ad Philip. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* & Rom. 8. *Conformes fieri imaginis filij ſui:* at certum eſt Chriſtum eſſe beatum nedum ratione animæ, ſed etiam corporis; nam conuenit apud omnes animam Chriſti à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuiſſe æquè beatam, ac iam; poſt ſuam reſurrectionem verò conſequutus eſt gloriam corporis, ex illo Lucæ 24. *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* & ad Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

Philip. 3. ℣. 21. Rom. 8. ℣. 29.

D

Luc. 24. ℣. 26. Phil. 2. ℣. 9.

Quarta, anima vſa eſt inter merendum corpore, tamquam inſtrumento aliquo: ergo merces aliqua nedum deberur animæ, ſed etiam corpori. Ità communiter omnes hoc loco, & in 4. diſtinct. 49.

Obiectio. 1. Cor. 15. ℣. 44.

Dices, corpora beatorum ex Paulo cap. 15. prioris ad Corinth. eſſe ſpiritalia, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.*

E

Solutio.

Reſpondeo, corpora quorumcumque beatorum futura verè ſolida, & eadem planè numero quæ antea, vt manifeſtum ſit ex locis ſupra citatis, vnde quando hæc dicuntur ſpiritalia à Paulo, non eſt ſenſus Apoſtolum credidiſſe futura verè & formaliter ſpiritalia, ſed tantùm habitura qualitates aliquas, quæ eoſdem ferè conſequentur effectus, ac ſi corpora verè eſſent ſpiritalia; conſequentur enim dotes agilitatis, ſubtilitatis, claritatis, & impaſſibilitatis, vt probabitur inferiùs.

DVBITATIO SECVNDA.

An actiones ſenſuum externorum & internorum futuræ ſint in corporibus glorioſis poſt reſurrectionem.

CONCLVSIO affirmatiua: probatúrque primo loco, de Viſu, ex cap. 19. Iob. *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pel. Videbunt le mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus beati corpſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non valuer. alius.*

Iob. 19. 25. 26. & 27.

Deinde, Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem verè viſus eſt ab alijs, & ipſe quoque vidit alios, Actuum 1. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*, locus autem hic intelligitur de Chriſto ſuſcitato à mortuis. & Marc. 16. *Et Dominus quidem Ieſus poſtquam loquutus eſt eis aſſumptus eſt in cœlum.*

Act. 1. ℣. 3. Marc. 16. ℣. 20.

Tertiò, corpora glorificata ſunt futura diaphana, ſeu, quod idem eſt, tranſparentia, & lucida, vt probabitur inferiùs.

Quartò, ſancti Patres docent beatos medijs oculis glorificatis nedum viſuros externa corporis delineamenta, ſed etiam partes internas & earumdem connexiones: Ità docent D. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 30. Gregor. Magn. lib. 18. Moralium, cap. 17. & Chryſoſt. homil. 5. ad Theodorum.

D. Auguſt. Gregor. Chryſoſt.

Dices, viſum conſurgere non poſſe, niſi obiectum viſibile tranſmiſerit ſpeciem ſui ipſius ad oculum videntis, vt docent Philoſophi in tractatione de anima; at in cœlo ſaltem empyreo, vbi permanſuri ſunt beati poſt reſurrectionem, nullum planè datur medium, quo poſſint beati tranſmittere ſpeciem ſui corporis ad oculos ceterorum beatorum; nullus quippe aër, aut aliud corpus datur, ſed inane tantùm ſeu vacuum. Reſp. Non deeſſe qui putent intentionales ſpecies obiecti ſenſibilis multiplicari poſſe in ſpatijs illis imaginarijs, quemadmodum multiplicantur in medio pleno apud nos. Ceterùm reſponſio hæc meritò reijcitur; quia ſi ità res haberet, ſequeretur accidentia naturaliter exiſtere ſinè ſubiecto; ſpecies enim intentionales ſunt accidentia quædam, & tamen non eſſent in aliquo ſubiecto. Deinde, ſequeretur ſpecies iſtas intentionales creari; non enim aſſignari poteſt ex quo producantur; hęc autem omnia non poſſunt cum recta ratione cohærere. Dico igitur, quodlibet corpus glorioſum poſſe producere ſpeciem ſui ipſius, in oculo alterius beati, nihil operando in toto illo ſpatio quod interijcitur inter iſta corpora glorificata, idque vel per virtutem aliquam ſibi connaturalem, vel diuina omnipotentia Neque hoc mirum, fatentur enim plerique Scholaſtici Angelos poſſe intrà alios Angelos immittere ſpecies ſuorum conceptuum, & ità illis ſuas manifeſtare cogitationes: quid igitur mirum ſi illud idem dicamus de corporibus glorioſis? cùm corpora iſta dicantur eſſe ſpiritalia à Paulo cap. 15. prioris ad Corinthios.

De Auditu verò probatur: Primùm, quia certum eſt Chriſtum poſt ſuam reſurrectionem, & auditum fuiſſe ab Apoſtolis, & eumdem item audiuiſſe loquelam illorum, Ioann. 20. *Stetit in medio Diſcipulorum, & dixit eis, Pax vobis.* & rurſus ità alloquitur Thomam: *Mitte manum tuam in latus*

Audient beati. Ioan. 20. ℣. 20.

Digitized by Google

latus meum & vide loca clauorum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.

Pſal. 148. ŷ. 5. Deinde, de beatis glorificatis dicitur, Pſal 149. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, exultationes Dei in gutture eorum:* ità locum hunc interpretantur Arnobius, Auguſtinus, Baſilius, Theodoretus, & alij, & Iob. cap. 8. *Donec impleatur os tuum riſu, & labia tua iubilo.* Locus namque hic in hunc ſenſum adducitur à Gregorio Magno lib. 8. Moral. cap. 31. & Rom. 8. *In quo clamamus Abba Pater:* qui locus explicatur de locutione ſanctorum in corporibus beatis ab Irenæo lib. 5. contra hæreſes, & ab Auguſt.

Iob. 8. v. 21.

Rom. 8. ŷ. 16.

Dices, aërem eſſe ſimpliciter neceſſarium ad vocis formationem, extra autem vltimam ſphæram, nullus eſt aër, ac proinde neque in cœlo empyreo. Reſpondeo, aërem externum nullum dari in corporibus glorificatis, pro eo tempore quo erunt in cœlo empyreo; dabitur tamen in illis aliquis aër internus locatus in pulmonibus, arterijs, & alijs partibus internis pectoris, quo medio poterunt formare ſuas loquutiones.

Inſtabis, loqûutionem non poſſe conſurgere, niſi tranſmittus fuerit aër ab vna parte, ad aliam, in qua repercutiatur. Reſpondeo, hoc eſſe verum; aërem tamen quem diximus reſidere in pulmone corporis glorioſi tranſmitti poſſe per alteram arteriam ad palatum, os, labia, & dentes, & ex iſtis partibus repercuti quantum ſatis eſt, ad vocis formationem, idque ex pleno dominio quod habet anima beata in proprium corpus, & in ea omnia, quæ ſunt proprij corporis.

Vrgebis, iſta non ſufficere ad auditionem reſpectu alterius: nam vox debet neceſſariò deferri ad audientem, quod tamen qua ratione fiat non fuit hactenus explicatum. Reſpondeo, vocem tranſmitti non quidem per medium ad audientem, ſed formari ſpeciem vocis intrà auditum audientis, ab eo qui loquitur, illo eodem modo quo diximus antea de ſpecie viſus; habent enim corpora glorioſa hanc vim, vt poſſint producere ſpecies intentionales, etiam in illis locis, in quibus non ſunt, dummodo tamen ſeruetur debita proportio: quod dico, quia cùm quodlibet corpus glorioſum ſit finitum, vendicat ſibi certam ſphæram actiuitatis, extra quam operari nequit; vnde non eſt concedendum de illo, quòd poſſit vel videri, vel audiri ab alio conſtituto in quacumque diſtantia, ſed tantùm vbi ſeruatur debita proportio. Secus tamen dicendum eſt de humanitate Chriſti; hæc enim propter vnionis hypoſtaticę dignitatem, poteſt efficere vt vbique locorum eius vox intelligatur, & poteſt etiam quamcumque audire, nõ enim emendicat ſpecies ab obiectis viſis vel auditis neceſſariò, ſed producit iſtas ſpecies per ſeipſam.

Aduerte, concedendum eſſe de aëre futuro in corporibus glorioſis, quòd ſit incorruptibilis, quòd poſſit tamen rarefieri, & condenſari, idque ad nutum & arbitrium cuiuſlibet beati, intrà tamen limites corporis glorioſi, quod numquam aër iſte tranſiliet.

D Auguſt. *Olfacient SS. in cœlo.* De Olfactu verò probatur ex doctrina D. Auguſtini lib. de ſpiritu & anima, cap. 58. *Guſtate ergo,* inquit, *& videte quoniam ſuauis eſt Dominus, ſuauis eſt ad videndum, ſuauis ad guſtandum: nec dici poteſt quantam habeat in guſtu voluptatem, quantam in ſapore iucunditatem, & quantam in odo-*

A *re ſuauitatem:* Et ex Anſelmo lib. de ſimilitudinib. cap. 57. *In illa futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & inæſtimabili dulcedine ſui totos eos inenarrabili exundãtia ſatiabit. Quid dixi totos? Oculi, aures, nares, os, manus, pedes, guttur, cor, iecur, pulmo, oſſa, medulla, exta etiam ipſa, & cuncta ſingillatim ſingulaque membra eorum, in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis ſenſu replebuntur, vt vere totus homo de torrente voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur.* Et ex Proſpero de vita contemplatiua lib. 1. cap. 4. Deinde, operatio iſtius ſenſus conſurgere poteſt ſinè alteratione materiali corporis ſentientis. Tertiò, non eſt abſurdum in corporibus glorioſis fateri qualitates B aliquas odoriferas extare, quæ proinde poterunt intentionaliter afficere ſenſum olfactus. Denique, ſunt qui concedant Chriſtum poſt ſuam reſurrectionem operationes olfactus exercuiſſe circa iſta odorabilia, idque quòd retinerent proportionem & conuenientiam cum olfactu eiuſdem: Ità Suarez diſput. 47. tom. 2. ad 3. part. S. Thomę ſect. 6. qui addit Chriſtum non ſumpſiſſe ſpecies intentionales ab obiectis, ſed formaſſe per ſeipſum, & præterea ſenſum olfactus exercuiſſe in Chriſto ſuas operationes circa delectabilia, non autem circa fœtida & putida.

Anſelm.

Proſper.

De Tactu verò res eſt indubitata: dicitur enim *Tangent* de corpore Chriſti, Lucæ 24. *Palpate & videte etiam verè* C *quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis* Luc. 24. *habere*, & Ioan. 20. dicit Chriſtus Thomæ, *Affer manum tuam, & mitte in latus meum:* ergo cum corpora glorioſa futura ſint ſimilia corpori Chriſti, ex cap. 3. ad Philippenſes, poterunt hæc tam verè tangi, & tangere, quàm contactum fuerit corpus Chriſti. Deinde, corpora damnatorum poſt iudicium experientur vim agẽdi ignis, & quidem medio tactu phyſico, vt fatentur communiter Doctores, & videtur colligi ex cap. 16. Lucæ, *Crucior in hac flamma:* ergo.

ŷ. 39. loann. 20. ŷ. 27.

Luc. 16. ŷ. 41.

De Guſtu denique comprobatur ex capite 24. *Beati guſtabunt.* Lucæ dubitãtibus quippe Apoſtolis de Chriſti re- D ſurrectione, ait ipſemet Chriſtus, *Habetis hîc aliquid quod manducetur?* & ſubiungitur ibidem: *At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis, & cũ manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis:* ergo in corporibus glorioſis erit guſtus operatio. Deinde, nihil repugnat quominùs fateamur ineſſe organo guſtus in corpore beatorum, ſapidum aliquem liquorem, qui afficiat intentionaliter ſenſum guſtus eorumdem, vt obſeruant plerique Interpretes D. Thom. hoc loco, & in quæſt. de reſurrectione Chriſti 3. parte.

Luc. 24. ŷ. 41. & 42.

Dices, operationes olfactus, guſtus, & tactus non pertinere ad perfectionem corporis naturalis, ſed potiùs ad conſeruationem tantùm eiuſdem. *Obiectio.*

Reſp. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam; licèt enim operationes iſtæ non ſint de integritate naturę animalis, ſenſus tamen verè pertinent ad integritatem eiuſdẽ, & poſſunt ſuos producere effectus, ſinè vlla alteratione materiali, ſeu quod idẽ eſt, corruptione corporis ſentientis. Quare quid verat quominꝰ fateamur operationes iſtas futuras eſſe in corporibus glorioſis? Addo, beatos non expetere huiuſmodi operationes per ſe, ſeu propter ſemetipſas, ſed propter Deum, ità vt referantur in laudẽ & gloriam Dei ab omnibus & ſingulis beatis, quotieſcumque contigerit eas habere, quod dico, quia hę non erunt neceſſariæ, ſed liberę *Solutio.*

Digitized by Google

in illis. Licèt autem delectationes iſtæ in beatis admittantur, numquam tamen concedendę ſunt in iiſdem operationes iſtæ, quare neque delectationes quæ verſantur circa actus generationis, aut commixtionis corruptibilis, vt euidenter probatur ex cap. 22. Matthæi, *Erratis neſcientes Scripturas*, ait Chriſtus ad Saduceos, *in reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Idem dicitur Lucæ cap. 20. Matth. 22 ỳ 29. & 30.

Deinde actiones illæ quæ coniunctæ ſunt cum alteratione, & corruptione naturali, ſunt incompatibiles cum corporibus glorioſis; hæc ſiquidem ſunt ſimpliciter incorruptibilia; at generationes naturales & item commixtiones coniunctæ ſunt cum corruptione & alteratione, vt per ſe patet. B

Ex iſtis colliges, futuras eſſe in corporibus glorificatis actiones ſenſuum internorum; ſunt enim iſtæ magis ſpirituales quàm ſint actiones ſenſuum externorum, vt eſt notiſſimum apud omnes. Vide plura de iſtis apud interpretes D. Thomæ, & apud ipſum in 4. diſt. 44.

DVBITATIO TERTIA.

An dentur aliquæ dotes, vel potius perfectiones, in corporibus glorioſis.

Quatuor dotes in corporibus beatorum.

CONCLVSIO. *In corporibus glorioſis futura* C *ſunt quatuor perfectiones, quas nonnulli appellant dotes, impaſſibilitatis ſcilicet, ſubtilitatis, agilitatis & claritatis.* Ità docent Sententiarij in 4. diſt. 43. 44. & 45. & plerique, alij hoc loco: colligitur autem hic numerus ex cap. 15. prioris ad Corinth. *Seminatur* (corpus ſcilicet) *in corruptione, ſurget in incorruptione*, id eſt, in impaſſibilitate, *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*, id eſt in claritate, *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute*, id eſt, in ſubtilitate, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*, id eſt, in agilitate. Colligunt alij numerum iſtũ ex quatuor virtutibus Cardinalib⁹; alij verò ex quatuor perfectionib⁹ virgæ Aarenis quę germinauit, fronduit, floruit, & fructificauit: ceterùm de iſtis legendus eſt D. Thom. lib. 4. contra Gentes, cap. 86. Ægid. de Præſent. in lib. de beatitud. corporis glorificati. 1. Cor. 15. ỳ. 42. ỳ. 43. ỳ. 44. D. Thom.

Impaſſibilitas qua ratione in beatis.

De impaſſibilitate autem hæc ſunt obſeruanda, futuram ſcilicet eſſe in corporibus glorioſis, ad modum alicuius qualitatis permanentis; nam de illis aſſerendum eſt, quòd ſint formaliter, & intrinſecè impaſſibilia, vt ex locis citatis Corinth. colligitur: at hæc dici non poſſunt, niſi ſit qualitas aliqua quę verè inſit corporibus iſtis; nam aliter ſola denominatione extrinſeca eſſent impaſſibilia.

Deinde, per hanc qualitatem corpora iſta à E nullo planè lædi poterunt, ſaltem quod ſit ordinis naturalis, aut etiam ſpiritalis finitum; nam poſſe corpora iſta à Deo deſtrui indubitatum eſt, ex eo quòd Deꝰ ſit liber in ſuis actionib⁹ ad extra: quare in eius poteſtate eſt cõſeruare, ac etiam deſtruere quęlibet creata: at hęc dici non poſſunt niſi detur aliqua perfectio coniuncta formaliter & intrinſecè corporibus iſtis, per quam habeant vim reſiſtendi cuilibet agenti externo.

Obſeruandum eſt 2. Impaſſibilitatem iſtam deſumendam eſſe à Deo veluti à ſua principali cauſa vniuerſali; à gloria verò animæ, veluti à cauſa principali particulari, vt author eſt D. Auguſt. in epiſt. ad Dioſcorum 56. vt docent communiter Sententiarij, locis citatis.

Subtilitas beatorum.

De ſubtilitate verò hoc vnum occurrit annotandum, concedendam eſſe iſtam in omnibus corporibus glorioſis, vt videre eſt ex loco citato prioris ad Cor. *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.*

Deinde, ità docent Patres: Orig. hom. 9 in Num. D. Aug. Hieron. Anſelm. & ceteri ad hunc locum.

Philip. 3. ỳ. 21.

Tertiò, corpora glorificata ſunt futura ſimilia corpori Chriſti, ad Philip. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*: at certum eſt corpus Chriſti poſt ſuam reſurrectionem, ità fuiſſe tenue & ſubtile, vt exierit extra ſepulchrum, lapide immoto: apparuerit etiam Apoſtolis ianuis clauſis. *Ioan. 20.* & denique penetrauerit cœlos in ſuæ Aſcenſionis die, *Epheſ. 4.* ſinè vlla planè ſolutione, vel propriè entitatis, vel etiam cœlorum: proprietas tamen iſta, non eſt cenſenda qualitas permanens, ſed tranſiens; nam poſita eſt in aſſiſtentia quadam diuina, quo fit vt quotieſcumque neceſſe erit corpus glorioſum penetrare quęlibet corpora, aderit Deus ità corporibus glorioſis, vt de facto poſſint hæc permeare, & ſe conſtituere extra quælibet corpora, quantumuis ſolida: Ità docet Peſant. diſp. 5. ad hunc art. Richardus, & nonnulli alij.

Sanctorum agilitas.

De agilitate verò aduertendum eſt: primò quòd hæc concedenda ſit ſimiliter cuilibet corpori glorioſo, ex loco proximè citato prioris ad Corinth. Deinde, ex cap. 3. Sapientiæ. *Fulgebunt iuſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Iſaiæ 40. *Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*, teſtimonium quippe hoc explicatur à D. Auguſtin. & Hieronym. de agilitate ſeu de facilitate agendi, & ab Anſelmo in lib. de ſimilitudinibus. Sap. 3. v. 7. Iſai. 40. ỳ. 31.

2. Notabile.

Aduertendum eſt 2. Motum in corporibus glorioſis, futurum dependenter ab eorum agilitate continuum, progreſſiuum, ſaltem interdum, non tamen æquè velocem in omnibus: ratio prioris eſt, quia motus qui debetur corporibus phyſicis, & naturalibus eſt continuus, corpora autem glorioſa futura ſunt vera, & naturalia corpora, ſecundum ſuam ſubſtantiam: ratio verò ſecundæ partis eſt: motus progreſſiuus cenſetur eſſe is, qui fit à termino à quo, ad terminum ad quem per lineam rectam, vna parte mota, & altera quieſcente; at certum eſt corpus Chriſti poſt ſuam reſurrectionem hac ratione fuiſſe motum ex cap. 24 Lucæ: dicitur enim illic quòd Chriſtus iter fecerit vnà cùm Cleopha, & alio diſcipulo ad locum vſque Emaüs in forma peregrini. D

Tertia denique pars probatur, ex eo quod dotes corporis glorificati habeant ortum à beatitudine eſſentiali animæ ex D. Auguſt. in epiſt. cit. ergo cũ beatitudo ſit inæqualis in animabus ſanctorum, motus qui fiet à corporibus glorioſis non erit æquè velox in vno atque alio, cùm vis agilitatis deſumenda ſit à beatitudine iſta inæquali.

3. Notabile.

Aduerte 3. Agilitatem iſtam non eſſe futuram qualitatem permanentem: ità docent Peſantius & alij nonnulli ad hunc locum D. Thomæ; fatentur tamen ijdem agilitatem huiuſmodi præſupponere in corporibus glorioſis virtutem aliquam permanentem, quam tamen non explicant quęnam ſit. Confirmant ex D. Auguſt. lib. 21. de Ciuit. & Proſpero lib. de vita contemplatiua, cap. 11. & Anſel. lib. de ſimilitudinibus, cap. 51.

Agi-

Digitized by Google

Agilitas ergo tota conſurget in corporibus glo-
riosis ex ſpecial. illa affectione, qua Deus vult
concurrere, cum eo pore glorioſo, ad cuiuſ-
libet alterius corporis penetrationem, & ex ple-
nitudine dominij, quod habit quilibet beatus in
proprium corpus, & ex ſpiritibus motiuis, qui
futuri ſunt multo fortiores in corporibus glo-
rioſis, quàm ſint in noſtris, & denique ex remo-
tione impedimentorum. Ita plerique recentiores
hoc loco.

Claritas corporum glorioſorũ. Philip. 3. ℣. 21. Matth. 13. Supra ℣. 7. Danie. 12. ℣. 3.

De claritate verò fatendum eſt quòd ſit futura in corporibus glorioſis: dicitur enim ad Phil. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* & Matth. 13. *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris mei.* & Sapien. 3. *Et tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* & Daniel. 12. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Deinde ſunt qui dicant corpora ſanctorum futura magis lucida poſt reſurrectionem, quàm ſit Sol: quod tamen moneo non intelligendum eſſe ſimpliciter (non enim videtur fieri poſſe, vt corpus glorioſum poſitum in illa eadem parte cœli in qua exiſtit ſol, totum hoc hemiſphærium illuſtret ſicut Sol; diximus enim, quodlibet corpus glorioſum vendicare ſibi certam ſphæram actiuitatis extra quam operari nequit) doctrina ergo iſta intelligenda eſt comparatiuè, ità vt velint iſti Doctores, corpus glorioſum, comparatum cum parte aliqua ſolis æquali ſibi, magis eſſe lucidum quàm ſit pars iſta ſolis ſeorſim ſumpta.

Tertiò, de corpore Chriſti dicitur Matth. 17. quod facies eius in transfiguratione reſplenduerit ſicut ſol: certum autem eſt corpora ſanctorum habitura illas eaſdem qualitates quas habuit corpus Chriſti poſt ſuam reſurrectionem.

Aduerte 1. De claritate iſta non eſſe concedendum quod ſit eiuſdem rationis cum ea quæ producitur à ſole: nam lux ſolis eſt ordinis naturalis, & recipitur in corpore diaphano & tranſparente; lux autem corporis glorioſi erit ordinis ſupernaturalis, & recipietur in corpore ſolido tamquam in proprio ſubiecto. Deinde, lux ſolis maximè intenſa lædit viſum, claritas verò corporis glorificati eumdem mirum in modum recreabit, vt colligunt Doctores ex cap. 17. Matth. viſa quippe claritate faciei Chriſti, non potuit D. Petrus continere ſe, quin dixerit: *Bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula.* Mat. 17. ℣. 4.

Denique, aduertendum corpora glorificata ità futura eſse diaphana, vt tamen ſimul ſint verè ſolida; nam conſtabunt hæc ex oſſibus, neruis, muſculis, arterijs, & ijs omnibus ex quibus conſurgit naturale corpus humanum, exceptis tamen excrementis: hæc autem omnia ſunt verè ſolida.

Deinde, poterunt hæc corpora ſe occultare, & manifeſtare ad nutum; vt conſtat de corpore Chriſti, *Lucæ 24.* dicitur enim de eo, quòd euanuerit ab oculis eorum.

Sunt qui hoc loco diſputent de reſurrectione, & de ijs quæ ad eam conſequuntur. Cæterùm quia res hæc nimis prolixa eſt, & cognitis illis quæ pertinent ad tractationem de creatione poſſunt nullo negotio intelligi, ideò à nobis prætermittuntur: legendi autem ſunt de hac re Ioann. Salas diſputat. 14. tractat. 2. & Ægidius de Præſentatione in lib. de reſurrectione, ſeu, quod idem eſt, de beatitudine corporis.

ARTICVLO 7. Quærit D. Thomas an ad beatitudinem requirantur aliqua externa bona.

ARTICVLO verò VLTIMO. An requiratur ſocietas amicorum. Reſpondet ad vtrumque negatiuè.

QVÆSTIO V.

De Adeptione beatitudinis.

ARTICVLO 1. Docet nos poſſe conſequi beatitudinem: ſunt autem qui quærant, an detur in nobis appetitus aliquis innatus aut elicitus videndi Deum, ceterùm res hæc fuit à nobis explicata, quæſt. 12. 1. part. D. Thomæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An vnus ſit, vel eſſe poſſit alio beatior.

Eadem obiectiua beatitudo in omnibus.

DIFFICVLTAS iſta, de beatitudine eſſentiali eſt intelligenda, non autem de obiectiua; hanc enim eſſe eamdem in omnibus, colligitur ex eo euidenter quòd ſolus Deus ſit beatitudo iſta obiectiua, ex illo Gen. 15. *Ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis.* & Ioann. 17. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum verum Deũ, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* & denique ex c. 20. Matth. denarius quippe qui datur agricolis aduentante veſpera beatitudinem iſtam obiectiuam deſignat ex communi Doctorum interpretatione. Quærit ergo hoc loco D. Thomas, an beatitudo formalis, ſeu, ſubiectiua futura ſit æqualis in omnibus, an verò inæqualis, de qua re ſit Gen. 15. ℣. 2. Ioan. 17. ℣. 3.

Formalis beatitudo inæqualis.

CONCLVSIO 1. *Beatitudo formalis non eſt in omnibus beatis æqualis:* hæc eſt de fide, definita verbis expreſſis in Conc. Florent. ſub Eugenio IV. ſeſſ. vltima, in decreto vnionis.

Deinde, Ioan. cap. 14. dicitur: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt:* qui locus eſt intelligendus de inæqualitate beatitudinis, non verò de inæqualitate ordinum qui dantur in Eccleſia militante, aut etiam, ex hypotheſi, triumphante; quemadmodum voluit Iouinianus, vt refert Hieron. loco ſupra citato, dicitur namque apud Ioan. ibidem. *Vade vobis parare locum,* quæ Chriſti authoritas manifeſtè loquitur de vita æterna, 1. Cor. 15. *Differt ſtella ab ſtella in claritate, ita & reſurrectio mortuorum.* & ex cap. 5. Mat. *Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum:* ex quibus ità ratiocinamur: ſtellæ non ſunt æquales inter ſe in lumine; alij item dicuntur minimi, alij vero magni in cœlis: ergo cum iſta arguant inæqualitatem, admittenda eſt hæc in beatis. Ioan. 14. ℣. 2. 1 Cor. 15. ℣. 41. Matth. 5. ℣. 19. & 20.

Confirmatur ex illo Luc. 7. *Maior inter natos*

Digitized by Google

mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt: qui autem minor eſt in regno Dei, maior eſt illo, ſcilicet Ioanne, & ex cap. 19. Matth. *Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* & 13. eiuſdem: *Aliud autem cecidit in terram bonam: & edit fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum:* at nomine ſeminis de quo ibi loquitur Chriſtus, ſignificatur beatitudo æterna, ex multorum Patrum interpretatione: ergo inæqualis erit.

Mat. 19. ỳ. 28.

Idem 13. ỳ. 8.

D. Auguſt. Denique, ità docent Patres: D. Auguſt. lib. de ſancta virginitate, cap. 26. *In ipſa*, inquit, *vita æterna diſtinctè fulgebunt lumina meritorum; quia multæ ſunt manſiones apud Patrem, in denario quidem non impari, non vnuet alius alio prolixiùs, in multis autem manſionibus honoratur alius alio clariùs* Tertullianus lib. de monogamia, cap. 10. *Ergo qui cum Deo erimus, ſimul erimus, dum omnes apud Deũ vnum (licèt merces varia, licèt multæ manſiones penes Patrem eumdem) vno denario eiuſdem mercedis operati, id eſt, vitæ æternæ: in qua magis, non ſeparabit quos coniunxit Deus, quàm in iſta minore vita ſeparari vetat.* Cyprian. de diſciplina & habitu virginis prope finem. Nazianz. orat. 1. de Theologia, & Gregor. lib. 4. dialogorum cap. 25.

Tertul. Cyprian. Nazianz. Gregor.

Ratio idipſum ſuadet: pœnæ ſiquidem damnatorum, ſunt inæquales. Matth 11. *Tyro & Sidoni remiſſiùs erit in die iudicij, quàm vobis:* ergo idem eſt dicendum de beatitudine æterna; nam ſicut pœna inferni correſpondet demeritis in hac vita factis, ità collatio beatitudinis æternæ reſpicit merita, facta in hac eadem vita, ex cap. 5. poſt. ad Corint. & ex cap. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* & ex 14. Apocal. *Opera enim illorum ſequuntur illos.*

Matth. 11. ỳ. 22. 2. Cor. 9. ỳ. 6. Apoc. 14. ỳ. 11.

Quorundã beatorum æqualis beatitudo.

Vt autem hæc res pleniùs intelligatur, aduerte non eſſe de omnibus beatis concedendum, quòd eorum felicitas ſit inæqualis; nam certum eſt pueros omnes, qui moriuntur ſtatim à baptiſmo, eſſe perfectiſſimè æquales in beatitudine ſua; petitur enim à dignitate baptiſmi collati, cuius tota efficacitas deſumitur à dignitate meritorum Chriſti, quæ applicatio cùm ſit in omnibus æqualis, æqualem quoque in omnibus effectum producit. Deinde, D. Auguſt. contra aduerſarios legis, cap. 5. & Hieron. ad cap. 11. Matth. fatentur extare pleroſque in cœlis, qui potuerunt adæquare beatitudinem D. Ioann. Baptiſtæ.

2. *Notabile.* Aduerte 2. Concluſionem noſtram intelligendam eſſe de beatitudine eſſentiali, non verò de accidentali; de hac enim conuenit inter omnes quòd ſit inæqualis.

3. Aduerte 3. Inæqualitatem iſtam poſitam eſſe in eo, quòd aliqui ex beatis plura, aliqui verò pauciora, per illam eamdem numero viſionem, qua videtur eſſentia diuina cognoſcant, & intelligant, ità vt eſſentia diuina magis ab vno, minùs verò, ab alio beato conſpiciatur.

Dices, omnia & ſingula attributa quę ſunt in Deo videri à beatis formaliter. Reſp. hoc eſſe verum de attributis neceſſarijs, & liberis, ſpectatis ſecundum entitatem, quam dicunt intrà diuinam eſſentiam, minimè verò ſecundum proprias rationes, quibus ab inuicem diſtinguuntur: quare poterunt hæc attributa libera, magis ab vno, quàm ab alio beato intelligi, & item plura ab vno, pauciora verò ab alio.

4. Aduerte vltimò, inæqualitatem beatitudinis eſſentialis deſumendam eſſe proximè ab inæqualitate luminis gloriæ, & quidem veluti à cauſa phyſica, remotè verò à meritis in hac vita factis, ſed velut à cauſa morali. Deinde, lumen gloriæ concurrit effectiuè vnà cum intellectu, ad producendam viſionem, quam diximus eſſe beatitudinem eſſentialem, & quidem per veram efficientiam, ſicut facit intellectus, qui ex hypotheſi videt Deum: ergo lumen gloriæ tam verè erit cauſa phyſica beatitudinis eſſentialis, quàm ſit intellectus. Idem dicendum eſt de charitate, & voluntate reſpectu amoris, quem diximus pertinere ad beatitudinem eſſentialem.

Nullus hic poteſt eſſe beatus.

ARTICVLO 3. Docet neminem in hac vita conſtitutum poſſe eſſe beatum: de qua re nulla poteſt eſſe Dubitatio, cum doctrina iſta D. Th. ſit de lege communi intelligenda; de potentia tamen Dei abſoluta certum eſt hominem in hac vita poſſe eſſe beatum, nam hoc fatentur omnes de anima Chriſti: imò non deſunt qui dicant D. Virginem vidiſſe eſſentiam diuinam clarè & vt in ſe eſt pro toto illo tempore, quo Chriſtum in vtero portauit. Idem fatetur D. Thom. de Moyſe & Paulo, quæſt. 165. in 2. 2. Sunt qui hoc idem putent habuiſſe locum in Adamo, quando miſit Deus ſoporem in eum exiſtentem in paradiſo terreſtri. Fauet iſtis D. Auguſt. de Geneſ. ad litter. lib. 9. cap. vltimo, Bern. ſerm. 2. Septuageſimæ, & D. Thom. 1. part. quæſt. 94 art 1. eamdem gratiam contigiſſe D. Auguſtino colligunt aliqui ex verbis eiuſdem lib. 9. Confeſſ. cap. 10. vbi ſic loquitur: *Colloquebamur ergo ſoli valde dulciter & præterita obliuiſcentes, in ea quæ ante ſunt extenti, quærebamus inter nos apud præſentem veritatem, quod tu es, qualis futura eſſet vita æterna ſanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*, &c. Et adhuc: *Aſcendebamus interiùs cogitando, & loquendo de te, & mirando opera tua, & venimus in mentes noſtras, & tranſcendimus eas, vt attingeremus regionem vbertatis indefectibilis vbi paſcis Iſraël in æternum veritatis pabulo, & vbi vita ſapientia eſt.* & paucis interiectis: *Et rapida cogitatione attigimus æternam ſapientiam ſuper omnia manentem, ſi continuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones imparis generis, & hac vna rapiat & abſorbeat, & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpirauimus, nónne hoc eſt, intra in gaudium Domini tui?* & item Hieronymo, ex regula monachorum cap. 26. liber tamen hic non eſt Hieronymi, ex cenſura Doctorum Louanienſium: & D. Benedicto, vt colligunt aliqui ex lib. 2. dialog. Gregorii cap. 35. licèt id neget D. Thomas 2. 2. quæſt 180. artic. 5. ad 3. & denique D. Ioanni Euangeliſtæ, vt videtur inferri ex Ambroſio ad hæc verba Lucæ 15. *Cecidit ſuper collum eius.* & ex Origen. homil. 2. in Numeros.

D. Auguſt. authoritas.

Moneo tamen communiter ad hæc omnia reſponderi ſanctos iſtos, excepto Chriſto & D. Virgine, non vidiſſe diuinam eſſentiam prout in ſe eſt, poſitos in hac vita mortali, ſed ſuſtinuiſſe ecſtaſes aliquas in quibus nobiliorẽ & digniorem aliquam cognitionem aſſecuti ſunt de Deo, quàm dari communiter conſueuerit in alijs hominibus, qui huiuſmodi ecſtaſes non patiuntur.

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

An beatitudo habita amitti possit.

EXPLICANDA est hoc loco Dubitatio ista: *An perpetuitas, incorruptibilitas, & immutabilitas sint coniunctæ cum beatitudine essentiali.*

De qua re docuit antiquitus Origenes beatitudinem posse amitti, etiam postquam fuerit obtenta & iterum posse recuperari: Idem docuit de pœnis æternis.

Obtenta beatitudo semel amitti non potest.

CONCLVSIO 1. *Beatitudo semel obtenta amitti non potest:* dicitur enim Psal. 83. *Qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

Psal. 83.

Deinde, hoc idem docent Patres. D. Augustinus 13. de Trinit. cap. 8. & lib. 12. Confess. cap. 16. & communiter alij Patres ad cap. 25. Matth.

D. Augustinus.

Accedit ratio: omne æternum datum alicui sub ea ratione qua æternum est, nequit ab eo deficere; at vita æterna datur, sub ea ratione qua æterna est, ex locis citatis Scripturæ.

Denique, lumen gloriæ, merita, & charitas post mortem non intenduntur, nec remittuntur in aliquo, nec desinunt esse: ergo neque beatitudo essentialis, hæc enim producitur ab istis vnà cum intellectu & voluntate.

Dices, beatos aliqua intelligere & velle de nouo. Respond. ex istis nihil posse colligi; cognoscunt enim hæc, & volunt per actus omnino distinctos ab actibus visionis, & amoris essentiæ diuinæ, & quidem extra diuinam essentiam, per speciales reuelationes sibi à Deo factas.

Beatitudo essentialis corruptibilis in ordine ad omnipotentiam Dei.

CONCLVSIO 2. *De beatitudine essentiali concedendum est quòd sit incorruptibilis ex sua natura, & corruptibilis ex omnipotentia Dei.* Primùm, quia animæ rationales, & Angeli ideò dicuntur ab intrinseco incorruptibiles, quòd careant principio intrinseco suiipsius destructiuo; & item quòd nullum detur principium creatum à quo destrui possint: at beatitudo essentialis caret principio destructiuo suiipsius intrinseco, & præterea extrinseco creato; beatitudo namque posita est in actibus visionis & amoris essentiæ diuinæ, qui sunt simpliciter necessarij. Quòd autem beatitudo ista possit à Deo destrui, patet ex eo quòd Deus sit quàm maximè liber in suis operationibus ad extra; ac proinde in eius potestate est quamlibet rem creatam, vel conseruare, vel destruere: ergo beatitudo poterit ab extrinseco destrui.

Perpetuitas quid essentiale beatitudini.

CONCLVSIO 3. *De ratione beatitudinis est perpetuitas.* Primùm, quia ità docent Scotus in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 4. Caietanus, Conradus, & ceteri Thomistæ hoc loco, & Ægid. de Præsent. locis supra citatis.

Deinde, fieri nequit, vt aliquid rationem beatitudinis consequatur, nisi secum trahat omne omnino bonum, & reijciat quodlibet malum: at secluſa perpetuitate hæc dici non possunt de visione, & amore diuinæ essentiæ, quæ datur in beatis; nam hac secluſa, consequitur tristitia ob timorem amittendi beatitudinem, qui necessariò datur in istis; nisi certò, & indubitanter constet de beatitudine eorum, quòd sit perpetua: hæc est expressa doctrina D. Augustini lib. 13. de Trinitate.

Obiectio 1.

Dices, Christum fuisse beatum tempore suæ passionis, & nihilominùs expertum fuisse acerbissimos dolores.

Solutio.

Resp. hoc esse verum, ceterùm id factitatum fuisse diuina dispensatione, vt locum daret generis humani redemptioni: beatitudo tamen, quæ erat in eo, sufficiebat ad expellendos omnes illos dolores, nisi aliter fuisset à Deo ordinatũ. Ex quibus colligo Moysem, Paulum, & alios nonnullos, qui viderunt Deum in hac vita mortali, ex multorum opinione, non propterea extitisse beatos; visio enim Dei non fuit coniuncta in istis cum perpetuitate, quæ tamen desideratur ad beatitatem.

Obiectio 2.

Dices, visionem vnius horæ esse eiusdem speciei cum visione æterna, saltem si fuerint circa vnum, & idem obiectum.

Solutio.

Respond. concesso isto antecedente, negando consecutionem: aliud quippe est visionem essentiæ diuinæ pertinere, ad certam aliquam speciem, vt sic, & aliud visionem esse beatitudinem: Primum conuenit prædictis visionibus, idque, quoniam vnitas cuiuslibet actus petitur ab obiecto, vel à modo tendendi in illud, visiones autem istæ versantur circa Deum prout in se est, & quidem medio lumine gloriæ: ergo erunt istæ duæ, æterna scilicet, & temporalis, eiusdem speciei; minimè verò duæ istæ visiones consequuntur rationem felicitatis, idque quòd perpetuitas, non sit coniuncta cum visione Dei temporali, sed tantùm cum æterna.

Aduerte, securitatem de non intermittenda beatitudine, aut etiam amittenda non esse aliquid diuersum à delectatione realiter, quæ datur in beatis de Deo viso, & amato prout in se est, sed esse vnum & idem planè realiter cum actibus visionis & amoris.

ARTICVLO 5. docet homines per sua naturalia tantùm non posse consequi beatitudinem.

ARTICVLO 6. verò, beatitudinem non posse obtineri ab homine per actionem alicuius alterius superioris creaturæ.

ARTICVLO 7. tradit in adultis opera bona esse antecedenter necessaria ad felicitatem obtinendam.

ARTICVLO VLTIMO denique, dicit dari appetitum in vnoquoque ad beatitudinem in communi sumptam; minimè ad beatitudinem æternam, quam diximus esse positam in actibus visionis & amoris Dei, prout in se est.

QVÆSTIO VI.

De voluntario, & inuoluntario.

PERACTA disputatione de beatitudine transit D. Thomas ad explicationẽ de Actibus humanis, idque meritò; sunt enim ij media quædam per quæ consequimur beatitudinem æternam. Aggreditur autem suam de hac re disputationem, à voluntario, quòd hoc sit vna ex communissimis circumstantijs actuum humanorum; actus tamen humanus dari non potest, quin

Digitized by Google

etiam ſit aliqua ratione voluntarius: reperitur quippe in omni actu humano meritum aut demeritum; hæc autem duo locum habere non poſſunt ſecluſa voluntate. Diſputant autem de hoc voluntario Philoſophi cum Ariſtot. lib. 1. Ethicorum cap. 1. & 2. & lib. 3. magnorum Moralium à cap. 1. ad 15. uſque. Patres verò, Damaſc. lib. 2. de fide, cap. 24. Nyſſenus lib. 1. de homine, D. Auguſt. in libris de libero arbitrio. Et denique Scholaſtici in 2. diſt. 24. 25. pauci 34. Thomiſtæ verò hoc loco.

ARTICVLVS PRIMVS.

An voluntarium reperiatur in actibus humanis.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit voluntarium.

Quorundã voluntarij definitio.

VARIANT in hac re explicanda Theologi; ſunt enim qui definiant voluntarium: Id quod nec vi, nec ignorantia geritur: colligunt definitionem iſtam ex Gregor. Nyſſeno lib. 5. ſuæ philoſophiæ.

Non probatur.

Cæterùm meritò improbatur hæc communiter, tum quod tradatur per ſolas negationes, quæ naturam rei definitæ explicare minimè poſſunt; non enim quid res ſit, ſed quid non ſit ſignificant: tum quia motus grauium, & leuium fiunt à principiis intrinſecis, & tamen motus iſti nec ſunt, nec eſſe poſſunt voluntarij, cùm voluntarium intrinſecè pendeat à voluntate quæ dari non poteſt in grauibus & leuibus, ſub ea ratione qua talia ſunt.

Alia voluntarij explicatio.

Alij verò definiunt voluntarium, operationem vel omiſſionem, quæ eſt in poteſtate agentis, & quam, poſitis omnibus præuiis, & requiſitis ad agendum, poſſit agens ponere, vel non ponere: ità Nominales apud Almaïnum in Moralibus, & tract. 1. cap. 1.

Reijcitur.

Sed hæc quoque meritò reijcitur communiter. Primò, quia confundit volantarium cum libero; certum autem eſt, & probabitur inferiùs, voluntarium, & liberum ab inuicem realiter diſcriminari, & manifeſtè colligitur, ex eo quod voluntarium detur in brutis, ex D. Thom. art. 2. huius quæſt. liberum verò minimè. Deinde, dantur actiones aliquæ voluntariæ, quæ tamen nullo pacto ſunt liberæ, vt conſtat ex actu amoris, quo beati omnes amant diuinam eſſentiam clarè viſam; actus enim hic eſt ſimpliciter neceſſarius in iſtis: eſſentia quippe diuina cùm contineat in ſe omnem rationem boni, neceſſitat voluntatem erga ſeipſam, ità vt non poſſit hæc, non amare illam clarè viſam. Hoc idem colligitur ex ea actione qua Pater, & Filius amant Spiritum ſanctum, hæc enim eſt voluntaria, minimè verò libera, cùm ſit tam neceſſaria quàm Deus ipſe. Denique, voluntarium, vt ſic, non eſt indifferens ad agendum, vel non agendum, bene tamen liberum, definitur ſiquidem liberum, quod poſitis omnibus neceſſarijs ad agendum poteſt agere, vel non agere: ergo definitio Nominalium nequit competere voluntario.

Germana voluntarij definitio.

Alij verò definiunt voluntarium, id quod habet ortum à principio intrinſeco, cum cognitione finis. Hæc videtur admittenda: primùm, quòd habeat aſſertores celebriores Theologos, & item Patres aliquos, vnà cum Ariſtotel. lib. 3. Ethic. cap. 1. ait enim voluntarium eſſe quod ſit à principio intrinſeco cognoſcente ſingula in quibus actio conſiſtit. Damaſcenus item ex Patribus eamdem definitionem comprobare videtur lib. 2. de fide, cap. 24. vbi ità de hac re loquitur, *Sponte id fieri dicitur, cuius principium & cauſam continet is qui agit, reſque ſingulas, per quas actio geritur, & in quibus verſatur, quas Rhetores circumſtantias appellant, compertas & exploratas habet.* D. Auguſtinus in lib. de libero arbitrio. D. Thomas verbis expreſſis art. 1. & 2. huius quæſt. & alij quàmplures ibidem. *Ariſtotel. explicatur.* Damaſc. D. Auguſt.

Accedit ratio: Tota eſſentia voluntarij conſurgit ex principio intrinſeco, & ex cognitione, quæ datur in eo, qui operatur voluntariè, ex doctrina authorum proximè citatorum: at duæ iſtæ conditiones ſunt in definitione proximè poſita, vt conſtat ex lectione eiuſdem: ergo definitio hæc optimè explicat eſſentiam voluntarij. Præterea, ſeparatur hæc definitio à qualibet alia; maximè verò ab ijs quibus explicatur motus grauium, leuium, & proiectorum; nam licèt grauia & leuia moueantur à ſeipſis intrà ſe, non tamen id faciunt ex cognitione quemadmodum voluntarium; & licèt proiecta aliqua ſint coniuncta, cum cognitione quadam voluntaria, non tamen eodem modo; cùm proiecta non cognoſcantur à ſeipſis ſaltem, ſed tantùm à proijciente; voluntaria verò quælibet à ſeipſis cognoſcuntur, & quidem intrinſecè per principium ſibi à natura inſitum.

Voluntarium reſpicit aliquod principium extrinſecum.

Vt autem hæc definitio amplius dilucidetur. Aduerte 1. voluntarium etiam reſpicere principium aliquod extrinſecum; nam cùm voluntarium habeat ortum à voluntate, & hæc ſit natura, nequeárque operari niſi obiectum fuerit ſibi propoſitum ab aliquo alio, voluntarium etiam dicet dependentiam ab aliquo principio extrinſeco, ſaltem tanquam à cauſa proponente obiectum, aut inuitante agens ad agendum, aut certè alterante corpus agentis; conſtat enim ægrotum moueri à morbo ad vocandum medicum, quę tamen medici vocatio cenſetur omnium iudicio actus voluntarius. Deinde, conuenit apud omnes nullam cauſam ſecundam poſſe operari niſi dependenter à prima, ac proinde niſi concurrente ipſa eum cauſa ſecunda ad quælibet eius opera, quæ tamen cauſa prima extrinſecè ſe habet ad voluntarium.

Principium extrinſecum voluntarij actiuum.

Aduerte 2. principium extrinſecum quod dicitur de voluntario debere eſſe actiuum & non paſſiuum, vt volunt aliqui; hoc enim colligitur eſſentialiter ex differentia proximè poſita voluntarij: ait ſiquidem Ariſtot. principium hoc debere eſſe cognoſcitiuum, cognitio autem à ſuo principio actiuè, non paſſiuè dependet.

Obiectio.

Obiicies, martyrium, ex doctrina D. Thomæ communiter recepta, eſt voluntarium; & tamen ad hoc non concurrunt martyres actiuè, ſed tantum paſſiuè, patienter ſubeunt & tormenta propter Chriſtum: ergo.

Solutio.

Reſpond. martyrium eſſe actum elicitum à virtute fortitudinis, ac proinde pendere intrinſecè à voluntate illius, qui nomine Chriſti patitur. Ad id verò quod dicitur, martyres paſſiuè concurrere ad mortem: Primùm, hoc eſt verum ſi ſpectetur illatio mortis, ſed hæc ità conſiderata, nec eſt, nec eſſe poteſt meritoria, cùm ſit coniuncta cum odio Chriſti, ſi tamen ſpectetur, vt acceptata

centata liberè ob amorem eiuſdem Chriſti, verè A
etiam voluntaria & quidem intrinſecè reſpectu martyrij propriè dicti.

DVBITATIO SECVNDA.

An voluntarium reperiatur in actibus humanis.

Voluntarias actiones humanas comitatur.

RESPONDETVR *affirmatiuè*. Primò, quia ità docet D. Thomas, in corpore iſtius artic. & interpretes omnes eiuſdem, ibidem.

Deinde, hoc colligitur ex locis proximè citat. Gregor. Nyſſeni, Damaſceni, Ariſtotelis. B

1. Tertiò, omnis actus humanus eſt meritorius, vel demeritorius, ex communi doctrina, ergo voluntarius: nam impoſſibile eſt meritum aut demeritum conſurgere ſinè voluntario; non enim ab ijs quæ natura nobis indidit præcisè, aut quæ neceſſariò facimus, meremur, aut demeremur, ſed ſolùm medijs illis actibus, quos nedum voluntariè; ſed etiam liberè exercemus: fatentur enim enim omnes in tractatu de merito, meritum poſtulare libertatem, ſtatum viæ, & gratiam gratum facientem: demeritum ſimiliter intrinſecè à voluntate liberè operante pendere.

2.

3.

4. Quartò, laus & vituperium, pœna & præmium ſunt actus humani; at nulla actio poteſt C eſſe vel præmio, vel vituperio digna, niſi fuerit voluntaria, & præterea libera.

Vlt. Denique, voluntarium cenſetur illud quod habet ortum à principio intrinſeco cum cognitione finis, quatenus finis eſt, ex D. Thom hoc loco; at quilibet actus humanus habet ortum à voluntate noſtra veluti à principio intrinſeco, & præſupponit cognitionem finis, nedum vt res eſt, ſed etiam ſub ratione finis; ergo quilibet actus humanus erit voluntarius.

Obiectio. Dices, ex iſtis poſſe colligi voluntarium, & liberum eſſe vnum, & idem; non enim fieri poteſt, vt actus aliquis ſit humanus, niſi fuerit & liber.

Solutio. Reſpond. negando illationem: nam liberum D dicitur id, quod poſitis ad agendum neceſſarijs poteſt agere, & non agere; voluntarium verò, quod habet ortum à voluntate rationali, vel ſenſili, ex doctrina Damaſceni loco citato, & ceterorum Theologorum ad hunc locum D. Thomæ, & in tractat. de libero arbitrio. Ad probationem autem in qua dicitur nullum actum eſſe humanum niſi fuerit à voluntate libera elicitus, & expreſſus. Reſpond tantùm hoc medio probari liberum non poſſe eſſe ſinè voluntario, minimè verò voluntarium ſinè libero; eſt enim verè voluntarium in brutis, ſinè libertate vlla, & item in beatis, reſpectu amoris erga diuinam eſſentiam clarè viſam, imò & in ipſo Deo: amant E enim beati Deum voluntariè, & item Deus ſeipſum, ſinè vlla libertate reſpectu iſtorum actuum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An voluntarium reperiatur in beatis.

QVædam Dubitationes ſunt hoc loco explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

Quotuplex ſit voluntarium.

Varia voluntarij diuiſiones.

VARIANT in prima Dubitatione explicanda Scholaſtici. Azorius quippe lib. 1. Inſtit. cap. 3. ſex refert voluntarij diuiſiones: prima eſt in voluntarium obiectiuè, & principiatiuè, ſeu cauſaliter: illud cenſetur eſſe quodlibet obiectum volitum à voluntate, & quod nullo modo eſt à voluntate, tanquam eius actus vel effectus; ità pecunia furto ſublata à Socrate, me conſentiente, non tamen cooperante cenſetur eſſe mihi obiectiuè voluntaria: item Filij æterni generatio eſt Patri obiectiuè voluntaria; nam Pater verè generat Filium volens, non tamen eumdem per actum voluntatis, ſed tantùm per actum intellectus producit, vt pluribus docent Theologi in diſp. de Trinit. Voluntarium verò principiatiuè eſt illud omne quod habet ortum à voluntate tamquam illius actus, & effectus: ità electio de pecunia furripienda, dicitur voluntaria principiatiuè, oritur enim à voluntate veluti à principio intrinſeco cum cognitione finis; & hoc voluntarium dicitur maximè propriè tale: nam obiectiuum rectiùs diceretur volitum, quàm voluntarium, quemadmodum res amata melius dicitur amata quàm amor.

2. Diuiſio. voluntarij. Secunda diuiſio eſt in voluntarium voluntate propria, & aliena: poſteriori modo peccatum originale dicitur voluntarium in paruulis; priori verò modo quod habet ortum à propria voluntate.

3. Tertia, in voluntarium actu, & virtute aut poteſtate: Illud eſt quilibet actus explicitus à voluntate elicitus: Iſtud verò, quando ex vi prioris actus aliquid agimus, ſeu quod de facto non intendimus per verum actum elicitum, aliquando tamen verè hunc actum exercuimus: hac ratione dicimus confectionem ſacri in eo eſſe voluntariam, qui toto tempore miſſæ, tot ac tantas patitur diſtractiones, vt de ſacro conficiendo nullo pacto cogitet, licèt contingat eum verè facere ſacrum; debuit tamen antea de ſacro conficiendo cogitare.

4. Diuiſio Quarta. Voluntarium aliud eſt in alio, aliud in ſeipſo: priori modo partes cenſentur eſſe voluntariæ in toto: poſteriori verò ipſum totum; ad hoc enim voluntas vltimò terminatur.

5. Quinta diuiſio. Aliud eſt directum; aliud indirectum. Primum eſt illud omne, quod per ſe intenditur à voluntate; indirectum verò, quando non agimus id quod debemus & poſſumus, ſed aliquid aliud: hac ratione dicimus omiſſionem miſſæ eſſe voluntariam indirectè, quando quis intermittit auditionem ſacri, quòd ſomno correptus tempore debito non ſurrexerit.

6. Sexta, Voluntarium aliud eſt expreſsè, aliud tacitè: priori modo eſt voluntarium illud omne

Digitized by Google

quod est in re volitum; posteriori verò, quod non est in se, sed in alio aliqua ratione volitum: ità dicimus pollutionem nocturnam esse voluntariam in eo qui voluit ebrietatem, vel nimiam ciborum repletionem.

Diuus verò Thomas tres assignat voluntarij diuisiones. Prima est, in directum, & in indirectum, quæ fuit à nobis explicata ex Azorio. Alia est in perfectum, & imperfectum: definitur autem voluntarium perfectum id quod habet ortum à principio intrinseco cum cognitione finis, vt finis est: imperfectum verò, quod exit à principio intrinseco cum cognitione imperfecta finis.

Rursus, voluntarium imperfectum aliud est, quod habet ortum à principio intrinseco sensili, media cognitione imperfecta; aliud quod oritur à principio intrinseco rationali; ceterùm cum cognitione imperfecta finis: illud reperitur in brutis, istud verò in pueris, & amentibus, & in ijs qui nusquam vtuntur iudicio rationis. Atque ex istis omnibus diuisionibus supra positis, tres istæ D. Thomæ futuræ sunt nobis vtui in sequentibus disputationibus de actibus humanis.

DVBITATIO SECVNDA.

Qua ratione voluntarium reperiatur in actibus elicitis à potentijs inferioribus imperatis à voluntate, & item obiecto volitis.

Actus elicitus quid.

ADuerte, actum illum censeri elicitum, qui habet ortum à potentia aliqua in qua recipitur, tanquam in subiecto, huius generis est, auditio, visio, & similes; ille verò actus dicitur imperatus, qui fit à potentia inferiore voluntate, ex imperio, & præscripto eiusdem, vt cùm quis ambulat vt audiat concionem, vel eleemosynam inopi largiatur.

Actibus elicitis à potentijs inferioribus voluntarium competit extrinsecè.

Conclvsio 1. *Actibus elicitis à potentijs inferioribus ex dictamine & imperio voluntatis competit voluntarium extrinsecè tantum, non autem intrinsecè: idem est dicendum de qualibet obiecto volito à voluntate.* Primùm, quia ita docent omnes communiter hoc loco.

Actibus elicitis potentiarum inferiorii extrinsecè voluntarium conuenit.

Deinde, fieri nequit vt aliquid dicatur intrinsecè de aliquo, nisi hoc pertineat ad eius essentiam, vel recipiatur in eo tanquam in subiecto, vel denique nisi fuerit terminus eiusdem, vt docent communiter Theologi in tractat. de Incarnatione: at voluntarium non est de intrinseca ratione eorum actuum, qui fiunt à potentijs inferioribus voluntate; nec item recipitur voluntarium in istis tanquà in subiecto, sed in sola voluntate, nec denique voluntarium est terminus istorum actuum: ergo non dicetur intrinsecè de ijs.

Denique, voluntarium eodem modo dicitur de rebus volitis, quo amor de rebus amatis, & visio de rebus visis; at amor dicitur extrinsecè de rebus amatis, visio item de obiecto viso: ergo & voluntarium de obiecto volito.

Actibus voluntatis elicitis intrinsecè voluntarium competit.

Conclvsio 2. *Voluntarium dicitur intrinsecè de quibuslibet actibus elicitis à voluntate.* Primùm, quia voluntarium eodem modo dicitur de actibus elicitis a voluntate, quo liberum; hæc enim duo consequuntur intrinsecè naturam & essentiam voluntatis rationalis, ex omni doctrina; at liberum dicitur intrinsecè de quolibet actu elicito liberè à voluntate: quippe quod actus hic recipiatur proximè in voluntate, & ab eadem similiter immediate producatur, vt indefinita & indeterminata ad agendum, vel non agendum: ergo voluntarium dicitur intrinsecè de huiusmodi actibus elicitis à voluntate.

Deinde, actus vitalis propterea censetur esse intrinsecè vitalis, quod habeat ortum à potentia vitali vitaliter operante, & quod in eadem immediate recipiatur; at quælibet actio volùtaria à sola voluntate producitur proximè, & in ea tamquam in subiecto immediatè recipitur, cùm sit actus immanens: ergo erit intrinsecè voluntaria. Confirmatur: quælibet intellectio ex sua natura est intellectiua: ergo & quælibet volitio erit intrinsecè voluntaria.

DVBITATIO TERTIA.

An voluntarium sit idem cum libero.

CErtum est voluntarium imperfectum, non esse idem cum libero; habet enim locum in brutis, & item in stultis, ac præterea in pueris ante vsum rationis; & tamen in istis nulla datur libertas. Difficultas ergo ista est de solo voluntario perfecto explicanda.

Nominalium placitum.

Nominales in ea sunt opinione, vt credant voluntarium perfectum, & liberum, esse vnum & idem, idque quòd solam coactionem libertati opponi arbitrentur: ità docent Almaïnus tract. 1. Moraliu. Scotus in 1. dist. 10. Gabriel dist. 15. & alij Nominales ibidem: imò & D. Thomas ità docuit in quæst. de malo.

2. Deinde, perfectum voluntarium censetur esse illud, quod habet ortum à principio intrinseco cum cognitione finis, & mediorum, quatenus finis & media sunt; at nulla datur planè actio in nobis, quæ habeat ortum à voluntate cum cognitione finis, & mediorum, quatenus finis & media sunt, quin sit libera: est enim necessariò meritoria, vel demeritoria respectu huius vitæ, omnium consentione: ergo voluntarium cum libero coïncidit.

3. Denique, processio Spiritus sancti est voluntaria, habet enim ortum intrinsecè à Patre & Filio, per actum voluntatis Patris & Filij; at processio ista censetur esse libera, vt author est D. Thomas quæst. 10. de penitentia, & Scotus in 1. dist. 16. Gabriel, Ockam, dist. 10. lib. 1. Belarminus simile quid habet in tractatu de libero arbitrio; distinguit enim liberum in illud, quod est tantùm liberum à necessitate, & in illud quod est liberum à coactione.

Perfectum voluntarium distinctum à libero arbitrio.

Conclvsio 1. *Perfectum voluntarium non est idem cum libero arbitrio proprie dicto.* Primùm, quia delectatio qua agentes in cœlo fruuntur erga diuinam essentiam clarè visam est verè voluntaria, & quidem voluntario perfectissimo; habet enim ortum à voluntate cuiuslibet beati, cum perfectissima cognitione finis supernaturalis, quatenus talis est: at delectatio ista non est libera; nam fatentur omnes essentiam diuinam clarè visam necessitare voluntatem creatam ad hoc vt eliciat actum amoris circa seipsam: ergo voluntarium non est idem cum libero.

Deinde, actus quo pertonæ diuinæ amant suam essentiam, & seipsam, est simpliciter voluntarius; at non potest dici de hoc actu, quòd sit liber, cùm sit idem planè cum essentia diuina, nedum realiter,

Digitized by Google

realiter, ſed & formaliter, ex communi doctrina, hæc autem eſt ſimpliciter neceſſaria: ergo.

Denique, liberum cenſetur eſſe, id quod poteſt eſſe, & non eſſe: voluntarium verò id quod habet ortum à principio intrinſeco: ergo non ſunt idem.

Neceſſarium deſtruit liberum.

CONCLVSIO 2. *Neceſſarium deſtruit liberum:* Nam liberum eſt indifferens, & indeterminatum ad agendum, vel non agendum; neceſſarium autem eſt determinatum ad vnum.

Deinde, ex Scriptura habemus Deum conſtituiſſe hominem, & reliquiſſe eum in manu conſilij ſui, *Eccleſiaſtici* 15. & appoſuiſſe eidem ignem, & aquam, vt porrigeret manum ſuam ad quodcumque vellet. Patres verò propterea volunt hominem relictum in manu conſilij ſui, quia in eo datur libertas ad agendum, vel non agendum; eſto omnia neceſſaria ad agendum ſint poſita, & quia in eiuſdem poteſtate eſt eligere, vel non eligere: at res neceſſaria caret eligendi facultate, cùm ſit ad vnum determinata.

Eccl. 15. verſ. 14. & 17.

Denique, libertas reſpicit meritum aut demeritum veluti ſuas partes; neceſſarium verò reſpuit omnem omnino rationem meriti, & demeriti: nemo quippe peccat in ijs quæ vitare non poteſt, lege hac de re D. Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio cap. 12. 13. 14. & 15.

D. Auguſt.

Satisfit rationibus cõtrarijs.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. negando ſuppoſitionem; diximus enim in ſecunda Concluſione neceſſarium deſtruere libertatem, ac proinde non id præſtat ſola coactio.

Ad 2. Reſpond. perfectum voluntarium in nobis conſtitutis in via non ſeparari à libero; ſecus tamen in cœlis, & præterea contingit in Chriſto eo tempore quo fuit in hac vita mortali; à primo quippe inſtanti ſuæ conceptionis eſſentiam ſuam diuinam conſpexit non minùs perfectè, quàm iam faciat, & eamdem amauit, ceterum amore neceſſariò, non autem liberè, ex communi doctrina.

Ad vlt. Proceſſionem Spiritus ſancti nuncupari ab iſtis authoribus liberam, non quidem propriè, ſed improprie; nam liberum propriè dictum arguit indifferentiam ad agendum, vel non agendum; impropriè verò non dicit hoc, ſed excludit tantùm coactionem in agendo; hæc autem non datur in proceſſione Spiritus ſancti, cùm à Patre & Filio ſpontaneè & voluntariè producatur.

Aduerte, voluntarium & naturale non eſſe vnum & idem; nam naturale habet ortum à principio intrinſeco, & extrinſeco; voluntarium verò à ſolo intrinſeco, & adhuc actiuo, non autem paſſiuo: quod probatur ex eo quòd motus omnes qui dantur in cœlis ſint neceſſarij, & tamen certum eſt omnes iſtos motus eſſe à principio intrinſeco & extrinſeco, præſertim ſi motus huiuſmodi ſint ab intelligentijs, vt voluit Ariſtoteles: at docuimus de voluntario quòd ſit tantum à principio intrinſeco actiuo.

DVBITATIO VLTIMA.

An voluntarium detur in brutis, & in hominibus.

Voluntarium in brutis.

CONCLVSIO. *Voluntarium propriè dictum habet locum in brutis.* Primùm, quia ità docent, S. Patres, Damaſcen. 2. de fide, cap. 24. *Sed ne illud quidem nos prætereat,* inquit, *quòd pueri & bruta ſponte quidem faciunt; at non item ex electione. Quin ea quoque omnia, quæ iracundia commoti, nulla præuiſa deliberatione facimus, ſponte quidem ac voluntariè facimus, ceterùm non ex electione.* D. Ambroſius lib. 1. de vocatione omnium gentium, cap. 2. Nyſſenus lib. 5. ſuæ philoſophiæ, cap. 4 D. Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 9. & D. Tho. hoc loco. Ariſtotel. lib. 3. Ethicor. & denique omnes D. Thomę interpretes.

Damaſc. D. Ambro. Nyſſ. nus. D. Auguſt. D. Thom.

Accedit ratio: Voluntarium cenſetur eſſe illud quod habet ortum à principio intrinſeco cũ cognitione finis, ex D. Thom. art. 1. huius quæſt. atqui certum eſt bruta exercere multa ex cognitione finis, & quidem voluntarie, vt colligitur ex illo Iſaiæ 1. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui; Iſrael autem me non cognouit.*

Iſaï. 1. ℣. 3.

Denique, bruta videtur operari propter finem, vt conſtat ex arancis quæ telas ordiuntur, vt muſcas capiant, aues nidos conſtruunt, & vulpes foueas, vt in iſtis ſe tueri poſſint, formicæ congregant in æſtate, vt habeant vnde viuant hiberno tempore: igitur in brutis datur voluntarium.

Obiectio.

Dices, D. Thomam verbis expreſſis negare in corpore huius art. bruta operari ob finem.

Solutio.

Reſp. finem duobus modis ſpectari. 1. formaliter, quatenus eſt id quod mouet agens ad agendum, ſeu ſub ratione finis & mediorum quæ ducunt ad finem. 2. materialiter, pro re quæ finis nuncupatur, aut, vt alij loquuntur vt res iſta cõſetur bonũ conueniens reſpectu huius vel illius agẽtis quod operatur: Priori modo D. Thom. contendit bruta non operari propter finem & quidem meritò; hac enim ratione intendit operari ſolas res exornatas ratione, idque quòd ſola ratio aſſequatur naturam finis & mediorum, vt ſunt media ad finem conſequendum vtilia, vel neceſſaria: Poſteriori tamen modo certum eſt D. Thomam admittere bruta operari propter finem, cùm cognoſcant bona ſibi conuenientia; vſus ſiquidem quotidianus docet bruta potius vnum quàm aliud expoſcere pabulum.

Obiectio.

Dices, ſi voluntarium daretur in brutis, ſequeretur dari in illis libertatem, Ariſtoteles enim cap. 1. lib. 3. Ethic. ait, in ijs omnibus quæ fiunt ſpontaneè reperiri laudem; vel vituperium, at vituperium, & laus non poſſunt eſſe ſinè libertate: ergo admiſſo voluntario in brutis libertas non erit deneganda.

Ariſtotel.

Solutio.

Reſpond. Ariſtotelem eo in loco tantùm affirmaſſe, laudem, vel vituperium conſequi actiones voluntarias & ſpontaneas, non quòd in omni planè actione tali reperiatur laus vel vituperium, idque quòd voluntarium nedum detur in hominibus, ſed in brutis; & tamen certum eſt illud non ſufficere ad laudem & vituperium, ſed ad id præterea deliderari libertatem, quæ nulla ratione datur in brutis. Confirmatur: quia iſta ratio loquendi Ariſtotel. eodem planè modo eſt intelligenda, quo iſta qua vtitur ibidem; *Virtus,* inquit, *qualibet verſatur in perturbationibus & actionibus;* certum autem eſt non omnem affectum, vel affectionem conſequi rationem virtutis; dantur enim aliqui affectus vitioſi, & alij qui careat omni vitio & honeſtate: putà omnes illi qui ſunt naturales tantùm. Voluit ergo Ariſtotel. hoc loco virtutes verſari circa affectus, ceterùm in hominibus, non autem in brutis, propterea affirmauit omnem actionem eſſe coniunctam cum virtute.

Obiectio.

Obiicies, voluntatem propriè dici de natura rationali.

Solutio.

Reſpond. non deeſſe qui ità ſentiant: ceterùm rectiùs illi qui aſſerunt voluntatem propriè etiam

dici de appetitu ſenſili & rationali, quare cùm hic reperiatur in brutis, ſequitur, &c.

Voluntariũ propriè eſt in hominibus.

CONCLVSIO 2. *Voluntarium propriè dictum habet locum in quibuſuis hominibus.* Primùm, quia hoc colligunt plerique ex illo Pſal. 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi.*

Deinde, liberum nequit eſſe ſinè voluntario, cùm libertas ſit facultas voluntatis, ex communi doctrina; at in hominibus reperitur liberum, ex illo Eccleſ. 15. *Appoſuit tibi*, ſcilicet homini, *aquam & ignem ad quod volueris porrige manum tuam*: & ibidem de homine quod fuerit relictus in manu conſilij ſui. & Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* & Ioann. 5. *Vis ſanus fieri?*

Eccleſ. 15. verſ. 14. Matth. 23. verſ. 37. Ioann. 5. verſ. 6.

Tertiò, meritum, & demeritum habent locum in hominibus; at hæc nequeunt conſurgere ſinè voluntario, ex communi doctrina: imò pœna æterna indicitur morientibus in peccato mortali, & gloria perpetua in gratia decedentibus, & quidem veluti præmium bonorum operum, *Mat.* 25. at præmium præſupponit neceſſariò voluntarium liberum; nemo ſiquidem meretur propter actiones neceſſarias, ſed tantùm propter liberas: ità D. Thomas & interpretes eiuſdem hoc loco.

Obiectio.

Dices, ex rationibus iſtis colligi, voluntarium non habere locum in paruulis; quia non habent libertatem; neque item in dementatis, ſeu ſtultis.

Solutio.

Reſpond. rationes iſtas probare, perfectum voluntarium non habere locum in ſtultis, & paruulis, ob defectum libertatis, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad voluntarium perfectum in actu ſecundo: In actu ſiquidem primo certum eſt hoc habere locum in pueris, & ſtultis, cùm nomine perfecti voluntarij in actu primo, nihil aliud intelligatur, quàm voluntas prout eſt à parte rei in anima rationali, qua ratione dicet ordinem & ad poſſe operari neceſſariò, & ad poſſe operari liberè. In actu verò ſecundo, perfectum voluntarium nedum dicit potentiam operandi liberè, & neceſſariò, ſed etiam operari de facto, & neceſſariò & liberè: quare cum propriè dictum voluntarium, nedum dicatur de rationali, ſed & de irrationali, obiectio iſta nihil planè probat.

A B C D

ARTICVLVS TERTIVS.

An voluntarium poſſit eſſe ſinè aliquo actu.

EXPLICATVR à nonnullis difficultas iſta hoc loco; *An voluntarium poſſit eſſe ſinè aliquo actu*: cetera res hæc commodiùs tradetur à nobis in tractatu de peccatis: interea tantùm monemus, probabilius eſſe voluntarium conſurgere non poſſe ſinè aliquo actu vel formali, vel interpretatiuo voluntatis; diximus enim voluntarium eſſe, id quod habet ortum à voluntate, veluti à principio intrinſeco cum cognitione finis.

E

Omiſſio alia directa alia indirecta.

Dubitatio ergo iſta tantùm pertractatur à nobis. *Quanam ſcilicet ſint neceſſaria ad omiſſionem voluntariam & peccabilem.* Antequàm autem res hæc definiatur præmitto, omiſſionem aliam eſſe directam, & aliam indirectam: illa definitur actus, qui intenditur per ſe à voluntate, vt cum quis dicit, nolo audire ſacrum, nolo recitare breuiarium, & ſic de alijs; hæc verò cenſetur eſſe, id quod quis prætermittit cum potuit, & debuit præſtare, & quidem ponendo aliquem actum incompoſſibilem cum eo, quod prætermittit; huius generis eſt deambulatio, quam quis præſtat quando potuit, & debuit audire ſacrum, & de facto non audiuit: omiſſio ergo iſta ſacri cenſetur eſſe indirecta; in iſtis autem duo poſſunt præſertim conſiderari: Primum eſt omiſſio, deinde, actus aliquis qui per accidens conſequitur huiuſmodi omiſſiones, vt patet in eo qui prætermittit largitionem eleemoſynæ erga pauperem in extrema neceſſitate conſtitutum, ex cuius defectu ſequitur mors pauperis, quæ videtur voluntaria reſpectu illius, qui prætermittit eleemoſynæ largitionem; imputatur ſiquidem ei mors ad culpam, ità vt cenſeatur homicida reſpectu iſtius pauperis, iudicio communi omnium Theologorum, quando potuit & vidit neceſſitatem iſtius pauperis, & eius miſeriam non ſubleuauit, tribuendo ei miſericordiam.

Quærimus ergo hoc loco, quæ ſint neceſſaria ad hoc vt omiſſio iſta indirecta, & actus, qui conſequuntur eamdem, dicantur voluntaria, & item vt imputentur alicui ad culpam. Addo præterea ex alio capite omiſſionem prædictam, & actum qui eamdem per accidens conſequitur, eſſe culpabilia, & ex alio eſſe voluntaria: ratio ſiquidem voluntarij dicitur de iſtis, quòd habeant ortum à voluntate veluti à principio intrinſeco, cum cognitione finis; ratio verò culpæ, quod hæc contrarietur rectæ rationi.

Omiſſio quando voluntaria.

CONCLVSIO 1. *Nulla omiſſio poteſt eſſe voluntaria ex eo præcisè quòd ſit poſita in noſtra potentia, aut etiam quod teneamur implere, id quod omittimus, ac proinde neque poteſt etiam imputari nobis ad culpam, ex iſtis duobus capitibus tantùm ſeorſim, vel etiam coniunctim ſumptis.* Primùm, nullus actus aut elicitus, aut imperatus, aut denique prætermiſſus poteſt eſſe voluntarius, ex eo quòd poſitus ſit in noſtra poteſtate; nam diximus voluntarium eſſe illud quod habet ortum à voluntate veluti à principio intrinſeco cum cognitione finis; atqui dantur infinitæ propemodum omiſſiones in nobis, quæ non habent ortum à noſtra voluntate, vt eſt per ſe notum, & manifeſtè colligitur, ex eo quòd non audimus ſacrum impręſentiarum, quòd non demus eleemoſynam, quòd nõ oremus, & ſic de aliis innumeris, quæ verè poſita ſunt in noſtra poteſtate, & ad quorum oppoſita tenemur aliquando, non tamen propterea imputantur nobis ad culpam, neque dicuntur voluntaria in nobis.

Deinde, culpa nequit conſurgere ſinè aliqua animaduertentia, ſiue ſermo ſit de culpa commiſſionis, vel omiſſionis; eſt enim peccatum neceſſariò cum libertate coniunctum, & cum aliqua conſultatione, ſaltem in nobis, ex communi doctrina; at dantur innumeræ propemodum ómiſſiones ſinè vlla aduertentia rationis: ergo. Quod autem omiſſio non ſit voluntaria ex eo præcisè quod teneamur ad id quod prætermittimus, ex eo probatur, quod teneri, vel non teneri ad aliquid eſt impertinens planè ad voluntarium, vt patet in puero qui ante vſum rationis prætermittit auditionem ſacri volens, vel etiam ſinè vllo actu voluntati: somiſſio enim ſacri in iſto, ſaltem in primo caſu, eſt verè voluntaria, & tamen non tenetur ad auditionem ſacri, cum ſupponamus eum nondum attigiſſe vſum rationis.

Tria requiruntur vt omiſſio voluntaria cenſeatur.

CONCLVSIO 2. *Ad hoc vt omiſſio aliqua ſit in nobis voluntaria & culpabilis tria ſunt ſimpliciter neceſſaria: Primum eſt, quod poſſimus præſtare id quod omittimus. 2. Quòd teneamur ad id quod omittimus.*

3. *Denique,*

Digitized by Google

3. denique, Vt de facto prætermittamus id quod potuimus & debuimus præſtare. Primùm, quia nemo peccat in his quæ vitare non poteſt.

Deinde, quia peccatum debet eſſe in noſtra poteſtate poſitum, cùm quodlibet ex peccatis ſit liberum & voluntarium; de ratione autem libertatis eſt, poſſe operari & non operari, poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs.

Tertiò, quælibet omiſſio ſacri non imputatur nobis ad culpam, ſed ea quæ contingit diebus feſtis, ceſſante omni impedimento legitimo.

Quartò, dantur infinitæ omiſſiones quæ non imputantur nobis ad culpam, etſi ſint de bonis operibus, cuius rei nulla alia aſſignatur ratio, niſi quia licèt omiſſiones iſtæ poſitæ ſint in noſtra B poteſtate, non tamen tenemur præſtare id quod omittimus hîc & nunc, ſeu, quod idem eſt, hoc tempore vel illo, aut in illis, vel illis circumſtãtijs.

Actus per accidẽs imputatus exigit 3. conditiones.

CONCLVSIO VLTIMA. *Actus qui per accidens conſequitur omiſſionem non imputatur nobis ad culpam, niſi poſitis tribus conditionibus ad agendum explicatis.* Primò, quia ſi aliter res ſe haberet, opera mala tam pœnæ quàm culpæ imputarentur Deo, cùm poſſit ipſe hæc omnia auertere & impedire; at certum eſt Deum non eſſe authorem alicuius mali, ſaltem culpæ, nec per ſe, nec per accidens; eſt enim ſummè bonus, quia deficere nullo modo poteſt: peccatum autem quantumuis minimum, defectus aliquis eſt, & rectæ rationi C quodammodo auerſatur.

Denique, non quælibet mors proximi imputatur nobis ad culpam, ſed ea tantùm quæ conſequitur omiſſionem eleemoſynæ, quando potuimus & debuimus iuuare proximum in neceſſitate extrema conſtitutum, & quando de huiuſmodi neceſſitate nobis conſtat.

Ex iſtis colliges, Almaïnum & alios Nominales bene docuiſſe non omnem omiſſionem eſſe culpabilem, & voluntariam in nobis, ſed eam dumtaxat quæ eſt de re quæ poſita eſt in noſtra poteſtate; falluntur autem in eo quòd credant voluntarium idem planè eſſe cum libero, eò quòd D liberum dicat tantùm id quod eſt poſitum in alicuius poteſtate; nam ſi ità res haberet, ſequeretur quamlibet cauſam contingentem eſſe liberam, quod nullus vnquam hactenus dixit, aut certè dicere minimè debuit.

ARTICVLVS QVARTVS.

An poſſit voluntati vis inferri.

Non ſunt idem impediri, mutari, neceſſitari, cogi voluntatem.

POSTVLAT hic Articulus explicationem illius difficultatis in qua quæritur, *An voluntas noſtra poſſit impediri, mutari, neceſſitari, & cogi in ſuis actionibus elicitis, & imperatis*; differunt enim hæc quatuor: tunc ſiquidem voluntas impeditur E quando detinetur ne actus ſuos exerceat: mutatur vero quotieſcumque ab ea aliquid deperijt, quod eidem inerat, vel quando aduenit aliquid & de nouo, quod antea deerat: neceſſitatur vero, quotieſcumque definitur, & determinatur ad vnum, ità vt in eius poteſtate non ſit ponere oppoſitum, vel abſtinere ab eo circa quod definitur: cogitur vero quotieſcumque exercet actum propenſioni & inclinationi naturali contrarium, & quidem mota à principio externo, ipſa reſiſtente, in quantum poteſt. Sunt qui aſſignent diſcrimen aliquod inter coactum, & violentum: credunt enim violentum reperiri in ſolis actionibus, contra pri- A mam inclinationem; coactum vero non tantum in actionibus contra primam voluntatẽ, ſed etiam in illis, quæ dantur in aliquo, cõtra ſecundam inclinationem & contra cognitionem in eo exiſtentẽ; ceterum nos nullam hîc admittimus diſtinctionem inter coactum & violentum, cum interpretibus D. Thomæ hoc loco.

Coactum duplex.

Aduerte, coactũ aliud eſſe propriè, & aliud impropriè dictum: hoc contingit, quotieſcumq; quis terroribus, perſuaſionibus, aut ſimili aliqua ratione mouetur ad aliquid agendũ, quod de facto non egiſſet, niſi interueniſſent perſuationes iſtę, vel terrores: illud vero datur in nobis quotieſcumq; operamur aliquid contra primam inclinationem, mouente aliquo principio externo, & ad id non concurrente voluntate; ſed reſiſtente quantum poteſt: quærimus ergo hoc loco, an voluntas poſſit cogi propriè in actibus elicitis, aut imperatis ab eadem.

Voluntas poteſt impediri in actibus elicitis & imperatis à Deo.

CONCLVSIO 1. *Voluntas poteſt impediri, ſaltem diuina virtute, & in actibus elicitis & in imperatis.* Aduerte, actus illos eſſe elicitos à voluntate qui ab ea proximè & immediatè exeunt, quiq; proinde recipiuntur in ea tanquam in ſubiecto, ſunt enim omnes immanentes: illi vero dicuntur imperati qui eliciuntur à potentiis inferioribus ex imperio voluntatis rationalis.

Probatur Concluſio. Primùm, quia Deus poteſt negare ſuũ concurſum voluntati noſtræ, eſt enim liber in omnibus ſuis actibus ad extra: ergo voluntas poteſt impediri in actibus elicitis & imperatis per omnipotentiam Dei; nam certum eſt cauſas ſecundas non poſſe aliquid operari, niſi concurrente prima: quilibet enim effectus magis eſt à Deo, quàm ab vlla planè cauſa ſecunda: at ex dictis poteſt Deus negare ſuum concurſum voluntati noſtrę: ergo impedietur tunc temporis voluntas, tam in actibus elicitis, quàm imperatis.

Obiectio.

Obiicies, ſi ità res ſe haberet, ſequetur voluntatẽ in actibus elicitis diuina virtute cogi poſſe: nihil ſiquidem eſt magis connaturale voluntari noſtrę, quàm protrahere volitiones ſuas, aut nolitiones in aliud tempus: poſita autem volitione iſta, fatemur Deũ poſſe negare concurſum ſuum voluntati noſtræ: ergo cogetur voluntas in actibus elicitis.

Solutio.

Reſp. negando illationem maioris: ad probationem autem dico, ex eo tantùm poſſe colligi voluntatem impediri, non autem cogi in iſtis actibus: duo nãque ſunt ſimpliciter neceſſaria ad coactionẽ propriè dictam: alterum quod voluntas exerceat aliquem actum extra propenſionem, & inclinationem naturalem: alterum, quod nõ concurrat actiuè, ſed reſiſtat quantum poteſt, neque ſequatur effectus qui intenditur ab agente externo: atqui in caſu illo, in quo negaret Deus ſuum concurſum voluntati noſtræ, vt volitionem ſuam protrahat in aliud tempus, voluntas nihil planè operaretur mota à principio extrinſeco, non reſiſtit etiam quantum poteſt agenti externo, quia nullum datur ex hypotheſi, ſed negat tantummodo ſuum concurſum voluntarium ad protrahendam actionem in aliud tempus: ergo tunc temporis voluntas non cogetur.

Voluntas poteſt mutari proprè.

CONCLVSIO 2. *Voluntas noſtra poteſt mutari propriè, non tantùm virtute diuina, ſed etiam naturali ter.* Ità interpretes cum D. Thoma, hoc loco.

Deinde, voluntas noſtra ex volente fit nolens, vt patet experientia, quia aduenit aliquid ei de nouo per modum inhæſionis, & informationis, & aliquid ab eadem deperditur, quod ante verè illi inhærebat: ergo voluntas noſtra verè mutatur.

Voluntas poteſt neceſſitari.

CONCLVSIO 3. *Voluntas etſi libera, poteſt neceſſitari*: ſicut voluntas cuiuſlibet beati in cœlis neceſſitatur ad amandam diuinâ eſſentiâ clarè viſam, idque quod habeat omne bonum ſibi propoſitum.

Deinde, per adeptionem ſtatus damnationis extremæ quilibet patitur iacturam omnium habituum ordinis ſupernaturalis, qui in eo dantur, & determinatur circa malum etiam in communi, ità vt non operetur damnatus vllum planè bonum opus, ſed perpetuò peccet, ex illo

Pſal. 73. verſ. 23. Pſal. 73. *Superbia eorũ qui te oderunt aſcendit ſemper.*

Tertiò, voluntas humana Chriſti in primo inſtanti ſuæ creationis fuit determinata & neceſſitata ad amandum Deum clarè viſum, & item circa bonum in communi, ità vt Chriſtus non potuerit vllum planè opus malum, quantumuis minimũ exercere; repugnat enim cũ qui Deus eſt peccare.

Denique, voluntas beatorum eſt determinata circa bonum in communi: ergo voluntas noſtra rectè poteſt neceſſitari in ſuis actionibus; tamen concedendũ eſt ſemper quòd ſit libera: operatur enim hęc duobus modis, & vt natura eſt, & vt ratio; vt ratio eſt libera, vt naturaverò eſt. neceſſaria.

In actibus imperatis cogi poteſt voluntas.

CONCLVSIO 4. *Voluntas in actibus imperatis cogi poteſt.* Primùm, quia nihil repugnat quominus is qui morari vult in propriis ſedibus, extra eaſdem eijciatur: at in hoc caſu cogeretur voluntas illius, ſuſtineret enim actum propenſioni, & inclinationi ſuæ naturali contrarium. Confirmatur: poſuit Deus in ore Balaam verba benedictionis, cùm vellet hic proferre verba maledictionis, vt conſtat ex cap. 23. Numer. Caïphas item longè aliter loquitur, quàm intendat, vt videre eſt ex

Ioann. 11. verſ. 50. cap. 11. Ioan. verba ſiquidem iſta: *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo*, non à ſeipſo, ſed à Spiritu ſancto motus protulit, vt conſtat ex verbis iſtis: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit.*

Denique Patres, & Scripturę docent homines non tam propria voluntate mori, quàm ex decreto, & ordinatione diuina; ità enim loquitur

D. Cypria. Cyprianus de mortalitate: *Obnitimur & reluctamur, & pernicacium more ſeruorum ad conſpectum domini cum triſtitia & mœrore perducimur, exeuntes iſtinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis: & voluntes ab eo præmijs cœleſtibus honorari, ad quem venimus inuiti:* & Ioan. 21. dixit Chriſtus Petro. *Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* loquitur autem hîc de morte futura Petri.

Ioann. 21. verſ. 18.

Nequit cogi vlla ratione voluntas in actibus elicitis.

CONCLVSIO VLTIMA. *Voluntas etiam per omnipotentiam Dei nequit cogi in ſuis actibus elicitis.* Primùm, quia de intrinſeca ratione actus eliciti eſt, vt habeat ortum proximè & immediatè à potentia à qua producitur, & quòd in ea tanquam in ſubiecto recipiatur; de ratione verò actus coacti eſt, vt producatur à principio extrinſeco, minimè verò à ſubiecto in quo recipitur.

1.

2. Deinde, actus elicitus debet, eſſe neceſſario vitalis, eſt enim à potentia vitali vitaliter operante; actus verò coactus non eſt neceſſariò vitalis, cùm poſſit hic habere ortum & à potentia aliqua ſenſili & inſenſili.

3. Tertiò, quod implicat contradictionem per nullam potentiam fieri poteſt; at implicat contradictionẽ, voluntatem cogi in actibus elicitis; ſunt enim iſti à voluntate, veluti à principio intrinſeco cum cognitione finis; at de ratione coacti eſt, vt non à principio intrinſeco, ſed extrinſeco producatur: ergo cùm eſſe à principio intrinſeco, & non eſſe ſint contradictoria, actus elicitus à voluntate non poterit eſſe coactus.

4. Quartò, quilibet actus elicitus à voluntate eſt vel volitio, vel nolitio: at nihil eſt tam naturale voluntati quàm velle, vel nolle.

Vt. D. Auguſt. Denique, ità ſentiunt D. Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate, cap. 10. *Non ergo*, inquit, *propterea nihil eſt in noſtra voluntate, quia Deus præſciuit quid futurũ eſſet in noſtra voluntate: Non enim qui hoc præſciuit. Porrò nihil præſciuit ſi ille qui præſciuit, quid futurũ eſſet in noſtra voluntate, non vtiq; nihil, ſed aliquid præſciuit: profectò & illo præſciente, eſt aliquid in noſtra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento illo, Deum (quod nefas eſt) negare præſcium futurorum: ſed vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter confitemur: illud, vt bene credamus: hoc, vt bene viuamus.* & D. Bernard. lib. de gratia & libero arbitrio. *Eſt enim habitus animi liber ſui. Siquidem non cogitur, non extorquetur. Eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis; nec negat ſe, nec præbet cuiquam, niſi ex voluntate. Alioquin ſi compelli valet inuitus, violentus eſt non voluntarius: vbi autem voluntas non eſt, nec conſenſus. Non enim eſt conſenſus, niſi voluntarius. Manet ergo libertas voluntatis, vbi etiam ſit captiuitas mentis.* Scholaſtici verò idẽ docent in 2. diſt. 25. Caiet. ad q. 82. 1. p. D. Th. art. 1. & aliji nnumeri. Bernard.

Obiectio. Obijcies primò, Chriſtum exercuiſſe actum contrarium propenſioni & inclinationi propriæ voluntatis paulò antè mortem; voluit enim mori, Iſaï. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe volnit:* at mors eſt cõtra inclinationem naturalem animalis cuiuſlibet: igitur poteſt cogi volũtas in ordine ad actus elicitos.

Iſaï. 53. verſ. 7.

Solutio 1. Reſpond. 1. mortem eſſe debitum naturę, cùm enim quodlibet animal ex ſua natura ſit compactum ex quatuor elementis, & conſequenter ex quatuor qualitatibus contrariis, nullum certè dabitur, quod non ſit planè corruptioni obnoxium: quare non mirum videbitur, ſi mors dicatur naturalis in animalibus. Cõfirmatur hoc ex eo, quòd doceant Patres primos parentes ſua natura fuiſſe mortales, gratia vero & dono Dei immortales.

Solutio 2. Reſp. 2. mortem eſſe quidem quodammodo inuoluntariam in nobis, quatenus ſcilicet priuat nos abſolutè eſſe; tamen ſecundum rectam rationem cenſetur eſſe voluntaria: & ideo non eſt mirum ſi Chriſtus, itémque viri alij ſanctiſſimi mortem exoptauerint, præſertim cum Chriſtus ſciret extare decretum de morte ab eo ſubeunda, in gratiam generis humani; ceteri autem ſancti ideo mortem deſiderauerunt, quod hæc non tam eſſet exitus ab hac vita mortali, quàm tranſitus ad immortalitatem.

Obiectio 2. Obiicies 2. poſſe Deum conſtituere amorem in voluntate illius, qui odit proximum: ergo ſaltem in hoc caſu cogetur voluntas iſtius.

Solutio. Reſpond. negando antecedens; fatentur enim communiter doctores Deum non poſſe ſupplere cauſam vitalem reſpectu actus vitalis, amor autem eſt verè vitalis, ac proinde non poteſt poni in voluntate alicuius à ſolo Deo: ſed debet ad illius productionem creatura rationalis concurrere.

Replica. Inſtabis, Deum ſaltem facere poſſe, vt is qui odio habet aliquem, eumdem amet.

Diſſoluitur. Reſpond. non poſſe ſe ſolo id efficere; diximus enim omnem elicitum voluntatis actum eſſe verè vitalem & immanentem, & conſequenter proximè à potentia vitali vitaliter operante manare.

Deinde, ad coactionem exigitur, vt actus qui producitur ſit à principio actiuo extrinſeco, minimè

Digitized by Google

nimè verò à ſubiecto, quod cogitur, & in quo tanquam in ſubiecto recipitur; amor autem vel odium non poſſunt effectiuè produci ab vlla re creata, præterquàm à voluntate. A

Denique, ex hoc antecedente tantùm poteſt colligi voluntatem noſtram mutari poſſe, quod vltrò concedimus; tranſiret enim hac in hypotheſi ab odio in amorem, ex quo non ſequitur poſſe in ſuis actibus elicitis cogi.

ROGABIS, *An proprium ſit ſoli voluntati rationali non poſſe cogi in ſuis actibus elicitis.* Durandus in 1. diſt. 18. & Peſantius diſp. 2. ad hunc articulum D. Thom. credunt potentias inferiores voluntate non poſſe cogi in actibus elicitis.

Potentiæ inferiores cogi poſſunt in ordine ad actus elicitos.

Cæterùm contraria opinio eſt communis, ſaltem in homine; nam potentia aliqua tunc cogitur, quando exercet actum propenſioni naturali contrarium; at potentia viſiua poteſt exercere viſionem contra propriam & ſibi naturalem inclinationē, cùm enim ſit inferior voluntate rationali (eſt namque voluntas omnium humanarum actionū regina) tunc certè cogetur, quandocunque actū viſionis exercebit contra dictamen voluntatis rationalis. Deinde, diximus antea Deum poſuiſſe verba benedictionis, loco verborum maledictionis in ore Balaam, & Caïphæ: at verba illa non fuerunt prolata ab iſtis, niſi dependenter à voluntate loquendi, & quidem exercendo actum ſibi proprium elicitum, qui tamen meritò dicitur coactus, ex eo quòd fuerit contra ſubiectionem naturalem debitam voluntati rationali. B C

Obiectio.

Obijciunt authores contrariæ ſententiæ: Ideò voluntas rationalis nequit cogi in ſuis actibus elicitis, quòd omnis actus ab ea elicitus, ſit ſecundum naturalem eiuſdem impetum, & inclinationem; at actus omnis à potentia viſiua elicitus, eſt etiam naturali propenſioni eiuſdem conſentaneus; nihil enim eſt magis naturale oculo quàm videre; omnis autem actus potentiæ viſiuæ elicitus, eſt viſio: ergo ſicut illa non poteſt cogi, ità nec potentiæ inferiores.

Solutio.

Reſpond. conceſſa maiori, negando minorem; ad probationem autem dico potentiam viſiuam habere duplicem propenſionem naturalem; alteram primam & particularem, qua reſpicit bonum ſibi peculiare, alteram qua fertur in bonum totius; per primam, potentia viſiua non poteſt vllo modo cogi, ſi ſpectetur bonum particulare; ſecus tamen contingit, ſi comparetur cum bono totius hominis: nam hac ratione operatur contra propenſionem naturalem totius hominis, quotieſcumque id agit reluctante voluntate rationali cui naturaliter ſubijcitur. Illuſtrat rem iſtam exemplo Curiel Dubit 2. § 4. ad hunc artic. D. Thom. Grauia, inquit, duplicem arguunt propenſionem, & inclinationem naturalem; nam quatenus hæc reſpiciunt bonum proprium, feruntur ſemper deorſum; quatenus verò bonum totius vniuerſi, ſeorſum, idque in eo caſu in quo verendum eſt ne detur vacuum; ità inquit, in omni potentia inferiori voluntate, dantur duæ prædictæ inclinationes naturales. Addit, quòd quemadmodum grauia tunc temporis coguntur, dum impediuntur ne ferantur ſurſum, cùm imminet periculum vacui, ità & ceteræ potentiæ inferiores voluntati rationali, coguntur etiam quando exercent aliquem actum contra dictamen voluntatis ſuperioris. D E

ARTICVLVS QVINTVS.

An violentum impediat voluntarium.

VÆRIT D. Thom. hoc loco, *An violentia cauſet inuoluntarium; ſeu, quod idem eſt, an aliquid deſinat eſſe voluntarium, ex eo quòd cogatur ad agendum.* Ratio dubitandi eſt, quia fieri poteſt, vt quis nec volens, nec nolens, ſed, merè negatiuè impellatur ad percutiendum, vel occidendum proximum, & tamen percuſſio iſta, vel occiſio non deſinet eſſe voluntaria; non enim impedit hic quantum poteſt percuſſionem, vel occiſionem iſtam.

Deinde, mors illata Chriſto & martyribus cenſetur eſſe coacta, cùm habeat ortum à principio extrinſeco, nullam ad id vim conferente paſſo; atqui mors iſta, non propterea deſinit eſſe voluntaria, cùm fuerit in iſtis omnibus meritoria, ex illo Ioannis 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ioann. 15. verſ. 13.

Denique, nihil repugnat quominùs vis inferatur alicui virgini, contra primam voluntatem; non tamen propterea ſtuprum huius virginis deſinet eſſe voluntarium, ſi nihil aliud geſſerit quàm reſiſtere tantùm voluntati rationali: ergo coactio non impedit voluntarium.

Violentum ſeu coactum cauſat inuoluntarium.

CONCLVSIO. *Violentum ſeu coactum cauſat inuoluntarium.* Aduerte, quòd ſicut voluntarium eſt illud quod habet ortum à principio intrinſeco cum cognitione finis: ità inuoluntariū dicitur eſſe illud, quod non habet ortum à voluntate, veluti à principio intrinſeco; ſeu, quod idem eſt, quod quis patitur inuitus, ſeu nolens. Hoc ità conſtituto.

Probatur Concluſio. Primùm, Violentum, ſeu coactum eſt illud quod habet ortum à principio extrinſeco, nullam ad id conferente vim paſſo, ſed reſiſtente quantum poteſt, vt author eſt ARISTOTEL. cap. 1. lib. 8. Ethicor. & Damaſcenus 2. de fide, cap. 24. & Gregor. Nyſſenus lib. 5. ſuæ philoſophiæ. Voluntarium verò cenſetur eſſe illud, quod habet ortum à principio intrinſeco, cum cognitione finis: ergo coactum deſtruit voluntarium, cùm hoc ſit à principio intrinſeco; illud verò ab extrinſeco, & nullam conferente vim paſſo, ſed potiùs renitente quantum poteſt. Confirmatur: Violentia actiuè ſumpta, ità eſt cauſa alicuius actus, ſeu motus, vt voluntas eius qui patitur violentiam, nullo modo ad eam concurrat, ſed potiùs aduerſetur, & contrarietur eidem quantum poteſt: ergo coactum deſtruit rationem voluntatij.

Deinde, in actibus perfectè voluntarijs reperitur meritum & demeritum, ſaltem pro eo tempore quo ſumus in hac vita; at in actibus coactis, & violentis nulla reperitur ratio meriti vel demeriti. Ità Diuus Thomas hoc loco, & communiter omnes eiuſdem interpretes.

Aduerte, Concluſionem iſtam intelligendam eſſe de coacto ſeu violento abſoluto, hoc enim, vt rectè obſeruat Curiel, cauſat inuoluntarium ſimpliciter; idque quod ſit cauſa ſimpliciter

actionis productæ, ad quam proinde non concurrat voluntas nostra actiuè, sed resistit quantum potest vt supponimus; coactum autem seu violentum conditionatum non causat inuoluntarium simpliciter, sed tantùm secundum quid, idque quòd violentum hoc, non sit causa totalis & adæquata actus, qui producitur; ad huius siquidem productionem aliqua ratione concurrit voluntas nostra, vt obseruat author citatus.

Soluuntur rationes cõtrariæ.

Ad contrarias rationes respond. Ad 1. percussionem vel occisionem istam, nec esse voluntariam, nec inuoluntariam, sed non voluntariam; datur enim medium inter voluntarium, & inuoluntarium, vt docent authores proximè citati: ex istis autem non licet colligere percussionem, vel occisionem prædictam esse simpliciter, & absolutè coactam: nam supponimus voluntatem se habere tantùm negatiuè ad istam coactionem; hoc autem non sufficit ad rationem coacti: præterea desideratur vt voluntas resistat quantum potest, ne percutiat, aut occidat, vt constat ex primo notabili: cùm ergo voluntas potuerit resistere corpore, nec tamen id præstiterit, occisio ista non censetur esse absolutè violenta, sed tantùm secundum quid: quare hæc dicitur absolutè voluntaria & secundum quid inuoluntaria.

1.

2. Ad 2. Resp. mortem illatam Christo & martyribus spectari & vt habet ortum à tyrannis, & vt liberè à Christo & à martyribus acceptatur: priori modo certum est dici violentam, seu coactam, posteriori verò minimè; ità enim est actus elicitus à fortitudine, & imperatus à charitate, quare censetur esse voluntaria, & verè meritoria vitæ æternæ: *Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioann. 15.

2.

3. Ad 3. stuprum illatum virgini in data hypothesi esse voluntarium, saltem indirectè, imputatur enim ei ad culpam mortalem, vt videre est ex Grat. 34. quæst. 1. & 2. cap. *Non satis*, & docent verbis expressis Azor lib. 1. Institutionum moralium cap. 9. quæst. 5. & Curiel ad hunc art. aliique multi Scholastici. Accedit ratio: mors pauperis imputatur ei qui non dedit eleemosynam, quando potuit & debuit, & si pauperi, non per se quidem, sed per accidens mortem intulerit: ergo illud idem est dicendum de hac virgine rapta, respectu stupri sibi illati; nã potuit & debuit virgo nedum mente, sed etiam corpore resistere, cùm quilibet teneatur auertere à se, quantum potest, id quod habet rationem peccati, seu mali; hoc autem non præstitit ista virgo, sed sola voluntate restitit; vt supponimus. Deinde, proiectio mercium in mare, in eo casu in quo quis nequit eas vnà cum propria vita conseruare, censetur esse voluntaria simpliciter, & absolutè; est enim efficax voluntas ista: similiter virgo quæ potuit resistere corpore, nec tamen restitit, exercuit actum simpliciter voluntarium, si non directè, saltem indirectè; volens enim resistentiam intermisit. Denique, idem est iudicium de ista virgine, ac de illo qui trahitur ad idola colenda opera tyrannorum, & infidelium: at hic peccat omnium consensu peccato idololatriæ, si non restiterit corpore, quando potuit & debuit, vt manifestè colligitur ex illo Matth. 10. *Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* & Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* ergo & illa virgo dum vim sibi inferenti non obsistit, peccato fœdatur.

3.

Matth. 10. vers. 33. Rom. 10. vers. 10.

Obijcies, subditum peccare quando præcipitur illi à superiore, & si sola voluntate reluctetur; præsertim, quando inferior tenetur parere superiori: ergo peccauit etiam virgo, quotiescumque sola voluntate aliquid præstiterit, etiam si non se defenderit proprio corpore. *Obiectio.*

Respond. ex istis nihil planè posse inferri; non enim negamus quin virgo peccare potuerit, aut etiam peccauerit de facto, quotiescumque solo corpore consensit in aliquid quod fuit ei vetitum; vel quia prohibitum tantùm, vel quia fuit ex se & sua natura malum: Sed commodiùs, virginem non excusari à peccato stupri, si sola voluntate se defenderit, cùm tamen potuerit pudicitiam tueri illæsam, defendendo se manibus, clamoribus, & alijs eius generis mediis: exemplum verò adductum de inferiori respectu superioris, non esse ad rem, quia inferior non habet ius se defendendi in superiorem legitimè præcipientem, mediis quibusdam extremis. Ità ferè omnes; virgo autem nedum potest se tueri contra oppressorem, sed etiam ad id de facto obligatur, vt constat ex dictis. *Solutio.*

ARTICVLVS SEXTVS.

An metus causet inuoluntarium.

TRIA sunt hoc loco breuiter explicanda. Primum, *An quæ fiunt ex metu sint voluntaria.*

Aduerte, ea fieri ex metu, quæ ità fiunt ab homine, vt ad eorum productionem verè accedat assensus voluntatis, qui non interuenisset, nisi metus præcessisset, & per consequens definitur, Metus, animi ægritudo aut perturbatio orta ex cognitione imminentis mali, quod interitum, aut molestiam afferre possit. Ità Aristotel. lib. 2. Ethic. cap. 1. *Quando censeantur fieri ex metu.*

Aduerte 2. Metum diuidi communiter in eum qui cadit in constantem virum, & in eum, qui cadit in inconstantem. Primus, qui grauis dicitur, datur in aliquo, quotiescumque animaduertit sibi imminere graue aliquod periculum, putà mortem, infamiam, exilium perpetuum, priuationem bonorum omnium externorum, & similia. Posterior verò, qui & leuis dicitur, consurgit ex eo, quòd quis cogitet sibi imminere malum aliquod leue; apprehenditur tamen hoc, quasi graue, idque propter inanimaduertentiam, aut imperfectionem aliquam eius qui concutitur hoc metu. *Metus diuisio.*

Aduerte tandem, metum omnem habere ortum vel à principio intrinseco, vel extrinseco: Posteriori modo datur metus in viatoribus, quotiescumque incidunt in manus latronum, & ab illis infestantur: priori verò modo, quando arguitur quis de culpa aliqua, vel de crimine à se commisso, quódque timet vindicandum esse publica authoritate. De istis ergo metibus omnibus quæritur hoc loco, an sint voluntarij. *Metus oriũ habet à principio intrinseco & extrinseco.*

CONCLVSIO. *Quæ fiunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria, & secundum quid inuoluntaria.* Primùm, quia hæc est expressa sententia S. Thomæ, & interpretum eiusdem hoc loco. *Quæ ex metu fiũt sunt simpliciter voluntaria.*

Deinde,

Digitized by Google

Deinde, proiectio mercium à mercatore facta in eo casu in quo nequit eas cum propria vita conseruare, est verè voluntaria; non enim cogitur ab vllo principio extrinseco ad proiectionem istam faciendam, sed eam eligit veluti medium vtile ad conseruandam propriam vitam, éstque proiectio ista efficax, respectu voluntatis mercatoris.

Tertiò, qui vel percutit, vel occidit aliquem ex metu cadente in constantem virum, secluſa aliâ omni iniuria externa, censetur esse homicida ex communi doctrina.

Quartò, qui iurat se daturum pecuniam prædoni postquàm libertate fuerit donatus, etsi iuramentum hoc præstiterit ex metu cadente in constantem virum, tenetur ad solutionem huiusmodi pecuniæ propter iusiurandi religionem: ergo quæ fiunt ex metu sunt simpliciter voluntaria.

Denique, fieri nequit vt volitio efficax finis fuerit voluntaria, quin & volitio mediorum sit similiter voluntaria; at supponimus mercatorem verbi gratia velle cõseruare propriam vitam, & id præstare non posse sinè largitione alicuius pecuniæ: ergo & largitio istarum pecuniarum erit voluntaria, etsi detur in mercatore ex metu aliquo.

Inuoluntaria secundum quid. Quod autem metus causet inuoluntarium secundum quid, colligitur ex eo, quod, ea peccata, quæ sunt facta ex metu sint hoc solo nomine minora, quòd sint facta ex metu, vt colligitur ex Aristotele, cap. 1. lib. 3. Ethic. ait enim eos quodammodo esse venia dignos qui aliquid metu admiserint.

Deinde, illud debet esse necessariò voluntarium, aut inuoluntarium, quod auget, vel minuit rationem culpæ; at metus minuit rationem culpæ, vt probatum est: ergo minuit & voluntarium. Denique, ità docet D. Thomas hoc loco, & ferè omnes eiusdem interpretes.

Obiectio. Obiicies, Aristotelem loco proximè citato affirmare simpliciter, & absolutè neminem pati iacturam suorum commodorum: ergo falsum est quæ fiunt ex metu esse simpliciter voluntaria.

Solutio. Respond. concesso antecedente, negando consequentiam; particula quippe, (absolutè, & simpliciter) est hoc loco coniungenda cum amissione commodorum, non autem cum ista particula quæ fiunt ex metu. Sensus ergo Aristotelis est, neminem facere iacturam suorum commodorum absolutè, & simpliciter loquendo voluntariè; cum istis tamen rectè stat, vt quæ fiunt ex metu cadente in constantem virum, sint absolutè, & simpliciter voluntaria; maximè quando res quæ fit ex metu nequit retineri cum propria vita.

Replica. Instabis, Diuum Thomam 2. 2. quæst. 142. art. 3. affirmare quæ fiunt ex metu, non esse simpliciter voluntaria.

Respondeo, hæc ità esse intelligenda, vt velit quæ fiunt ex metu, non esse simpliciter, hoc est purè voluntaria, ità vt particula (simpliciter) idem sit ac purè: contendit ergo hæc esse quodammodo mixta, id est partim voluntaria, partim inuoluntaria.

DVBITATIO SECVNDA.

An contractus celebrati ex metu cadente in constantem virum sint validi.

Contractus ex metu cadente in cõstantem virum initi, validi.

Conclvsio *affirmatiua.* Primùm, quia sunt liberi.

Deinde, quia diximus eum qui iurauit prædoni se daturum pecuniam teneri ad persolutionem huiusmodi pecuniæ propter fidei sacramentum, & iusiurandum datum.

Tertiò, si constitutus in probabili, aut euidenti periculo mortis, vouerit religionem, vel se retenturum castitatem toto tempore vitæ, omnium planè Theologorum consensu tenetur ad huiusmodi voti persolutionem.

Denique, matrimonium celebratum inter aliquos ex metu cadente in constantes viros, censetur esse validum, modò tamen fuerit celebratum præsente Parocho, vel deputato ab eodem, & duobus, vel tribus testibus in locis in quibus Concilium Trident. est publicatum: ergo idem asserendum in aliis contractibus.

Notabile. Moneo tamen, contractus ex metu cadente in constantem virum celebratos, irritari, & inualidari authoritate Ecclesiæ, itémque reipublicæ; maximè verò contractus matrimoniales, vt constat ex cap. *Veniens*, de sponsalibus: dicitur enim illic matrimonium metu mortis contractum esse planè nullum.

Deinde, ad matrimonium desideratur summa libertas, idque quòd tantam inducat obligationem, vt nequeat aliter dissolui, quàm propria morte alterius coniugis, vt constat ex illo Pauli: *Præcipio, non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere.* & 1. Corinth. 7. *Mulier alligata est legi, quamdo tempore vir eius viuit: quòd si dormierit vir eius liberata est, cui vult nubat: tantùm in Domino.* at libertas ista non est in istis qui contrahunt matrimonium ex metu cadente in constantem virum. 1. Cor. 7. vers. 10. & 39.

Denique, matrimonia ex metu contracta solent infaustos vt plurimum habere exitus.

Vt dissoluatur matrimonium 3. conditiones requirãtur. Aduerte nihilominus, vt contractus tam matrimonij, quàm alterius rei dissoluatur, tres desiderari absolutè conditiones. Prima, quòd contractus sint peracti ex metu cadente in constantem virum. 2. quòd iniuria fuerit illata alteri parti contrahenti. Vltima, quòd iniuria ista fuerit sensilis, externa & violenta. Addo contractus sacramenro confirmatos solemni, vix authoritate Ecclesiæ dissolui, aut aliquo iure publico, aut peculiari, vt manifestè colligitur ex cap. *Ad aures.* & ex cap. *Cum dilectus.* De ijs quæ vi, metúsve causa fiunt; præcipitur enim illic, vt is qui iurauit se persoluturum vsuras, easdem vsurario reddat, idque propter iuramenti religionem. Ex causa tamen legitima & graui absoluitur interdum aliquis ab obligatione contracta medio iuramento solemni, ceterùm tantùm authoritate Pontificis maximi, quòd huius sit de rebus sacris in re maximi momenti, & ponderis iudicare.

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An quæ fiunt ex metu cadente in conſtantem virum contra præcepta iuris naturalis, diuini, & humani poſitiui, ſint ſimpliciter peccata, vel mortalia, vel venialia.

Quæ fiunt ex metu non ſunt peccata.

CONCLVSIO 1. *Quæ fiunt ex metu cadente in conſtantem virum, contra præcepta iuris diuini poſitiui, non ſunt ſimpliciter peccata, vel mortalia, vel venialia.* Primùm, quia non eſt veriſimile Deum voluiſſe obligare mortales ad obſeruationem iſtorum mandatorum in omni planè caſu, cum tanto diſpendio, quantum eſt amiſſio vitæ præſentis.

2. Deinde, obſeruatio Circumciſionis in lege Moſaica fuit in præcepto diuino, vt conſtat ex c. 17. Genes. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*; atqui toto illo tempore quo Iudæi permanſerunt in deſerto, nulli planè fuit adminiſtrata circumciſio, ex cap. 5 Ioſuæ. & colligunt aliqui ex verbis Pſal. 104. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* idq; inculpatè, vt fatentur omnes Scholaſtici, & manifeſtè conuincitur, ex eo quòd non eſt credibile Moyſen, prætermiſiſſe adminiſtrationem circumciſionis, ſi aliqua culpa fuiſſet ſubſequuta ex huiuſmodi omiſſione.

Genes. 17. verſ. 14.

Pſal. 104. verſ. 37.

3. Tertiò, non licèt in Sabbatho opus aliquod manuale exercere, vt colligitur ex cap. 15 Numer. homo enim qui ligna quædam collegerat in die Sabbathi decreto Dei per Moyſen lapidibus obruitur, propter peccatum commiſſum, atqui 1. Machab. cap. 2. vir alioqui religioſiſſimus laceſſitus ab hoſtibus, in die Sabbathi deſcendit in aciem contra iſtos, & glorioſam de ijs victoriam reportat, idque inculpatè omnino. Præterea vſus panum propoſitionis ſolis Sacerdotibus & Leuitis fuit licitus, vt conſtat ex cap. 11. Leuitici, & tàmen Achimelec Sacerdos panes huiuſmodi in caſu neceſſitatis dedit manducandos Dauidi, & exercitui eiuſdem, vt conſtat ex c. 21. lib. 1. Reg.

4. Denique, Baptiſmus, itémque penitentia ſunt in præcepto iuris diuini poſitiui, omnium conſenſione; atqui poſſunt hæc ſacramenta prætermitti interdum ſinè culpa, nempe in eo caſu in quo nullus eſt qui poſſit ſacramenta iſta adminiſtrare; nemo ſiquidem peccat in ijs quæ effugere non poteſt, certum autem eſt neminem poſſe ſeipſum baptizare, neque item ſibi ipſi penitentiam miniſtrare.

Aliqui caſus in quibus nulla ratione licet omittere obſeruationem iuris poſitiui.

Monco tamen extare caſus aliquos in quibus non licet propter vitam conſeruandam, aut propter vitandum exilium perpetuum, aut denique infamiam, prætermittere obſeruationem iuris diuini poſitiui. Primus caſus eſt, quando ex omiſſione iuris diuini poſitiui ſequitur abnegatio fidei, & ſcandalum puſillorum. Primùm, quia ità fatentur omnes communiter in tractatu de legibus, & multis probat Azor cap. 11. lib. 1. ſuarum Inſtit. Moral. Deinde, quia concedunt commuiter omnes præceptum de profitendo fidem obligare tunc temporis, quando ſequitur imminutio fidei, & ſcandalum puſillorum ex eo, quòd aliquis non profiteatur extrinſecè fidem Catholicam. Tertiò, hoc ipſum colligitur ex cap. 7. lib. 2. Machab. dicitur enim Machabæos pluris feciſſe mortem, & exquiſitiſſima quæque ſupplicia experiri, quàm carnes porcinas comedere, idque quòd timuerint iſti ne eorum exemplo allicerentur Iudæi ad legis Moſaïca abnegationem. Denique, hoc ipſum infertur ex verbis iſtis Matth. 16. *Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere perdet eam; qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Matth. 16. verſ. 25.

Secundus caſus quotieſcumque præceptum iuris diuini poſitiui cenſetur eſſe neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem: ità docent communiter omnes locis proximè citat. Deinde, quia propter hanc cauſam fatentur omnes, vbi de baptiſmo & penitentia, neminem poſſe iuſtificari à peccato originali ſinè baptiſmo in re, vel in voto ſuſcepto; neque ab actuali, ſinè penitentia in re, vel in voto ſuſcepta. Denique, neminem poſſe vitam conſequi, niſi explicitè credat aliqua, ex ijs, quæ ſunt fidei Chriſtianæ; at iſta omnia attinent ad præceptum iuris poſitiui diuini: ergo in hoc caſu non excuſat metus cadens in conſtantem virum.

Dices, in iſtis caſibus ſatis eſſe, quòd quis velit iſta præcepta adimplere. *Obiectio.*

Reſpond. hoc eſſe falſum; præcepta quippe huiuſmodi obligant in re interdum, nempe quando adeſt copia conſequendi iſta ſacramenta, & inſtat periculum mortis, neque aliter poſſumus aſſequi vitam æternam. Deinde, quia in tractatu de fide, docetur, neminem inter adultos poſſe vitam æternam comparare, niſi explicitè crediderit aliqua, ex ijs quæ ſunt fidei diuinæ; ac proinde metus cadens in conſtantem virum non poteſt aliquem à peccato excuſare, ſi neglexerit conſequi ea quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. Denique, baptiſmus in re, vel ſaltem martyrium, eſt ſimpliciter paruulis neceſſarium: ergo & ſacramenta neceſſaria neceſſitate medij erunt aliquando realiter ad adultorum ſalutem neceſſaria. *Soluitur.*

CONCLVSIO 2. *Quæ fiunt contra præcepta iuris humani poſitiui, ex metu cadente in conſtantem virum, non ſemper ſunt peccata.* Primùm, quia conuenit intet omnes poſſe dari eleemoſynam homini excommunicato conſtituto in extrema neceſſitate, & tamen iure humano poſitiuo cautum eſt, ne quis excommunicatum adeat. *Actiones contra ius humanum non ſunt peccata.*

Deinde, Chriſtianus qui peregrinatur apud infideles, poteſt inculpatè exigere ab iſtis omnia neceſſaria ad victum & veſtitum.

Tertiò, Nauarrus & plerique Caſuiſtæ docent, Sacerdotem excommunicatum, ſuſpenſum, interdictum, & irregularem, occultè tamen, ſeu quod idem eſt in foro conſcientiæ tantùm, poſſe facere ſacrum ſemel, aut iterum inculpatè, quando non aliter poteſt tueri propriam vitam, aut propter vitandam infamiam, aut etiam exilium perpetuum; iure tamen poſitiuo Eccleſiaſtico vetitum eſt ne Sacerdos huiuſmodi impedimentis adſtrictus, vllum adminiſtret ſacramentum.

Quartò, præcepta iuris diuini poſitiui, non obligant ſemper cum diſpendio vitæ, infamiæ, aut alterius maximi nocumenti, vt probatum eſt Concluſione immediatè antecedente. Deinde, quando dantur duo præcepta quæ ſimul & ſemel ſeruari non poſſunt, minus definit obligare, maius verò eſt exequutioni mandandum; atqui in re præſenti ſupponimus vitam eſſe conſeruandam, aut etiam vitandam ignominiam, & item concurrere præceptum de non edendis carnibus tempore quadrageſimę v.g. ergo cùm id nequeat obſeruari niſi cum manifeſtiſſimo periculo vitæ, poterit quis prętermittere obſeruationem iſtius pręcepti vtpote minoris propter vitam conſeruandam.

Digitized by Google

Addo tamen propoſitionem iſtam : Quando dantur duo præcepta , quæ ſimul , & ſemel obſeruari non poſſunt , minus non obligare , ſed tantummodo maius, non ſemper eſſe veram: nam in eo caſu , in quo obſeruatio minoris præcepti magis conducit ad bonum alicuius communitatis , minus præceptum eſt executioni demandandum ; maius verò prætermittendum , ſaltem ſi maius hoc præceptum obſit vni , aut alteri tantùm : propter hanc quippe cauſam fatentur omnes communiter , Carthuſianos non peccare, etiamſi non veſcantur carnibus, quando iudicio medicorum conſtat non poſſe eos aliter priſtinæ ſanitati reſtitui , niſi edendo carnes: Volunt ergo Carthuſianos , inculpatè prætermittere obſeruationem præcepti , de tuenda propria vita , quod eſt iuris naturalis , & diuini poſitiui, ac proinde maius quàm ſit præceptum de non edendis carnibus , hoc enim totum eſt iuris humani poſitiui. Hæc eadem res facit , vt docetur in tractatione de ſigillo confeſſionis, neminem poſſe peccatum auditum in confeſſione alteri detegere abſque licentia penitentis , etiam propter vitam conſeruandam , aut aliquod aliud malum, quantumuis grauiſſimum declinandum.

Obiectio. Dices , ex cap. *Sacris* , de ijs quæ vi, metuſue cauſa fiunt, prohiberi , ne quis agat cum homine excommunicato.

Solutio. Reſpondeo, ex iſtis ſolùm poſſe colligi ex metu cadente in conſtantem virum , nemini fas eſse admittere culpam , quantumuis minimam, quod nos vltrò concedimus, non autem ea omnia quę fiunt ex metu contra præcepta iuris humani poſitiui , ſemper eſse peccata , qua de re diſputatur hoc loco , vnde poſsunt hæc præcepta deſinere obligare interdum , & aliquando.

Solutio 2. Reſpondeo 2. Ex ijs quæ habentur in hoc cap. *Sacris* , poſse colligi præterea , neminem poſse verſari inculpatè , cum excommunicato , quando ex huiuſmodi conuerſatione ſequitur contemptus clauium , & iuriſdictionis Eccleſiæ. Ità Azor qui de hac re eſt legendus loco proximè citato , habet enim aliquas alias de hac re obiectiones , & difficultates ſcitu dignas.

Operationes contra præcepta ſunt peccata. Conclvsio vltima. *Quæ fiunt contra præcepta negatiua, iuris naturalis , vel diuini ex metu cadente in conſtantem virum , ſemper ſunt peccata: non tamen ità grauia, vt eſſent non interueniente metu.* Primùm,quia præcepta iſta obligant ad ſemper,& pro ſẽper,id eſt,in nullo planè inſtãti temporis liberum eſt admittere inculpatè id, quod prohibetur præcepto negatiuo iuris naturalis: propter id in confeſso eſt apud omnes in tractatu de legibus , numquam licitum eſse mentiri, occidere, mœchari , idque quòd præcepta iſta ſint negatiua , & de iure naturali.

Deinde , ea quæ prohibentur iſtis præceptis ſunt ex ſe, & ſua natura mala ; quod autem eſt ex ſe & intrinſecè malum , non poteſt fieri ab aliquo inculpatè : ergo huiuſmodi præcepta tranſgrediens peccat.

Dixi autem , quæ fiunt contra huiuſmodi præcepta non ità eſſe grauia quando ex metu contingunt, ac ſi nullus metus interueniſſet ; quia metus hic minuit quodammodo libertatem, quæ ſolet culpæ grauitatem augere. Deinde, ſi metus non interueniſſet non fuiſſet violatum negatiuum præceptum iuris naturalis, ab eo qui ex hypotheſi peccauit. Denique , quælibet paſſio violenta minuit, aut ſaltem minuere poteſt voluntarium perfectum , ſeu liberum ; metus autem inter paſſiones computatur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An concupiſcentia cauſet inuoluntarium.

Quid nomine concupiſcentiæ intelligatur. Aduerte, nomine concupiſcentię intelligere dumtaxat D.Thomam hoc loco quemcumque motum , affectum , paſſionem , ſeu perturbationem receptã in appetitu rationali & ſenſili , meru tamen excepto: de eo quippe diſputauit Articulo proximè antecedente. Eſt autem concupiſcentia iſta duplex , vt colligunt multi ex eodem D.Tho. quæſt.77. artic.2. huius partis ; alia antecedens, altera conſequens : illa cenſetur eſſe ea quæ ponitur in appetitu rationali ante omnem conſultationem , & deliberationem ; ac proinde ante iudicium quodlibet rectæ rationis: hæc verò definitur paſſio recepta in appetitu ſenſili ex præcepto voluntatis rationalis : de iſtis ergo duabus concupiſcentijs, quærit hoc loco D.Thomas, an cauſent inuoluntarium , an verò augeant voluntarium.

Concupiſcentia conſequens auget voluntariũ. Damaſc. Nyſſen. D. Thom. Conclvsio 1. *Concupiſcentia conſequens, tantùm abeſt vt cauſet inuoluntarium , quin imò auget voluntarium:* primùm,quia hæc eſt expreſſa ſẽtentia D. Damaſc. 2. de fide,cap.24.& Gregorij Nyſſeni lib.5. ſuæ philoſophiæ, cap 3. *Voluntarij ſigna ſunt , potentis quidem voluptas , priuati verò triſtitia ; ex quibus clarè dilucet, voluntarium complere concupiſcentiam & iram : etenim ira cum voluptate fit. Inſuper ſi quis ea quæ per iram & concupiſcentiam fiunt , inuoluntaria dixerit , morales virtutes interimit.* & D. Thomæ hoc loco.

Deinde , concupiſcentia iſta conſequens intenditur directè à voluntate rationali , vt conſtat ex notabili poſito ; quæ autem intenduntur per ſe à voluntate, hæc augent verè voluntarium, non autem minuunt. 2.

Tertiò , quod habet ortum à voluntate veluti à principio intrinſeco ex cognitione finis , iuuat ad minus voluntarium : at paſſio ſeu concupiſcentia conſequens facit vt actus ex ea productus habeat ortum à voluntate noſtra veluti à principio intrinſeco , & ex cognitione finis : ergo concupiſcentia hæc iuuat voluntarium. 3.

Denique , quod facit obiectum præſens voluntati rationali in ratione boni magis conuenientis , illud iuuat voluntarium, non autem minuit : auget namque propenſionem , & inclinationem voluntatis circa proprium obiectum in ratione boni magis ſibi conuenientis,cùm moueat & alliciat voluntatem vt feratur in obiectum: ergo, &c. 4.

Obiectio. Obijcies , concupiſcentiam conſequentem, minuere cognitionem , ac proinde & iudicium rationis, ex quo oritur libertas : ergo minuit etiam voluntarium.

Solutio. Reſpondeo conceſſo antecedente , negando conſecutionem : diximus enim concupiſcentiam iſtam intendi directè à voluntate. Deinde, quia concupiſcentia iſta conſequens auget apprehenſionem voluntatis circa proprium obiectum,& conſequenter iuuat voluntatem , ad hoc vt operetur conformiter ſuæ naturæ. Denique, concupiſcentia iſta minuit cognitionem non quidem quando voluntas ſe debet determinare ad agen-

Digitized by Google

dum, vel non agendum; ſed pro eo tempore, quo ſuos de facto exequitur effectus, qua ratione tantùm abeſt, vt minuat voluntarium, quin imò auger illud: idem quippe præſtat concupiſcentia conſequens, circa voluntarium in hac hypotheſi, quod facit defectus aduertentiæ circa digitos & chordas alicuius inſtrumenti muſici, quando pulſatur hoc à Citharædo; ſi enim aduerteret attentè ad quamlibet manus agitationem, & item ad quamlibet chordam, quam attingere debet, certè impediretur, nec ità perfectè pulſaret inſtrumentum: ità concupiſcentia conſequens magis afficit voluntatem in actibus voluntarijs exercendis, quàm ſi non interueniret talis iſta concupiſcentia in voluntate.

Replica. Inſtabis, ignorantiam deſtruere voluntarium, ex doctrina D. Thom. artic. immediatè ſubſequente: ergo idem deſtruet concupiſcentia conſequens.

Diſſoluitur. Reſpondeo, quidquid ſit de antecedente, negando conſequentiam; propterea enim ignorantia deſtruit voluntarium, quia voluntas, cùm ſit cæca nequit attingere ſuum obiectum, niſi fuerit conſtitutum præſens per actum intellectus; ac proinde per cognitionem eiuſdem: concupiſcentia verò conſequens, non deſtruit cognitionem in voluntate reſpectu ſui obiecti, ſed hanc ſimpliciter præſupponit, vnde non eſt mirum, ſi dicamus concupiſcentiam iſtam, nulla ratione minuere voluntarium.

Concupiſcentia antecedens minuit volun-tarium. Probatio ex D. Tho.

Conclvsio 2. *Concupiſcentia antecedens minuit ſemper in nobis voluntarium perfectum, ſeu quod idem eſt, liberum voluntarium.* Hæc videtur eſſe D. Thomæ, quod dico quia ſunt multi qui qui citant eum pro contraria opinione, ſed immeritò; habet enim hæc verba quæſt. 6. artic. 7. huius partis: *Voluntarium tollitur ex concupiſcentia.* quæ nihil aliud ſignificare videntur, quàm voluntarium perfectum ſtare non poſſe cum concupiſcentia antecedente, & item concupiſcentiam cohærere non poſſe cum voluntario perfecto, ſeu libero: nam concupiſcentiam antecedentem ſtare cum voluntario imperfecto, indubitatum eſt, ex pueris & ſtultis hominibus, itémque brutis animantibus. Deinde, fieri poteſt vt tanta detur paſſio, ſeu concupiſcentia antecedens in aliquo, vt hæc deſtruat rationem culpæ in quibuſdam actionibus quas exercet, quæ alioquin ſi eſſent factæ liberè verè culpabiles eſſent; argumento igitur eſt concupiſcentiam antecedentem minuere, vel tollere vſum libertatis ſaltem interdum & aliquando. Tertiò, voluntarium ſumi-

D. Thom. tur hoc loco à D. Thom. & alibi hac in parte, in qua diſputat de actibus humanis, tam bonis, quàm malis, pro voluntario perfecto, ſiue, quod idem eſt, libero, ut conſtat ex artic. 6. quæſt. 77. ità enim legit. *Ex paſſione antecedente imminuitur peccatum, quia ex illa imminuitur voluntarium, & peccatum eatenus peccatum eſt quatenus eſt voluntarium, id eſt liberum:* quæ poſtrema verba colligit D. Tho. ex Auguſtin. lib. de libero arbitrio. Denique, propoſitio hęc cõmuniter admittitur in ſcholis: Omne peccatum vt peccatum, eſt voluntariũ; voluntas quippe eſt ſimpliciter neceſſaria ad malum, vel bonum operandum: ergo nomine voluntarij intelligit D. Thom. liberum hoc loco.

Effugiũ aduerſariorũ. Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, concupiſcentiam antecedentem minuere quidem voluntarium, quod eſt fundamentum peccati, minimè verè voluntarium perfectum.

Præludimen. Ceterùm reſponſio hæc, licèt vera ſit, non tamen eſt ad rem, de qua diſputamus hoc loco: nam D. Thomas confundit ibi voluntarium perfectum, cum eo, quod eſt fundamentum peccati; ſeu, quod idem eſt, cum libero; differit namque de voluntario, reſpectu hominum conſtitutorum in hac vita, & de lege communi: in nobis autem, dum agimus in hac vita, voluntarium quod eſt fundamentum peccati, ſeu liberum, eſt idem planè cum voluntario perfecto, & è contra: abſolutè tamen & ſimpliciter loquendo voluntarium perfectum latiùs patet libero: nam actus quo Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum eſt perfectè voluntarius, cùm habeat ortum à voluntate vtriuſque, ex perfectiſſima cognitione, non tamen actus hic eſt liber ſed ſimpliciter neceſſarius, vt docetur in tractatu de proceſſione Spiritus ſancti, & manifeſtè colligitur ex eo, quòd nihil planè ſit intrà Deũ, quod non ſit æquè neceſſarium, ac ipſemet Deus; actus autem hic quo producitur Spiritus ſanctus eſt idem planè cum Patre & Filio actiuè ſpectatus; paſſiuè verò idem cum Spiritu ſancto. Amor præterea qui datur in beatis, de diuina eſſentia clarè viſa eſt perfectiſſimè voluntarius, & tamen non eſt liber, ſed neceſſarius, ex communi doctrina.

Probatur 2. Concluſio: Concupiſcentia antecedens minuit cognitionem, in eo, in quo datur; ac proinde & iudicium rationis ex quo conſequitur libertas: radix enim libertatis cenſetur eſſe cognitio intellectus: ergo concupiſcentia iſta minuit libertatem. 2. *Alia Concluſio probatio.*

Tertiò, operari liberè nihil eſt aliud, quàm poſitis omnibus, ad agendum neceſſarijs poſſe agere, vel non agere; at facultas iſta, poſita concupiſcentia antecedente minuitur: nam trahitur voluntas noſtra ab huiuſmodi paſſione violenta, vt acceptet ſuum obiectum: diximus enim concupiſcentiam iſtam augere apprehenſionem voluntatis circa propoſitum obiectum hîc & nunc, & in his & illis circumſtantijs. 3.

Quartò, peccata commiſſa ex concupiſcentia aliqua violenta, cenſentur eſſe minora peccatis commiſſis ex malitia, omnium Theologorum iudicio: atqui tota ratio huius rei repetenda eſt, ex eo quòd ea quæ fiunt à nobis ex malitia, habeant in ſe plus libertatis, quàm ea quæ fiunt ex violenta perturbatione: ergo violenta perturbatio minuit voluntarium. 4.

Denique, fieri poteſt, vt tanta ſit concupiſcentia in aliquo, vt actus qui alioquin erat culpabilis, non tamen imputetur ei ad culpam, vt conſtat ex motibus primò primis: ergo concupiſcentia, ſaltem iſta, minuit libertatem, ſeu voluntarium perfectum. 5.

Obiectio. Obijciunt 1. Authores contrariæ ſententiæ, D. Thomam in corpore articuli ità legere, *Concupiſcentia non cauſat inuoluntarium, ſed magis facit aliquid voluntarium.*

Solutio. Reſpondeo 1. Non conſtare, an D. Thomas loquatur de concupiſcentia antecedente, an verò de conſequente. Deinde, particula iſta, *magis*, idem eſt quod particula, *potius*, ex quorumdam eiuſdem interpretum annotatione; ac proinde ſenſus prædictorum verborum eſt: concupiſcentiam non cauſare inuoluntarium, ſed potiùs voluntarium; ex iſtis autem non poſſunt aduerſarij colligere, concupiſcentiam antecedentem,

tem, non cauſare inuoluntarium, ſeu, quod idem eſt, non minuere voluntarium liberum.

Obiectio 2. Obijciunt 2. Habitus intellectus in voluntate non minuere voluntarium liberum: ergo neque hoc idem præſtabit cõcupiſcentia antecedens.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem; propterea enim habitus exiſtentes in voluntate non minuunt libertatem noſtram, quia ſe habent intrinſecè ad actus voluntatis producendos, vnà cum voluntate; concupiſcentia autem antecedens ſe habet ab eoſdem actus extrinſecè, ex communi doctrina.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vtrùm ignorantia cauſet inuoluntarium.

Diuiſiones ignorantiæ. THEOLOGI Scholaſtici varias aſſignant ignorantiæ diuiſiones; ex iſtis autem multis, tres videntur eſſe magis accommodatæ ad ea intelligenda, quæ ad hunc Articulum ſpectant. Prima eſt, in

1. Ignorantia iuris, & facti. ignorantiam iuris, & facti: illa datur in nobis, quotieſcumque ignoramus ea, quæ vel prohibita ſunt, vel præſcripta aliquo iure, vt cùm quis neſcit prohibitum eſſe iure Eccleſiaſtico, nè quis in quadrageſima veſcatur carnibus, aut ne quid agat cum excommunicato denunciato: hæc verò, quandocumque quis veſcitur carnibus tempore quadrageſimæ, vel agit cum excommunicato denunciato. Ignorantia iuris ſubdiuiditur in ius ipſum, ac proinde in ignorantiam iuris naturalis, diuini & humani: Ignorantia verò facti ſubdiuiditur in ignorantiam facti proprij, & alieni. Prima ignorantia, iuris ſcilicet, numquam excuſat à peccato, ſecus verò ignorantia facti.

2. Ignorantia vincibilis & inuincibilis. Secunda diuiſio eſt in ignorantiam inuincibilẽ, & vincibilem: Prima datur in eo qui præſtitit illud omne, quod debuit, & potuit, vt declinaret huiuſmodi ignorantiam, neque tamen id potuit aſſequi: poſterior verò datur in eo qui potuit aliqua vitare, neque tamen propterea id præſtitit. Illa ſemper excuſat hominem à peccato; hæc verò neminem, ſaltem vt plurimum: quòd dico, quia dantur plures ignorantiæ vincibiles in nobis, quæ tamen non imputantur nobis ad culpam, nempe in eo omni caſu, in quo non tenemur vitare huiuſmodi ignorantias, etiamſi abſolutè poſſimus: propter id excuſatur à peccato, qui non audit ſacrum die aliquo feſtiuo, quia non debuit hic intereſſe miſſæ parochiali die dominica, vt ſuppono, quo tamen tempore indictum fuit huiuſmodi feſtum celebrandum, authoritate Pontificis Maximi, vel etiam Epiſcopi, præſertim ſi feſtum hoc non fuerit aliàs in præcepto.

Antecedẽs, concomitãs, & cõſequẽs. Tertia diuiſio, aſſignatur à D. Thoma hoc loco in ignorantiam antecedentem, concomitantem, & conſequentem. Antecedens cenſetur eſſe ea quæ eſt cauſa actus, eo modo quo eſſe poteſt, nempe vt remouens prohibens, ſeu quod idem eſt, quæ remouet ſcientiam quæ ſi interueniſſet, actus non fuiſſe ſubſequutus.

Hæc fuit in Iacob, quando acceſſit ad Liam, dum crederet illam eſſe Rachelem, *Geneſ. 29.* ſi enim ſciuiſſet eſſe Liam, nequaquam cum ea concubuiſſet, idque quod perfectiſſimè intelligeret lapſum carnis extra ſtatum coniugalem eſſe iure naturali, & diuino prohibitum: quæ autem fiunt ab aliquo cum iſta ignorantia, ex ignorantia fieri dicuntur. Concomitans cenſetur eſſe ea, quæ non eſt cauſa actus humani, ſeu peccati; hæc quippe non poſita actus humanus fuiſſet executioni demandatus: hæc dicitur fuiſſe in Lamech quando occidit Caïn, vt obſeruant interpretes hoc loco; dabat ſiquidem Lamech operam venationi, & cogitabat de ſolis feris occidendis, contigit autem vt in loco ferarum latitaret Caïn; quare fortuitò, non autem voluntariè fuit occiſus: quæ fiunt ex iſta ignorantia ignoranter fieri dicuntur. Subſequens verò dicitur ea, quæ intenditur à nobis actu aliquo verè explicato, putà, cùm quis dicit apud ſe, Nolo intereſſe ſacro, vel concioni, ne fortè audiam ea quæ ſunt à Deo, vel ab Eccleſia prohibita, & quidem ex conſilio vt liberiùs peccare poſſit, & peccato poſito declinare conſcientiæ ſtimulos: hæc nuncupatur ignorantia craſſa, affectata, ſupina, culpabilis, voluntaria: quæ autem fiunt ex iſta ignorantia ex malitia fieri dicuntur, quæ numquam excuſat hominem à peccato, ſed ſemper illud auget. Ceteras verò diuiſiones tradunt Azor lib. 1. Inſtitutionum Moral cap. 1. & ceteri interpretes D. Thom. nonnulli hoc loco, alij verò quæſt. 76. huius part. & plerique Sententiarij in 2. diſt. 26.

Ignorantia antecedens cauſat inuoluntariũ. His ità præmiſſis, docet primo loco D. Thomas, ignorantiam antecedentem cauſare in nobis inuoluntarium ſimpliciter; de qua re nulla ſupereſt occaſio diſputandi: hæc enim deſtruit omnem cognitionem neceſſariam ad hoc vt actus dicatur fieri voluntarius. Deinde, ignorantia illa eſt ſimpliciter inuoluntaria ex qua ſequitur triſtitia, quamprimùm audimus id factitatum eſſe à nobis quod erat prohibitum, vt author eſt Ariſtoteles lib. 1. Ethicor. & obſeruat Curiel ad hunc locum D. Thom. at quamprimùm Iacob audiuit ſe cum Lia concubuiſſe, triſtitia fuit affectus quòd crederet ſe acceſſiſſe ad Rachelem, cum qua legitimum contraxerat matrimoniũ, cùm tamen nõ cum ſponſa legitima, ſed cum alienâ cõcubuiſſet: igitur ignorantia antecedẽs cauſat inuoluntariũ.

Concomitãs, nec voluntariũ nec inuoluntariũ cauſat. Docet 2. Ignorantiam concomitantem nec cauſare voluntarium, nec inuoluntarium, ſed non voluntarium. Ratio prioris eſt, quia nihil poteſt cauſare voluntarium, niſi attingat etiam voluntarium, at ignorantia concomitans, non attingit voluntarium: diximus enim ea non exiſtente non minùs actum eſſe ſubſequuturum, quàm ſi interueniſſet. Secundum verò colligitur ex eo, quòd inuoluntarium definiatur, id quod non habet ortum à voluntate, vel quod quis patitur inuitus: at quod fit ex iſta ignorantia, concomitante ſcilicet, habet ortum à voluntate; Lamech quippe verè occidit Caïn, licèt nihil de illo cogitaſſet. Tertia denique pars ex eo oſtenditur, quòd non voluntarium definiatur, id quod habet ortum à voluntate, ſinè cognitione neceſſaria, ad hoc vt actus imputetur ad culpam: at occiſio Caïni habuit ortum à voluntate Lamech, non cogitante de occidendo Caïno, ſed tantùm de fera configenda: ergo occiſio hæc cenſetur eſſe non voluntaria.

Conſequens ignorantia voluntariũ cauſat. Docet tandem, ignorantiam conſequentem cauſare voluntarium ſimpliciter, & inuoluntarium ſecundum quid; ratio prioris eſt, quia ignorantia iſta intenditur actu aliquo explicito à voluntate. Deinde, quia hæc ſemper imputatur

homini ad culpam; hæc autem ità peccatum eſt, vt non poſſit eſſe tale niſi fuerit voluntaria, & libera: ratio verò poſterioris partis eſt, quia aliqua fiunt ex iſta ignorantia, quæ tamen non fierent ſi daretur in nobis ſcientia, ſeu cognitio oppoſita iſti ignorantiæ.

QVÆSTIO VII.

De circumſtantijs actuum humanorum.

ARTICVLO 1. Docet D. Thom. circumſtantias eſſe accidentia actus humani.

ARTICVLO 2. Circumſtantias actuum humanorum pertinere ad conſiderationem Theologi.

ARTICVLO 3. Circumſtantias conuenienter enumerari.

ARTICVLO VLTIMO. Circumſtantiam quæ attingit actum humanum in ratione finis cuius gratia, eſſe præcipuam & principalem; eam verò quæ eumdem attingit ſecundum ſubſtantiam in quo, vel circa quid, vt alij loquuntur, vendicare ſibi ſecundas partes.

Circa hanc Quæſtionem tria ſunt breuiter explicanda.

DVBITATIO PRIMA.

Qua ratione circumſtantiæ ſe habeant ad actus humanos.

ANtequam hoc à nobis definiatur.

Circũſtantiæ ſingula dicta.

Aduerte, circumſtantias eſſe ab Ariſtotele nuncupatas ἰκαστὰ, id eſt, ſingula. hanc eamdem rationem loquendi retinet Damaſcenus, cap. 24. lib. de fide, & nonnulli alij probati authores; propterea autem dicuntur circumſtantiæ, ſingula, vel quia oportet omnem actionem humanam, eſſe indiuiduam, & ſingularem, vel quia bonitas ſeu malitia totalis, & adæquata cuiuſlibet actus humani repetenda eſt à ſubſtantia, & ab omnibus circumſtantijs. Hoc ità conſtituto, ſit

Circumſtãtiæ ſunt accidentia actuum.

CONCLVSIO. *Circumſtantiæ ſe habent ad actum humanum, veluti accidentia eiuſdem.* Quia hæc eſt doctrina D. Thomæ art. 1. huius quæſt. cui ſubſcribunt eiuſdem interpretes, idque vel intrà eamdem ſpeciem, vel certè intrà diuerſam; minimè verò conſtituunt eſſentiam actus humani; hæc enim conſurgit ex principio productiuo eiuſdem, ex libertate operantis, ex obiecto proximo, & denique ex fine intrinſeco, non autem ex fine operantis.

Et qua ratione.

Aduerte, circumſtantias nuncupari à nobis accidentia actus humani, non quòd reperiantur in actu humano, tamquam in ſubiecto; nulla enim circumſtantia diuerſa à modo, ſeu medio actus humani reperitur in eo tamquam in ſubiecto, ſed quia circumſtantiæ iſtæ augent, vel certè minuunt bonitatem, vel malitiam moralem cuiuſlibet actus humani intrà eamdem ſpeciem, vel diuerſam, vt conſtat exemplo furti; ſi enim furtum in magna quantitate eſt peccatum mortale, & contra virtutem iuſtitiæ; ſi verò in mole exigua, veniale, ſi autem fuerit in loco ſacro, vel circa rem ſacram peractum, circumſtantia iſta loci, vel rei ſacræ malitia iſtius furti in ſpecie aliena, facit vt furtum hoc ſit ſacrilegium, idque quod nedum ſit contra virtutem iuſtitiæ, quæ prohibet ne quis detineat alienum inuito domino, ſed etiam contra virtutem religionis quæ docet rem ſacram non eſſe profanandam.

DVBITATIO SECVNDA.

Quæ, & quot ſint circumſtantiæ actus humani.

VAriant in hac re explicanda nedum Theologi, ſed etiam ceteri authores; iuris quippe periti ſeptem aſſignant actus humani circumſtantias, vt refert Azor, cap. 18. lib. 1. Inſtitut. Moral. cauſam, ſcilicet perſonam, locum, tempus, qualitates facti, ſeu quomodo, & denique euentum rei. Ex Theologis verò D. Bonauent. in 4. diſt. 16. dub 9. quatuordecim enumerat quæ iſtis verſiculis continentur.

Aggrauat ordo, locus, perſona, ſcientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, cauſa,
Et modus in culpa, ſtatus altus, lucta puſilla.

Alij verò octo referunt actus humani circumſtantias: de ſeptem primis conuenit inter omnes, minimè verò de octaua. Maior quippe in 4. diſtinct. 17. quæſt. 4. putat circumſtantiam iſtam eſſe numerum peccatorum. Richardus verò ibidem exiſtimat eſſe circumſtantiam circa quid, ſeu, quod idem eſt, perſonam contra quam quis peccauit, vel in cuius fauorem actum humanum exercuit. Diuus verò Thomas artic. 3. huius quæſt. & communiter Sententiarij in 2. diſt. 23. & 24. & in 4. diſt. 16. & 17. ſeptem dumtaxat enumerant actus humani circumſtantias, hoc verſiculo comprehenſas. D. Thom.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quo modo, quando. *Circumſtãtiæ actuũ.*

Particula autem, *Quis*, non perſonam quę actum humanum exercuit, ſed qualitates eiuſdem ſignificat, nempe cùm is qui ex hypotheſi peccauit ſit vel laïcus, vel ſacerdos, nobilis, vel ruſticus: qualitas quippe perſonæ auget vel minuit grauitatem culpæ. *Quis.*

Quid, non ſimpliciter ſubſtantiam actionis humanæ denotat, ſed etiam qualitatem eiuſdem, putà an res furto ſublata fuerit in magna, an verò in parua quantitate. *Quid.*

Vbi, non locum præcisè in quo quis peccauit, ſed circumſtantiam eiuſdem inueſtigat, putà an furtum fuerit commiſſum in loco prophano, an verò in ſacro. *Vbi.*

Quibus auxiliis, demonſtrat inſtrumenta per quæ quis actum humanum exercuit vitioſum. Moneo tamen neminem obligari ad manifeſtanda in confeſſione inſtrumenta prohibita, niſi fuerint peculiari ratione prohibita. *Quibus auxiliis.*

Cur, finem deſignat, non quidem proximum, ſed remotum, qualis eſt finis operantis, non autem ipſiuſmet actus humani, vt cùm quis furatur animo poſtea ludendi & potandi. *Cur.*

Quomodo, modum cuiuſlibet actionis humanę arguit, putà an actio fuerit factitata à nobis vel cum ſummo affectu ex toto conatu, an verò cũ mediocri, & remiſſo. *Quomodo.*

Quando, denique, *Quando.*

denique, non tempus præcisè in quo quis peccauit ſignificat, ſed circumſtantiam temporis, verbi gratia, an is quis qui debuit audire ſacrum, daret operam venationi, aut etiam ludo: grauiùs enim peccat, qui non cogitat de audiendo ſacro eo die, quo ſcit ſe ad id obligari, ſi iſtæ circumſtantiæ accedant. His denique circumſtantijs ſunt qui addant, *Circa quid*, per quod putant ſignificari perſonam circa quam quis peccat.

DVBITATIO VLTIMA.

An circumſtantiæ iſtæ conſequantur rationem circumſtantiæ reſpectu actus humani & in genere entis, & in genere moris ſimul.

Notabile. ADuerte actum humanum ſpectari in genere entis tantùm, quotieſcumque attenditur eius entitas, & natura ſpecifica ſibi propria, & eſſentialis, præſcindendo ab omni libertate, & item à deformitate, vel conformitate cum lege ſuperioris: hac ratione furtum commiſſum à puero ante vſum rationis, vel etiã ab eo qui ſemper caruit vſu rationis, poteſt dici actus humanus; rectiùs verò actus hominis ſecundum ſuam entitatem: actus verò ille dicitur humanus in genere moris, qui nedum conſideratur ſecundum ſuam entitatem, quam habet à parte rei, ſed etiam vt eſt cum libertate coniunctus, & cum conformitate, vel deformitate ad legem ſuperioris; nullus quippe actus præcisè poteſt dici humanus, ſinè libertate, vel conformitate ad legem ſuperioris: docet enim D. Thomas hac in parte, & omnes eius interpretes, proprietates act⁹ humani eſſe laudem, vel vituperium, præmium vel pœnam: proprietates autem iſtæ de ſolis actibus liberis conformibus, & diſſentaneis rectæ rationi enunciari poſſunt. Hoc ita conſtituto.

Expleditur Durandi ſententia. Durandus in 4. diſtinct. 16. putat circumſtantias eſſe accidentia actus humani ſpectati in genere entis, minimè verò in genere mortis. Ceterùm opinio hæc eſt ab ſcholis exploſa, & quidem meritò: laus enim, & vituperium, pœna & præmium reperiuntur tantùm in genere moris; at actus humanus cenſetur eſſe eatenus laudabilis, aut vituperabilis, quatenus eſt in genere moris.

Aliorum refellitur. Alij dicunt circumſtantias aggrauare, vel certè minuere deformitatem, vel bonitatem actus humani, non quidem interioris, ſeu eliciti à voluntate, ſed tantùm exterioris. Verùm neque iſti ſunt audiendi, actus namque internus, & externus ad duas ſpecies bonitatis aut malitiæ, non pertinent, ſed vnam & eamdem planè abſoluunt bonitatem, ſeu malitiam, vt colligunt ali-

Matth. 15. ℣. 19. qui ex illo Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes mala, homicidia, fornicationes, adulteria*, &c. &

Idem 5. ℣. 28. ex illo: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Confirmatur: Bonitas vel malitia actus interioris tota deſumenda eſt interdum, à malitia vel bonitatis actus exterioris: ergo ſaltem in hoc caſu circumſtantiæ actus exterioris erunt etiam circumſtantiæ, ſeu accidentia actus interioris, ſed actus iſti duo ſunt vna numero actio honeſta, vel certè tantummodo vnum peccatum. Tertiò, ſicut accidit furto quòd fiat in loco ſacro, ità quoque accidit voluntati furantis quòd res quę furto tollitur ſola cogitatione ſit in loco ſacro: ergo. Denique, qui peccatum tantùm furti commìttit minùs peccat, quàm faciat is qui intendit furtum animo necandi, in hoc quippe dantur duo peccata, in illo verò vnicum tantùm: ergo quę circumſtantia eſt actus exterioris, eadem eſt interioris; nam malitia actus interioris intenditur ex circumſtantijs actus exterioris.

CONCLVSIO. *Circumſtantiæ ſunt accidentia actus humani ſpecificati ſimul in genere entis & moris.* Primùm, quia D. Thomas art. 1. huius quæſt. docuit circumſtantias à nobis explicatas *actus humani* Dubitat. antecedente, eſſe accidentia actus humani, nulla facta diſtinctione inter actum humanum in genere entis, & in genere moris. *Circumſtãtia ſunt accidentia actus humani in genere entis & moris.*

Deinde, quod aduenit enti conſtituto intrà propriam ſpeciem debet eſſe eius accidens; at circumſtantiæ proximè commemoratæ conueniunt actibus humanis conſtitutis intrà propriam ſpeciem, vt conſtat ex furto commiſſo intrà ædem ſacram, ſacrilegium quippe præſupponit furtum.

Tertiò, natura cuiuſlibet actus humani repetenda eſt præcisè ex eo qui operatur liberè conformiter, vel deformiter legi ſuperioris, & ex obiecto proximo, itémque fine immediato, ſeu, quod idem eſt, ex fine ipſiuſmet operationis humanæ. Cetera verò omnia quæ reperiuntur in actibus humanis, vt ſunt iſti in genere entis & moris ſimul, ſunt accidentia eorumdem.

Denique, Theologi omnes & Philoſophi diſputant de iſtis circumſtantijs, prout augent, vel minuunt bonitatem vel malitiam moralem: ergo quatenus ſic ſpectantur actus, circumſtantiæ ſunt illorum accidentia.

Obiectio. Obijciunt aliqui ex aduerſarijs: Quod tribuit ſpeciem actibus humanis nõ poteſt eſſe eorum accidens: at circumſtantiæ tribuunt ſpeciem certis quibuſdam actibus; nam furtum in loco ſacro commiſſum ex circumſtantia loci ſacri, habet quòd ſit intrà ſpeciem ſacrilegij.

Solutio. Reſpondeo, ſpeciem actus alicuius humani eſſe duplicem interdum, nempe quotieſcumque peccatum commiſſum aduerſatur duabus virtutibus ſpecie diſtinctis, vna autem ex iſtis ſpeciebus dicitur eſſentialis reſpectu actus, altera verò accidentalis, idque quòd aduenìat actui humano conſtituto intrà propriam ſpeciem: illa eadem ratione, ceteris tamen paribus, qua albedo exiſtens in homine, conſtituit hominem in ſpecie qualitatis; ità etiam dicendum eſt de actibus humanis aliquibus: propriam ergo ſpeciem, ſeu eſſentialem conſequuntur ab obiecto immediato, vel certè à modo tendendi in illud; accidentalem verò ab aliqua circumſtantia immutante ſpeciem actus humani.

Obiectio 2. Obijcies 2. Illud non poſſe eſſe accidens actus humani, quod eſt obiectum eiuſdem; ſubſtantia enim illius conſurgit ex perſona, libertate, fine, & obiecto, ex communi doctrina Theologorum, & Philoſophorum moralium; at circumſtantiæ cenſentur eſſe obiectum actus humani, vt conſtat ex furto in loco ſacro commiſſo: ergo nequit eſſe accidens.

Solutio. Reſpondeo, conceſſa maiore, diſtinguo minorem; furtum enim etiam poteſt ſpectari duobus modis, in ſe ſcilicet; deinde, vt habet adiunctum ſacrilegium: priori modo res furto ſublata eſt obiectum eiuſdem, ac proinde non poteſt eſſe obiectum ità ſpectatum, circumſtantia furti, vt bene probat argumentum: poſteriori

Digitized by Google

vero modo sacrilegium censetur vera circumstantia furti; aduenit enim furto intrà propriam speciem constituto, confértque ei nouam speciem, ceterùm quasi accidentalem, idque quod huiusmodi furtum nedum contra iustitiam fuerit commissum, sed & contra religionem, quæ est specialis virtus: Obiectum ergo istius furti duplex est, vnum proximum & immediatum, quod quia confert speciem furto intrinsecam, nequit propterea habere rationem circumstantiæ eiusdem; aliud vero remotum, quod rectè censetur esse circumstantia furti.

QVÆSTIO VIII.

De voluntate quorum sit volitorum.

AB hac quæst. ad 18. vsque disserit S. Doctor de actibus humanis in particulari: & quoniam hi partim sunt eliciti, partim imperati, & rursus eliciti versantur vel circa media, vel circa finem; ideò disputat primo loco de actibus elicitis qui versantur circa finem. Quoniam verò actus voluntatis censentur esse tres, fruitio, intentio, & velle, & inter istos primus est velle. 2. intentio. 3. fruitio, ideò primùm agit de velle. Nomine autem voluntatis non intelligit D. Thom. facultatem volendi, sed actum ipsius voluntatis.

ARTICVLO 1. Docet voluntatem ferri circa bonum.

DVBITATIO PRIMA.

An voluntas possit ferri in bonum, tantùm quatenus bonum est.

Nominalium sententia & fundamẽta. 1. NOminales ferè omnes in ea sunt opinione, vt credant voluntatem nostram nedum ferri in bonum, sed etiam in malum, quatenus malum est. Probant, quia quilibet nostrûm potest odisse bonum, vt colligi videtur ex illo, Psalm. 73. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* ergo voluntas potest ferri in malum vt tale: nam qui odio prosequitur Deum, ideò odio habet vel quia illum apprehendit vt bonum, vel vt malum, vel denique quia voluntas respicit malum vt malum: at primum dici non potest, ità enim voluntas potiùs Deum amaret, quàm odisset: Neque secundum, cùm enim nomine Dei significetur summa & immensa bonitas, non potest Deus à nobis apprehendi vt malum: superest ergo vt detur tertium.

2. Deinde, amare aliquem, nihil aliud est quàm velle alicui bonum, vt docet frequenter D. Tho. in hac parte, ergo odisse nihil est aliud, quàm alicui velle malum: ergo potest voluntas ferri in malum, quà tale est; nullus enim est inter mortales qui non possit velle malum suis hostibus: imò secluso præcepto Christi de diligendo inimico, quod extat Matth. 5. nullus fortè esset inter homines qui diligeret inimicos.

3. Tertiò, intellectus noster nedum habet pro obiecto verum, sed etiam falsum: ergo voluntas nedum habebit pro obiecto bonum, verùm etiam & malum.

4. Denique, habitus vitiosi, existentes in voluntate nostra mouét aliquando voluntatem ad peccandum, ac proinde vt feratur hæc in malum, vt fatentur omnes: ergo voluntas nostra tendit in malum vt malum est; nam potest attingere illud ad quod ex sua natura inclinatur, vel certè ab habitib⁹ in ea existẽtibus. Ità docet verbis expressis Ockam in 3. q. 13. dub. 3. Maior in 2. dist. 27. quæst. 1. ad 1. & alij communiter Nominales.

Vt autem hęc res faciliori negotio intelligatur.

In obiectis volitis res volita est ratio volendi.

Aduerte, quòd sicut in obiecto visibili consideratur & res visa, & ratio videndi (res quippe visa esse censetur verbi gratia paries, ratio verò videndi, coloratum, vt coloratum) ità in rebus volitis à voluntate duo sunt perpendenda, res scilicet volita, & ratio volendi. Quærimus ergo hoc loco cum D. Thom. quæ sit ratio volendi nostræ voluntatis, quandocumque affecta prosecutione mouetur circa rem aliquam, ac proinde inquirimus, an possit ferri in malum qua tale est, ità vt ratio volendi voluntatis sit malitia aliqua, an verò tantùm bonitas existens realiter, vel certè apparenter in re volita.

Voluntas fertur in bonum, vt bonum tantum.

CONCLVSIO. *Voluntas nostra tantùm fertur in bonum quatenus bonum est, ità vt ratio volendi in ea sit sola bonitas vera, vel apprehensa.* Primùm, quia illud omne quod voluntas nostra vult, censetur esse finis, est enim finis obiectum voluntatis, cùm finis & bonum sint vnum & idem. 1.

Deinde, quælibet potentia fertur tantùm circa proprium obiectum suum; at obiectum voluntatis censetur esse bonum, sub ratione boni: ergo. 2.

Tertiò, nihil est quod possit agere extra latitudinem sui obiecti adæquati, at malum est extra latitudinem obiecti adæquati voluntatis, cùm hæc habeat pro obiecto bonum quatenus tale est. 3.

Euasio aliquorum.

Respondent aliqui ex authoribus contrariæ sẽtentię, negando minorem, contendunt enim rationem entis, non minùs reperiri in malo, quàm in bono; ac proinde cũ ens sit obiectum voluntatis, nõ minùs attinget hæc malum quàm bonum.

Non obest.

Ceterùm responsio hæc sustineri non potest, obiecta siquidem formaliter distincta, pertinent ad diuersas facultates, cùm distinctio formalis & specifica earum petatur ex modo tendendi in obiecta; at intellectus noster habet pro obiecto adæquato, ens vt ens: ergo hoc non poterit esse obiectum voluntatis, cùm hæc sit facultas specie distincta ab intellectu. Deinde, defendi nequit rationem mali positam esse in entitate aliqua physica, seu, quod idem est, naturali; ità enim sequeretur Deum esse authorem mali; quod tamẽ citra summam impietatem dici nequit: ratio illationis est, quia quodlibet ens physicum, & naturale est participatio quædam entis increati, ac proinde debet esse necessariò ab ente increato. Denique, malum, vt sic, dicit priuationem debitæ rectitudinis inesse actui, vel voluntati, ex doctrina multorum Thomistarum; vel, ex aliorum opinione, ratio mali posita est in relatione rationis disconuenientiæ ad legem superioris, aut, vt alij volunt, in entitate aliqua positiua morali; at licet

Digitized by Google

licèt quælibet ex iſtis opinionibus admittatur, non tamen ex eo ſequitur voluntatem noſtram ferri in malum quatenus malum eſt, ſed quatenus in eo deprehenditur aliqua ratio boni.

4. Quartò probatur Concluſio. Voluntas realis nihil eſt aliud, quàm appetitus conſequens iudicium perfectum, aut imperfectum rectæ rationis: at recta ratio dictat tantùm perſequendum eſſe bonum, vt bonum eſt.

Denique, minus ens, ſi tamen fuerit maius bonum, magis afficiet voluntatem noſtram quàm maius ens, quando dicit minus bonum, vt patet ex pomo comparato cum puero; magis enim mouetur hic à pomo vt aliquid agat, quàm ſi eidem ingens pecunia porrigatur: argumento igitur eſt voluntatem noſtram habere pro obiecto bonum vt bonum; minimè verò malum. Ità docent Diuus Thomas hoc loco, Curiel, Conrad. & alij plerique Sententiarij in 1. diſt. 31.

Satisfit argumentis Nominalium.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. damnatos & item dæmones odiſſe Deum; non quòd ferantur iſti in malum quatenus malum eſt, ſed quia apprehendunt Deum veluti ſibi malum, & pernicioſum: Deus enim exigit ab iſtis pœnas æternas, propter demerita in hac vita commiſſa. Ad id verò quod dicitur, neminem poſſe odiſſe Deum. idque quòd nomine Dei intelligatur ſumma bonitas. Reſpondeo, probari iſta ratione intellectum non deprauatum peccato aliquo, non poſſe odiſſe Deum, neque eumdem apprehendere tamquam malum, ſecus tamen dicendum de intellectu deprauato peccato; dæmones autem & damnatos peccatorum multitudine eſſe commaculatos indubitatum eſt. Idem dicendum eſt de conſtituto in ſtatu naturæ corruptæ.

1.

2. Ad 2. Quemlibet noſtrùm poſſe odio habere inimicum, ceterùm non mouetur voluntas à malo inimici, ſed à bonitate quam ſperat ſe conſequuturam ex malo illius; ità vt ſibi perſuadeat quod eſt malum in altero, ſibi bonum & vtile futurum; ac proinde mouetur à bono, vt bonum eſt vt velit malum aliquod inimico.

3. Ad 3. falſum, non pertinere ad obiectum intellectus, quatenus deficit à verò: etenim nullus eſt qui aſſentiatur falſo ſub ratione falſi, ſed ſub ratione veri; ità neque malum cenſetur eſſe obiectum voluntatis, quatenus deficit à bono; voluntas quippe noſtra proſequitur malum, non quidem ſub ratione mali, quælibet enim res naturaliter fugit malum, ſed ſub ratione boni quam apprehendit ineſſe malo.

4. Ad vltimam, voluntatem inclinari ab habitibus vitioſis circa malum, non quatenus malum eſt, ſed vt apparenter latentem in ſe boni rationem includit.

Tandem reſpondeo, iſtis quatuor rationibus probari tantùm voluntatem noſtram habere pro obiecto materiali malum, quod nos lubentes amplectimur; non autem habere pro obiecto malum vt malum; quod tamen incumbebat probandum: de hac quippe re difficultas hæc examinatur à Theologis hoc loco.

DVBITATIO SECVNDA.

An actus qui habet ortum à voluntate, nedum circa finem, ſed etiam circa media, dicendus ſit voluntas.

CONCLVSIO. *Actus quo voluntas tendit in finem, nuncupatur propriè voluntas: actus verò quo fertur in media voluntas ſimiliter vocitatur, ceterum impropriè.* Ità communiter interpretes D. Thomæ art. 2. huius quæſt. Primùm, quia ille actus nuncupatur propriè voluntas, qui tendit, in finem veluti in ſuum proprium obiectum; finis quippe & obiectum ſunt vnum & idem. Deinde, actus qui verſatur circa prima principia ab intellectu productus, ideò nuncupatur proprie intellectus, quòd ab illo exeat prout reſpicit per ſe, & abſolutè ſuum obiectum: ergo idem erit dicendum de actu voluntatis, quo abſolutè tendit in ſuum obiectum. *Actus voluntatis in finem & media voluntas dicitur.*

Secunda verò pars reſponſionis probatur, ex eo quòd quilibet actus productus ab intellectu dicatur intellectio, ſi non propriè, ſaltem impropriè: ergo quilibet actus à voluntate procedens dicetur voluntas, ſaltem impropriè. Deinde, qui vult finem, hoc ipſo vult media, ſi non formaliter & expreſsè, ſaltem implicite. Denique, electio mediorum non poteſt non eſſe voluntaria: ergo dicetur hæc electio voluntas. Vide plura apud interpret. D. Th. quando quærit art. 2. huius quæſt. an voluntas tantùm ſit finis: ſenſus enim eſt; an ille ſolus actus quo voluntas tendit in finem, ſit dicendus voluntas, an verò aliquis alius actus vendicet ſibi rationem voluntatis, & conſequenter voluntas, non volendi facultatem, ſed actum eiuſdem ſignificat.

DVBITATIO VLTIMA.

An detur aliquis actus voluntatis qui nec verſetur circa finem, nec circa media.

SVnt qui putent partem affirmantem eſſe veram, idque quòd voluntas noſtra velit, verbi gratia, deambulationem, vel ſumptionem alimenti, non cogitando de fine, aut de medio. Deinde, penes quemlibet noſtrùm eſt efficere vt aliquid ſit vel medium, vel finis. Ità Nominales aliqui.

CONCLVSIO. *Quilibet actus voluntatis noſtræ verſatur, vel circa finẽ, vel circa media; ità vt nullus detur actus in voluntate noſtra circa obiectum qui non ſit vel voluto finis, vel medij.* Primùm, quia quidquid expetitur à nobis, vel expetitur propter ſe, vel propter aliud: at quod expetitur propter ſe habet rationem finis; quod verò propter aliud habet rationem medij: ergo omnis actus voluntatis verſabitur circa finem vel media. *Actus voluntatis omnis vel finem vel media reſpicit.*

Deinde, quidquid deſideratur à nobis, affectu ſaltem proſecutionis, appetitur vel propter bonitatem propriam, vel alienam: at quod appetitur propter bonitatẽ propriam cenſetur eſſe finis, idque quòd finis ſit, illud quod mouet nos ad operandum propter ſeipſum: quod verò deſideratur propter alienam, creditur eſſe medium, hu-

Digitized by Google

ius siquidem bonitas ordinatur ad finem: imò sunt qui putent bonitatem mediorum repetendam esse à bonitate finis. A

Tertiò, omne bonum est honestum, delectabile, vtile: at duo prima expetuntur propter se, ac proinde vt habent rationem finis; postremum verò expetitur semper propter aliud, habétque consequenter medij rationem, ad finem vltimum consequendum.

Denique, intellectus noster dum intelligit, vel per se, vel per aliud intelligit: priori modo assequitur prima principia: posteriori, Conclusiones deductas ex principijs: ergo similiter volútas illud omne quod assequetur, vel per se, vel per aliud assequetur, & ideò finem & media tantummodo attingit. B

Dices, in Deo non minùs dari voluntatem quàm in nobis, omnis enim perfectio simpliciter simplex locum habet in Deo (inter istas autem computatur voluntas) at quando Deus vult seipsum, aut persona Patris & Filij Spiritum sanctum neutra ex istis volitionibus potest, dici volitio finis & medij: ergo non omnis actus voluntatis attingit finem aut media.

Respondeo, voluntatem qua Pater & Filius volunt Spiritum sanctum non posse dici finem propriè, quia finis, vt communiter vsurpatur à Philosophis, semper est præstantior ijs quæ sunt ad finem, & item distinguitur finis realiter ab eo C qui operatur propter finem: imò non desunt qui putent operari propter finem propriè dictum, dicere imperfectionem aliquam in eo qui operatur, certum autem est, non posse dici de illo actu voluntatis, quo Deus vult seipsum, aut vna persona diuina, aliam, quòd dicat imperfectionem: non est tamen negandum, quin actus hic voluntatis diuinæ, aut voluntatis Patris, & Filij, sit volitio finis, prout hic vsurpatur impropriè, qua ratione operari propter finem, nihil est aliud quàm operari ex cognitione perfectissima eorum, quæ fiunt, non autem fortuitò vel temerè.

Obiectio.

Solutio.

Ad rationes verò contrarias respondeo: Eum qui vult deambulationem, vel aliquid simile, D cogitare vel de medio, vel de fine, si non formaliter & expressè, saltem implicitè, quod sufficit ad hoc vt actus voluntarius, sit voluntas finis vel mediorum.

Ad vltimum, posse nos efficere vt res aliqua dicatur medium vel finis; hæc enim petitur necessariò à fine ipso, vel à medio: Vide plura de istis apud Gregor. Arimin. quæst. 1. dist. 1.

Soluuntur rationes cõtrariæ.

QVÆSTIO IX.

De motiuo voluntatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm voluntas moueatur ab intellectu.

DOCET D. Thomas hoc loco voluntatem mouere ceteras potentias inferiores ad agendum, & intellectum mouere voluntatem, quoad specificationem actus.

DVBITATIO PRIMA.

An voluntas moueat ceteras potentias inferiores, & qua ratione.

DIfficultas hæc tractatur accuratissimè & à quibusdam recentioribus Scholasticis, & à veteribus, maxime verò a Gregor. Arimin. in 2. dist. 11. Pesant. disp. 3. ad hunc Artic. D. Thomæ.

Antequàm autè quidquam de hac re definiatur. Aduerte, potentias inferiores hominis esse indefinitas, & indeterminatas ad agendum, non quidè si spectentur præcisè, & in seipsis, sed quatenus comparantur cum voluntate rationali; hæc enim censetur esse domina cuiuslibet operationis humanę: certum est autem actiones potentiarum inferiorum, saltem aliquas, esse verè humanas, cùm in istis meritum, & demeritum deprehendatur; ac proinde laus & vituperium: definiuntur ergo potentiæ istæ in suis actionibus exercendis à voluntate rationali, vt probabitur posteà. *Notabile.*

Aduerte 2 Voluntatem mouere ceteras potentias ad agẽdum, nihil aliud esse, quàm reuocare ad actum id, quod erat in potentia: hoc autem cõtingit sex diuersis modis, quos refert Salas tract. 5. de motu voluntatis disp. 1. sect. 1. Ex aliorum verò opinione duo tantùm dantur modi quibus voluntas mouet ceteras potentias inferiores ad operandum. Primus est tribuendo motum vel qualitatem aliquam, quæ per veram causalitatem vnà cum potentia inferiore, attingat effectum eiusdem: posterior est, applicando ceteras potentias ad agendum, cuius meminit D. Thom q. 16. huius part. art. 1. & alibi sæpè, & sequaces eiusdem ibidem, & ad Articul. quæstionis præsentis. E 2.

Aduerte denique, actiones hominis alias esse liberas, alias verò necessarias; istę sunt ad vnum determinatæ, & quidem ità vt à nobis aliter fieri non possint; huius generis sunt respirare, dormire, vegetare, & similes: illę verò censentur esse, quę ità positę sunt in nostra potestate, vt positis omnibus ad agendum necessarijs possimus eas exercere vel non exercere. De istis ergo omnibus actionibus quærimus, an sint positæ in voluntate nostra, & an voluntas moueat quamcumque potentiam hominis in suis actionibus. *Actiones hominis alia libera, alia necessaria.*

CONCLVSIO 1. *Voluntas rationalis nõ mouet quosuum-*

Voluntas mouet potentias inferiores in quibuſdam operationibus tantum.

quaſcumque potentias inferiores anima vegetantis, aut ſenſitiua in omnibus operationibus, ſed tantum in aliquibus. Prima pars probatur: Accretio, & nutritio ſunt actus potentiæ vegetantis, ex communi doctrina; at actus iſti dantur in nobis ſinè vlla dependentia à voluntate; ſuppoſito quippe alimento fieri non poteſt, vt non ſequatur nutritio, & augmentatio, etiamſi reclamet voluntas, quantum poteſt. Confirmatur: Duo effectus proximè commemorati, dantur in plantis, & in brutis: argumento igitur eſt non habere ortum à voluntate rationali in nobis, neque elicitiuè, neque imperatiuè.

Secunda pars probatur: Generatio eſt actus facultatis vegetatiuæ; at actus hic eſt verè poſitus in poteſtate voluntatis rationalis, ex illo Matth. 19. *Et ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum*, id eſt, qui liberè amplexi ſunt virtutem continentiæ. & ibidem: *Qui poteſt capere, capiat*, id eſt, qui vult continere, contineat: verbum enim, poteſt, illic & alibi ſumitur, pro, velle, vt explicant Patres communiter & manifeſtè colligitur, ex illo Matth. 15. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* particula namque, *poteſtis*, idem eſt atque, vultis; ità vt ſenſus ſit, vultis bibere, &c.

Mat. 19. ỳ. 12.

Idem 20. ỳ. 22.

Confirmatur: Conſilia Euangelica, ſunt de rebus poſitis in noſtra poteſtate, ex omnium iudicio; at inter hæc computatur profeſſio caſtitatis, ex cap. 19. Matth. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, propter nomen meum, centuplum accipiet.* & ex cap. 7. prioris ad Corinth. *De virginibus præceptum Domini non habeo; conſilium autem do.* Et rurſus: *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.* Lege de hac re Hieronymum contra Vigilantium.

Idem 19. ỳ. 29.

1. Cor. 7. ỳ. 25. & 38. Hieron.

Intellectus nō mouetur à voluntate in omnibus actionibus.

Conclvsio 2. *Intellectus non mouetur in omnibus ſuis actionibus à voluntate rationali.* Primū, quia nihil eſt volitum, niſi priùs fuerit cognitum; & manifeſtè colligitur ex eo, quòd voluntas non aliter habeat obiectum ſibi proprium præſens, niſi per actum intellectus; ergo admittenda eſt aliqua intellectio in intellectu, ab imperio voluntatis independens, nempè, prima illa per quam conſtituitur obiectum præſens voluntati.

2. Deinde, beati non poſſunt non videre diuinam eſſentiam, & hoc fatentur omnes de intellectu Chriſti, pro eo tempore, quo fuit in hac vita mortali.

3. Tertiò, voluntas non aliter mouet potentiam inferiorem, niſi vel eidem tribuendo aliquem motum, vel eamdem definiendo, & applicando ad aliquid hîc & nunc operandum, vt infra probabitur: at certum eſt voluntatem neutro ex his duobus modis mouere intellectum, reſpectu cuiuſlibet intellectionis eiuſdem: dantur enim in nobis multæ intellectiones anteuertentes omnem vſum voluntatis noſtræ liberum, vt patet in motibus primò primis; iſti enim nulli imputantur ad culpam ex omnium Theologorum ſententia, & tamen præſupponunt aliquam cognitionem in intellectu: ergo intellectus non mouetur in omnibus ſuis actionibus à voluntate. Confirmatur: inter orandum aut meditandum experimur innumeras propemodum diſtractiones quas intellectus perfectè aſſequitur, etiamſi voluntas anxiè & ſollicitè moueat intellectum, vt aduertat tantùm ad ea de quibus orat Deum, vel de quibus meditatur. In hac Concluſione conueniunt omnes.

In actionibus humanis mouet voluntas intellectū & alias potentias.

Conclvsio 3. *Voluntas mouet intellectum & ceteras potentias inferiores in illis omnibus actionibus exercendis, quæ humana vulgò nuncupantur.* Ità Diuus Auguſt. lib. 10. de Trinitate, cap. 1. 2. & 3. & lib. 11. cap. 3. & 5. ait enim voluntatem mouere intellectum ad intelligendum & ſciendum: & lib. 15. cap. 27. in fine ait, munus voluntatis eſſe intellectum in actum reducere: & lib. 2. de libero arbitrio, capite 18. docet voluntatem ſeipſa & alijs potentijs bene & malè vti. Gennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus, c. 82. *Non omnes*, inquit, *cogitationes noſtræ malæ, diaboli inſtinctu excitantur, ſed aliquoties ex noſtri arbitrij motu emergunt.* & Damaſc. 2. de fide, cap. 22. & Anſel. de conceptu virginali, cap. 4. & D. Tho. 1. part. quæſt. 82. art. 4. & art. 1. huius quæſt. Scotus in 2. diſt. 42. quæſt. 4.

D. Auguſt.

Gennad.

Accedit ratio: Nulla datur actio humana ſinè libertate, eſt enim hæc meritoria, vel demeritoria, honeſta, vel vituperabilis, ex omnium Theologorum mente: at meritum, & demeritum præſupponunt abſolutè libertatem, vt probabitur in tractatu de merito: ergo cùm actiones potentiarum inferiorum, ex ſe nullam dicant libertatem, debent eſſe neceſſariò iſtæ à voluntate noſtra liberè operantè.

Quanam ratione moueat voluntas reliquas potentias.

Conclvsio vltima. *Voluntas noſtra mouet intellectum, & ceteras potentias ad agendū, hîc & nunc, non quidem tribuendo motum, aut imprimēdo eiſdem qualitatem aliquam, qua verè earumdem effectum attingat, ſed tantùm applicando eaſdem, & definiendo, ad hoc potiùs, quàm aliud producendum.*

Probatur 1. pars: Quandocumque datur aliquis effectus, qui perfectè, & integrè eſt ab aliqua cauſa ſecunda, non poteſt hic eſſe ab vlla alia naturaliter loquendo: atqui quilibet effectus productus à potentia inferiore voluntate perfectè & integrè eſt ab iſta potentia, idque ſecundùm omnem entitatem, quam habet vt patet exemplo viſionis oculi; hæc enim ita eſt ab oculo, vt à nullo alio planè ſit.

Deinde, quando datur vis aliqua quæ ex ſe, & quatenus talis eſt, ſufficit ad effectum producendum, fruſtra ponitur vis alia externa, ſaltem naturaliter loquendo: at intellectus, & quælibet alia potentia inferior plus quàm ſufficiens eſt ad hoc vt producat effectus ſibi connaturales: ergo voluntas non conferet iſtis potentijs vllum motum, aut vllam qualitatem, quando producunt ſuos effectus hæ rationes ſumptæ ſunt ex Vazquez cap. 5. diſp. 34. huius partis.

Denique, non poteſt dici quid ſit illud, ſeu quid ſit iſta qualitas quam confert intellectui, & alijs potentijs voluntas, quando mouet eas ad operandum.

Secunda verò pars probatur: Voluntas mouet potentias inferiores inter exercendos actus humanos, vel tribuendo motum, vel applicando ſuo imperio & definiendo, ad hoc potius, quàm illud producendum hîc & nunc; atqui non mouet priore modo, vt dictum eſt: ergo debet dari neceſſariò alius modus.

Cùm autem diximus voluntatem mouere ceteras potentias ad operandum, id non eſt ità intelligendum, quaſi voluntas verè influat per verā cauſalitatē, & efficientiam in actus inferiorum potentiarum, vt crediderunt aliqui Thomiſtæ; ſed hoc ſolo nomine, quòd voluntas ob dominium &

imperium, quod habet in omnes & ſingulas potentias, applicet eas ad agendum, vel non agendum, ex plenitudine dominij quod habet in eas. A

Obiectio. Dices, ex iſtis manifeſtè colligi, voluntatem rationalem eſſe tantummodò cauſam per accidens operationum humanarum, quæ eliciuntur à potentijs inferioribus; nam diximus voluntatem non attingere per verum & realem influxum operationes iſtas, ſed tantùm mouendo, & applicando potentias ad agendum.

Solutio. Reſp. Negando illationem antecedentis: ad probationem autem longè aliter ſentiendum eſſe de cauſis moralibus comparatis cum ſuis effectis, quàm de cauſis phyſicis, & naturalibus: iſtæ B quippe numquam poſſunt eſſe cauſæ per ſe alicuius effectus, niſi eumdem attingant per verum influxum, & realem; cauſæ verò morales cenſentur eſſe cauſæ per ſe effectus, modò concurrant ad eius productionem, vel conſulendo, deterrendo, alliciendo, vel etiam definiendo, & applicando ad aliquid agendum hîc & nunc: vt manifeſtè colligitur ex eo quòd cauſa moralis, non aliter operetur, quàm altero ex modis proximè commemoratis. Deinde, quia agentes & conſentientes in malis commiſſis, pari pœna plectuntur, & in bonis ſimilem conſequuntur mercedem, ſi tamen omnia fuerint paria. Denique, quando dantur plures, qui, ex hypotheſi, rem C aliquam furantur, quilibet ex iſtis tenetur ad reſtitutionem rei furto ſublatæ ad quadrantem, etiamſi res ablata peruenerit tantummodo ad vnum tantùm ex illis.

Præterea, cùm diximus voluntatem noſtram mouere ceteras potentias ad operandum, hoc intelligendum venit, quoad exercitium actus, minimè verò quoad ſpecificationem; ſpecies quippe actus cuiuſlibet reptenda eſt ab obiecto eiuſdem, vel certè à modo tendendi in illud: exercitium tamen pẽdet ab imperio voluntatis rationalis: partes quippe, ſeu, quod idem eſt, potentiæ inferiores ſubijciuntur voluntati rationali in nobis, illa eadem ratione, qua anima vegetans & ſentiens animæ rationali, ceteris tamen paribus. Deinde, quia potentiæ inferiores verſantur circa hoc vel illud bonum; voluntas verò rationalis quodlibet bonum in communi attingit, veluti proprium obiectum. Non eſt tamen exiſtimandum potentias inferiores ex æquo motrem gerere voluntati; nam intellectus obſequitur eidem ſinè vlla contradictione, appetitus verò ſenſilis cum certa aliqua renitentia, vt poteſt colligi ex cap. 5. ad Galat. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduersus carnem.* & Rom. 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* & Geneſ. 8. *Senſus & humani cordis cogitatio prona ſunt in malum ab adoleſcentia ſua*, id eſt, à præuaricatione primæ mulieris, vt explicat D. Bernardus ad hunc locum, ſeu, quod idem eſt, ab eo tempore, quo primus parens peccauit; peccato namque iſtius deperdita fuit in omnibus poſteris iuſtitia originalis, quæ partem inferiorem ſubijciebat in omnibus, & ſingulis rectæ rationi, ità vt nulla ratione reluctaretur hæc contra dictamen rationis.

Galat. 5. ℣. 17.
Rom. 7. ℣. 23.
Geneſ. 8. ℣. 21.

DVBITATIO SECVNDA.

An intellectus ſit cauſa effectiua actionum voluntatis; an verò ſola voluntas.

SVnt qui putent intellectum producere quoſlibet actus voluntatis, idque quòd docuit Ariſt. lib. 3. Ethic. ad Nicom. appetitum, nihil aliud eſſe, quàm mouens motum ab amabili: & ſancti Patres docent actus amoris repetendos eſſe ex cognitione. Ità D. Auguſtin. in lib. de Tri- D. Auguſt. nitat. maximè verò lib. 16. Bernard. & alij nonnulli vbi agunt de libero arbitrio. *Aliquorũ ſententia & fundamẽta.* 1.

Deinde, inter mouens & motum datur diſtinctio realis, referuntur enim hæc duo relatione reali, non minùs quàm agens, & patiens: at intellectus eſt qui mouet voluntatem ad agendum, ex doctrina S. Thomæ hoc loco: ergo voluntas cenſetur eſſe tantummodò mota, quando operatur. 2.

Tertiò, ſi voluntas eſſet cauſa ſuarum operationum, operaretur quotieſcumque vellet, ſinè dependentia ab aliquo alio; at impoſſibile eſt voluntatem operari, niſi dependenter ab operatione intellectus, cùm non poſſit hæc operari, niſi circa ſuum obiectum, quod tamen non poteſt attingere niſi fuerit illi repræſentatum per intellectum. 3.

Quartò, voluntas videtur eſſe cauſa dumtaxat operationum liberarum. 4.

Quintò, actus voluntatis producuntur intrà Deum per Verbum, idque quòd Verbum ſit terminus productus per intellectionem Patris: Pater enim & Filius, hoc ipſo quòd ſe amant producunt Spiritum ſanctum: ergo & illud idem dicendum erit de actibus voluntatis noſtræ. 5.

Denique, imperium reuocatur ad cauſam efficientem; at intellectus eſt qui imperat voluntati rationali, hic enim dirigit, & ordinat omnes D omnino actus humanos noſtros: in hac ſententia ſunt Nominales, maximè verò Greg. Arim. in 2. diſt. 25. quæſt. vnica Concluſ. 1. Gabriel quęſt. vnica, art. 3. dub. 3. Ockam, quodlibeto 1. q. 16. & alij multi. 6.

Non tamen conuenit inter iſtos authores qua ratione intellectus ſit cauſa actuum voluntatis rationalis: Alij enim putant propterea eſſe cauſam huiuſmodi actuum, quòd conſtituat phantaſma præſens per quod exprimitur perfectiſſimè obiectum voluntatis: Alij verò volunt intellectũ pro- ducere actum voluntatis per ipſummet obiectum voluntatis, ſub ea ratione qua eſt apprehenſum ab intellectu: Alij denique per cognitionem ipſiuſmet obiecti voluntatis. *Varię explicaturillæ ſententiæ.*

Ceterùm, nulla ex dictis opinionibus videtur vera: non prima, quia cùm quilibet actus voluntatis ſit vitalis & immanẽs, & nulla detur vitalitas in phantaſmate, quod exprimit obiectũ voluntatis, phantaſma non poterit eſſe cauſa effectiua actuum voluntatis. Deinde, certum eſt animas ſeparatas à corpore multas exercere volitiones & nolitiones, & tamen ſunt qui putent in animabus ſeparatis nullas extare ſimilitudines, ſeu, quod idem eſt, phantaſmata. Denique voluntas habet pro obiecto bonũ in cõmuni ſumptum, huius autem nullum datur phantaſma, ſed tantum boni priuati & particularis. *Refelluntur modi dicẽdi allati.*

Neque

Digitized by Google

Neque item 1. videtur vtro conſona; nam quod non eſt in eſſe actualis exiſtentiæ, non poteſt eſſe cauſa productiua alicuius rei quæ verè efficitur de nouo; agens quippe, actio, & actum, ſunt relata ſecundum eſſe: at dantur aliqua obiecta voluntatis ab intellectu apprehenſa, & cognita, quæ tamen non ſunt in eſſe actualis exiſtentiæ, vt conſtat ex impoſſibili, quod interdum proponitur ab intellectu voluntati expetendum. Deinde, malum non quà tale, ſed vt conſequitur rationem boni, cenſetur eſſe obiectum voluntatis; at malum non poteſt eſſe principium effectiuum alicuius entitatis realis, cùm hoc nihil planè ſit entis realis & poſitiui, ſed priuatio, vt ſuo loco probabitur.

Neque denique tertia poteſt ſuſtineri, cùm omnis actus voluntatis ſit volitio, vel nolitio; ac proinde vitalis, & immanens: cognitio autem obiecti voluntatis, non eſt in voluntate, ſed tantùm in intellectu, ex communi doctrina. Deinde, ſupereſt explicandum quî fieri poſſit vt cognitio obiecti voluntatis influere poſſit per veram cauſalitatem & efficientiam in actum voluntatis, quem voluntas exercet circa huiuſmodi obiectum cognitum.

Intellectus non producit actus voluntatis elicitiuè.

CONCLVSIO 1. *Intellectus non concurrit ad actus voluntatis producendos elicitiue, ac proinde nec per veram cauſalitatem & efficientiam in ratione cauſæ efficientis phyſicæ.* Ità D. Thomas hoc loco; ait enim voluntatem moueri ab intellectu ad agendum, ſicuti à repræſentante obiectum, quod autem repræſentat tantùm obiectum non influit in effectum, effectiuè, ſed tantummodò motiuè, aut, vt alij loquuntur, metaphoricè: & quæſt. 82. 1. part. ſimile quid habet. & Ferrarienſ. lib. 1. contra Gentes, cap. 44. & alij plerique.

Deinde, actus voluntatis non poſſunt eſſe elicitiuè ab vllo alio, præterquàm à voluntate; ſunt enim omnes iſti vitales, & immanentes: at intellectus non eſt capax receptionis alicuius actûs voluntatis, alioquin actus voluntatis non eſſent immanentes, ſed tranſeuntes: ergo intellectus non concurrit ad elicitiuè producendos actus voluntatis.

Voluntas nõ ſe habet merè paſſiuè. Trident.

CONCLVSIO 2. *Voluntas non ſe habet merè paſſiuè in ſuis actionibus exercendis.* Primùm, quia de fide eſt voluntatem noſtram non ſe habere merè paſſiuè reſpectu actus iuſtificationis à peccato mortali, ſed concurrere ad eum actiuè, vt definitum eſt in Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4. cuius verba afferentur ad quæſt. ſequentem, Dub. 1.

Deinde, ſi voluntas ſe haberet merè paſſiuè in exercitio ſuarum actionum, nulla daretur in nobis libertas; nam paſſio non eſt in poteſtate patientis, ſed agentis: de fide autem eſt hominem eſſe liberum, reſpectu quarumdam operationum,

Matth. 19. ỽ. 17. vt manifeſtum relinquitur ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Ioan. 5. *Vis ſanus*

Ioã. 5. ỽ. 6. *fieri.* Genes. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius:* ergo voluntas in producendis ſuis

Gen. 4. ỽ. 7. actionibus actiuè ſe habet.

Denique, ſancti Patres vbi de libero arbitrio, verbis expreſſis habent, creaturam rationalem eſſe dominam ſuarum operationum, & per conſequens liberè ferri circa hæc, vel illa obiecta, vel certè manere ſuſpenſam: quare fatentur eamdem quoque voluntatem elicere quoſlibet ſuos actus.

Vltimò, quod eſt effectiuè ab intellectu cenſetur eſſe cognitio; ergo quemadmodum intellectus, non ſe habet merè paſſiuè ad intelligendum: ità neque voluntas ad volendum.

Voluntas cauſa præcipua effectuũ quos elicit.

CONCLVSIO VLTIMA. *Voluntas cenſetur eſſe cauſa præcipua & principalis, participiaria tamen, omnium effectuum, quos elicit.* Primũ, quia omnis actus elicitus à voluntate eſt vitalis, & immanens: at de ratione immanentis eſt vt recipiatur in eo ſubiecto à quo producitur; de ratione verò vitalis, vt ſit à principio vitaliter operante.

Deinde, quod conuenit omnibus potentijs actiuis, non eſt denegandum voluntati; ceteræ autem potentiæ actiuæ ſunt cauſa omnium effectuũ, quos eliciunt, vt patet de potẽtia viſiua, auditiua & alijs.

Tertiò, intellectus eſt qui producit omnem aſſenſum & diſſenſum: ergo & voluntas idem præſtabit.

Quartò, voluntas eſt domina omnium ſuarum operationum, ſaltem liberarum.

Denique, propoſitis duobus vel pluribus bonis, ſola voluntas eſt quæ acceptat, vel reſpuit iſta. In hac ſententia ſunt Scotus in 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica. Durand. diſtinct. 24. quæſt. 1. lib. 1. Peſantius ad artic. 4. huius quæſt. S. Thom. quo loco ait, voluntatem non mouere ſeipſam reſpectu primi actus, quem exercet circa ſuum obiectum, quemadmodum quando mouet ceteras potentias ad agendum; nam iſtas mouet medio aliquo impulſu, & interueniente aliquo actu priùs à ſe elicito: fatetur tamen voluntatem etiam reſpectu iſtius primi actus mouere ſeipſam ad eliciendum huiuſmodi actum, non tamen medio aliquo alio actu priore: repugnat ſiquidem eſſe primum effectum, & dari aliquem alium actum priorem.

Explicatur Concluſio.

Cùm autem diximus voluntatem eſſe cauſam præcipuam omnium ſuarum operationum, id non venit ità intelligendum, quaſi velimus, nihil aliud præter voluntatem concurrere effectiuè ad iſtos actus producendos; nam certum eſt Deum concurrere ad iſtos omnes actus in ratione cauſæ principalis, & vniuerſalis; quilibet enim effectus cauſæ ſecundæ, magis eſt à cauſa prima quàm à ſecunda: ex cõmuni Theologorum & Philoſophorum doctrina: Habitus item exiſtentes in voluntate concurrunt ad actus eiuſdem producendos; eſt enim propoſitio indubitata apud omnes, habitus exiſtentes in ſubiecto aliquo iuuare potentias in ſuis actionibus exercendis. Deinde, habitus iſti nuncupãtur communiter præſidia, & adiumenta quædam quibus potentiæ fulciuntur in ſuis actionibus producendis: Obiectum præterea cognitum, & apprehenſum ab intellectu conducit ad actus voluntatis exercendos, & in ratione cauſæ formalis, & finalis: nam eodem planè modo, ceteris tamen paribus, concurrit obiectum voluntatis ad actus eiuſdem, quo ſpecies impreſſa, ad actus intellectus: at certum eſt hanc iuuare intellectum ad intelligendum, in ratione cauſæ formalis, ſpecies enim iſta, vt reſpicit ſuum obiectum ponit actum intellectus intrà certam aliquã ſpeciẽ, cùm ſpecies cuiuſlibet actus peratur ab obiecto, vel à modo tendendi: ergo non ſola voluntas eſt cauſa ſuorum actuum.

Deus cauſat actus voluntatis.

Habitus etiam.

Obiectum.

Quod verò concurrat obiectum, in ratione finis, ad actus volũtatis producendos, manifeſtè colligitur, ex eo quòd obiectum hoc propoſitum voluntati, moueat illam, & alliciat ad operandum, cauſalitas autem finis in hac re cenſetur eſſe poſita, cùm finis ſit id quod mouet agens ad agendũ. Cognitio denique obiecti voluntatis cõcurrit

etiam ad iſtos actus producendos, ceterùm vt conditio tantùm ſinè qua non : propter hanc cauſam fatentur omnes communiter, intellectum cauſare actus voluntatis, non quidem phyſicè, ſed metaphoricè, putà quia media cognitione, conſtituit obiectum præſens voluntati. Ità authores proximè citati. Cauſa verò materialis, ſeu ſubiectiua cuiuſlibet actus voluntatis eſt voluntas ipſa, idque quod quilibet talis actus ſit immanens & vitalis.

Diſſoluũtur rationes contrariæ.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. Ex teſtimonio Ariſtotel. & SS. Patrum tantùm probari, obiectum voluntatis, ſeu, quod idem eſt, amabile, vel appetibile concurrere ad actum voluntatis, non quidem elicitiuè, ſed tantùm in ratione cauſæ formalis, vel finalis, vel conditionis ſinè qua non; quod nos vltrò concedimus: contendimus enim tantùm actum omnem elicitum à voluntate ab ea ſola in ratione cauſæ efficientis particularis dependere.

1.

2. Ad 2. propoſitionem iſtam; mouens & motum diſtinguuntur realiter, abſolutè & ſimpliciter loquendo eſſe falſam; nam anima ſeparata, exteriori opinione, mouet ſeipſam, & tamen id quod mouet animam, ſiue ſit aliquid diuerſum ab intellectu, & voluntate, ſiue idem cum iſtis, non diſtinguitur realiter ab eadem; nam licèt anima abſolutè loquendo, & per omnipotentiam Dei poſſit eſſe ſinè intellectu, & voluntate, non tamen intellectus, & voluntas abſque anima: & idem dicendum eſt de facultate motrice eiuſdem, ſi ex hypotheſi diſtinguatur ab iſtis.

Reſp. 2. *Satis* eſſe ad hoc vt detur motus in re aliqua quòd vnum & idem concipiatur eſſe partim actu, & partim potentia.

Ad id verò quod dicitur, patiens, & agens eſſe relata: dico hoc eſſe falſum, ſaltem ſi ſermo ſit de relatis ſecundum eſſe: pertinent enim actio, & paſſio ad diſtinctas categorias: ex iſtis autem omnibus non poſſunt authores illi colligere intellectum eſſe cauſam effectiuam actuum voluntatis, ſed tantùm motiuam, quod vltrò admittimus, idque iuxta modum explicatum in probatione Concluſionis vltimæ.

3. Ad 3. Voluntatem poſſe elicere quoſlibet effectus modo habeat ſimpliciter neceſſaria ad operandum, inter quæ computatur obiectum cuiuſlibet actus ab ea eliciti; eſt enim quilibet actus voluntatis tendentia quædam in ſuum obiectum, illo eodem modo, ceteris tamen paribus, quo viſio tendit in rem viſam.

4. Ad 4. Nedum voluntatem operari liberè, ſed etiam neceſſariò, ac proinde tam verè eſſe cauſam actus neceſſarij in ratione cauſæ efficientis phyſicæ, quàm ſit liberi; ſunt enim omnes iſti vitales, & immanentes reſpectu voluntatis.

5. Ad 5. Verbum diuinum attingere productionem Spiritus ſancti, non quòd ſit terminus productus per intellectionem Patris notionalem, ſed quòd ſit perſona verè diuina, habens eamdem numero vim ſpirandi, quam habet Pater, vt multis demonſtratur in tractatu de Trinitate; producitur autem Spiritus ſanctus à Patre & Filio ſimul, non per actum intellectus, ſed per voluntatem notionalem Patris, & Filij: ac proinde ratio iſta nihil planè probat.

Vltima.

Ad vltimã, imperium vſurpari duobus modis: interdum enim, imperare, idem eſt ac decernere, definire, & determinare quæ ſint agenda, vel vitanda: Aliàs verò, imperare, idem eſt atque mouere, & applicare aliquid ad agendum, vel non agendum: Priori modo imperium competit ſoli intellectui, poſteriori verò voluntati, nam propter id voluntas dicitur domina actionum humanarum: neutro autem ex iſtis modis imperare dicit rationem cauſæ efficientis phyſicæ, ſed tantùm rationem aliquam cauſandi metaphoricè, atque adeò non poteſt intellectus eſſe cauſa effectiua actuum voluntatis cauſando per veram efficientiam, & influxum; ſed tantùm per improprium, proponendo ſcilicet voluntati obiectum ſuum, ex cuius propoſitione ſequitur poſtea in voluntate motio aliqua, vt operetur, vel non operetur.

DVBITATIO VLTIMA.

Qua ratione actus intellectus ſit neceſſarius ad actus voluntatis producendos.

CONCLVSIO 1. *Voluntas nullam poteſt exercere actionem, de facto, niſi cum dependentia ab operatione intellectus.* Primùm, quia voluntas cenſetur eſſe ex ſua natura cæca. *Voluntas neceſſariò dependet ab intellectu vt operetur.*

Deinde, quia nihil volitum quin præcognitum.

Tertiò, ſi actus voluntatis, non penderet intrinſecè ab actu intellectus, nulla poſſet aſſignari ratio, cur voluntas tranſiret ab vna volitione ad aliam.

Quarto, voluntas comparatur ad intellectum eodem modo, quo inclinatio naturalis comparatur ad formam cuius eſt inclinatio; at certum eſt hanc conſiſtere non poſſe ſinè forma, vt conſtat ex grauitate, hæc enim ità coniuncta eſt, cum lapide verbi gratia, vt ab ea ſeparari non poſſit, & idem dicendum eſt de riſibili, comparato cum homine: ità docent D. Auguſtin. 10. de Trinitate, cap. 1. 2. & 3. & communiter omnes interpretes D. Thom. hoc loco. Addit autem Gabriel Vazquez per omnipotentiam Dei fieri non poſſe, vt voluntas rationalis creata, operetur ſinè actione intellectus: quod probat ex Auguſtin. 8. de Trinitat. cap. 4. & lib. 10. cap. 1.

Deinde, fieri nequit vt voluntas operetur, niſi tendendo in ſuum obiectum, at non poteſt in illud tendere, niſi poſita intellectus actione: definitur enim volitio, inclinatio ſeu tendentia voluntatis in ſuum obiectum mente, & intellectu apprehenſum: ergo non poterit voluntas aliquid operari, ſinè præuia operatione intellectus.

Dices, poſſe Deum ſe ſolo, quidquid poteſt media cauſa ſecunda: at media intellectione poteſt Deus cum voluntate creata elicere actum volitionis: ergo & ſinè illa. *Obiectio.*

Reſpondeo, propoſitionem maiorem eſſe veram in cauſis effectiuis phyſicè, & per veram efficientiam, minimè verò in cauſis materialibus aut formalibus: fatentur enim omnes, Deum nulla ratione poſſe ſupplere cauſam materialem, aut formalem, vti non poteſt efficere vt homo ſit, quin habeat corpus: cauſalitas autem actus intellectus, reſpectu volitionis productæ à voluntate nedũ eſt in genere cauſæ efficientis, ſed etiam formalis: nam dicitur de intellectu, quod apprehendat obiectum voluntatis, nedum quod conſtituat illud præſens voluntati: & de voluntate dicitur, quod tendat in obiectum ſuum apprehenſum & cognitum ab intellectu. *Reſpond.*

Digitized by Google

Perſeverat actus voluntatis, perſeverante actu intellectus tantum.

CONCLVSIO 2. *Actus voluntatis perſeverare nequit, niſi perſeverante actu intellectus circa idem obiectum.* Primùm, quia volitio nihil eſt aliud, quàm propenſio & tendentia conſequens formam mente, & intellectu apprehenſam.

Deinde, tamdiu durat actio aliqua, quamdiu vis agendi applicatur paſſo; atqui obiectum voluntatis in quod tendit, tamdiu repræſentatur voluntati, quamdiu intellectus de eo cogitat: ergo ceſſante actu intellectus, ceſſabit & voluntatis.

Tertiò, ideò motus progreſſiuus nequit ſinè termino ad quem conſurgere, quia eſt continua ſucceſſio copulata mutatis eſſe, tendens à termino à quo, ad terminum ad quem; atqui volitio quælibet tendit ſimiliter in obiectum apprehenſum ab intellectu.

Denique, actus voluntatis vt plurimum eò ſunt intenſiores, quo magis obiectum voluntatis eſt ab intellectu apprehenſum.

Obiectio 1. Obijcies 1. Voluntatem eſſe dominam omnium operationum noſtrarum: ergo poterit voluntas aliquid operari ſinè dependentia ab intellectu; nam poterit voluntas mouere intellectum ad primam intellectionem, quam exercere potuit.

Solutio. Reſpond. antecedens eſſe verum de actionibus tantùm liberis, non autem de neceſſarijs, inter quas computatur prima intellectio cuiuſlibet noſtrûm; hæc enim neceſſario præmittenda eſt actibus quibuſuis voluntatis; cùm hæc ex ſua natura ſit cæca, neque vnquam habeat obiectum præſens, niſi dependenter à præuia actione intellectus natura, vel tempore.

Replica. Inſtabis, voluntatem poſſe manere ſuſpenſam circa obiectum quodlibet ſibi propoſitum ab intellectu.

Diſſoluitur. Reſpond. hoc eſſe verum, non tamen ſinè præſuppoſito iudicio intellectus decernentis conueniens eſſe hîc & nunc nullum exercere actum circa huiuſmodi obiectum.

Obiectio 2. Obijcies 2. voluntatem poſſe ferri circa impoſſibile.

Solutio. Reſpond. non deeſſe qui putent id fieri poſſe voluntate conditionata, minimè verò abſoluta. Alij verò exiſtimant voluntatem poſſe ferri in impoſſibile, non tamen ſinè aliquo actu intellectus præcedente, quo intellectus iudicet impoſſibile apprehenſum vt conueniens, poſſe expeti, vel reſpui; ac proinde obiectio iſta nihil planè dicit, cùm voluntas nequeat tendere in hoc obiectum abſque dependentia ab actu intellectus.

Obiectio 3. Obijcies denique voluntatem magis amare obiectum aliquod, quàm intelligatur hoc ab intellectu, vt conſtat de Deo; hunc enim magis amamus in hac vita, quàm intelligamus: ergo poterit ſimpliciter voluntas operari abſque intellectu.

Solutio. Reſpond. conceſſo antecedente, nego ſequelam; ex iſto quippe antecedente ſolùm colligimus fieri poſſe, vt actus voluntatis ſit intenſior circa idem obiectum, quàm ſit actus intellectus, quod nos vltrò concedimus; non autem voluntatẽ poſſe aliquid operari ſinè dependentia ab intellectu.

Operatur voluntas præcedente iudicio intellectus. CONCLVSIO VLTIMA. *Voluntas rationalis, non poteſt aliquid operari, niſi ſuppoſito iudicio intellectus, quo decernit conueniens eſſe, vel diſconueniens obiectum propoſitum voluntati: idem dicendum eſt de appetitu ſenſili; hic enim nuſquam operabitur, niſi præmiſſio aliquo facultatis æſtimatiuæ iudicio.* Prima pars Concl. traditur ab Ariſtot. lib. 3. de anima, & à Damaſcen. cap. 22. lib. 2. de fide, & à D. Thom. in reſp. ad 2. huius artic. & à pleriſque eius interpretibus. *Ariſtot.* Damaſc.

Deinde, obiectum voluntatis eſt bonum, vel malum, apprehenſum tamen vt conueniens, vel diſconueniens; at intellectus eſt qui iudicat de conuenientia, vel diſconuenientia: ergo iudicium huius præcedere debet actum voluntatis.

Secunda verò pars probatur ex eo, quod experientia doceat pullos gallinaceos fugere miluum, oues lupum, & ſic de alijs nonnullis animalibus brutis: & item propoſitis duobus vel tribus pabulis, bruta potius ferri ad vnum, quàm ad aliud; cuius rei hæc redditur ratio, quod facultas æſtimatiua, quæ datur in brutis dicet pabulum hoc eſſe magis conueniens quàm illud; igitur facultas ſenſibilis exigit duci ab operatione æſtimatiuæ potentiæ.

Iudicium aliud perfectum, aliud imperfectũ. Aduerte, iudicium eſſe duplex, perfectum, & imperfectum: hoc cenſetur eſſe nuda, & ſimplex apprehenſio obiecti conuenientis, vel diſconuenientis; illud verò propoſitio aliqua ab intellectu facta, qua intellectus decernit hoc ideò eſſe amplectendum, quod ſit conueniens; vel certè fugiendum, quod ſit diſconueniens. Primum datur in brutis, poſtremo verò loco explicatum in ſolis rebus ratione præditis. Rurſus iudicium perfectum ſubdiuiditur in ſpeculatiuum, & practicum; primum ordinatur ad nudam cognitionem, poſtremum ad praxim: cum ergo diximus iudicium perfectum eſſe neceſſarium ad actus voluntatis rationalis exercendos, & iudicium ſenſus ad exequendos actus appetitus ſenſilis, id venit de iudicio practico intelligendum; propter hoc ſiquidem docent communiter Peripatetici, motum progreſſiuum pendere à iudicio practico in animalibus: fauet & iſtis, quod electio in rebus præditis vſu rationis, verſetur tantùm circa media, quæ dicunt vtilitatem, cum fine quem reſpiciunt. *Perfectum iudicium, ſpeculatiuũ & practicũ.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

An voluntas moueatur ab appetitu ſenſitiuo.

CIRCA hunc Art. duo ſunt obſeruanda. Alterum eſt, *voluntatem mouere appetitum ſenſilem in nobis, quoad exercitium actuum eiuſdem*: dicitur enim Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Geneſ. 4. verſ. 7.

Deinde, in actibus appetitus ſenſilis poteſt reperiri meritum, & demeritum, laus & vituperium; poſſunt enim actus iſti ordinari in honeſtum aliquem finem, vt conſtat ex actibus ieiunij, caſtitatis, diſciplinarum, ordinatis ad ſatisfaciendum pro peccatis: at meritum, & demeritum, &c. non poſſunt eſſe, ſinè imperio voluntatis liberè operantis. Denique, profeſſio caſtitatis computatur, inter conſilia Euangelica; at verſatur hæc circa obiectum aliquod appetitus ſenſilis. Ità communiter omnes hoc loco, & art. 1. huius quæſt. Mouet autem voluntas appetitum ſenſilem ratione ſui obiecti; facit enim voluntas ſuo imperio, vt obiectum ſit conueniens, vel diſconueniens reſpectu appetitus ſenſilis: & item ratione actus, nam excitat voluntas in appetitu ſenſili paſſiones aliquas, quibus mouetur hic ad operandum, vel non operandum; & denique quoad exer-

citium; applicat enim partes organicas ad operandum, vel non operandum ex dominio quod habet in omnes potentias sibi inferiores.

Voluntas mouetur ab appetitu sensili. Daniel 13. vers. 56. Iacob 1. vers. 15. Galat. 5. vers. 17. Rom. 7. vers. 23. Sapient. 9. vers. 15.

Obseruandum est 2. *Voluntatem rationalem moueri ab appetitu sensili*: dicitur enim Daniel 13. *Concupiscentia subuertit cor tuum.* & Iacob. 1. *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum.* & rursus, *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* & Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* & Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* & apud Sapient. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Idem docent Patres ad loca proximè citat. Mouet autem appetitus sensilis voluntatem nostram, non quidem proximè & immediatè, etiam quod specificationem actus, sed tantùm indirectè, & mediatè; nam cùm vnitas specifica actus cuiuslibet petatur ab obiecto, vel à modo tendendi, & solus intellectus constituat obiectum voluntati præsens, solus etiam intellectus proximè, & directè mouebit voluntatem creatam, quoad specificationem suorum actuum; appetitus tamen sensilis mouet ad hoc idem indirectè & mediatè, idque vel alliciendo voluntatem rationalem vt illud idem expetat, quod ipse appetit; vel certè impediendo voluntatem, ab exercitio operationum sibi connaturalium: & hoc est quod vult S. Tho. D. Thom. art. 3. quæst. 67. huius partis, quando ait, appetitum sensilem mouere voluntatem, ad agendum per abstractionem, id est per alienationem ab exercitio actuum qui conueniunt voluntati.

ARTICVLO 3. docet D. Thom. voluntatem mouere seipsam.

ARTICVLVS autem 4. postulat explicationem illius difficultatis in qua quæritur, *An voluntas seipsam moueat, an verò ab aliquo alio moueatur respectu actus primi quem exercet circa bonum, vel finem.*

Voluntas mouetur à seipsa. 1. De qua re statuitur, voluntatem moueri à seipsa, ad actum primum, non minùs quàm ad ceteros quos producit.

Diximus enim Artic. 1. huius quæst. voluntatem esse causam præcipuam cuiuslibet actus à se eliciti.

2. Deinde, actus primus, quem voluntas exercet circa bonum vel finem, est vitalis & immanens, & quidem dependenter à sola voluntate vitaliter operante.

3. Tertiò, si quæ esset ratio propter quam diceremus voluntatem non mouere seipsam ad actum primum, quem exequitur, sed ab alio; hæc maximè esset, quia actio ista est secundum propensionem, & inclinationem naturalem eiusdem, vel quia non est ex intentione finis: at neutra ex istis aliquid dicit; non quidem prima, nam quælibet actio elicita à ceteris potentijs, quæ dantur in nobis, est secundum propensionem, & inclinationem earumdem, & tamen potentiæ istæ verè eliciunt illos actus: ergo & illud idem erit dicendum de voluntate comparata, cum primo actu, quem exercet circa suum obiectum: Neque item secunda, nam ad hoc vt voluntas agat etiam liberè, sufficit aduertentia & indifferentia: at hæc duo verè reperiuntur in voluntate nostra, quando fertur in suum obiectum etiam per primam operationem: ergo non est negandum mouere seipsam quando primum actum producit.

4. Quartò, intellectus mouet seipsum ad primam intellectionem quam exequitur, quare ergo non idem habebit locum in voluntate, cùm hæc tam verè sit potentia vitalis quàm intellectus?

Obiectio. Dices, D. Thomam hoc loco affirmare voluntatem moueri ab alio respectu istius actus.

Solutio. Respond. hæc intelligenda esse non absolutè, & simpliciter, sed comparatiuè; ità vt velit D. Thomas voluntatem, non mouere seipsam ad primum actum, quem exercet circa suum obiectum, quemadmodum mouet se ad actus quos secundo exequitur; istos enim nunquam elicit nisi præmisso aliquo actu; non potest autem voluntas præmittere aliquem actum, ante primum quem exercet, vt est per se notum: hoc autem tantummodo affirmat sanctus Doctor hoc loco, non verò voluntatem, non mouere seipsam, etiam respectu actus primi.

Obiectio 2. Obijcies, ex istis manifestè colligi voluntatem posse peccare, media prima actione quam efficit, cuius tamen oppositum ex eo colligitur, quòd prima actio naturæ cuiuslibet tribuatur authori eiusdem: Deus autem peccare non potest.

Responsio. Respond. concedendo illationem maioris: ad peccatum quippe committendum satis est libertas, coniuncta cum aduertentia ad id quod operamur; hæc autem possunt esse in creatura rationali, etiam in primo instanti creationis eiusdem: fauet istis quod fatentur aliqui de Angelis, potuisse scilicet in primo suæ inceptionis instanti peccare.

Ad id verò quod dicitur, primam actionem cuiuslibet rei adscribi Deo, veluti authori naturæ. Respondi hoc esse verum de omni actione necessaria, minimè verò de libera, qualis tamen esset peccatum in primo instanti creationis commissum à creatura rationali.

ARTICVLO 5. docet corpora cælestia non mouere voluntatem nostram per se & directè in suis actionibus exercendis, sed tantùm indirectè, quatenus scilicet signa cælestia influunt in appetitum sensilem, qui postea mouet voluntatem nostram iuxta modum explicatum Artic. 2. huius quæstionis.

Sunt autem qui hoc loco prolixam satis instituant disputationem de causalitate syderum circa voluntatem nostram: ceterùm res hæc communiter pertractatur ab interpretibus D. Thomæ ad quæst. 95. in 2. 2. De hac autem re scripserunt accuratissimè Picus Mirandulanus per vndecim libros, Bened. Pererius lib. 2. in Genes. & in lib. de Magia, Guillelmus Amenus in Genes. ad hæc verba Genes. 2. *Posuit Deus duo luminaria in cœlo.* Leonardus Lessius lib. 2. de virtutibus, cap. 43. Dubit. 3. & Martinus Del-Rio lib. 4. disquisit. magicarum, cap. 3. quæst. 1. & alij multi.

ARTICVLO VLTIMO docet D. Thomas voluntatem nostram moueri à Deo inter agendum, veluti à principio aliquo extrinseco; de qua re nulla potest esse difficultas, cùm Deus sit causa cuiuslibet effectus creati, potiori iure quàm sit ipsamet causa secunda.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

De modo quo voluntas mouetur.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. voluntatem moueri naturaliter circa bonum in communi ſumptum.

ARTICVLO 2. moueri neceſſario, quoad ſpecificationem à bono in cõmuni ſumpto: quoad verò exercitium, moueri ab eodem bono, ceterùm liberè, non autem neceſſariò: loquitur verò D. Thom. de voluntate noſtra, prout datur in nobis, dum viuimus, & quandocumque coniuncta eſt cum vſu rationis; ante ſiquidem vſum rationis voluntas non operatur liberè in nobis, ſed tantùm ſponte & voluntariè, vt fatentur omnes D. Thom. interpretes; & ratio hoc ipſum ſuadet, quia libertas præſupponit iudicium rationis.

ARTICVLO 3. ait voluntatem moueri ab appetitu ſenſili, interdum neceſſariò, (nempe quotieſcumque voluntas, & ratio extra ſe feruntur) interdum verò liberè, nempe, quando appetitus ſenſilis mouet voluntatem, & adeſt vſus rationis; ità vt actus voluntatis ſit coniunctus cum vſu rationis.

ARTICVLO VLTIMO, docet voluntatem noſtram non moueri à Deo neceſſariò, ſed liberè: Deus enim concurrit cum omnibus cauſis iuxta earum naturas, & per conſequens neceſſariò cum neceſſarijs, cum contingentibus, contingenter; & denique cum liberis, liberè.

DVBITATIO PRIMA.

An detur in nobis libertas.

Datur in nobis libertas.

CONCLVSIO. *De fide eſt, dari in nobis libertatem.* Primùm, quia hæc colligitur euidenter ex ſacris litteris, dicitur enim Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius:* Dominium ſiquidem hoc arguit manifeſtè libertatem hominis circa potentias inferiores, & circa ipſoſmet actus voluntatis. Deuter. 30. *Propoſui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum.* Eccleſiaſt. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare conſeruabunt te. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi:* & cap. 31. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus; facere mala & non fecit.* Iſaï. 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* & 2. Reg. 24. *Trium tibi datur optio, elige vnum, quod volueris ex his.* 1. Corinth. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* & alibi ſæpe.

1. Geneſ. 4. verſ. 7. Deute. 30. verſ. 19. Eccleſ. 15. verſ. 14. 15. 16. 17. Idem 31. verſ. 10. Iſaï. 1. ℣. 19. & 20. 2. Reg. 24. verſ. 12. 1. Cor. 7.

2. Tertull.

Deinde, idem ſancti Patres docent verbis expreſſis. Tertull. lib. 2. aduersùs Marcionem, cap. 5. & 6. *Tota inquit libertas arbitrij in vtramque par-*

A *tem conceſſa eſt illi* (loquitur autem de homine) *vt ſui Dominus conſtanter decurreret, & bono ſponte ſeruando, & malo ſponte vitando.* & in exhortatione ad caſtitatem cap. 2. *Iam, inquit, nobis eſt voluntas eligendi alterum, ſicut ſcriptum eſt; Ecce poſui ante te bonum & malum.* & Cyprian. ad Cornelium epiſt. 55. ex diſpoſitione Pamelij; *Nunquid & vos vultis ire? loquitur autem Chriſtus de Apoſtolis, ſeruans ſcilicet legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſe vel mortem appetit, vel ſalutem.* & lib. 3. ad Quirinum cap. 52. ait; *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam.* & D. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. cap. 10. *Nullo modo cogimur, aut retenta præſcientia Dei tollere* B *voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, negare (quod nefas eſt) Deum præſcium futurorum: ſed vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter confitemur.* & lib. de ſpiritu & littera cap. 30. *Liberum ergo arbitrium euacuamus per gratiam? abſit; ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus.* & cap. 34. *Conſentire & diſſentire propriè voluntatis eſt.* & lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 2. ſimile quid habet. & lib. 2. contra duas epiſt. Pelagianorum cap. 5. *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periiſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis Diabolo; ad bene autem piéque viuendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata,* &c.

D. Auguſt.

C Tertiò, probatur ex definitione Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti quoad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, meréque paſſiuè ſe habere anathema ſit:* can. item 5. & 6. idem definit & confirmat, & in Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 8. damnantur articuli VViclef inter quos ſecundus eſt, *Omnia neceſſariò contingere.* 3.

Quartò, ſubſcribunt omnes ſcholaſtici in 2. diſt. 24. & 25. lege Bellarm. lib. 4. cap. 7. 8. 9. & 10. ſubiungo rationes aliquas. 4.

Rationibus probatur Concluſio.

D Prima: Quilibet experitur ſe liberè operari in pleriſque actionibus. 1.

Deinde, deſtructa libertate nulla datur bonitas, aut malitia moralis, & conſequenter omne aufertur è medio meritum, & demeritum: ab ijs enim quæ effugere non poſſumus neque laudamur, neque vituperamur. 2.

Tertiò, ſequeretur Deum eſſe authorem omnium malorum; quilibet enim effectus, qui datur in rebus creatis neceſſariò eſt à Deo, & quidem magis quàm ab ipſamet cauſa ſecunda, ex vnanimi doctrina Philoſophorum; at citra ſummam impietatem dici nequit Deum eſſe authorem mali culpæ: ergo dabitur voluntas libera in quam refunditur huiuſmodi malum. 3.

E Denique, illic datur libertas, vbicumque datur vſus rationis; eſt enim ratio radix, & origo libertatis, vt docet D. Thom. quæſt. 13. huius part. art. 1. & alibi; at in nobis viget vſus rationis, non obſtante peccato primi parentis, vt eſt per ſe notum: ergo & libertatis. 4.

Corollariũ.

Ex iſtis colligo, Priſcillianiſtas antiquitus erraſſe; voluerunt enim ſequuti Philoſophos aliquos Ethnicos, omnia in nobis neceſſariò fieri, idque propter ſyderum cæleſtium influxum.

Colligo præterea grauiter defeciſſe Caluinum, Lutherum, & ceterõs hæreticos noſtri temporis, dum contendunt liberum arbitrium fuiſſe in no-

Digitized by Google

bis extinctum per peccatum primi parentis; ità vt nulla fieri possit à nobis actio, per quam mereri possimus vitam æternam, sed omnem omnino operationem nostram habere rationem culpæ & peccati. Addunt libertatem, si quæ in nobis permansisset post peccatum Adæ omnino destrui, per præscientiam, prouidentiam naturalem aut supernaturalem, & denique per voluntatem efficacem diuinam; de qua re disputant Theologi in 1. part. D. Thom. in quæst. de præscientia, de prædestinatione & de voluntate Dei, vbi pluribus tanta impietas refellitur & repugnatur.

Corollariũ. Colligo tandem, eos similiter defeciſſe qui putant voluntatem nostram necessitari semper ad illa tantùm agenda, quæ iudicio rectæ rationis B sunt præscripta; hæc enim voluntas nostra verè respuere, aut etiam amplecti pro arbitrio potest.

Cùm autem diximus dari in nobis libertatem, hoc intelligendum venit de libertate contradictionis, & contrarietatis simul; ità enim docent Scholastici supra allegati: libertas autem contradictionis censetur esse ea, quæ versatur circa duo contradictoria: Contrarietatis verò, quæ attingit contraria, ac proinde quilibet nostrùm nedum potest ferri in bonum, vel malum, quæ sunt contraria, sed etiam propositis duobus bonis vel malis, in potestate nostra est acceptare, vel certè respuere quodlibet ex istis bonis, vel malis propositis. Hæc tamen sunt intelligenda de nobis, C quatenus sumus in hac vita; nam in cœlis datur tantùm libertas contradictionis circa bona; in inferis verò datur tantùm eadem libertas circa mala.

Obiectio. Obiciunt hæretici: Opera hominum, non ab ipsis, sed à Deo fieri; & item vias nostras non esse positas in nostra potestate: & denique corda nostra præparari & dirigi à Deo.

Solutio 1. Respond. ex istis non posse colligi non dari in nobis arbitrij libertatem; non enim Deus operatur omnia in nobis hoc sensu, quòd non concurramus ad easdem operationes cum Deo; certum enim est causas secundas illos eosdem effectus producere, quos Deus simul cum istis causis pro- D ducit; Sol quippe & homo generant hominem.

Deinde, est propositio indubitatæ veritatis apud omnes, quemlibet effectum productum à causis secundis, esse & à Deo, & à causis secundis: dicitur ergo Deus omnia opera nostra in nobis operari, quia fieri nequit vt vlla planè operatio exeat à nobis, quin ad hanc eamdem concurrat Deus, saltem si spectetur in ratione entis physici; & si sermo sit de operationibus in genere moris honestis, & laudabilibus, ad istas concurrit mouendo, & alliciendo nos ad exercitium: Ad operationes autem malas nullo modo concurrit, in genere moris consideratas.

Solutio 2. Respond. 2. Ex illis locis, in quibus dicitur, E Deum præparare corda nostra, & dirigere vias nostras, colligi tantùm executionem cuiuslibet operis nostri non posse fieri, nisi concurrente, & mouente Deo, secus tamen dicendum est de electione operis extrinseci; hæc enim ità posita est in nostra potestate, vt libertas arbitrij sinè ea consistere nullo modo queat, vt multis obseruat D. Damascen. 2. de fide, cap. 26. ac proinde electio ista ità est à nobis, vt à nullo alio sit: Testimonia ergo Scripturæ sacræ, quæ ab hæreticis obijciuntur, intelligenda sunt de progressu, & executione cuiuslibet operis externi, quod fit ab homine: libertas enim hæc non est necessaria ad defendendum liberum arbitrium; sed tantùm ea quæ respicit electionem. Vide de istis Bellarm. cap. 11. 12. & 13. lib. 4. de grat. & lib. arbit. illic enim proponit, & diluit omnia argumenta hæreticorum sumpta ex Scriptura, Patribus, & ratione contra libertatem.

DVBITATIO SECVNDA.

An libertas detur in nobis hoc nomine, quòd non cogamur inter operandum; an verò, quia non necessitamur.

Hæreticorũ error & fundamẽta. HÆretici nostri temporis in eo versantur errore, vt credant hominẽ dici liberũ, hoc solo titulo, quòd non cogatur in suis actionibus exercendis, licèt necessitetur in omni planè operatione quam exercet; ac proinde volunt dari in nobis libertatem à coactione; non autem à necessitate. Probant primùm ex Patribus; maximè verò 1. D. Augustinus. lib. 5. de Ciuitat. cap. 10. contendit D. Augustinus enim illic hominem esse liberum, etiam si operetur hic necessariò illud omne quod operatur. & in Enchirid. ad Laurentium, cap. 105. *Erit homo sic, vt velle malè non possit; nec ideò carebit libero arbitrio.* & rursus. *Neque ideò voluntas libera non est dicenda, quia beati sic esse volumus, vt esse miseri non solùm nolimus; sed nequaquam prorsus velle possimus.* & lib. de natura & gratia, cap. 46. simile quid habet.

Deinde, Pater & Filius producunt necessariò 2. Spiritum sanctum (omnis enim operatio Dei ad intrà, est simpliciter necessaria) certum autem est processionem istam nuncupari liberam à D. Tho. à Scotistis, & à Nominalibus in 1. sent. in tract. de processione Spiritus sancti: Indubitatum est etiam, apud Prosperum, Anselmum, & alios nonnullos Patres spontaneum, & voluntarium conuerti cum libero.

Conclvsio. *Citra manifestam hæresim defendi nequit, hominem operari necessariò in omnibus & singulis suis actionibus.* Primùm, quia diximus de fide esse dari in nobis libertatem. *Hæresis est dicere hominem necessario semper operari.*

Deinde, religio Catholica docet in potestate cuiuslibet nostrùm esse acceptare vel respuere quamcumque gratiam nobis à Deo oblatam: vt patet ex can. 4. sess. 6. Tridentini.

Tertiò, quilibet nostrùm potest se disponere ad gratiæ iustificantis receptionem, ex eadem sess.

Quartò, SS. Patres, & Philosophi maximè verò Peripatetici cum Aristot. agnoscunt dari in nobis operationes aliquas liberas: ergo non potest sustineri hominem operari necessariò suas actiones.

Conclvsio 2. *Libertas ideò admittitur in nobis, non quòd non cogamur, sed multò magis, quia non necessitamur inter operandum; ac proinde concedenda est in nobis libertas nedum à coactione, sed etiam à necessitate.* *Ideò datur libertasque non necessitamur.*

Prima pars Conclus. probatur: Pueri, amentes, & bruta non coguntur in suis actionibus exercendis, & tamen non propterea dicitur de istis, quòd sint liberi, seu, quod detur in illis libertas. 1.

Deinde, Deus non cogitur in amando seipsum, 2. neque item Pater & Filius inter producendum Spiritum sanctum, & tamen non dicimus Deum esse liberum in amando seipsum; aut Patrem & Filium liberè producere Spiritum sanctum, quoniam

Digitized by Google

niàm alioqui concedendum eſſet de S piritu ſancto, quòd potuerit eſſe & non eſſe.

3. Tertiò, actus amoris qui datur in beatis circa diuinam eſſentiam clarè viſam non eſt liber, & tamen non coguntur beati inter exercendum huiuſmodi actum; nam illud propriè cogitur, quod exercet actum inclinationi naturali contrarium; nihil autem magis connaturale eſt voluntati, quàm amare: Antecedens vero ex eo innoteſcit, quod de omni planè libero concedendum ſit, quod poſſit eſſe & non eſſe; actus autem amoris, quo beati amant diuinam eſſentiam, non poteſt non eſſe, eſt enim de ratione beatitudinis quod ſit inuariabilis, & immutabilis; beatitudo autem Sanctorum poſita eſt in actu amoris diuinæ eſſentiæ.

Vlt. Denique, D. Thomas quæſt. 6. de malo, art. vnico ait, hæreſim eſſe manifeſtam, nedum apud Theologos, ſed etiam apud Philoſophos dicere, libertatem, à coactione, minimè vero à neceſſitate ſufficere ad liberum arbitrium ſtatuendum.

2. Partis. Secunda pars probatur. Primùm, quia SS.
1. Patres verbis expreſſis docent libertatem propriè dictam ſtare non poſſe cum neceſſitate: ſed hæc duo deſtruere ſe reſpectu vnius, & eiuſdem: Ità D. Auguſt. cap. 1. lib. 3. de lib. arb. imo ait libertatem conſiſtere nullo modo poſſe, niſi tollatur à
2. libero neceſſitas. Deinde, ijdem Patres docent eſſentiam libertatis poſitam eſſe in eo, quod quis poſſit acceptare, vel non acceptare quodlibet obiectum ſibi propoſitum: Ità docet D Auguſt. lib. proximè citat. & lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 18. ità etiam Chryſoſt. Ambroſ. Hieron. & Anſelm. lib. de lib. arb. frequenter, & Bernardus in lib. de gratia & lib. arb. & Magiſter ſent. diſt. 24 & 25. & communiter eiuſdem interpretes.

3. Fauet iſtis ratio: In actibus neceſſariis nullum datur meritum aut demeritum, nulla item debetur iſtis laus, aut vituperatio, ex omnium doctri-
D. Auguſt. na, & docet verbis expreſſis D. Auguſt. cap. 1. lib. 3. de lib. arb. *Neque enim*, inquit, *vlla culpa deprehendi poteſt, vbi natura, neceſſitáſque dominatur.* & Ariſtot. in Ethicis. *Ab ijs quæ natura nobis indidit neque laudamur, neque vituperamur*; at certum eſt extare in nobis aliquos actus, quibus debetur laus, vel vituperium, idque propter meritũ, vel demeritum eorumdem; definiuit enim Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 32. hominem mereri vitam æternam & augmentum gratiæ per bona opera ex gratia facta: ergo libertas non compatitur neceſſitatem.

4. Quartò, pœna æterna indicitur quibuſdam in die iudicij, *Matth.* 25. at pœna hæc non poteſt eſſe debita actibus neceſſariis, ſed ſolis liberis: non ergo libertas ideò datur in nobis, quod non cogamur; ſed multo magis, quia non neceſſitamur in actionibus noſtris exercendis: Ità D. Thom. frequenter in hac part. & item in 1. part. quæſt. 83.

Exponitur Auguſt. Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. locum Auguſt. tantùm probare in rebus aliquibus dari actiones aliquas neceſſarias & item liberas; certum eſt enim Deum operari neceſſariò ad intrà, ad extra verò liberè: Angelus item, & homo interdum neceſſariò, interdum liberè operantur: contendit ergo hoc loco, neminem poſſe colligere, ex eo, non dari liberum arbitrium in aliquo, quod operetur hic interdum neceſſario: voluntas enim tam creata, quàm increata habet duplicem operandi modum, nempe, neceſſario, & liberè.

Reſp. 2. Auguſtinum velle neceſſitatem abſolutam deſtruere libertatem reſpectu vnius, & eiuſdem actus, ità vt implicet vnum & eumdem numero actum eſſe ſimpliciter neceſſarium & liberum: neceſſitas tamen hypothetica non lædit libertatem ex ſententia Auguſtini. Ad 1. probare tantùm impeccabilitatem, quæ datur in beatis non deſtruere libertatem, ſed potiùs augere, & confirmare; ex eo enim quod beati nequeant peccare, magis ſunt liberi inter eligenda bona. Ad 3. beatos neceſſitari circa actum, quo formaliter ſunt beati; manent tamen liberi in ordine ad aliquos alios actus. Ad vltimum, hominem neceſſitari quoad ſpecificationem deſiderio beatitudinis; nemo ſiquidem vult eſſe miſer: cum iſtis tamen rectè cohæret vt quilibet ſit liber, quoad exercitium iſtius actus, pro toto illo tempore, quo agit in hac vita mortali.

Soluitur 2. argumentũ. Ad 2. obiectionem. Reſpond. Patrem & Filium producere Spiritum ſanctum neceſſario. Ad id vero quod dicitur ex qualibet ſchola Theologorum Scholaſticorum extare aliquos, qui doceant Spiritum ſanctum procedere à Patre, & Filio liberè: dico particulam, liberè, non ſumi in propria ſignificatione, quatenus diſputatur de libero à nobis hoc loco, ſed vſurpatur impropriè quatenus liberum interdum coincidit cum voluntario; ac proinde volunt Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio liberè, id eſt ſpontaneè & non coactè.

Aduerte, apud Patres aliquos voluntarium, ſeu ſpontaneum, vſurpari interdum pro libero propriè dicto, qua ratione eſſet negandum Spiritum ſanctum non procedere à Patre & à Filio voluntario. Ceterùm vſus iſte loquendi reijcitur communiter ab ſcholis: ponunt enim Doctores omnes differentiam inter voluntarium & liberum propriè dictum; nomine quippe voluntarij intelligunt illud omne quod habet ortum à voluntate; nomine vero liberi, illud quod ab eadem oritur, quatenus indifferens eſt ad agendum, vel non agendum.

DVBITATIO TERTIA.

In quo poſita ſit ratio libertatis præcisè & formaliter.

Formalis ratio libertatis. Conclvsio. Miſſis de hac re variis auctorum placitis, *Libertas formaliter loquendo poſita eſt in eo, quod poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſit quis operari, vel non operari; ſeu, quod idem eſt, in ea indifferentia, ſeu dominio, quo quis poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, poteſt ſe determinare ad agendum, vel non agendum.* Hæc videtur eſſe mens ſanctorum Patrum, maximè vero D. Auguſt. cap. 1. lib. 3. de libero arbitrio, & de Geneſi ad litteram lib. 8. cap. 14. ait enim voluntatis eſſe eligere quod proponitur ei à ratione: & in Euchiridio ad Laurentium, cap. 32. dicit liberum arbitrium poſſe per ſe malum eligere, bonum autem non poſſe, niſi adiuuante Dei gratia. & Origen. lib. 3. Periarchon, cap. 1. ait liberum arbitrium eſſe facultatem diſcernendi bonum à malo, & eligendi, quod probauerit: conſentit iſtis Damaſcenus 2. de fide, cap. 24. ait enim liberum arbitrium eſſe facultatem eligendi, & D. Thom. 1. part. quæſt. 83. art. 4. ait liberum arbitrium nihil aliud eſſe, quàm vim electiuam: quæ definitio probatur à multis, quod tradatur per actum qui conuenit per ſe libertati, eligere quippe, vt ſic, ſolius eſt libertatis.

D. Auguſt. Origen. Damaſc. D. Thom.

2. Deinde, libertas formaliter loquendo, in eo eſt A poſita, per quod agens liberum diſtinguitur à neceſſario agente, & à ceteris aliis omnibus: idem quippe principium eſt alicuius conſtitutiuum, & diſtinctiuum eiuſdem à quolibet alio: vt agens liberum in eo diſtinguitur à neceſſario, quòd neceſſarium ſit definitum & determinatum ad vnum, & quidem ità, vt poſitis ad agendum requiſitis nequeat hoc non operari; liberum verò & indifferens eſt ad operandum, & præterea poſitis ad agendum neceſſariis poteſt operari, vel non operari: ergo in iſta indifferentia erit poſita ratio libertatis, cùm nulla alia dentur entia præter neceſſaria & libera.

3. Tertiò, tota ratio cur Deus cenſeatur eſſe B formaliter liber, hæc redditur ab omnibus, quia in eius eſt poteſtate operari, vel non operari ad extra quidquid non implicat contradictionem, vel potiùs quidquid vult producere: ergo idem planè erit dicendum de homine & Angelo. Ità Scotus in 2. diſt. 25. quæſt. vnica, & in 3. diſt. 36. quæſt. vnic. Gabriel in 2. diſt. 18. quæſt. 4. art. 8. Ockam, Arimin. & recentiores Scholaſtici.

Quid libertatis nomine intelligatur.

Aduerte 1. Nomine libertatis non ſignificari hoc loco habitum, vel infuſum, vel acquiſitum, ſed potentiam aliquam veram, & realem, quæ datur in omni planè re creata intellectiua: nam habitus omnis infuſus, vel ac- C quiſitus, definitus eſt ad certos tantummodò actus aliquos producendos, & quidem intrà vnam tantùm ſpeciem; libertas verò eſt indeterminata, ad quoſlibet actus producendos, tam bonos, quàm malos in qualibet ſpecie virtutis & vitij: loquimur enim hoc loco de libertate creata. Deinde, habitus iuuat tantùm potentiam in ſuis actibus exercendis; libertas autem creata eſt cauſa præcipua, & principalis cuiuſlibet effectus liberi.

Porrò potentia iſta eſt idem realiter cum voluntate, & ab ea ſola ratione diſcriminatur, vt author eſt D. Thomas art. 4. quæſt. 83. 1. part. & idem docent interpretes eiuſdem ibidem. D

Accedit SS. Patrum authoritas; hi enim frequenter pro vno & eodem planè vſurpant liberum arbitrium & voluntatem liberam, vt D. Auguſt. conſtat ex D. Auguſtino lib. 1. Retractat. cap. 9 Chryſoſtomo, ſermone ad hæc verba Ioan. 1. Chryſoſt. *Si veluerit is & audierit me.* & ex Gennadio de Gennad. Eccleſ. dogmat. cap. 22. ait enim libertatem arbitrij eſſe ipſammet rationalem voluntatem. Denique, ex communi doctrina Philoſophorum, in homine & Angelo dantur tantùm duæ potentiæ rationales, nempe intellectus, & voluntas: ergo libertas non eſt potentia diſtincta realiter à voluntate.

Obiectio. Dices D. Bernardum docuiſſe de voluntate & E libero arbitrio, quòd ſit habitus.

Solutio. Reſpond. appellaſſe liberum arbitrium habitum, minimè verò voluntatem præcisè ſpectatam: ceterùm nomine habitus, non intellexit qualitatem aliquam per ſe infuſam, vel acquiſitam, ſed tantùm habitudinem, ſeu, quod idem eſt procliuitatem, vel propenſionem ad agendum naturaliter, & conformiter libero arbitrio.

Peccare non pertinet eſſentialiter ad libertatem.

Aduerte 2. poſſe peccare, non eſſe de ratione libertatis; Deus enim eſt quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extra, & tamen de fide eſt Deum eſſe impeccabilem. Deinde, agentes in cœlis libertatem non minùs habent quàm dum eſſent viatores, & tamen in iſtis non datur, nec dari poteſt peccatum ex illo Apocalyp. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum aut abominationem faciens.* Deinde, ſtatus beatitudinis reſpuit à ſe omnem omnino culpam, tum quia beati in omnibus & ſingulis adhærent Deo; & quidem ità vt non poſſint actum amoris eiuſdem intermittere; ſunt etiam iſti immunes ab omni pœna, ex illo: *Non eſurient, neque ſitient amplius*, &c. Tertiò, diximus rationem libertatis in eo conſiſtere, quòd quis poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poſſit agere & non agere, nulla facta mentione de potentia peccandi. Quartò, poſſe deficere non eſt de ratione vllius planè potentiæ naturalis; quis enim dicat de ratione potentiæ motricis animalis eſſe, offendere dum mouetur; aut etiam claudicare. Confirmatur: non eſt de ratione intellectus poſſe errare, alioquin vbicumque reperiretur intellectus, ibi etiam daretur error, ſi non actu, ſaltem potentia; at res hæc nullum poteſt habere locum in Deo, in quo tamen datur intellectus ſecundum quidditatem & eſſentiam intellectus: Angeli item nequeunt errare in rebus naturalibus intelligendis, ex communi doctrina quorumcumque Theologorum: ergo idem tenendum eſt de potentia volendi. Apoc. 21. verſ. 27.

Poſtremo, bene operari non eſt de ratione liberi arbitrij; dæmones enim & damnati habent liberum arbitrium, & tamen neuter ex iſtis poteſt bene operari, durante ſtatu damnationis, qui eſt æternus, de lege communi. Hæc videtur eſſe mens SS. Patrum, D. Auguſtini cap. vlt. lib. vlt. de Ciuitate, & in Enchiridio, cap. 105 & D. Thom. 1. part. quæſt. 62. art. 8. ait enim maiorem dari in Angelis libertatem, quàm in hominibus conſtitutis in hac vita, idque quod illi peccare nequeant, bene tamen quilibet noſtrûm, & Bernardi itémque Anſelmi in lib. de libero arbitrio: poſſe ergo peccare, aut peccare actu, eſt imperfectio coniuncta cum libero arbitrio creato. D. Auguſt. D. Thom.

Libertas reſpicit actiones præſentes & futuras.

Aduerte tandem, libertatem reſpicere nedum actiones futuras, ſed etiam præſentes contra aliquos, cum Magiſtro diſt. 25. lib. 2. nam ſi tantùm de actionibus futuris, minimè vero de præſentibus diceretur, ſequeretur Deum non produxiſſe liberè mundum, item Chriſtum non potuiſſe mereri in primo inſtanti ſuæ incarnationis de facto, & item Angelos non potuiſſe peccare in primo ſuæ creationis inſtanti, quæ tamen omnia ſunt abſurda: creatio quippe pro illo inſtanti in quo fuit à Deo facta, libera verè extitit: & idem dicendum eſt de incarnatione ſpectata in ordine ad voluntatem Chriſti; fatentur enim omnes Chriſtum acceptando incarnationem meruiſſe reparationem generis humani, quod tamen dici nequit ſi actus hic non fuerit liber: Angeli item potuerunt peccare in primo inſtanti ſuæ creationis.

DVBI-

Digitized by Google

DVBITATIO QVARTA.

An libertas formaliter & intrinſecè intellectui, an verò voluntati conueniat.

Opinio 1. SVnt qui putent libertatem dici de intellectu formaliter: ità Pomponatius lib. 3. de libero arbitrio, & Durandus in 2. diſt. 24. quæſt. 2. Probant primùm, quia SS. Patres nuncupant liberum arbitrium ſenſum animi; ſenſus autem animi non voluntatem, ſed intellectum ſignificat, omnium conſenſione. Ità docent Clemens Romanus lib. 3. Recognitionum, ſub initium, ait enim liberi arbitrij poteſtatem eſſe ſenſum animi habentem virtutem, qua poſſit ad quos velit actus inclinare, & Hilarius in Pſal. 2. Vnicuique noſtrùm libertatem vitæ, ſenſúmque permiſit. & D. Thomas 1. part. quæſt. 59. art. 3. & quæſt. 82. art. 1. & 83. artic. 1. & alibi indifferentiam, & libertatem in intellectu admittit.

Deinde, Eccleſiaſtici 15. dicitur de homine, quòd fuerit à Deo productus, & relictus in manu conſilij ſui; at conſilium, non ad voluntatem ſed ad intellectum pertinet, vt probabitur infrà.

Denique, D. Damaſcenus 2. de fide ait, in contingentibus ad vtrumlibet intellectum facere electionem, at electio præſupponit neceſſariò libertatem. & D. Hieronymus in epiſtol. 8. ad Demetriad. *Eamdem*, ait, *Deus fecit mentem voluntariam ſui iuris*: at nomine mentis non voluntas ſed intellectus deſignatur: igitur libertas formaliter reſidet in intellectu.

Error eſt libertatẽ ſoli defendi nequit, libertatem ſoli intellectui competere.

CONCLVSIO 1. *Citra manifeſtum errorem defendi nequit, libertatem ſoli intellectui competere.* Primùm, quia ſi hoc ità ſe haberet, ſequeretur aut nullam dari in nobis bonitatem, aut malitiam moralem, nullum meritum, aut demeritum, aut certè hæc omnia habere locum in nobis ſinè vlla dependentia à voluntate noſtra; nam hæc omnia pendent intrinſecè, & eſſentialiter à libertate, quæ tamen ex hypotheſi in ſolo intellectu reperitur; at SS. Patres conſtanter docent libertatem non pendere in nobis à cognitione, ſed à ſola voluntate. Ità

Iuſtinus. Iuſtinus martyr in reſponſione ad quæſtionem octauam propoſitam orthodoxis; *Arbitrium*, inquit, *quoque liberum donauit, & delectus noſtri, vt earum quas cognoſceremus rerum, quod nobis placitum eſſet, & alijs pratuliſſemus, complecteremur, dominos conſtituit. Atque vt boni, vel mali ſimus, non in notione cognitarum, ſed in electione delectarum poſuit rerum. Quocirca non Deus, vt boni vel mali ſimus, ſed arbitrium noſtrum cauſa eſt.*

Tertull. Idem docet Tertullianus in exhortatione caſtitatis, cap. 2. & lib. de Monogamia, cap. 14.

Irenæus. & 2. contra Marcionem cap. 5. & Irenæus lib. 4. contra hæreſes. & Clemens Alexandr. lib. 1. ſtromatum, & alij plerique: ergo libertas non competit ſoli intellectui.

Intellectus non eſt formaliter liber.

CONCLVSIO 2. *Libertas formaliter & intrinſecè ſpectata, nulla datur in intellectu noſtro.* Primùm, quia ſi res aliter haberet, ſequeretur intellectum eſſe primam cauſam peccati; libertas enim eſt ratio prima peccandi, ex D. Auguſtino lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. at ex eodem loco certum eſt ſolam voluntatem creatam eſſe cauſam peccati.

Deinde, ſequeretur peccatum habere locum in nobis ſinè vlla dependentia à voluntate, cuius tamen oppoſitum docent SS. Patres, maximè D. Auguſtinus cap. 14. lib. de vera religione; D. Auguſt. *Peccatum*, inquit, *ità peccatum eſt, vt non ſit peccatum niſi fuerit voluntarium.*

Tertiò, ſequeretur intellectum determinare ſeipſam in ſuis actionibus exercendis, eſt enim de ratione libertatis ſeipſam ad operandum, vel non operandum determinare, ex dictis Dubit. proximè antecedente: atqui intellectus non determinat ſeipſã, ex Anſel. cap. 6. lib. de lib. arb. & ex lib. de concordia prædeſtinationis prope finem. Damaſcen. lib. 2. de fide, cap. 22. & Bernardo de gratia, & libero arbitrio: ergo nec formaliter aut intrinſecè libereſt.

Quartò, regula actionum humanarum debet eſſe certa, conſtans, & inuariata; at hæc cenſetur eſſe recta ratio, quæ pertinet ad intellectum: ergo intellectus non debet eſſe formaliter & intrinſecè liber: ità enim eſſet indifferens & indeterminatus.

Denique, ſi intellectus eſſet formaliter liber, ſequeretur admittendam eſſe duplicem electionem in nobis; vna quippe intellectum, altera voluntatem conſequeretur: at electio, ex doctrina etiam Ariſtotelis, vna eſt quæ pertinet ad voluntatem rationalem: ergo non intellectui, ſed voluntati libertas formaliter competit: quare ſit

Voluntas ſola formaliter libera.

CONCLVSIO VLTIMA. *Sola voluntas eſt formaliter & intrinſecè libera, intellectus verò ſola tantùm cauſaliter & radicaliter.* Hæc eſt expreſſa ſententia D. Thomæ in 2. diſt. 24. quæſt. 1. & de veritate, quæſt. 24. art. 1. 4. & 6. & 1. part. quæſt 83. art. 1. 3. & 4. & in hac part. quæſt. 13. art. 1. & 6. & quæſt. 17. art. 1. ad 2. Ægid. Rom. quodlib. 4. quæſt. 21. Capreoli in 2. diſt. 24. & aliorum interpretum D. Thom. D. Thom.

Deinde, illa potentia cenſetur eſſe in nobis tantùm formaliter, & intrinſecè libera quæ & ſeipſam determinat in ſuis actionibus exercendis, & item ceteras potentias inferiores; eſt enim hæc ſola domina humanarum actionum, ex doctrina communi Patrum, & Peripateticorum omnium; at voluntas eſt, quæ & determinat ſeipſam ad operandum, vel non operandum poſitis neceſſariis ad agendum, nec non ceteras potentias, ex illo Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*; locus ſiquidem hic explicatur à Patribus, de imperio voluntatis rationalis circa quaſlibet paſſiones & facultates naturales, quæ dantur in nobis: ergo voluntas ſola eſt formaliter & intrinſecè libera. Geneſ. 4. verſ. 7.

Tertiò, libertas in ea tantùm facultate eſt admittenda formaliter, in qua datur electio, veluti actus vitalis & immanens; eſt enim libertatis proprium eligere; at electio deprehenditur tantùm in voluntate, ex doctrina D. Thomæ, vt probabitur inferiùs: & fatentur omnes communiter cum eo: ergo &c.

Quartò, libertas in eo tantùm eſt conſtituenda intrinſecè & formaliter, in quo datur radix, & cauſa proxima peccati, aut etiam meriti (eſt enim axioma indubitatum apud omnes, ſolas actiones liberas eſſe meritorias vel demeritorias) at ſola voluntas eſt radix, & origo demeriti, ex Bernardo ſermone 3. de Paſchate: *Quid enim odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? ceſſet voluntas propria, &* Bernard.

infernus non erit. In quem enim ignis ille deſeniet, niſi in propriam voluntatem? Etiam nunc cùm frigus, aut famem, aut aliquid tale patimur, quid tribuitur niſi propria voluntas? & D. Auguſtino de vera religione? cap. 10 & de duabus animabus contra Manichæos, cap. 10. ait enim quòd non niſi voluntate peccatur. & lib. 1. cap. 9. Retractationum; *Voluntas eſt qua peccatur, & qua bene vivitur:* ergo voluntas ſola eſt libera formaliter. D. Auguſt.

Cauſaliter tamen & radicaliter cenſetur intellectus liber, quatenus ſemper quamdiu in hac vita degimus obiectum proponit voluntati, ſub ratione aliqua boni, & mali conuenientis, & diſconuenientis; ac proinde cum aliqua indifferentia, vt poſtea voluntas eam partem amplectatur quæ magis placet. B

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad primam, ex illis locis tantùm colligi, libertatem conuenire intellectui radicaliter, minimè verò formaliter; non enim fieri poteſt vt ſequatur actus libertatis in voluntate, niſi præcellerit in intellectu iudicium rationis de rebus agendis hîc & nunc; ob hanc quippe cauſam docet D. Thom. 1. part. quæſt. 83. art. 3. in corpore, voluntatem eſſe appetitum conſiliatiuum, id eſt natum ex conſilio; conſilium autem pertinet ad intellectum, hic enim eſt qui conſultat de rebus agendis. C

Ad 2. Reſpond. hominem ideò relictum in manu conſilij ſui, quod detur in eo libertas, cetcrùm dependenter à iudicio intellectus, vt communiter explicant recentiores omnes.

Ad 3. in contingentibus ad vtrumlibet, ex opinione Damaſceni, intellectum facere electionem cauſaliter tantùm, non formaliter; libertas enim ſola facit formaliter electionem liberam. Hieronymus autem nomine mentis non intelligit ſolùm intellectum eo loco, ſed vel animam rationalem totam, vel totam ſubſtantiam ſpiritualem, quam dicit eſſe liberam, partim à mente, nempe radicaliter, vt docuimus, partim verò formaliter, ceterùm à libertate, quæ datur in voluntate. D

Ex iſtis colliges rationes iſtas loquendi quæ reperiuntur apud aliquos Scholaſticos non eſſe admittendas ſimpliciter & abſolutè, ſed ad ſummum iuxta modum explicatum: liberum ſcilicet arbitrium eſt cogitatio & volitio deliberandi: item, liberum arbitrium eſt habitus communis intellectui & voluntati.

Mouetur quæſtio. Rogabis, quî verum ſit libertatem dari in voluntate noſtra? cùm Patres doceant communiter, hominem peccato primorum parentum vulneratum fuiſſe in naturalibus, & ſpoliatum gratuitis omnibus. Ità docent Ambroſius ad cap. 10. Lucæ, cùm explicat parabolam hominis ab Ierico in Hieruſalem deſcendentis. Auguſtinus lib. 2. quæſt. Euangelic. quæſt. 15. & lib. de natura & gratia, cap. 3. Hieronym. Beda, & alij multi, vnà cum Mag. diſt. 21. lib. 2. vulneratio autem iſta creditur eſſe penès libertatem noſtram, quam putant eſſe ſublatam per peccatum primorum parentum. D. Ambro. E D. Auguſt. D. Hieron.

Reſoluitur. Reſpond. hominem ideò ſpoliatum eſſe gratuitis, per culpam primorum parentum, quòd iuſtitia originalis, quæ erat in poſteros omnes transfundenda, fuerit per culpam eiſdem denegata: dicitur autem homo vulneratus in naturalibus, non quòd aliqua naturalia amiſerit per peccatum primi hominis, ſed tantùm quòd introducta fuerit facilitas aliqua errandi reſpectu intellectus, & item procliuitas ad peccata committenda in voluntate; & denique quòd appetitus ſenſilis ab eo tempore fuerit deordinatus, ità vt poſita culpa primi parentis, ſubſequuta fuerit rebellio in parte inferiori contra rectam rationem, vt obſeruat D. Bernardus ad hæc verba Geneſ. 8. *Senſus enim & cogitatio humani cordis prona ſunt in malum ab adoleſcentia ſua.* ſermo. 1. de Paſchate. & ſerm. 16. in Pſal. *Qui habitat in adiutorio.* aut à pueritia ſua, vt habet alia lectio, id eſt, à prævaricatione primæ mulieris, vt explicat. A Bernard.

Rogabis 1.° Quomodo verum ſit voluntatem noſtram eſſe formaliter liberam, cùm Patres doceant hominem peccando, & perdidiſſe ſeiptum, & liberum arbitrium: ità loquitur D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 30. & in epiſt. ad Vitalem, quæ eſt 107. & ſerm. 2. cap. 6. de verbis Apoſtoli. Deinde, quia idem affirmat hominem non poſſe repetere ſuam libertatem, niſi per gratiam Dei: ità lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianorum, cap. 3. & de ſpiritu, & lit. cap. 3. & 4. & epiſt. 104. ad Anaſtaſium in fine. Tertiò, quia idem tradit liberum arbitrium potius dicendum eſſe ſeruum, quàm liberum, cap. 8. lib. 2 contra Iulianum Pelagianum. Denique, idem conſtanter affirmat per peccatum primorum parentum introductam fuiſſe in nobis neceſſitatem peccandi, cap. 4. lib. de perfectione iuſtitiæ. *2. Quæſtio.* D. Auguſt.

Diſſoluitur. Reſp. libertatem formaliter competere noſtræ voluntati, neque ab hac doctrina recedere D. Auguſtinum, quidquid imponant Nouatores noſtri temporis: ait enim ſerm. 2. de verbis Apoſtoli, hominem primo peccato non perdidiſſe liberum arbitrium, ſed tantùm vires ſibi à Deo in prima ſua conditione conceſſas; vires autem iſtæ libertatis nullæ aliæ fuerunt, quàm iuſtitia originalis, & alia dona ſupernaturalia, quibus appetitus ſenſilis ſubijciebatur perfectiſſimè rationi, & recta ratio Deo, ità vt in omnibus & ſingulis pars inferior rationi obtemperaret ſinè vlla planè rebellione, & recta item ratio Deo: ſubiectio autem iſta regulata partis inferioris reſpectu ſuperioris fuit omnino deperdita per peccatum; libertas tamen ex doctrina Auguſtini manſit perfecta, & integra reſpectu voluntatis noſtræ in ordine ad potentiam operandi & non operandi. Deinde, lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 2. ità contra Iulianum Pelagianum negantem liberum arbitrium inſurgit. *Quis*, inquit, *noſtrûm dicat quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit, ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam in immortalitate iuſtitiam.* Tertiò, idem docet locis proximè citatis hominem amiſiſſe tantùm liberum arbitrium per peccatum primorum parentum, ad hoc vt diligat Deum ſuper omnia, non autem ſimpliciter, & abſolutè; nam licèt verè detur in nobis libertas: certum tamen eſt neminem poſſe diligere Deum ſuper omnia ſinè ſpeciali auxilio ordinis ſupernaturalis.

Aperitur Auguſtini mens. Hoc ità conſtituto. Dico Diuum Auguſtinum in illis locis qui primò obijciuntur, non affirmare liberum arbitrium eſſe ſimpliciter ſublatum per peccatum primorum parentum, ſed

ſed tantùm ſecundum quid, reſpectu ſcilicet libertatis à peccato, ità vt velit hominem interueniente peccato, factum fuiſſe quaſi vile mancipium eiuſdem, cùm antea nulla ratione illi ſubijceretur: hanc autem eſſe illius mentem manifeſtè euincitur ex locis Scripturæ, quos ibidem citat: adducit ergo illud Ioann. 8. *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* & 2. Petri cap. 2. *A quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt.*

Ioann. 8. verſ. 34. 2.Petr. 2. verſ. 19.

Ad alia verò eiuſdem Doctoris teſtimonia, in quibus dicitur hominem non poſſe priſtinæ reſtitui libertati, niſi per ſolam Dei gratiam.

Reſpond. hæc eſſe intelligenda de reſtitutione libertatis à peccato, à morte æterna, & à miſeria: certum eſt enim hominem creatum eſſe à Deo immortalem, & primo peccato contraxiſſe debitum moriendi, nedum morte corporali, ſed etiam æterna, ex illo Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt:* quoniam ergo nullus eſt, qui poſſit reſurgere à peccato, & item à reatu pœnæ æternæ, ſinè ſpeciali Dei gratia, vt colligitur ex cap. 3. poſt. ad Corinth. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi à nobis, ſed noſtra ſufficientia, ex Deo eſt.* Ioann. 15. *Sinè me nihil poteſtis facere.* & ex illo Bernard. in Cantica Canticorum. Et ſi datum eſſet homini ſtare ne caderet, non tamen reſurgere ſi caderet: neque enim tam facilè quis exire poteſt de fouea, quemadmodum in eam labi: propter hanc ergo cauſam docet D. Auguſt. hominem ità factum eſſe ſeruum peccati, & mortis æternæ ſuo peccato, vt libertatem oppoſitam iſtis, quam ante peccatum habuit, contendat non aliter poſſe repetere, quàm accedente ſpeciali aliquo Dei beneficio. Non negauit tamen manſiſſe liberum arbitrium in homine reſpectu neceſſitatis naturalis operandi.

Rom. 5. verſ. 12. 2. Cor. 3. verſ. 5. Ioan. 15. verſ. 5. Bernard.

Propter hanc eamdem cauſam docet idem liberum arbitrium per peccatum primorum parentum potius eſſe ſeruum, quàm liberum; nam non poteſt ità facilè etiam honeſtas operationes exercere, quemadmodum antea poterat: contraxit enim ex huiuſmodi peccato difficultatem aliquam bene operandi, quæ non aliter reparatur in nobis, quàm accedente ſpeciali Dei auxilio, vt docent Theologi in tract. de neceſſitate gratiæ.

Propterea etiam tradit hominem ſuo primo peccato induxiſſe neceſſitatem peccandi in poſteros; nam quiliber noſtrûm etiam in vtero materno conſtitutus, inficitur peccato originali, ex illo Epheſ. 2. *Et eramus natura filij iræ ſicut & ceteri.* & ex illo Pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Adde, nedum neceſſitatem iſtam peccandi attendendam eſſe in ordine ad peccatum originale; ſed etiam, quia nullus noſtrûm eſt, qui toto tempore vitæ poſſit quamlibet culpam declinare; ſed deſideratur ad id ſpeciale Dei munus, vt definitum fuit in Concilijs Arauſic. Mileuitano. & Trident. ſeſſ. 6.

Epheſ. 2. verſ. 3. Pſal. 50. verſ. 7.

DVBITATIO VLTIMA.

An voluntas noſtra, quæ eſt intrinſecè libera, neceſſitetur ab obiectis propoſitis in hac vita mortali.

CONCLVSIO 1. *Voluntas in adultis, à nullo planè obiecto ſibi propoſito neceſſitatur, pro eo tempore quo agimus in hac vita.* Primùm, quia diximus in nobis dari libertatem nedum contradictionis, ſed etiam contrarietatis. *Voluntas nõ ab obiecto neceſſitatur, pro creato.*

Deinde, quia propoſito quouis obiecto poteſt voluntas illud reſpuere, vel acceptare, ſaltem ſi liceat examinare, & conſultare de rebus agendis.

Tertiò fieri nequit, vt obiectum aliquod neceſſitet voluntatem noſtram niſi complectatur in ſe rationem cuiuſlibet boni, & careat omni planè malo, & inſuper innoteſcat prout in ſe eſt, non autem confusè: at certum eſt nullum tale proponi voluntati noſtræ, quamdiu agimus in hac vita: ergo à nullo poterit voluntas neceſſitari. Ità D. Thom. artic. 1. huius quæſt. & communiter eius interpretes ibidem.

Dices, neceſſitari voluntatem noſtram in cœlis ab eſſentia diuina clarè viſa. *Obiectio.*

Reſpond. ex hoc nihil poſſe colligi; nam loquimur de homine viatore. Deinde, quia non innoteſcit Deus, niſi per fidem, & per demonſtrationem naturalem: cognitio autem iſta non ſufficit ad neceſſitandam voluntatem noſtram ad hoc vt neceſſariò amet Deum, idque, quòd non cognoſcatur clarè & diſtinctè prout in ſe eſt, ſed tantùm obſcurè, per ænigma & confusè. *Solutio.*

CONCLVSIO 2. *Voluntas noſtra neceſſitatur interdum ab appetitu ſenſili, ſeu, quod idem eſt, à paſſionibus, receptis in potentijs inferioribus: non verò ſemper, & vbique.* Poſterior pars probatur ex illo Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* *Aliquando neceſſitatur voluntas ab appetitu ſenſitiuo.* Geneſ. 20. verſ. 7.

Deinde, actus innumeri elicìti à potentijs inferioribus imputantur nobis ad culpam, & etiam ad meritum, vt conſtat de actibus pudicitiæ & caſtitatis, ex doctrina Pauli cap. 7. prioris ad Corinth. ait enim caſtitatem anteponendam eſſe matrimonio.

Tertiò, præcepta ſunt de rebus poſitis in noſtra poteſtate: atqui plerique actus potentiarũ inferiorum ſunt in præcepto, vt conſtat ex cap. 20. Exod. *Non concupiſces.* Exod. 20. verſ. 17.

Denique, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia: Chryſoſtomi, homil. 13. operis imperfecti in Matthæum, & 13. in epiſtolam ad Rom. Auguſtini ſerm. 43. de verbis Domini cap. 9. & 10. Proſperi Aquit. lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 6. Anſelmi ad cap. 6. epiſtolæ ad Roman. & ad cap. 5. ad Galat. *Spiritu ambulate & deſideria carnis non perficietis.* D.Chryſ. D. Auguſt. Proſper Aquitan. Anſelm. Galat. 5. verſ. 16.

Prima verò pars Concluſionis ex eo innoteſcit, quòd dentur in nobis motus primo primi, qui nulli imputantur ad culpam, vel meritum, idque quòd dentur in nobis ſinè vlla conſultatione, & aduertentia rectæ rationis.

Deinde, certum eſt pueros, & item phreneticos in ſuis actionibus, nec mereri, nec peccare, etiamſi huiuſmodi operationes ab eorum voluntate

Digitized by Google

proficiſcantur Tunc autem neceſſitatur voluntas noſtra à paſſionibus receptis in potentiis inferioribus, quando non conceditur tempus ad conſultandum, & deliberandum de agendis, vel non agendis, & item quando recta ratio aduertere nequit ad obiectum ſibi propoſitum media operatione potentiæ ſenſilis.

QVÆSTIO XI.

De fruitione.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. fruitionem eſſe actum voluntatis, & quidem meritò; nam definitur gaudium, ſeu delectatio de fine obtento: finis autem cenſetur eſſe obiectum voluntatis. Addo tamen fruitionem eſſe actum voluntatis, omnino diſtinctum ab amore, contra Scotum, & alios nonnullos; nam prius eſt voluntatem amare, quàm delectari de obiecto obtento. Deinde, frui in ſacris litteris, non ſignificat amare, ſed delectari, vt conſtat ex cap. 2. Sapientiæ. *Venite, & fruamur bonis.* & Prouerb. 7. *Inebriemur & fruamur cupitis amplexibus*, id eſt, delectemur, vt explicant omnes interpretes, & in epiſt. ad Philemonem: *Ego*, inquit Paulus, *te fruar in Domino*, id eſt delectabor de tua præſentia. Tertio, fauent Patres, maximè vero D. Auguſtinus cap. 10. lib. 10. de Trinitate, *Fruimur*, inquit, *cognitis in quibus voluntas ipſis propter ſemetipſam delectata conquieſcit.*

Sapien. 2. verſ. 6. Prouer. 7. verſ. 18. Philemon. verſ. 20.

ARTICVLO 2. docet fruitionem habere tantùm locum in creatura rationali; hæc enim ſola apprehendit finem, vt finis eſt; ac proinde ſola delectari de eo poteſt & frui; gaudia ergo quæ dantur in brutis, impropriè tantum nomen fruitionis ſibi vendicant, quatenus ſcilicet fruitio eſt delectatio de re qualibet obtenta.

ARTICVLIS 3. & 4. docet obiectum fruitionis eſſe bonum delectabile, & vt habet rationem finis vltimi, & quidem iure optimo: diximus enim fruitionem eſſe delectationem de fine obtento. Vide plura de iſtis apud interpretes D. Thom. hoc loco.

QVÆSTIO XII.

De intentione.

ARTICVLO 1. docet intentionem eſſe actum voluntatis; eſt enim hæc actus ille, quo voluntas tendit in finem, ſub ea ratione, qua finis eſt. Ità docent Sententiarij in 2. diſt. 38. & Azor lib. 1. Inſtitutionum Moralium, Peſantius hoc loco.

ARTICVLO 2. docet obiectum intentionis eſſe finem, vt finis eſt: intendere quippe nihil aliud eſt, quàm in finem, quatenus finis eſt, tendere.

ARTICVLO 3. Voluntatem non poſſe ſimul & ſemel in duos diuerſos fines, vlla ratione ſibi ſubordinatos tendere, bene tamen in finem & media, & item in duos vel plures fines ſibi ſubordinatos. Cuius rei hæc redditur ratio: voluntas non poteſt aliquid actu velle, niſi de hoc eodem intellectus ſimul cogitet; at nequit intellectus cogitare ſimul, & ſemel de duobus finibus, minimè inter ſe ſubordinatis cognitione diſtincta; certum eſt autem intellectum rectè cogitare de pluribus finibus ſibi ſubordinatis, ac proinde & de fine, & mediis ad huiuſmodi finem accommodatis: ergo licèt non poſſit primum, ſecus ſecundum.

ARTICVLO 4. docet electionem diſtingui ab intentione; nam electio, vt ſic, tantummodo media reſpicit, intentio verò finem, vt finis eſt.

ARTICVLO VLTIMO, oſtendit intentionem propriè ſumptam non competere beatis: non enim feruntur hæc in finem, ſub ea ratione qua finis eſt, ſed ſola creatura rationalis. Addit intentionem impropriè dictam non eſſe negandam brutis.

QVÆSTIO XIII.

De electione voluntatis.

ARTICVLO 1. docet electionem eſſe actum voluntatis; conſequitur enim hæc intrinſecè libertatem ex doctrina communi. Deinde, quia illud omne quod tendit in bonum, quatenus bonum eſt, aut eſt voluntas, aut actus voluntatis, aut auxilium actuale, vel habituale, quod datur in voluntate; nam hæc ſola reſpiciunt bonum vt bonum eſt; at electio non eſt voluntas ipſa, neque item auxilium aliquod actuale, vel habituale receptum in voluntate, vt eſt per ſe notum: ergo erit actus voluntatis. Denique, omnis affectus proſequutionis meritorius vel demeritorius, eſt actus voluntatis; non enim datur meritum ſinè voluntate liberè operante: at quælibet electio facta ab homine conſtituto in hac vita, eſt meritoria vel demeritoria, ordinatur enim hæc ſemper in finem ex præſcripto rationis. Ità docent omnes hoc loco; & Sententiarij aliqui in 1. diſt. 40. alij 41.

ARTCVLO 2. docet electionem in brutis nullum habere locum, ſed tantùm in creatura rationali liberè operante: eſt enim electio, collatio mediorum cum fine, & item mediorum inter ſe propter finem; at comparatio hæc non poteſt fieri à brutis ſed à ſola creatura rationali: ergo in illis non habet locum electio. *Electio in brutis non eſt.*

ARTI-

Obiectum electionis vnum vtile.

ARTICVLO 3. docet obiectum electionis eſſe bonum vtile, ſeu, quod idem eſt, medium vt medium: & meritò quidem; conſultatio enim neceſſaria eſt ad electionem, vel certè aduertentia rectę rationis: at conſultamus tantummodò de medijs, & aduertimus ad eorum vtilitatem reſpectu finis quem intendimus: ergo, vt ſic, ſunt obiectum electionis.

Obiectio. Dices, propoſitis duobus finibus minimè ſubordinatis, voluntatem noſtram poſſe vnum acceptare, & alterum liberè reſpuere: ergo non reſpicit vtile vt tale.

Solutio. Reſpond. ex iſto antecedente nihil poſſe colligi; acceptatio quippe iſtius finis non eſt dicenda propriè electio, ſed impropriè tantùm; B eſt enim propriè dicta electio coniuncta cum conſultatione, ex qua præponitur vnum medium alteri propter finem, quem intendimus: hoc autem non contingit in re propoſita; acceptatur enim tantùm vnus finis alio ſpreto, & præterea fines iſti nulla ratione ſibi ſubordinantur, quod tamen exigit electio propriè dicta ſaltem reſpectu finis.

ARTICVLO 4. docet electionem eſſe de rebus poſitis in noſtra poteſtate, de qua re nullus planè dubitat.

Electio poſſit verſari circa impoſſibile vt tale cognitum.

Circa verò ARTICVLVM 5. ſtatuendum eſt; electionem poſſe verſari circa impoſſibile cognitum vt impoſſibile, & quidem per ſe, C nedum per accidens vt volunt aliqui. Primùm, quia certum eſt damnatos expetere non eſſe, & tamen hoc eſt planè impoſſibile, cùm careant principio intrinſeco deſtructiuo eſſe cuiuſlibet; & extet decretum diuinum de exigendis ab iſtis pœnis æternis. Deinde, quilibet pœnitens vult non peccaſſe, & tamen certum eſt, eum qui peccauit non poſſe non peccaſſe. Tertiò, ità docet D. Thom. hoc loco ad 1. & quæſt. 16 de malo, art. 3. ad 9. & interpretes eiuſdem maximè recentiores hoc loco.

Obiectio. Dices, voluntatem non poſſe ferri niſi in bonum; eſt enim hoc ſolum obiectum voluntatis; at in impoſſibili nulla planè datur bonitas. D

Solutio. Reſpond. voluntatem neceſſariò ferri in bonum, quòd verè eſt à parte rei, vel certè quod à nobis concipitur ad modum bonitatis actu in rebus creatis exiſtentis: bonitas ergo nulla planè datur in impoſſibili à parte rei; concipitur tamen à nobis bonitas aliqua in illo ad modum bonitatis exiſtentis in rebus creatis, & illo eodem modo quo intellectus apprehendit entitatem aliquam in chimæra, etſi hæc à parte rei nullam dicat entitatem; ac proinde quemadmodum intellectus verè intelligit chimæram per verum, & realem aliquem actum; ità voluntas eliget impoſſibile, etiamſi hoc à parte rei nullam dicat bonitatem.

Aduerte, actum quo voluntas tendit in impoſſibile etiam apprehenſum vt tale, ad modum tamen explicatum eſſe actum abſolutum, nedum conditionatum; idem enim dicendum eſt de hoc actu voluntatis, quod de ceteris actibus elicitis à qualibet potentia: actus autem ceterarum potentiarum, quando ſunt ab ijſdem eliciti, cenſentur eſſe abſoluti, minimè verò conditionati.

Obiectio. Dices, intellectum noſtrum aſſentire huic propoſitioni: ſi Petrus currit, mouetur, non quidem abſolutè, ſed ſub conditione.

Solutio. Reſpond. negando antecedens; propoſitio A quippe hæc verbis conditionatis explicatur, aſſenſus tamen intellectus noſtri eſt abſolutus, cùm pendeat hic à veritate, quæ ineſt obiecto; eſt enim veritas propoſitionis, conformitas quam dicit intellectus ad rem intellectam; ac proinde cùm res intellecta ità planè ſe habeat quemadmodum intelligitur ab intellectu; certè aſſenſus iſtius tam verè erit abſolutus, quàm veritas obiectiua.

Aduerte 2. actum hunc voluntatis circa impoſſibile eſſe inefficacem, non autem efficacem; actus ſiquidem ille dicitur inefficax, qui elicitur à potentia tendendo in obiectum, non cogitando de aſſequutione huiuſmodi obiecti: efficax verò qui cogitat de obiecto conſequendo. Voluntas autem noſtra, quando tendit in impoſſibile vt impoſſibile eſt, apprehenſum tamen vt poſſibile, vel ad modum bonitatis exiſtentis in rebus iſtis, intellectus non cogitat de aſſequutione iſtius obiecti, ac proinde tendit voluntas noſtra inefficaciter in huiuſmodi obiectum.

Aduerte denique voluntatem tendere per ſe in aliquod obiectum, quotieſcumque vero & explicito aliquo actu tendit in illud; etſi id præſtet non propter hoc obiectum proximè, & immediatè: ſed propter aliud, vt obſeruant interpretes D. Thom. hoc loco.

Voluntas acceptat neceſſario medium quod indicatur vnicum.

AD ARTICVLVM 6. & vltimum quædam ſunt ſtatuenda. Primum eſt voluntatem non poſſe non acceptare medium, quod iudicatum fuit vnicum, & neceſſarium ad finis adeptionem, quando voluntas vult efficaciter huiuſmodi finem. Primùm, quia de ratione voluntatis efficacis eſt, vt ſuos ſortiatur effectus; in hoc quippe ab inefficaci diſcriminatur, quòd hæc ſuos poſſit attingere effectus, de facto tamen nuſquam aſſequatur; illa verò ſemper ſuos conſequitur effectus: at ſupponimus voluntatem efficaciter intendere finem, & præterea vnum tantum dari medium ad huiuſmodi finem obtinendum: ergo qui intendit finem efficaciter, non poteſt non velle medium etiam hoc vnicum ex illis.

Deinde, qui aſſentitur propoſitionibus, non poteſt non aſſentiri concluſioni deductæ euidenter, & neceſſario.

Denique, qui diligit Deum efficaciter, ſeruat quoque eius mandata, Ioann. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Item qui non confert eleemoſynam exiſtenti in extrema neceſſitate non diligit proximum efficaciter, ex communi doctrina; ſecus tamen is qui de facto confert: ergo idem quoque erit dicendum de eo qui intendit finem aliquem efficaciter, reſpectu medij ſimpliciter neſſarij ad finis adeptionem. E Ioann. 14. verſ. 23.

Obiectio. Dices, ex iſtis colligi acceptationem iſtius medij non eſſe meritoriam, neque demeritoriam: diximus enim fieri à voluntate noſtra neceſſariò.

Solutio. Reſpond. negando illationem antecedentis: ad probationem autem, neceſſitatem abſolutam tollere libertatem, non autem hypotheticam, qualis eſt ea, quæ datur in voluntate, quando acceptat huiuſmodi medium.

Poteſt ex duobus obiectis propoſitis inæqualiter bonis eligere quod.

Statuendum eſt 2. propoſitis duobus aut etiam pluribus bonis, ſeu mediis vtilibus ad finem aliquem conſequendum, poſſe voluntatem liberè in quodlibet ex iſtis ferri,

Digitized by Google

etiam ſi vnum ex iſtis ſit maius, aliud minus bonum. Primùm, quia Deus licèt ſit ſapientiſſimus, & potentiſſimus, non tamen ideo eligit media nobiliora, & digniora ad finem aliquem conſequendum, ſed interdum viliora eligit. Deinde, diximus in antecedentibus voluntatem à nullo planè obiecto neceſſitari, pro toto eo tempore, quo agimus in hac vita.

Tertiò, in quolibet medio quantumuis imperfecto reperitur ratio boni: ergo poterit voluntas noſtra illud bonum liberè eligere, cùm detur in eo bonitas vtilis. Denique, poteſt voluntas ſuſpendere omnem actionem circa quodlibet ex iſtis bonis, idque propter perfectiſſimum dominium quod habet in ſeipſam: ergo propter idem dominium poterit voluntas liberè acceptare minùs medium neglecto maiori.

Corollariũ. Ex iſtis colliges, eos non eſſe audiendos, qui putant voluntatem ſemper ſequi iudicium rectæ rationis, quotieſcumque hæc dictat aliquid eſſe operandum, præſertim cùm in obiecto propoſito voluntati apparet ratio maioris bonitatis: doctrina namque iſta, licèt non deſtruat libertatem abſolutè loquendo, eam tamen quodammodo imminuit, quæ tamen defendenda eſt & ſuſtinenda, vt conſtat ex dictis quæſt. proximè antecedente S. Thomæ.

QVÆSTIO XIV.

De Conſilio.

Trifariam ſumitur cõſilium.

DE hac re 1. dicendum eſt. *Conſilium vſurpari tribus modis; interdum enim ſignificat conſultationem & inquiſitionem de rebus agendis, ſeu vitandis: aliàs iudicium de rebus agendis, aut vitandis cum conſultatione, & deliberatione ſimul: denique ſolum iudicium, ſeu ſententiam de rebus agendis ſeu vitandis.* Priori modo ſumitur apud Dauidem Pſal. 12. *Quamdiu ponam conſilia in anima mea?* & item apud Ariſtotelem in Ethicis cap. 3. lib. 3. & apud Patres maximè verò Damaſcenum lib. 2. de fide, cap. 22. aiunt enim iſti in Deo non dari conſilium, idque quòd conſultare de rebus agendis aut fugiendis ſit imperiti & ignari. Altera verò ſignificatio habetur apud Dauidem Pſal. 1. *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum.* & Geneſ. cap. 49. *In conſilium eorum non veniat anima mea*, ſenſus enim eſt; eos eſſe beatos qui cum impiis nec deliberant de agendis: nec iudicium ab iiſdem accipiunt de iſtis malis. Tertia denique habetur apud Paulum, Epheſ. 1. *Omnia operatur Deus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* & Iſaï. 40. *Verbum autem Domini noſtri manet in æternum.* Eſt autem conſilium ità vſurpatum, actus intellectus practici, definiturque, inueſtigatio & inquiſitio agendorum, in ordine ad electionem, & ad operandum regulata ſeu determinata.

Pſal. 12. verſ. 3. Damaſc.

Pſal. 1. vſ. 1. Geneſ. 49.

Epheſ. 1. verſ. 11. Iſaï. 40. verſ. 8.

Dicendum eſt 2. Conſilium circa media verſari, quemadmodum & electionem; conſultamus quippe de mediis vtilibus ad aliquem finem conſequendum, quemadmodum & media eligimus. Deinde, electio reſpicit particularia media; ità & hoc idem facit conſultatio.

QVÆSTIO XV.

De Conſenſu.

EXPLICANTVR duo communiter hoc loco à Theologis, alterum eſt, an conſenſus ſit actus voluntatis: alterum, an ſit aliqua res realiter diſtincta ab electione.

Conſenſus eſt actus voluntatis.

Quod ad 1. attinet; certum eſt conſenſum eſſe actum voluntatis, nam licèt vox iſta, *Conſenſus*, ex prima ſua inſtitutione ſignificet actum intellectus, tranſlata tamen eſt ex vſu & conſuetudine loquendi Theologorum, ad eum voluntatis actum denotandum, quo voluntas approbat iudicium factum ab intellectu de rebus agendis: ità docet verbis expreſſis D. Thom. hoc loco, & item Damaſcen. cap. 22. lib. 2. de fide, & D. Bernardus de gratia & libero arbitrio.

D. Thom. Damaſc. Bernard.

Accedit ratio: Conſentire nihil aliud eſt, quàm ad iudicium & ſententiam alterius accedere; at intellectus non accedit ad ſuam ſententiam, bene tamen voluntas accedit ad iudicium factum ab intellectu de rebus iſtis agendis, vel vitandis, idque quotieſcumque probat, vel improbat huiuſmodi iudicium operando conformiter iudicio facto ab intellectu.

Conſenſus non eſt quid diſtinctum realiter ab electione.

Quoad verò 2. Verior eſt eorum opinio qui credunt conſenſum non eſſe actum diſtinctum realiter ab electione, ſed ſola dumtaxat ratione. Primùm, quia ille idem numero actus, quo voluntas approbat iudicium factum ab intellectu de rebus agendis, qui dictus eſt à nobis Conſenſus, eſt electio facta à voluntate de medio vtili, ad finem conſequendum: verſantur enim iſti duo actus circa media tantùm, & quidem ſub ea intentione, qua conducunt ad finem obtinendum. Deinde, videtur eſſe mens expreſſa D. Thom. artic. 3. ad 3. ait enim quando vnicum eſt tantùm medium ad habendum finem, conſenſum & electionem differre ſola ratione.

QVÆSTIO XVI.

De Vſu.

TRIA pertractantur hoc loco ab Scholaſticis. Primum eſt: cuius facultatis ſit vſus actus.

2. An actus hîc diſtinguatur ab electione.

3. Quod ſit obiectum vſus. De iſtis ergo ſit

Vſus eſt actus voluntatis.

CONCLVSIO 1. *Vſus eſt actus ſolius voluntatis.* Primùm, quia ità docet D. Thomas artic. 1. huius quæſt. & communiter eiuſdem interpretes ibidem.

Deinde, vſus non eſt actus alius ab electione, vt probabitur; electio autem ad ſolam pertinet voluntatem, vt conſtat ex dictis.

Tertiò, vſus nihil eſt aliud, quàm actualis aſſumptio medij conducentis ad finem obtinendum: at media vt ſic aſſumuntur tantùm à voluntate.

Denique, in ea motione qua partes inferiores ſeu potentiæ applicantur à voluntate ad operandum actu, reperitur vſus, ex doctrina D. Thom. art. 1. huius quæſt. at motio iſta eſt à ſola voluntate: ergo & vſus.

Vſus, idem realiter cum electione.

CONCLVSIO 2. *Vſus non eſt actus diſtinctus realiter ab electione.* Primùm, quia illi actus non ſunt inter ſe diſtincti realiter, qui habent ortum ab vno, & eodem planè principio reali, & tendunt in vnum, & idem obiectum; vnitas quippe realis cuiuſlibet accidentis repetenda eſt ex ſubiecto in quo recipitur, & ex obiecto ad quod tendit, ex communi doctrina; at vſus & electio ab eodem procedunt principio, in quo etiam æqualiter recipiuntur, nam D. Thomas art. 1. huius quæſt. docet vſum eſſe actum elicitum voluntatis: ergo cùm vſus & electio verſentur tantùm circa media, vt ſunt ad finem conſequendum vtilia, non diſtinguentur realiter, ſed ſola ratione; idem ſiquidem numero actus dicitur electio, quatenus eſt à voluntate veluti à principio indeterminato; vſus verò quatenus eſt ab eadem mouente, & applicante, vel ſeipſam, vel potentias inferiores ad finem obtinendum, interueniente medio aliquo accepto & vtili ad huiuſmodi adeptionem.

Deinde, entia non ſunt multiplicanda ſinè neceſſitate.

Tertiò, ità tradunt communiter interpretes D. Thomæ recentiores, licèt Thomiſtæ plerique veteres, itémque recentiores ſecus ſentiant.

Obiectio. Dices, in ea actione voluntatis, per quam voluntas efficaciter intendit finem, ad cuius conſecutionem datur vnicum dumtaxat medium, interuenit duplex actio realiter diſtincta, quarum vna dicitur intentio finis; alia verò electio iſtius medij vnici: ergo idem erit dicendum de vſu, & electione.

Solutio. Reſpondeo, negando antecedens; in hac quippe hypotheſi electio, & intentio finis non ſunt duæ actiones diſtinctæ, ſed vna tantùm, quę dicitur electio, quatenus voluntas ſe liberè determinat ad agendum, cùm poſſet non agere; intentio verò quatenus tendit in finem quà finis eſt, idque liberè.

CONCLVSIO VLTIMA. *Obiectum vſus cenſetur eſſe bonum vtile, quatenus de facto conducit, vel certè acceptatur à voluntate ad finem vltimum obtinendum.* Primùm, quia propter hoc dicitur communiter hominem vti medijs, frui verò ſolo fine. *Vſus obiectũ bonũ vtile.*

Deinde, diximus obiectum electionis eſſe ſola media; at idem eſt obiectum vſus, cùm iſti duo actus ſint idem realiter, vt immediatè antea probatum eſt: Ità docent D. Auguſtin. lib. 1. de doctrina Chriſtiana, cap. 4. & 5. & lib. 10. de Trinitate, cap 10. ſuperius citato, & Sententiarij in 1. diſtinct. 1. Propterea etiam docent primum principium Theologiæ apud Magiſtrum eſſe vti, diſputat enim primo loco de vſu; vltimum verò eſſe frui, idque quòd in vltimis diſtinct. lib. 4. diſputet de vltimo fine qui eſt obiectum fruitionis: ità etiam docet D. Thomas artic. 3. huius quæſt. D. Auguſt.

Moneo tamen hæc intelligenda de vſu propriè dicto: nam ſi de improprio ſermo ſit, certum eſt vſum nedum circa media verſari, ſed etiam circa finem, vt conſtat ex loco proximè citato D. Auguſtini de doctrina Chriſtiana; ait enim illic, nos vti Spiritu ſancto, & tamen Spiritus ſanctus cùm ſit verus Deus, eſt vltimus finis noſter: ceterùm vſus hac ratione ſumptus ſignificat illud omne, quod attingitur à voluntate. Vſus verò propriè dicit aſſumptionem medij factam à voluntate, prout hoc conducit, vel conducere poteſt ad finis aſſecutionem.

QVÆSTIO XVII.

De Actibus imperatis.

DVO ſunt hoc loco examinanda: alterum eſt an imperium ſit actus intellectus, an verò voluntatis. *Opinio quorundam & fundamẽta.*

Sunt qui putent eſſe actum ſolius intellectus: Probant, quia imperare, nihil aliud eſt quàm inſinuare, ſeu, quod idem eſt, intimare aliquid eſſe operandum ex voluntate ſuperioris, inferioris, vt author eſt D. Thomas in corpore artic. 1. huius quæſt. at ſolius intellectus eſt intimare, & inſinuare quæ ſunt agenda, vel vitanda (ſolus enim intellectus eſt capax rationis) ergo imperium eſt actus ſolius intellectus. 1. D. Thom.

Deinde, prudentia ideò ſedẽ habet in ſolo intellectu, quod hæc dictet, hîc & nunc cum his & illis circumſtantijs quid ſit agendum, vel fugiendum; at imperium ſimile quid præſtat: ergo erit etiam actus imperij in ſolo intellectu. 2.

Denique, imperium ſolis rebus præditis ratione conuenit, alioquin diceretur de Angelo mouente efficaciter lapidem aliquem, quod imperaret lapidi, quæ tamen loquendi ratio à nul- 3.

Digitized by Google

lo planè acceptatur: cùm ergo intellectus solus A sit intellectiuus, & rationalis, solus quoque imperabit. Ità sentiunt D. Thomas artic. 1. huius quæst. vt videtur, manifestissimè. Gab. Vaz. cap. 2. disp. 45. ad hanc partem. Salas disp. 2. tractat. 6. sect. 2. & alij.

2. Opinio. & argum. 1. Alij verò existimant imperium soli voluntati conuenire, idque, quod sentiant imperare nihil aliud esse, quàm mouere, & applicare potentias inferiores ad opus: certum autem est, hoc soli competere voluntati, cùm illa sola domina sit & regina actionum humanarum, ex mente Theologorum & Philosophorum.

2. Deinde, imperare conuenit superiori, sicut parere inferiori; at voluntas censetur esse superior ad quascumque potentias in nobis existentes, B aut etiam in quauis alia substantia spirituali: ergo imperium soli voluntati conuenit. Hæc videtur esse opinio D. Thom. quæst. 79. art. 6. huius part. ad 2. ait enim voluntatem imperare ceteris potentijs: & alibi constituit discrimen inter actus imperatos & elicitos à voluntate. Bonauent. in 2. dist. 17. art. 1. quæst. 1. & aliorum.

Conciliatur prædicta sententia. Facile tamen est conciliare istas duas opiniones cum Pesantio Dubit. 1. ad art. 1. huius quæst. ait enim imperium pertinere ad intellectum directiuè, ad voluntatem verò motiuè; intellectus quippe dirigit omnes actus humanos, voluntas verò ad huiusmodi actus potentias inferiores, & C item intellectum applicat; ac proinde imperare posteriori modo soli voluntati conuenit; priori autem modo soli intellectui.

DVBITATIO SECVNDA.

Quinam sint actus imperati propriè.

Qui sint dicendi actus imperati. RESPONDEO, *Eos tantùm actus imperatos esse propriè, qui eliciuntur a potentijs inferioribus, ex motione libera voluntatis, vel etiam qui habent ortum à voluntate proximè; suppositò tamen aliquo actu priore eiusdem.* Dixi eos actus esse imperatos, qui eliciuntur ex motione liberâ voluntatis; D quia sinè libertate nullus actus potest propriè dici imperatus; concedendum est enim de omni actu imperato, quòd sit vel turpis, vel honestus, vel laude, vel vituperio dignus, vel denique meritorius, vel demeritorius: at sinè libertate hæc non possunt dici de vllo planè actu ex communi doctrina. Dixi præterea actus elicitos à voluntate posse esse imperatos, si tamen ad hos præsupponatur aliquis actus eiusdem; quia martyrium, verbi gratia, est actus elicitus à voluntate & à virtute fortitudinis, & tamen verè est imperatus, quotiescumque elicitur ex motiuo, seu imperio charitatis: hoc autem fieri Ioann. 15. posse indubitatum est ex cap. 15. Ioann. *Maiorem* E *v. 13. hac dilectionem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis*

Ex his colliges, omnem actum productum à potentijs inferioribus ex applicatione libera voluntatis, esse verè imperatum: illos verò actus nulla ratione esse imperatos propriè, qui eliciuntur à potentijs inferioribus, sine vlla dependentia à voluntate rationali. Hoc etiam docet D. Tho. in hac quæst. frequentissimè.

QVÆSTIO XVIII.

De bonitate & malitia actuum humanorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnis omnino actio sit bona vel mala.

DVÆ sunt hoc loco Dubitationes explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

Vndènam repetenda sit moralitas in actibus humanis.

SVNT qui putent moralitatem istam refundendam esse *Aliquorum sententia.* in solam libertatem, quæ datur in actibus humanis: ità vt propterea actus humanus dicatur in genere moris, quòd sit à voluntate liberè operante.

Probant primùm, quia moralitas in actibus *1. Fundam.* humanis ab illo eodem petitur à quo sumitur ratio meriti, vel demeriti: at hæc petitur à libertate; hac enim sublata omnis etiam ratio meriti, vel demeriti sublata sit necesse est, vt dicetur in tractat. de merito. Maior nititur hoc fundamento: meritum & demeritum reperiri tantùm in actibus moralibus.

Secundò, ens morale tale nuncupatur à more, prout mos consuetudinem significat, ex doctrina communiter recepta: at omnis consuetudo censetur esse introducta dependenter à libertate hominum, seu, quod idem est, ab actibus liberè frequentatis, & receptis ab hominibus: igitur bonitas moralis desumetur à libertate. 2.

Tertiò, nulla potest assignari ratio, cur voluntas nostra sit principium operandi moraliter, nisi quia liberè operatur. 3.

Denique, liberum diuiditur in bonum & in malum, veluti in suas differentias per se; omnis enim actus liber est necessariò bonus, vel malus, & quidem moraliter, quemadmodum & quilibet actus humanus vel est honestus vel turpis, laude vel vituperio dignus. Ità sentiunt Scotus 4. in 2. distinct. 40. quæst. vnica. §. de 2. & quodlibeto 18. § de 2. principali. & Durandus in 2. distinct. 38. quæst. 1. num. 5. Belarmin. tomo 3. lib. 2. de amissione gratiæ, cap. 18. Citatur pro hac eadem opinione D. Thomas in 2. distinct. 24. D. Thom. artic. 2. quæst. 3. ait enim illic; Genus moris incipit vbi primò dominium voluntatis inuenitur: dominium autem in libertate consistit. & in 3. dist. 24. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 1. & quæst. 2. de malo, artic. 2 ad 13. & lib. 3. contra Gentes, cap. 10. & in hac quæst artic. 5. Cæterùm, Diuus Thomas in istis locis non examinat ex officio rem istam: imò hoc vnum tantùm colligi videtur ex illis locis, libertatem esse simpliciter necessariam

ad

Digitized by Google

ad moralitatem, non autem rationem genericam moralitatis ex ſola libertate eſſe repetendam; quod aſſerunt authores proximè citati.

2. Sententia. Secunda ſententia eſt eorum, qui volunt rationem genericam moralitatis repetendam eſſe ex forma aliqua, ſeu modo abſoluto, tranſcendentali tamen, qui de facto datur in actibus humanis, ex eo quòd ſint in genere moris: ita Caietan. Vazquez, Conrad. & alij nonnulli recentiores: Non tamen conuenit inter iſtos, quæ ſit iſta forma abſoluta à qua petitur ratio generis actus humani, quatenus eſt in genere moris.

Caietanus contendit formam iſtam, eſſe illud idem à quo petitur ratio cuiuſlibet habitus moralis, ſub ea ratione, qua eſt habitus moralis: actus quippe & habitus cenſentur eſſe eiuſdé ſpeciei, cum vnitas ſpecifica cuiuſlibet actus & habitus ſit ab obiecto repetenda: habitus autem conſurgunt ex rebus quibuſdam abſolutis, quòd habeant ſedem in categoria qualitatis, etiam vt ſunt habitus morales boni vel mali: iuſtitia ſiquidem & iniuſtitia habent ſedem in categoria qualitatis, etiam ex doctrina Ariſtotelis.

Vazq. ſent. Gabriel verò Vazquez putat rationem genericam cuiuſlibet actus moralis poſitam eſſe in relatione aliqua rationis tranſcendentali, quam ille nuncupat regulabilitatem per rectam rationem: ità vt credat actum humanum poni in genere moris ex eo ſolo capite, quod actus humanus regulatur per rectam rationem, & quia regulabilitas omnis eſt conueniens, aut diſconueniens, bonitatem moralem à conuenienti regulabilitate, à diſconuenienti vero malitiam docet eſſe deſumendam: ità diſput. 63. cap. 5. ad hanc partem D. Thom. & diſput. 129. cap. 7. Colligit autem ex iſtis duo: alterum eſt, eſſe morale eſſe ens rationis: aliud vero, eſſe morale dici de actibus humanis ſola denominatione extrinſeca, ens ſiquidem rationis, de ente reali extrinſecè dumtaxat prædicatur. Deinde, regula à qua actus humanus dicitur moralis, non eſt in ipſiſmet actibus, ſed in alio: non ergo dicuntur actus iſti formaliter & intrinſecè morales.

Vlt. ſent. Alij denique docent moralitatem eſſe deſumendam ex voluntate, non quidem præcisè vt voluntas eſt, neque item vt liberè operatur, ſed tantùm vt ſubijcitur præſcripto regulæ rectæ rationis, ſeu, quod idem eſt, præſcripto & legi ſuperioris. In hac ergo ſubiectione voluntatis. Inter operandum conformiter vel diſcouuenienter legi ſuperioris, volunt iſti poſitâ eſſe rationem genericam actus moralis quatenus moralis eſt: ità docet Zumel ad q. 61. huius part. D. Tho. & plerique alij.

Actus moralis non eſt ens rationis. CONCLVSIO 1. *Actus moralis, vt ſic, non eſt ens rationis, neque item ſola denominatio extrinſeca ſumpta à forma exiſtente in alio.* Hæc Concluſio duas habet partes. Prima probatur: Quod

1. exiſtit ante omnem intellectus operationem non eſt ens rationis: at actus morales ſunt nullo planè intellectu cogitante de eiſdem, nam quodlibet opus meritorium, & demeritorium computatur inter entia moralia omnium conſenſu, & tamen certum eſt omnem actum factum in gratia, & in charitate ab homine conſtituto in hac vita, mereri vitam æternam tamquam præmium, & idem dicendum eſt de quolibet peccato mortali, quod ſcilicet mereatur æterna ſupplicia, etiamſi nullus de iſtis cogitet: ergo.

Moneo tamen rationem iſtam non eſſe ità efficacem ad Concluſionem demonſtrandam, quemadmodum plerique ſentiunt: nam relatio creationis & dominij refertur inter entia rationis, & tamen iſtæ ſunt ante omnem intellectus cogitationem: ſatis enim eſt ad hoc vt huiuſmodi conſurgant, quod earum termini ſint verè extra ſuas cauſas, & quod ponatur ratio fundandi, & fundamentum earumdem, quod creditur eſſe potentia creandi, cum actu creationis, ex mente quorumdam recentiorum.

Deinde, quod habet veras proprietates, & 2.
reales, nequit eſſe ens rationis: at ens morale vendicat ſibi proprietates reales, quales ſunt laus, & vituperium, præmium, & pœna, vt docet D. Thom. frequentiſſimè in hac Parte, & interpretes eiuſdem communiter: ergo nequit eſſe ens rationis.

Tertio, tranſacto actu peccati mortalis, qui- 3.
libet denominatur formaliter peccator: imò Concil. Trident. in decreto de peccato originali can. 5. definit, peccatum originale eſſe in omnibus, & ſingulis poſteris Adæ proprium, & peculiare, & quidem ità, vt nullus nuncupetur peccator, à peccato commiſſo tantùm à primo parente: at per huiuſmodi peccatum quilibet ex poſteris Adæ cenſetur eſſe verè peccator in genere moris, cùm per illud priuetur vita æterna, & cenſeatur eſſe filius perditionis: ergo moralitas non eſt ens rationis.

Denique, de fide eſt hominem iuſtificari for- 4.
maliter, & intrinſecè per gratiam, & charitatem, quæ datur in omnibus iuſtis, vt definitum fuit in Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 7. atqui per iuſtificationem huiuſmodi quicumque iuſtus cenſetur eſſe in genere moris, cùm dependenter ab illa habeat ius ad vitam æternam tamquam præmium, ſibi debitum, propter bona opera facta in hac vita: ergo non eſt ens aliquod confictum, & conſequenter nec ens rationis.

Probatur altera pars Concluſionis: Omnis denominatio extrinſeca petitur à forma exiſtente in alio, vt conſtat ex eo qui dicitur dexter, vel ſiniſter; atqui non poteſt aſſignari quæ ſit iſta forma, & quod ſit eius ſubiectum, à qua entia moralia dicuntur tantùm moralia ſola denominatione extrinſeca: ergo.

Deinde, malè hactenus excepti fuerunt à Catholicis, Ambroſius Catharinus, & Albertus Pighius, hoc ſolo nomine, quòd docuerint homines contrahere peccatum originale ſola denominatione extrinſeca, & ità à peccato commiſſo ab Adamo dici peccatores.

Denique, diximus paſſiones entis moralis, eſſe reales, & verè in ijſdem exiſtentes: ergo moralitas iſta, non eſt poſita in ſola denominatione extrinſeca. Vide plura apud Curielem §. 10. Dubitat. 1. ad hunc artic. D. Thomæ, vbi etiam multis probat primam huius Concluſionis partem.

CONCLVSIO 2. *Moralitas generica in actibus humanis, non eſt deſumenda præcisè, & formaliter loquendo, ex libertate; neque item ex aduertentia rationis, cum qua fiunt à nobis.* Primùm, *ſumitur à* quia quod cõuenit actui humano, quatenus eſt in *libertate.*
genere naturæ, non poteſt eidé conferre moralitatem; naturale etenim, & morale differunt omnino inter ſe: at libertas & aduertentia rationis conueniunt actui humano, quatenus eſt in genere naturæ; nam in hoc genere, non minùs eſt liber, quàm ſit vitalis, atque ideò expetit etiam aduertentiam rationis, cùm libertas præ- 1.

Digitized by Google

ſupponat iudicium de rebus agendis: ergo hæc non poſſunt præcisè efficere genus moris. A

2. Deinde, vnus & idem numero actus liber, immutata libertate, ex bono fit malus, vt conſtat ex eo qui veſcitur carnibus circa finem feriæ quintæ, & protrahit huiuſmodi eſum ad initium feriæ ſextæ, & ad aliquas partes eiuſdem, non cogitando de feria ſexta, eſus is carnium fuit verè bonus pro tempore feriæ quintæ (ſuppono enim, quòd fuerit ordinatus in honeſtũ aliquem finem ab eo, qui veſcitur carnibus) reſpectu verò feriæ ſextæ verè fuit malus, cùm ſit authoritate Eccleſiaſtica prohibitus: ergo liberum non poteſt eſſe genus ad actus morales bonos & malos. Nam vna ſpecies nequit tranſire in aliam, genere immutato, vt eſt per ſe notum; at liberum reſpectu eſus carnium eſt planè immutatum ex hypotheſi: contendimus enim eum, qui carnes comedit non cogitaſſe de feria ſexta, ſed tantùm de quinta. B

Reſponſio aliquorum. Reſpondent aliqui, actum hunc etiam reſpectu libertatis fuiſſe mutatum; eſus enim carnium fuit licitus reſpectu feriæ quintæ, & illicitus reſpectu feriæ ſextæ.

Refellitur. Ceterùm reſponſio hæc nihil planè dicit: Primùm, quia ille actus cenſetur eſſe vnus, & idem nunc, qui fuit antea reſpectu voluntatis liberè operantis, quandocumque nulla contingit mutatio in voluntate: at nulla facta eſt mutatio in C voluntate illius, qui comedit carnes; nihil enim ex hypotheſi de prohibitione feriæ ſextæ cogitauit, & per conſequens cùm voluntas ſit cæca, & intellectus de edendis carnibus tantùm præcisè cogitarit, voluntas eadem planè eſt reſpectu feriæ ſextæ, quæ fuit reſpectu quintæ.

Confirmatur: Potuit hic culpabiliter ignorare eſum carnium eſſe illicitum in ordine ad feriam ſextam: ergo ſaltem in iſta hypotheſi, idem erit actus ſecundum ſubſtantiam reſpectu vtriuſque feriæ. Denique, ex eo quòd eſus carnium ſit licitus, vel illicitus, ſolùm colligere licet eſum per accidens fuiſſe mutatum, & indirectè in ordine ad feriam ſextam, quare formaliter lo- D quendo idem erit actus: non ergo liberum poteſt eſſe genus ad actus morales.

Aliorum ſolutio. Reſpondent aliqui, actum liberum diuidi in bonum, & in malum, non ea ratione qua genus in ſuas ſpecies, ſed ea, qua ſubiectum in ſua accidentia; quomodo dicimus hominem verbi gratia, diuidi in album, & in nigrum.

Extra rem eſt. Sed reſponſio hæc, licèt defendatur à multis, non tamen eſt ad rem; nam quærimus hoc loco, quid ſit illud quod conſequitur rationem generis in actibus moralibus: huic autem quæſtioni, nulla ratione ſatisfacit reſponſio proximè tradita, vt eſt per ſe notum.

Probat. 3. Tertiò, probatur Concluſio: Vna & eadem E numero operatio libera poteſt pertinere ſimul, & ſemel ad duas ſpecies, etiamſi iſtæ nulla ratione ſint ſibi ſubordinatæ, vt patet ex furto commiſſo in æde ſacra, & ex ieiunio celebrato ab aliquo ex præcepto Sacerdotis, qui excepit iſtius confeſſionem: furtum quippe hoc cenſetur eſſe duplex peccatum, idque quòd ſit contra virtutem iuſtitiæ, & religionis: hoc item ieiunium pertinet ad ſpeciem temperantiæ, & ad virtutem pœnitentiæ: ergo liberum non poteſt eſſe genus ad actus bonos, & malos morales; nam idem gradus genericus non poteſt contrahi per varias, & diuerſas differentias, niſi fuerint iſtæ ſibi ſubordinatæ, vt conſtat exemplis ſubſtantiæ & differentiarum, quæ eiuſdem ſpecies conſtituunt: ergo.

Denique, genus quodlibet debet eſſe aliquid abſtractum à ſuis ſpeciebus; conſeruatur enim in iſtis, ſicut ſpecies in individuis: at liberum non eſt, nec conſeruatur in bonitate & malitia moralij ſimul, ſaltem in eorum opinione qui putant malitiam moralem eſſe nudam priuationem: non enim datur aliquid commune ſynonymè, enti verè exiſtenti, & nihilo; malitia autem moralis cenſetur eſſe nihil, ſaltem in iſtorum opinione: ergo huiuſmodi moralitas non poteſt deſumi à libero, ſeu à libertate. *Vltima.*

CONCLVSIO 3. *Libertas & aduertentia rectæ rationis ſunt ſimpliciter neceſſaria, ad moralitatem conſtituendam.* Primùm, quia moralitas omnis actualis eſt meritoria, vel demeritoria, laudabilis aut vituperabilis, præmio vel pœna digna: at hæc conſurgere non poſſunt abſque libertate, & aduertentia rectæ rationis; bene namque docet Ariſtoteles in Ethicis lib. 3. Ab ijs quę natura nobis indidit, neque laudari nos, neque vituperari, ſed à ſolis actibus liberis. *Libertas & aduertentia ſunt neceſſaria ad moralitatem.*

Deinde, tota ratio cur moralitas remoueatur à pueris & ſtultis, cenſetur eſſe defectus libertatis: ergo libertas confert ad moralitatem. In hac Theſi conueniunt authores primæ & ſecundæ ſententiæ. 2.

CONCLVSIO VLTIMA. *Moralitas generica in actibus humanis eſt deſumenda ab obiecto morali eorumdem, prout hoc ſubijcitur rectæ rationi, quod idem eſt, prout reſpicit rectam rationem.* Primùm, quia genus in actibus humanis petitur ab illo eodem à quo exigitur genus habituum, medijs quibus exercentur tales actus; pertinent enim ad vnum & idem planè genus actus, & habitus, ſicut ad vnam & eamdem ſpeciẽ: at genus in habitibus moralib⁹ petitur ab obiecto morali, prout reſpicit rectam rationem, vt conſtat de iuſtitia, fortitudine, temperantia, & alijs ſimilibus; iſtæ enim virtutes cenſentur eſſe in genere moris, quia verſantur circa obiecta moralia in ordine ad rectam rationem: ergo moralitas deſumitur ab obiecto morali actuum humanorum. *Moralitas generica deſumitur ab obiecto morali.*

Deinde, in rebus ſimplicibus vnitas generica, & ſpecifica ab vno & eodem deſumuntur, diuerſa tamen ratione conſiderato: at vnitas ſpecifica actus cuiuſlibet moralis petitur ab obiecto, ex doctrina Ariſtotelis, capite 4. lib. 2. de anima: ergo & moralitas in actibus humanis. 2.

Tertiò, nihil eſt in ſubſtantia, ſeu eſſentia actus moralis, quod non pendeat ab obiecto ſuo; eſt enim actus hic tendentia quædam in ſuum obiectum: at ratio generis pertinet ad eſſentiam actus humani: ergo. 3.

Quartò, malitia moralis definitur communiter, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam: ergo. In hac ſententia ſunt D. Thomas artic. 14. diſtinct. 2. Concluſ. 3. in appendice. Curiel §. dubij citati. 4.

Dices, ſi ità res habet, ſequitur moralitatem reperiri in obiectis actuum humanorum formaliter, & intrinſecè; non autem in ipſiſmet actibus: diximus enim moralitatem iſtam genericam, eſſe ab obiectis deſumendam. *Obiectio.*

Reſpondeo, negando illationem maioris; eadem enim ratione loquendum eſt de iſta moralitate, qua de veritate, & falſitate propoſitionum, ceteris tamen paribus: nam veritas, & falſitas *Solutio.*

petitur

petitur ab obiectis propoſitionum, ex illo: Ab eo quòd res eſt, vel non eſt propoſitio eſt vera vel falſa: & tamen veritas non in obiectis neque item falſitas, formaliter, & intrinſecè, reperiuntur, ſed in ſolis propoſitionibus: fatentur enim Logici veritatẽ & falſitatem reperiri in ſecunda mentis operatione. Ità licèt moralitas generica in actibus humanis pendeat ab obiectis extrinſecè, reperitur tamen hæc formaliter, & intrinſecè in ſolis actibus & habitibus moralibus.

Replica. Inſtabis, ſaltem ex iſtis colligi moralitatem in actibus humanis eſſe ens rationis; ſumitur enim hæc ab obiectis moralibus, & tamen moralitas dicitur de iſtis tantummodò extrinſecè, nempe prout hæc reſpiciunt rectam rationem.

Diſſoluitur. Reſpondeo, negando illationem antecedentis; nam licèt actus intellectus, qui habet pro obiecto ens rationis reſpiciat obiectum quod non eſt verè reale, ſed per intellectum tantùm, non tamen propterea actus hic cenſetur eſſe rationis, ſed eſt verè realis, & nihilominus natura, & eſſentia iſtius actus petitur ab ente rationis, quod eſt eius obiectum: ità moralitas generica in actibus humanis, licèt petatur ab obiecto morali, quod ex hypotheſi eſt tantummodò ens rationis, non idcircò erit rationis, ſed cenſetur eſſe verè realis.

Quæſtio examinatur. Rogabis, quid nomine rectæ rationis intelligatur, quando diximus in Concluſione moralitatem eſſe petendam ab obiecto, vt reſpicit rectam rationem.

Et reſoluitur. Reſpondeo, non ſignificari iudicium de rebus faciendis, aut vitandis factum ab intellectu, neque item cognitionem perfectiſſimam, quæ deſideretur ad libertatem (hæc enim duo præſupponit actus moralis, vt poſtea dicetur) ſignificat ergo præceptum vel legem ſuperioris: in iſta igitur habitudine, quæ datur in actibus humanis ad obiectum, prout reſpicit legem, & præceptum ſuperioris, poſita eſt moralitas generica cuiuſlibet actus humani. Ità Curiel, qui de iſtis erit legendus loco proximè citato.

Obiectio. Dices, ſi ità res ſe habeat, ſequetur Deum non operari moraliter; cuius tamen oppoſitum ex eo videtur colligi, quòd proprietas actus moralis ſit laus, vel vituperium: actiones autem Dei ſunt quàm maximè laude dignæ.

Reſpond. Reſpondeo, Deum nullas planè exercere operationes morales, & per conſequens numquam operari moraliter: Primùm, quia diximus moralitatem deſumendam eſſe ex præcepto, vel lege ſuperioris: Deus autem caret ſuperiore, ac proinde lege propriè dicta. Deinde, proprietates conſequentes morales actus ſunt meritum & demeritum, præmium aut pœna, ex doctrina D. Th. communiter recepta in hac parte: at Deus, nec mereri, nec demereri poteſt, nec vllo præmio remunerari, ſicut neque vlla pœna torqueri. Ad id verò quod dicitur operationes Dei eſſe ſumma laude dignas. Reſpondeo, hoc eſſe verum, ceterùm laudem iſtam non poſſe eſſe moralem propriè loquendo; hæc enim ità coniuncta eſt cum merito, vt ab eo nequeat ſeparari: cùm ergo in Deo nullum planè detur meritum, non erit in eo admittenda laus moralis, ſed tantùm aliquid quod nominatur à nobis laus, quod eſt aliquid longè nobilius & præſtantius laude debita operationibus bonis moralibus. Confirmatur hoc ex eo, quòd bruta laudentur de perfectionibus ſibi à natura innatis, neque tamen propterea eſt aliquis, qui fateatur bruta moraliter operari, aut actiones morales habere locum in brutis.

Replica. Inſtabis, virtutes morales verè reperiri in Deo, neque enim dici poteſt, quòd in Deo non ſit miſericordia, iuſtitia, & ſimiles, quæ computantur inter virtutes morales.

Diſſoluitur. Reſpondeo, virtutes iſtas morales reperiri quidem in Deo, ceterùm ſublatis imperfectionibus, cum quibus coniunguntur in nobis, inter quas computatur ratio accidentis, qualitatis, moralitatis, & aliæ nonnullæ: non enim iuſtitia in Deo accidens eſt, aut qualitas, cùm ſit ens puriſſimum, & à ſe omnem omnino compoſitionem reijciat, ex communi doctrina. Quid igitur mirum, ſi dicamus moralitatem non habere locum in actionibus Dei, ad extra, vel ad intrà, cùm hæc intrinſecè dicat imperfectionem, quæ tamen in Deo nullum poteſt inuenire locum?

Obiectio 2. Obijcies 2. Opera conſilij eſſe verè moralia, & tamen de iſtis nullum extat præceptum, nulla item lex.

Solutio. Reſpondeo, opera conſilij ſpectari quoad exercitium, & quoad ſpecificationem actus: priori modo, nullum extat de iſtis præceptum, propter hanc enim cauſam dicuntur hæc opera poſita eſſe in conſilio & non in præcepto: poſteriori tamen modo, extat lex de huiuſmodi operibus exercendis, qui enim vult operationes iſtas exercere, tenetur eas ordinare in bonum & honeſtum aliquem finem, quare dicuntur actus morales. Idem dicendum eſt de eo qui operatur aliqua ex dictamine propriæ conſcientiæ; hoc ſiquidem conſequitur reſpectum illius cuius eſt dictamen.

Notabile 1. Aduerte, in actibus humanis moralibus reperiri duas rationes, ex quibus conſurgit actus moralis, vt talis eſt. Prima, eſt ratio materialis, quæ tota poſita eſt in actu humano, ſeu, quod idem eſt, libero, ſpectato in genere entis, ac proinde, vt dicit libertatem, cognitionem perfectam, & vitalitatem: Altera, eſt ratio formalis, quæ nihil aliud eſt, quàm modus aliquis, qui aduenit actui humano ſpectato in genere entis, prout reſpicit obiectum ſubditum præcepto, vel legi ſuperioris. Ex iſtis ergo duabus rationibus conſurgit natura, & eſſentia cuiuſlibet actus moralis, vt moralis eſt; modus autem hic diſtinguitur ab actu humano, ſeu libero, illa eadem ratione, qua modi diſtinguuntur à rebus modificatis.

2. Aduerte præterea, modum hunc aduenire potiùs actui ſpectato, in genere entis, quàm eidem ineſſe; dicitur enim extrinſecè de actu humano ſpectato in genere entis, vt pluribus explicat Curiel loco proximè citato, & colligitur ex dictis ſatis euidenter.

Satisfit argumentis contrariorũ. Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. poſita libertate, aduertentia rectæ rationis, & iudicio de rebus agendis, non conſurgere moralitatem in actibus humanis; nam diximus Deum multa operari liberè, & item beatos, & quidẽ ex perfectiſſimo iudicio rationis; & tamen nec Deus, nec beati operantur moraliter, cùm moralitas reſpiciat meritum, vel demeritum, in ordine ad præmium, vel pœnam, quæ non poſſunt habere locum in iſtis, vt patet ex dictis: libertas ergo, aduertentia, rectæ rationis, & iudicium de rebus

Digitized by Google

agendis, præſupponuntur neceſſariò ad actum moralem; non tamen in his moralitas generica vel ſpecifica ſita eſt, ſed in habitudine, quæ datur in actibus moralibus ad obiectum morale, prout reſpicit legem, vel præceptum ſuperioris.

Replica. Inſtabis, omnem actum liberum factum ab homine viatore, eſſe meritorium vel demeritorium: ergo.

Soluitur. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem; nam licèt quilibet actus liber à viatore elicitus, ſit meritorius, vel demeritorius; non tamen propterea cenſetur eſſe moralis, idque propter cauſas proximè explicatas, ſed ex eo, quòd ſit conformis legi vel præcepto ſuperioris, vt conſtat ex dictis.

2. Ad 2. reſpondeo, entia moralia ità eſſe nuncupata à more, prout mos conſuetudinem ſignificat, & item conſuetudinem omnem introductam eſſe dependenter à libertate hominum; nego tamen ex iſtis poſſe colligi moralitatem genericam repetendam eſſe in actibus humanis à libertate præcisè & formaliter loquendo: diximus enim eſſe deſumendam ex habitudine actuum ad obiecta, prout hæc ſunt ſuperioris præcepto & legi conſentanea; libertatem verò ad actus morales materialiter tantùm deſiderari.

3. Ad 3. Voluntatem non propterea eſſe principium operandi moraliter quòd ſit libera præcisè, & formaliter loquendo, ſed multò magis quòd operetur ſecundùm regulas ſubordinatas præcepto, vel legi ſuperioris.

Replica. Dices, omnem actum liberum eſſe vel bonum, vel malum: ergo.

Solutio. Reſpondeo, antecedens eſſe verum vel de bonitate naturali, vel certè de morali, non autem de morali præcisè: quemadmodum enim ens diuiditur in naturale, morale, & artificiale; ità quoque datur triplex bonitas, vna quæ conſequitur ens naturale, altera morale, tertia artificiale: atque adeò tres dantur malitiæ iſtis bonitatibus oppoſitæ.

4. Ad 4. & vltimam reſpondeo, actum liberum, diuidi in bonum & in malum, non quidem eo modo quo genus in ſuas ſpecies, ſed ea ratione qua ſubiectum aliquod in ſua diuiditur accidentia; ità vt bonum, & malum ſint differentiæ accidentales actus liberi, non ſecus ac ſi quis diuideret hominem in album & in nigrum. Ità docent Bonauent in 2. diſtinct. 41. art. 1. quæſt. 2. Scotus in 1. diſtinct. 17. quæſt. 3.

Replica. Dices, D. Thomam affirmare interdum actum liberum diuidi, per ſe in bonum, & in malum.

Eniuatur. Reſpondeo, per particulam, *per ſe*, non intelligere aliquid eſſentialè libero, ſed immediatè; ità vt velit actum liberum proximè & immediatè diuidi in bonum & in malum. Ità Caiet. art. 7. & 9. quæſt 19. huius partis.

Explicatur mēs D. Tho. Ad teſtimonia vero D. Thom. ex quibus colliguntur quatuor propoſitiones. 1. eſt actus humanus & actus moralis ſunt vnum & idem. 2. illic incipit genus moris, vbi reperitur indifferentia ad agendum & non agendum, vel potiùs dominium. 3. actus moralis eſt idem cum libero. 4. & vltima, actus moralis vel humanus à ratione deliberante ſumitur. Ità art. 5. & 8. huius quæſt.

Ad 1 ergo propoſitionem dico, actum moralem & humanum eſſe idem, non quidem formaliter, ſed tantùm materialiter; diximus enim moralitatem aduenire actibus humanis non ſecus ac modus aduenit rei modificatæ, ac proinde, materialiter actus moralis cenſetur eſſe entitas cuiuſlibet actus humani ſpectata præcisè, vt eſt entitas actus humani. Ad 2. genus moris illic incipere, vbi reperitur dominium, non quidem poſitum in indifferentia ad agendum, vel non agendum, ſed vbi reperitur dominium, quod quiſque noſtrùm habet, ad hoc vt operetur conformiter, vel diſconuenienter legi ſuperioris; hoc enim dominium pertinet ad eſſe morale, illud verò ad eſſe naturale. Ad 3. actum moralem eſſe idem cum libero, non quidem formaliter, ſed ſubiectiuè tantùm; actus quippe liber, eſt veluti ſubiectum cuiuſlibet actus moralis. Ad vltimam, probare tantùm libertatem eſſe diſpoſitionem ſimpliciter neceſſariam ad actum moralem; non autem eſſe de intrinſeca ratione generis, aut ſpeciei moralitatis.

DVBITATIO SECVNDA.

Vndenam petenda ſit bonitas moralis in actibus humanis moralibus.

ANtequàm res hæc explicetur à nobis duo ſunt præmittenda: alterum eſt dari duplicem bonitatem in actibus moralibus: prima eſt *actibus moralibus* in iſtis dependenter ab alio, ratione cuius dicuntur actus iſti boni: altera vero poſita eſt in collectione eorum omnium, quę debentur actibus moralibus, quatenus cenſentur eſſe verè completi. Hæc diuiſio bonitatis in actibus humanis, eſt ex Auguſtin. cap. 2. lib. 8. de Trinitat. vt obſeruauit Scotus quodlibeto 18. & refert Curiel Dubitat 2. §. 1. ad hunc D. Thom. art. bonitas autem prima dicitur de actibus moralibus in ordine ad obiectum, qua conforme eſt regulæ rectæ rationis, vel certè præcepto, ſeu legi ſuperioris: poſtrema verò de iiſdem prout conſiderantur in ſeipſis. Fauet iſtis D. Thom in hoc artic. ait enim bonitatē actus humani poſitam eſſe in perfectione eſſendi eiuſdem: & 1. part. quæſt. 5. ait perfectum & bonum eſſe vnum & idem: perfectum autem definit Ariſtoteles 1. de cœlo, & 5. Metaph. cui nihil deeſt; ac proinde bonitas, quæ conuenit actibus humanis ſpectatis præcisè in ſeipſis, meritò cenſetur eſſe poſita in perfectione eorum omnium, quæ debentur ipſis, quatenus ſunt abſolutè completi, & perfecti, præſertim cùm bonum conſurgat ex integra cauſa, ex D. Dionyſ. malum verò ex quolibet defectu.

Tria in actibus moralibus reperiuntur.

Aliud hoc loco præmittendum, eſt, in actibus humanis moralibus tria reperiri. 1. eſt collectio, ſeu, quod idem eſt, concurſus eorum omnium, quæ debentur actui humano, quatenus talis eſt. 2. eſt habitudo actus humani ad iſtam collectionem, veluti ad ſuum obiectum ad quod terminatur: nomine quippe obiecti actus humani hoc loco, non ſignificamus illud tantùm, quod per ſe primò actum humanum terminat, cuius generis eſt pecunia data ab eo, qui contulit eleemoſynam pauperi, ſed potiùs per obiectum intelligitur à nobis, illud omne quod terminat actum humanum, ac proinde obiectum, finis, & circumſtantiæ omnes eiuſdem: hæc enim omnia terminant, quodammodo

actum

Digitized by Google

actum humanum moralem, vt patet ex largitione eleemoſynæ, quę ità datur ab homine, vt is velit nedum daro pecuniam, ſed etiam quantitatem eiuſdem: & item finem, qualis poteſt eſſe vana gloria, vel diuini nominis commendatio, vel denique ſubleuatio miſeriæ pauperis: vult etiam largitor eleemoſynæ actum externum, qui cenſetur eſſe quaſi obiectum actus interioris: ad hæc ergo omnia terminatur actus largitionis eleemoſynæ; atque adeò poſſunt hæc omnia dici obiectum iſtius. Tertium, & poſtremum eſt conformitas, & conuenientia actus, cum regula rectæ rationis, itémque præcepto, & lege ſuperioris. Hæc autem tria ità ſunt inter ſe comparata, vt conformitas præſupponat habitudinem ad obiectum, & ad regulam rectæ rationis; habitudo verò præſupponit collectionem eorum omnium, quæ debentur actui humano, quatenus talis eſt. Quærimus ergo hoc loco; an bonitas moralis in actibus humanis repetenda ſit ab iſtis omnibus; an verò ab aliquo ex iſtis: de qua re tres ſunt præcipuæ ſententiæ. A B

1. Sentēt. & fundament. Prima ſententia eſt eorum, qui putant bonitatem moralem deſumendam eſſe ex ſola collectione eorum omnium, quæ debentur actui humano ſecundum rectam rationem: ità ſentit Scotus in 2. diſtinct. 40. quæſt. 1. §. de ſecundo dico, & quodlibeto 18. §. de 1. & interpretes C ferè ibidem. Gabriel in 1. diſtinct. 7. quæſt. 1. art. 5. & in 3. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1. notabili 3. Citatur & D. Tho. pro hac eadē ſententia, idque quòd doceat in hoc art. bonitatem moralem deſumendam eſſe à perfectione eſſendi eiuſdem: ceterùm res hęc explicabitur à nobis inferius: minùs autem bene adducitur Durand. in 2. diſt. 38. tantùm enim ait illic bonitatem in actibus moralibus petendam eſſe ex obiecto eorumdem, ſecundū totalem habitum; totalis autem habitus cuiuſlibet actus haberi poteſt, etiamſi non dentur in eo ea omnia quæ ad perfectionem totalem eiuſdem ſpectant ſecundum rectā rationē.

1. Fundam. Probant primùm, quia ex Dionyſio; bonum D conſurgit ex integra cauſa, malum autem ex quolibet defectu: atqui poſita collectione eorum omnium quæ debentur actibus moralibus, ponitur tota ratio conſtitutiua eorumdem: ergo in iſta collectione erit poſita bonitas moralis cuiuſlibet actus.

Dices, hac ratione probari, collectionem eorum omnium quæ concurrunt ad conſtitutionem actus moralis eſſe neceſſariam ab bonitatem eiuſdem: non verò collectionem ipſam eſſe bonitatem actus moralis. Contrà, poſita collectione eorum omnium quæ debentur actibus moralibus, bonitas eorumdem verè conſurgit; habent enim ex iſta collectione id omne quod ad eorum E ſpectat integritatem: ergo in iſta poſita erit eorum bonitas moralis.

Dices, poſita collectione prædicta, conſurgere relationem conformitatis in actibus humanis ad obiectum, prout reſpicit rectam rationem, atque adeò in iſta conformitate poſitam eſſe bonitatem actuum moralium; fundatur enim hæc conuenientia in iſto concurſu & collectione: Verùm obiectio hæc nihil planè dicit; nam præciſa relatione conformitatis ad obiectum, poſita collectione eorum omnium quæ debentur actui morali, prout completus eſt, conſurgit bonitas eiuſdem; habet enim illud omne quod pertinet ad perfectionem eſſendi illius in quo ex doctrina D. Thomæ, hoc art. poſita eſt bonitas moralis cuiuſlibet actus. A

Confirmatur: Quamprimum actus aliquis, ſpectatus in genere entis, habet id omne quod pertinet ad totale complemētum eiuſdē, actus hic cenſetur eſſe bonus, bonitate entis phyſici, ſeu naturalis: ergo idem erit dicendum de quolibet actu morali. 2.

Præterea, bonitas ſe habet tamquam aliquid commune ad ens naturale, morale, & artificiale: at poſitis illis omnibus quæ pertinent ad integritatem rei alicuius artificialis, conſurgit bonitas artificialis, & illud idem accidit in entibus phyſicis, & naturalibus: quare ergo non erit idem dicendum de bonitate actuum moralium? 3.

Denique, bonitas cuiuſlibet actus moralis poſita eſt in eo, ex cuius oppoſito conſurgit malitia in ijſdem (oppoſitorum enim eadem eſt ratio) at malitia moralis poſita eſt in omni planè defectu, qui datur in actibus moralibus: ergo & bonitas moralis in collectione omnium quæ reperiuntur in actu bono morali. 4.

2. Sent. & argument. Secunda ſententia eſt eorum qui putant bonitatem moralem repetendam eſſe ex relatione conformitatis ad rectam regulam: non conuenit autem inter iſtos authores, quid nomine rectæ regulę intelligatur: Alij enim credunt ſignificari iudicium, quod recta ratio format de rebus agendis, aut vitandis propter conuenientiam, vel diſconuenientiam ad rectam regulam: alij verò, rationem ipſam ſpectatam, prout in ſe eſt, ſeu, quod idem eſt, in actu primo, non autem in actu ſecundo: diſſident præterea in eo, quòd alij putent relationem conuenientię ad rectam regulam eſſe realem, alij verò eſſe dumtaxat rationis. Ità ſentit Cano, & Gabriel Vazq. locis proximè citandis.

Probant primùm: quia bonitas cuiuſlibet actus repetenda eſt ex eo, per quod homo conſtituitur in eſſe morali: atqui homo conſtituitur in eſſe moris per rationem practicam, qua iudicat de rebus agendis, aut vitandis: hæc autem ratio practica nequit eſſe regula recta agendorum, niſi fuerit hæc conueniens: ergo in hac conuenientia collocanda erit bonitas moralis. Hæc ratio adducitur à Durando in 2. diſt. 38. quæſt. 1. 1.

Deinde, bonitas moralis poſita eſt in illo eodem in quo collocatur veritas; ſeu falſitas propoſitionum, ceteris tamen paribus; at iſtæ poſitę ſunt in conformitate, ſeu deformitate propoſitionum ad obiecta; ab eo quippe quod res eſt, vel non eſt, propoſitio eſt vera, vel falſa: ergo. 2.

Tertiò, hæc propoſitio communiter admittitur à Theologis, & Philoſophis; Bonitas cuiuſlibet rei repetenda eſt ex conformitate eiuſdem ad ſuam regulam: ergo. 3.

Quartò, bonitas moralis poſita eſt in eo, ex cuius mutatione ſequitur malitia, ſaltem ſi ſermo ſit de actibus moralibus, & eorum bonitate; at poſita mutatione conuenientiæ in actibus moralibus, actus qui antea erat bonus, cenſetur poſtea malus, vt conſtat ex eſu carnium facto ſub finem feriæ quintæ, & protracto ad aliquam partem notabilem feriæ ſextæ: actus quippe hic eſt bonus reſpectu feriæ quintæ, propter conuenientiam quam dicit cum præ- 4.

Digitized by Google

cepto Eccleſiæ : reſpectu verò feriæ ſextæ eſt malus, propter mutationem ſolius conuenientię ad præceptum Eccleſiaſticum, quo interdicitur vſus carnium in die ſextæ feriæ : igitur bonitas moralis in illa conuenientia eſt conſtituenda. A

5. Denique bonum, & malum ſunt differentiæ accidentales actus moralis, vt docuimus Dubit. proximè poſita in reſponſione ad vltimum argumentum contrariæ ſententiæ : ergo bonitas in actibus moralibus, non eſt repetenda à collectione eorum omnium, quæ debentur actui humano, quæ cenſetur eſſe poſita in concurſu finis, obiecti, & circumſtantiarum ; neque ab habitudine ad obiectum morale, ſed à relatione conformitatis ad rectam rationem : nam priùs actus moralis cenſetur conſtitutus in ratione entis naturalis, ſeu, quod idem eſt, in ratione actus humani & liberi, quàm actus humanus ſit conſtitutus in genere moris ; aduenit namque bonitas moralis actibus humanis conſtitutis in eſſe actus humani, illo eodem modo, quo accidens aduenit ſubiecto cui ineſt ; ceteris tamen paribus : at quod aduenit alicui accidentaliter non poteſt cõcurrere ad eſſentiam eiuſdem conſtituendam, vt eſt per ſe notum ; cùm ergo bonitas actus moralis, vt talis eſt, non ſit poſita in collectione eorum, quæ debentur eidem, neque in habitudine ad obiectum bonitate obiectiua bonum, hęc poſita erit in relatione conformitatis ad rectam rationem : non enim dantur plura quæ reperiantur in actibus moralibus. Hęc ratio adducitur à Vazquez loco proximè citato. In hac ſententia ſunt Durand. in 2. diſt. 38. q. 1. num. 7. Greg. Arim. diſt. 26. lib. 2. quæſt. vnica. Vazq diſp. 99. cap. 9. & 10. huius part. D. Thom. Suar. diſp. 10. ſect. 2. num. 2. ſuæ Metaphyſicę : addit autem hic nomine rectæ rationis non ſignificari in opinione proximè explicata rectam rationem in actu ſecundo, ſeu, quod idem eſt, iudicium de rebus agendis, aut vitandis, ſed rationem ipſam in actu primo conſideratam ; quia quemadmodum non ideò aliquid eſt album, aut calidum, quia recta ratio tale eſſe apprehendit, ſed quia verè ſubiectum habet in ſe albedinem & calorem ; ità non propterea aliquis actus moralis eſt conueniens rectæ rationi, quia hæc iudicat talem actum eſſe conuenientem ſuæ regulæ, vel rectæ rationi, ſed quia à parte rei actus hic verè cum ſua regula conſonat. B C D

Opinio 3. Tertia ſententia eſt eorum, qui putant bonitatem moralem in actibus humanis repetendam eſſe ex habitudine quæ datur in iſtis ad obiecta bona, bonitate obiectiua morali in his exiſtente : ità docent Caiet. art. 3. quæſt. 45. huius part. & art. 6. quæſt. 61. & artic. 1. quæſt. 62. & Curiel multis Dub. 2. ad hunc art. D. Thom. & idem docet de malitia morali ad quæſt. 61. huius partis, & alij plerique recentiores Thomiſtæ. E

Bonitas moralis non petitur à collectione. Probat. 1.

CONCLVSIO 1. *Bonitas moralis in actibus moralibus, non petitur à collectione eorum omnium, quæ debentur illis, quatenus ſunt tantùm humani vel liberi.* Primùm, quia bonitas moralis deſumenda eſt ab eo quod conuenit intrinſecè, & eſſentialiter actibus moralibus : conſtituuntur enim per bonitatem intrà certam aliquam, & determinatam ſpeciem moralem oppoſitam malitiæ morali, cùm omnis actus moralis immediatè diuidatur in bonum, & in malum ; atqui collectio eorum omnium quæ debentur actui morali bono, quatenus humanus & liber eſt, non conuenit ei intrinſecè, quatenus moralis moraliter bonus eſt, ſed tantùm prout eſt humanus, vel liber ; conſtituitur enim actus humanus, ſeu liber in ratione actus humani, per collectionem obiecti, finis, & circumſtantiarum dependenter à libertate : quæ omnia præſupponit actus moralis, præuiè ad bonitatem, vel malitiam moralem : ergo ſe habent iſta omnia extrinſecè ad bonitatem moralem.

Deinde, in qualibet re ſimplici, ratio ſpecifica, & generica, ab vna & eadem planè entitate reali eſt repetenda, vt fatentur communiter Logici omnes : at ratio generica actus moralis, non eſt deſumenda à prædicta collectione, ſed ab habitudine, ſeu tendentia in obiectum morale, vt docuimus Dubitatione antecedente : ergo hoc idem erit dicendum de bonitate actus humani. 2.

Bonitas moralis non eſt relatio conformitatis ad rationem.

CONCLVSIO 2. *Bonitas moralis non eſt poſita in relatione conformitatis ad rectam rationem, ſeu regulam.* Primùm, quia diximus Concluſione antecedente bonitatem in actibus moralibus petendam eſſe ab habitudine ipſorum ad obiecta, bonitate obiectiua bona.

Deinde, quilibet actus bonus moralis, hoc ipſo, quòd tendit in obiectum bonitate obiectiua bonum, cenſetur eſſe formaliter, & intrinſecè bonus, etiamſi præſcindatur ab eo, cogitatione noſtra relatio conformitatis, ad rectam regulam ; nam actus hic, hoc ipſo quòd ità tendit in obiectum ſuum, pertinet ad certam aliquam ſpeciem moralem oppoſitam malitiæ, quæ eſt altera ſpecies actus moralis : ergo. 2.

Denique, relatio conformitatis nequit conferre bonitatem moralem actibus moralibus ; nam ſi id præſtaret, id vtique, vel vt reſpicit rectam rationem in actu primo, vel certè vt reſpicit in actu ſecundo. Primum dici non poteſt : dantur enim innumeræ propemodum intellectiones, & volitiones liberæ, conformes rectæ rationi ſpectatæ in actu primo, quæ tamen non ſunt boni bonitate morali, vt conſtat ex qualibet intellectione, & volitione indebita ; iſtæ quippe omnes ſunt conformes rectæ rationi ſpectatæ in actu primo : quid enim magis conſonum eſt rectæ rationi, quàm intellectum intelligere & voluntatem velle ? Neque item ſecundũ dici poteſt, quia recta ratio in actu ſecundo, dicit iudicium de rebus agendis aut vitandis, ex omnium doctrina : at non ideò aliquid eſt conueniens regulæ, vel præcepto, quia ratio iudicat rem aliquam eſſe conuenientem, ſed multò magis, quia à parte rei res hæc eſt verè conueniens. 3.

Relatio cõformitatis ad rectam rationem, eſt quaſi affectio quædam cuiuſlibet formitatis actus boni moralis, eſt enim hac inſeparabilis ab eſt quædam illo, ducitque nos in cognitionem illius. Hæc affectio.

CONCLVSIO 3. Concluſio tres habet partes. Prima probatur : Quod conſequitur eſſentiam alicuius, & quidem ità, vt nequeat ab eo ſeparari, cenſetur eſſe proprietas, vel certè aliquid quod accedit ad naturam proprietatis : at relatio conformitatis conſequitur neceſſariò quemlibet actum moralem bonum, illo eodem modo quo relatio æqualitatis conſequitur quantitates numero diuerſas, & æquales ; & item quemadmodum ſimilitudo conſequitur duo alba, ceteris tamen paribus : æqualitas autem nequit ſeparari à duabus illis

iſtis quantitatibus, neque item ſimilitudo à duobus albis, idque quod relationes iſtæ ſint idem realiter cum ſuis fundamentis: ergo relatio conformitatis ad certam rationem eſt affectio conſequens naturam actus boni moralis.

Altera pars Concluſionis, manet ex iſtis probata.

Tertia denique oſtenditur: illud ducit nos in cognitionem eſſentiæ alicuius, quod cenſetur eſſe eius proprietas, vel affectio, ex communi doctrina Ariſtotelis: at diximus relationem conformitatis ad rectam rationem, eſſe quaſi affectionem & proprietatem reſpectu cuiuſlibet actus boni moralis: ergo hæc relatio ducet nos in cognitionem bonitatis iſtius actus. Ità docent authores 3. ſententiæ.

Bonitas moralis eſt habitudo ad obiectum bonum.

CONCLVSIO 4. *Bonitas moralis cuiuſlibet actus moralis cenſetur eſſe habitudo qua datur in eo ad obiectum bonitate obiectiua bonum, à quo obiecto deſumenda eſt vnitas ſpecifica cuiuſlibet actus boni moralis, prout cenſetur eſſe bonus moraliter.* Prima pars probatur: Natura ſpecifica cuiuſlibet rei ſimplicis repetenda eſt ab illo eodem, à quo deſumitur natura generica eiuſdem, vt inter omnes Logicos conuenit, & manifeſtè colligitur ex eo, quòd ratio formalis conſtitutiua hominis in ſua ſpecie, non eſt res aliqua realiter diſtincta à natura generica eiuſdem; non enim animalitas, & rationalitas in homine diſtinguuntur realiter, ſed tantùm formaliter, & ratione: at diximus Dubitatione proximè antecedente naturam genericam cuiuſlibet actus moralis boni, poſitam eſſe in habitudine ſeu tendentia, quam dicit hic actus ad ſuum obiectum, bonitate obiectiua bonum: illud idem ergo erit dicendum de bonitate cuiuſlibet actus boni moraliter; nam per iſtam bonitatem conſtituitur hic actus intrà certam ſpeciem moralem oppoſitam malitiæ, quæ eſt altera ſpecies moralis, cùm ens morale diuidatur, vt ſic, in bonum, & in malum proximè & immediatè.

Secunda verò pars probatur, ex D. Thom. artic. quippe 2. 3. & 4. huius quæſt. quærit, an bonitas in actibus moralibus petatur ab obiecto, fine, & circumſtantijs, reſpondet affirmatiuè.

Deinde, ex Ariſtotele, cap. 4. lib. 2. de anima, natura ſpecifica cuiuſcumque actus & potentiæ petitur ab obiecto eiuſdem; atqui obiectum actus boni moralis cenſetur eſſe obiectum bonitate morali bonum, prout obiectum hoc reſpicit præceptum vel legem ſuperioris: ergo ab illo deſumitur vnitas ſpecifica.

Relatio conformitatis & relatio rationis reſpiciens legẽ ſuperioris.

Rogabis, quid ſit relatio conformitatis, in obiecto actus boni moralis. Reſpondeo, eſſe relationem rationis, quæ nuncupatur conformitas, ſeu conuenientia ad rectam regulam, & rationem, prout reſpicit præceptum, legémve ſuperioris. Ità docent authores 3. ſententiæ locis citatis. Deinde, relatio menſurabilis ad menſuram, ex doctrina Ariſtotelis, cenſetur eſſe rationis; at bonitas obiectiua, quæ datur in obiectis actus boni moralis, eſt menſurabilis ad menſuram rectæ rationis, prout hæc dicit legem vel præceptum ſuperioris: ergo. Tertiò, relatio quæ dicitur de ente poſitiuo, & negatiuo debet eſſe rationis: non enim datur aliquid commune enti reali, & rationis, quod ſit à parte rei verum aliquod ens: atqui relatio conformitatis, quæ admittitur in obiectis bonis moralibus, eſt communis entibus poſitiuis, & negatiuis, vt conſtat ex non occiſione hominis impij, apud magiſtratum conuicti de ſua impietate; non occiſio ſiquidem iſtius hominis reſpectu priuatæ perſonæ, poteſt dici conueniens; non enim licet alicui propria authoritate hominem quantumuis peſſimum occidere: eadem vero non occiſio, reſpectu magiſtratus, culpabilis eſt, & per conſequens diſconueniens præcepto ſuperioris; tenetur namque magiſtratus vindicare crimina publica, ex cap. 13. Rom. *Non enim ſinè cauſa portat gladium Dei miniſter; eſt enim vindex in iram ei qui malum agit:* ergo, &c. Rom. 13. v. 4.

Denique, relatio communis Deo & creaturis non poteſt non eſſe rationis, ex multorum ſaltem opinione; at bonitas obiectiua, quæ datur in obiectis actuum bonorum moralium eſt communis Deo & creaturis: ergo eſt relatio rationis modo explicato.

Corollariũ. Ex iſtis colliges, cum authoribus citatis, relationem, quæ datur in obiectis actuum moralium, eſſe idem planè realiter cum bonitate quæ reperitur in iſtis obiectis, quæ dicitur bonitas obiectiua, prout tamen bonitas iſta reſpicit præceptum vel legem ſuperioris.

Obiectio. Dices, ſi ità res haberet moralitas obiectiua etiam bona, non poſſet habere locum in Deo; certum enim eſt, Deum nec habere ſuperiorem, nec poſſe habere à quo legem accipiat.

Reſponſ. Reſpondeo, negando illationem antecedentis: ad probationem autem Deum ſpectari duobus modis, in ſe ſcilicet, & vt extant de eo præcepta aliqua: priori modo certum eſt Deum non poſſe eſſe obiectum alicuius actus moralis, ac proinde neque poſſe habere bonitatem obiectiuã moralem; poſteriori tamen modo bonitas moralis obiectiua de eo enunciari poteſt; extant enim præcepta aliqua fidei, ſpei, & charitatis de eo obſeruanda, quæ tranſgredi quilibet poteſt, & itẽ hæc eadẽ perfectiſſimè adimplere, atque adeò admittẽda eſt in Deo bonitas iſta moralis obiectiua.

Replica. Inſtabis, Deum amare ſeipſum, & quidem infinitè, amor autem hic eſt verè moralis, cùm ſit conformis regulæ rectæ rationis.

Diſſoluitur. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem: actus enim hic amoris, quo Deus diligit ſeipſum infinitè, eſt tam naturalis Deo, quàm vlla alia perfectio, quæ detur in eo, nam in Deo omnia ſunt vnum & idem realiter, & formaliter, exceptis tamen his, quæ dicunt oppoſitionem inter ſe, cuius generis ſunt perſonæ Patris, Filij, & Spiritus ſancti: Ad id verò quod dicitur, nihil eſſe magis conforme regulæ rectæ rationis, quàm Deum amare ſeipſum infinitè. Reſpondeo, hoc eſſe veriſſimum, non tamen idcircò hic actus amoris Dei dicendus eſt moralis, cùm non reſpiciat regulam rectæ rationis, prout hæc idem eſt cum præcepto, ſeu lege ſuperioris, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium ad moralitatem alicuius actus boni.

Obiectio 2. Obijcies 2. Si relatio conformitatis, quę datur in obiectis bonitate obiectiua bonis, eſſet idẽ cum ipſa bonitate obiectiua, ſequeretur voluntatẽ noſtram appetere relationem iſtam: fertur enim hęc in bonum, quemadmodum & reſpuit malum: at nullus eſt qui appetat relationem conformitatis quæ, ex hypotheſi, datur in obiectis actuum moralium, vt docet experientia quotidiana.

Solutio. Resp. In obiectis actuum moralium bonitate obiectiua bonis reperiri duo; vnum quod dicitur ratio obiecti, vt quę: alterum, quod dicitur, ratio obiecti, sub qua; illud censetur esse, id quod terminat actum bonum moralem, hoc enim est semper aurum, vel argentum, aut aliquid aliud simile ordinis naturalis, vel supernaturalis; hoc verò censetur esse modus aliquis qui aduenit illi rei, quæ dicitur obiectum, vt quæ, quique facit vt obiectum hoc debitam retineat conformitatem cum actu bono morali: primum expetit voluntas nostra, non autem secundum; vnde relatio ista conformitatis non expetetur à nobis, sed res ipsa, quæ afficitur tali conformitate cum præcepto & lege superioris.

Confirmatur hoc, exemplo obiecti Physiologi; physica quippe versatur circa ens naturale, quatenus naturale est, vtpote obiectum istius scientiæ, vt quod, minimè verò versatur circa abstractionem, quæ est ratio, sub qua, obiecti istius scientiæ, ex communi doctrina Philosophorum.

Satisfit argumentis contrarijs. Ad rationes verò authorum contrariæ sententiæ. Resp. Ad 1. & item ad instantiam proximè subsequentem quemadmodũ illic responsum fuit. Ad 2. verò instantiam dico ex collectione finis, obiecti, & circumstantiarum in actibus humanis, repetendam esse bonitatem eorumdem, minimè verò in actibus moralibus bonis; nam præter enumerata desideratur in istis habitudo ad sua obiecta, bonitate obiectiua bona, prout hæc debitè respiciunt legem superioris, vt postulat obseruatio præcepti; in hac quippe habitudine præcisè posita est bonitas formalis cuiusuis actus moralis boni. Ad id verò quod ibidem subiungitur, bonitatem rei consurgere ex concursu eorum omnium, quæ ei debentur. Resp. Esse verum, ac proinde habere locum, & in actibus humanis, & in moralibus bonis, ceterùm cum hoc discrimine, quòd bonitas in actibus humanis desumatur ex collectione eorum omnium, quę sibi debentur, formaliter loquendo de bonitate formali eorumdem: in actibus verò bonis moralibus, bonitas, præcisè & formaliter spectata, non est posita in collectione eorum omnium, quæ debentur istis, quouis modo, sed tantùm in habitudine, quę datur in his actibus, prout respiciunt obiecta sua bonitate obiectiua bona, & in ordine ad legem superioris: nam collectio obiecti, finis, & circumstantiarum, respectu actus moralis, quatenus moralis est, potiùs est terminus actus moralis boni, quàm id quod confert bonitatem eidem: diximus enim totum illud, quod terminat actum moralem bonum, esse obiectum eiusdem, vel certè existimari quasi obiectum eiusdem: collectio verò finis, obiecti, & circumstantiarum respectu actus humani, est bonitas formalis in actibus humanis, quatenus sunt humani boni: ità authores 3. sententiæ locis supra citatis.

2. Ad 2. verò rationem: quidquid sit de maiore propositione, negando minorem: malitia quippe actus moralis, quà talis est, non est posita in priuatione cuiusuis entitatis debitæ actui bono morali, aut etiam voluntati moraliter operanti: sed tantùm in priuatione habitudinis debitæ inesse actui morali, prout respicit obiectum conforme præcepto, vel legi superioris.

Soluuntur argumenta, 2. sententia. Ad rationes verò authorum secundę sententiæ. Respond. Ad 1. negando maiorem: homo enim

1. constituitur in esse morali, non quidem intrinsecè per aliquid, quod pertineat ad eius naturam, & essentiam, sed tantùm extrinsecè, putà quod exerceat aliquos actus morales, qui recipiuntur in eo tamquam in subiecto, vel certè habent ortum ab eo, prout operatur conformiter, vel deformiter præcepto, seu legi superioris: actus autem humanus, & moralis bonus constituitur in esse moris formaliter, & intrinsecè per bonitatem, quæ sibi inest intrinsecè, & consequenter bonitas ista censetur esse perfectio aliqua absoluta, quæ tamen explicatur à nobis per ordinem & habitudinem quam dicit actus iste bonus moralis ad obiectum bonitate obiectiua bonum.

2. Ad 2. Mutata conformitate obiecti moralis ad legem, seu præceptum superioris, actum moralem, qui antea erat bonus, ex hypothesi, fieri malum, ceterùm spectatus materialiter tantùm: si autem spectetur formaliter, seu quatenus est actus bonus moralis simpliciter, talis actus, vt sic, & absolutè esse desinit: non enim bonitas potest transire in malitiam, nec è contrà, cùm species istæ sint oppositę immediatè in genere moris: mutatur ergo tãtummodò actus humanus in hac hypothesi, idque quòd cũ antea esset bonus propter conformitatem, quam dicebat ad legem superioris, incipit esse respectu feriæ sextæ disconueniens eidem legi, & præcepto superioris: agit enim hæc obiectio de esu carnium respectu feriæ quintæ & sextæ.

Vltimum. Ad vltimam respondeo, bonum & malum esse accidentia actus humani, differentias verò essentiales respectu cuiusuis actus moralis, vt moralis est, vt diximus in antecedentibus; ex istis tamen non licet colligere bonitatem formalem in actibus bonis moralibus repetendam esse ex relatione conformitatis, quæ datur in istis actibus ad sua obiecta, bonitate obiectiua bona, respicientia præceptum, vel legem superioris: nam relatio ista conformitatis præsupponit bonitatem in actibus moralibus bonis, cùm fundatur in bonitate quæ datur in istis actibus, illa eadem ratione qua relatio æqualitatis fundatur in quantitate, ceteris tamen paribus.

Bonitas & malitia ab obiectis desumitur. ARTICVLO 2. Docet D. Thomas, bonitatem & malitiam in actibus humanis desumendam esse ab obiectis eorumdem, idque quòd bonitas, & malitia sint quasi formæ quædam actuũ humanorum; forma autem est, quæ dat esse rei cuilibet; nomine verò obiecti intelligit hoc loco, illud quod per se terminat actum humanum, seu, quod idem est, id quod per se obijcitur actui humano, quatenus humanus est: doctrina hæc D. Thomæ patitur aliquas obiectiones.

Obiectio 1. Obijcies igitur 1. Actus specie distincti versantur circa vnum & idem planè obiectum, vt constat ex amore & odio Dei; isti enim habent pro obiecto Deum, & tamen odium pertinet ad speciem malitiæ; amor verò ad speciem bonitatis moralis.

Solutio. Resp. Duos istos actus habere idem obiectum materiale tantùm, non autem formale; Conclusio autem D. Thom. intelligenda est de obiecto formali, ità vt velit bonitatem, & malitiam in actibus humanis moralibus deducendam esse ex obiectis eorumdem formalibus, aut, vt explicãt aliqui interpret. D. Th. ex modo tendendi in obiecta formalia, petẽda est bonitas vel malitia in actibus moralibus: Deus ergo censetur esse obiectũ bonitatis respectu

reſpectu cuiuſlibet actus boni moralis, quatenus habet in ſe bonitatem obiectiuam moralem: idem verò cenſetur eſſe obiectum malitiæ moralis, vnde & odij, quo proſequitur eum creatura, quia habet in ſe malitiam obiectiuam moralem.

Obiectio 2. Obijcies 2. Actus externus cenſetur eſſe obiectum actus interioris; at actus internus non ſumit ſuam vnitatem ſpecificam ab actu externo, ac proinde neque bonitatem aut malitiam, ſed actus externus ſuam mutuatur ab actu interno, ex D. Thoma art. 1. quæſt. 20. huius part.

Solutio. Reſpondeo, nullam dari bonitatem, aut malitiam in actibus externis humanis, diuerſam ab ea quæ reperitur in internis; docebimus enim ad quæſt. 20. huius part. ex actu interno, & externo conſurgere vnam tantùm numero malitiã, vel etiam bonitaté moralem: imò malitia actus exterioris nihil planè addit ſupra malitiam interioris, vt probabitur ibidem. Neque hoc mirum alicui videri debet; nam illud idem dicendum eſt de bonitate & malitia iſtorum actuum, quod de libertate eorumdem, ſi cetera ſint paria: at nulla datur libertas in actibus externis diuerſa ab ea quæ reperitur in actibus internis, vt eſt per ſe notum: ergo illud idem erit dicendum de bonitate & malitia morali actuum moralium. Addo tamen bonitatem & malitiam moralem deprehendi in actibus internis formaliter & intrinſecè, in externis verò ſola denominatione extrinſeca. Ad id verò quod dicitur actum externum eſſe obiectum interni. Reſp. Hoc eſſe ſimpliciter falſum; habet enim actus externus & internus vnum & idé obiectum, vt patet ex homicidio vel ſola voluntate commiſſo, vel externo opere conſummato; quodlibet enim ex iſtis habet vitam pro obiecto, vt eſt per ſe manifeſtum: quando ergo docet Diuus Thomas actum externum eſſe obiectum interioris, hoc explicandum venit impropriè, nempe, quatenus nomine obiecti ſignificatur illud in quod tendit aliquid aliud, quocumque modo illud faciat; actus autem internus tendit in actum externum, veluti in illud quod complet vel bonitatem vel malitiam ſuam.

Obiectio 3. Obijcies 3. Ambulatio facta in agro ad occidendum proximum, conſequitur malitiam ſuam moralem, ex fine qui intenditur ab eo, qui obambulat in agro, non autem à ſuo obiecto: ergo.

Solutio. Reſpondeo, ambulationem iſtam ſpectari & in genere entis, & in genere moris: priori modo conſequitur hæc ſuam eſſentiam ab obiecto ſibi proprio quod verè eſt indifferens; nam ambulare in agro ſimpliciter loquendo neque dicit honeſtam actionem, neque turpem, non enim debetur iſti laus aut vituperium: poſteriori verò modo cenſetur eſſe mala formaliter, eſtque verè in genere moris, mutuatúrque ſuam malitiam ex fine, qui intenditur: ceterùm, quia finis hic in genere moris, tranſit in naturam obiecti moralis, propterea vera eſt doctrina D. Thom. nam malitia iſtius obambulationis petitur à ſuo obiecto, quatenus operatio hæc eſt moralis. Ità communiter interpretes D. Thom. hoc loco, & ad artic. 4. huius quæſt.

Obiectio 4. Obijcies vltimò, D. Thomas art. 3. quæſt. 1. huius part. docet bonitatem vel malitiam moralem in actibus humanis repetendam eſſe ex fine: ergo non ſibi conſtat cùm hoc loco dicat deſumi ex obiecto.

Solutio. Reſp. D. Thomam eo in loco, nomine finis obiectum intellexiſſe, vt explicat Caiet. & ceteri interpretes D. Thom.

ARTICVLO 3. Docet bonitatem & malitiam in actibus humanis petendá eſſe ex eorumdem circumſtantijs, & quidem meritò; loquitur enim de bonitate & malitia accidentali, quam certum eſt augeri, vel minui ex circumſtantijs, cum quibus actus humanus perficitur à nobis.

ARTICVLO 4. Docet bonitatem & malitiam ſumi ex fine: eſt autem aduertendum agere D. Thomam de fine, qui intenditur ab operante; non autem de fine, qui debetur per ſe actibus humanis, quíque habet rationem obiecti, ſeu, quod idem eſt, conuertitur cum obiecto actus humani: loquitur enim in hoc art. de bonitate accidentali actuum humanorum; hæc autem petitur à circumſtantijs, & à fine, qui intenditur ab eo, qui operatur actum humanum.

Solent autem plerique tres Dubitationes hoc loco explicare. Prima, An circumſtantia vltimi finis ſit ſimpliciter neceſſaria ad bonitatem cuiuſ. actus humani. Reſpondent eſſe neceſſariam non quidem formaliter & expreſſe, ſed tantum implicite. Verum res hæc commodiori loco tractabitur à nobis, art. 2. quæſt. 105. huius part. *Reſoluuntur quadam Dubitationes.*

Altera Dubitatio eſt. An tota bonitas actus cuiuſlibet boni humani mutuanda ſit à fine qui debetur per ſe actui, an vero à fine, qui intenditur ab operante, an denique ab iſtis duobus ſimul.

Reſpondetur negatiuè, diximus enim artic. 1. huius quæſt. bonitatem iſtam deducendam eſſe ex collectione eorum omnium, quæ debentur actui humano; huic autem nedum debetur finis, qui intenditur ab operante, aut is qui competit per ſe actibus humanis, ſed etiam circumſtantiç, ac proinde bonitas ab iſtis omnibus pendet.

Tertia Dubitatio eſt, an tota bonitas actus humani petatur ab eiuſdem obiecto. Reſpondetur, totam bonitatem eſſentialem, ſeu ſpecificam à ſolo obiecto eſſe repetendam, bonitas quippe eſſentialis eſt idem planè cum natura ſpecifica iſtorum actuum: at ratio ſpecifica cuiuſcumque actus humani boni petitur ab obiecto ſolo, vt docuimus artic. 1. huius quæſt. ergo & bonitas eſſentialis.

ARTICVLO 5. Docet bonum & malum in actibus moralibus conferre differentiam ſpecificam, & quidem merito, diximus enim art. 1. huius quæſt. bonum & malum eſſe differentias immediatas actus humani in genere moris, atque adeo omnem actum moralem eſſe neceſſario vel bonum vel malum.

ARTICVLO 6. Tradit bonitatem, & malitiam qua diſtinguuntur ſpecie actus humani, mutuandam eſſe ex fine.

ARTICVLO 7. Ait ſpeciem actus moralis ex fine acceptam non contineri ſub ſpecie actus ſpecificati ab obiecto, ſicut continetur ſpecies ſub genere; ſed ſpecies iſtas eſſe omnino inter ſe diſtinctas, & nequaquam ſubordinatas ſaltem ex ſe, & ſua natura: de qua re nulla poteſt eſſe Dubitatio, cùm ſpecies accidentalis petatur ex fine operantis; eſſentialis verò ex fine qui eſt idem cum obiecto, & conſequenter qui debetur per ſe actibus humanis.

Digitized by Google

ARTICVLVS OCTAVVS.

An aliquis actus humanus sit tantùm indifferens secundum suam speciem.

1. Sententiæ. DVÆ sunt de hac re sententiæ. 1. eorum qui putant nullum planè dari actum humanum indifferentem ex suo obiecto, seu, quod idem est, secundum suam speciem, sed quemlibet esse vel bonum, vel malum intrà propriam speciem. Ità Scotus in 2. distinct. 7. quæst. vnica. §. de primo dico, & plerique eiusdem sectatores.

Et fundamentum 1. Probant primùm, quia nullus datur actus humanus qui non exigat obiectum aliquod sibi proprium, & debitum, etiamsi actus hic spectetur secundum suâ speciem: at obiectum cuiuslibet actus humani est necessariò vel bonum vel malum, cùm hæc duo sint contraria immediata.

Dices fortè, malum spectari duobus modis, priuatiuè scilicet, & negatiuè: priori modo illud dicitur esse malum, quod caret perfectione sibi debita: posteriori verò modo, quod destituitur vna aut etiam pluribus perfectionibus præscindendo ab eo, quod perfectiones istæ sibi debeantur, vel non debeantur: ac proinde malum hoc duplex, poterit esse obiectum actus humani, dabitúrque obiectum aliquod indifferens, nempe illud quod dicitur malum negatiuè.

2. Sed contrà obijciunt Scotistæ: Obiectum cuiuscumque actus humani quodcumque illud sit vel est conueniens, vel disconueniens: si primum, actus erit verè bonus, cùm respiciat obiectum verè bonum, conueniens enim & bonum pro eodem vsurpantur: si verò secundum, actus erit necessariò malus cùm tendat in obiectum, quod est verè malum, disconueniens enim & malum pro eodem sumuntur.

3. Rursus, bonum & malum opponuntur priuatiuè, ex veriori sententia; at inter priuatiuè oppositа nullum datur medium.

4. Denique, si daretur aliquis actus qui esset indifferens ex suo obiecto, seu quod idem est, secundum suam speciem, non posset vlla ratione fieri bonus, aut malus; quod enim conuenit alicui essentialiter per nullam planè potentiam ab eo potest separari: at nullus datur actus humanus spectatus in genere entis, qui non possit esse in genere moris, vel bonus vel malus; bonitas siquidem moralis aut malitia accidunt actibus humanis, vt docuimus art. 1. huius quæst. ergo nullus dabitur actus indifferens.

Notabile. 1. Aduerte, difficultatem istam temporibus Magistri Sententiarum ità fuisse à nonnullis intellectam, vt crediderint nullam aliam dari bonitatem, aut malitiam in actibus humanis, præter eam quæ diceretur de istis, quatenus ordinantur ab operante in bonum, aut in malum aliquem finem: Ceterùm minus rectè; nam præter istam bonitatem, aut malitiam concedenda est alia bonitas, vel malitia, quæ conuenit istis ex se, seu, quod idem est, intrinsecè, & essentialiter, qualitates enim hæ desumuntur à suis obiectis, vt fatentur Doctores communiter. Quærimus ergo hoc loco, an dentur aliqui actus humani secundum speciem, siue ex suo obiecto, qui neque sint boni, neque mali, idque in genere entis; nam in genere moris, nullus planè datur qui non sit cum bonitate, vel cum malitia coniunctus, cùm actus moralis diuidatur proximè in bonum & in malum.

2. Aduerte 2. Non esse satis, ad hoc vt aliquis actus sit indifferens, quòd non sit imperatus, vel vetitus; sed præterea requiritur, vt non detur aliquis alius actus similis huic, secundum suam speciem, qui sit prohibitus, vel etiam imperatus; ideò enim dicimus eum non exercere actum indifferentem, qui audit sacrum diebus festiuis, sed honestum, & laudabilem, etiam in genere moris; quia auditio sacri, licèt non sit in præcepto, respectu dierum minimè festiuorum, bene tamen respectu cuiuslibet diei solemnis, seu festiui.

Desideratur insuper, vt actus hic non sit via, aut medium ad obseruandum præceptum aliquod diuinum, seu humanum; propter hanc enim causam asserimus eum qui vouit se nusquam contracturum matrimonium, exercere actum honestum, & laudabilem, non verò indifferentem; est enim actus hic dispositio quædam, seu medium ad præceptum hoc iuris diuini & naturalis retinendum nempe: *Non mœchaberis.* Requiritur 3. ne actus qui fit à nobis sit definitus, & determinatus ad hoc vt sit fundamentum relationis conformitatis, vel deformitatis ad rectam rationem; propter id contendimus eum, qui precatur Deum priuata aliqua oratione à se confecta, & non recepta ab Ecclesia, elicere actum non quidem indifferentem, sed honestum etiam in genere moris, idque quòd orare Deum sit res ex se, & sua natura definita ad fundandam relationem conformitatis, vel disconuenientiæ cum recta ratione; ac proinde actus hic ex suo obiecto, vel est necessariò bonus vel malus: conditiones ergo istæ tres desiderantur ad indifferentiam cuiuslibet actus humani.

Dantur actus humani indifferentes secundum speciem. 1. Conclvsio. *Dantur plerique actus humani, qui neque sunt boni, neque mali, sed indifferentes secundum suam speciem, seu, quod idem est, ex suo obiecto, atque adeò in genere entis.* Primùm, quia ità docent D. Thomas hoc loco, & quæst. 21. huius part. art. 4. Durand. in 2. dist. 40. quæst. 1. 2. & 3. Curiel dub. vnico ad hunc articulum D. Thomæ, & communiter Thomistæ. D. Thom.

2. Deinde, in Concilio Constantiensi session. 15. damnatur Ioannes Hus, quòd diceret inter actus humanos nullos extare indifferentes.

Probatur ratione: Illi actus sunt verè indifferentes secundum speciem, qui versantur circa obiecta quæ nec sunt bona, neque mala, bonitate vel malitia obiectiua: bonitas enim, & item malitia specifica actus humani petitur ab obiecto, vt probatum est Dubitat. 2. ad artic. 1. huius quæst. at dantur plerique actus humani, qui tendunt in obiecta, quæ nec sunt bona, nec mala, bonitate aut malitia obiectiua, vt constat ex fricatione manuum tempore hiberno, facta ad expellendas frigoris angustias, ex collectione festucæ, fricatione barbæ, abactione muscæ à facie, purgatione narium, & alijs multis: ergo dantur actus indifferentes qui nec boni, nec mali sunt.

Fit satis argumento contrario. 1. Ad rationes verò contrarias. Respondeo, aliud esse disputare de actibus humanis, & aliud de actibus moralibus; nam actus humani pro-

priè ſunt illi, qui habent ortum à voluntate liberè operante, cum cognitione agendorum; morales verò cenſentur eſſe illi, qui fiunt à nobis liberè, & ex aduertentia rationis, & denique qui tendunt in præceptum, idque vel conuenienter, vel diſconuenienter: iſti ſunt ſemper neceſſariò boni, vel mali: reſpiciunt enim obiecta bonitate obiectiua bona, vel certè malitia obiectiua mala; cumque vnitas ſpecifica actus petatur ab obiecto, de actibus his ſpectatis in genere moris concedendum eſt, quòd ſint mali, vel boni ex ſuo obiecto, & conſequenter quòd nulli dentur indifferentes ſecundum ſpeciem: actus tamen humani ſaltem aliqui ſunt indifferentes ex ſuo obiecto, cùm reſpiciant obiecta, quæ neque ſunt bonitate obiectiua bona, neque item mala malitia obiectiua.

2. Ad 2. Reſp. non deeſſe qui putent bonum & malum opponi contrariè: difficultas tamen iſta explicabitur à nobis quæſt. 61. huius part. D. verò Thomas hoc loco, & alibi paſſim contendit bonum & malum opponi priuatiuè, non quidem ſi comparentur cum actibus humanis ſpectatis ſecundum ſuam ſpeciem, ſed conſideratis in indiuiduo, quatenus ſcilicet hîc & nunc, cum his, & illis circumſtantijs exercentur à nobis in particulari: huius rei hanc ſubiungit rationem, quia, inquit, conformitas, vel diſconuenientia, cum recta ratione non conuenit actibus humanis ſpectatis in ſe, ſeu, quod idem eſt, ſecundum ſuam ſpeciem, ſed tantùm, quatenus in indiuiduo conſiderantur. Confirmatur: Nulla priuatio opponitur proximè & immediatè vlli planè habitui, ſed ſubiecto cui debetur talis habitus, ſeu perfectio qua priuatur, vt conſtat ex cæcitate; hæc enim non opponitur potentiæ viſiuæ, niſi dependenter à ſubiecto, cui conuenit viſus, atque adeò dependenter ab oculo, ſeu, quod idem eſt, medio oculo. Putarem tamen bonum & malum non opponi inter ſe priuatiuè, etiam in indiuiduo & in particulari, in actibus humanis, niſi reſpectu illius actus cui debetur rectitudo, poſito præcepto vel lege ſuperioris; hoc autem contingit in ſolis moralibus. Sed de iſtis redibit ſermo in tractatione de peccatis, vbi res hæc accuratiùs diſcutietur.

Vlt. Ad vltimam. Reſpond. negando maiorem. Ad probationem autem, veram eſſe de ea re quæ eſt indifferens per poſitiuam aliquam entitatem, qua ratione nullum datur obiectum actus humani indifferens, ſed tantùm negatiuè. Vt autem ſolutio

Notabile. hæc ſit paulò explicatior. Obſeruandum eſt indifferentiam obiectiuam in obiectis actuum indifferentium, nihil aliud dicere pro materiali, quàm ipſamet obiecta præcisè ſpectata; pro formali verò ſolam relationem conformitatis, ſeu, diſconuenientiæ ad regulam, vel legem ſuperioris, cum indifferentia, ſeu, non repugnantia ad vtrumque: ſi enim obiecta iſta eſſent indifferentia per entitatem aliquam realem, & poſitiuam, in nullo planè caſu actus indifferentes poſſent eſſe boni, vel mali; quod enim conuenit alicui intrinſecè & eſſentialiter per veram & poſitiuam indifferentiam, non poteſt ab eo ſeparari, quamdiu permanet in ſua exiſtentia. Deinde, ſi repugnaret relatio conformitatis, ſeu diſconuenientiæ obiectis actuum humanorum, non poſſent eſſe aut boni, aut mali, in vllo planè caſu, cùm bonitas & malitia cuiuſcumque actus ſpecifica, deſumenda ſit à ſuo obiecto; ſupponimus autem obiectis iſtis repugnare relationes conformitatis, & diſconuenientiæ ad rectam regulam, ſeu legem ſuperioris.

ARTICVLVS NONVS.

Virùm aliquis actus ſit indifferens ſecundum indiuiduum.

INDVBITATVM eſt apud Theologos extare aliquos actus à nobis elicitos, ex vi imaginationis, qui neque boni ſunt, neque mali in genere moris; dantur enim motus primò primi, qui nulli imputantur ad culpam, vel gloriam, meritum vel demeritum, pœnam vel præmium. *Dantur actus in indiuiduo indifferentes.*

Deinde, eſt propoſitio certiſſima apud philoſophos morales: Ab ijs quæ natura nobis indidit neque laudamur, neque vituperamur; at certum eſt dari in nobis aliquos actus ex vi imaginationis naturalis, vt conſtat ex pueris, ſtultis, imò & ratione vtentibus, ceterùm dormiendo, aut inconſideratè operando.

Dubitatur autem, an detur in nobis aliquis actus deliberatus, ſeu, quod idem eſt, humanus, ſpectatus in indiuiduo, qui neque ſit bonus, neque malus, bonitate vel malitia morali, vel etiam entis. *1. Opinio negans.* 1.

Sunt qui putent partem negantem eſſe veriſſimam & indubitatam: credunt enim hominem inter operandum teneri ad dirigendas omnes ſuas operationes in honeſtum aliquem finem: ità docent Ioann. Salas tract. 7. diſp. 4. ſect. 3. prope finem, & plerique alij in hoc Articulo: at omnis actio ordinata in bonum finem eſt bona, conſequitur enim ſuam bonitatem à fine operantis, qui ſupponitur bonus, operatio item hæc mala erit, niſi fuerit ordinata in bonum aliquem finem, cùm careat circumſtantia ſibi debita: igitur nullus dabitur actus in indiuiduo indifferens.

Deinde, ſi daretur aliquis actus in indiuiduo indifferens, ſequeretur dari quoque aliquos habitus indifferentes; generantur quippe habitus ex ſæpe iteratis actibus: at Ariſtotel. cap. 2. lib. 3. Ethic. ad Nicomachum, affirmat nullos dari habitus indifferentes: ergo nullus dabitur actus in particulari indifferens. 2.

Tertiò, per actus ex hypotheſi indifferentes, elicitos, aut imperatos à nobis, adhæremus Deo, vel creaturæ tamquam vltimo fini noſtro; non enim inter iſta duo datur medium; atqui omnis actus qui verſatur circa Deum, veluti vltimum finem, cenſetur eſſe bonus; qui verò in creaturam tendit tamquam in vltimum finem, malus etiam habetur (nam peccatum dicitur auerſio à Deo, & conuerſio in creaturam tamquam in vltimum finem) igitur quicumque actus, bonus eſt vel malus. 3.

Quartò, verbum otioſum cenſetur eſſe peccatum, dicitur enim Matth. 12. quod de eo reddenda ſit ratio in die iudicij: ergo omnis actus indifferens ſpectatus in indiuiduo, erit etiam malus. Nam verbum otioſum, & actus indifferens pro vno & eodem vſurpantur à Patribus; vt colligunt multi ex ex Origene homil. 1. in Pſal. 38. ſuper hæc verba; *Vt non delinquam in lingua mea. Otioſus autem eſt*, inquit, *qui neque boni, neque mali aliquid agit. Si ergo in die iudicij rationem reddemus, non* Origen. 4.

ſolum pro malis verbis, ſed etiam pro otioſis, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis confidet dicens; Mundus ſum à peccato. Verumtamen ait iuſtus: Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.

D. Ambro. D. Ambroſio lib. 1. de Officijs cap. 2. Hilario cano.
Hilarius. 12. in Matth. Gregor. homil. 6. in Euangelia.
Gregor. *Otioſum quippe verbum eſt, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione neceſſitatis caret:* Eodem modo loquitur lib. 7. Moralium, cap 24. & 3. parte paſtoralis, admonitione 15. & Baſilio in quæſtionibus in compendio explicatis, quæſt. 13. ait
Baſilius. enim verbum otioſum cauendum eſſe quia malum eſt; *Omne*, inquit, *verbum quod ad propoſitum in Domino vſum non facit, otioſum eſt.* & regula 25. capite 2. & in moralibus ſimile quid habet. &
Hierony. Hieronymo ad cap. 4. Epheſiorum, & refertur in capite *Quoties.* 22. quæſt. 2. *Quoties loquimur, aut non in tempore, aut importuno loco, aut non vt conuenit audientibus; toties ſermo malus procedit de ore noſtro ad deſtructionem eorum qui audiunt.* & ad cap. 12. Matth. definit Verbum otioſum, *id quod ſinè vtilitate loquentis & audientis dicitur, ſi omiſſis ſerijs de rebus friuolis loquamur, vt fabulas narremus antiquas.* Denique, ex Bernardo ſerm. de triplici cuſtodia manus, linguæ, & cordis.

5. Quintò illic datur bonitas, vel malitia, vbicumque reperitur debitus finis, obiectum, & circumſtantiæ; hæ ſiquidem qualitates ab iſtis deſumuntur in omni planè actu humano, ex art. 1. huius quæſt. at nullus datur actus deliberatus, ſeu humanus in indiuiduo ſpectatus, in quo non reperiatur debitus finis, obiectum, & circumſtantiæ: ergo nullus etiam erit qui non ſit bonus vel malus.

Vlt. Tandem SS. docent, inter bonam & malam voluntatem, nullum dari medium: ità D. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 18. idem videtur affirmaſe Proſper Aquitanicus, & nonnulli alij, quos citat Vazquez diſp. 52. huius part. ità ſentiunt D. Thomas art. 8. & 9. huius quæſt. Albertus in 2. diſt. 40. art. 4. Ægidius art. 3. Richardus art. 2. quæſt. 6. Ariminenſis ibidem. Argentinenſis diſt. 60. lib. 2. & plerique alij.

Actus humani in indiuiduo indifferentes. Conclvsio. *Dantur aliqui actus humani in indiuiduo, & in particulari ſpectati, qui neque ſunt boni, neque mali; ſed indifferentes.* Primùm, quia fatetur D. Thom. art. proximè antecedente extare aliquos actus humanos, qui ex ſuo obiecto, ſeu, quod idem eſt, ſecundùm ſuam ſpeciem, neque boni ſunt, neque mali, ſed indifferentes: ergo admittendi ſunt etiam aliqui in indiuiduo indifferentes; natura enim ſpecifica nequit conſeruari, niſi in indiuiduis: at datur natura ſpecifica indifferens, reſpectu quorumdam actuum humanorum: ergo dabuntur etiam indiuidua indifferentia.

Reſpõſio aduerſariorũ. Reſpondent autem authores 1. ſententiæ, admittenda eſſe indiuidua indifferentia, quotieſcumque ſpecies eſt indifferens per entitatem aliquam poſitiuam, minimè verò quando talis eſt negatiuè tantùm: actus autem humanus cenſentur eſſe indifferentes, ſecundum ſuam ſpeciem, negatiuè tantùm, non verò per poſitiuam aliquam indifferentiam.

Infirma. Ceterùm hæc reſponſio, non ſatisfacit argumento: nam ſi datur ſpecies indifferens, & quidem hoc ſenſu, quòd careat iſta bonitate & malitia, concedenda ſunt etiam neceſſariò indiuidua, in quibus conſeruetur huiuſmodi ſpecies, quæ neque erunt bona, neque mala; abſtrahitur enim natura ſpecifica à ſuis indiuiduis, imò hæc non diſtinguitur realiter ab illis.

2. Deinde, fatetur D. Thomas, & ſectatores eiuſdem deambulationem in agro, ſolius recreationis gratia, fricationem barbæ, purgationem narium, expulſionem muſcæ à facie, eſſe actiones indifferentes ſecundum ſuam ſpeciem: ergo idem erit dicendum de qualibet deambulatione in particulari facta, animo ſolius recreationis, & ſic de ceteris enumeratis. Nam quæro de iſtis actionibus in particulari ſpectatis, an ſint bonæ, an verò malæ. Primùm dici non poteſt; ità enim ſequeretur hominem poſſe laudari à qualibet ex his actionibus, & item mereri vitam æternam, cum de fide ſit, hominem in gratia & in hac vita conſtitutum, quolibet opere humano bono promereri vitam æternam: quis autè audiuit aliquando eum, qui in agro obambulat, vt abſumat craſſos humores exiſtentes in corpore, aut qui manus fricat, vt arceat à ſe vim frigoris hiberno tempore, vitam æternam promeruiſſe?

3. Denique, ſequeretur iſtas omnes operationes poſſe eſſe materiam voti: de omni ſiquidem re bona poteſt quilibet ſe obſtringere voto, ex communi doctrina, in tract. de voto: certum autem eſt neminem hactenus emiſiſſe votum de ſeruandis actionibus proximè commemoratis. Secundum item dici non poteſt, aljoquin poſſet aliquis deducere ad forum conſcientiæ omiſſionem iſtarum operationum; imò teneretur ad id ſi omiſſiones iſtæ haberent rationem culpæ mortalis; hæc enim omnis ſubijcitur clauibus Eccleſiæ, ſaltem ſi fuerit commiſſa poſt baptiſmum: ſi autem fuerit venialis, poterit etiam deduci, quia peccatum veniale eſſe creditur materia ſufficiens ſacramenti penitentiæ; indubitatum eſt autem neminem hactenus ſe accuſaſſe de collectione feſtucæ, de fricatione manuum, de deambulatione facta animi relaxandi gratia.

Confirmatur: Actiones iſtæ, vel omiſſiones non vitiantur indebito fine, neque item vllis planè circumſtantiis illicitis, vt ſupponimus: ergo non poſſunt eſſe malæ; præſertim cùm nulli planè præcepto diuino, aut humano opponantur; quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium, vt aliqua actio ſit in genere moris mala. Ità docent Patres aliqui, maximè verò Hieron. in epiſt. ad Auguſt. quæ eſt 11. inter epiſt. eiuſdem Auguſt. cap. 4. & 89. inter epiſt. Hierony. ait enim illic, ſiue feceris, ſiue non feceris, nec iuſtitiam habebis nec iniuſtitiam; loquitur autem de purgatione narium, & de ſimilibus quæ liberè fiunt à nobis, idque ex aduertentia rationis pleniſſima. Et author librorum Hypognoſticõn, maximè verò lib. 3. & Gregor. homil. 27. in Euangelia. Conſentiunt ex Scholaſticis, Bonauent. in 2. diſt. 41. quæſt. 3. Scotus, Ockam, quæſt. 13. in 3. ſententiarum, & alij: Nituntur autem hoc vnico maximè fundamento: nullam dari operationem bonam vel malam, quæ non referatur ad præceptum ſuperioris, ità vt debeat eſſe conueniens vel diſconueniẽs alicui præcepto iuris naturalis, diuini, aut humani: eſt autem certum multas dari in nobis operationes liberas in indiuiduo, quæ non conueniunt cum aliquo præcepto iuris naturalis, diuini, aut humani nec diſcrepant ab eodem, vt conſtat ex adductis in probatione noſtræ Concluſionis: ergo quamplures erunt etiam indifferentes in indiuiduo.

D. Hieron. D. Auguſt. Gregor. Magn.

Reſpõſio ad contraria argumenta. Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. negando

gando maiorem; non enim aliquod extat præceptum, quo quis teneatur ſingulas ſuas actiones particulares ordinare in Deum, veluti in vltimum finem, nedum expreſsè, ſed neque implicitè; nam omnia præcepta quæ hactenus ſunt impoſita, vel ſunt affirmatiua, vel negatiua; illa obligant interdū & aliquando, hæc verò etiamſi ità obligent, vt in nullo caſu liberum ſit inculpate incidere, in id quod prohibetur iſtis; certū tamen eſt poſſe omnia alia, quæ non aduerſantur iſtis præceptis negatiuis fieri à nobis, aut etiam prætermitti; ſi tamen non vrgeat aliquod præceptum affirmatiuum de huiuſmodi opere præſtando, hîc & nunc, cum his & illis circumſtantiis. Deinde, diximus extare operationes aliquas indifferentes, atque adeò poterit quilibet iſtas exequi ſinè vlla planè culpa, aut merito vitæ æternæ.

Replica. Inſtabis, ſanctos Patres affirmare non proficere in via Domini, eſſe deficere, ſeu, quod idem eſt, non progredi in via Chriſti, eſſe retrogredi: ità docet Bernardus lib. de vita ſolitaria. *Sermo Dei, aut ſemper proficiendum, aut deficiendum eſt: aut ſurſum nititur, aut ad inferiora vrgetur, quia nolle proficere, deficere eſt.* & alij nonnulli ex citatis Patribus.

Diſſoluitur. Reſp. hæc habere rationem conſilij, non autem præcepti inducentis obligationem aliquam.

Ad 2. Ad 2. admittendos eſſe aliquos habitus indifferentes in nobis, comparatos ex iteratis, & ſæpe repertis actionibus indifferentibus. Ad locum verò ex Ariſtot. Reſp. eum agere de habitibus, quibus aliquis redditur melior, aut deterior in genere moris: de iſtis ergo habitibus moralibus docet, quòd omnes ſint boni vel mali, non autem loquitur in vniuerſum de quibuſuis habitibus.

Ad 3. Ad 3. eum qui exercet actum indifferentem, nec adhærere Deo, nec creaturæ veluti vltimo fini; ſi enim ità res haberet, actio iſta non eſſet indifferens, ſed bona vel mala in genere moris, vt bene probat argumentum; dico tamen eum, qui exercet actum indifferentem adhærere creaturę, non quidem deordinate, & indebitè, ſeu, quod idem eſt, diſconuenienter præcepto vel legi ſuperioris, vel etiam conuenienter; ſed tantùm non ordinatè ex infirmitate naturæ, & ex inculpabili ignorantia; qua ratione nullus eſt, qui mereatur aut demereatur, ſed indifferenter operatur.

Ad 4. Ad 4. Non deeſſe qui putent verbum otioſum non eſſe peccatum, neque contrarium colligitur ex illo Matth. 12. de omni verbo otioſo reddetis rationem: nam quilibet in extremo iudicio, aut etiam in articulo mortis reddet rationem eorum omnium, quæ egit pro toto vitæ tempore, vt conſtat ex cap. vltimo Eccleſiaſtici, & ex cap. 5. poſterioris ad Corinth. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum:* quæ reſponſio ſi vera ſit, poſſumus etiam affirmare actionem indifferentem, neque eſſe bonam, neque malam. Cæterùm, dato quòd verbum otioſum ſit peccatum, non tamen illud idem dicendum eſt de actione indifferente, cùm habeat hæc finem ſibi debitum, qui tamen non reperitur in verbo otioſo.

2. Cor. 5. vers. 10.

Ad 5. Ad 5. Reſpond. maiorem veram eſſe in actibus moralibus, non verò in humanis, ſpectatis præcisè in genere entis, in quo tamen à nobis collocantur actus indifferentes.

Ad vlt. Ad vltimum. Reſp. Auguſtinum, & alios Patres ab iſtis authoribus citatos in contraria eſſe ſententia; non tamen propterea ea eſt defendenda, cùm habeamus & nos alios Patres, non minoris authoritatis noſtræ opinionis vindices & aſſertores.

ARTICVLO 10. docet circumſtantiam conferre interdum actibus humanis nouam aliquam ſpeciem, de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm certum ſit vnum & eumdem numero actum humanum, poſſe pertinere ad varias & diuerſas ſpecies, altera namque petitur ex obiecto; alia verò ex fine intento ab operante; altera denique ex circumſtantia aliqua, ſaltem aliquando, vt conſtat ex eo qui furatur in loco ſacro: circumſtantia enim loci inducit ſpeciem peccati omnino diuerſam à furto: & ratio hoc ipſum manifeſtè probat; peccatum ſiquidem ſacrilegij, religioni aduerſatur; furtum verò iuſtitiæ: dicemus autem diuerſitatem ſpecificam peccatorum deſumendam eſſe ex diuerſitate virtutum contra quas committuntur huiuſmodi peccata.

ARTICVLO VLTIMO, docet bonitatem vel malitiam in actibus humanis deſumendam eſſe ex circumſtantiis eorumdem, non tamen ex ſolis; idque meritò: diximus enim bonitatem mutuandam eſſe ex obiecto, fine, & circumſtantiis omnibus. Addit tamen quamlibet circumſtantiam non conferre nouam ſpeciem actui humano.

QVÆSTIO XIX.

De bonitate & malitia actus interioris.

ARTICVLO 1. Docet D. Thom. bonitatem, aut etiam malitiam in actibus internis, petendam eſſe ex obiecto eorumdem: res hæc fuit explicata quæſt. proximè antecedente in vniuerſum de actibus humanis reſpectu bonitatis eorumdem. De malitia verò diſſeretur quæſt. 71. huius partis.

ARTICVLO 2. Tradit bonitatem actuum humanorum pendere à ſolo obiecto; hoc tamen de bonitate eſſentiali cuiuſlibet actus boni interioris venit intelligendum; nam moralis bonitas actus interni nedum ab obiecto, ſed etiam à fine intento ab operante, & à qualibet eius circumſtantia eſt ſumenda.

ARTICVLO 3. Bonitatem in actibus humanis internis pendere à recta ratione; omnis enim actus humanus bonus debet eſſe conformis rectæ rationi. Deinde, propterea bonitas in actibus iſtis eſt à ratione petenda, ex doctrina D. Thom. hoc loco: quia obiectum non poteſt eſſe præſens voluntati, niſi dependenter ab aliquo actu intellectus.

ARTICVLO 4. Bonitatem in actibus internis magis dependere à lege æterna, quàm à recta ratione, cuius rei hanc reddit cauſam; quia actus internus bonus comparatur cum lege æterna, illa eadem ratione, qua effectus creatus cum prima cauſa; & cum recta ratione veluti cum cauſa ſecunda: at quilibet effectus magis pendet à cauſa prima, quàm à ſecunda: ergo bonitas in

Digitized by Google

iſtis actibus magis erit à lege æterna, quàm à recta ratione. A

Articvlo 5. Quemlibet actum internum deficientem à recta ratione, vel eidem contrarium, eſſe verè malum; de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm ratio peccati poſita ſit in priuatione rectitudinis debitæ ineſſe actui vel voluntati. Deinde, propter hanc cauſam dicitur à Patribus deuiatio à recta ratione, ſeu à lege ſuperioris.

Articvlo 6. Omnem actum voluntatis conuenientis cum ratione errante & deficiente circa ea, quæ quis ſcire debet & poteſt, eſſe malum.

Sunt autem qui hoc loco prolixam nimis inſtituant diſputationem de conſcientia, quæ nihil aliud eſt, quàm applicatio ſcientiæ ad actus noſtros in particulari exercendos, ex D. Thom. 1. part. quæſt. 69. aut, vt alij volunt, iudicium, ſeu, quod idem eſt, dictamen practicum rationis de rebus agendis, aut vitandis hîc & nunc, cum his & illis circumſtantiis. Eſt autem conſcientia alia erronea, alia probabilis ſeu opinatiua, alia dubia, alia denique ſcrupuloſa: ceterùm dubitationes iſtæ commodiùs examinantur à Theologis inter agendum de caſibus conſcientiæ, quos conſule. B

Articvlo 7. Docet electionem ex intentione finis factam, cenſeri bonam vel malam, dependenter à fine intento ab operante, quod nullus vertit in dubium; cùm volitio mediorum præſupponat volitionem finis, quemadmodum bonitas mediorum præſupponit bonitatem finis. C

Articvlo 8. Docet quantitatem malitiæ in actibus internis voluntatis tantam eſſe, quanta eſt in intentione; minimè verò idem eſſe ſtatuendum de quantitate bonitatis actus interioris, collata cum ea, quæ in intentione reperitur: de qua re lege D. Thomam.

Articvlo 9. Bonitatem in actibus internis eſſe ſumendam ex conformitate quæ datur in iſtis ad voluntatem diuinam; & quidem non per æquiparantiam, ſed per imitationem. D

Articvlo vltimo. Voluntatem creatam debere ſe conformare diuinæ in volito, ad hoc vt ſit bona: de qua re diximus art. 1. quæſtionis proximè antecedentis.

E

QVÆSTIO XX.

De bonitate & malitia actuum externorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

An bonitas, & malitia ſint in actu voluntatis, vel in actu exteriori.

VT hic Articulus intelligatur quædam ſunt præmittenda, ex mente Thomiſtarum, & quidem

Aduertendum eſt 1. nomine actus voluntatis D. Thomam intelligere hoc loco, quemlibet actum elicitum à voluntate; nomine verò exterioris quemlibet ab eadem imperatum, ac proinde à potentiis inferioribus elicitum ex imperio tamen & præſcripto voluntatis. *Notabile 1.*

Aduertendum 2. actum externum voluntatis vſurpari duobus modis: interdum enim ſumitur prout eſt in apprehenſione, & proponitur voluntati velut obiectum acceptandum, vel fugiendum; aliquando verò vt producitur ex motione voluntatis, qua ratione nuncupatur communiter imperatus. 2.

Aduertendum denique actum internum & externum voluntatis conſiderari hoc loco, non vt ſunt vnum numero peccatum in genere moris, vel vt ſunt vnus numero actus bonus; ſed vt ſunt actiones inter ſe diſtinctæ realiter, ac proinde quærimus hoc loco, an bonitas vel malitia conueniat actibus exterioribus primò & per ſe; an verò per accidens, & quaſi dependenter ab actibus internis voluntatis: de qua re ſit 3.

Conclvsio 1. *Actibus externis voluntatis competit bonitas, vel malitia per ſe, & ſinè vlla dependentia ab actibus internis voluntatis, ſaltem ſi ſpectentur interni, vt ſunt in apprehenſione, & vt habent rationem obiecti quod proponitur voluntati fugiendum vel acceptandum.* Primùm, quia illud omne quod eligitur à voluntate debet eſſe neceſſariò bonum, vel malum, cùm obiectum voluntatis ſit bonum, vel malum; affectu ſiquidem proſequutionis voluntas noſtra tendit tantùm in bonum; affectu verò fugæ reſpuit tantummodò malum: at ſupponimus actum externum voluntatis proponi eidem acceptandum, vel fugiendum: ergo actus iſti erunt neceſſariò boni, vel mali, nullo interueniente actu interiore voluntatis; mœchari enim, occidere, mentiri, furari, & ſimilia, ſunt verè mala, quæ tamen omnia proponuntur voluntati noſtræ acceptanda, vel certè vitanda: ergo bonitas, vel malitia conuenit actibus externis per ſe, ſinè dependentia ab actu interiori, ſaltem vt habent rationem obiecti voluntatis. Confirmatur: Propterea velle furari malum eſt, & velle occidere, quia furari & occidere mala ſunt: ergo. Ità Ferrar. lib. 3. contra Gentes, cap. 10. Durand. ad hunc art. D. Thom. & aliqui recentiores. Fauet D. Thom. in illis omnibus locis in quibus ait, actionem *Actibus externis voluntatis inest bonitas vel malitia.*

Digitized by Google

actionem exteriorem habere ex ſe bonitatem, aut malitiam quæ eſt ex obiecto & circumſtantiis, & eam communicare actioni interiori.

Bonitas actus exterioris eſt moralis.

1. CONCLVSIO 2. *Bonitas, vel malitia quæ dicitur de actibus humanis exterioribus eſt bonitas, vel malitia moralis.* Primum, quia bonitas, vel malitia moralis attenditur maximè ex lege & præcepto ſuperioris, ità vt illud omne dicatur eſſe morale quod imperatur, vel prohibetur lege, & præcepto ſuperioris, vt conſtat ex quæſt. 18. huius part. art. 1. at tam verè prohibentur, aut præcipiuntur actus externi voluntatis deliberati, quàm interni: fatentur enim communiter Theologi magis prohiberi actus externos homicidij, adulterij, & furti, quàm internos, idque quod exteriores magis obſint proximo quàm interiores.

2. Deinde, meritum & demeritum reperiuntur in actibus externis voluntatis, non minùs quàm in internis; imò aureolæ debentur ſolis externis operationibus; atqui meritum & demeritum ſunt proprietates conſequentes actus morales: ergo actibus externis ineſt bonitas, vel malitia.

3. Tertiò, laus & vituperium, pœna & præmium non minùs debentur actibus externis, quàm internis voluntatis; imò apud homines vix eſt aliquis, qui laudetur aut vituperetur propter actus internos, bene tamen propter externos: ergo cùm laus & vituperium, pœna & præmium conſequantur bonitatem, vel malitiam moralem, veluti proprietates entis moralis, actus externi voluntatis noſtræ erunt boni vel mali, bonitate vel malitia morali. Ità docent omnes cum D. Thom. hoc loco.

Bonitas vel malitia actus exterioris eſt dependenter ab actibus internis.

CONCLVSIO VLTIMA. *Bonitas vel malitia, qua dicitur de actibus externis voluntatis eſt communis iſtis per ſe & intrinſecè, ſed tantùm non extrinſecè, & conſequenter dependenter a bonitate, vel malitia exiſtente in actibus interioribus eiuſdem voluntatis.* Primùm, quia ità docent communiter veteres Scholaſtici, excepto D. Thom. vt obſeruat Vazq. diſp. 75. ità Durand. in 2. diſt. 42. art. 1. quæſt. 1. Scotus eadem diſt. §. ad quæſtiones iſtas, & §. ad quæſt. 2. & §. ad quæſt. 3. Bonauent. eadem diſt. quæſt. 1. art. 1. Gabriel quæſt. 1. & 2. Ockam, & alij.

1.

2. Deinde, bonitas vel malitia eadem ratione dicuntur de actibus externis voluntatis noſtræ, vulgò nuncupatis humanis, qua libertas; pertinent enim hę duę conditiones ex æquo ad moralitatem: at libertas dicitur de actibus exterioribus factis à nobis deliberatè, non quidem per ſe, & intrinſecè, ſed dependenter à libertate, quæ ineſt formaliter & intrinſecè actibus internis voluntatis noſtrę: ergo ſunt boni aut mali à bonitate & malitia exiſtente in actibus internis.

Confirmatur: Libertas actus coniungitur proximè & immediatè cum actu immanente; ſoli autem actus interni voluntatis ſunt immanentes: ergo.

3. Tertiò, ſi bonitas vel malitia conuenirent per ſe actibus externis, ſinè vlla dependentia ab internis, ſequeretur bonitatem iſtam, vel malitiam poſſe reperiri in ſolis actibus externis, (quod enim conuenit alicui per ſe poteſt in eo reperiri, abſque eo à quo nullam dicit dependentiam) at nec bonitas, nec malitia poſſunt reperiri in actibus externis, ſinè dependentia ab internis: nulla enim poteſt aſſignari ratio cur occiſio facta à puero, vel à dementato non ſit mala, & culpabilis in genere moris, bene tamen occiſio ab homine, qui vtitur ratione, niſi quia occiſio facta ab homine ſtulto, caret actione interiore culpabili, qualis datur in eo qui vtitur ratione, & nihilominus occidit: ergo omnis illa bonitas & malitia refundenda eſt in actus internos.

Duæ iſtæ rationes adducuntur à Durando; Gabriel verò & Ockam ſubiungunt iſtam: Si bonitas vel malitia conuenirent actibus externis per ſe, ſinè vlla dependentia ab internis, ſequeretur peccatum illius, qui propinaret alteri venenum, tamdiu durare, quamdiu venenum perſeueraret, id enim tamdiu eſt intrinſecè, quamdiu operatur; at illatio iſta nullo modo defendi poteſt, cùm certum ſit peccatum hoc poſſe emendari media penitentia, quantum ſatis eſt in ratione peccati: definitur enim penitentia, dolor de peccatis commiſſis, hoc nomine quia peccata commiſſa ſunt contra Deum; actum autem hunc poſſe fieri ſtatim atque peccatum commiſſum fuerit indubitatum eſt, ex eo quòd penitentia cuiuſlibet noſtrùm ſit, reſipiſcere à peccatis pro toto illo tempore, quo agimus in hac vita mortali: & confirmatur ex eo. *In quacumque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, amplius non recordabor.* Ezech. 18. verſ. 22.

4.

Quintò, quando dantur multa, quæ ab vna & eadem forma denominantur propter proportionem & conuenientiam, quæ datur inter iſta, forma hæc dicitur de vno intrinſecè & de aljis extrinſecè, vt patet de ſanitate, quæ dicitur de animali, cibo, medicamento, & vrina; hæc enim ſoli animali intrinſecè conuenit, ceteris verò aliis commemoratis ſola denominatione extrinſeca: at actus internus & externus voluntaris ſuiſt duæ entitates realiter inter ſe diſtinctæ, quæ tamen nuncupantur bonæ vel malæ: ergò malitia vel bonitas debet vni ex iſtis conuenire intrinſecè, alteri verò extrinſecè; certum autem eſt actibus intrinſecis competere bonitatem, vel malitiam iſtam intrinſecam: ergo extrinſecè tantùm conuenit actibus externis: quod colligitur ex D. Thom. à quibuſdam Thomiſtis.

5.

Sextò, variata operatione interna, ſtatim mutatur actus externus, ità vt ex bono fiat malus, vt patet ex eo, qui cæpit dare eleemoſynam propter Dei gloriam, & tamen eadem perſeuerante operatione externa retractat voluntatem interiorem; intendit namque continuare actum hunc ad vanam gloriam qui in hypotheſi eſt verè malus: ergo.

6.

Denique, ſi bonitas conueniret per ſe actibus externis, vel etiam malitia ſinè vlla ſubordinatione ad actus internos, ſequeretur omnem actum externum charitatis adiunctam habere intrinſecè charitatem, quod tamen nullo modo defendi poteſt, cùm hæc ſit res aliqua ſpiritualis, quæ proinde poſtulat ſubiectum aliquod ſpirituale, quale tamen non eſt opus externum ex imperio charitatis factum.

Vlt.

Obiectio.

Dices, opera externa magis prohiberi, quàm interna, vt patet ex iſtis; *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies*: ergo actui externo ineſt præcisè bonitas vel malitia.

Solutio.

Reſpond. ex iſtis ſolùm poſſe colligi malitiam conuenire per ſe actibus externis, quotieſcumque habent rationem obiecti quod proponitur voluntati, vel vitandum, vel certè acceptandum, quod nos vltrò fatemur; diximus enim actus externos ſpectatos, vt ſunt in apprehenſione, & vt habent rationem obiecti, quod proponitur volun-

Digitized by Google

rati eſſe verè bonos, vel malos, ſinè vlla dependentia ab internis; ſecus tamen dicendum eſt de externis, quatenus conſiderantur, vt vnà cum actu interno complent & perficiunt, vel vnum numero peccatum, vel certè vnum numero bonum opus; qua tamen ratione conſiderantur à nobis in hac Concluſione actus humani, ſeu, quod idem eſt, deliberati. Vide plura de iſtis apud recentiores.

ARTICVLO 2. docet bonitatem vel malitiam in actibus externis totam eſſe deſumendam à bonitate, vel malitia, quæ datur in actibus internis: quod tamen moneo eſſe intelligendum de bonitate vel malitia formali actus exterioris; nam bonitas, vel malitia obiectiua cuiuſlibet actus externi ſumenda eſt ab obiecto, prout reſpicit præceptum vel legem ſuperioris, vt explicatum fuit quæſt. 18. art. 1.

ARTICVLVS TERTIVS.

An eadem ſit bonitas & malitia actus interioris, & exterioris.

Notabile 1. VT difficultas hæc intelligatur. Aduerte actus internos, & externos tam bonos, quàm malos conſiderari à nobis vt proximè, & immediatè inter ſe coniunguntur; nam ſi ſpectentur vt ab inuicem ſimpliciter ſeparati, certum eſt aliam eſſe bonitatẽ, & malitiam actus interioris, & exterioris, vt conſtat ex eo qui vult ſola cogitatione occidere, & ſublata iſta, poſtea de facto occidit. Hæc actualis occiſio cùm nullam dicat connexionem cùm voluntate occidendi, quæ ex hypotheſi omni ex parte ſublata eſt, ità vt neque ſit formaliter, neque virtute; admittendæ igitur ſunt duæ malitiæ neceſſariò inter ſe diſtinctæ numero: idem dicendum eſt de eo qui vult dare eleemoſynam, & extincta iſta voluntate ſimpliciter, ex alia voluntate de facto dat eleemoſynam, duæ ſunt neceſſariò admittendæ bonitates; vna quæ conſequitur actum internum, alia verò quæ exteriorem, coniunctum cum voluntate interiori, diſtincta realiter à priore voluntate de danda eleemoſyna.

Notabile 2. Aduerte 2. bonitatem vel malitiam quæ conuenit actibus internis, & externis, aliam eſſe eſſentialem, qualis eſt ea, quæ petitur ab obiectis cuiuſlibet actus humani: Altera verò eſt accidentalis, cuius generis cenſetur eſſe ea, quæ conuenit actibus humanis dependenter à fine, qui intenditur ab operante, vel à circumſtantia aliqua. Quando ergo quærimus hoc loco, an eadem ſit bonitas & malitia actus interioris, & exterioris, hoc venit explicandum, de omni malitia & bonitate quæ debetur actibus internis, & externis humanis: quatenus tamen coniunguntur inter ſe immediatè, ità vt actus internus ordinetur ad externum, & externus ſimiliter ad internum: quare debent iſti duo inter ſe coniungi proximè, & immediatè, ſaltem in genere moris: quod dico, quia in genere entis non eſt neceſſe, quòd coniungantur inter ſe proximè & immediatè, ſed tantùm moraliter loquendo.

Actus interioris & exterioris eadẽ bonitas. CONCLVSIO 1. *Eadem eſt bonitas actus humani exterioris, & interioris.* Primùm, quia nulla datur bonitas in actu externo, diuerſa ab ea, quæ reperitur in actu interiori, loquimur enim de bonitate morali, quæ intrinſecè pendet à voluntate liberè operante, & à conformitate, quæ datur inter actum humanum & obiectum eiuſdem, prout eſt conforme legi, & præcepto ſuperioris: hæc autem omnia conſequuntur formaliter, & intrinſecè ſolos actus internos voluntatis, extrinſecè verò externos eiuſdem.

Deinde, meritum & demeritum conſequuntur tantùm actus morales, ex doctrina D. Thom. quæſt. 21 huius part. at meritum & demeritum reperiuntur maximè, in actibus internis voluntatis noſtræ; nam operationes exteriores cenſentur meritoriæ, vel demeritoriæ dependenter ab actibus internis liberis. 2.

Tertiò, eadem eſt libertas, idem planè motiuum, eadem rectitudo, ſeu conformitas ad legem, ſeu præceptum ſuperioris actus exterioris & interioris: ergo eadem quoque erit bonitas, vel malitia. Ità Bouentura, locis ſupra citatis, & communiter Thomiſtæ hoc loco. 3.

Obiectio. Obiicies, vnam & eamdem numero formam non poſſe reperiri in duobus ſubiectis realiter inter ſe diſtinctis; bonitas autem vel malitia dicitur de actibus internis, qui tamen diſtinguuntur inter ſe realiter.

Solutio. Reſpond. bonitatem & malitiam dici de ſolis actibus internis intrinſecè, extrinſecè verò de actibus exterioribus; hoc autem fieri poſſe indubitatum eſt apud omnes: ità enim forma à qua denominatur iſta, eſt in vno tantùm ſubiecto per modum informationis, in alio verò per modum denominationis extrinſecæ.

Obiectio 2. Obiicies 2. actum externum eſſe cauſam interioris; nam ex doctrina D. Thom. externus eſt quodammodo obiectum interioris, actus item internus eſt quaſi cauſa effectiua exterioris; idem autem nequit eſſe cauſa ſui ipſius: igitur bonitas vel malitia non eſt eadem in actu interiori & exteriori.

Solutio. Reſpond. non eſſe abſurdum fateri vnum & idem poſſe eſſe cauſam ſuiipſius, ſi tamen ſpectetur diuerſa ratione, vt patet exemplo humanitatis Chriſti; hæc enim ſpectata in eſſe actualis exiſtentiæ, quam habet in ſeipſa, eſt cauſa ſuiipſius, prout exiſtit in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento: de fide namque eſt Chriſtum eſſe cauſam omnium ſacramentorum; non erit ergo mirum actum externum produci ab interiori in ratione cauſæ quodammodo efficientis, & eumdem actum externum producere interiorem in ratione tantùm obiecti, ſeu, quod idem eſt, eo modo, quo obiectum cenſetur eſſe cauſa actus, qui reſpicit huiuſmodi obiectum.

Corollariũ. Ex iſtis colligo, actum internum, & externum proximè & immediatè coiunctum, non eſſe duo peccata numero diſtincta. Primùm, quia diximus eamdem eſſe malitiam actus interioris, & exterioris.

Deinde, nomina ſubſtantiua nuſquam dicuntur in plurali de vna & eadem numero re, niſi forma ſignificata per huiuſmodi nomen fuerit multiplicata in illa eadem re, vt patet ex deitate, æternitate, omnipotentia, & ex alijs multis, quæ non dicuntur eſſe plura in Deo: at malitia non multiplicatur in actu interno, & externo; ſed eſt vna & eadem numero: ergo actus internus, & externus, non ſunt duo peccata numero diſtincta.

Tertiò, actus internus & externus complent vnam, & eamdem totalem malitiam, ità vt internus

nus ordinetur ad externum, veluti in ſuum obiectum in quo perficitur, & completur malitia tota actus interioris. Ità docent D. Thom. in 2. diſt. 42. quæſt. 1. art. 1. Capreolus, Richardus, Durand. ibidem & alij.

ARTICVLVS QVARTVS.

An bonitas vel malitia actus exterioris addat aliquid ſupra bonitatem, & malitiam actus interioris.

1. RATIO dubitandi eſt, quia D. Auguſtinus lib. 13. cap. 5. de Trinitate, ait, hominem fieri miſerum mala voluntate, deteriorem verò quotieſcumque malam iſtam voluntatem ad effectum reuocat.

2. Deinde, præceptis ſexto & ſeptimo decalogi prohibetur actus externus furandi, & mœchandi; *Non furtum facies, Non mœchaberis*: nono verò, & decimo ſoli actus interioris, *Non concupiſces vxorem proximi tui*, &c. argumento igitur eſt malitiam externam addere aliquid ſupra interiorem.

3. Denique, ſi actus externus malus nihil addit ſupra malitiam interioris, hic non eſt in confeſſione manifeſtandus; ſola etenim peccata ſunt aperienda in confeſſione ſacramentali: at experientia docet actus externos malos deduci ad forum penitentiç, & illic recitari ſecundum ſuas circumſtantias: ergo ſignum eſt addere aliquid malitiç actibus interioribus.

Actus externus non addit bonitatem actui interiori.

CONCLVSIO 1. *Actus externus malus vel bonus nihil addit ſupra bonitatem & malitiam interioris, quando inter ſe coniunguntur immediatè.* Primùm, quia dixi nullam dari bonitatem, aut malitiam in actu exteriori, diuerſam ab ea, quæ reperitur in interiori.

1.

2. Deinde, nulla poteſt de nouo dari bonitas, aut malitia, niſi detur etiam noua libertas, & noua aduertentia ad regulam, ſeu legem ſuperioris: at in actu externo coniuncto cum interno non datur noua libertas, neque aduertentia ad legem ſuperioris, ſed ea ſola quæ reperitur in actu interno.

3. Tertiò, ratio meriti petitur à gratia quæ datur, & à maiori vel minori conatu cum quo operatur quis actum meritorium: at hæc intrinſeca ſunt tantùm actioni interiori, & ſola denominatione extrinſeca dicuntur de exteriori: ergo actus externus minimè addit ſupra bonitatem vel malitiam actus interioris.

Eadem ratione meritorius actus ſolus internus ſeclusò externo.

CONCLVSIO 2. *Actus internus non eſt meritorius, aut demeritorius apud Deum quando non coniungitur externo, quàm quando eidem coniungitur, ſaltem in eo caſu, in quo voluntas voluit efficaciter producere actum externum, neque tamen id præſtare potuit in potentia aliqua naturali, aut etiam violenta extrinſeca.* Probatur hæc Concluſio, primùm de bonis operibus, ex cap. 8. 2. Corinth. *Vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ità ſit & perficiendi ex eo quod habetis*; ſenſus ſiquidem iſtius loci eſt, voluntas veſtra bona, eſt minus grata & accepta Deo, quando pauca opera exercetis vbi plura exercere potuiſtis, vt docent Patres ad hunc locum Theodoret. & Hieronym. D. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio, cap. 1. & epiſt. 49. ad Deo gratias quæſt. 3. Chryſoſt. ad cap. 26. Matth. Gregor. homil. 5. in Euangelia, Bernard. epiſt. 77. ad Richard. à S. Victore: eamdem admittit loci huius interpretationem Paulinus.

1. Cor. 8. verſ. 11.

Theodor. Hierony. D. Auguſt.

Chryſoſt. Gregor. Bernard.

Deinde, hoc idem comprobatur ex cap. 22. Geneſ. oblatio namque vnici filij facta ab Abrahamo, non minùs commendatur apud Deum, etſi ſola voluntate interiore fuerit peracta, quàm ſi de facto opere externo fuiſſet conſummata: largitio item duorum denariorum anteponitur largitioni factæ à principibus ludæorum etiamſi ſumma ab iſtis data eſſet multis partibus maior. *Luc.* 22. Diua item Virgo nec martyrium nomine Chriſti ſuſtinuit, nec Euangelium in toto orbe prædicauit, nec ſacramenta adminiſtrauit, vt Apoſtoli, & tamen ſupra modum cenſetur eſſe beatior, ex communi doctrina ſanctorum Patrum.

De actibus verò malis eadem Concluſio probatur, ex cap. *Si cui*, de penitentia, diſt. 1. dicitur enim illic eum qui voluit adulterium committere, ex impotentia tamen minimè ſubſequutum fuit, non minùs eſſe reum adulterij, quàm ſi de facto admiſiſſet; & idem colligitur ex cap. *Si propterea*, eadem diſt. Deinde, SS. Patres docent opera externa non eſſe peccata niſi fuerint à voluntate liberè operante facta; ità Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. & Anſelmus lib. de conceptu virginali cap. 4. D. Thom. quæſt. 2. de malo, art. 2. ad 8. ait externum actum non habere rationem culpæ, vel meriti, niſi propter hoc, quod eſt à voluntate. Denique, hoc colligitur ex variis Scripturæ ſacræ teſtimoniis, in quibus dicitur eum eſſe verè reum peccati fornicationis, qui ſolùm de illa, aut de adulterio cogitauit, cuius generis eſt illud Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes*, & alibi. *Quicumque viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* ità authores ſupra citati.

Matth. 15. verſ. 19. Idem 5. verſ. 28.

Obiectio 1.

Obiicies, cum qui patitur, plus mereri quàm is, qui ſola voluntate vult pro Chriſto mori, nam illi debetur aureola martyrij, huic verò minimè.

1.

Deinde, qui attritus conſequitur ſacramentum penitentiæ, iuſtificatur à peccatis mortalibus commiſſis; minimè verò ille qui non conſequitur ſacramentum huiuſmodi; etiamſi exerceat actum attritionis, & cupiat vehementiſſimè conſequi.

2.

Denique, qui in ſtatu excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti ſacramentum aliquod extra caſum extremę neceſſitatis adminiſtrat, peccat mortaliter, & fit irregularis: minimè verò is qui ſola cogitatione tractat de ſacramentis adminiſtrandis: ergo actus externus addit aliquid ſupra bonitatem & malitiam interioris.

3.

Diſſoluitur

Reſpond. 1. Operationes externas eſſe in duplici differentia; aliæ namque ſunt quæ ſuos effectus conſequuntur ex opere operato; aliæ verò ex opere operantis tantùm: de iſtis intelligenda eſt noſtra Concluſio, non autem de alijs, vt bene probat obiectio. Addo tamen non deeſſe, qui putent martyrij aureolam debitam eſſe nedum ei qui de facto patitur propter Chriſtum; ſed etiam ei qui ſola voluntate cupit mortem ſuſtinere pro Chriſto, ſaltem in eo caſu, quo voluntas iſtius æquè efficax eſt, atque illius, qui de facto patitur propter Chriſtum. Ità ſentiunt

Digitized by Google

Hieronymus in lib. contra Vigilantium, vbi ait Deum in martyribus ſolam voluntatem coronare. Fauet iſtis, quòd Eccleſia cantat in Officio de S Martino: *O ſanctiſſima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit*, & quòd eadem Eccleſia referat inter martyres Dimum Marcellum Pontificem, & Felicem, quos tamen certum eſt non obijſſe morte violenta.

Ceterùm, reſponſio hæc non admittitur communiter; certum enim eſt aliud eſſe præmium eſſentiale debitum operibus noſtris, aliud accidentale: primum poſitum eſt in manifeſtatione eſſentiæ Dei tanta, vel non tanta, ſeu, quod idem eſt, æquali, vel inæquali; hæc verò dicit collationem alicuius doni, quod minimè pertinet ad bonitatem eſſentialem: reſpectu ergo primi præmij debiti martyribus, probat argumentum hoc, eos qui non patiuntur pro Chriſto remunerari tamen in cœlis, poſita ſola voluntate merendi pro Chriſto; non autem reſpectu præmij ſecundarij, hoc enim ſolis illis datur, qui de facto vitam cum morte commutant in odium Chriſti dependenter à tyrannis è quibus occiduntur.

Sunt & qui aliter reſpondeant, aureolam non deberi martyribus veluti præmium aliquod, ſed tantùm quaſi priuilegium diuina libertate conſtitutum actui martyrij: de qua re vide Peſant. ad hunc articulum.

Obiectio alia. Obiicies, ſi actus externus nihil adderet ſupra bonitatem actus interioris, ſequeretur Chriſtum non meruiſſe vitam æternam per mortem, neque inſtitutionem ſacramentorum per lateris apertionem; cuius tamen oppoſitum docent SS. Patres, itémque Scripturæ. Confirmant: Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis voluit verè mori, & item ſibi latus aperiri in generis humani redemptionem, ex communi doctrina: ergo actus externus confert aliquid actui interno.

Solutio. Reſpond. mortem Chriſti, & lateris apertionem eiuſdem ideò extitiſſe meritoriam in Chriſto, non præcisè quia mors, auf apertio hæc fuit; ſed quia fuerunt hæc duo verè coniuncta cum actu interno voluntatis Chriſti de morte ſuſtinenda, & item de acceptanda lateris apertione ſibi illata, & ab ipſomet ordinata in generi, humani reparationem: quare nedum redemptio huiuſmodi, & ſacramentorum inſtitutio, debetur morti, & apertioni lateris eiuſdem; ſed etiam illi primo actui, quo ſtatim atque fuit incarnatus, voluit mori nomine quorumcumque hominum.

Soluuntur rationes dubitandi. Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. D. Auguſtinum eo in loco diſputare de eo, quod interdum contingit; non autem de eo, quod accidit vt plurimum: contendit ergo eum fieri 1. deteriorem, qui malam adimplet voluntatem: peruerſum verò, ſeu malum, qui intendit malitiam quando actus internus non dicit connexionem immediatam cum opere externo: in hoc ſiquidem caſu certum eſt opus externum intendere internum; accedente namque actu exteriore ſe ſuitur intenſio quædam in interiore, ſaltem interdum, & aliquando; nos autem loquimur de actibus externis præcisè, & omnibus perſpectis, & paribus obſeruatis.

2. Ad 2. præceptis iſtis: *Non furtum facies*, *Non mœchaberis*, prohiberi actus tam internos quàm externos; nono verò & decimo præceptis decalogi, ſolos actus internos furti & mœchiæ, idque ne quis ſibi perſuaderet actus internos furti & mœchiæ eſſe tantùm prohibitos, quando coniunguntur cum externis. Propterea autem actus externi furti & adulterij magis prohibentur, quàm interni, ex opinione quorumdam, quia plus nocent proximo, quàm interni; & idem dicendum eſt de ceteris præceptis, quæ verſantur circa proximum; actio quippe interna, vt ſic, nocet tantùm operanti, externa verò inſuper obeſt proximo, vt conſtat exoccisione circa illum commiſſa.

Ad vltimum, actum externum ideò manifeſtandum eſſe in confeſſione, quòd ex actu externo, & interno conſurgat vnum numero peccatum mortale: certum autem eſt quòdlibet peccatum mortale deducendum eſſe ad forum penitentiæ, ſaltè ſi ſermo ſit de peccato mortali actuali commiſſo, poſt baptiſmum. Deinde, quia penitenti iniungenda eſt debita ſatisfactio, quod tamen ſacerdos nequit præſtare, niſi poſita manifeſtatione operis exterioris; opus enim externum ſolum inducit reatum, & obligationem ad ſatisfaciendum proximo, maximè vbi agitur de re ab eodem oblata. 3.

Corollaria. Ex dictis colligo primùm, qua ratione intelligendus ſit locus ille D. Auguſtini citatus à Gratiano, de penitentia, diſt. 1. cap. *Magna: Votum*, inquit, *pro opere habetur*. Dico ergo hæc interpretanda eſſe tam de bonis, quàm malis deſideriis, ità vt hæc reputentur quaſi opere externo conſummata quotieſcumque voluntas fuit efficax; ac proinde factum externum, non fuit ſubſequutum ſola impotentia naturali, vel violentia quadam externa. Primùm, quia ità tradit gloſſa illic. Deinde, quia diximus voluntatem reputari pro facto, quotieſcumque factum non ſubſequitur ex impotentia, vel ex impedimento aliquo externo violento. Accedit, quòd hæc ſit mens aperta D. Auguſtini epiſt. 49. & Bernard. epiſt. 77. *Quid*, inquit, *planius quàm quod voluntas pro facto reputetur? vbi factum excludit neceſſitas.* & Gregorius homil. 5. in Euangelia, in huius doctrinæ confirmationem ſic loquitur: *Ante Dei namque oculos nunquam eſt vacua manus à munere, ſi fuerit arca cordis bona voluntate repleta.* D. Auguſt. Bernard. Gregor.

Corollarium 2. Colligo 2. quid ſentiendum ſit de opere externo non imperato à voluntate, ſed tantùm permiſſo. Dico igitur, actum hunc permiſſum, nec augere bonitatem, nec malitiam interioris; ità enim docent verbis expreſſis plerique Nominales, maximè Almaïnus tractat. 3. moral. cap. 18. Deinde, actus externus permiſſus, minimè verò volitus à voluntate directè aut indirectè, non confert nouam libertatem actui interno voluntatis: ergo poteſt augere eius bonitatem vel malitiam; bonitas namque & malitia noua, nouam præſupponit libertatem. Rurſus, bonitas vel malitia actus interioris tota ſumenda eſt, ex eo actu quo voluntas voluit præmittere, non autem impedire permiſſionem iſtam, quando potuit & debuit: at volitio iſta interna nihil habet commune cum opere externo, quod poſtea ſubſequitur.

Corol. 3. Colligo tandem, actus externos, qui conſequuntur ex voluntate interiore mala, retractata tamen per veram penitentiam, non imputari alicui ad culpam; præſertim, quia in actionibus externis nulla datur malitia diuerſa ab ea, quæ reperitur in internis, vt docuimus; at ſupponimus actum

actum internum eſſe cumulatiſſimè retractatum per pœnitentiam: ergo actus externus non poterit eſſe malus. Deinde, ſi res aliter ſe haberet, ſequeretur vnum & eumdem ſimul & ſemel eſſe Deo gratum & ingratum, habere ius ad vitam æternam & non habere; nam poſito opere externo, quod ſubſequitur ex voluntate mala emendata per pœnitentiam, medio iſto actu externo, notatur quis de peccato mortali, ex hypotheſi: & poſita pœnitentia actus interni, qui ex ſuppoſitione eſt cauſa iſtius operis exterioris, homo cenſetur eſſe Deo gratus & acceptus: at illationes iſtæ defendi à nullo poſſunt: ità Sotus in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 7. & plerique alij recentiores.

Obiectio. Dices, ſi ita res ſe haberet ſequeretur, eum qui mandauit alicui vt Socratem occideret non eſſe reum homicidij, ſi antequàm occideretur, debitam agat pœnitentiam mandator iſtius homicidij de hoc peccato, præſertim ſi retractationem ſuæ voluntatis mandatario ſignificauerit, cuius tamen oppoſitum docet praxis quotidiana; Iudex namque poſito homicidio non minùs vlciſcitur delictum in mandatore, quàm in mandatario; ſequeretur item eum non peccare, qui prætermittit recitationem Breuiarij, poſita pœnitentia de voluntate, qua Breuiarium data opera in mare proiecit, & aliud, ex hypotheſi, habere nequit.

Solutio. Reſpond. mandatorem homicidij hac in hypotheſi minimè eſſe reum homicidij commiſſi, idque propter cauſas ſuperius allegatas in confirmationem noſtræ ſententiæ. Neque verò oppoſitum colligitur ex eo, quòd Magiſtratus nedùm animaduertat in mandatarium, ſed etiam in mandatorem; habet quippe ius de lege communi emendare delicta aliàs commiſſa, eſto delicta iſta fuerint condonata in foro Dei, ſeu pœnitentiæ; certum autem eſt mandatorem peccaſſe peccato homicidij, quotieſcumque fecit facultatem alteri vt Socratem occideret nomine ſuo. Deinde, Magiſtratus nedum emendat delicta, quia peccata ſunt, ſed multo magis quia Reip. nocent, turbántque pacem & eiuſdem tranquillitatem.

Ad id verò quod dicitur de eo qui Breuiarij recitationem prætermittit. Reſp. eum minimè peccare, ſi nullum aliud habeat, aut habere poſſit. Omnis enim qui emendauerit per veram pœnitentiam, proiectionem Breuiarij factam in mari, ne poſtea illud recitaret, excuſatur à peccato ratione neceſſitatis: Docent enim communiter Theologi omnes in tractat. de pœnitentia, eam eſſe vim illius, vt omnem omnino culpam perfectiſſimè tollat. Deinde, illud eſt axioma communiſſimum, neminem peccare in ijs quæ vitare non poteſt, ſupponimus autem iſtum non poſſe habere copiam alterius Breuiarij.

ARTICVLO 5. docet effectum qui conſequitur actum humanum augere bonitatem vel malitiam illius, modò tamen effectus hic fuerit præmiſſus ab eo, qui exercuit huiuſmodi actum humanum, ſecus verò minimè: de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm conueniat inter omnes circumſtantias actus humani, augere, vel minuere bonitatem vel malitiam: effectus autem hic qui ex hypotheſi conſequitur actum humanum, habet rationem circumſtantiæ eiuſdem; ſupponimus enim quod fuerit præmiſſus ab eo, qui hunc exercuit. Deinde, quod non eſt expreſsè, aut virtute volitum, non poteſt augere bonitatem, vel malitiam alicuius actus humani; at D. Thom. ſupponit effectum qui conſequitur actum humanum non eſſe præcognitum: ergo non poterit hic intendere malitiam aut bonitatem actus humani, bene tamen quando hic effectus erit præmiſſus, aut directè, aut indirectè, ob oppoſitam rationem.

ARTICVLO VLTIMO. docet eumdem numero actum humanum materialiter ſpectatum poſſe ex malo fieri bonum, aut contra. Ceterùm res hæc fuit à nobis in antecedentibus explicata.

QVÆSTIO XXI.

NOTA eſt de ijs quæ ſequuntur actus humanos, habétque quatuor Articulos.

In quorum primo docet rectitudinem vel obliquitatem conſequi quoſlibet actus humanos bonos, & malos.

ARTICVLO 2. bonum & malum in ſolis actibus humanis conſtituere rationem laudabilis, aut vituperabilis.

ARTICVLO 3. actum humanum eſſe meritorium aut demeritorium.

ARTICVLO VLTIMO, actum humanum eſſe meritorium vel demeritorium, reſpectu Dei remunerantis, aut vlciſcentis actus bonos & turpes.

Circa hanc quæſtionem hæc vnica difficultas examinatur à Theologis, *Quæ, & quot ſint proprietates actus humani.* Reſpondetur eſſe ſex, *Rectitudinem, ſcilicet, obliquitatem, laudabilitatem, & vituperabilitatem, meritum, & demeritum.* Sunt qui addant duas, meritum & demeritum reſpectu Dei: Ceterùm hæ continentur in duabus poſtremis; tres competunt actibus bonis humanis, rectitudo ſcilicet, laus, & meritum; tres verò aliæ actibus vitioſis & malis, obliquitas nempe, vituperium & demeritum: Ità docet D. Thom. artic. 1. 2. & 3. huius quæſtionis, Conradus, & alij. *Sex proprietates actus humani.*

Accedit ratio: Quilibet actus bonus humanus, hoc ipſo quòd reſpiciat obiectum bonitate obiectiua morali bonum, ac proinde prout poſtulat ratio præcepti vel legis eſt neceſſariò rectus; debitè quippe tendit in ſuum obiectum; eſt etiam laudabilis, quia cuilibet operi conformi præcepto, & legi ſuperioris libero, debetur laus; aliqua, & præmiũ ſi opus hoc fuerit factũ à viatore in gratia, & charitate conſtituto, vt docet Tridentinum, & communiter omnes Catholici: ergo cuilibet item operi malo, prout reſpicit obiectum malitia obiectiua malum, debetur etiam obliquitas; non enim tendit in ſuum obiectũ conformiter præcepto, ſed contra rationem præcepti; debetur etiam eidem vituperium, cùm opus hoc ſit turpe, & inhoneſtum, & verè opus hoc demeritorium eſt pœnæ vel æternæ, vel temporalis, cùm operi malo facto à viatore libere reſpondeat pœna aliqua, vel æterna, vel temporalis: ergo tres proprietates conueniunt actibus bonis, & tres malis.

Obiectio. Dices, docuiſſe nos extare aliquos actus humanos indifferentes.

Solutio. Reſpond. doctrinam huius quæſt. D. Thom. intelligendam eſſe de quibuſuis actibus humanis bonis vel malis ſpectatis præcisè in genere moris, non autem in genere entis; qua ratione docuimus actus aliquos humanos indifferentes extare.

Obiectio. Obijcies, proprietates præſupponere naturam conſtitutam in ratione naturæ & eſſentiæ; rectitudo autem, & obliquitas, ſunt idem planè cum bonitate & malitia in actibus humanis bonis & malis.

Solutio. Reſp. bonitatem & rectitudinem, malitiam & obliquitatem non diſtingui inter ſe realiter in actibus humanis, ſed tantùm ſecundum noſtrum modum concipiendi; prius namque eſt actum humanum eſſe bonum, quàm eumdem eſſe actum, ſaltem ſecundum noſtrum modum concipiendi; nos enim concipimus bonitatem eorumdem eſſe poſitam in habitudine, quæ datur in iſtis actibus ad ſua obiecta bonitate obiectiua bona, & ad legem ſeu præceptum ſuperioris; hæc autem bonitas habet neceſſariò adiunctam rectitudinem, quæ proinde nuncupatur à nobis proprietas cuiuſlibet actus humani boni, quia ſe habet ad iſtos illa eadem ratione, qua riſibile ſe habet ad hominem.

A quæſtione verò 22. ad 49. vſque, diſſerit D. Thom. de paſſionibus.

A quæſt. verò 49. ad 54. de habitibus in communi. A 55. ad 57. de virtutibus in communi.

A 68. ad 69. & 70. de donis Spiritus ſancti, de octo beatitudinibus, de fructibus Spiritus ſancti.

Ceterùm de paſſionibus diſputant Philoſophi in lib. de anima: de virtutibus verò, & habitibus in Moralibus; quare hæc à nobis prætermittuntur. De donis verò Spiritus ſancti legendus eſt D. Thomas; res ſiquidem iſtæ ſunt quàm maximè faciles, & explicatæ apud eumdem: Si quis tamen deſiderat accuratas de paſſionibus legere controuerſias, videat Gregor. de Valentia diſp. 3. ad hanc D. Thom. part. de habitibus verò & virtutibus Gabrielem Vazquez, à diſp. 78. ad 89. vſque, & Curiel lectura 5. ad hanc part. D. Thomæ.

QVÆSTIO

QVÆSTIO SEPTVAGESIMA PRIMA, DE VITIIS, ET PECCATIS.

PROOEMIVM.

PERACTIS disputationibus de Beatitudine, Actibus humanis, & Virtutibus in communi, aggreditur Diuus Thomas tractationem de Vitijs & Peccatis, idque meritò; cùm enim hæc opponantur virtutibus, & oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant, nullibi commodiùs potuiſſet de iſtis diſputare: Tractatio autem hæc ſeptem partibus abſoluitur. Prima, naturam & eſſentiam peccati inueſtigat. 2. diuiſionem eiuſdem. 3. comparationem. 4. ſubſtantiam. 5. cauſas. 6. effectus; & quia inter effectus peccati, computatur communiter reatus ad pœnam; & peccatum veniale, & mortale diſtinguuntur penès reatum, ideò poſtrema pars agit de peccato veniali, & mortali. Hæc autem omnia perficit ſanctus Doctor à quæſt. 71. ad 89. vſque incluſiuè. Porrò iſta non habent certam ſedem apud Magiſtrum Sententiarum; Diſtinctione ſiquidem 21. lib. 2. diſſerit de peccato primorum parentum: Diſtinctione verò 33. de peccato originali: Diſtinctione 34. de peccato actuali, & de voluntate prout huius eſt cauſa. Denique Diſtinctione 35. diſputat de quidditate peccati, & vlteriùs, qua ratione natura peccati reperiatur tam in actibus externis, quàm internis: vbi etiam Sententiarij cum ipſo.

ARTICVLVS PRIMVS.

An vitium opponatur virtuti.

ANTEQVAM Dubitatio iſta explicetur. Aduerte nomine virtutis, ſignificari hoc loco qualitatem aliquam bonam mentis, qua bene viuitur, & nemo malè vtitur, & quam Deus in nobis ſinè nobis operatur, ex D. Thom. quæſt. 55. art. 4. in corpore huius partis. Ex Ariſtotele verò virtus cenſetur eſſe habitus electiuus in mediocritate conſiſtens, faciens eos laudabiles in quibus eſt. *Virtutis definitio.* D. Thom.

Ceterùm, prior illa definitio videtur potiùs eſſe vſurpanda, idque quòd conueniat nedum habitibus per ſe acquiſitis, ſed etiam per ſe infuſis, quibus vitium in communi ſumptum opponitur, vt conſtat ex dicendis inferius.

Aduerte 2. vitium, peccatum, & malitiam non vſurpari pro vno & eodem, hoc loco; nam licèt nomine vitij ſignificetur quilibet actus vitioſus turpis, & inhoneſtus communiter; in hoc tamen Art. nomine vitij non ſignificatur actus vitioſus, ſed ſolus habitus turpis, & inhoneſtus; nomine verò peccati ſignificatur hoc loco, actus quilibet deformis & contrarius præcepto, ſeu legi ſuperioris, non autem macula peccati, quæ communiter dicitur peccatum habituale; neque item ſignificatur reatus, ſeu, quod idem eſt, obligatio ad pœnam, licèt vt plurimum reatus hic dohetur nomine peccati apud Doctores Scholaſticos. Neque præterea intelligitur nomine peccati culpa omiſſionis, aut etiam quidditas peccati in communi ſumpti. Nomine denique malitiæ intelligit D. Thom. hoc loco, id quod conſequitur vitium & peccatum, iuxta ſignificationes vitij & peccati à nobis poſitas, & conſequenter quærit D. Thomas, *An habitus vitioſus, itémque actus peccati, & ea quæ conſequuntur habitum vitioſum & actus peccati opponantur virtuti, de qua re ſit* *Vitium & malitia non ſunt idem.*

CONCLVSIO 1. *Habitus vitioſi opponuntur virtuti ſecundum id quod conuenit eidem per ſe, & directè, ac proinde & ſecundum bonitatem quæ eſt de intrinſeca ratione virtutis:* ità D. Thom. in corpore art. & communiter interpretes eiuſdem. *Habitus vitioſi oppoſuntur virtuti.*

D. Thom. 2. Deinde, quod conuenit regulæ rectæ rationis, vt sic, contrariatur ei quod est disconueniens rectæ rationi, at virtus conuenit cum regula recta; allicit enim ex se, & quatenus talis, eum in quo est, ad actus honestos exercendos, & ad turpes euitandos, ex doctrina communi Peripateticorum & Theologorum: habitus autem vitiosus est disconueniens regulę rectę rationis; inducit enim eum omnem in quo est, ad actus turpes & inhonestos exercendos, similiter omnium consensu.

Tertiò, cuilibet actui vitioso debetur vituperium, & pœna, vt & cuilibet actui honesto laus, & præmium: ergo cùm actus isti habeant ortum ab habitibus diuersis, & actus isti retineant inter se oppositionem, concedendum erit de habitibus quòd opponantur etiam inter se aliqua ratione.

Peccatum aduersatur virtuti.

CONCLVSIO 2. *Peccatum opponitur virtuti secundum illos actus ad quos ipsa inclinat* Primùm, quia ità docet D. Thom. loco proximè citato, & interpretes eiusdem.

Deinde, nomine peccati significatur actus cuilibet præcepto & legi superioris contrarius; at actus ad quos inclinat virtus sunt omnes præcepto & legi superioris conformes: ergo peccatum illi opponitur secundum actus adquos ipsa inclinat.

Malitia opponitur virtuti.

CONCLVSIO VLTIMA. *Malitia opponitur virtuti secundum bonitatem, quæ in ea datur.* Ità Thomistæ cum D. Thom. hoc loco.

Deinde, malitia aliter opponitur virtuti quàm vitium & peccatum, ex D. Thom. in corp. art. at vitium opponitur virtuti secundum bonitatem seu perfectionem, quæ in ea datur essentialiter; peccatum verò secundum actus ad quos inclinat ipsa virtus: ergo malitia opponetur virtuti secundum ea quæ dantur in ea consequenter.

Varie explicatur Conclusio à Doctoribus.

Licèt autem Conclusio hæc vltima admittatur ab omnibus interpretibus D. Thom. non tamen vna & eadem ratione ab omnibus intelligitur: nam Caietanus propterea vult malitiam opponi virtuti secundum bonitatem, quæ in ea datur consequenter, quia putas bonitatem istam in virtute habere rationem attributi generici; credit namque attributum genericum dici de suis inferioribus, non in primo modo dicendi per se, sed in secundo, ac proinde malitia opponitur ex cõsequenti virtuti. Verùm subtilitas ista impugnatur multis à Vazq. hoc loco, & quidem meritò; nam omne attributum essentiale, & superius dicitur de suis inferioribus in primo modo dicendi per se, ex doctrina communi Logicorum; bonitas autem ista cui opponitur malitia datur in virtute tamquam attributum superius ex Caietano: ergo.

Alij distinguunt duplicem bonitatem in virtute, alteram putant conuenire virtuti, quatenus est operatiua boni; alteram quatenus hæc eadem est dispositio, quæ bene afficit eum in quo est, ad hoc vt conformiter regulæ rectæ rationis operetur: primam putant conuenire virtuti consequenter; posteriorem autem ex se & sua natura, seu, quod idem est, primò & per se: quare docent malitiam opponi consequenter virtuti in ordine ad primam illam bonitatem. Ità Conradus, Medina, Herrera & alij plerique Thomistæ.

Ceterùm doctrina hæc nequit consistere cum documentis D. Thom. hic enim art. 2. quæst. 55. huius partis verbis expressis docet virtutem esse per se operatiuam boni. Deinde, quemadmodum vitium quodlibet ex se inclinat ad malum operandum, ità & de qualibet virtute constituendum est quòd moueat eum in quo est ad bene operandum, & quidem per se, & sua natura. Tertiò, nulla virtus est conueniens subiecto cui inest, saltem ex doctrina Vazq. hoc loco, nisi quatenus conueniens est subiecto, & quoad mouet hoc ad bene operandum; quod tamen moneo intelligendum esse de virtute respectu actus primi, non autem respectu secundi.

Vazquez explicatio.

Vazquez verò propterea existimat malitiam opponi virtuti consequenter, quòd hæc opponatur inadæquatè, & partialiter bonitati, quæ datur in virtute; non autem totaliter & adæquatè: credit enim maltiam eodem modo opponi virtuti quo album visui, ceteris tamen paribus, album autem non opponitur visui totaliter & adæquatè, sed tantùm inadæquatè, nempe ex eo solo capite quod album disgreget visum.

Nõ euacuat difficultat.

Ceterùm doctrina hæc non tollit difficultatem Conclusionis nostræ, nam rationes Vazq. tantùm probant malitiam non opponi virtuti adæquatè, sed tantùm consequenter, de qua tamen re non differit D. Thom. Deinde, inauditum est particulam, *Consequenter*, vsurpari pro partiali & inadæquato. Tertiò, opponit D. Thom. dictionem, *Ex consequenti*, seu, *consequenter*, dictioni, *Directè*, vt colligitur ex his quæ habet in corpore huius Artic. Quis autem dixit aliquando particulam, *Directè*, vsurpari pro totali & adæquato?

Authoris ratio.

Dico igitur propterea malitiam opponi ex consequenti bonitati quæ datur in virtute, non autem per se, quia in virtute datur duplex bonitas, quarum altera conuenit ei per se, altera verò per accidens: Prima censetur esse ea per quam quælibet virtus dicitur esse causa esse boni actus; posterior verò de eadem dicitur, quatenus hæc est conueniens subiecto cui inest. Ità recentiores fere omnes: Probatúrque, quia virtute tot sunt in bonitates admittendæ, quot dantur in ceteris omnibus aliis entibus creatis; sunt enim virtutes omnes, entitates aliquæ veræ & reales productæ: at in aliis rebus creatis datur bonitas essentialis, quæ conuertitur cum natura & essentia earumdem, & consequenter qua conuenit istis primò & per se; & alia accidentalis quæ datur eisdem necessariò consequenter, cùm sit extra naturam & essentiam earumdem: ergo duæ quoque dabuntur bonitates in virtute. Deinde, bonitas cui opponitur malitia in virtute, se habet illo eodem modo, quo passio ad proprium subiectum, ceteris tamen paribus, vel actus secundus ad primum: at passio non pertinet ad naturam & essentiam sui subiecti, sed tantum dicitur de eo accidentaliter, & sic consequenter ad perfectionem quæ conuenit subiecto per se & sua natura: ergo duæ quoque dabuntur in virtute bonitates.

Obiectio.

Dices, omnem bonitatem, quæ datur in virtute pertinere ad eius essentiam.

Solutio.

Respond. hoc esse falsum, cum in virtute detur essentia, & proprietates eiusdem, de quibus tamen omnibus enuntiatur bonitas aliqua: bonitas autem ista consequens, quæ dicitur de virtute nihil aliud est quàm promptitudo, & facilitas bene operandi, quam experitur is qui habet virtutem.

Digitized by Google

ARTICVLVS SECVNDVS.

An vitium sit contra naturam.

Virtutes infusæ nõ sunt homini connaturales sed acquisitæ tantum.

DVo sunt hoc loco explicanda, Alterum, *An virtutes tam per se infusæ, quàm per se acquisitæ possint esse homini connaturales:* Altetum, *An vitium, seu, quod idem est, peccatum, sit contra naturam hominis rationalem, aut etiam sensilem.*

Quod attinet ad primum, *Dico virtutes per se infusas non esse homini connaturales, bene tamen per se acquisitas.* Aduerte virtutes illas censeri per se infusas, quæ à solo Deo producuntur in nobis, veluti à sola causa præcipua, & principali; per se vero acquisitas, quæ ex iteratis, & frequentatis actibus producuntur in nobis; huius generis sunt prudentia, fortitudo, &c. illius vero, fides, spes, charitas, religio, penitentia.

Probatio 1. part.

Probatur prima pars istius documenti: Virtutes istæ sunt ex se & sua natura ordinis supernaturalis, si comparentur cum homine relicto intrà terminos propriæ naturæ: ergo non sunt illi connaturales. Deinde, virtutes per se infusæ perficiunt hominem in ordine ad statum supernaturalem. Tertio, non est in potestate vllius planè creaturæ rationalis spectata secundum sua principia naturalia, producere actum alicuius virtutis per se infusæ, sed desideratur ad id speciale aliquod Dei auxilium, vt definitum fuit in Concil. Milcuitano, Arausicano, & Trident. sess.6. can.4. non sunt ergo virtutes istæ homini connaturales.

2. Part. probatio.

Posterior verò pars probatur: Illud est alicui connaturale, quod potest & de facto attingitur ab eo naturaliter: at quælibet virtus per se acquisita attingitur ab homine naturaliter, comparatur enim hęc à nobis medijs actibus iteratis & frequentatis, ex doctrina Aristotelis in Ethicis.

Deinde, docent communiter omnes cum D.Th. virtutes per se acquisitas esse adiumenta quędam quibus perficitur homo in suis actionibus exercendis. Denique quęlibet virtus moralis perficit hominem in ordine ad finem sibi connaturalem, neque desideratur speciale Dei auxilium ad virtutes istas assequendas, vt probabitur in tract. de gratia: ergo huiusmodi censendę sunt homini connaturales.

Rationes dubitandi.

Quod attinet verò ad secundum: Varia occurrit ratio dubitandi, nam peccata dantur in nobis nedum contra virtutes naturales, sed etiam contra supernaturales.

2. Deinde, peccata carnis diuiduntur communiter in ea quę sunt contra naturam, & secundum naturam.

3. Tertiò, culpæ admittuntur innumeræ ex inclinatione & propensione appetitus sensilis.

4. Denique, principium peccandi in nobis, est voluntas rationalis; hæc autẽ datur in nobis naturaliter: ergo peccatũ omne non est contra naturã.

Præter hæc argumenta non desunt aliqui ex Scholasticis qui docuerint quælibet peccata quæ committuntur à nobis non esse contra naturam sensilem, sed ex motione & impulsu eiusdem. Ità Sotus de natura & gratia, & alij nonnulli recentiores.

CONCLVSIO 1. *Quælibet culpa quæ admittitur à nobis censetur esse contra naturam hominis rationalem, seu, quod idem est, pugnat cum præscripto rectæ rationis.* Primùm, quia peccatum definitur à D. Augustino lib. 22. contra Faustum, cap. 27. & à D. Thom. in hac quæst. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam:* at nomine legis æternæ non significatur in hac definitione sola tantùm constitutio authoris naturę sed etiam quælibet regula rectè agendorum inter quas computatur dictamen rectæ rationis, ex doctrina communi interpretum D.Thom. hoc loco: ergo.

Omnis culpa est cõtra naturam hominis rationalem. D.August. D. Thom.

1.

Deinde, peccatum censetur esse priuatio rectitudinis debitæ inesse actui, vel certè voluntati superiori; ac proinde peccatum contrariatur voluntati superiori hominis, cùm priuet istam perfectione sibi debita.

2.

Tertiò, voluntas rationalis perficitur in suis actionibus exercendis ab habitibus studiosis, qui in ea recipiuntur, tamquam in subiecto.

3.

Denique, quodlibet malum morale est contrarium rectæ rationi, quemadmodum enim virtus moralis, & item quicumque eius actus conuenit cum recta ratione, ità etiam omnis actus vitiosus est disconueniens regulæ rectæ rationis: at omne peccatum, seu vitium est malum morale, vt supponimus (de istis quippe tantùm peccatis hoc loco disceptamus) ergo omne tale erit contra naturam hominis rationalem.

4.

CONCLVSIO 2. *Peccatum, seu vitium aduersatur naturæ hominis sensili, si tamẽ natura ista sensilis accipiatur secundum entitatẽ, quæ ei competit ex se & sua natura, & per consequens præscindẽdo ab imperfectione cum qua coniungitur hac in vnoquoque nostrũ.* Primùm, quia quælibet res propendet & inclinat in bonum totius; imò magis studet conseruationi totius, quàm sui ipsius: at natura sensilis, seu, quod idem est, appetitus sensilis est pars aliqua hominis, vt est per se notum: ergo intendit hæc pars bonum totius hominis, quod est conformiter regulæ rectæ rationis operari, vt docet D.Thomas hoc loco in corp. artic.

Vitium opponitur naturæ sensibili hominis. Probat. 1.

Deinde, appetitus sensilis, itémque propensio eius naturalis sunt à Deo, veluti ab efficiente: at nequit hic producere quidpiam, quod ex se & sua natura tendat in malum; impium siquidem est affirmare Deum esse causam alicuius peccati: ergo.

2.

Denique, obiectum appetitus sensilis, vt sic, est bonum delectabile: at delectari de bono absolutè & simpliciter non est malum, vt conuenit inter omnes: ergo peccatum aduersatur naturę hominis sensibili.

3.

Propterea autem dixi, appetitum sensilem precisum & abstractum ab imperfectione cum quâ coniungitur in nobis operari conformiter regulæ rectæ rationis, quia si spectetur hic vt coniunctis cum ista imperfectione, certum est appetitum sensilem mouere nos, & allicere ad peccandum, vt manifestè colligitur ex Paulo, *Rom. 7.* ità enim de hoc appetitu loquitur: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* & Tridentin. sessione. 5. can. 5. in decreto de peccato originali ait, concupiscentiam quæ manet in baptizatis nuncupari peccatum in sacris litteris, eò quòd alliciat hæc homines ad peccandum. Nomine autem concupiscentiæ intelligit Concilium appetitum sensilem, ceterùm læsum peccato primorum parentum; & fortè hoc tan-

Rom.7. ℣. 23.

Digitized by Google

tùm voluit Sotus, itémque alij quando docuerunt peccata aliqua eſſe in nobis non contra appetitum ſenſilem, ſed ſecundum propenſionem & inclinationem eiuſdem naturalem.

Soluuntur rationes dubitandi.

1. Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad primam, peccata quæ fiunt à nobis contra virtutes ſupernaturales, tam verè eſſe contra naturam rationalem hominis, quàm ſint ea quæ fiunt contra virtutes naturales, vel potius morales: ratio ſiquidem naturalis hominis dictat nedum colendum eſſe Deum, quatenus eſt author naturę, ſed etiam quatenus eſt author gratię, & ſic quatenus habet rationem finis ſupernaturalis, quem nuſquam conſequimur niſi dependenter à medijs ſupernaturalibus.

2. Ad 2. Omnia peccata carnis eſſe contra naturam hominis rationalem; prohibentur namque hæc iſto præcepto, *Non concupiſces*, quod, omnium conſenſu, eſt de iure naturali: propterea autem aliqua vitia carnis dicuntur contra naturam, & alia ſecundum eamdem, quòd hæc non impediant generationem naturalem, bene tamen illa.

3. Ad 3. Concupiſcentiam ſpectatam vt eſt in nobis inuitare ad peccatum, quod nos vltrò fatemur; minimè verò per ſe, & ſua natura, ſed tantùm per accidens & quaſi materialiter; in quantum ſcilicet bonum delectabile, quod eſt obiectum appetitus ſenſilis, coniungitur cum malo rectæ rationis.

4. Ad vltimam: principium peccandi eſſe duplex in nobis, alterum remotum, alterum verò proximum: illud cenſetur eſſe voluntas rationalis; hoc verò hæc eadem, ceterùm prout operatur ſinè præſcripto, & dictamine rectæ rationis, ſeu regulæ. Priori modo, nihil vetat quominus fateamur principium peccandi eſſe in nobis naturaliter: neque enim fieri poteſt vt detur natura humana ſinè voluntate rationali; poſteriori verò modo principium peccandi, non eſt in nobis naturaliter, neque à Deo, ſed liberè; in poteſtate namque eſt cuiuſlibet noſtrûm operari, vel non operari abſque præſcripto legis, aut regulæ rectæ.

ARTICVLO 3. Docet D. Thom. actum vitioſum deteriorem eſſe ſuo habitu, de qua re nulla eſt difficultas, cùm ab habitibus nemo lædatur aut vituperetur, bene tamen ab actibus. Deinde, meritum reſpondet actibus, vt & demeritum, minimè verò habitibus. Ità docent communiter omnes interpretes D. Thomæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

Virùm peccatum poſſit eſſe ſimul cum virtute.

DVBITATIO PRIMA.

An habitus vitioſus coniunctus cum peccato mortali poſſit ſtare cum virtutibus aliquibus per ſe infuſis, & cum virtutibus per ſe acquiſitis.

Notabile. ADVERTE, virtutes per ſe acquiſitas, & item per ſe infuſas, ſaltem aliquas ſpectari & in ratione habitus, aut, vt alij loquuntur, in ratione virtutis ſecundum quid, & in ratione virtutis ſimpliciter: priori modo virtutes per ſe acquiſitæ, nihil aliud ſunt quàm qualitates ex iteratis actibus productæ, quibus diſponimur ad bene operandum; qualitates verò infuſæ per ſe, aliquæ ſaltem, nihil aliud ſunt quàm qualitates à ſolo Deo nobis infuſæ, quibus inducimur ad exercendos aliquos actus ordinis ſupernaturalis; huius generis ſunt fides, ſpes, charitas, religio, penitentia, & ſimiles; illius verò temperantia, fortitudo, caſtitas, &c. Quærimus ergo hoc loco, An habitus vitioſi fœdati macula peccati mortalis ſtare poſſint in eodem ſubiecto ſimul cum habitibus per ſe acquiſitis honeſtis, & cum nonnullis per ſe infuſis.

Pars negans ſuadetur.

B Sunt qui putent partem negantem eſſe certiſſimam: diximus enim artic. 1. huius quæſt. cum D. Thom. habitus vitioſos opponi virtuti ſecundum ſuam naturam; oppoſita autem nequeunt eſſe ſimul, ſaltem in gradibus intenſis, de communi lege. 1.

Deinde, actus vitioſi opponuntur actibus honeſtis, ex communi doctrina: at actus iſti debent pendere neceſſariò ab habitibus contrarijs, neque enim fieri poteſt, vt actus contrarij ab vno & eodem habitu producantur. Confirmatur: actus intemperantiæ opponuntur actibus temperantiæ, actus item odij contrariantur actibus amoris. 2.

Denique, ſi opinio contraria eſſet vera, ſequeretur odium Dei ſtare poſſe cum charitate; nam odium opponitur charitati, ſeu dilectioni ordinis ſupernaturalis: at illatio hæc defendi nequit, ità enim concedendum eſſet de vno & eodem quòd haberet ius ad vitam æternam, & non haberet, quod eſſet gratus & ingratus Deo, quæ tamen duo nulla ratione poſſunt eſſe: ergo habitus vitioſi nequeunt ſimul ſtare cum virtutibus. 3.

CONCLVSIO 1. *Habitus vitioſi coniuncti cum peccato mortali ſtare poſſunt cum virtutibus per ſe infuſis, ſaltem aliquibus & item cum virtutibus per ſe acquiſitis ſimul & vnà, & per conſequens eſſe cum in eodem ſubiecto.* Primùm, quia Conc. Trident. *Habitus vitioſi ſimul poſſunt virtutibus infuſis.* C definit fidem ſupernaturalem non deſtrui in nobis per quodlibet peccatum mortale: ſic enim ait Trident. cap. 15. ſeſſion. 6. *Aſſerendum eſt non modò infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur: ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iuſtificationis gratiam amitti.*

Deinde, ſi peccatum mortale conſiſtere non poſſet cum virtutibus aliquibus per ſe infuſis, ſequeretur peccatum hoc mortale deſtruere virtutes per ſe infuſas; quidquid enim corrumpitur, à ſuo contrario corrumpitur: at virtutes per ſe infuſæ aliquæ nequeunt corrumpi quocumque peccato mortali cum pendeant in eſſe, fieri, & conſeruari à ſolo Deo: ergo ſimul ſtare poſſunt E eum peccato. Confirmatur: Angeli, itémque animæ rationales propterea à ſolo Deo deſtrui poſſunt, quòd ab eo ſolo pendeant in fieri, in eſſe, & in conſeruari; at virtutes omnes per ſe & ſua natura infuſæ, à ſolo Deo pendent in fieri: ergo.

Probat. 3. Tertiò, ſi habitus vitioſi inquinati macula peccati mortalis ſtare non poſſent cum habitibus aliquibus per ſe infuſis, ſequeretur in homine iuſtificato nullos planè dari habitus vitioſos acquiſitos: at illatio hæc eſt contra experientiam; quotidie namque experimur penitentes iuſtificatos inclinari ad actus vitioſos exercendos, quos ante iuſtificationem exercuerunt: ergo ſi-

guum

gnum eſt adhuc perſeuerare huiuſmodi habitus vitioſos.

4. Quartò, peccatum veniale & mortale interdum ſunt vnius & eiuſdem ſpeciei, nempe quotieſcumque vni & eidem virtuti aduerſantur, vt ex furto conſtat commiſſo in re parua, & in notabili: at peccatum veniale ſtare poteſt cum omni planè virtute, per ſe infuſa; non enim deſtruit hoc charitatem & gratiam, ſed tantùm impedit eius feruorem, ex communi doctrina; ergo &c.

Habitus vitioſi expellunt ab eodē ſubiecto habitus cōtrarios.

CONCLVSIO 2. *Habitus vitioſi fœdati macula peccati mortalis, nequeunt conſiſtere cum virtutibus per ſe acquiſitis, aut per ſe infuſis in ratione virtutis ſimpliciter: ſeu, quod idem eſt, habitus vitioſi non poſſunt conſiſtere cum habitibus ſibi oppoſitis virtutum, in ratione virtutis.* Ità enim loquitur D. Thomas hoc loco: Ceterùm nomine virtutis intelligit illud omne quod nos dicimus nomine virtutis ſimpliciter: ità interpretes eiuſdem.

2. Deinde, nomine virtutis ſimpliciter nihil aliud intelligitur, quàm charitas, ſeu gratia gratum faciens; at quodlibet peccatum mortale nequit conſiſtere cum gratia & charitate: ſunt enim hęc duo oppoſita de lege communi, vt probabitur in tractatione de gratia.

3. Tertiò, virtus ſimpliciter nedum confert ſubiecto cui ineſt bonitatem moralem, ſed etiam ſupernaturalem, vt colligitur ex illo Ioan. 14 *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum:* ex quo etiam loco colligitur virtutem ſimpliciter conferre ius homini ad vitam æternam obtinendam, & facere eumdem gratum & acceptum Deo; at bonitas ſupernaturalis non poteſt ſtare cum vllo planè peccato mortali: ergo habitus vitioſi ſimul cum peccato mortali nequeunt idem ſubiectum informare.

Ioan. 14. ℣. 23.

Obiectio. Dices, fidem & ſpem eſſe ordinis ſupernaturalis, & tamen poſſunt iſtæ conſiſtere cum peccato mortali: ergo.

Solutio. Reſpondeo, fidem & ſpem eſſe quidem ordinis ſupernaturalis ſecundum ſuam entitatem, etiam quando ſeparantur à charitate, non tamen conſequuntur rationem virtutis ſimpliciter; quia quando ſeparatę ſunt à charitate faciunt hominem bonum in ordine tantùm ad bonitatem, quæ reſpicit entitatem earumdem, non autem in ratione virtutis ſimpliciter; non enim conducunt tunc temporis ad beatitudinem æternam obtinendam, neque faciunt hominem gratum & acceptum Deo vt probabitur alibi.

Alia obiectio. Obijcies, ſi habitus vitioſi perſeuerarent cum habitibus per ſe infuſis & acquiſitis in vno & eodem ſubiecto ſimul, ſequeretur ab iſtis denominari homines vitioſos: conſequens eſt falſum, ergo & illud ex quo ſequitur.

Solutio. Reſpondeo, negando illationem, manent enim habitus iſti vnà cum virtutibus ſecundum ſuam entitatem tantùm, minimè verò ſecundum earum moralitatem; hæc autem ſola facit vt aliquis dicatur bonus, vel malus, turpis vel laudabilis, ſuppoſito tamen aliquo actu.

Satisfit rationibus partis negantis. Ad rationes verò contrarias. Reſpondeo, habitus vitioſos in communi ſpectatos ſecundum ſuam moralitatem opponi virtuti in communi ſumptæ ſecundum item ſuam moralitatem, & ità intelligendum eſſe D. Thomam artic. 1. huius quæſt. ac proinde hac ratione habitus vitioſos ſtare non poſſe cum virtute: Ceterùm ex iſtis non licet colligere habitus vitioſos perſeuerare non poſſe cum habitibus per ſe infuſis, ſaltem aliquibus, & cum habitibus per ſe acquiſitis ſecundum ſuam entitatem tantùm, ſeu, quod idem eſt, vt ſunt nudæ aliquæ qualitates præſcindendo tamen à moralitate.

1.

Ad 2. Actus oppoſitos poſſe habere ortum ab vna & eadem planè virtute: nam motus deorſum, & motus ſurſum ſunt contrarij, ſaltem ſi ſpectentur eorum termini: & tamen iſti poſſunt habere ortum ab vna & eadem facultate motrice; vnus quippe & idem numero aër ſua natura fertur ſurſum communiter, & ne detur vacuum fertur etiam deorſum, per illam & eamdem numero vim qua fertur ſurſum. Deinde, punire & non punire ſunt actus iuſtitiæ, hæc enim facit vt reus conuictus in iudicio puniatur authoritate publica; hæc eadem item præſtat, vt is qui innocens probatur in iudicio, abſoluatur, & non puniatur. Ad id verò quod ſubiungitur, actus intemperantiæ opponi actibus temperantiæ. Reſp. hoc eſſe verum etiam ſecundum ſuas entitates, nedum ſecundum ſuas moralitates: vnde colligitur habitus iſtos deſtruere ſe in vno & eodem ſubiecto, ceterùm paulatim & ſucceſſiuè; non enim aduerſantur ſibi inuicem totaliter & adæquatè, ſed ſecundum illū actum qui aduenit ſubiecto, in quo ponitur verbi gratia habitus temperantię; ità vt iuxta proportionem iſtius actus remittatur habitus temperantiæ, donec multiplicatis alijs actibus intemperantiæ qui reſpondebunt perfectiſſimè habitui temperantiæ, totus hic deſtruatur. Confirmatur hoc ex eo, quòd habitus iſti intendantur per additionem gradus ad gradum ex veriori opinione, quare hæc quoque ratione deſtruuntur. Moneo tamen, hoc nullum habere locum in habitibus per ſe infuſis; iſti enim licèt intendantur per additionem gradus ad gradum, non tamen propterea ſigillatim corrumpuntur, ſed quotieſcumque deſtruuntur in nobis deſinere eſſe ſecundum ſe toros, idque quòd pendeant à ſolo Deo in eſſe, fieri, & conſeruari, quòdque careant contrario ſibi oppoſito ex natura rei: illo eodem modo, quo fatemur ſubſtantias ſpirituales deſinere eſſe, & quidem dependenter à ſolo Deo.

2.

Vltima. Ad vltimam reſpondeo, in odio Dei reperiri, & entitatem, & præterea moralitatem, hæc facit vt aliquis ſit ingratus Deo, vt careat iure ad vitam æternam obtinendam, & ſic de alijs: minimè verò id præſtat entitas habitualis, aut etiam actualis præcisè ſpectata, quæ datur in eo qui Deum frequenter odio habuit, ex communi doctrina: quare hoc argumentum probat odium Dei ſecundum moralitatem ſpectatum non poſſe ſtare vnà cum gratia & charitate, quod nos vltrò concedimus; non autem ſecundum entitatem, qua ratione docuimus habitus vitioſos perſeuerare cum virtutibus per ſe acquiſitis, & per ſe infuſis, quibuſdam ſaltem.

DVBITATIO SECVNDA.

Qua ratione peccatum mortale deſtruat in nobis virtutes per ſe acquiſitas, aut per ſe infuſas in ratione virtutis ſimpliciter.

Peccatum mortale non deſtruit virtutes phyſicè.

CONCLVSIO 1. *Peccatum mortale non deſtruit virtutes iſtas in ratione virtutis ſimpliciter phyſicè.* Primùm, quia peccatum mortale non 1.

contrariatur phyſicè quibuſuis virtutibus per ſe infuſis, aut per ſe acquiſitis; nam contraria phyſicè collocantur ſub vno & eodem genere, & præterea verſantur circa vnum & idem planè ſubiectum, ex cap. de Oppoſitis: contraria enim ſunt quæ ſub eodem genere poſita ſe mutuò expellunt ab eodem ſubiecto: at dantur multa peccata contra virtutes ordinis ſupernaturalis, dantur etiam aliqua, quæ recipiuntur in intellectu vt hæreſis; alia quæ recipiuntur in voluntate, vt deſperatio, intemperantia, & multa alia: virtutes autem omnes vel recipiuntur in intellectu, vel voluntate, vel proximè in animæ eſſentia, vt gratia gratum faciens, ex doctrina D. Thom. A

2. Deinde, diximus Dubitatione antecedente virtutes per ſe infuſas, à ſolo Deo pendere in eſſe, fieri & conſeruari. B

3. Denique, illa tantùm deſtruunt ſe phyſicè quæ dicunt incompoſſibilitatem in vno & eodem ſubiecto, idque ex ſe, & ſua natura, vt conſtat ex albo, & nigro, vel certè quæ per veram cauſalitatem, & efficientiam ſe remouent ab vno & eodem planè ſubiecto, vt patet ex frigore & calore; at peccatum mortale non dicit formam incompoſſibilem ex ſe & ſua natura cum virtute vlla, ſpectata etiam in ratione virtutis ſimpliciter: docebimus enim in tractat. de Gratia, peccatum mortale de poteſtate Dei abſoluta ſtare poſſe in vno & eodem, cum gratia & charitate: opponuntur tamen iſta duo de lege communi: peccatum item mortale nullam poteſt exercere cauſalitatem, aut efficientiam contra gratiam, & charitatem, cùm peccatum mortale, quatenus peccatum eſt nullam planè habeat entitatem, ſaltem ſi ſermo ſit de peccato mortali puræ omiſſionis, in opinione eorum qui fatentur dari puram omiſſionem. C

Demeritoriè expellit virtutes acquiſitas peccatum mortale.

CONCLVSIO 2. *Peccatum mortale deſtruit virtutes per ſe infuſas, & per ſe acquiſitas, ſpectatas in ratione virtutis ſimpliciter, moraliter tantum, ac proinde demeritoriè.* Primùm, quia omnis cauſalitas quæ datur in peccato mortali, vel eſt phyſica, vel moralis; at diximus peccatum mortale non expellere phyſicè gratiam & charitatem, quę eſt ratio virtutis ſimpliciter. D

Deinde, eodem modo deſtruitur ratio virtutis ſimpliciter in nobis, quo intenduntur actus honeſti virtutum per ſe infuſarum à merito, ceteris tamen paribus: at meritum intendit in nobis virtutes per ſe infuſas non phyſicè, ſed moraliter tantùm, & per conſequens meritoriè: nam quemadmodum virtutes iſtæ per ſe infuſæ à ſolo Deo producuntur in nobis effectiuè; ità & augmentum earumdem à ſolo quoque Deo producitur in ratione cauſæ efficientis phyſicæ: ergo peccatum expellet ab eodem ſubiecto virtutes in ratione virtutis ſimpliciter, moraliter & demeritoriè tantùm. E

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm in quolibet peccato ſit aliqua actus.

DVBITATIO PRIMA.

An poſſit dari omiſſio culpabilis ſinè vllo actu.

DVAE ſunt de hac re ſententiæ. Prima contendit poſſe dari omiſſionem culpabilem ſinè vllo planè actu. Probatur: qui prætermittit id quod debuit & potuit facere, hoc ipſo quòd prætermittit iſta, ſinè vllo actu verè peccat, vt colligitur ex illo Luc. 12. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non præparauit, & fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis.* & ex cap. 3. & 7. Matth. *Arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* & Iacob. 4. *Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi.* Patres item docent prætermiſſionem illius rei, quam quis potuit & debuit facere, eſſe delictum ſeu peccatum, vt obſeruauit Salas tractat. 13. diſp. 2. ſect. 5. ergo. *Sententia affirmat.* *Ratio 1.* Matth. 3. ℣. 10. & 7. ℣. 17.

Confirmatur: Qui tenetur obſeruare præceptum affirmatiuum eo tempore quo ſeruandum eſt, ſinè vllo actu poteſt omittere obſeruationem præcepti; nihil enim prohibet, quominus hic qui tenetur ad obſeruationem præcepti in iſtis circumſtantijs conſtitutus, laboret ignorantia culpabili vincibili, & conſequenter quòd nihil cogitet planè de obſeruatione iſtius præcepti, neque item de vlla alia re: at in iſta hypotheſi nullus datur actus, & tamen peccabit iſte in hoc, quòd prætermiſit id quod debuit & potuit facere: ergo dabitur omiſſio culpabilis ſinè vllo actu. *Cõfirmatio.*

Deinde, nullus poteſt aſſignari actus, qui ſit cauſa certa & determinata peccati omiſſionis, vt conſtat ex non auditione ſacri, reſpectu diei feſtiui; hæc enim poteſt pendere vel à ſtudio, vel ab ambulatione, vel à potatione, aut ab aliqua alia operatione: ergo erit talis omiſſio culpabilis abſque omni actu. 2.

Tertiò, ſi peccatum omiſſionis ſupponeret aliquem actum veluti cauſam, id eſſet vel neceſſariò, vel liberè: primum dici non poteſt (ità enim ſequeretur eum qui peccaret non peccare, nemo quippe peccat in his, quę vitare non poteſt) Neque ſecundum, ità enim concedendum eſſet in omni planè peccato omiſſionis dari duo peccata, alterum commiſſionis poſitiuum in eo quod quis facit id quod facere non debuit, alterum omiſſionis poſitiuum in eo, quod quis prætermittit id quod potuit aut facere debuit: ergo. 3.

Denique, poſita obſeruatione præcepti affirmatiui ante oculos mentis alicuius, poteſt iſte ſuſpendere omnem omnino actum voluntatis reſpectu obſeruationis iſtius præcepti, & item reſpectu cuiuſlibet alterius rei; eſt enim de ratione voluntatis, poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs agere vel non agere, quare & ſuſpendere omnem ſuum actum ſi velit: ergo poterit dari omiſſio culpabilis ſinè vllo actu; nam voluntas iſtius verè peccauit, hoc ipſo quòd prætermiſit id quod debuit & potuit facere. In hac ſententia ſunt Durandus in 2. diſtinct. 35. quæſt. 2. Thomas Argentinenſis, ibidem. Ockam in 3. quęſt. 10. 4.

Ægidius

Ægidius Rom. & alij veteres Scholaſtici, & recentiores permulti.

Aduerte tamen, authores iſtos non vna & eadem ratione opinionem iſtam ſuſtinere: Durandus namque, & alij multi contendunt nullam dari omiſſionem externam, ſinè aliquo voluntatis actu, bene tamen omiſſionem internam.

Alij tamen contendunt nec internam, nec externam omiſſionem poſtulare per ſe vllum planè actum voluntatis noſtræ. Alij denique, de facto nullam dari omiſſionem affirmant culpabilem ſinè aliquo actu, poſſe tamen dari.

Omiſſio culpabilis non eſt abſque aliquo libero actu.

Secunda ſententia & vera, eſt eorum qui putant omiſſionem culpabilem nulla ratione poſſe conſurgere ſinè aliquo libero actu. Probant primùm, quia peccatum ità peccatum eſt, vt, non ſit peccatum niſi ſit voluntarium, id eſt liberum, ex regula D. Auguſtini communiter recepta: at omiſſio quæ excludit omnem omnino actum non poteſt eſſe libera: nam vel eſſet hæc libera formaliter, vel eminenter. Primum dici nequit, nihil ſiquidem liberum eſt formaliter, & intrinſecè præter voluntatem rationalem, & actus ab eadem elicitos liberè: Neque item ſecundum, nulla quippe actio honeſta, vel turpis poteſt eſſe eminenter, aut virtute libera; niſi fuerit hæc contenta in aliquo actu à voluntate rationali liberè elicito, vt conſtat ex ijs quæ docent communiter Theologi in quæſt. de voluntario: at in data hypotheſi nullus planè datur actus elicitus à voluntate noſtra: ergo omiſſio nequit eſſe libera virtute & eminenter, & per conſequens neque erit etiam culpabilis.

Effugium aduerſario.

Reſpondent omiſſionem iſtam eſſe voluntariam indirectè, ſecluſo omni planè actu voluntatis noſtræ, hoc ipſo quòd hæc prætermiſerit id quod potuit & debuit facere.

Præludi-tur.

Ceterùm reſponſio hæc eſt impertinens, nam nihil eſt indirectè voluntarium niſi fuerit contentum in aliquo, quod eſt formaliter liberum; Neque enim occiſio verbi gratia imputatur homini ebrio ad culpam, niſi quia hæc continetur in actu ebrietatis, quo voluit hic liberè ebrietatem, & conſequenter ea omnia quæ ſunt connexa cum illa: ergo vbi nulla dabitur actio formaliter libera, non conſurget omiſſio culpabilis.

Probat. 2.

Deinde, in omni planè peccato mortali datur auerſio à Deo, & conuerſio in creaturam, tamquam in vltimum finem, vt communiter fatentur omnes: at ſi daretur omiſſio culpabilis ſinè vllo planè actu, propoſitio iſta non eſſet vera: omiſſio namque pura excludit omnem omnino actum liberum, ex opinione authorum contrariæ ſententiæ.

3. Tertiò, ſi omiſſio culpabilis poſſet conſurgere ſinè vllo actu, hoc eſſet intelligendum vel de omiſſione interna, vel externa, vel certè de ambabus: at neutra ex iſtis conſurgere poteſt ſinè aliquo actu directo, aut indirecto voluntatis noſtræ; repugnat enim aliquem peccare actu, non exercendo tamen aliquem actum verum, & phyſicè, vel certè moralem, ſeu quaſi actum. Confirmatur: peccatum actuale definitur à D. Thom. in hac quæſt. Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam, poſt D. Auguſtinum c. 27. lib 21. contra Fauſtum: at omiſſio culpabilis eſt peccatum actuale: ergo includit aliquem actum.

Quorumdã ſolutio.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, poſita obſeruatione præcepti affirmatiui, voluntatem creatam poſſe manere ſuſpenſam circa obſeruationem huiuſmodi præcepti; & nihilominus peccare hoc ipſo quòd voluntas prætermittat id quod potuit & debuit facere ex vi iſtius præcepti affirmatiui.

Inefficax.

Verùm reſponſio iſta nulla ratione deſtruit argumentum propoſitum; nam poſita aduertentia circa huiuſmodi præceptum affirmatiuum reſpectu voluntatis, ſeu in voluntate creata, voluntas hæc non poteſt manere ſuſpenſa, niſi acceptando præceptum, vel reſpuendo, vel eligendo ſuſpenſionem iſtam voluntariè, vel denique ponendo aliquid quod eſt incompoſſibile cum obſeruatione iſtius præcepti: at nullum ex iſtis fieri poteſt ſinè aliquo actu vero, vel certè ſinè eo quod concipitur ad modum actus, ac proinde cenſetur eſſe actus moraliter loquendo: ergo. Confirmatur: Voluntas verbi gratia Petri, poſita obſeruatione præcepti de audiendo ſacrum die feſtiuo, acceptabit, vel non acceptabit, eliget, vel non eliget ſuſpenſionem circa huiuſmodi præceptum; vel denique aget aliquid, quod eſt omnino incompoſſibile cum obſeruatione iſtius præcepti, ac proinde quod erit cauſa violationis, & tranſgreſſionis præcepti: ergo omiſſio iſta præſupponet aliquem actum.

Vitima probatio.

Denique, nullus iuſtificatur à peccato mortali in quo verſatur, niſi exerceat aliquem actum, quo auertitur à creatura, & conuertitur in Deum veluti in ſuum finem vltimum, vt probabitur in tractatione de iuſtificatione: ergo nullus etiam admittet peccatum mortale omiſſionis, niſi dependenter ab aliquo actu vero vel morali, qualis eſt actus qui potuit & debuit à nobis fieri ex obligatione præcepti affirmatiui. In hac ſententia ſunt Alenſis 2. part. ſuæ ſummæ, quæſt. 130. memb. 2. Bonauent. Caiet. & ceteri Thomiſtæ.

Per actum in omiſſione intelligitur, id quod ſaltem concipitur per modum actus.

Cum autem diximus, omiſſionem culpabilem ſinè vllo actu conſurgere non poſſe, nomine actus non intelligimus tantùm actionem prædicamentalem aut grammaticalem: cuius generis ſunt actiones illæ quæ ſedem habent in categoria qualitatis, quemadmodum & illæ dicuntur prædicamentales quæ locantur in categoria actionis & paſſionis, ſed etiam illud omne quod moraliter loquendo concipitur ad modum actus, quódque communiter propterea nuncupatur, quaſi actus: quare volumus nullam dari omiſſionem culpabilem in nobis, quæ non pendeat veluti à ſua cauſa libera, aut ab actu aliquo propriè dicto, aut certè ab aliquo quaſi actu, ſeu, quod idem eſt, ab aliquo, quod non eſt propriè actus, dicitúrque à nobis, quaſi actus.

Aduerte, actum hunc quem dicimus eſſe cauſam peccati omiſſionis, non eſſe de intrinſeca ratione peccati omiſſionis; ratio quippe huiuſmodi peccati tota poſita eſt, in eo, quòd ſit præteritio præcepti affirmatiui; hæc autem conſurgere poteſt præciſè ſpectata ſinè vllo planè actu, aut quaſi actu, cùm excludat omnem omnino actum formaliter, & intrinſecè, licèt ſupponat aliquem actum cauſaliter.

Diſſoluuntur rationes cõtrariæ.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad primam, eum qui potuit, & debuit aliquid facere ex obligatione præcepti affirmatiui, nuſquam peccare, niſi ſciens & volens prætermittat quod potuit, & debuit facere: diximus enim ex D. Auguſtin. peccatum ità peccatum eſſe, vt non ſit peccatum, niſi fuerit voluntarium, ſeu libe-

1.

Digitized by Google

rum: secluso autem omni actu, vel quasi actu intellectus, & voluntatis, nihil est, aut esse potest voluntarium, saltem quod imputetur nobis ad culpam vel mortalem, vel venialem. Ad confirmationem verò. Respondeo, posse dari voluntarium indirectum sinè aliquo actu vero & physico, non tamen sinè aliquo actu morali, vel quasi morali; quare ignorantia culpabilis etiam indirecta, præsupponit in nobis aliquem actum, vel quasi actum qui sit causa cur imputetur nobis hæc ignorantia, vt manifestè colligitur ex D. Tho. artic. 1. quæst. 6. huius part. & ità illud idem dicendum est de omissione culpabili.

2. Ad 2. respondeco, nullum desiderari actum certum & definitum elicitum à voluntate liberè, qui sit causa omissionis culpabilis spectatæ in individuo, & particulari, vt bene probat argumentum: requiritur tamen aliquis actus, vel quasi actus quisquis ille sit, ad hoc vt omissio possit esse culpabilis; neque enim fieri potest vt omissio aliqua imputetur alicui ad culpam, nisi hæc fuerit posita in potestate libertatis nostræ, & consequenter quin præsupponat hæc ex parte intellectus cogitationem aliquam, in ordine ad quam moueatur intellectus, ad cogitandum de obligatione præcepti affirmatiui: ità vt si ista cogitatio non præcesserit, omissio præcepti non censeatur esse posita in potestate libertatis nostræ, cùm voluntas sit potentia cœca, neque aliter habeat suum obiectum præsens, neque habere possit, nisi dependenter ab aliquo actu intellectus, ex communi doctrina: actus ergo hic, vel certè aliquid quod respondet isti, moraliter loquendo, videtur simpliciter necessarium ad omissionem culpabilem; non enim aliter omissio potest dici pendere à voluntate nostra liberè, vt pluribus admonet Curiel, Dubio 1. ad hunc artic. licèt hic author existimet omissionem posse consurgere sinè aliquo actu, vel occasione quæ sit peccati omissionis causa, & sic in ratione tantùm loquendi à nobis differt.

3. Ad 3 Omissionem supponere necessariò actum proximè explicatum, vel certè actum aliquem elicitum liberè & formaliter à voluntate, idque propter causas in antecedentibus explicatas.

4. Ad vltimam: voluntatem proposita obseruatione præcepti affirmatiui, posse manere suspensam, & sic nullum exercere actum formaliter & actu; non tamen propterea voluntas ista definet peccare, si prætermiserit id quod facere debuit ex obligatione præcepti affirmatiui; debuit enim & potuit hæc, vt supponimus, ferri circa obseruationem præcepti, & de facto ponit suspensionem circa obseruationem istius præcepti dependenter ab aliquo actu existente in intellectu; hic autem actus sufficit ad hoc, vt omissio dicatur esse posita in nostra potestate, & ideò rationem peccati consequi potest.

Obiectio. Dices, ista aduersari D. Thom. ait enim quæst. 2. de malo artic. 1. ad 2. voluntarium dici aliquid, non solùm quia cadit sub actu, sed etiam quia cadit sub potestate, quare videtur affirmare voluntarium posse cõsurgere sinè actu, & q. 6. huius part. art. 3. docet voluntarium indirectè posse consurgere sinè vllo actu interno, aut externo.

Solutio. Respondeo, hæc intelligenda esse de voluntario quod pendet ab aliquo actu explicito, & formali voluntatis; non autem in vniuersum de quolibet actu, vel quasi actu, nam implicat aliquid esse voluntarium etiam indirectè, nisi pendeat hoc à voluntate nostra, aliqua ratione: non potest autem pendere à voluntate nostra, nisi in ordine ad aliquem actum, vel quasi actum, vt explicatum fuit in antecedentibus. Confirmatur hoc ex ijs quæ habet D. Thom. in corpor. art. ait enim omissionem culpabilem non posse esse sinè actu. Vide plura de istis apud Curielem loco proximè citato.

DVBITATIO TERTIA.

An ille actus, vel quasi actus, qui dicitur necessarius ad omissionem culpabilem sit verè peccatum.

Ratio dubit. RAtio dubitandi est, quia nihil repugnat quominus ille qui tenetur ad auditionem sacri, pro eo tempore quo præceptum hoc obligat, administret sacramentum, vel baptismi, vel pœnitentiæ, & quidem ex officio, agenti in extrema necessitate: at neutra ex istis duabus actionibus potest esse peccatum, cùm versentur circa obiectum honestum, & teneatur hic ad administrationem istorum sacramentorum ex officio, vt supponimus: ergo id quod est causa vel occasio omissionis, non est peccatum.

Actus qui causat in nobis peccatum omissionis primo, semper est peccatum. CONCLVSIO 1. Primùm, quia ità docent D. Thom. quæst. 2. de malo artic. 1. ad 7. Curiel Dubit. 2. ad hunc art. & communiter Thomistæ.

Actus qui est causa omissionis, vt docuimus Dubitatione proximè antecedente. Deinde, tota ratio cur omissio culpabilis censeatur esse libera, desumenda est ab actu qui est causa istius omissionis, vt docuimus Dubitatione proximè antecedente.

est peccatū. Tertiò, actus qui causat omissionem culpabilem, quatenus hanc causat est tam verè prohibitus, quàm omissio ista; qui enim præcipit vt audiatur sacrum, prohibet etiam ne ponatur aliquid, quod sit incompossibile cum auditione sacri: at omissio est verè peccatum: ergo & actus qui causat eamdem.

Quartò, omissio ista censetur esse tantùm indirecte voluntaria, vt supponimus: atqui rationem voluntarij consequitur dependenter ab actu qui est incompossibilis cum auditione sacri: ergo tam vere actus hic erit peccatum, quàm sit omissio.

Actus cõsequuntur omissionem, aut concomitantur eamdem, non sunt peccata: CONCLVSIO 2. *Actus qui consequuntur aut concomitantes nõ sunt peccata.* supponimus enim actus istos versari circa obiecta per se honesta, vel certe indifferentia, & præterea actus istos nulla ratione esse causas peccati omissionis.

Deinde, nihil repugnat quominus is qui versatur in agro, & quidem animo vt non audiat sacrum die aliquo festiuo, loquatur cum proximo, vel det operam venationi, aut aliquid aliud simile honestum exequatur: actiones istæ esto sint coniunctæ cum non auditione sacri, non tamen propterea censetur esse peccatum, cùm supponant aliquam aliam actionem, quæ est causa primò & quasi per se non auditionis sacri: ergo actus concomitantes aut consequentes omissionem non erunt peccata.

Obiectio. Dices, actiones proximè commemoratas incompossibiles esse cum auditione sacri, non minùs, quàm ea, qua quis voluit manere in agro, ad hoc vt non audiret sacrum: at propterea ista actio

actio eſt peccatum, quia eſt incompoſſibilis cum auditione ſacri: ergo idem eſt dicendum de alijs.

Solutio. Reſpondeo, non propterea aliquam actionem eſſe peccatum, quia eſt incompoſſibilis cum obſeruatione præcepti affirmatiui; ſed tantùm, quia primò & quaſi per ſe ſtare nequit cum obſeruatione præcepti affirmatiui; actiones autem poſteriores, etſi ſint incompoſſibiles cum obſeruatione præcepti, non tamen primò & quaſi per ſe: ſed tantùm conſequenter, quare non erunt peccata, bene tamen illæ priores.

Alia obiectio. Obijcies, fieri poſſe vt aliquis recedat ab vrbe, ne det eleemoſynam pauperibus, in neceſſitate conſtitutis ſibi notis: accidere item poteſt vt quis proijciat Breuiarium in aquam, eo conſilio ne recitet horas canonicas, & tamen ille peccabit non dando eleemoſynam, nedum prima vice, ſed etiam toties quoties vrgebit præceptum de ipſa largienda: hic etiam peccabit quotieſcumque prætermittit recitationem Breuiarij: ergo actiones conſequentes omiſſionem culpabilem imputantur alicui ad culpam.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam: omiſſiones quippe iſtæ non conſequuntur actum, qui eſt cauſa omiſſionis culpabilis, ſed coniunguntur cum eo proximè, moraliter loquendo, quælibet enim ex iſtis omiſſionibus pendet vel à diſceſſu ab vrbe, ne detur eleemoſyna, vel à proiectione Breuiarij in aquam, licèt phyſicè loquendo omiſſiones iſtæ aliæ alijs ſint poſteriores. Probatur: omiſſiones iſtæ non aliter ſunt liberæ, niſi quia pendent ab actu proiectionis, & item à diſceſſu ab vrbe liberè facto, & per conſequens hæ ſunt culpabiles proximè, & immediatè ab iſtis actibus.

Addo tamen, ſi peccarum proiectionis Breuiarij & item receſſus ab vrbe ne detur eleemoſyna, fuerit per penitentiam emendatum, omiſſionem Breuiarij poſtea minimè imputari ad culpam; nemo enim peccat in ijs quæ euitare non poteſt: ſuppono autem ſacerdotem iſtum non poſſe habere Breuiarium ad hoc vt recitet officium: ille item qui diſceſſit ab vrbe ne daret eleemoſynam agentibus in extrema neceſſitate, ſi culpam iſtam retractauerit per veram penitentiam, immunis erit à peccato omiſſionis eleemoſynæ, ſi non innoteſcat illi de nouo pauperes iſtos agere in extrema neceſſitate; nemo quippe peccat niſi ſciens & volens.

Fit ſatis ratio dubita. Ad rationem verò dubitandi reſpondeo, ſacerdotem qui omittit auditionem ſacri die feſtiuo, ex eo quòd adminiſtret ſacramenta baptiſmatis, vel penitentiæ agentibus in manifeſto periculo vitæ, nulla ratione peccare, ſi antèa, vel poſt non potuerit audire, vel facere ſacrum; eſt enim axioma indubitatum apud Theologos, quando dantur duo præcepta, quæ ſimul, & ſemel ſeruari non poſſunt, minus definere obligare, maius verò eſſe executioni demandandum: præceptum autem de audiendo ſacro diebus feſtiuis, minus eſt reſpectu huius vel illius perſonæ, quàm ſit præceptum de baptiſmate vel penitentia adminiſtrandis: ſacramenta namque iſta duo ſunt ſimpliciter neceſſaria, & quidem neceſſitate medij ad ſalutem, vnicuique agenti in peccato mortali, ex inſtitutione diuina; auditio verò ſacri eſt in præcepto tantùm Eccleſiaſtico, ſaltem quoad dies feſtiuos, omnium conſenſu; præcepta autem diuina, maiora ſunt præceptis Eccleſiaſticis.

Rogabis 1. *An actus qui eſt cauſa omiſſionis culpabilis ſit nuncupandus peccatum commiſſionis, an omiſſionis.* Reſpondeo, *Nuncupandum eſſe tantùm omiſſionis.* Primùm, quia ſuppono actum hunc verſari circa obiectum per ſe honeſtum, vel per ſe indifferens; nam ſi hic actus eſſet prohibitus certè diceretur meritò peccatum commiſſionis. Deinde, habet hic actus idem planè obiectum quod omiſſio, intenditúrque proinde non minùs, quàm ipſamet omiſſio. Tertiò, licèt peccatum omiſſionis poſitum ſit in priuatione actus, qui fieri debuit & potuit; priuatio tamen iſta nequit conſurgere ſinè aliquo actu. Quod autem actus nuncupandus ſit tantùm omiſſionis peccatum, ex eo innoteſcit quòd hic non ſit in confeſſione manifeſtandus; qui enim prætermiſit auditionem ſacri non debet in confeſſione manifeſtare, ſe prætermiſiſſe ſacrum, quod ſtuduerit verbi gratia, vel ambulauerit, ſed ſatis eſt ſi dicat ſe non audiuiſſe ſacrum. Denique, quia aliter in omni planè peccato omiſſionis daretur etiam peccatum commiſſionis. *Quæſtio explicatur. Reſoluitur.*

Dices, docuiſſe nos actum qui eſt cauſa omiſſionis, eſſe tam verè prohibitum quàm ſit omiſſio ipſa: ergo explicandum in confeſſione. Reſpondeo, actum qui cauſat omiſſionem culpabilem, eſſe prohibitum non per ſe, ſed conſequenter tantùm; quatenus ſcilicet eſt incompoſſibilis primo & per ſe, cum obſeruatione præcepti affirmatiui; quare actus hic (cum nullam aliam habeat malitiam præter eam, quæ datur in omiſſione culpabili) non erit manifeſtandus neceſſario in confeſſione.

Rogabis 2. *Quandònam imputetur homini ad culpam tranſgreſſio præcepti affirmatiui, ſeu, quod idem eſt peccatum omiſſionis.* Reſpondeo, *Imputari iſta tùm ad culpam atque poſita eſt cauſa ſufficiens ad violationem præcepti affirmatiui:* ità enim docent plerique hoc loco. Deinde, qui præbet alteri occaſionem peccandi, ipſe quoque peccat, ex communi doctrina; at qui ponit cauſam ſufficientem ad tranſgreſſionem præcepti affirmatiui nedum præſtat occaſionem peccandi, ſed etiam aliquid maius efficit, exponit quippe ſeipſum manifeſtiſſimo periculo peccandi, cùm ſupponamus ponere cauſam ſufficientem ad violationem præcepti affirmatiui, in quo tamen poſita eſt ratio peccati omiſſionis. Denique, tota ratio cur omiſſio iſta ſit culpabilis petitur à cauſa iſta: ergo hac poſita imputatur neceſſario omiſſio ad culpam. *Aliud dubium. Imputatur ad culpam poſita ſufficiente violatione præcepti.*

Rogabis 3. *Vndènam deſumenda ſit indignitas peccati omiſſionis.* Reſpondeo, *Ex dignitate actus qui omittitur.* Nam priuationes conſequuntur ſuam turpitudinem ab habitibus vel actibus ſibi oppoſitis, ex doctrina communi: omiſſio autem culpabilis eſt priuatio illius actus, qui potuit & debuit à nobis fieri. Deinde, indignitas cuiuſlibet culpæ ſumenda eſt ab illo eodem à quo petitur malitia eiuſdem; hæc enim duo ſe conſequuntur neceſſario: at malitia cuiuſlibet omiſſionis culpabilis petitur ab obiecto, circa quod verſatur; nam *Dubium 3.*

Digitized by Google

quilibet actus verus & realis ſuam rationem ſpecificam mutuatur à ſuis obiectis, ex communi doctrina Ariſtot. ità & illud dicendum eſt de peccatis omiſſionis.

Corollariũ. Ex dictis colliges, naturam & eſſentiam peccati omiſſionis poſitam eſſe in priuatione illius actus, qui potuit & debuit à nobis fieri ex obligatione præcepti affirmatiui : Omiſſiones namque omnes culpabiles verſantur circa præcepta affirmatiua, vt & peccata commiſſionis exercentur à nobis contra præcepta negatiua.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm conuenienter definiatur peccatum, dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.

DVBITATIO PRIMA.

Quæ ſit ratio formalis conſtitutiua peccati commiſſionis.

1. Sentẽt. TRES ſunt hac de re ſententiæ. Prima putat rationem præcipuam & formalem conſtitutiuam peccati commiſſionis eſſe entitatem aliquam poſitiuam & priuatiuam ſimul. Ità docuiſſe Ferrarienſem 3. contra Gentes, cap. 9. tradit Hieron. Larua certamine Scholaſtico 2. idem etiam referunt reliqui recentiores hoc loco.

2. Secunda eſt eorum qui volunt, rationem formalem peccati commiſſionis poſitam eſſe in entitate aliqua poſitiua. Ità docent Capreolus in 2. diſt. 35. quæſt. vnica. Caiet. art. 5. quæſt. 18. huius partis, & art. 1. quæſt. 72. & art. 2. quæſt. 76. Antonius Perez certamine 8. Scholaſtico, parte 1. Ioſephus Anglez in 2. diſt. 37. quæſt. 1. Curiel dubio 1. ad hunc artic. Medina ibidem, qui etiam refert Franciſcum à Victoria & Canum in eadem verſari opinione, Sumel diſput. 5. ad hunc artic. & diſput. 6. Concluſ. 1. & 2. & diſp. 7. Concl. 7. Vazquez diſput. 95. & alij permulti recentiores adeò vt ſint qui aſſerant opinionem hanc eſſe communem apud Theologos noſtris temporibus, in quam proinde aſſerit Petrus de Lorca ad quæſt. 18. diſp. 25. totam ferè Salmanticenſium ſcholam iuraſſe. Non tamen conuenit inter iſtos quæ ſit iſta entitas realis & poſitiua conſtitutiua.

Sunt namque qui exiſtiment eſſe qualitatem aliquam abſolutam, quæ aduenit peccato commiſſionis ſpectato in genere entis, ex eo quod ſit res aliqua diſconueniẽs præcepto & legi ſuperioris dependente à voluntate noſtra operante liberè : ità Caietan. locis citatis : putat enim in quolibet peccato commiſſionis reperiri ſubſtantiam actus, priuationem rectitudinis debitæ, & qualitatem abſolutam; duo priora ſe habent ad peccatum commiſſionis veluti materiale, vltimum verò ex opinione iſtius authoris eſt ratio formalis conſtitutiua eiuſdem. Addit malum eſſe duplex, ſimplex ſcilicet ſeu abſolutum, & ſecundum quid tantùm : primum credit eſſe illud quod excludit à ſe omnem omnino rationem boni, cuius generis ſunt, non eſſe, mors, cæcitas, tenebræ, & alia multa. Malum verò ſecundum quid, ſentit eſſe illud, quod licet in ſe bonitatem aliquam contineat, comparatur tamen cum alio, & cenſetur eſſe malum : huius generis ſunt furtum, adulterium, & alia innumera, hæc enim ſecundum ſuas entitates ſpectata, bonitatem aliquam includunt ; ſunt enim actiones aliquæ veræ & reales, comparatæ tamen ad aliud ſunt verè malæ, nocent enim proximo, vt eſt per ſe notum, & præterea ſunt legi diuinæ aduerſæ : Malum hoc dicitur morale ab iſto authore ; illud verò abſolutum, hæc autem ambo enunciantur ex illius opinione de quolibet peccato commiſſionis.

Caietani explicatio.

Male ſentit.

Ceterùm, opinio iſta ità explicata, ſinè errore defendi nequit, ex ea ſiquidem manifeſtè ſequitur, aut Deum eſſe authorem peccati commiſſionis, aut dari entitatem aliquam abſolutam realem, & poſitiuam, quæ non ſit à Deo, quorum neutrum defendi poteſt : De fide quippe eſt Deum non eſſe cauſam vllius planè peccati, omnes verò Theologi & Philoſophi qui hactenus fuerunt, docent omne ens per participationem pendere ab ente, quod eſt per ſe ; qualitas autem iſta abſoluta Caietani, eſt ens per participationem, & quidem intrà latitudinem entis phyſici & naturalis : ergo ab ente per eſſentiam.

Medina mẽs de poſitiuo peccati conſtitutiuo.

Medina verò ad hunc Articulum (quietiam refert Franciſcum à Victoria, & Canum in eadem eſſe ſententia) per entitatem iſtam poſitiuam credit intelligendam eſſe entitatem tantummodò moralem, eámque nihil aliud eſſe quàm ordinem, tendentiam, ſeu habitudinem, quæ datur in actibus vitioſis commiſſionis, ex eo quòd iſti reſpiciant obiectum malitia obiectiua malum, ac proinde diſconueniens legi ſuperioris vel regulæ rectæ rationis.

Zumel. Tendentiam hîc credit Zumel eſſe relationem tranſcendentalem, ac proinde realem : idem docet Curiel dubio 1. ad hunc Articulum.

Vazquez ij probatio.

Vazquez verò diſputatione 95. principium formale conſtitutiuum peccati commiſſionis autumat eſſe relationem contrarietatis, ſeu diſconuenientiæ quæ datur in actibus iſtis, prout reſpiciunt præceptum vel legem ſuperioris, hanc credit eſſe relationem rationis, minimè verò realem. Probat primùm, quia ideò quilibet actus intelligitur vitioſus, quòd ſit diſconueniens præcepto & legi ſuperioris ; definitur enim peccatum, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. 1.

Deinde, actus bonus ideò cenſetur eſſe bonus, quòd conueniat cùm regula rectæ rationis, vel certè cum lege ſuperioris : ergo hic actus malus ideò dicetur eſſe malus, quòd contrarietur legi vel regulæ rectæ rationis. 2.

Quod autem relatio iſta contrarietatis & diſconuenientiæ ſit rationis tantùm, probat 3. quia actus vitioſus, ex eo ſolo capite, quòd ſit prohibitus, eſt diſconueniens legi ſuperioris : at diſconuenientia iſta, non poteſt eſſe in eo realis, cùm tota petatur à prohibitione ſuperioris, quæ extrinſecè ſe habet ad actum huiuſmodi, & præterea actus hic ſeclusa prohibitione ſuperioris, eſt vel bonus, putà ſi reſpiceret obiectum per ſe bonum, vel certè indifferens, ſi haberet pro obiecto rem aliquam indifferentem ; diximus enim actus quoſlibet 3.

bet mutuari ſuam eſſentiam ab obiectis quæ circa A
verſantur.

Tertiò, ratio furti tota poſita eſt in acceptione & detentione rei alienæ inuito domino: at actibus furti nihil planè aduenit ex eo quòd res accepta, & detenta ſit aliena, ſaltem intrinſecè, & formaliter; nam alienum, vt ſic, nihil planè ponit in acceptione & detentione: ergo relatio diſconuenientiæ, ſeu contrarietatis quæ datur in furto, erit rationis. 3.

Quartò, actibus externis ſeu imperatis à voluntate noſtra, nihil planè reale aduenit, ex eo quòd actus iſti ſint conuenientes vel diſconuenientes legi ſuperioris; mutuantur namque conB uenientiam, vel diſconuenientiam iſtam à lege, & ab actibus internis voluntatis, qui ſe habent extrinſecè ad actus externos imperatos à voluntate. 4.

Quintò, nihil eſt reale in actu eleemoſynæ datæ propter Deum, quod non ſit in illa data propter vanam gloriam, & tamen hæc eſt diſconueniens legi; illa verò conueniens: relationes ergo iſtæ erunt tantùm rationis. 5.

Denique, relatio contrarietatis ſeu diſconuenientiæ ad leges ſuperioris, dicitur tam de rebus non exiſtentibus, quàm exiſtentibus: ergo ſunt relationes rationis. 6.

Tertia ſententia, eſt eorum qui putant ratioC nem formalem peccati commiſſionis poſitam eſſe in priuatione rectitudinis debitæ ineſſe: ità ſentiunt Durand. in 2. diſt. 34. & 35. quæſt. 1. & 3. Richard. diſt. 34. lib. 2. art. 1. quæſt. 1. & diſt. 35. art. 1. quæſt. 1. Bonauent. diſt. 34. art. 2. quæſt. 3. Ægidius quęſt. 1. art. 1. 2. & 4. Scotus in 2. diſt. 37. quæſt vnica. Gabriel, ibidem. Michaël de Palatios diſt. 34. diſp. 1. Azor lib. 4. Inſtitutio. Moral. c. 1. quæſt. 6. Gregorius de Valentia diſp. 2. quæſt. 13. puncto 3. Suarez in relectione de libertate diuina ſect. 2. & in Metaph. diſp. 11. ſect. 1. Lorca citatus, Molina, Ioan. Salas diſp. 2. ſect. 3. tract. 13. & innumeri alij quos citat hic author. *Opinio 3.*

Conclvsio 1. *Ratio conſtitutiua peccati* D *commiſſionis non eſt entitas aliqua partim poſitiua, & partim priuatiua.* Nam principium formale conſtitutiuum rei alicuius debet eſſe res aliqua impartibilis, vt videtur colligi ex illo Ariſtotel. Naturæ rerum ſunt ſimiles numeris, quibus ſi aliquid addatur aut detrahatur variatur ſpecies: ergo. *Formale peccati commiſſionis nõ eſt poſitiuũ ſimul & priuatiuũ.* 1.

Deinde, ſi res aliter haberet, ſequeretur conſtitutiuum formale peccati & eſſe bonum intrinſecè, & præterea malum; nam entitas quælibet poſitiua hoc ipſo quòd eſt poſitiua, cenſetur eſſe bona; priuatio autem, vt ſic, cenſetur eſſe ſimiliter mala. 2.

Tertiò, ex ente & non ente nequit conſurgere tertia aliqua entitas, cum enti & non enti niE hil planè ſit commune; ſunt enim hæc contradictoria quæ de eodem enuntiari nequeunt: igitur nec peccato commiſſionis ratio quæ conſurgat ex entitate partim poſitiua, partim priuatiua. 3.

Conclvsio 2. *Conſtitutiuum formale peccati commiſſionis nequit eſſe relatio contrarietatis, ſeu diſconuenientiæ ad præceptum ſuperioris.* Primùm, quia peccatum prius eſt conſtitutum in eſſe peccati, quàm ſit diſconueniens præcepto & legi ſuperioris, non quidem tempore ſed natura: illo eodem modo quo prius eſt aliquid eſſe quantum, quàm æquale, aut inæquale; natura quip- *Nec relatio contrarietatis.* 1.

pe & eſſentia peccati eſt fundamentum relationis, ſeu contrarietatis, & diſconuenientiæ ad legem ſuperioris.

Deinde, actus bonus non conſtituitur in eſſe bonitatis moralis per relationem conuenientiæ, ad rectam regulam: ſed per tendentiam, ſeu habitudinem quam dicit ad obiectum bonitate obiectiua morali bonum, & conſequenter conforme legi ſuperioris: ergo peccatum non conſtituetur formaliter per relationem contrarietatis ad legem ſuperioris. 2.

Dices, docuiſſe nos in antecedentibus, moralitatem in actibus humanis poſitam eſſe in relatione conuenientiæ & diſconuenientiæ. *Obiectio.*

Reſpondeo, hæc intelligenda eſſe non formaliter & præcisè, ſed tantùm concomitanter, & conſequenter, idque quòd quilibet actus humanus bonus, aut malus, trahit ſecum relationem conuenientiæ vel diſconuenientiæ; relationes tamen iſtæ ſunt poſteriores natura actu quolibet bono, vel malo, ſpectato in genere moris. *Solutio.*

Tertiò, dantur innumeri propemodum actus humani in nobis, qui ſunt conuenientes rectæ rationi, & tamen iſti non propterea ſunt boni in genere moris: quid enim magis conforme eſſe poteſt rectæ rationi, quàm intellectum intelligere, & voluntatem velle? & tamen non omnes intellectiones, neque item volitiones ſunt propterea bonæ bonitate morali, vt eſt per ſe notum. *Probat. 3.*

Ad rationes verò quibus authores contrariæ opinionis docent relationem contrarietatis ſeu diſconuenientiæ eſſe principium formale conſtitutiuum peccati commiſſionis: reſpondeo. Ad primam, non propterea aliquem actum humanum cenſeri malum in genere moris, quòd actus hic ſit diſconueniens præcepto & legi ſuperioris, ſed tantùm concomitanter, & conſequenter; per ſe enim & primo cenſetur eſſe hic actus malus, quod priuetur rectitudine ſibi debita, aut ex aliorum opinione, ex tendentia ſeu ordine, qui datur in eo, ad obiectum diſconueniens præcepto, & legi ſuperioris; priuatio autem iſta, vel certè tendentia nequit eſſe ſinè relatione diſconuenientiæ, quare conſequenter tantùm actus hic intelligitur malus per relationem diſconuenientiæ. *Diſſoluũtur rationes Vazquez.* 1.

Ad 2. Peccatum non conſtituitur formaliter in eſſe peccati per relationem contrarietatis, quemadmodum neque actus bonus conſtituitur in eſſe boni moralis per conuenientiam ad rectam rationem, ſed tantùm per tendentiam ad obiectum bonum, vt explicatum fuit quæſt. 18. huius partis. 2.

Ad rationes vero quibus authores iſti probant relationem diſconuenientiæ & contrarietatis eſſe relationem rationis.

Reſpondeo ad 3. In actibus vitioſis, hoc ſolo nomine quod ſint prohibiti, reperiri duplicem malitiam, vnam cauſalem, & alteram formalem: prima pendet à prohibitione ſuperioris, ceterum hæc in rigore loquendi, non eſt malitia, ſed eſt conditio tantùm ſinè qua actus iſti non haberent rationem culpæ. Secunda vero deſumenda eſt ex priuatione rectitudinis debitæ iſtis actibus, aut certè ex tendentia quę datur in iſtis ad obiectum malitia obiectiua malum. 3.

Digitized by Google

4. Ad 4. Nihil aduenire actibus acceptionis & detentionis rei alienæ, saltem realiter & intrinsecè, ex eo quòd res accepta, vel detenta sit aliena; priuantur tamen isti, ex hoc capite quòd res accepta sit aliena, rectitudine sibi debita, quare habent rationem culpæ: & ex alia sententia aduenit istis relatio tendentiæ in obiectum malum à qua consequuntur rationem peccati.

5. Ad 5. Actibus externis imperatis à voluntate liberè operante aduenire saltem extrinsecè perfectionem aliquam, media qua separantur ab actibus necessarijs; censentur enim esse liberi extrinsecè saltem: rationem verò peccati consequuntur isti iuxta modum explicatum in responsionibus ad argumenta antecedentia.

6. Ad 6. Eleemosynæ datæ propter Deum, & propter vanam gloriam in genere entis, vnum & idem planè conuenire: ità vt nihil sit in vna realiter quod non sit in altera; in genere tamen moris aliquid verè inest eleemosynæ datæ propter Deum, quod non existit in data propter vanam gloriam; nam in illa datur tendentia realis in obiectum bonum bonitate obiectiua; hæc autem nullum habet locum in eleemosyna data propter vanam gloriam, sed vel priuatio rectitudinis debitæ isti eleemosynæ, vel tendentia contraria in obiectum disconueniens legi superioris, quare censetur hæc esse mala, illa autem honesta.

Vltima. Ad vltimam, Relationem disconuenientiæ & contrarietatis numquam enunciari de actibus vitiosis, nisi fuerint hi vel actu, vel habitu; ac proinde relationes istę potiùs videntur esse reales, quàm rationales: est enim propositio indubitata apud Metaphysicos, relationes illas esse reales, quarum fundamenta, & termini sunt realia, & item quarum termini se mutuò ponunt & tollunt, vel quando vnus dicit necessariam consequutionem ad alium.

Probabile, formale peccati esse positiuum quid. Conclvsio 3. *Probabile est rationem peccati commissionis positam esse præcisè & formaliter loquendo in entitate aliqua positiua reali, morali tamen; minimè verò physica & naturali.*

Primùm, quia ità sentiunt authores secundę sententiæ.

Deinde, quia principium formale constitutiuum peccati, debet esse vel priuatio rectitudinis debitæ, vel entitas aliqua positiua, & realis, non enim datur medium inter hæc duo, cùm vnum habeat rationem entis, aliud vero non entis: at principium formale constitutiuum peccati, non est priuatio rectitudinis debitæ; nam dantur innumeri actus qui sunt peccata, quibus nulla debetur rectitudo, vt constat ex odio Dei, ex mendacio, periurio, adulterio, & multis alijs: actus quippe intrinsecè, & ex sua natura sunt mali; non potest autem mens humana capere rem aliquam priuari rectitudine aliqua, si nulla ei debeatur aut debita fuerit rectitudo: ergo fatendum est constitui formaliter per aliquid positiuum.

Secundò probatur minor: Si principium formale constitutiuum peccati esset priuatio rectitudinis debitæ, omnia peccata quæ priuarentur vna & eadem rectitudine, pertinerent etiam ad vnam & eamdem planè speciem peccati: at certum est peccata, quæ priuantur vna & eadem rectitudine, non esse vnius & eiusdem speciei: adulterium quippe, incestus, fornicatio, & stuprum pertinent ad diuersas species, & tamen omnia ista peccata aduersantur vni & eidem perfectioni, nempe castitati. Denique, sola priuatio rectitudinis debitæ non est satis ad culpam commissionis constituendam, vt colligitur ex ista definitione quæ traditur à Diuo Thoma hoc loco: peccatum est dictum, factum, & concupitum, &c.

Probat. 3. Tertiò probatur Conclusio: Quilibet actus bonus nedum versatur circa aliquod obiectum positiuum; sed etiam principium formale constitutiuum eiusdem est entitas aliqua positiua realis, vt docuimus quæst. 18. huius part. ergo illud idem erit dicendum de quolibet morali malo; opponuntur quippe bonum & malum, vt colligitur ex Aristotele, de qualitate; ait enim iustitiam & iniustitiam sedem habere in categoria qualitatis. Vide plures alias de hac re rationes apud Caietanum loco proximè citato.

Obiectio. Dices, ex istis colligi, Deum esse authorem peccati: nam quælibet entitas positiua & realis, cùm sit ens per participationem, debet necessariò pendere ab ente quod est per se; solus autem Deus censetur esse independens à quolibet alio.

Solutio. Respondeo negando illationem. Ad probationem autem, dico Deum esse causam cuiuslibet entis positiui & realis, si sermo sit de entitate naturali, & physica; non verò si de entitate morali: quemadmodum enim fatentur philosophi & Theologi multi, Deum non producere entia rationis saltem proximè & immediatè per seipsum, neque item actus informationis (Deus enim nequit causam formalem supplere) ità non est absurdum fateri extare aliquam entitatem moralem, ad cuius productionem Deus non concurrat; præsertim cùm entitas ista moralis & vitiosa sit relatio aliqua, vt constat ex dictis. Relationes autem, etiam physicæ, nec producuntur saltem per se, nec ab vllo ente creato, sed consequuntur entia aliqua producta, ex doctrina Aristotelis.

Obiectio 2. Obijcies, saltem ex ista Conclusione sequitur entitatem peccati commissionis esse verè bonam; nam bonum & ens conuertuntur.

Solutio. Respondeo, quod enuntiatur de ente physico morali, & reali, esse analogum, non quidem attributionis, sed proportionis; ac proinde bonitatem reperiri in quolibet ente morali, eo modo quo potest ei conuenire, & secundum rationem quâ exigit eius natura, & essentia. Non est tamen concedendum bonitatem moralem reperiri in malo morali; nam bonitas & malitia moralis opponuntur inter se contrariè, ex doctrina istorum authorum; contraria autem numquam sunt simul, saltem in gradibus intensis, etiamsi fermo sit de contrarijs physicis. Deinde, malitia moralis opponitur perfectissimè bonitati virtutis, & consequenter nequeunt simul hæc duo esse.

Obiectio 3. Obijcies 3. Peccatum vocari priuationem, nihil, obliquitatem, & defectum: ità sancti Patres, quos citat Toletus ad hæc verba, Ioan. 1. *Sinè ipso factum est nihil*, annotatione 16. id est peccatum.

Solutio. Respondeo, Patres ideò vocasse peccatum, nihil, & priuationem, quòd res illis esset cum

Mani-

Digitized by Google

Manichæis conſtituentibus duo prima principia A rerum iſtarum creatarum ; voluerunt autem aliquas ex iſtis rebus creatis eſſe bonas, & habere ortum à principio per ſe bono, alias verò eſſe malas, & productas à principio per ſe malo ; contra verò iſtos docent peccatum non eſſe vllam ex rebus iſtis creatis, ſed nihil, ſi peccatum comparetur cum rebus creatis : ità reſpondet Vazquez diſp. 95.

Replica. Inſtabis, ſaltem Concluſionem iſtam inclinare in opinionem hæreticorum noſtri temporis ; contendunt enim peccatum eſſe entitatem tam verè à Deo productam, quàm ſit iuſtificatio Pauli, & vocatio eiuſdem ; nos autem concedimus peccatum eſſe entitatem aliquam poſitiB uam.

Diſſoluitur. Reſpondeo, negando illationem antecedentis : hæretici namque putant peccatum eſſe actionem aliquam phyſicè productam in nobis à Deo, illo eodem modo quo fractio, verbi gratia, arboris alicuius eſt à fabro lignario ; vtitur ſiquidem Caluinus hoc exemplo, vt demonſtret Deum eſſe authorem peccati in nobis : ità vt velit quòd quemadmodum faber lignarius vtitur ſecuri ad ſecandum aliquod lignum, ità etiam ait Deum vti voluntate creata hominis, ad hoc vt producat peccatum ; nos autem abhorremus ab iſtis, cùm contineant manifeſtam blaſphemiam contra Dei bonitatem : admittimus C ergo in peccato entitatem aliquam poſitiuam, ceterùm moralem tantum, & quæ pendet à voluntate noſtra, tendendo indebitè in obiectum, malitia obiectiua malum ; negamus autem de hac entitate, quòd ſit vlla ratione phyſica & naturalis.

Obiectio. Obijcies, peccatum, vt ſic, dicere auerſionem à Deo ; auerſio autem priuationem, non autem poſitiuam entitatem ſignificat.

Solutio. Reſpondeo, negando illationem maioris, ſaltem in iſta opinione ; peccatum enim, vt ſic, concomitanter tantùm dicit auerſionem à Deo, vel à medijs : primò enim & per ſe dicit tenD dentiam in obiectum diſconueniens præcepto vel legi ſuperioris. Vide multas alias obiectiones, & earum ſolutiones apud Curielem, loco citato.

Aduerte, in hac opinione conſtanter aſſerendum eſſe bonum & malum opponi inter ſe contrariè, non autem priuatiuè.

In priuatione conſiſtit peccatum formaliter. CONCLVSIO VLTIMA. *Multò probabilius eſt principium formale conſtitutiuum peccati commiſſionis eſſe priuationem rectitudinis debitæ.* Primùm, quia authores tertiæ ſententiæ ità docent.

Deinde, quia hæc opinio eſt magis communis in ſcholis, quàm proximè explicata. E

Tertiò, quia ſancti Patres communiter nuncupant peccatum, infirmitatem, imbecillitatem, vacuitatem, priuationem. Ità docet Diuus Au-
D. Auguſt. guſtinus 11. de Ciuitate Dei, capite 9. *Mali enim nulla natura eſt, ſed amiſſio boni, mali nomen accepit.* & lib. de natura boni contra Manichæos, capite 4. *Malum*, inquit, *nihil aliud eſt, quàm corruptio, vel modi, vel ſpeciei, vel ordinis naturalis.*
Dionyſ. Dionyſius lib. de Diuinis nominibus, cap. 4. *Malum, vt ſæpè diximus, infirmitas, imbecillitaſque, ac priuatio eſt, aut ſcientiæ, aut ſcientiæ quæ latere non poteſt, aut fidei, aut appetitus, aut actionis boni.* Auctor libri de fide ad Petrum, capite 25.

Iuſtinus in reſponſione ad Orthodoxos, quæſt. 46. *Iuſtinus.* & 73. Hieronymus ad caput 3. Amos Prophetæ, *Hieron.* Gregorius lib. 26. Moralium, capite 24. Epi- *Gregor.* phanius hæreſi 24. Athanaſius in oratione contra *Magn.* idola, & denique Leo Magnus epiſt 93. ad Tur- *Epiphan.* ribium Epiſcopum. *Athanaſ.*

Confirmatur : ſancti Patres docent de pecca- *Leo. Mag.* to, quòd ſit nihil : ità D. Auguſtin. ad hæc ver- *D. Auguſt.* ba Ioannis 1. tractatu 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil. Videte*, inquit, *ne ſic cogitetis, quia nihil aliquid eſt. Solent enim multi malè intelligentes, Sinè ipſo factum eſt nihil, putare aliquid eſſe nihil. Peccatum quidem non per ipſum factum eſt : & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant.* Dionyſ. *Dionyſ.* loco ſupra citato. Baſilius homilia 9. de diuerſis, *Baſilius.* quòd Deus non eſt author malorum, & alij innumeri.

Neque refert, quòd authores tertiæ Concluſionis reſpondeant, Patres hæc docuiſſe contra Manichæum, admittentem duo principia rerum iſtarum creatarum, inter quas voluerunt extare aliquas per ſe malas, & habere ortum à primo principio per ſe malo, alias verò bonas & pendere à principio primo per ſe bono : Nam ſancti Patres abſolutè, & ſinè vllo addito docent peccatum eſſe nihil, & priuationem : imò addunt nullam habere planè eſſentiam. Deinde, ſi agnouiſſent ſancti Patres in peccato entitatem aliquam poſitiuam, procul dubio dixiſſent illam eſſe à Deo, & ſecundum id docuerunt de ceteris omnibus alijs entitatibus poſitiuis.

Quartò probatur Concluſio, ex illis locis 4. Scripturæ in quibus nuncupatur peccatum auerſio, aut dicitur quod in omni peccato ſit auerſio : ità Pſalm. 77. *Auerterunt & non ſeruauerunt pactum.* Ezechiel. 18. *Cum auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, corruet.* Hierem. 2. *Scito, & vide, quia malum eſt, & amarum reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* & cap. 14. *Multæ ſunt auerſiones tuæ.* & alibi ſæpè.

Quintò, peccatum commiſſionis conſtitui- 5. tur formaliter in eſſe peccati, vel per entitatem D poſitiuam, vel per priuatiuam (non enim inter hæc duo datur medium) at non conſtituitur per entitatem poſitiuam, cùm de omni entitate poſitiua concedant Patres, quòd hæc ſit à Deo, veluti à cauſa vniuerſali : peccatum autem nec eſt, nec eſſe poteſt à Deo.

Huic tamen reſpondent authores tertiæ Con- *Euaſio.* cluſionis ſatis accommodatè : aiunt enim omnem entitatem poſitiuam phyſicam eſſe à Deo, minimè verò omnem poſitiuam moralem, ſed tantùm bonam, idque eo nomine, quòd Deus alliciat & inuitet vnumquemque ad bene operandum moraliter, & quod conferat auxilia, ad honeſtas iſtas operationes exercendas : à malo autem morali committendo deterret, comminando pœnas æternas & temporales, & item conſtituendo leges aliquas, quibus mala iſta prohibet ſtrictiſſimè.

Ceterùm contra hæc, ſubiungo rationem iſtam ſextam : Ab illo eodem conſti- *Debilis.* tuitur peccatum in eſſe peccati, per quod opponitur virtuti & actibus honeſtis, & à quo petitur maior vel minor indignitas peccati : at peccatum opponitur virtuti & actibus eiuſdem per priuationem, cùm eodem modo ſe habeat ad virtutem, & actus eiuſdem, qua ratione cæcitas ſe habet ad viſum,

Digitized by Google

& mors ad vitam: propter hanc enim cauſam dicuntur conſtituti in ſtatu peccati mortalis nuncupari in ſacris litteris, mortui: indignitas item maior vel minor cuiuſlibet peccati petitur à dignitate habitus, vel actus, quo quis priuatur per huiuſmodi peccatum: ergo formale conſtitutiuum peccati eſt priuatio rectitudinis.

Denique, peccatum commiſſionis conuenit in ratione peccati cum peccatis omiſſionis, & originis: Sunt enim hæc tria formaliter & intrinſecè peccata: at omiſſio, itémque originis culpa conſtituuntur per priuationes, vt docuimus de omiſſione, artic. proximè antecedente, & docebimus de peccato originali in quæſt. quam habet de hac re D. Thom. inferius: ergo.

Per priuationẽ rectitudinis non denotatur gratia habitualis.

Rogabis, *Quid ſignificetur nomine priuationis rectitudinis debitæ, & quid ſit illud cui debetur iſta rectitudo.* Reſpondeo, *Nomine priuationis rectitudinis debitæ non ſignificari priuationem gratiæ gratum facientis:* nam priuatio hæc verè eſt à Deo, ſuppoſito tamen demerito in eo qui gratiam habet; vt enim hæc pendet à ſolo Deo in fieri, tamquam à cauſa præcipua, & principali, ità & ab eodem quoque conſeruatur. Deinde, peccatum & gratia non opponuntur inter ſe ex ſe & ſua natura, ſed tantùm de lege communi. Tertiò, peccatum veniale eſt ſaltem aliquod peccatum commiſſionis, & tamen hoc non deſtruit in nobis gratiam, ſed tantùm remittit feruorem eiuſdem. Denique, datur peccatum in pleriſque mortale ſinè vlla priuatione gratiæ, nempe in illis omnibus qui nuſquam fuerunt iuſtificati à peccatis commiſſis.

Nec priuatio virtutis oppoſitæ.

Secundò reſpondeo, *Per priuationem rectitudinis debitæ non ſignificari hoc loco priuationem virtutis oppoſitæ peccato quod committitur*; nam habitus oppoſitus iſti peccato poteſt conſiſtere cum huiuſmodi peccato, vt probatum fuit.

Deinde, concurrit Deus cum cauſa ſecunda ad deſtructionem virtutis oppoſitæ peccato, quod committitur; & tamen non eſt propterea author peccati, nec eſſe poteſt.

Sed priuatio rectitudinis debitæ ineſſe actui.

Dico igitur, *Nomine priuationis perfectionis debitæ ſignificari priuationem rectitudinis debitæ ineſſe actui, qui hîc & nunc debuit ex obligatione præcepti, & potuit à nobis fieri, vel certè omitti.* Ità docent ferè omnes authores tertiæ ſententiæ. Denique, quilibet noſtrûm verè peccat quotieſcumque non præſtat id quod potuit & debuit facere ex obligatione præcepti; quando præceptum obligat, vel certè, quando quis facit id quod non facere debuit ex vi præcepti ſibi impoſiti: at actibus iſtis debetur rectitudo aliqua cum debeant fieri conformiter præcepto: ergo in iſta priuatione poſita erit ratio peccati.

Et debita voluntati creatæ.

Secundo dico, *Nomine priuationis rectitudinis debitæ ſignificari priuationem rectitudinis debitæ voluntati creatæ:* hæc enim tunc temporis peccat quotieſcumque occurrente obligatione præcepti, non obſequitur præcepto ſibi impoſito, omnium planè conſenſu, quare priuatur quoque rectitudine ſibi debita. Deinde, hæc videtur eſſe expreſſa ſententia Ambroſij, lib. de Paradiſo, cap. 8. *Quid*, inquit, *eſt peccatum niſi prænaricatio diuinæ legis, & cæleſtium præceptorum inobedientia?* Ex quibus colligitur ſubiectum iſtius priuationis eſſe & voluntatem quę peccat, & præterea actum peccati, quatenus potuit & debuit à nobis fieri conformiter præcepto; minimè verò quatenus actus peccati

Ambroſ.

ſpectatur vt eſt extra ſuas cauſas poſitus; ità enim nulla debetur huic rectitudo, cùm ſit malus & deordinatus.

Soluuntur rationes cõtrariæ.

Ad rationes verò contrarias quas attulimus in Concluſione 3. Reſpondeo, ad primam conceſſa maiore negando minorem; ad primam autem probationem minoris, actus odij Dei, adulterij, mendacij, &c. in opinione quorumdam non eſſe intrinſecè malos, ſed ſola denominatione extrinſeca, ſaltem in genere moris; credunt enim omnem moralitatem in actibus humanis deſumendam eſſe à præcepto, ſeu lege ſuperioris. Deinde, fatentur Deum diſpenſaſſe in furto, & item in peccato carnis: in furto quidem cum Iudæis, quando acceperunt mutuò vaſa pretioſa ab Ægyptijs, neque tamen hæc reſtituerunt aliquando: in peccato verò carnis cum Ozea, vt videtur colligi ex hiſtoria ſacra eiuſdem. Denique, putant peccata iſta hoc ſolo nomine dici per ſe & ſua natura mala, quòd de lege communi, nequeant ab vllo fieri niſi imputentur ei ad culpam.

Rectiùs tamen ſentiunt illi, qui volunt actus iſtos eſſe per ſe, & intrinſecè malos. Ad id ergo quod dicitur nullam deberi iſtis rectitudinem, & per conſequens non priuari quoque vlla rectitudine. Reſpondeo, actus iſtos ſpectari, & vt ſunt in eſſe actualis exiſtentiæ, & vt ſunt poſiti extra ſuas cauſas, & vt potuerunt & debuerunt à nobis fieri pro eo tempore, quo obligabat præceptum ſuperioris; priori modo nulla debetur actibus iſtis rectitudo, bene tamen poſteriori, & conſequenter in priuatione iſtius rectitudinis debitæ, poſita eſt ratio peccati iſtorum actuum. Ad ſecundam autem probationem eiuſdem minoris. Reſpondeo, actus cuiuſlibet peccati carnis pertinere ad vnam & eamdem ſpeciem eſſentialem; eſt enim certiſſimum apud pleroſque Theologos, prædictos ſumere ſuam ſpeciem à virtute cui opponuntur proximè, vt probabitur Dubitatio 1. quæſtionis proximè ſequentis D. Thomæ: peccata autem quælibet carnis opponuntur proximè caſtitati, hæc enim nequit violata perſeuerare cum vllo planè peccato carnis; non eſt tamen negandum quin peccata adulterij, incæſtus, molliciei, &c. diſtinguantur inter ſe ſpecie accidentali, nam nedum opponuntur hæc caſtitati, ſed etiam adulterium aduerſatur præterea religioni, ad quam conſequitur matrimonium; incæſtus verò præter caſtitatem aduerſam habet pietatem parentibus debitam, quæ ex multorum ſententia cenſetur eſſe diuerſę ſpeciei, iuxta diuerſitatem radicis, & graduum, ſecundum quos contingit homines inter ſe eſſe parentes: quare non ſufficit in confeſſione dicere ſe commiſiſſe peccatum incæſtus, ſed tenetur exprimere gradum intrà quem peccatum hoc admiſit. Mollicies ſimiliter eſt contra virtutem priuatam, præter caſtitatem, & conſequenter in ordine ad iſtas virtutes dicuntur peccata iſta nedum eſſe vnum numero, ſed varia & diuerſa, & item ſpecie, licèt actio ſit tantùm vna numero. Ad 3. vero probationem eiuſdem minoris. Reſpondeo, non ſufficere ſolam priuationem ad eſſentiam peccati conſtituendam: deſiderarur enim præterea materiale eiuſdem, vt bene probat argumentum: peccatum namque dicitur

1.

2.

3.

Digitized by Google

dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.

Vlt. Ad vltimam verò rationem. Reſpond. ex eo quòd peccatum verſetur circa obiectum poſitiuum & reale, non poſſe colligi peccatum hoc formaliter & præcisè ſpectatum eſſe ens aliquod poſitiuum; nam mors habet pro obiecto vitam, cæcitas item viſum; neque tamen propterea licèt colligere mortem & cæcitatem eſſe res aliquas poſitiuas. Ad id verò quod ſubiungitur in eodem argumento, iuſtitiam & iniuſtitiam ex doctrina Ariſtotelis, collocari in cap. de qualitate eiuſdem. Reſpond. iuſtitiam & iniuſtitiam ſpectari in genere entis, & in genere moris: priori modo nihil aliud ſunt quàm qualitates aliquæ, ex iteratis actibus productæ, quibus inclinatur homo ad bene vel male operandum; poſteriori verò modo iuſtitia nihil aliud eſt quàm tendentia quædam in ſuum obiectum bonitate obiectiua bonum, atque proinde, conforme præcepto, & legi ſuperioris; iniuſtitia verò dicit tantùm priuationem rectitudinis ſibi debitæ; & ideò, priori modo ſpectatæ, ſunt hæ duæ in categoria qualitatis, ex documentis Ariſtotelis: poſteriori verò modo reuocantur tantùm ad qualitatem; nam iuſtitia ità ſpectata, non eſt ens phyſicum & naturale, ſed tantummodò morale; iniuſtitia verò eſt priuatio iſtius rectitudinis moralis, quæ potuit & debuit ineſſe actibus iuſtitiæ, iuxta modum antea explicatum: priuationes autem reuocantur ad illam eamdem categoriam in qua ſedem habent habitus oppoſiti.

Ex iſtis tamen non licet colligere peccatum iniuſtitiæ eſſe aliquid poſitiuum & reale. Vide alia innumera argumenta contra iſtam Concluſionem apud recentiores.

Rogabis, *Quam ex duabus iſtis ſententijs poſtremis tueatur D. Thom.*

Respond. *Hac de re nihil certi definiri poſſe:* extant enim teſtimonia apud eumdem in fauorem tertiæ Concluſionis noſtræ, vt videre eſt quæſt. 18. artic. 5. ad 2. huius partis, & quæſt. 71. artic. 1. aſſerit enim ſpecies peccatorum non ex priuatione ſed ex ordine ad obiecta deſumi: & item, quòd priuatio ſe habeat per accidens cum peccato; obiecta verò per ſe: & quæſt. 19. articul. 1. ait bonum & malum eſſe per ſe differentias actus, quod neceſſariò eſt intelligendum de entitate aliqua reali & poſitiua, non autem de priuatiua; neque enim fieri poteſt, vt priuatio ponat aliquid reale in actu, per quod actus conſtituatur intrà certam aliquam ſpeciem. Alias verò videtur tueri Concluſionem noſtram vltimam, vt conſtat ex lib. 3. contra Gentes, cap. 9. & quæſt. 18. art. 3. & 5. huius partis, & quæſt. 72. artic. 1. in corpore, & quæſt. 75. artic. 1. & denique quæſt. 76. art. 3. ad 2.

DVBITATIO SECVNDA.

An in omni peccato detur auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam.

Pſal. 77. verſ. 57. Ezech. 18. verſ. 24.

Concluſio *affirmatiua.* Primùm, quia id videtur colligi ex iſtis locis Scripturæ. *Auerterunt ſe & non ſeruauerunt pactum: Iuſtus ſi auerterit ſe à ſua iuſtitia nunquid viuet?* & alibi ſæpe.

Deinde, id docent verbis expreſſis aliqui Patres: D. Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio, cap. vltimo, & lib. 2. cap. penultimo. *Quæ*, inquit, *appetuntur ab hominibus mala non ſunt, niſi fuerint auerſi à bono incommutabili, & conuerſi ad bonum commutabile.* D. Auguſt. *In peccato datur auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam.*

Tertiò, quicumque peccat, plus diligit obiectum circa quod peccat, quàm Deum; rectè quippe dixit aliquis inter veteres, quòd quiſque plus diligit, id ſibi Deum facit: at quicumque peccat, ſaltem mortaliter, ideò peccat, quia obiectum circa quod peccat plus amat quàm Deum, qui tamen eſt ſuper omnia diligendus, nedum ex præſcripto legis Euangelicæ, ſed etiam ex dictamine rectæ rationis: ergo.

Quartò, cuilibet peccato actuali mortali, debetur pœna damni, & ſenſus, ex doctrina communi: at pœna damni reſpondet auerſioni à Deo, quæ datur in peccato mortali; pœna vero ſenſus conuerſioni ad creaturam: ergo.

Denique, fieri nequit vt aliquis priuetur gratia & charitate tamdiu quamdiu vel actu, ſeu formaliter, vel certè habitu manet conuerſus in Deum, veluti in vltimum finem; eſt enim gratia, ſeu charitas, obiectum diuinæ dilectionis in nobis, facitque nos formaliter gratos & acceptos Deo vt definit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. ergo in omni planè peccato mortali dabitur auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam: Ità D. Thom. quæſt. 72. artic. 5. huius partis, & quæſt. 87. artic. 4. & 22. quæſt. 2. artic. 1. Durand. & alij Sententiarij in 2. diſt. 35. & 42.

Dices, peccatum veniale eſſe peccatum actuale, non minùs quàm mortale, & tamen in hoc non reperitur auerſio à Deo, tamquam ab vltimo fine; neque conuerſio ad creaturam, tamquam in vltimum finem, alioquin deſtrueret gratiam, & charitatem in nobis, quod tamen negant omnes. *Obiectio.*

Reſpond. auerſionem, & conuerſionem reperiri in peccato veniali, non quidem à Deo tamquam ab vltimo fine, ſed tantùm aliqua ratione, aut, vt alij loquuntur, in peccato veniali datur auerſio à medijs quæ conducunt ad vltimum finem conſequendum, & conuerſio ad creaturam veluti in finem aliquo modo, non tamen vltimum ſimpliciter: atque ità explicanda eſt doctrina à nobis poſita reſpectu peccati venialis. *Solutio.*

Cùm autem diximus, in omni peccato reperiri auerſionem & conuerſionem, id non eſt ità intelligendum quaſi velimus eum omnem qui peccat cogitare inter peccandum formaliter & explicitè de auerſione à Deo, & conuerſione ad creaturam: experientia ſiquidem docet eum v. g. qui furatur, inter furandum animo tantùm tractare de re aliena accipienda, & detinenda inuito domino, minimè vero de receſſu à Deo, ſaltem formaliter, & expreſsè: volumus ergo in omni planè peccato reperiri auerſionem à Deo vel formaliter & expreſsè: vel certè virtute; quod accidit quotieſcumque quis facit aliquid quod eſt contra dictamen rectæ rationis, ſeu, quod idem eſt contra legem ſuperioris.

DVBITATIO VLTIMA.

An ad hoc vt aliquid ſit peccatum, debeat eſſe neceſſariò contra legem.

Partis negantis fundamenta.

SVnt qui putent partem negantem eſſe certiſſimam; dantur enim aliqui actus humani ità per ſe, & ſua natura mali, vt in nullo planè caſu poſſint eſſe honeſti, etiam de poteſtate Dei abſoluta; cuius generis ſunt ea omnia, quæ prohibentur iure naturali, nempe odium Dei, blaſphemiam, mendacium, homicidium, & ſimilia.

1. Deinde, D. Paulus epiſt. ad Rom. cap. 5. verbis expreſſis habet, peccatum extitiſſe in mundo ante legem.

2. Denique, qui agit contra dictamen propriæ conſcientiæ, etiam erroneæ, verè peccat, ex cap. 14. Rom. *Omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt*: id eſt quidquid contra conſcientiam fit, peccatum eſt; nomine ſiquidem fidei hoc loco ſignificatur dictamen conſcientiæ, ex communi Patrum interpretatione: Ità docent Scotus in 3. diſt. 37. quæſt. 1. §. reſtituc. Richardus artic. 1. quæſt. 5. Durandus diſt. 47. lib. 2. quæſt. 4. numer. 16. & plerique recentiores.

Rom. 14. verſ. 23.

Omne peccatũ eſt contra legem. Rom. 4. verſ. 15. Idem 3. verſ. 20. Idem 7. verſ. 7. 1. Cor. 15. 1. Ioan. 3. verſ. 4.

CONCLVSIO VNICA. *Lex eſt ità neceſſaria ad rationem peccati, vt ſinè lege ſuperioris peccatum nequeat conſurgere in genere moris.* Primùm, hæc videtur eſſe mens D. Pauli Rom. 4. *Vbi*, inquit, *non eſt lex, nec prævaricatio legis.* & rurſus. *Lex iram operatur.* & cap. 3. *Per legem enim cognitio peccati.* & iterum cap. 7. *Neſciebam concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi lex diceret, Non concupiſces.* & cap. 15. 1. Corinth. *Stimulus peccati lex.* & cap. 3. 1. Ioann. *Peccatum eſt iniquitas*, id eſt inæqualitas, idque vt explicant aliqui, quòd quodlibet peccatum deficiat à lege ſuperioris.

D. Auguſt.

Deinde, ità docent Patres D. Auguſtinus 22. contra Fauſtum, cap. 27. *Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei.* & lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 16. *Neque peccatum*, inquit, *erit ſi quid erit, ſi non diuinitus iubeatur: vt non ſit.* & lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, ait peccatum eſſe tranſgreſſionem legis, & lib. 1. de duabus animabus cap. 11. & 1. Retractat. cap. 15. & de fide contra Manichæos, cap. 6. ait peccatum eſſe hoc nomine, quòd ſit vetitum & prohibitum lege ſuperioris.

Ambroſ.

Ambroſius lib. vnico de paradiſo, cap. 8. definit peccatum tranſgreſſionem legis. *Quid eſt*, inquit, *peccatum, niſi prævaricatio legis diuinæ, & cæleſtium inobedientia præceptorum?*

Probationes Concluſionis.

Accedunt rationes aliquæ. Prima, Bonitas moralis reſpicit neceſſario legem ſuperioris, diximus enim quæſt. 18. huius partis, bonitatem iſtam nihil aliud eſſe, quàm tendentiam in obiectum bonum bonitate obiectiua conforme præcepto, & legi ſuperioris: ergo malitia etiam moralis præſupponit legem; at malitia moralis opponitur priuatiuè bonitati morali, vt docuimus in ſuperioribus.

1.

2. Secunda: Proprietates actus moralis ſunt meritum & demeritum, pœna & præmium, ex D. Thom. in quæſtionibus de actibus humanis: at meritum ſupponit promiſſionem, vt docebimus in tractatione de merito: ergo & demeritum præſupponit etiam legem aliquam ſuperioris emendantis peccata.

3. Denique, deſtructis præceptis artis nulla ſunt planè peccata contra artem: ergo deſtructis etiam præceptis moralibus, nulla futura ſunt peccata moralia.

Addo, controuerſiam iſtam inter Doctores eſſe tantùm de nomine legis; authores quippe primæ ſententiæ, quando docent peccatum eſſe ſinè lege, nomine legis, intelligunt ordinationem rationis factam ab eo, qui curam habet communitatis, & promulgatam in bonum illius; quare docent ſinè lege poſitiua peccatum aliquod conſurgere poſſe. Authores verò noſtræ Concluſionis nomine legis intelligunt, vel quamcumque ordinationem factam à ſuperiore, vel dictamen rectæ rationis: ità vt velint nullum planè dari peccatum, quod vel non ſit contra legem poſitiuam, vel certè contra rectam regulam; ſeu, quod idem eſt, contra rectam rationem: quæ opinio ità certa eſt, vt etiam authores primæ ſententiæ nulla ratione huic reluctentur; fatentur enim peccata commiſſa contra legem naturalem, ideò eſſe peccata per ſe, & ſua natura, quia pugnant hæc omnia contra regulam rectæ rationis: atque ità ſoluitur primum argumentum primæ ſententiæ.

Solutio 1. fundamẽti.

Ad ſecundum vero argumentum. Reſp. D. Paulum velle tantùm eo in loco peccatum extitiſſe in mundo ante legem poſitiuam, minimè verò ante legem ſimpliciter. Ad id verò quod multi ſubiungunt ex Paulo, cognitionem peccati eſſe per legem. Reſpond. intelligendum eſſe hoc de peccato commiſſo contra legem poſitiuam non autem de peccato quolibet, aut ſi intelligatur de quolibet peccato, id non eſt de cognitione ſimpliciter cuiuſlibet, ſed tantum de magis explicata cognitione; quæ enim prohibentur iure naturali, magis explicantur iure poſitiuo ſcripto vel tradito.

9. Ad vltimum, qui peccat contra dictamen propriæ conſcientiæ, peccare contra legem ſibipſi impoſitam; eſt enim quilibet Deus ſuipſius, & quilibet poteſt proinde ſeipſum obligare: habet ergo dictamen propriæ conſcientiæ rationem legis, etiamſi propriè lex non ſit.

Rom. 2. verſ. 14.

Deinde, id videtur colligi ex Paulo Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter faciunt quæ legis ſunt*, ſcilicet ſcriptæ.

Tertiò, non eſt de ratione legis, quòd hæc ſit à ſuppoſito diuerſo ab eo cui imponitur, vt communiter docent omnes in tractatione de legibus; ſed ſatis eſt quòd ſit à facultate aliqua ſuperiore: Dictamen autem conſcientiæ in omni planè homine eſt actus facultatis ſuperioris ad ceteras omnes potentias, quæ dantur in nobis ex communi doctrina. Ex quibus colliges, definitionem peccati traditam à D. Thom. hoc loco eſſe veriſſimam; nomine ſiquidem, dicti, facti, vel concupiti, deſignatur materiale peccati commiſſionis: per particulas autem iſtas, *Contra legem Dei æternam*, innoteſcit principium formale conſtitutiuum peccati, quod diximus eſſe priuationem rectitudinis debitæ actui, vel voluntati iuxta modum explicatum Dubitatione prima.

Nomine legis quid ſignificetur.

Aduerte, nomine legis ſignificari hoc loco vel rectam rationem, vel præceptum ſuperioris; ità vt peccatum ſit neceſſariò contra alterum iſtorum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXXII.

De peccatorum diſtinctione.

RTICVLO 1. docet D. Thom. vnitatem ſpecificam in peccatis ſumendam eſſe ab obiectis ſpecie diſtinctis, quæ res examinabitur ſtatim à nobis.

ARTICVLO 2. tradit inter peccata alia eſſe carnalia, alia verò ſpiritualia; hæc in delectatione ſpirituali, illa verò in delectatione carnali, ſeu ſenſibili ſunt poſita.

ARTICVLO 3. contendit peccata diſtingui inter ſe ſpecie, non ſecundum cauſas diuerſas actiuas; ſed ſecundum diuerſos fines, qui intenduntur ab ijs qui peccant: fines quippe iſti mouent veluti obiecta quædam, ad peccata committenda; obiectum autem & finis in actibus humanis pro vno & eodem vſurpantur.

ARTICVLO 4. differit omne peccatum ab homine factum, aut eſſe contra Deum, aut contra proximum, aut certè contra ſeipſum. Illius quod eſt contra Deum, meminit Scriptura, Matth 12. Matth 12. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis*, &c. Illius autem quod eſt contra proximum, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. particula enim, *in te*, idem ſignificat atque contra te, licèt non deſint innumeri, qui dicunt particulam proximè commemoratam ſignificare idem atque, *Te ſciente*. Peccati autem contra ſeipſum, meminit Apoſtolus 1. Cor. 6. *Qui fornicatur, in proprium corpus peccat.*

Matth 12. verſ. 32. Matth. 18. verſ. 14.

1. Cor. 6. verſ. 18.

ARTICVLO 5. docet diuerſitatem quæ aſſignatur in peccatis ex reatu, ſeu, quod idem eſt, ex obligatione ad pœnam, non inducere diuerſitatem ſpecificam peccatorum; & conſequenter peccatum veniale & mortale non diſtingui inter ſe ſpecie; diuiſio enim hæc petitur à reatu, ſeu obligatione ad pœnam debitam peccato mortali, & veniali; huic namque debetur pœna temporalis, illi verò æterna.

ARTICVLO 6. tradit peccatum commiſſionis & omiſſionis diſtingui inter ſe ſpecie communiter, quod tamen admonet intelligendum eſſe materialiter, non autem formaliter.

ARTICVLO 7. ait peccata rectè partiri in culpas cordis, oris, & operis; diuiſionem autem iſtam non eſſe generis in ſpecies, ſed eſſe diuiſionem peccati ſecundum aliquos gradus, qui in eo dantur: Peccatum autem cordis dicitur eſſe illud, quod ſola cogitatione interiori admittitur; oris verò quod nedum cogitatione, ſed etiam verbo externo exprimitur, vt periurium blaſphemia, &c. Peccatum denique operis, quod nedum cogitatione interiori, ſed etiam opere aliquo externo conſummatur, huius generis ſunt adulterium, homicidium, &c.

ARTICVLO 8. dicit exceſſum & defectum inducere diuerſitatem ſpecificam in aliquibus peccatis, nempe in eo caſu in quo ſuperabundantia & defectus reſpiciunt obiecta, ſiue motiua ſpecie diſtincta, vt conſtat ex puſillanimitate & audacia; hæc enim pertinent ad diuerſas ſpecies peccatorum, vt auaritia & prodigalitas.

ARTICVLO VLTIMO, docet peccata non multiplicari ſecundum ſpeciem ex circumſtantijs omnibus, quæ repetiuntur in peccato; quando tamen datur circumſtantia aliqua in peccato, quæ inducit rationem obiecti, & motiui diſtincti ab eo quod eſt obiectum proximum & immediatum iſtius peccati, tunc circumſtantia hæc inducit diuerſitatem ſpecificam, ceterùm accidentalem, non eſſentialem.

DVBITATIO PRIMA.

Vndènam deſumenda ſit vnitas ſpecifica in quolibet peccato.

SVnt qui dicant vnitatem hanc repetendam eſſe ex auerſione, quam diximus dari in omni peccato, Dubitat. 2. ad art. 6. quæſt. proximè antecedentis; idque quòd exiſtiment principium formale conſtitutiuum peccati eſſe auerſionem quæ in eo datur. Verùm opinio hæc nullo modo ſuſtineri poteſt; ità enim ſequeretur omnia & ſingula peccata pertinere, ad vnam & eamdem ſpeciem; in omni ſiquidem peccato datur auerſio à Deo, vel tamquam ab vltimo fine, vel tamquam à medijs conducentibus ab vltimum finem. Deinde, auerſio eſt aliqua realis operatio, licèt trahat ſecum priuationem: quare conſtitutiuum peccati intrà propriam ſpeciem erit res aliqua poſitiua, quod tamen diximus non eſſe ità probabile, quemadmodum conſtitutiuum formale peccati eſſe priuationem.

Vnitas ſpecifica peccati non ſumitur ab auerſione.

Alij verò credunt, vnitatem ſpecificam peccati repetendam eſſe à conuerſione, quæ datur in omni peccato commiſſionis: ità communiter Thomiſtæ, & videtur affirmare D. Thom. art. 1. huius quæſt. nituntur autem hoc vnico fundamento: Vnitas, inquiunt, ſpecifica in moralibus ſumenda eſt ex eo, quod per ſe intenditur ab eo, qui operatur moraliter: at id quod per ſe intenditur ab eo qui peccat, eſt obiectum peccati, vt in furto pecunia, in ſacrilegio res ſacra, in homicidio vitæ deſtructio: ergo.

Ceterùm, opinio hæc non videtur ſatis explicata; nam principium formale rei cuiuſlibet conſtitutiuum, confert eidem ſuam ſpeciem; propter hanc enim cauſam definitur forma, id quod dat eſſe rei: at principium formale conſtitutiuum peccati commiſſionis, non eſt obiectum peccati quod intenditur ab eo qui peccat, cùm ſe habeat hoc extrinſecè ad peccatum, ſed principium tale conſtitutiuum peccati, eſt priuatio rectitudinis actualis ſibi debitæ, vt probauimus quæſt. præcedente, artic. 6. ergo vnitas ſpecifica peccati non petitur à conuerſione quæ eſt in omni peccato commiſſionis. Deinde, ſequeretur ex opinione iſtorum authorum, ſacrilegium & furtum commiſſa circa vnum & idem numero obiectum, non eſſe duo peccata ſpecie diſtincta: intenditur namque ab eo qui peccat, ex hypotheſi, vna & eadem numero res, quare vnum & idem numero obiectum: at illatio iſtius minoris negatur ab omnibus communiter; volunt enim ſacrilegium & furtum circa vnum & idem numero obiectum commiſſum, & per vnam & eamdem numero actionem, eſſe duo peccata ſpecie diſtincta, idque quòd actio hæc turpis & inho-

Nec à conuerſione ad creaturam.

neſta aduerſetur duabus virtutibus ſpecie diſtinctis, quarum vna eſt iuſtitia, alia verò religio, hæcque inducit ſpeciem peccati ſacrilegij: illa verò ſpeciem furti: ergo, &c.

Alij verò contendunt diuerſitatem iſtam deſumendam eſſe ex diuerſitate relationum contrarietatis, & diſconuenientiæ, quæ dantur in peccatis à nobis commiſſis: ità Vazquez, & alij nonnulli cum eo.

Non petitur etiam diuerſitas à diuerſitate contrarietatis.

At neque iſti, difficultati propoſitæ ſatisfaciunt: nam quod confert ſpeciem peccato, vt ſic, non poteſt eſſe poſterius natura & eſſentia eiuſdem; debet enim concurrere intrinſecè, ad conſtitutionem peccati, non minùs, quàm principium materiale conſtitutiuum eiuſdem; at relationes diſconuenientiæ & contrarietatis, quæ reperiuntur in peccatis, ſunt poſteriores natura & eſſentia cuiuſlibet peccati: diximus enim art. 6. quæſt. antecedentis relationes iſtas ſe habere ad peccata, vt ſe habet relatio æqualitatis aut inæqualitatis ad qualitatem: igitur fieri non poteſt vt diuerſitas peccatorum ſumatur ex diuerſitate contrarietatis & diſconuenientiæ repertę in peccato.

Neque à diuerſitate præceptorũ.

Alij verò autumant diuerſitatem ſpecificam peccatorum trahendam eſſe à diuerſitate præceptorum, quibus vetantur huiuſmodi peccata: ità Nauarrus, Salas & alij. Probant, quia propter hanc cauſam peccatum definitur: *Dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Deinde, quia dantur aliqua peccata quæ hoc ſolo nomine ſunt peccata, quòd authoritate ſuperioris ſint vetita. Tertiò, vxoratus qui accedit ad non ſuã v.g. non exonerat ſufficienter ſuam conſcientiam in ſacramento penitentiæ, ſi dixerit tantùm ſe cognouiſſe non ſuam, ſed tenetur addere mulierem, cum qua ſe commiſcuit eſſe vxoratam ſi, ex hypotheſi, fuerit hæc matrimonio copulata. Denique præceptum ſuperioris inducit nouam aliquam obligationem.

Opinio tamen hæc nulla ratione videtur defendenda; eſt enim expreſsè contra D. Thom. art. 6. huius quæſt. ad 2. Deinde, dantur aliqua, quæ verè ſunt peccata, ſecluſa quacumque prohibitione ſuperioris, vt conſtat ex ijs omnibus, quæ iure naturali prohibentur; hæc enim ante conſtitutionem Decalogi tam verè erant peccata, quàm poſtquã Moyſes euulgauit decem illa præcepta. Tertiò, nihil repugnat quominus duo aliqua omnino inter ſe diuerſa, prohibeantur vno & eodem præcepto. Quartò, ſi ità res haberet, ſequeretur eum qui nomen Dei aſſumit in vanum committere plura peccata ſpecie diſtincta; extant enim de hac re duo præcepta, vnum quod eſt iuris diuini, & naturalis, vt habetur Exod. 20. alterum verò iuris humani poſitiui; & tamen fatentur communiter Doctores, cum qui nomen Dei temerè vſurpat, vnicum ſpecie peccatum admittere. Denique, actus internus & externus adulterij, itémque furti prohibentur diuerſis præceptis, vt conſtat ex 6. 7. 9. & 10. Decalogi; & tamen actus internus, & externus furti non ſunt duo peccata ſpecie diſtincta, neque item numero; & idem dicendum eſt de actu externo, & interno adulterij. Diximus ſiquidem in tractat. de actibus humanis, actum internum & externum eſſe vnum & idem peccatum: ex quibus omnibus euincitur peccatorum diuerſitatem ſpecificam non eſſe deſumendam ex diuerſitate præceptorum.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad primam & ſecundam, probare tantùm præceptum ſuperioris deſiderari ad peccatum cauſaliter, & accidentaliter, non autem formaliter & intrinſecè: nam quod confert ſpeciem peccato debet eſſe eſſe eidem intrinſecum, vt eſt per ſe notum, præceptum autem ſuperioris eſt aliquid extrinſecum, reſpectu cuiuſlibet peccati, vt eſt etiam notiſſimum, præſertim in eorum opinione, qui putant extare pleraque peccata ſinè vlla planè prohibitione ſuperioris. *Solutio argumentorũ.*

Ad 3. Reſpond. non deeſſe qui putent coniugatum iſtum exonerare ſufficienter ſuam conſcientiam, ſi dixerit ſe acceſſiſſe ad non ſuam; creduntenim circumſtantiam mulieris cõiugatæ, augere tantummodo culpam adulterij, intra eamdem peccati ſpeciem. Ceterùm contraria opinio eſt communis, quare explicanda eſt prædicta circumſtantia neceſſariò in confeſſione; nam quilibet tenetur ſe accuſare in particulari de quolibet peccato multiplicato ſecundum ſpeciem & numerum, ſi peccata hæc fuerint mortalia, vt definitum fuit in Trident. ſeſſ. 14. qui autem cognoſcit vxorem à propria diuerſam, duo peccata numero diſtincta adulterij committit; nam facit hic contra duo matrimonia diſtincta numero, debetur autem iſtis dignitas aliqua omnino diſtincta numero, vt ſunt ſacramenta numero diſtincta: dicemus autem vnitatem numericam peccatorum deſumendã eſſe ab vnitate ſubiecti, & item obiecti, contra quod peccatum huiuſmodi committitur.

Ad vltimam. Reſpond. authoritatem ſuperioris, vt ſic, nihil planè conducere ad vnitatem ſpecificam peccati; diximus enim authoritatem iſtam ſe habere merè extrinſecè ad conſtitutionem peccati. Deinde, quia ità docet D. Thom. loco proximè citato. Non tamen eſt negandum quin authoritas ſuperioris conſtituat peccatum aliquod intrà certam aliquam ſpeciem, non quidem formaliter & intrinſecè, ſed tantummodo cauſaliter; nam ſi ſuperior præcipiat inferiori, vt det eleemoſynam in meritum ſalutaris obedientiæ, & inferior id neglexerit, prętereitio iſtius eleemoſynæ nedum erit peccatum contra virtutem miſericordiæ, ſed etiam contra virtutem obedientiæ, ex communi doctrina; & ratio idipſum ſuadet: prætereitio quippe hæc, nedum miſericordiæ, ſed etiam obedientiæ reluctatur, quare reperitur in ea priuatio rectitudinis debitæ duabus iſtis virtutibus: diuerſitas tamen iſta peccatorum, tantùm eſt cauſaliter à præcepto ſuperioris, à priuatione verò rectitudinis formaliter, & intrinſecè, vt poſtea probabitur.

Vnitas ſpecifica peccati ab obiecto aut modo tendendi eſt repetenda.

CONCLVSIO 1. *Vnitas ſpecifica cuiuſlibet actus vitioſi, ſpectati in genere entis, ſumenda eſt ab obiecto circa quod proximè, & immediatè verſatur, vel certè à modo tendendi in illud:* Ità D. Thom. art. 1. huius quæſt. & interpretes eiuſdem communiter.

1.

Deinde, actus quilibet ſumit ſuam vnitatem ſpecificam ab illo eodem à quo petit eius habitus, vel potentia; pertinent enim iſti actus & habitus ad vnam & eamdem ſpeciem, vt ſupponimus: at habitus quilibet & potentia ſumit ſuam vnitatem ſpecificam ab obiectis, circa quæ verſantur, vel à modo tendendi in huiuſmodi obiecta, (vt docent communiter Peripatetici) ergo & actus.

Tertiò, quodlibet peccatum eſt actus humanus, omnium conſenſu: at quilibet actus humanus ſuam ſpeciem conſequitur ab obiecto circa quod

3.

quod verſatur, vt docet D.Thom.art.3.quæſt.1. huius partis.

4. Denique, obiectum & finis conuertuntur interdum apud Theologos, & Philoſophos morales: at finis confert ſpeciem actibus humanis, ſiue ſermo ſit de fine vltimo operationis alicuius, qui rectiùs dicitur finis operantis, ſiue de fine proximo, qui eſt idem planè cũ obiecto proximo, cuiuſlibet operationis: ergo cũ à fine petatur vnitas ſpecifica in operationibus quibuſuis moralibus, peccata conſequuntur ſuam ſpeciem ab obiecto, vel à modo tendendi in obiectum.

Obiectio. Obijcies, obiectum ſe habere ad quemlibet actum vitioſum ſpectatum in genere entis, & item in genere moris extrinſecè: ergo nequit hoc conferre vnitatem ſpecificam actibus iſtis: nam quod confert ſpeciem debet eſſe intrinſecum ei, quod conſtituitur intrà ſpeciem aliquam.

Solutio. Reſpondeo, nomine obiecti in hac Concluſione, non intelligi præcisè obiectum, prout in ſe eſt, vt bene probat argumentum; ſed ſignatur nomine obiecti, ordo, habitudo, ſeu tendentia, quæ datur in actibus vitioſis ad ſua obiecta: ità vt velimus ab iſto ordine, ſeu tendentia ad obiectum eſſe ſumendam naturam ſpecificam actus vitioſi, imò nedum intelligimus nomine obiecti ordinẽ, & tendentiam ad obiectum, ſed etiam qualitatem illam abſolutam, cum qua identificatur perfectiſſimè ordo, & tendentia, quæ reperitur in actibus vitioſis; ab iſto ſiquidem ordine, & à qualitate iſta abſoluta, quæ de facto datur in actibus vitioſis, prout reſpiciunt ſua obiecta, ſumitur natura ſpecifica cuiuſlibet actus vitioſi ſpectati in genere entis; nam natura iſta ſpecifica actus vitioſi ſedem habet in categoria qualitatis: iuſtitia namque & iniuſtitia ad iſtam ſpeciem reuocantur, ex doctrina Ariſtotelis in cap. de qualitate: qualitas autem abſoluta, vt ſic, nequit conſurgere ex ordine, habitudine, ſeu tendentia, in obiectum præcisè ſpectatis, cùm iſta ſint reſpectiua, abſolutum autem debet conſtitui neceſſariò per rem aliquam abſolutam.

Notabile. Aduerte, propterea dicere nos hoc loco vnitatem ſpecificam cuiuſlibet actus vitioſi in genere entis reperendam eſſe ab ordine, qui datur in actibus vitioſis ad ſua obiecta, minimè verò à qualitate aliqua quæ iſtis inſit, quia qualitas iſta abſoluta nobis non innoteſcit; bene tamen ordo, & tendentia, quæ datur in actibus vitioſis ad ſua obiecta, verè tamen petitur vnitas iſta ſpecifica, à qualitate iſta nobis incognita, iuxta modum explicatum.

A priuatione rectitudinis ſumitur vnitas moralis peccati. CONCLVSIO 2. *Vnitas ſpecifica cuiuſlibet actus vitioſi ſpectati in genere moris ſumenda eſt à priuatione rectitudinis ſibi debitæ.* Primùm, quia in rebus ſimpliciſſimis ab eodem petitur natura ſpecifica, ſeu, quod idem eſt, differentia conſtitutiua ſpeciei, à quo petitur generica natura: at natura generica in quolibet actu vitioſo, ſpectato in genere moris, petitur à priuatione rectitudinis ſibi debitæ, vt probatum fuit ad art. vltimum quæſt. proximè antecedentis D.Tho. & idem docuimus de actibus humanis bonis ad quæſt. 18. huius part. 1.

2. Deinde, priuationes ſumunt ſuam vnitatem ſpecificam ab habitibus ſibi oppoſitis; quilibet autem actus vitioſus, ſpectatus in genere moris, dicit priuationem, vt docuimus ad art. 6. quæſt. proximè antecedentis.

3. Tertiò, natura ſpecifica peccati originalis poſita eſt in priuatione iuſtitiæ originalis debitæ poſteris Adæ; eſſentia item ſpecifica peccati omiſſionis conſurgit ex priuatione actus qui potuit & debuit à nobis fieri ex obligatione præcepti affirmatiui: ergo idem erit dicendum de qualibet natura ſpecifica peccati commiſſionis.

4. Denique, bonum & malum morale opponuntur inter ſe priuatiuè: ergo in priuatione iſtius rectitudinis debitæ, poſita erit natura & eſſentia ſpecifica peccati ſpectati in genere moris. Ità docet pluribus Salas, licèt putet etiam probabiliter defendi poſſe, vnitatem iſtam repetendam eſſe ex diuerſitate præceptorum, quibus peccata iſta prohibentur: ità etiam ſentiunt fere omnes illi qui aiunt rationem formalem peccati poſitam eſſe in priuatione.

Obiectio. Dices, ſi ità res habeat, ſequitur auaritiam, & prodigalitatem, itémque furtum, adulterium, & homicidium non diſtingui inter ſe ſpecie; duo enim priora aduerſantur vni tantùm liberalitati; tria verò ſubſequentia peccata pugnant cum vnica ſpecie iuſtitiæ.

Solutio. Reſpondeo, negando illationem antecedentis: Ad probationem autem, nomine priuationis rectitudinis debitæ, non ſignificari virtutem oppoſitam peccatis præcisè, ſed intelligimus, vel virtutem oppoſitam, vel diuerſos modos operandi, quos habet virtus iſta; ità vt à priuatione iſtarum rectitudinum contendam deſumendam eſſe diuerſitatem ſpecificam, quæ datur in actibus vitioſis conſideratis in genere moris: libertas ergo duplicem habet modum operandi conformiter præcepto, & legi ſuperioris; præcipit enim hæc vt tantum detur, quantum neceſſe dari hîc & nunc, cum his & illis circumſtantijs: præcipit etiam vt non detur res propria, quando incumbit neceſſitas dandi, ex motiuo iſtius virtutis. Contra hunc poſtremum modum operatur auaritia, contra verò priorem prodigalitas; quare peccata iſta cenſentur eſſe diſtinctæ ſpeciei, propter bonitates actuales, quæ reperiuntur in virtute liberalitatis, à quibus deficiunt auaritia & prodigalitas, hæc largiendo pluſquàm par ſit; illa verò detinendo vltra debitum. Idem dicendum eſt de virtute iuſtitiæ, & item de peccatis parricidij, furti, & adulterij. Nititur autem hæc doctrina, hoc vnico fundamento, vnitatem ſcilicet cuiuſlibet actus, vel habitus ſpecificam deſumendam eſſe, vel ab obiecto, vel à diuerſo modo tendendi in huiuſmodi obiectum; peccata autem proximè commemorata, licèt reſpiciant vnam & eamdem virtutem, non tamen id præſtant, eodem modo, ſed diuerſa ratione, & ideò cenſentur eſſe quoque ſpecies diuerſæ.

DVBITATIO SECVNDA.

Vtrùm deſumenda ſit vnitas numerica cuiuſlibet peccati.

Quorundã opinio & fundamẽta. SVnt qui putent ſumendam eſſe ab vnitate numerica obiecti, circa quod verſantur iſta peccata, minimè verò ab vnitate ſubiecti, in quo recipiuntur. Probant, quia tot ſunt ſacramenta Euchariſtiæ v. g. quot ſunt ſpecies conſecratæ; minimè verò tot, quot ſunt Sacerdotes conſecrantes; item tot ſunt numero diſtincta homicidia, quot ſunt homines occiſi, non autem tot quot ſunt occidentes.

Digitized by Google

Reijcitur. Ceterùm opinio iſta vacat probabilitate; nam voluntas occidendi & furandi, nullo ſubſequuto actu externo, ſunt peccata ſpecie & numero
Matth 15. diſtincta, vt colligitur ex illo Matth. 15. *De cor-*
verſ. 19. *de exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta*, &c. Deinde, quodlibet accidens pendet à ſuo obiecto in eſſe, fieri, & conſeruari, ſaltem de lege communi. Tertiò, fieri nequit vt aliquod peccatum dicatur de aliquo niſi fuerit in eo: at peccatum dicitur de eo, qui peccauit tamdiu, quamdiu actus hic non fuit emendatus per veram penitentiam: ergo actus hic ſumit ſuam vnitatem ſaltem aliqua ratione à ſuo ſubiecto. A

Soluitur argumentum contrarior. Ad id verò quod obijcitur ab authoribus contrariæ ſententiæ. Reſp. tot eſſe homicidia, quot ſunt homines occiſi, minimè verò tot, quot ſunt occidentes, ſi homicidia iſta ſpectentur præcisè obiectiuè; non autem ſi ſpectentur ſubiectiuè, tot enim ſunt homicidia ſubiectiuè ſpectata, quot ſunt qui huiuſmodi homicidium fecerunt, imputatur enim cuilibet ex iſtis in ſolidum; ita vt quilibet teneatur ad totum damnum reparandum; illo eodem modo, quo licèt res furto ſublata fuerit vna numero, ſi tamen plures furtum hoc admiſerint, quilibet ex iſtis eſt verè reus peccati furti, & tenetur ad reſtitutionem in ſolidum; ſúntque tot furta numero diſtincta, quot dantur homines, qui ad huiuſmodi furtum concurrunt: dicemus enim vnitatem numericam peccati pe- C tendam eſſe ab vnitate numerica ſubiecti in ordine ad eiuſdem obiectum, in quo, vel circa quod peccatum hoc committitur. B

Ad id verò quod ſubiungitur de vnitate ſacramenti Euchariſtiæ. Reſpond. non eſſe ad rem; ſacramentum quippe hoc in facto eſſe, cenſetur eſſe res aliqua permanens, cùm conſurgat ex ſpecie conſecrata, ex corpore Chriſti, & ſanguine exiſtente ſub eiuſmodi ſpecie: quare ſuam vnitatem numericam petit hoc à ſpecie iſta conſecrata, & à corpore Chriſti ſub eadem cõſtituto; minimè verò à ſacerdote vel ſacerdotibus conſecrantibus, niſi tantùm cauſaliter & effectiuè: peccatum verò actuale ſuam mutuatur vnitatem numericam, D à ſubiecto, quod eiuſmodi peccatum liberè & voluntariè commiſit. Diximus enim art. 6. quæſt. antecedentis peccatum commiſſionis eſſe dictum, factum, vel concupitum, &c.

Aliorũ ſententia. Sunt & alij qui exiſtimant vnitatem numericam peccati deſumendam eſſe ab vnitate præcepti, quo prohibetur huiuſmodi peccatum, vt qui non audit v.g. ſacrum die feſtiuo, concurrente cum Dominica, admittat duo peccata numero diſtincta, propter præcepta diuerſa de audiendo ſacro Dominicis & feſtiuis; idem docent de ijs, qui non ieiunant feria ſexta quadrageſimæ, ſi teneantur ex aliquo alio capite ieiunare omnibus alijs ſextis ferijs totius anni. Ita Nauarrus, & alij non- E nulli.

Impugnatur. Ceterùm hæc opinio reijcitur communiter; Diximusenim Dubitatione antecedente, vnitatem ſpecificam in peccatis, non eſſe repetendam à præceptis, quibus prohibentur huiuſmodi peccata. Deinde, non minùs ſe habent præcepta iſta extrinſecè, ad peccatum quodlibet in indiuiduo ſpectatum, quàm ad peccata ſecundum ſpecies conſiderata; quare non poſſunt hæc conferre vnitatem numericam, cùm vnitas ſumenda ſit ab aliquo quod ſit intrinſecum peccato. Denique, rationes authorum contrariæ ſententiæ nituntur falſo fundamento, neque enim verum eſt cum, qui non audit ſacrum die feſtiuo, cadente in Dominicam, duo peccata numero diſtincta committere; operatur enim hic contra vnam tantummodo virtutem, & contra vnam tantùm obligationem, de audiendo ſacro, diebus feſtiuis: idem dicendum eſt de eo, qui non ieiunat ſingulis ſextis ferijs totius anni in quadrageſima, niſi etiam teneatur ex voto, vel ex præcepto ſpeciali ſuperioris; nam, in hac hypotheſi duo peccata numero diſtincta committit, qui ieiunium ſoluit; alterum contra virtutem temperantiæ, alterum contra virtutem religionis, vel obedientiæ.

CONCLVSIO. *Vnitas numerica cuiuſlibet peccati, petenda eſt ab vnitate numerica ſubiecti, in quo ſubiectis percipitur in ordine tamen ad obiectum, circa quod verſatur vnitas huiuſmodi peccatum.* Primùm, quia ita docent communiter Thomiſta hoc loco: alij verò in 4. *peccati.* diſt. 20. alij in tract: de Confeſſione. 1.

Deinde, idem videtur dicendum de vnitate numerica peccati, quod de vnitate numerica cuiuſlibet relati, cæteris tamen paribus; at relata multiplicantur ſecundum numerum, iuxta diuerſitatem fundamentorum, cum quibus identificantur in ordine ad ſuos proximos correlatiuos: propter hanc enim cauſam fatentur omnes relata ſe mutuò ponere & tollere, & identificari cum ſuis fundamentis. 2.

Tertio, concreta multiplicantur in ordine ad ſua ſubiecta, in ordine tantùm ad formas, quibus conſtituuntur, vt eſt per ſe notum. 3.

Denique, accidentia illa cenſentur eſſe inter ſe diſtincta numero, quæ diſtinctis realiter inſunt ſubiectis: ergo à ſubiectis repetenda erit vnitas numerica peccati, in ordine tamen ab obiectum, circa quod verſatur. 4.

Obiectio. Dices, ex iſtis colligi peccata multiplicari ſecundum numerum in vno & eodem homine, quod tamen negant Philoſophi communiter: aiunt enim accidentia ſolo numero diſtincta, non reperiri in vno & eodem ſubiecto.

Solutio. Reſpond. non eſſe abſurdum accidentia ſolò numero diſtincta in vno & eodem ſubiecto collocari; nam id fatentur plerique de relatis ſecundum eſſe, imo hoc concedunt etiam communiter Theologi de anima Chriſti, cùm admittunt in ea ſcientiam per ſe acquiſitam, & per accidens infuſam, quæ tamen non poſſunt diſtingui inter ſe ſpecie, cùm verſentur circa vnum & idem planè obiectum, & eodem modo. Deinde, actus dilectionis naturalis, & ſupernaturalis non pertinent ad diuerſas ſpecies, cùm habeant idem planè obiectum, ſaltem ex multorum opinione: ergo. Ad id quod dicitur cum Philoſophis, accidentia numero diſtincta non multiplicari in eodem ſubiecto. Reſpond. propoſitionem iſtam habere tantum locum in accidentibus ſimpliciter abſolutis, minimè vero in illis quæ licèt ſint abſoluta, includunt tamen intrinſecum & eſſentialem ordinem ad obiecta extra ſe poſita, cuius generis ſunt peccata omnia.

DVBITATIO VLTIMA.

An illi omnes actus qui fiunt à nobis ſucceſſiuè circa obiectum peccati ſint vnum; an verò plura peccata numero diſtincta.

Duo genera peccatorum. ADuerte, peccata quæ committuntur à nobis eſſe in duplici differentia; alia namque ſunt quorum malitia completur perfectiſſimè in ſolo aliquo

aliquo actu interno; alis verò ſunt quorum malitia completur in opere interno, & externo ſimul; huius generis ſunt furtum, adulterium, homicidium; illius verò hæreſis, ignorantia culpabilis, blaſphemia, &c.

Actus ſucceſſiuè facti ſint plura peccata.

CONCLVSIO 1. *Actus qui ſit à nobis ſucceſſiuè circa vnum & idem numero obiectum peccati, quod ſolo opere interno conſummatur, ſunt plura peccata numero diſtincta, nempe tot, quot ſunt actus iſti à nobis iterati, ſaltem interdum.* Primùm, aſſenſus quem quis primo loco præbet vni propoſitioni contrariæ articulis fidei, eſt vere peccatum hæreſis; neque enim vlla poteſt aſſignari ratio cur ſecundus, aut etiam tertius aſſenſus circa iſtam propoſitionem ſit peccatum hæreſis; minimè verò primus; cùm ratio hæreſis poſita ſit in quolibet aſſenſu contrario articulis fidei, coniuncto cum pertinacia, vt fatentur omnes in tractat. de fide.

2. Deinde, ſuppono actus iſtos repetitos à nobis circa idem obiectum peccati, non ſubordinari ſibi inuicem, ſed vnumquemque continere perfectiſſimè malitiam iſtius peccati.

3. Tertiò, ſuppono actus iſtos interrumpi nedum phyſicè, ſed etiam moraliter loquendo, quod velim diligenter obſeruandum: nam ſi actus iſti non fuerint intercepti, & interrupti moraliter, non poſſunt conſtituere diuerſitatem numericam peccatorum; cenſentur enim eſſe vna actio moraliter loquendo, cùm videatur habere ortum ab vno, & eodem motu voluntatis, & verſetur proinde circa vnum & idem numero obiectum; quo in caſu omnes illi actus dicuntur fieri à nobis ſucceſſiuè, phyſicè loquendo, minimè verò moraliter, propter cauſas explicatas, & propter morulas iſtas breuiſſimas, quæ interijciuntur inter hos actus phyſicè ſpectatos. Confirmatur hoc, ex eo quòd in moralibus pro nihilo reputetur breuis aliqua mora phyſica. Colligitur etiam in hac hypotheſi, actus iſtos ſucceſſiuos non eſſe neceſſariò in confeſſione manifeſtandos: ſola ſiquidem peccata mortalia, ſolo numero diſtincta, & ſpecie, ſunt in confeſſione aperienda; diximus autem de illis actibus quòd non ſint plura peccata numero diſtincta: ergo neque erunt in confeſſione neceſſariò manifeſtanda, ſecus tamen dicendum eſt de prima hypotheſi, cum quilibet ex iſtis actibus ſit peccatum numero diſtinctum ab alijs.

Actus ſucceſſiuè facti aliquando vnius numero peccatum.

CONCLVSIO 2. *Actus qui ſiunt à nobis ſucceſſiuè circa obiectum alicuius peccati, cuius malitia opere interno, & externo ſimul conſummatur, ſunt vnum numero peccatum.* Primùm, quia omnes iſti actus verſantur circa vnum & idem numero obiectum: & præterea habent vnum & eumdem planè numero finem.

1.

2. Deinde, omnes iſti actus ſubordinantur veluti media quædam ad opus externum hoc executioni demandandum, vt ſupponimus.

3. Tertiò, contendimus de iſtis omnibus actibus, quod pendeant ab vno, & eodem planè affectu voluntatis noſtræ: quare licèt interrumpantur phyſicè, minimè tamen moraliter.

4. Quartò, propter hanc cauſam qui conſtituit hodierna die occidere Paulum, agentem verbi gratia Burdigalæ, & aggreditur iter, aliáſque exercet operationes, donec Burdigalam peruenerit, vt illic homicidium hoc perpetret, actus iſti intermedij, & homicidium de facto commiſſum poſtea, ſunt vnum tantùm numero homicidium: ex actu quippe externo, & interno, & ex alijs ordinatis ad huiuſmodi actum externum, vna tantùm numero malitia conſurgit: ergo actus ſucceſſiuè facti circa obiectum alicuius peccati, quique coaleſcunt ex actu interno & externo, ſunt vnum numero peccatum. Ità Salas, diſp. 6. tract. 7. ſect. 6. à numero 15. ad 39. vſque, & communiter Caſuiſtæ, itémque Scholaſtici in tractat. de Confeſſione.

Aduerte tamen, malitiam in iſtis actibus iteratis, in data hypotheſi, non ſemper eſſe ſumendam à primo illo actu interno voluntatis, quo determinabit ſe ad homicidium perpetrandum: nam fieri poteſt vt hæc voluntas, eſſe deſierit nedum phyſicè, ſed etiam moraliter loquendo; quod autem nullo modo eſt, nequit aliud quidpiam inquinare. Deinde, fatentur Doctores eos actus liberos ſe commaculare, qui inter ſe ſubordinantur. Denique, ex opinione contraria ſequeretur eum verbi gratia, qui hodie determinat ſe ad furtum committendum, quod tamen poſt decennium exequitur, eſſe vnum tantummodò numero furtum, quod negant omnes: actus namque iſti interius & exterius, nedum phyſicè, ſed etiam moraliter ſunt interrupti, quare nequeunt abſoluere vnam numero malitiam. *Notabile.*

Cetera quæ habet D. Thom. in hac tota Quæſtione ex littera eiuſdem facili negotio intelligi poſſunt.

QVÆSTIO LXXIII.

De peccatorum ad inuicem comparatione.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. non omnia peccata eſſe inter ſe connexa, ſicut virtutes connectuntur inter ſe.

ARTICVLO 2. dicit non omnia peccata eſſe paria.

ARTICVLO 3. grauitatem peccatorum petendam eſſe ex dignitate obiecti: circa quod verſantur.

ARTICVLO 4. grauitatem peccatorum differre ſecundum dignitatem virtutum quibus opponuntur.

ARTICVLO 5. peccata carnis eſſe maioris infamiæ, & minoris culpæ, quàm ſint ſpiritualia; hæc enim ſemper habent rationem maioris culpæ, ſi tamen cetera ſint paria.

ARTICVLO 6. grauitatem peccatorum refundendam eſſe in cauſas eorumdem, maximè verò in maiorem affectum, ſeu conatum voluntatis, & item in finem qui intenditur à peccante.

ARTICVLO 7. peccata aggrauari ex circumſtantiis adiunctis.

ARTICVLO 8. peccatum intendi ſecundum maius nocumentum, præſertim quando nocumentum hoc fuit per ſe intentum, aut etiam præuiſum.

ARTICVLO 9. dignitatem perſonæ contra quam peccatum admittitur, aggrauare turpitudinem culpæ commiſſæ.

Digitized by

ARTICVLO VLTIMO contendit dignitatem personę peccantis augere similiter culpam commissam.

DVBITATIO PRIMA.

An peccata sint inter se connexa.

Iacob. 2. vers. 10. RAtio dubitandi, quia Iacob. 2. dicitur, *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

D. Thom. Deinde, D. Thom. art. 1. huius quæst. docet virtutes esse inter se connexas: *Omnium virtutum intentio in idem tendit, & propter hoc omnes virtutes habent connexionem ad inuicem.*

Peccata nō sunt inter se connexa. Iacob. 2. vers. 11. CONCLVSIO. *Peccata non sunt inter se connexa.* Hæc videtur esse de fide, Iacob. siquidem 2. dicitur: *Quòd si non mœchaberis, occidas autem, factus es legis transgressor.*

Deinde, si res aliter haberet, sequeretur omnes peccatores æqualiter esse peccatores, & æquales promererì pœnas; quorum tamen neutrum sustineri potest, cùm Scripturę, itémque Patres doceant pœnas damnatorum esse inæquales; vt & gloria Sanctorum, ex doctrina Scripturę sacrę, censetur esse inæqualis, vt colligunt ex cap. 14. Ioann. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* & ex illo Apostoli, *Differt stella à stella in claritate, 1. Cor. 15. ità & resurrectio mortuorum.* vers. 41.

D. August. Alexand. Chrysost. Hierony. D. Thom. *Solutio argumentorū.* Denique, ità docent Patres, maximè verò D. Augustinus epistola 29. ad locum proximè citatum Iacob. Cyrill. Alexand. Chrysost. Hierony. dialogo primo contra Pelagian. & D. Thom. art. 1. huius quæst. itémque interpretes eiusdem.

Ad rationes verò dubitandi respondet D. Thom. Ad primam, articulo proximè citato, locum D. Iacobi intelligendum esse de auersione, quę datur in peccato, non autem de conuersione; ità vt sensus sit, eum qui peccat mortaliter auerti à Deo non minùs vno peccato, quàm si admitteret plura peccata mortalia; cum istis tamen rectè cohæret, peccata esse inæqualia respectu conuersionis ad creaturam, quæ datur in qualibet culpa mortali; nam cùm res, ad quas conuertimur peccando, sint inter se inæquales, peccata quoque, ex isto saltem capite, erunt inæqualia.

Patrū SS. expositiones. D. verò Augustinus, epist. 29. ad Hieronym. locum Iacobi putat intelligendum esse de peccato mortali, comparato cum gratia, & charitate; ità vt velit Iacobus, eum qui offendit in vno esse ceterorum omnium reum, respectu destructionis charitatis, & gratię; per quodlibet enim peccatum mortale, destruitur Charitas in nobis, cùm opponantur hæc duo, de lege communi. Accedit, legis adimpletionem tribui in sacris litteris charitati, Rom. 13. *Qui diligit proximum legem impleuit.* Galat. 5. vers. 14. & ad Galat. 5. *Nam omnis lex in vno sermone impletur; Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Burgensis & alij nonnulli recentiores, putant locum hunc esse intelligendum contra Pharisæos exstimantes, satis esse ad salutem, si quis præcepta quædam legis obseruaret, etiamsi cetera prætermitteret; contra ergo hunc errorem docet D. Iacobus non sufficere ad salutem adimplere partem legis, quùm tota lex sit ei imposita, sed necessariò totam esse executioni demandandam.

Alij denique putant eum qui offendit in vno esse reum ceterorum peccatorum, non quidem formaliter & actu, sed tantùm dispositiuè, qui enim peccatum aliquod mortale committit, hoc ipso censetur esse dispositus ad alia committenda, ex illo D. Gregorij: peccatum quod non citò tollitur per penitentiam, suo pondere trahit nos ad aliud peccatum. D. Gregor.

Ad secundam. Respond. concesso antecedente, negando consequentiam; bonum quippe consurgit ex integra causa; malum autem ex quolibet defectu; virtutes autem rationem boni consequuntur, quare debent esse inter se connexę; at peccata sunt verè mala, & ideò non est necesse, vt posito vno, cetera omnia ponantur, præsertim si sermo sit de peccatis, quæ eatenus sunt peccata, quatenus sunt lege superioris prohibita. 2.

Adde virtutes non esse inter se connexas, vt sunt actus, aut habitus aliqui, sed tantùm in ratione virtutis, vt tradunt interpretes D. Thom. aut, vt loquuntur alij, in ratione virtutis simpliciter; hac siquidem ratione, de lege communi nullus planè iustificatur, in quo non dentur omnes omnino virtutes, tam per se infusæ, quàm per se acquisitæ, vt docet D. Thom. in tractat. de baptismo, & de virtute in communi.

DVBITATIO SECVNDA.

An peccata sint per se æqualia.

Stoïcorum error. SToïci docuerunt antiquitus peccata omnia esse æqualia; subscripsit istis Tullius paradoxo 3. & item ex hæreticis Iouinianus. qui vixit temporibus Imperatoris Theodosij, & Siluij Pontificis Maximi, referente D. Augustino, Sandero lib. 7. de visibili monarchia, & Prateolo lib. 4. de vitis, & sectis hæreticorum, verbo, *Iouinianus.*

Probat. 1. D. Basil. Istorum autem hæresis probari potest ex Basilio in regulis breuioribus, regula 293. ait enim illic, religionem Christianam nullam agnoscere peccatorum diuersitatem, nullam item inæqualitatem.

2. Deinde, quodlibet peccatum mortale est infinitum, cùm sit contra Deum, qui verè est infinitus: infinito autem non datur aliquid maius.

3. Tertiò, ratio priuationis posita est in inpartibili, & indiuisibili, cùm sit nihil: at peccatum formaliter spectatum, ex nostra sententia consistit in priuatione.

4. Denique, summo malo non potest esse aliquod maius: peccatum autem mortale est verè summum malum, cùm priuet nos beatitudine æterna, inducátque reatum pœnę æternę: ergo omnia peccata erunt æqualia.

Peccata sunt inter se inæqualia. CONCLVSIO. *Peccata sunt inter se inæqualia.* Hæc est de fide: dicitur enim Threnorum 4. *Maior facta est iniquitas filia populi mei peccato Sodomorum.* & Hierem. 7. *Peius operati sunt quàm Patres eorum.* & Ioann. 19. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet,* quo loco proditio Iudę, anteponitur peccato commisso à Pilato, adiudicando Christum morti, ex D. Augusti. Cyrillo, & Chrysostomo ad hunc locum. Threno. 4. vers. 6. Hierem. 7. vers. 26. Ioann. 19. vers. 11.

Deinde, de Sodomitis dicitur, *Genes. cap.* 13. quòd fuerint pessimi peccatores coram Domino.

D. August. Tertiò, in hac sententia sunt SS. Patres, maximè verò D. August. epist. 29. ad Hieronym. *Et illud quidem,* inquit, *de virtutibus & vitijs, si veraciter dicitur, non est consequens, vt propter hoc omnia peccata sint paria. De paritate peccatorum soli Stoïci ausi sunt disputare, contra omnem sensum generis humani, omnia paria asserentes esse peccata.* & tract. 116. in Ioann. & in Psalm. 63. Hieronymus ad cap. 9. Ezechie- Hierony.

Ezechielis. *Pro magnitudine iniquitatis, magnitudo ſupplicij erit, ex quo diſcimus, non vt plerique æſtimant, & maximè Stoïci, paria eſſe peccata, ſed vel magna, vel parua, & pro qualitate menſuráque peccantium diuerſitatem eſſe iudicij punientis.* & epiſt. ad Celantiam. & lib. 2. contra Iouinianum, & dialogo 1. contra Pelag. Origenes hom. 10. in Ezechiel. *Si habuero quinquaginta peccata, quinquaginta habebo ignominias: ſi centum, duplicabitur mihi pœna pro ſingulis, & pro magnitudine delictorum tribuetur mihi ignominia. Maximis peccatis, magnus cruciatus adiungitur. Deus autem ſolus verus index magnitudines peccatorum, & ignominiæ qualitates, & peccatis numerum poteſt peruidere.* & Gregorius lib. 21. Moral. cap. 9.

Origen.

Gregor.

Quartò, pœnę inæquales decernuntur peccatoribus, ex illo Deuteron. 25. *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus.* & Apocalyps. 18. *Quantum ſe in deliciis glorificauit, tantùm date illi tormentum & luctum:* at implicat pœnas eſſe inæquales, & peccata eſſe inæqualia, cùm pœna reſpondeat perfectiſſimè demeritis, quemadmodum & præmium reſpondet meritis. Confirmatur. Retributio vitæ ęternę cenſetur eſſe inæqualis, ex cap. 13. 1. Corinth. & ex cap. 14. Ioann. ergo & pœna debita peccatis erit etiam inæqualis, ac proinde peccata erunt etiam inæqualia.

Deuter. 25. verſ. 2.

Apoca. 18. verſ. 7.

Quæſtionale reſolutio.

ROGABIS, *An Concluſio hæc nedum habeat locum in iis quæ per ſe & ſua natura ſunt mala; ſed etiam in iis, quæ ideo tantùm ſunt mala, quia ſunt prohibita.*

RESPONDETVR *affirmatiuè:* nam peccata quæ fiunt à nobis circa leges poſitiuas, tantùm aduerſantur certis quibuſdam virtutibus, omnium planè conſenſu; at virtutes iſtæ non ſunt inter ſe æquales, vt probatum fuit in antecedentibus: ergo.

Deinde, leges iſtæ poſitiuæ vetant nociua, & imperant vtilia; definitur namque lex poſitiua, rationis ordinatio facta ab eo qui curam habet communitatis, propter bonum eiuſdem, & item promulgata ab eodem: at inter vtilia, vel etiam pernicioſa datur inæqualitas, vt eſt per ſe notum.

Tertiò, quæ fiunt à nobis ex præſcripto legis poſitiuę, aut etiam contra præceptum eiuſdem, non fiunt cum ijſdem circumſtantiis ſemper, ſed cum diuerſis: ergo cum turpitudo cuiuſlibet culpę ſit deſumenda à ſuo obiecto, & fine operantis, & denique circumſtantiis omnibus, peccata contra ius poſitum commiſſa erunt inæqualia.

Satisfit rationibus cõtrarijs.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad primam, propoſitionem iſtam additam fuiſſe operibus D. Baſilij, ex multorum opinione: homilia ſiquidem 10. & 14. agnoſcit euidenter inter peccata dari inæqualitatem aliquam: Ceterùm reſponſio hæc non ſatis videtur tuta; propoſitio enim hæc reperitur in omnibus codicibus manuſcriptis, & item in ijs, qui ſunt de nouo typis mandati. Deinde, propoſitio hæc, poteſt admittere aliquem ſenſum, ſunt enim qui dicant locum hunc intelligendum eſſe de peccatis mortalibus comparatis cum gratia, & charitate; de iſtis ergo peccatis mortalibus aſſerit Baſilius, quòd nulla inter hæc detur inæqualitas, ad hoc vt deſtruatur gratia in nobis; quodlibet namque ex iſtis perimit in nobis gratiam, idque vel phyſicè, vel moraliter. Sunt etiam qui dicant propoſitionem hanc intelligendam eſſe de ſanctitate & integritate religionis Chriſtianę; ità vt velis D. Baſilius probitatem & ſanctitatem Chriſtianam nullam admittere in ſe culpam, etiam minimam: propter hanc enim cauſam dicitur de Eccleſia Catholica quod ſit ſinè macula, & ruga: volunt ergo iſti, Baſilium non eſſe loquutum de peccatis, prout hæc comparantur inter ſe, ſed tantùm quatenus reijciuntur ab integritate, & ſanctitate religionis Catholicę; ità vt Eccleſia ideò nullam agnoſcat peccatorum inæqualitatem, quòd peccata quælibet, etiam minima reſpuat, & reijciat.

Ad 2. peccatum mortale non eſſe infinitum ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed verè finitum: pertinet enim quodlibet ad certam aliquam ſpeciem, ad illam nempe eamdem, ad quam virtus oppoſita: dicitur ergo peccatum infinitum hoc ſolo nomine, quòd ſit contra Deum qui eſt infinitus, ſed de his ad 3. partem, quæſt. 1. art. 2.

Ad 3. priuationes eſſe in duplici differentia; aliq namque ſunt in eſſe corrupto, aliq verò in fieri, ſeu corrumpi; inter primas computatur mors, cæcitas, & alia; inter poſteriores ægritudo, claudicatio, & ſimilia: priores nullam admittunt inæqualitatem, bene tamen poſteriores, idque quòd illæ nihil planè formę ſibi oppoſitę relinquant in ſubiecto; mors quippe deſtruit ſimpliciter vitam, quemadmodum & cæcitas viſum: hæ verò relinquunt aliquid formę ſibi oppoſitę in ſubiecto: ægritudo namque non deſtruit ſimpliciter debitam humorum compoſitionem, ſed aliqua ratione tantùm; claudicatio item non deſtruit ſimpliciter rectitudinem, ſed tantùm aliqua ratione; ac proinde de iſtis priuationibus aſſerendum eſt, quòd aliæ alijs ſint maiores, ſeu inæquales; inter iſtas autem priuationes computantur peccata, quæ à nobis committuntur. Ità Alphonſus Curiel & alij.

Magis tamen explicatè tollunt difficultatem, qui docent priuationes ſpectari duobus modis; quatenus ſunt priuationes præcisè, & quatenus comparantur cum habitibus ſibi oppoſitis: priori modo, priuationes non ſuſcipiunt magis & minùs, eſt enim natura priuationis, vt ſit poſita in impartibili; poſteriori tamen modo ſuſcipiunt magis & minùs iuxta inæqualitatem earum rerum quibus opponuntur. Peccata autem recenſentur inter iſtas priuationes, quando dicuntur à nobis inter ſe eſſe inæqualia.

Ad vltimam, peccatum mortale non eſſe per ſe, & ſua natura ſummum malum; ſed tantùm hoc nomine quia priuat nos vita æterna, quæ cenſetur eſſe ſumma felicitas noſtra.

DVBITATIO VLTIMA.

Vndènam ſumenda ſit totalis, & adæquata malitia peccati.

CONCLVSIO. *Malitia totalis in quolibet peccato, petenda eſt ex obiecto; ſeu, quod idem eſt, ex fine proximo, & ex omnibus circumſtantijs eiuſdem;* Ità communiter omnes hoc loco, & in tract. de actibus humanis.

Ex fine proximo & circumſtantijs ſumenda malitia peccati.

Deinde, vnitas ſpecifica eſſentialis cuiuſlibet peccati, repetenda eſt ab obiecto eiuſdem, & ex fine qui intenditur ab operante; inducit enim id, vt plurimum, malitiam accidentalem ſpecificam in peccatis, & ex ceteris circumſtantiis: at nihil vltra datur in peccato: ergo.

Denique, idem eſt iudicium de actibus vitioſis, quod de bonis, ceteris tamen paribus: at totalis bonitas cuiuſlibet actus ſumitur ab obiecto,

Digitized by Google

à fine qui intenditur ab operante, & à ceteris circumſtantiis, quæ concurrunt ad productionem iſtius actus: ergo idem erit dicendum de totali malitia peccati cuiuſlibet: quænam verò & quot ſint circumſtantiæ humanorum actuum, diximus in ſuperioribus ad quæſt. de voluntario & inuoluntario.

QVÆSTIO LXXIV.

De ſubiecto peccati.

ARTICVLO primo docet D. Thom. voluntatem rationalem eſſe ſubiectum peccati.

ARTICVLO 2. contendit nedum voluntatem, ſed etiam omnes potentias, quæ moueri poſſunt à voluntate noſtra ad operandum, vel non operandum, eſſe ſubiectum peccati.

ARTICVLO 3. ait in appetitu ſenſili poſſe eſſe peccatum veniale.

ARTICVLO 4. peccatum mortale non poſſe habere ſedem in appetitu ſenſili, ſed tantùm in rationali.

ARTICVLO 5. affirmat in ratione ſumpta ſecundum ſe, hoc eſt, vt eſt cognoſcitiua veri, poſſe eſſe peccatum; præſertim quando datur in recta ratione ignorantia, vel error circa id quod potuit,& debuit fieri. Addit,reperiri etiam in eadem ratione peccatum, quando actus ceterarum potentiarum inferiorum vel imperat, vel certè non coërcet quando poteſt & debet: ſpectatur autem tunc temporis ratio, vt eſt regulatrix & directiua facultatum inferiorum.

ARTICVLO 6. in ratione moroſæ delectationis eſſe peccatum, quando non reſpuit illicitum paſſionis motum, quem ex deliberationis iudicio in ſe prouocauit, & aduertit motum hunc eſſe deordinatum.

ARTICVLO 7. Conſenſus in actum eſt in ratione, cùm actus ſit vltimum quod principalis potentia poteſt.

ARTICVLO 8. Affirmat conſenſum in delectationem mortalis criminis, eſſe mortale peccatum: de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm delectatio imitetur naturam ſui obiecti; ſupponimus autem obiectum iſtius delectationis eſſe de re mortali.

ARTICVLO 9. tradit in ratione ſuperiori poſſe eſſe peccatum veniale, putà cùm conſenſus hic verſatur circa obiectum peccati venialis.

ARTICVLO VLTIMO denique, ait in ratione ſuperiori poſſe eſſe peccatum veniale, & item mortale, iuxta diuerſitatem obiectorum, circa quæ verſatur conſenſus rationis; quare ſi obiectum fuerit de re mortali, & in notabili quantitate, conſenſus erit verè peccatum mortale; quando verò obiectum conſenſus eſt de re aliqua leui, vel etiam non interueniente plena aduertentia rationis, peccatum erit veniale.

DVBITATIO PRIMA.

Quódnam ſit ſubiectum peccati cuiuſlibet.

Rationes dubitandi. 1.

RAtio dubitandi eſt: Hæreſis,& item ignorantia omnis culpabilis cenſentur eſſe peccata; at neutrum ex illis ſedem habet in voluntate,cùm priuationes recipiantur in illis iiſdem ſubiectis, in quibus locantur habitus oppoſiti, ex doctrina communi; fides autem & ſcientia, quibus opponuntur hæreſis, & ignorantia, in intellectu veluti in proprio ſubiecto ſedem habent.

2. Deinde, peccatum originale computatur inter peccata proprijſſimè dicta, vt definit Trident. ſeſſ.5. in decreto de peccato originali: at peccatum originale recipitur in eſſentia animæ rationalis, cùm ſit hoc priuatio iuſtitiæ originalis, quæ eſt idem planè realiter cum gratia gratum faciente, ex multorum opinione; gratia autem gratum faciens recipitur proximè in animę eſſentia, ex doctrina communi ſancti Thomæ in tract. de gratia: ergo ſubiectum peccati non poterit eſſe voluntas.

Omne peccatum habet ſedem in voluntate. D. Auguſt.

CONCLVSIO 1. *Quodlibet peccatum,ſub ea ratione qua peccatum eſt,in ſola voluntate rationali recipitur.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens ſanctorum Patrum: D. Auguſt. lib.1. de libero arbitrio, cap.11. *Nulla res alia*, inquit, *mentem cupiditatis comitem facit,quàm propria voluntas,& liberum arbitrium.* & lib. de duabus animabus,cap.10. & 11.ait, *Nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum.* & cap.14. lib. de vera religione,ſic loquitur: *Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum voluntate committi.* & lib.1. Retract. cap.15. & lib. de ſpiritu, & lit. cap.3. & lib.1. de ſermone Domini in monte, cap.12. vbi dicit peccatum committi, *Suggeſtione, delectatione & conſenſu*, dependenter tamen à voluntate noſtra. & Chryſoſt. homil.52. operis imperfecti in Matth. *Sciendum eſt*, inquit, *quòd aliud eſt concupiſcere, aliud velle. Concupiſcere, paſſionis eſt, velle autem arbitrij; frequenter enim concupiſcimus, etiam quod nolumus. Si ergo concupiſcentia non conſentit voluntas, concupiſcentia ſola non damnat, ſed voluntas.* & homil.13. in epiſt. ad Rom. Origenes, hom.10 in Numeros. & Gregor. lib.4 Moral. cap.17. Fauet Trident. ſeſſ.5. in decreto de peccato originali, can.5. vbi ait: Concupiſcentiam, quæ manet in baptizatis nulli nocere, antequàm acceſſerit conſenſus libertatis noſtræ.

Chryſoſt. Origen. Gregor. Trident.

Tertiò, fieri nequit vt aliquid rationem peccati conſequatur, niſi fuerit hoc liberum, ex illa regula certiſſima apud omnes: Peccatum, ità peccatum eſt, vt non ſit peccatum, niſi ſit voluntarium.

Quartò, definitur peccatum, Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam, ex D. Thom. artic.6. quæſt.71. huius part. at hæc non poſſunt eſſe libera ſeu voluntaria, niſi dependenter à voluntate liberè operante; nihil quippe formaliter & intrinſecè liberum eſt, præter voluntatem rationalem, & ea quæ recipiuntur proximè & immediatè in eadem, vt videtur indicare D. Thom. art.1. huius quæſt. Ità idem Doctor quæſt.21. huius part. art.2. ait enim nullum actum poſſe alicui imputari ad culpam, niſi fuerit hic poſitus in eius poteſtate, & art.3. huius quæſt. & in 2. diſt.14. quæſt.3. art.2. docet nullum

D. Thom.

Digitized by Google

lum motum pertinere ad genus moris, niſi proceſſerit hic à voluntate, quæ eſt principium moralium; idque quod illic incipiat genus moris, vbi incipit dominium voluntatis: idem docent Curiel, dubio vnico, ad art. citatum, Medina, Salas, & alij recentiores.

Peccatum etiam recipitur in intellectu & appetitu ſenſibili.

CONCLVSIO 2. *Peccatum ſpectatum in ratione actus vel habitus nedum in voluntate rationali, ſed etiam in intellectu, & in appetitu ſenſili ſubiectatur.* Prima pars Concluſionis ſatis probata fuit ex Concluſione proxime antecedente. Secunda pars oſtenditur, quia ex doctrina D. Thom. plerique habitus vitioſi ſedem habent in intellectu; ità docet art. 2. huius quæſt. & 1. part. quæſt. 79. art. 8. & de veritate quæſt. 15. art. 1. & alibi ſæpe: idem affirmant authores proximè citati.

Deinde, idem eſt iudicium de malis actibus, & habitibus quód de bonis actibus, & habitibus; at certum eſt actus aliquos honeſtos, itémque habitus ſubiectari proximè in intellectu, vt conſtat ex actibus fidei, aut prouidentiæ: iſti enim ſedem habent in intellectu; cùm credere nihil aliud ſit, quàm aſſentiri rebus à Deo reuelatis, & propoſitis credendis, authoritate Eccleſiæ: prouidere vero nihil aliud eſt, quàm rem aliquam in ſuos fines dirigere; intellectus autem eſt qui dirigit & ordinat res quaſlibet in ſuos fines. Maior vero, quantum ad hoc, patet ex eo quod contraria recipiuntur in vno & eodem ſubiecto ex ARISTOTELE, cap. de oppoſitis.

Tertia denique pars Concluſionis probatur ex illis locis Scripturæ in quibus concupiſcentia nuncupatur peccatum. Rom. 7. *Neſciebam concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces.* at Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, explicat concupiſcentiam, ſeu appetitum ſenſilem, eatenus nuncupari peccatum, quod alliciat ad peccandum, & quod ſit aliquis defectus peccati originalis.

Rom. 7. verſ. 7.

Deinde, in appetitu ſenſili recipiuntur tanquam in proximo ſubiecto virtutes aliquæ morales, ex doctrina D. Thom. in hac part. vbi de virtutibus, idque quod illic debeat eſſe præſidium operandi, vbi deprehenditur difficultas agendi: at difficultas agendi conformiter regulæ rectæ rationis reperitur in appetitu ſenſili, vt docet experientia, & tradit Paulus cap. 5. ad Galat. & cap. 7. ad Roman. ergo quædam peccata ſubiectantur in appetitu ſenſitiuo.

Obiectio. Dices, D. Thom. art. 4. huius quæſt. affirmare peccatum mortale non poſſe reperiri in appetitu ſenſili, ſed tantùm in rationali.

Solutio. Reſpond. ex doctrina D. Thom. peccatum mortale, quatenus rationem actus conſequitur, ſubiectari proximè nedum in parte ſuperiori, ſed etiam in appetitu ſenſili; artic. namque 3. huius quæſt. docet peccatum veniale ſubiectari in appetitu ſenſili, & alibi frequenter inculcat, quod ex ſuo genere peccatum eſt mortale, ſicti veniale, vel ex defectu aduertentiæ rationis, vel ex paruitate materiæ: ergo pecatum veniale & mortale non diſtinguuntur inter ſe ſpecie, ſaltem ſi ſpectentur hæc, vt ſunt peccatum veniale & mortale, vt probabitur inferiùs: ergo poſſunt in vno & eodem ſubiecto recipi proximè & immediatè.

Denique, artic. 2. huius quæſtionis docet D. Thom. peccatum poſſe reperiri in illis omnibus potentijs, quæ moueri poſſunt à voluntate ad operandum, vel non operandum: at potentiæ inferiores, ſeu quod idem eſt appetitus ſenſilis, poteſt moueri à voluntate ad operandum & non operandum; ſubijcitur quippe appetitus hic dominio voluntatis noſtræ, omnium planè conſenſu: ergo &c. Ad id ergo quod habet D. Thom. articul. 4. huius quæſt. docent recentiores, voluiſſe hoc in loco peccatum mortale non poſſe recipi in appetitu ſenſili, ſi ſpectetur hic quatenus ſuos exequitur actus in nobis, ante omnem vſum rationis; hac enim ratione nec peccatum veniale, nec mortale poſſunt eſſe in appetitu ſenſili, cùm peccatum quodlibet actuale præſupponat neceſſario vſum rationis, antequàm poſſit conſurgere; poſito tamen vſu rationis, & aduertentia eiuſdem, appetitus ſenſilis erit ſubiectum & peccati venialis, & mortalis.

Ex iſtis colligo, actus inordinatos qui dantur in nobis, nulli imputari ad culpam, niſi cum dependentia à libertate propria; diximus enim culpam non poſſe eſſe culpam, niſi fuerit libera. Deinde, in ſacris litteris peccatum tribuitur cordi, Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ:* at nomine cordis ſignificatur in ſacris litteris communiter appetitus ſuperior, ſeu, quod idem eſt, voluntas rationalis. Tertiò, aliter dicendum eſſet omnes motus deordinatos, qui reperiuntur in nobis eſſe verè peccata. Denique, nihil imputari nobis poteſt ad culpam, niſi fuerit poſitum in poteſtate noſtra, ità vt poſſimus agere, & non agere, ex doctrina communi Philoſophorum Peripateticorum, & Theologorum: ergo nulli imputantur &c.

Ad rationes vero dubitandi reſpond. Ad primam, hæreſim, ignorantiam culpabilem, errorem, imprudentiam, & alia ſi quę ſint, habere ſedem in intellectu, non quidem ſub ea ratione, qua ſunt peccata, ſed vt conſequuntur tantùm rationem actus alicuius deordinati oppoſiti, vel ſcientię, vel fidei, vel prudentię; eſt enim doctrina ARISTOTELIS: Contraria in eodem planè ſubiecto recipi, & item priuatiuè oppoſita: certum autem eſt hæreſim, & alia commemorata vel contrariè, vel priuatiuè opponi fidei, & alijs.

Satisfit rationibus dubitandi. 1.

Ad 2. ſunt qui reſpondeant peccatum originale ſubiectari proximè in animę eſſentia: Ceterùm opinio iſta non ſatis videtur explorata; culpa quippe originalis, tam verè peccatum eſt, quàm ſit vllum planè peccatum actuale: quare debet peccatum hoc originale recipi in voluntate cum peccato actuali. Deinde, originalis culpa, tam verè libera eſt, quàm actualis, cum hoc tamen diſcrimine, quod actualis culpa ſequitur propriam voluntatem, originalis vero alienam, nempe libertatem primi parentis, vt probabitur inferiùs. Denique, peccatum originale tam verè trahit reatum pœnę æternę (ſaltem pœnę damni) quàm peccatum mortale actuale: propter hanc enim cauſam fatentur omnes, pueros qui moriuntur ante baptiſmatis ſuſceptionem, fraudari vita æterna, & tamen in iſtis nulla datur culpa præter peccatum originale. 2.

Dico ergo, culpam originalem ſubiectari proximè in voluntate rationali, non minùs, quàm peccatum quodlibet actuale: nam eſt quàm maximè probabilis eorum opinio, qui

Culpa originalis in voluntate ſubiectatur.

credunt iuſtitiam originalem extitiſſe vnam numero qualitatem, receptam proximè in voluntate primi parentis; non autem varias & diuerſas, vt exiſtimant alij, & probabitur inferius: peccatum autem originale in poſteris Adæ, nihil aliud eſt, quàm priuatio, ſeu carentia iſtius qualitatis, ſeu, quod idem eſt, iuſtitiæ originalis; priuatio autem recipitur proximè, in illo eodem ſubiecto, in quo locatur habitus eidem oppoſitus.

DVBITATIO SECVNDA.

An motus qui dantur in nobis, tam in appetitu ſenſili, quàm in parte ſuperiori deordinati, ſint peccata.

Actus deordinati, alij motus primò primi, alij 2. primi.

ADuerte primò actus deordinatos, qui deprehenduntur in nobis, alios eſſe primò primos (cuius generis ſunt omnes illi, quos facimus ante vſum, & aduertentiam rationis) alios ſecundò primos, quales ſunt illi, qui reperiuntur in nobis cum aduertentia aliqua rationis; cererùm quàm maximè imperfectos: alios denique qui fiunt cum pleniſſimo, & perfectiſſimo vſu rationis. De iſtis ergo omnibus, quærimus hoc loco, an ſint peccata vbi dantur in nobis.

Aduerte 2. appetitum rationalem, aut, vt alij loquuntur, voluntatem rationalem operari, & vt natura eſt, & vt ratio eſt; priori modo, tunc exequitur ſuas operationes, quando neceſſariò operatur; poſteriori verò modo, quando liberè, & cum indifferentia hoc vel illud efficit: huius diſtinctionis meminerunt Sotus lib. 1. de natura & gratia, cap. 7. Caietan. ad quæſt. 88. in 2. 2. D. Thom. Medina quæſt. 9. huius partis, & ceteri interpretes in tractat. de actibus humanis.

Hæreticorum error.

Hæretici noſtri temporis in eo ſunt errore, vt credant omnes motus deordinatos concupiſcentiæ, ſeu, quod idem eſt, appetitus ſenſilis, imò & appetitum ipſum ſenſilem, ſeu concupiſcentiam ipſam, quæ manet in baptizatis, eſſe verè peccatum, idque quod Exod. 20. dicatur: *Non concupiſces.* & Rom. 7. *Neſciebam concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi lex diceret, Non concupiſces.*

Exod. 20. verſ. 17. Rom. 7. verſ. 7.

Deinde, quia ſancti Patres interdum affirmant, tunc eſſe peccatum in nobis, quando caro concupiſcit aduerſùs ſpiritum; ità loquitur Diuus Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18.

Concupiſcentia non eſt peccatũ.

CONCLVSIO 1. *Concupiſcentia, quæ datur in nobis, vel ante baptiſmum, vel etiam poſt, ſpectata in ratione concupiſcentiæ, ſeu fomitis præciſè, nullo modo poteſt eſſe culpa.* Primò, quia ità definitum eſt de concupiſcentia quę manet in baptizatis in Concilio Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali: *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat: ſi quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.*

Trident.

Deinde, ſi aliter res haberet, ſequeretur neminem in hac vita mortali conſtitutum carere peccato; dicitur namque Geneſ. 8. *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, id eſt à prævaricatione primæ mulieris, interprete Bernardo: & cap. 7. ad Roman. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* & ad Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum:* at certum eſt extare multos qui carent omni planè peccato: *Nihil enim damnationis eſt iis qui viuunt in Chriſto Ieſu.* & 1. Ioan. 3. *Omnis qui in eo manet, non peccat:* imò de Eccleſia dicitur à Paulo, *Quod ſit ſinè macula, & ruga.*

2. Geneſ. 8. verſ. 21. Rom. 7. verſ. 23. Galat. 5. verſ. 17. 1. Ioan. 3. verſ. 6. Epheſ. 5. verſ. 27.

Tertiò, nullus laudatur à peccatis commiſſis aut etiam à rebus inhoneſtis (debetur namque iſtis vituperium & pœna, laus verò & præmium conſequuntur actiones honeſtas) at laudantur in ſacris litteris, qui ſuſtinent motus inordinatos concupiſcentiæ, modo non conſentiantur, vt conſtat ex D. Auguſtino lib. 1. contra Iulianum Pelagianum, cap. 5. & lib. 6. cap. 5. Cyrillo Alexandrino, itémque Beda; putant enim locum hunc Iacobi, cap. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*, intelligi de iis qui patiuntur tentationes appetitus ſenſitiui: ità D. Auguſtinus lib. 1. de Ciuitate, cap. 25. ſic namque de hac re loquitur. *Quod ſi illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua mouetur; quantò magis abſque culpa eſt in corpore non conſentiente, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?* & lib. 3. de libero arbitrio cap. 25.

D. Auguſt. Iacob. 1. verſ. 12.

Ex iſtis colligo Gandauenſem, itémque alios nonnullos Scholaſticos, minùs cautè fuiſſe loquutos, dum docuerunt concupiſcentiam, quæ manet in baptizatis, perſeuerare in illis, non quidem in ratione reatus, & obligationis ad pœnam, ſed in ratione deordinationis; nam nomine deordinationis nihil aliud ſignificari videtur, quàm culpa, ſeu peccatum: Tridentin. autem loco proximè citato definit concupiſcentiam, quæ manet in baptizatis, nulla ratione eſſe peccatum, neque imputari alicui ante conſenſum liberum eiuſdem. Quod autem concupiſcentia, ante baptiſmum præciſè ſpectata non ſit peccatum, ex eo manifeſtè colligitur, quod hæc ſit eadem ſecundum ſubſtantiam poſt baptiſmatis ſuſceptionem: docuimus autem concupiſcentiam poſt baptiſmum non eſſe peccatum. Accedit concupiſcentiam futuram in eo homine, qui crearetur, ex hypotheſi, de nouo in puris naturalibus à Deo, præterea datur hæc in pueris, & item in ſtultis, qui carent omni planè lucido intervallo, & tamen non imputatur illis, omnium planè conſenſu.

Motus primò primi non ſunt peccata. D. Auguſt. authoritas.

CONCLVSIO 2. *Motus primò primi qui dantur in nobis, aut in parte ſuperiori, aut in inferiori, non imputantur ad culpam, ſeu, quod idem eſt, non ſunt peccata, nec venialia, nec mortalia.* Ità docent ſancti Patres, maximè D. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio, cap. 25. *Sed quia*, inquit, *voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum: quid autem quiſque vel ſumat vel reſpuat, eſt in poteſtate, ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt: fatendum eſt & ex ſuperioribus & ex inferioribus viſis animum tangi, vt rationalis ſubſtantia ex vtroque ſumat quod voluerit, & ex merito ſumendi vel miſeria, vel beatitas ſubſequatur.*

Effugium aliquorum.

Reſpondet Conradus, & alij nonnulli Thomiſtæ, qui putant ſolos motus deordinatos primò primos, qui reperiuntur in appetitu ſenſili, nulli imputari ad culpam, ſecus verò motus deordinatos receptos in parte ſuperiori, nempe in intellectu aut voluntate, locum D. Auguſtini intelligendum de motibus primò primis receptis in concupiſcentia inferiori.

Præcluditur.

Cæterùm, hæc reſponſio eſt apertè contra D. Auguſtinum, ait enim loco proximè citato: Viſa quibus tangitur homo ad operandum eſſe in duplici differentia, alia namque vult habere ortum à rebus iſtis ſenſibilibus, alia verò à dæmone; & item affirmat ibidem, hominem moueri, & à rebus ſuperioribus, & ab inferioribus: at ſuperiora videntur pertinere ad intellectum, & voluntatem, inferiora verò ad appetitum ſenſilem: imò docet illic ſanctus Doctor primos parentes excitatos fuiſſe ad peccandum ex Dæmonis ſuggeſtione, & lege ſibi impoſita à Deo; hæc autem duo, non videntur tam apta, ad mouendum concupiſcentiam ſenſilem, quàm ad mouendum intellectum, & voluntatem rationalem: idem docet multo expreſſius lib. 1. de Nuptijs, & concupiſcentia cap. 23.

D. Auguſt.

Nam ipſa concupiſcentia, inquit, *iam non eſt peccatum in regenerato, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque vt ea perpetrent, à regina mente membra non dantur: vt ſi non fit quod ſcriptum eſt. Non concupiſces: fiat ſaltem quod alibi legitur: Poſt concupiſcentias tuas non eas. Sed modo quodam loquendi vocatur peccatum, quod & peccato facta eſt, & peccatum ſi vicerit facit; reatum enim habet in regenerato.* & ſermo. 5. & 7. de verbis Apoſtoli, & & de bono perſeuerantiæ, cap. 8. Ambr. lib. de fuga ſeculi, cap. 1. & Beda ad illud Pſalm. 4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ.* Gregor. lib. 6 moral. cap. 16. Bernard. ſermo. 5. de quadrageſ. Anſelm. ad caput 12. 1. Corinth. ad hæc verba, *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ.* & ad caput 7. Romanorum.

Ambroſ. Beda. Gregor. Anſelm.

Probat. 2.

Secundò probatur ratione: Nihil poteſt homini imputari ad culpam, niſi fuerit liberum, ex regula D. Auguſtini citata; Peccatum ità peccatum eſt, vt non ſit peccatum, niſi ſit voluntarium: at motus primò primi, qui dantur aut in voluntate, aut in intellectu, aut in appetitu ſenſili, non ſunt liberi; excitantur ſiquidem ante omnem libertatis vſum ex aduertentia rationis.

Denique, nemo peccat in ijs quæ euitare non poteſt: at motus iſtos primò primos nullus declinare poteſt; erumpunt enim in nobis antequam acceſſerit vlla aduertentia rationis, & item ante omnem vſum libertatis, vt docet experientia quotidiana: igitur huiuſmodi motus primo primi non erunt peccata.

Obiectio.

Objcies, Chriſtum, quatenus homo eſt expertum fuiſſe tentationes eaſdem, cum illis, quas nos ſuſtinemus, vt dicitur Hebr. 4. *Non habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato:* at Chriſtus quatenus homo non ſuſtinuit motus inordinatos in appetitu ſenſili: ergo in parte ſuperiori.

Hebr. 4. ℣. 15.

Solutio.

Reſpondeo, Chriſtum quatenus homo eſt nullos ſuſtinuiſſe motus primo primos, nec in appetitu ſenſili, nec in rationali, vt probat D. Tho. 3. part. quæſt. 14. art. 4. Deinde, implicat eum qui Deus eſt operari quidpiam inconſulto, cùm de ratione Deitatis ſit impeccabilitas. Tertio, beatus in omnibus & ſingulis obſequitur diuinæ voluntati; regulatur namque inter operandum à ſcientia beata, quæ in eo eſt: at Chriſtus, etiam quatenus homo, à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus, omnium Theologorum conſenſu. Denique, propter hanc cauſam fatentur omnes, paſſiones noſtras extitiſſe propaſſiones in Chriſto, id eſt nullum habuiſſe locum in humanitate Chriſti, niſi poſt præuiſionē & acceptationem voluntarium earumdem. Ad id vero quod dicitur Chriſtum fuiſſe tentatum per omnia nobiſcum. Reſpondeo, hoc eſſe verum de illis tantùm tentationibus, quæ ſunt dependenter à Dæmone, aut etiam à rebus iſtis ſenſibilibus, quę ſunt extra nos ipſos; non autem reſpectu earum tentationum, quas patimur à principijs nobis intrinſecis; iſtæ namque nec fuerunt, nec eſſe potuerunt in Chriſto, etiam ſub ea ratione, qua homo eſt, idque propter dignitatem ſuppoſiti, in quo ſubſiſtebat humanitas iſta.

Conclvsio vltima. *Motus ſecundò primi, & item deliberati, qui dantur in nobis vel in appetitu ſenſili, vel etiam rationali cenſentur eſſe peccata.* Primo, quia ità docent Patres ſupra citati, & Theologi Scholaſtici.

Motus ſecundo primi deordinati ſunt peccata.

Deinde, ſupponimus omnes iſtos motus eſſe deordinatos, & præterea acceptatos liberè à voluntate noſtra, vel formaliter & actu, vel certè interpretatiuè.

Denique, illud omne, quod fit à liberè (ſaltem pro illo tempore quo in hac vitâ mortali agimus) cenſetur eſſe peccatum, ſi fuerit hoc de re aliqua mala, ex doctrina communi: at motus omnes deordinati ſecundo primi, & planè deliberati fiunt à nobis liberè, ex hypotheſi; & verſantur circa res malas, non enim aliter dicerentur deordinati: ergo ſunt peccata.

Soluuntur rationes.

Ad rationes vero hæreticorum. Reſpondeo, locum hunc Exod. 20. non eſſe intelligendum, de ipſamet concupiſcentia; ità vt prohibeat Deus concupiſcentiam in nobis; hæc enim eſt ità coniuncta cum natura noſtra, vt nulla ratione poſſit à nobis ſeparari: intelligitur ergo locus hic de aſſenſu libero, circa concupiſcentias noſtras, adeo vt velit Deus ne quis aſſentiatur motibus concupiſcentiæ ſuæ; hoc autem poſitum eſt in poteſtate cuiuſque noſtrûm, vt probat argumentum.

Ad vltimum vero teſtimonium depromptum ex D. Auguſt. lib. 19. de Ciuitate, cap. 4. contra Iulianum, cap. 2. Reſpond. tribus de cauſis ſanctum Doctorem affirmare, motus qui dantur in nobis, ante vſum rationis in parte inferiori, eſſe malos, & vitioſos; primo, quia verſantur iſti motus circa malum obiectum. Secundo, quia motus ſunt effectus peccati, & inclinant voluntatem ad aſſentiendum ſibi. Tertio, & vltimo, quia motus iſti ſunt deprauatio & corruptio quædam naturæ humanæ: has autem rationes adfert D. Auguſtin. locis proximè citatis; non vult vero motus hos carnis eſſe formaliter peccata, imo id conſtanter negat, vt conſtat ex citatis.

Ad teſtimonium vero Pauli reſpondet Concil. Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, concupiſcentiam nuncupari peccatum à Paulo, hoc ſolo nomine, quod hæc ſit effectus peccati, vel certè, quod alliciat ad peccata committenda; non autem quod ſit formaliter & actu peccatum.

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

Quid ſit neceſſarium tam ex parte intellectus, quàm voluntatis, ad hoc vt motus deordinati ſint peccata.

Conſenſus liber neceſſarius vt aliquid ſit peccatum.

CONCLVSIO 1. *Ex parte voluntatis deſideratur ſimpliciter conſenſus liber circa iſtos motus*, ex cap. 13. Oseæ. *Perditio tua ex te Iſraël eſt*, id eſt, ex communi Patrum ſententia, nulla culpa datur in nobis, quæ non pendeat à voluntate noſtra liberè operante, & Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſub alas, & noluiſti.*

Matth. 23. ℣. 37.

Deinde, diximus frequenter ex D. Auguſtino peccatum ità eſſe peccatum, vt non ſit peccatum, niſi ſit voluntarium, ſeu liberum.

Denique, demeritum ſupponit intrinſecè libertatem, quemadmodum & meritum, ex Diuo Thoma ſupra, vbi de actibus humanis: at motus iſti deordinati ex hypotheſi, ſunt demeritorij: ergo exigunt à nobis conſenſum liberum intrinſecum.

Aduerte, conſenſum hunc libertatis, requiri neceſſariò vel formaliter, vel interpretatiuè; quilibet enim ex iſtis ſufficere poteſt ad peccatum mortale, vel veniale committendum, vt conſtat ex dictis in tractatione de voluntario & inuoluntario.

Aduertentia intellectus neceſſaria.

CONCLVSIO 2. *Ex parte intellectus neceſſarium eſſe ad hoc vt imputetur nobis motus inordinatus, quod cogitet, & item iudicet de malitia morali, aut de peccato committendo, ità vt ſinè iſta cogitatione & iudicio aliquo, motus iſti nuſquam imputentur alicui ad culpam.* Primùm, quia fatentur plerique neminem peccare, niſi præceſſerit in eo ſcrutinium aliquis, quo dubitat, an ea quæ fieri debent ab eo ſint licita vel illicita.

Deinde, noluit Deus obligare quempiam ad peccatum, niſi poſita cognitione, & iudicio de rebus agendis, hîc & nunc. Ceterùm reſponſio hæc eſt infirma ad Concluſionem probandam; nam data hac hypotheſi impoſſibili, quod Deus non ſit, adhuc tamen darentur peccata multa, ea omnia ſcilicet, quæ ideò ſunt mala, quia ex ex ſe & ſua natura aduerſantur regulæ rectæ rationis; cuius generis ſunt, quæ prohibentur præceptis Decalogi. Tertiò, conſultatio ſaltem in nobis eſt ſimpliciter neceſſaria ad peccatum: at implicat dari conſultationem, niſi præmiſſa cognitione de rebus agendis, vt eſt per ſe notum.

Denique, nemo peccat niſi ſciens, & volens, ex doctrina communi D. Thom. at ſinè cognitione de rebus agendis nullus eſt qui operetur ſcienter: ergo exigitur ex parte intellectus cognitio aliqua ad peccatum.

Quæſtionis reſolutio.

ROGABIS, *Quódnam iudicium rationis ſit neceſſarium ad peccatum committendum.*

RESPONDEO 1. *Non ſufficere iudicium, quod datur in aliquo æquale vel minus eo, quod datur in ſemiebrijs, aut ſemidormientibus, ſaltem ad peccatum mortale committendum.* Nam plena aduertentia, aut perfectum iudicium rationis deſideratur ad peccatum mortale; propter hanc enim cauſam fatentur omnes, illud quod ex ſuo genere eſt peccatum mortale, deſinere eſſe mortale, & fieri veniale ex defectu aduertentiæ, & iudicij rationis: ergo, &c.

A CONCLVSIO 3. *Iudicium quod datur in aliquo, cum potentiſſima & violentiſſima perturbatione, non ſufficit ad peccatum mortale perpetrandum.* Primùm, quia paſſio violenta impedit iudicium rationis, facit enim ne quis ſit ſui iuris, iuxta illud:

Impedit ira animum, nec poſſit cernere verum.

Deinde, ſtulti, & amentes, & pueri, propter hanc cauſam excuſantur à peccato.

Iudiciũ adcit ea quæ ſunt executioni demandanda, hîc & nunc vertens malum, ſufficit ad peccatum mortale conſtituendum, aut certè veniale.

CONCLVSIO 4. *Iudicium quo quis agnoſ-* *Iudiciũ conſtituit peccatum mortaliter.*

Primùm, quia qui operatur contra dictamen iſtius iudicij, exponit ſe periculo peccandi, operatur enim contra dictamen propriæ conſcientiæ, quod tamen nulli licere docuimus in antecedentibus, vbi diximus conſcientiam erroneam ad peccatum obligare.

Deinde, in dubijs tutior pars eſt eligenda.

Tertiò, ratio culpæ conſurgit ex, eo quòd quis operatur contra præceptum, vel legem ſuperioris, ſciens & volens: at qui operatur contra dictamen iudicij rationis, hîc & nunc ſciens, & volens, operatur contra præceptum ſuperioris: ergo peccat mortaliter ſi res quæ fit ſit in mortali quantitate, vel coniuncta cum maxima aduertentia rationis; vel venialiter ſi res executioni demandata, ſit ferè minima, vel ſi non fuerit coniuncta cum aduertentia perfecta rationis.

Aduertitia plenum rationis, ſeu aduertentia perfectiſſima ſufficit ad peccatum mortale committendum.

CONCLVSIO VLTIMA. *Iudicium* *Aduertitia ſufficit ad peccatum mori.*

Primùm, quia *ſicut ad peccat.* 1.

propter hanc cauſam fatentur omnes neminem peccare mortaliter, ante adeptam ætatem rationis; poſito tamen perfectiſſimo rationis vſu peccatum quodlibet in nobis conſurgere poteſt.

Secundò, qui operatur ſciens & volens, aut 2.

contra legem ſuperioris, aut contra dictamen rectæ rationis, aut denique contra propriam conſcientiam, ſi id præſtiterit ex plena aduertentia, peccat mortaliter, omnium conſenſione.

Tertiò, peccata commiſſa in Spiritum ſanctum, cenſentur eſſe grauiora quibuſuis alijs, vt colligunt Theologi ex illo Matth. 10. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* 3. Matth. 12. ℣. 32.

Confirmatur: quia nomine peccati in Spiritum ſanctum intelligunt Theologi impugnationem virtutis, ſeu, quod idem eſt, præſtare aliquid longè aliter quàm dictet propria conſcientia.

Vltimò, peccata ex malitia commiſſa, cenſentur eſſe grauiora commiſſis ex infirmitate: huius autem generis ſunt ea omnia quæ fiunt à nobis contra cognitam veritatem, & longè aliter quàm dictet ratio in nobis: igitur iudicium explicatum ſufficit ad peccatum mortale faciendum.

Delectatio moroſa culpabilis.

ROGABIS, *An delectatio moroſa, ſeu cogitatio, rationem culpæ conſequatur in nobis.*

RESPONDEO, *Affirmatiuè*: ità enim fatentur omnes Theologi & Caſuiſtæ verbo *Delectatio*, aut verbo, *Cogitatio moroſa*, & præterea Scholaſtici, maximè verò Vazquez diſp. 109. huius part. Salas, Medina & alij, qui de hac re ſunt legendi.

Notabile.

Aduerte, motus deordinatos quos exercemus non

non ſemper eſſe peccatum, etiamſi fuerint præ- A
niſi à nobis; nam fieri poteſt vt habeant ortum in nobis ex cauſa aliqua honeſta, qualis eſſe poteſt adminiſtratio ſacramenti penitentiæ, aut certè conſilium aliquod quàm maximè neceſſarium proximo. Deinde, quia ſuppono abeſſe periculum conſenſus circa iſtos motus: quod dico, quia ſi ſubſit periculum conſenſus, motus iſti præuiſi rationem culpæ conſequuntur; ex illa regula generali, *Qui ſe exponit periculo peccandi peccat* & ex alia; *Qui amat periculum peribit in illo*, niſi tamen cogatur, qui ex hypotheſi præuiſit iſtos motus, authoritate ſuperioris ad actus illos exercendos, ex quibus motus deordinati præuiſi oriuntur; tenetur enim inferior potius ſtare B
iudicio ſuperioris, quàm proprio.

QVÆSTIONE LXXV. Diſputat D. Thom. de cauſis tam externis, quàm internis peccati; inter primas aſſerit eſſe intellectum, voluntatem & appetitum ſenſilem; inter poſteriores collocat hominem, Dæmonem, & peccatum comparatum cum alio peccato: res autem iſtæ ſunt ſatis faciles ex littera D. Thom.

QVÆSTIONE LXXVI. Docet ignorantiam aliquam poſſe eſſe cauſam peccati, de iſtis lege D. Thom. & quæ ad quæſt. 6. ſupra art. vltimo nos tradidimus.

QVÆSTIONE LXXVII. Tradit appetitum ſenſilem poſſe eſſe cauſam peccati, C
de qua re diximus ſupra quæſt 74.

QVÆSTIONE LXXVIII. Explicat qua ratione malitia ſit cauſa peccati, & præterea qua ratione illud idem aggrauet.

QVÆSTIO LXXIX.

De Cauſis externis peccati.

ARTICVLO 1. Quærit D. Thomas an Deus ſit cauſa peccati: reſpondet negatiuè.

ARTICVLO 2. An actus peccati ſit à Deo, reſpondet ſubſtantiam actus peccati eſſe à Deo; defectum autem, vel malitiam eiuſdem nullo modo. Circa iſtos duos Articulos ſit

DVBITATIO VNICA.

An Deus ſit author peccati.

HAc de re controuertitur inter hæreticos noſtri temporis & Catholicos: Caluinus nãque lib. 1. inſtit. cap. 17. & 18. & lib. 2. c. 4. per multas ſectiones, totus in eo eſt vt probet Deum nedum eſſe cauſam permiſſiuam peccati, vt fatentur omnes Catholici, ſed etiam effectiuam; ità vt doceat Deum mouere & incitare vnumquemque ad peccata committenda, non minùs quàm faciat ad bona opera exercenda: illud idem docent Beza, Melanchthon ad cap. 8. Rom. ait enim Deum tam verè eſſe cauſam peccati proditionis Iudæ & adulterij Dauidis, quàm vocationis Pauli, & conuerſionis D. Magdalenæ. Errauerunt in hac eadem re Albigenſes, referente Baronio tom. 12. ſuorum annalium ad annum Chriſti 1176. & longè anteà Gnoſtici, Seleuciani, Carpocratitæ, Priſcillianiſtæ, Manichæi, Florinus & Simon Magus, referente Bellarmino, alijsque qui contra hæreſes ſcripſerunt.

Argumenta iſtis communia ſunt hæc. Primùm: In ſacris litteris dicitur de Deo quòd excæcet humanas mentes, & quod eaſdem induret, Iſai. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* Exod. 4. 7. 10. & 11. dicitur de Pharaone, quod fuerit obduratus, & c. 14. *Indurabo cor Pharaonis*, ait ipſemet Deus, & rurſus: *Indurabo cor Ægyptiorum*: at hæc non contingunt niſi per peccata, ex illo Sapient. 2. *Excæcauit illos malitia eorum.*

Deinde, in ijſdem ſacris litteris aſſeritur, quòd Deus corda principum prout vult moueat, & incitet; quòd principes iſtos decipiat, & quaſi ebrios errare faciat; ità Iob. 12. *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, vt fruſtra incedant per inuium, & errare eos faciat quaſi ebrios.* Ezechiel. 14. *Propheta cum errauerit, & loquutus fuerit verbum: Ego Dominus decepi Prophetam illum*, & Iſai. 63. *Quare errare nos feciſti Domine de vijs tuis.*

Tertiò, ex illis locis in quibus dicitur quòd Deus ſit author mali, Iſai. 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?*

Quartum & vltimũ, ſumitur ex prædeſtinatione, reprobatione, voluntate Dei efficaci, præſcientia, & prouidentia diuina: ità vt velint neminem poſſe iſtis vlla ratione reſiſtere, ſed operari neceſſario conformiter iſtis omnibus; certum autem eſt Deum eſſe cauſam prædeſtinationis, reprobationis, voluntatis efficacis, præſcientiæ, & prouidentiæ: ergo cùm peccata quæ fiunt à nobis pertineant ad vnum ex iſtis, Deus erit verè cauſa peccati.

Aduerte, difficultatem iſtam explicandam eſſe de peccato tam in genere entis, quam in genere moris ſumpto.

CONCLVSIO 1. *Deus nec eſt, nec eſſe poteſt cauſa vllius peccati ſpectans in genere moris effectiua.* Primùm, quia dicitur Deuteronomij 32. *Fidelis Deus eſt & abſque vlla iniquitate.* & Pſalmo 144 *Et ſanctus in omnibus operibus ſuis*: ergo Deus non eſt author, nec eſſe poteſt peccati: nam aliter attributa iſta non poſſent verificari de illo; is ſiquidẽ nequit eſſe ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui minimum aliquod peccatum committit. *Deus non eſt cauſa peccati.* 1. Deut. 32. ℣ 4. Pſal. 144. ℣. 13.

Deinde, peccatum non poteſt ordinari in Deum veluti in vltimum finem, cùm, vt ſic, includat auerſionem à Deo, tamquam ab vltimo fine; & conuerſionem ad creaturam, tamquam in vltimum finem: ergo peccatum hoc nequit produci à Deo. Nam illud omne quod facit, vel poteſt facere Deus, in Deum ordinatur, veluti in vltimum finem, ex Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* 2. Prouer. 16 ℣. 4.

Denique, Sapientiæ 11. dicitur de Deo, *Nihil odiſti eorum quæ feciſti* & 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius*: ergo. Ità D. Thomas articulo 1. huius quæſtio. & omnes omnino Theologi Scholaſtici itémque Patres citandi Concluſione proximè ſequenti. 3. Sapien. 11. ℣ 25. idẽ 14. v. 9.

CONCLVSIO 2. *Deus nec allicit, nec mouet, nec cogit ad peccatum vllum committendum: imò nullum ex his præſtare poteſt.* Ità res hæc, quod attinet ad primam partem, definita fuit in Con- *Deus non mouet ad peccandum.* 1.

Arauſican. Trident. cilijs Arauſicano II. cap. 25. & Triden. ſeſſ. 6. canone 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ità vt bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli: anathema ſit.*

2. *Diui Auguſtini authoritas.* Deinde, idem docent Patres: D. Auguſtinus in lib. reſponſionum ad articulum ſibi falsò impoſitum. *Deteſtanda eſt*, inquit, *& abominanda opinio quæ Deum cuiuſque voluntatis, aut malæ actionis credat authorem.* & lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 17. *Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas cauſam.* & cap. 18. & lib. de ſpiritu, & littera, cap. 31. & lib. 2. de libero arbitrio, cap. 2 & lib. 3. cap. 4. & lib. 83. quæſtionum, quæſt 3. Hieronymus ad cap 1. Epheſiorum, ad hæc verba: *Qui operatur omnia in omnibus ſecundum conſilium voluntatis eius. Non quo omnia*, inquit, *quæ in mundo fiunt, Dei voluntate & conſilio peragantur (alioquin & mala Deo poterunt imputari) ſed quòd vniuerſa quæ facit, conſilio facit, & voluntate: quòd ſcilicet & ratione plena ſint, & poteſtate facientis.* Athanaſius, oratione 1. contra idola, *Nullum malum, nec à Deo, nec in Deo, nec ab initio extitit, neque vlla eius ſubſtantia eſt.* Nazianzenus, oratione 4. de Theologia. Clem. Alexandr. lib. 1. ſtromatum. Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone, paulò ante finem. Irenæus, Damaſcenus, & alij, quòd Deus non ſit author mali, docent vnanimi conſenſu.

Hieron. Epheſ. 1. ℣. 11. Athanaſ. Nazianz. Clemens Alexand. Iuſtinus.

Ratio Concluſionis. Habac. 1. ℣. 13. Pſa. 5. ℣. 5. Iac. 1. ℣. 13 Accedit ratio. Prima: Habacuc, cap. 1. dicitur de Deo, *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*, vt probes ſcilicet iniquitatem iſtam, ex interpretatione Patrum, Pſalm. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* & Iacob. 1. *Deus intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat*: qui locus explicatur à D. Auguſtino de tentatione ſeductionis, non autem probationis, vt conſtat ex quæſtione 57. eiuſdem in Geneſim, & ex lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 3. & Eccleſ. 15. *Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi.*

Eccleſ. 15. ℣. 21.

Obiectio. Dices, nihil frequentius haberi in veteri Teſtamento, quàm Deum tentaſſe Abraham, & alios Patres, itemque viros ſanctiſſimos.

Solutio. Reſpondeo, tentare in ſacris litteris, idem interdum eſſe ac probare, ſeu, quod idem eſt, experiri conſtantiam, & probitatem alicuius; interdum verò idem atque ſollicitare, ac inuitare ad aliquid turpe, & illicitum operandum: priori modo intelligendum eſt Patriarchas fuiſſe à Deo tentatos, non autem poſteriori, ex communi Patrum doctrina, maximè D. Auguſtini locis citatis.

Ratio 2. Deinde, ſi aliter res haberet, ſequeretur Deum eſſe ſibi quàm maximè contrarium; prohibet namque ſtrictiſſimè ne vlla planè culpa à nobis admittatur, ſed vt eius mandata propter vitam æternam obſeruentur, vt conſtat ex innumeris locis ſacræ Scripturæ: ergo non mouet, nec mouere poteſt quempiam ad peccandum, moueret namque ad id quod ipſe vult minimè fieri.

3. Tertiò, ſequeretur Deum magis peccare quàm homines ipſos, qui enim allicit aliquem ad peccandum, cenſetur magis peccare, quàm is qui peccatum admittit, ſaltem in eo caſu, in quo is qui peccat inferior eſt, reſpectu illius à quo fuit inductus ad peccandum: at Deus nequit dici vlla ratione peccator, ex locis ſupra citatis.

Denique, ſequeretur Deum eſſe crudeliſſimum Tyrannum, exigeret namque pœnas æternas ab ijs qui ſuam voluntatem executioni demandaſſent, quod eſt alienum à bonitate Dei, de quo dicitur 2. Corinth. cap. 4. *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*: ergo Deus nulla ratione poteſt inducere creaturam rationalem ad peccandum. 4. 2. Corint. 1. ℣. 3.

Ex hac Concluſione colligo, *Deum non poſſe ſe ſolo & ſinè vlla dependentia à creatura infundere habitus per ſe vitioſos intrà voluntatem.* Primò, quia qui tribuit propenſionem & inclinationem ad aliquid operandum cenſetur eſſe cauſa illius operationis, vt conſtat ex deſcenſu lapidis; hic enim nedum tribuitur lapidi, ſed etiam authori naturæ, idque quòd grauitatem indixerit lapidi, quæ cenſetur eſſe cauſa motus deorſum naturæ: at non poteſt Deus mouere & inclinare quempiam ad operationem culpabilem, cuius tamen oppoſitum præſtaret, ſi conferret alicui per ſe habitus vitioſos, inclinant enim iſti & mouent ſubiectum in quo ſunt ad peccata committenda. *Corollarium. Non poteſt Deus ſe ſolo infundere habitum vitioſum.*

Confirmatur: Actus qui habent ortum à propenſione & inclinatione aliqua, tribuũtur authori iſtius inclinationis & propenſionis. Denique, ſequeretur Deum eſſe authorem mali, ſi non directè, ſaltem indirectè; habitus namque vitioſi mouent & inclinant ad peccata committenda, illa eadem ratione qua habitus honeſti mouent ad bene operandum; at non eſt concedendum de Deo quòd directè, aut indirectè per ſe ſit author alicuius mali ſpectati in genere moris: ergo nec poterit ſe ſolo habitum vitioſum infundere.

Obiectio. Dices voluntatem creatam manere liberam ad peccatum committendum, vel non committendum, etiam ſi poneretur in ea habitus vitioſus: ergo non repugnat Deum producere huiuſmodi habitum ad vitium inclinantem.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, nego illationem; quando enim contingit Petrum verbi gratia ſollicitari à Paulo ad peccatum committendum, & item à Dæmone, voluntas Petri relinquitur libera: & tamen peccatum commiſſum à Petro, cenſetur eſſe nedum ab eo, ſed etiam à Dæmone, vel Paulo ſollicitante; ità, ſi Deus infunderet ſe ſolo, & ſinè dependentia à voluntate creata, habitum vitioſum intrà voluntatem creatam, cenſeretur Deus author peccati, quod committeretur ex propenſione iſtius habitus vitioſi à voluntate creata.

Replica. Inſtabis, in hac hypotheſi poſſe Deum conferre tantam gratiam ei cui contuliſſet habitum vitioſum, vt impediret hæc quodlibet peccatum: ergo ſaltem in hac hypotheſi poſſet Deus infundere habitum vitioſum voluntati creatæ.

Diſſoluitur. Reſpondeo, conceſſo antecedente, nego conſequentiam: Nam etiamſi Deus conferret iſtam gratiam voluntati creatæ, non tamen propterea deſtrueretur natura habitus vitioſi, quare inclinaret hic voluntatem creatam ad peccandum, & conſequenter Deus, quod tamen aduerſatur Concluſioni noſtræ ſecundæ proximè poſitæ.

2. Replica. Vrgebis, Deum conferre vnicuique noſtrûm voluntatem, quæ tamen in ſe deprauata eſt, neque tamen propterea Deus cenſetur eſſe author vllius peccati quod à nobis committitur.

Reſpondeo,

Enervatur. Reſpondeo, voluntatem noſtram ſpectatam ſecundum ſuam eſſentiam nulla ratione eſſe depraua-
A tam, ſed tantùm hoc ſolo nomine, quòd careat iuſtitia originali, quæ data fuerat primo parenti, refundenda in poſteros, ſi morem geſtiſſet hic præcepto ſibi à Deo impoſito; priuatio verò iſtius iuſtitiæ originalis, cenſetur eſſe peccatum originale, quod deſtruitur in nobis perfectiſſimè in tota ratione culpæ; vt definitum eſt in Tridentino: voluntas tamen iſta rationalis perfectiſſimè eſt domina omnium ſuarum operationum, & in eius poteſtate eſt liberè, vel ferri in malum, vel reſpuere, & ità in bonum: habet namque auxilia diuina præſentiſſima, cum quibus poteſt quodcumque bonum exequi, &
B malum declinare, quare non inclinat voluntas, vt ſic ad mala committenda, quod tamen facit habitus vitioſus.

Deus cauſat entitatem phyſicam peccati. CONCLVSIO VLTIMA. *Deus eſt author entitatis poſitiuæ naturalis & phyſicæ, quæ reperitur in peccatis commiſſionis, ſeu omiſſionis.* Ità docent communiter omnes hoc loco, alij verò quæſt. 71. huius partis, & in 2. quæſt. 37.

Deinde, quælibet entitas phyſica & naturalis poſitiua, eſt ens per participationem, ergo eſt etiam à Deo: nam omne ens per participationem, pendet ab ente quod eſt per ſe, & quidem magis, quàm ab vllo ente creato; nam pendet à Deo in
C eſſe, fieri, & conſeruari, quod tamen non poteſt dici de omni ente creato: ergo.

Confirmatur. Nulla creatura poteſt conſeruari ſinè dependentia à Deo: ergo cùm entitas phyſica, quæ datur in peccato conſeruetur, ſtatuendum erit entitatem iſtam conſeruari cum dependentia à Deo: ergo pendet etiam hæc entitas à Deo in fieri, præſertim cùm conſeruatio non ſit actio realiter diſtincta à productione ſaltem neceſſariò.

Obiectio. Obijcies, quando dantur duo aliqua, ità inter ſe colligata, vt per nullam potentiam ab inuicem ſeparari poſſint, quod eſt cauſa vnius, cenſetur eſſe ſimiliter cauſa alterius; at malitia & entitas peccati, ſunt ità inter ſe connexa vt per
D nullam potentiam ſeparari poſſint; quis enim ſeparabit ab odio Dei malitiam, aut à mendacio deformitatem? ergo admiſſo quòd Deus ſit cauſa entitatis phyſicę, erit etiam & deformitatis moralis.

Solutio Durandi. Reſpondet Durandus, propterea Deum eſſe auctorem entitatis phyſicæ, & naturalis, quæ reperitur in peccato, minimè verò malitiæ, etiamſi hæc duo ab inuicem ſeparari non poſſint; quia Deus non concurrit proximè, ſed tantùm remotè ad productionem iſtius entitatis repertæ in peccato.

Reijcitur. Iob 10. ℣. 8. Actor. 17. ℣. 28. Verùm opinio iſta nulla ratione defendi poteſt; nam dicitur Iob. cap. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me.* Actuum 17. *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus.*

Deinde, de fide eſt, actus ordinis ſupernaturalis non poſſe à nobis fieri, niſi cum ſpeciali Dei auxilio: ità enim res hæc fuit definita in Mileuitano, Arauſicano If. & Trident. ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit ſinè præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut penitere poſſe, ſicut oportet, anathema ſit.*

Tertiò, ſancti Patres ſatis apertè docent cauſas ſecundas non operari quidquam niſi concurrente prima: ità Hieronymus, Dialogo 2. contra Pela-
A gian. paulò ante medium, & D. Auguſtin. lib 5. de Geneſ. ad litteram, cap. 20. quod probat ex illo loann. 5. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor:* & alijs Scripturæ ſacræ locis, quæ poſſunt videri apud eumdem. *Hieron. D. Auguſt.*

Quartò, doctrina hæc Durandi explodituc communiter à Scholaſticis, veluti temeraria & erronea; eſt enim contra Patres, Scripturam ſacram, & denique contra quoſcumque veteres Philoſophos, maximè verò Ariſtotel. lib. 11. & 12. Metaphyſ. & omnibus illis locis in quibus agit de cauſis; aſſerit enim cauſas ſecundas nihil operari independenter à primis.

Alij verò reſpondent, propterea Deum non
B eſſe cauſam deformitatis peccati, licèt ſit cauſa actus realis, & poſitiui, qui inuenitur in peccato, quia putant propoſitiones iſtas eſſe veras: *Deus malum operatur, Deus malum facit*; iſtas verò eſſe falſas, *Deus producit malum, Deus facit malum:* credunt enim duas primas propoſitiones hunc facere ſenſum, nempe, Deum producere entitatem actus: duas verò poſteriores, Deum producere malitiam quę datur in peccato. *Aliorũ reſponſio.*

Cęterum, hæc doctrina eſt abijcienda omni-
C no; deficit enim in communi ratione loquendi, & in ſenſu in quo prædictæ propoſitiones vſurpantur cõmuniter apud omnes; verba quippe trãſpoſita in propoſitionibus nõ mutant ſenſum earũdem Deinde, doctrina iſta retinet modũ loquendi hæreticorum, qui tamen cauendus eſt diligenter, ne detur occaſio errandi ſimplicibus & imperitis. *Improbatur.*

Peſantius verò Dubio vnico ad hanc quæſt. ait, propterea Deum non eſſe cauſam deformitatis peccati, licèt ſit cauſa actus poſitiui, quia voluntas eſt per ſe determinata ad malum operandum liberè, minimè verò Deus. Cęterùm, hæc ratio nihil planè dicit; nam voluntas determinat etiam ſe liberè ad bonum operandum, & tamen Deus eſt cauſa totius actus boni, qui producitur à nobis. *Peſantius nõ ſatis ſapit.*

Scotus autem rationem huius diuerſitatis refundit in illud, quòd hominis ſit conferre rectitu-
D dinem actibus humanis, aut etiam deformitatem, minimè verò Dei: At neque hæc ratio aliquid dicit; nam falſum eſt ſolius hominis eſſe conferre rectitudinem actibus humanis; hoc enim magis eſt à Deo quàm ſit ab homine. Deinde, licèt daremus Scoto, rectitudinem iſtam tribuendam eſſe à ſolo homine actibus humanis; non tamen propterea ſequeretur ſolum hominem eſſe cauſam deformitatis quæ datur in peccato, cùm totus humanus actus ſit & à Deo, & à creatura, vt ſupponimus. Denique, quia nullam reddit cauſam Scotus, cur deformitas non adſcribatur Deo, ſed homini tantùm, licèt dicat hæc neceſſariam connexionem cum actu poſitiuo pec-
E cati. *Nec Scotus.*

Medina ideò dicit Deum non eſſe cauſam peccati, quia in peccato datur actus, & deformitas, & hæc duo poſſunt ab inuicem ſeparari cogitatione noſtra. Nominales verò quia deformitas coniungitur cum actu peccati, non per ſe, ſed per accidens: propoſitio autem iſta: Quando dantur duo ita inter ſe connexa, vt ab inuicem ſeparari non poſſint, quod eſt cauſa vnius, eſt cauſa alterius, vera eſſe cenſetur, de ijs quæ coniungũtur per ſe, ex ſe, & ſua natura, non autem per accidens. Cęterùm, neutra ex iſtis duabus opinionibus difficultatem explicat, non enim probant quod aſſerunt. *Nec Medina. Nec Nominales.*

Digitized by Google

Authoris ſciatio. Dico, propterea Deum non eſſe authorẽ peccati, A licèt ſit author actus poſitiui & realis, quia peccatum, quatenus peccatum eſt, eſt effectus quidam moralis; imputatur namque cuilibet ad pœnam, & vituperium: Deus autem non eſt cauſa moralis, ſed ſolus homo, idque quòd ſit capax meriti, & demeriti. Deinde, quia Deus non poteſt eſſe cauſa peccati, niſi inducendo hominem ad malum operandum, aut conferendo auxilia neceſſaria ad peccandum, aut alliciendo, aut conſulendo; quorum tamen neutrum Deus præſtare poteſt, vt conſtat ex dictis. Ità reſpondent recentiores plerique.

Diſſoluuntur hæreticorũ argum. Ad rationes verò hæreticorum reſpondeo. Ad primam, Deum non eſſe cauſam cæcitatis, aut B obſtinationis peccatorum directè, & per ſe. 1. Deinde, obduratio ſeu cæcitas nihil aliud eſt, quàm praua & deordinata voluntatis noſtræ affectio; Deus autem non poteſt deordinare directè, quidpiam, hoc enim dicit imperfectionem & defectum aliquem; Deus autem non eſt cauſa deficiens per ſe, ſed tantummodo per accidens. Tertiò, D. Auguſtinus docet propterea Deum eſſe cauſam obſtinationis, non quòd obſtinationem faciat, ſed quia gratiam efficacem ſubtrahit nonnullis propter eorum demerita, & propter eorumdem pertinaciam in deſpiciendis Dei conſilijs; conferre tamen ſemper gratiam ſufficientem, ad vitandã huiuſmodi obſtinatonem; quælibet denique cæcitas & obſtinatio computatur inter pœnas peccati, pœnæ autem non intenduntur per ſe à Deo, ſed tantùm conſequenter, nempe ſuppoſita culpa. C

2. Ad 2. Deum decipere & facere errare non quidem effectiuè, ſed permiſſiuè tantùm.

3. Ad 3. Malum aliud eſſe pœnæ, aliud culpę; huius Deus eſt tantùm cauſa permiſſiua, illius verò effectiua; non quidem primò & per ſe, ſed tantùm conſequenter, poſita videlicet culpa: & ità explicanda ſunt illa teſtimonia.

Vltimum. Ad vltimam, nec prædeſtinationem, nec præſcientiam, nec voluntatem Dei efficacem, nec reprobationem, nec denique prouidentiam inducere neceſſitatem abſolutam mentibus humanis, ſed tantùm conditionatam; ac proinde minùs etiam, imò nullo modo cauſare poſſunt peccatum in nobis. D

QVÆSTIO LXXX.

De cauſa peccati ex parte Diaboli

Dæmon non eſt cauſa directè peccati. ARTICVLO 1. Docet E D. Thom. Dæmonem non eſſe cauſam directè & ſufficienter peccati à nobis commiſſi, ſed tantùm indirectè, & inſufficienter: De qua re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm illud ſit cauſa directè & ſufficienter peccati commiſſi, quod determinat voluntatem noſtram ad peccata committenda, vt obſeruant aliqui interpretes D. Thom. hoc loco: at ſola voluntas noſtra ſeipſam determinat ad peccata committenda, eſt enim de ratione cuiuſlibet cauſæ liberæ ſeipſam determinare in ſuis actionibus exercendis, vt eſt per ſe notum: ergo.

Deinde, non eſt in poteſtate dæmonis neceſſitare voluntatem noſtram, ad hoc vt agat, vel non agat, vt docet D. Thom. art. 3. huius quæſt. & manifeſtè colligitur, ex eo quòd fateantur omnes in tractatu de beatitudine, voluntatem creatam neceſſitari tantùm ad operandum, per poſitionem illius obiecti, quod continet in ſe rationem cuiuſlibet boni; cuius generis cenſetur eſſe ſola eſſentia diuina, & quidem clarè, & vt in ſe eſt viſa; nam ſi non fuerit præſens voluntati creatæ dependenter ab intellectu, nequit hæc neceſſitare voluntatem creatam, vt docet praxis quotidiana; eſſentia namque diuina præſentiſſima eſt nobis conſtitutis in hac vita. *In ipſo nãque*, ſcilicet Deo, *viuimus, mouemur, & ſumus.* Actor. 17. & tamen nullus eſt noſtrũm qui propterea neceſſitetur ad operandum ab eſſentia diuina. Actor. 17. v. 28.

Denique, dæmon allicit nos tantùm ad peccata committenda, vt docet Scriptura, itémque Patres, neque poteſt quempiam vincere niſi volentem: ergo indirectè tantùm & inſufficienter cenſetur eſſe dæmon cauſa peccati quod committimus, quatenus ſcilicet inuitat nos & inducit, ad peccata committenda.

Dæmon non inducit ad peccatum. ARTICVLO 2. Docet dæmonem inducere nos ad peccata committenda per accidens, dependenter à ſenſibus internis, cuius generis ſunt imaginatio, phantaſia, &c. de qua re nulla eſt etiam difficultas. Conuenit enim inter omnes, dæmonem nedum ſenſus externos, ſed etiam internos faſcinare, vt conſtat experientia quotidiana; quædam enim videntur à nobis videri intrinſecè vt vera, quæ tamen vera de facto non ſunt, ſed tantùm apparentia. Vide de iſtis multa apud interpretes cap. 1. Exod. ad hæc verba: *Proiecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones*, & apud Delrio in diſq. de magia.

ARTICVLO 3. Docet voluntatem noſtram neceſſitari à dæmone, de qua re diximus articulo 1.

ARTICVLO VLTIMO. Tradit non omnia peccata quæ dantur in nobis eſſe à dæmone directè, quod etiam docent ſancti Patres, Origen. lib. 3. Periarchon cap. 2. ait enim nullis exiſtentibus dæmonibus futuras in nobis tentationes, & deordinationes appetitus ſenſilis: quod tamen venit intelligendum de hominibus conſtitutis in ſtatu puræ naturæ, vel corruptæ; in ſtatu ſiquidem innocentiæ, nullæ fuerunt, neque eſſe potuerunt appetitus ſenſilis tentationes, vt conſtat ex ijs quæ docent omnes in tractatu de iuſtitia originali. & Gregor. lib. 11. Moral. cap. 25. *Qui dicat quaſi putredo conſumendus ſum. & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea. Homo enim quaſi putredo conſumitur, dum carnis ſuæ corruptione conteritur. Cui, quia immunda tentatio non aliunde, ſed à ſemetipſo naſcitur, more tineæ carnem tentatio, quaſi veſtem de qua exijt conſumit. In ſemetipſo quippe habet homo vnde tentetur.* & D. Auguſtinus de dogmatibus Eccleſiaſticis, cap. 82. ait enim illic, non omnes malas cogitationes quæ exoriuntur in nobis, excitari inſtinctu dæmonis; ſed habere ortum interdum à libero cuiuſlibet arbitrio. Deinde, id colligitur ex cap. 1. Iacob. *Vnuſquiſque tentatur à propria concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Gregor. D. Auguſt. Iac. 1. v. 14

Obijcies, pleroſque Patres affirmare nullam dari in nobis tentationem, quæ non ſit à dæmone:

ne; ità Dionyſ. cap. 4. de diuinis nominib. Author ſerm. ad fratres in heremo, ſer. 68. Ambroſ. lib. 4. in Luc. Damaſc. 2. de fide, cap. 4. Origen. homil. 15. in lib. Ioſuë, imò & D. Thom. hoc loco. Reſpondeo, hæc intelligenda eſſe vt plurimum, quemadmodum indicat D. Thom. hoc loco, aut certè, quia vix datur vllus locus in quo dæmon non ſtruat nobis inſidias, ex illo 1. Petr. vltimo, *Circuit quærens quem deuoret.* Verè tamen non omnes tentationes quibus perturbamur ſunt à dæmone, ſed etiam à concupiſcentia deordinata, à ſenſilibus iſtis rebus, & interdum à libero cuiuſlibet hominis arbitrio, quare illud idem dicendum eſt de peccatis noſtris.

Dionyſ. D. Auguſt. Ambroſ. Damaſcen. Origenes. D. Thom. 1. Petr. 5. ℣. 8.

QVÆSTIO LXXXI.

De cauſa peccati ex parte hominis.

ARTICVLVS 1. Docet peccatum primi parentis tranſfundi in poſteros per originem.

DVBITATIO PRIMA.

An peccatum originale tranſfundatur in poſteros primi parentis.

Partis negantis argumenta.

1. RATIO dubitandi eſt: primò, quia ſi ità res haberet ſequeretur peccatum hoc extitiſſe ante poſteros Adæ, ac proinde non poſſe iſtis imputari, ex illa regula D. Auguſt. in lib. de vera & falſa religione: peccatum ità peccatum eſt, vt non ſit peccatum, niſi fuerit voluntarium: at ſupponimus poſteros Adę non extitiſſe quando peccatum hoc fuit admiſſum à primo parente: ergo.

2. Deinde, ſequeretur accidentia tranſire de ſubiecto in ſubiectum ſinè eorum interitu, quod tamen pugnat cum vera philoſophia.

3. Denique, ſi aliquod peccatum primi parentis tranſfunditur in poſteros, eſt maximè peccatum primum ab eo commiſſum, vt docet D. Thom. hoc loco, & communiter Theologi Scholaſtici in 2. diſt. 35. at certum eſt peccatum commiſſum primo loco ab Adamo non transfundi in poſteros eiuſdem; hoc enim fuit vel ſuperbia, vel inobedientia contra huiuſmodi præceptũ: *De omni ligno quod eſt in Paradiſo comedes, de ligno autẽ ſcientiæ boni & mali non comedes: in quacũque hora comederis, morte morieris*: ergo cùm neutrũ ex iſtis peccatis locum habuerit in poſteris Adæ (quis enim dixit aliquando filios in vteris maternis conſtitutos laborare peccato ſuperbiæ, aut inobedientiæ, cum peccata iſta ſint actualia, & nullus detur vſus rationis in paruulis pro toto illo tempore quo agunt in vteris maternis) non ergo peccatum primo loco commiſſum ab Adamo transfunditur in poſteros.

Geneſ. 2. ℣. 17.

Pelagius negat peccatum originale.

Aduerte Pelagianos, circa annum Chriſti 400. ſuſtuliſſe exiſtentiam peccati originalis in poſteris Adæ, ex diſputationibus D. Auguſtini contra eoſdem, & ex Prateolo in opere de vitiis, & ſectis hæreticorum, verbo, *Pelagiani*. Idem fecerunt Armeni, circa ſeculum ſextum à Chriſti natiuitate, vt ſcribunt Sanderus, de viſibili monarchia, Prateolus verbo, *Armeni*, & alij multi. Diſſidebant tamen inter ſe in eo, quòd Pelagiani faterentur omnes decedentes ſinè baptiſmatis ſuſceptione adiudicari pœnis æternis: Armeni verò credebant pœnas iſtas ſolis illis infligi, qui nati eſſent ex parentibus infidelibus, quique vitam cum morte commutaſſẽt ante ſuſceptionem baptiſmi: paruulos quippe natos ex parẽtibus baptizatis exiſtimarunt commorari in paradiſo terreſtri, & illic potiri beatitudine aliqua naturali in perpetuas æternitates. Conueniebant tamen illi, in eo quòd crederent baptiſmum eſſe ſimpliciter neceſſarium, propter hæc Chriſti verba, Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei*: Non tamen ad deletionem peccati originalis, putà quòd nullum detur ex eorum opinione, ſed propter vitam æternam obtinendam. Ità referunt D. Auguſt. Prateolus, Sanderus, & alij qui contra iſtos ſcripſerunt.

Ioã. 3. ℣. 5.

Placuit & hæc eadẽ impietas Albigenſibus circa annum Chriſti 1176. vt affirmant communiter hiſtorici, & ſeculo proximè præterito, Zuinglio; vt conſtat ex commentarijs eiuſdem in epiſtol. ad Rom. Tradidit enim hic reatum, ſeu, quod idem eſt, obligationem ad pœnam debitam peccato commiſſo à primo parente intrà paradiſum terreſtrem, tranſfuſam eſſe in quoſcumque mortales, minimè verò peccatum ab Adamo commiſſum.

Peccatum originale omnes inficit de lege com. Trident.

CONCLVSIO 1. *Primum peccatum à primo parente admiſſum, quod vulgò dicitur originale, tranſfũditur in omnes omnino poſteros Adæ, ſaltem de lege communi.* Primùm, quia res hæc ità definita fuit in Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 2. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe: & acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam cum perdidiſſe: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanũ transfudiſſe; non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit.* & can. 5. *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, ſed illud dici tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit.* Illud idem fuerat ante definitũ in Conc. Africano contra hæreſim Pelagij, & Celeſtini congregato, quod extat tom. 1. Conc. c. 77. & in Arauſic. II. cap. 2. & in Tolet. II. can. 12. & Tolet. VI. & Elibertino can. 4. & 5. Idem definierunt Pont. Max. Innocentius I. vt conſtat ex epiſt. 25. & 16. eiuſdem, & alij multi.

African. Arauſican. Toletan. Elibertin.

Secundo probatur Concluſio, ex ſacris litteris Geneſ. 17. *Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo*, aut vt ℣. 14. habet lectio Septuagint. *Maſculus, cuius præputij caro die octauo circumciſa non fuerit.*

Geneſ. 17.

Explicatio quorumdã.

Reſpondent recentiores aliqui, interquos eſt Vazquez diſput. 130. ex hoc loco minimè probari exiſtentiam peccati originalis in poſteris Adæ; poteſt enim, inquit, aliquis reſpondere peccatũ originale fuiſſe ſublatũ in maſculis, non per circumciſionem, ſed per illud idem remedium, per quod auferebatur in fœminis natis ex Iudæis, aut in lege naturali, tam in fœminis, quàm in

masculis. Deinde, circumcisio nullam habuit vim iustificandi, vt videtur colligi ex illo Pauli Rom. 4. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei:* Imò sancti Patres videntur affirmare circumcisionem nullam habuisse vim iustificandi. Ità Irenæus lib. 4. hæres. cap. 3. Origenes lib. 2. contra Celsum, Chrysost. & Damasc. lib. 4. de fide, cap. 10. 14. & 26. asserunt enim isti verbis expressis circumcisionem esse tantùm signum iustificationis. Tertiò, pœna quæ indicitur hoc in loco, circumcisionem prætermittentibus, non est pœna debita peccato mortali, sed solis transgressoribus ceremoniarum legis Mosaïcæ, vt constat ex cap. 12. Exod. & ex c. 8. 17. & 19. & 20. Leuit. Denique, quia peccatum de quo loquitur hîc Moyses non est pactum celebratum inter Deum, & *Adam*, sed inter Deum & *Abrahamum*.

Rom. 4. ỳ. 11.

Irenæus. Origen. Chrysost. Damasc.

A

B

Non sunt admittēdæ.

Verùm responsiones istæ vel nihil, vel parum admodum vrgent; nam ex Trident. sess. 4. de libris canonicis, sacræ Scripturæ explicandæ sunt iuxta communem Patrum interpretationem, & idem dicitur in Constitutione Pij IV. in qua præscribitur professio fidei faciendæ: at sancti Patres docent locum Genes. proximè citatum explicandum esse de peccato originali: ergo. Ità D. *Augustin.* lib. 16 de Ciuitat. cap. 27. & lib. 2 de gratia Christi, & peccato originali, cap. 30. & lib. 2. de Nuptijs, & concupisc. cap 11. *Ambrosius* lib. 2. de *Abraham*, cap. 11. Orig. lib. 2. in epist. ad Rom. prope finem, Isidorus, Beda, & alij nonnulli, vt obseruauit Leonardus Coquæus ad cap. proximè citatum lib. 16. de Ciuit. Deinde, propterea diximus baptismum esse simpliciter necessarium ad deletionem peccati originalis, quia dicitur, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* & dicitur similiter de circumcisione loco citato Genes. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit*, &c. Confirmatur: Penitentia ideò est necessaria lapsis post baptismum in peccatum mortale, quia scribitur Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis:* ergo circumcisio etiam fuit simpliciter necessaria, posito octauo die quibusuis masculis, ad hoc vt deleretur in istis peccatum originale. Rursus, licèt circumcisio non habuerit vim iustificandi ex opere operato, tamen iustificabat hæc ex opere operantis. Tertiò, pœna quæ indicitur transgressoribus præcepti circumcisionis est priuatio vitæ æternæ, saltem ex mente Patrum citatorum; pactum item cuius meminit Moyses eo in loco, censetur esse nedum pactum contractum inter Deum & *Abraham*, sed etiam inter Deum & primum parentem, ex doctrina Patrum eorumdem: ergo ex hoc loco Genes. colligitur existentia peccati originalis, saltem in ordine ad quoscumque masculos.

C. *Augustin.* Ambros. Origen.

Ioā. 3. ỳ. 3.

Genes. 17. ỳ. 14.

Lucæ 13. ỳ. 3.

D

E

3. *Probatio.* Rom. 5. ỳ. 12.

Tertiò probatur Conclusio, ex capite 5. Romanorum: *Per vnum hominem, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.*

Zuinglij expositio.

Respondet Zuinglius, loco proximè citato, nomine peccati non significari hîc culpam aliquam propriè dictam, sed pœnarum reatum, & obligationem, quæ sunt defectus aliqui consequētes naturam peccati, & consequenter defectus istos transijsse in posteros *Adæ*, non autem peccatum aliquod ab *Adamo* commissum.

Ceterùm hæc responsio est planè impertinens, est enim regula apud omnes certissima ex D. Augustin. desumpta in lib. de doctrina Christiana, Scripturas sacras esse simpliciter intelligendas ad litteram, nisi ex eis sequatur aliquid absurdi; & licèt dicamus peccatum vsurpari in propria, & natiua significatione apud Paulum, nulla hinc sequitur absurditas, vt constabit ex dicendis infra: ergo non est cur negetur πῶ peccatum propriè sumi. Deinde, meminit Paulus peccati & mortis; at mors est pœna peccati: argumento igitur est nomine peccati non intellexisse pœnam eiusdem, aut aliquem alium illius defectum. Denique, sequeretur hominem non iustificari à peccato per susceptionem baptismatis, sed tantùm à pœna, & reatu eiusdem; maximè si sermo sit de iustificatione paruulorum ante ætatem adultam: at illatio ista est contra Tridentinum sessione 6. & item 5. in decreto de peccato originali: ergo in propria significatione sumit Paulus peccatum.

Impertinēs.

Obijcit Zuinglius Diuum Paulum capite 5. ad Romanos: affirmare multos constitutos esse peccatores in Adamo: ergo non omnes.

Obiectio.

Respondeo, particulam, *multos*, seu *multa*, idem significare atque, *omnes*, seu *omnia*, vt constat ex illo Lucæ, capite 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, id est omnia; non enim vnum peccatum mortale sinè ceteris remitti potest, & Matthæi, cap. 20. *Venit filius hominis dare animam suam in redemptionem pro multis*, ỳ. 28. id est, pro omnibus omnino hominibus, vt communiter explicant Patres. Et denique ex illo Matthæi, capite 26. *Hic est sanguis meus noui Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: hoc est omnibus.

Solutio.

Luc. 7. ỳ. 47.

Matth. 20. ỳ. 28.

Pelagiani verò respondebant locum Pauli explicandum esse de peccato imitationis, non autem de peccato originali, ità vt sensus Pauli sit, eos omnes qui peccauerunt, ad imitationem primi parentis peccasse.

Pelagij euasio.

Ceterùm responsio hæc defendi nullo modo potest: primùm, quia D. Paulus in illo eodem cap. ait omnes omnino iustificari per gratiam Christi, qui condemnati fuerunt in inobedientia primi hominis; at certum est omnes omnino posteros Adæ damnari propter peccatum eiusdem. Deinde, cap. 3. ad Galat. dicitur, *Scriptura conclusit omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* & loco proximè citato Pauli, asseritur peccatum primi parentis transijsse in omnes, in quibus deprehēditur mors: at mors in omnibus & singulis tenet locum, vt est notissimum. Tertiò, sunt plerique qui peccant, neque tamen id faciunt ad imitationem primi parentis, vt obseruat D. Augustin. lib. 6. contra Iulianum Pelagianum, cap. 2. & manifestè colligitur ex puerulis natis ex posteris Adæ; isti namque dicuntur filij iræ, *Ephes. 2.* & constituti in peccatis apud Dauid, Psalm. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* & Iob. 14. iuxta Septuaginta. *Nemo mundus à sorde, neque infans cuius est vnius diei vita super terram*; non ergo locus Pauli de peccato imitationis venit explicandus; neque enim fieri potest, vt aliquis peccet ad imitationem alterius, nisi & peccatum eius, & personam habuerit notam; at paruuli ante

Præcluditur.

Galat. 3. ỳ. 22.

D. Augustin.

Psalm. 50. ỳ. 7.

Iob 14. v. 5 iuxta 70.

ætatem

Digitized by Google

ætatem rationis, non potuerunt cognoſcere, vel peccatũ primi parentis, vel etiam primum parentem, vt eſt per ſe notum, & tamen nuncupantur iſti peccatores, vt conſtat ex locis citatis: ergo.

Denique, ſi locus Pauli intelligendus eſſet de peccato imitationis, ſequeretur hoc tranſfundendum eſſe non in primum parentem, ſed in Dæmonem, aut etiam in Euam, iſti namque peccarunt ante primum parentem omnium conſenſu: ergo ex hoc loco citato Pauli ptobant exiſtentiam peccati originalis ſancti Patres, & item ſacra Concilia, maximè verò Arauſican. II. can. 2. & Tridentinũ, ſeſſione 5. in decreto de peccato originali, D. Auguſt. lib. 1. contra Iulianum, Irenæus locis ſupra citatis. Ambroſ. lib. 4. de Penitent. & alij innumeri.

4 Probat. concluſ. Quartò probatur Concluſio, ex Pſalm. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, & ex loco proximè citato, Epheſ.

Effugium Pelagianorum. Reſpondebant Pelagiani, ex hoc loco exiſtentiam peccati originalis non poſſe colligi; certum enim eſt ex doctrina Catholicorum omnium, vnicum extare peccatum originale in quolibet ex poſteris Adæ, non autem varia, & multiplicia, & tamen notum eſt Dauidem affirmare eo in loco dari plura peccata in pueris conſtitutis in vteris maternis.

Verùm reſponſio hæc eſt impertinens; nam Codices Hebræi legunt in numero ſingulari voces iſtas *in iniquitatibus, & peccatis*. Deinde, familiare eſt Scripturis, ponere numerum plũralem pro ſingulari, vt conſtat Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat preſbyteros Eccleſiæ*, id eſt vnicum ex presbyteris Eccleſiæ, vt præter communem explicationem Patrum, praxis quotidiana docet, vnus quippe Sacerdos accerſitur ad hoc vt adminiſtret ſacramentum extremæ Vnctionis, non autem plures, atque ità ex prædicto loco confirmatur tranſfuſio peccati originalis in poſteros Adæ ab omnibus ferè Patribus.

Iacob. 5. v. 14.

Vltim. Tandem comprobatur Concluſio, ex baptiſmo omnibus tam paruulis, quàm adultis collato; neque enim propter aliam cauſam adminiſtratur omnibus, niſi vt ab eis auferatur peccatum originale, ac tandem vitam æternam conſequantur, vt docent ſancti Patres locis ſupra citatis. Ità omnes omnino Scholaſtici in 2. diſtinct. 32. ſect. 33. interpretes verò D. Thom. omnes hoc loco.

Dixi autem, peccatum originale de lege communi tranſfundi in omnes poſteros Adæ, quia in poteſtate Dei eſt eximere quos vult à contagione iſtius peccati, an autem de facto aliquos exemerit, explicabitur poſtea.

Rationes partis negãtis ſoluuntur. Ad rationes verò dubitandi, reſpondeo. Ad primam, peccatum originale vſurpari duobus modis; interdum enim ſignificat carentiam iuſtitiæ originalis dependenter à peccato commiſſo ab Adamo; interdum verò dicit carentiam iuſtitiæ originalis debitæ, per generationem contractam dependenter à peccato primi parentis: Priori modo certum eſt peccatum originale præceſſiſſe exiſtentiam poſterorum Adæ; nam carentia iuſtitiæ originalis verè fuit in primo parente, ſtatim atque peccauit, non minùs, quã detur in nobis: poſteriori tamen modo peccatum originale nõ præcedit exiſtentiam illius in quo datur huiuſmodi peccatum, ſed præſupponit neceſſariò, illa eadem ratione, qua quodlibet accidens præſupponit ſubiectum in quo recipitur; peccatum autem originale propriè loquendo ſumitur tantùm in hac ſecunda ſignificatione, non autem in prima, vt conſtabit ex ijs quę dicturi ſumus, de quidditate peccati originalis: qua ratione autem peccatum hoc imputetur cuilibet ex poſteris Adæ, explicabitur inferiùs.

1.

2. Ad ſecundam, accidens non migrare de ſubiecto in ſubiectum, etiamſi peccatũ originale deprehendatur in omnibus poſteris Adæ; nam quilibet noſtrũm, ſuum proprium, & peculiare peccatum originale habet, vt definitum eſt in Tridentino, in decreto de peccato originali: peccatum autem primi parentis dicitur deriuari ad poſteros cauſaliter tantum, non autem formaliter; nam peccatum hoc fuit actuale, noſtrum verò eſt originale, non actuale.

3. Ad vltimam, culpam primo loco commiſſam ab Adamo poſitam eſſe in violatione præcepti quod habetur Geneſ. 2. *Ex omni ligno paradiſi comede. De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*: & colligitur ex Trid. ſeſſ. 5. citata. Illud idem manifeſtè probatur ex cap. 3. Geneſ. poſito ſiquidem peccato Adæ, ità eum alloquitur Deus: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo*. Tertiò, illud peccatum fuit primo loco ab Adamo commiſſum, propter quod ſubſequuta eſt in eo mors, & in poſteris eiuſdem, vt colligitur ex citato cap. Geneſ. at propter tranſgreſſionem prædicti præcepti ſubſequuta fuit mors in primo parente, & in poſteris ſimiliter quibuſuis Adæ, ex capite 5. Rom. ſupra allato: ergo peccatum primum Adami depoſitum eſt in violatione præcepti non comedendo, &c. peccatum tamen hoc nedum habuit annexam deordinationem gulæ, ſed etiam ſuperbiæ, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 163. art. 1. ad 2. ità vt ex iſtis duabus deordinationibus conſurrexerit vna totalis & adæquata culpa, quæ tranſmittitur ad omnes poſteros eiuſdem, non quidem formaliter & actu, ſed tantùm cauſaliter: peccante ſiquidem primo parente, factum eſt vt ſubſequuta ſit in deſcendẽtibus eiuſdem ex vi iſtius peccati, carentia iuſtitiæ originalis, in quà poſita eſt ratio huius peccati, vt poſtea probabitur.

1. Gen. 2. v. 16. & 17. id. 3. v. 17.

Obiectio. Dices, ex hac reſponſione manifeſtè colligi peccatum commiſſum ab Adamo fuiſſe cauſam peccati originalis, quod datur in omnibus filijs Adæ.

Solutio. Reſpondeo, conſequentiam iſtam eſſe admittendam, ea lege, quòd intelligatur de cauſa morali, ſeu meritoria peccati originalis; nam certum eſt peccatum primi parentis non eſſe cauſam phyſicam culpæ originalis, quæ exiſtit in nobis, non enim datur aliqua entitas in peccato primi parentis, quæ potuerit deſtruere gratiam originalem, per veram efficientiam & cauſalitatem, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium, vt aliquid poſſit eſſe cauſa alicuius effectus phyſicè.

Deinde, iuſtitia originalis à ſolo Deo pendet in eſſe, fieri, & conſeruari tamquam à cauſa præcipua & principali: ergo. Quod autem peccatum prædictum primi parentis ſit cauſa moralis peccati originalis, ex eo demonſtratur, quia ſi primus parens non peccaſſet, Deus nullos produceret homines priuatos iuſtitia

originali. Deinde, meruit primus parens A carentiam iuſtitiæ originalis in nobis, omnium planè Patrum conſenſu.

Replica. Dices, peccatum originale ſupponere peccatum primi parentis intrinſecè, dicemus enim rationem peccati originalis poſitâ eſſe in carẽtia iuſtitiæ originalis contracta per originem naturalem, dependenter à peccato Adæ: ergo cùm idem nequeat eſſe cauſa ſui ipſius, nedum phyſica, ſed neque etiam meritoria, peccatum commiſſum primo loco ab Adamo, non erit cauſa peccati originalis, vt nos diximus.

Diſſoluitur. Reſpondeo, hoc argumento tantùm probari, omne illud, quod datur in peccato originali, non eſſe à peccato primi parentis, veluti à meri- B toria cauſa, quod nos vltrò concedimus; cetera tamen habent ortum à peccato primi parentis veluti à cauſa meritoria, qualia ſunt priuatio iuſtitiæ originalis, & præterea tranſfuſio iſtius carentiæ, dependenter ab actu generationis naturalis: Ità docet Curiel, dubio vltimo, ad hunc artic. & Salas tract. 17. diſp. 11. in quæſt. de hac re, an ſcilicet peccatum originale ſit effectus peccati Adæ.

DVBITATIO SECVNDA.

An exiſtentia peccati originalis poſſit demonſtrari naturaliter. C

D. Auguſt. *Non poteſt demonſtrari peccatum originale.* 1.

CONCLVSIO *negatiua.* Ità enim docent ſancti Patres, maximè verò D. Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 22. *Peccato antiquo nihil ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius* & 3. de peccatorum meritis, cap. 4. & epiſt. 26. 28. & 29. & 2. de nuptijs & concupiſcent. cap. 18. & in Enchirid. cap. 45. & ſermo. 14. de verbis Apoſtolis, verbis expreſſis fatetur extare aliquas difficultates in tractatu de peccato originali, quibus non potuit ſatisfacere.

2. Deinde, fieri nequit, vt cognoſcatur peccatum originale naturaliter, niſi etiam intelligatur D & iuſtitia originalis, & pactum celebratum inter Deum & Adamum de tranſmittenda iuſtitia originali ad poſteros Adæ; ratio ſiquidem peccati originalis conſiſtit in priuatione iſtius iuſtitiæ, vt probabitur inferius: at nullus eſt qui naturaliter intelligat iuſtitiam originalem datam fuiſſe primo parenti & tranſmittendam eſſe per generationem naturalem in poſteros eiuſdem, vt eſt per ſe notum: ergo exiſtentia peccati talis nequit naturaliter cognoſci.

3. Tertiò, motus partis inferioris deordinati, qui dantur in nobis, vt mors, ægritudo, & ceteri defectus naturales, quibus affligimur depen- E dentur à peccato originali, tam verè darentur in hominibus procreatis à Deo in puris naturalibus, vt fatenter omnes: ergo ex iſtis non poteſt aliquis colligere exiſtentiam illius peccati euidenter & neceſſariò.

Obiectio. Dices, D. Auguſtin. lib. 3. contra Iulianum Pelagianum, cap. 3. 4. & 5. probare exiſtentiam peccati originalis ex incõmodis & malis, quę dantur in pueris ante ætatem rationis, & ex nocumentis, quæ inferuntur iſtis à Dæmonibus.

Solutio. Reſpondeo, D. Auguſtinum id præſtare, ſuppoſitis principijs fidei noſtræ, ex quibus nobis innoteſcit peccatum originale, & præterea id facit non euidenter, & neceſſariò; ſed tantùm probabiliter. Accedit, quod diſputet eo in loco contra Pelagianos, qui aliquos ex noſtræ fidei articulis admittebant; credebant enim baptiſmum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, vt videre eſt apud eumdem D. Auguſt. loco citato; ac proinde quærit ab iſtis, quî fiat vt credant alios baptizari, neque tamen vllas habere in ſe ſordes; alios illuminari, & tamen nullas in ſe habere tenebras?

Replica. Inſtabis, eumdem D. Auguſtinum lib. 4. contra Iulianum Pelagianum, capite 12. affirmare Philoſophos Ethnicos, itémque ceteros prophanos authores aſſerere, neminem naſci ſinè peccatis.

Diſſoluitur. Reſpondeo, cum D. Auguſt. ibidem, M.T. Ciceronem, qui inter ceteros rem iſtam affirmauit, referente Diuo parente ibidem, rem vidiſſe; cauſam vero non cognouiſſe: id eſt, veteres iſti Ethnici effectus peccati originalis ſunt experti, & veriſſimè aſſequuti, minimè verò cauſam iſtius peccati notam habuerunt, neque item peccatum originale.

DVBITATIO TERTIA.

Vtrùm omnes poſteri Adæ concipiantur in peccato originali.

Argumẽta contraria. 1.

NAm ſi ità res haberet, ſequeretur Chriſtum fœdatum fuiſſe peccato originali, refertur enim hic inter filios Dauid, & Abrahæ, *Luc. cap. 3.* & *cap. 1 Mat.* vnde & inter poſteros Adæ.

2. Deinde, concedendum eſſet D. Virginem ſimiliter commaculatam fuiſſe illo peccato, quod vi detur etiam probari, ex cap. 5. Rom. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ſic in omnes homines pertranſijt.* & Pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* & Epheſ. 2. *Eramus natura filij iræ.* & cap. 14. Iob. iuxta verſ. Sept. *Nemo mundus à ſorde.*

Rom. 5. ℣. 12. Pſ. 50. ℣. 6 Epheſ. 2.

3. Tertiò, ſancti Patres verbis expreſſis docent neminem naſci ſinè peccato, loquuntur autem de culpa originali: ità Leo ſerm. 1. de natiuit. Chriſti. Cyril. in Leuiticum. Ambroſ. lib. 2. in Lucam, D. Auguſt. lib. 2. contra Iulianum Pelagianũ ſub initium. Gregor. lib. 11. Moral. & 18. cap. 27. Imò ſunt qui dicant in particulari D. Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali: ità D. Auguſt. lib. 2. de peccator. meritis, cap. 27. & Ambroſ. loco proximè citato, & ſerm. 6. in Pſal. 118. Bern. epiſtol. 177. ad Canonicos Lugdunenſes, & alij multi, præſertim verò D. Tho. 3. part. quæſt. 27. art. 1. & 2.

4. Quartò, Pius V. ſuſtulit ex Miſſali Officium Conceptionis D. Virginis, prohibuitque ne deinceps Oratio iſta, *Deus qui per miraculoſam Virginis Conceptionem* recitaretur, &c.

5. Quintò, D. Virgo verè fuit à Chriſto redempta; dicitur enim 2. Cor. cap. 5. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt.*

2. Cor. 5. ℣. 15.

6. Denique, mors locum habuit in D. Virgine: ergo & peccatum originale, pœna enim iſtius culpæ cenſetur eſſe mors, ex cap. 5. Rom. citato.

Humanitas Chriſti non potuit contrahere peccatum originale.

CONCLVSIO 1. *Chriſtus, ſeu hæc humana Chriſti natura nec habuit poteſtatem contrahendi peccatum originale, nec de facto contraxit, imò neque contrahere potuit.* Primò, hæc humana Chriſti natura fuit verè Deus; implicat autem cum qui Deus eſt peccare, aut

non poſſe peccare, quemadmodum implicat regulam, ſub ea ratione qua regula eſt, deficere.

2. Deinde, Chriſtus etiam quatenus hic homo, non fuit in primo parente ſecundum ſeminalem rationem, quodtamen eſt ſimpliciter neceſſarium ad hoc vt aliquis ſit obnoxius peccato originali; quemadmodum & ad hoc vt aliquis contrahat peccatum originale de facto, ſimpliciter requiritur, vt naſcatur per generationem naturalem dependenter ab Adamo; certum eſt autem Chriſtum, quatenus homo eſt, nec fuiſſe conceptum modo naturali, nec ex ſemine corrupto, ſed Spiritus ſancti actione ex puriſſimo Virginis Mariæ ſanguine: ergo.

3. Tertiò, ſacræ Scripturæ docent Chriſtum numquam peccaſſe, 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit*, &c. 1. Petr. 2. verſ. 22.

4. Denique, Chriſtus in primo inſtanti ſuæ Conceptionis fuit beatus: ergo cum peccatum nequeat conſiſtere cum beatitudine, ex communi doctrina, humana Chriſti natura nec peccatum originale habuit, nec habere potuit; ità enim concedendum eſſet, huic homini non ſemper debitam fuiſſe beatitudinem, quod tamen pugnat cum ſuppoſito humanæ natur[illegible] Chriſti, & conſequenter cum natura humana ei[illegible]

Beata Maria habuit debitum cõtrahendi peccatum originale.

CONCLVSIO 2. *Diua Virgo habuit debitum contrahendi peccatum originale.* Primùm, quia niſi fuiſſet præſeruata, de facto fuiſſet commaculata.

Deinde, tam verè fuit Virgo in Adamo, quàm ceteri omnes poſteri Adæ, nedum ſecundum corpulentam ſubſtantiam, vt loquuntur, ſed etiam ſecundum ſeminalem rationem: ergo quemadmodum ceteri omnes poſteri Adæ, hoc ipſo, quod Adam peccauit, habuerunt debitum contrahendi peccatum originale; ità & illud idem dicendum eſt de Diua Virgine.

Tertiò, non potuit Diua Virgo liberari, ſeu præſeruari, ſaltem de lege communi, à peccato originali, niſi dependenter à meritis Chriſti: at merita hæc nulla erant futura, Adamo non peccante (puto enim veriſſimam eſſe opinionem eorum, qui aiunt Incarnationem non eſſe futuram Adamo non peccante) ergo prius fuit, ſecundum noſtrum modum concipiendi, peccatum Adæ, & poſterorum eiuſdem, quàm liberatio ab eodem peccato, & item prius quàm cognouerit Deus de incarnatione futura Chriſti: ergo cõcedendum eſt de D. Virgine quòd contraxerit debitum peccandi; quod qua ratione ſit accipiendum explicabitur ad 3. part. quæſt. citat. D. Thom.

Nõ contraxit peccatũ originale Virgo Maria. Cãt. 4. v. 7. Luc. 1. ℣. 28. Geneſ. 3. ℣. 15. Pſal. 87. ℣ 38.

CONCLVSIO VLTIMA. *Peccatum originale nullum habuit locum de facto in Diua Virgine*: colligunt hoc innumeri Doctores Eccleſiæ, ex cap. 4. Cantic. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* & ex illo Luc. 1. *Aue gratia plena.* & ex illo Geneſ. 3. *Ipſa conteret caput tuum*: ità enim legunt plerique ſancti veteres, cum editione vulgata, licèt codex Hebræus habeat, *Ipſum.* & ex illo Pſalm. 87. *Et Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo*: omnia ſiquidem iſta interpretantur de Diua Virgine. Idem docent verbis expreſſis innumeri Patres, quorum authoritates afferuntur loco citato 3. partis.

3. Tertiò, probatur Concluſio ex celebritate Conceptionis Virginis Mariæ; hæc enim ante mille annos in Eccleſia Græca, ante verò quingentos in Latina fuit celebrata; vt tradunt ſcriptores Scholaſtici, Peſantius diſputat. 4. ad hunc articulum, & Cornelius Sculcingius, in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica, quando agit de feſto Conceptionis, & de authoribus, qui de hac ſolemnitate ſcripſerunt; ante verò ducentos annos fuit conſtitutum à Pontificibus Maximis, vt ſolemnitas hæc à quibuſuis Chriſtianis celebraretur, vt conſtat ex conſtitutione, *Cum præcelſa*, Sixti IV. Meminit de hac re Conc. Trident. ſeſſ. 5. in fine decreti de peccato originali.

4. Quartò, hæc eſt communis opinio inter Theologos Scholaſticos ad 3. partem Diui Thomæ, quæſtione 27. & in 3. diſtinctione 3.

Ratio Concluſionis. Accedit ratio: Eua fuit de terra nuſquam maledicta, procreata, ergo debuit & hoc idem fieri in Diua Virgine; putà quæ compararetur cum prima Eua à ſanctis Patribus, & quæ præterea debuit eſſe Mater Chriſti, qui nec peccauit, nec peccare vnquam potuit: rationes etiam quibus Diuus Thomas allegatus probat Diuam Virginem, nec veniale, nec mortale crimen actuale commiſiſſe, oſtendunt illam debuiſſe à peccato originali præſeruari; quæ apud illum videri poterunt.

Corollariũ. Ex iſtis colliges, qua ratione verum ſit quod diximus Dubitatio. 1. iſtius articuli, omnes Adæ poſteros concipi de lege communi in peccato originali; hoc ergo venit intelligendum de omnibus filijs *Adæ*, excepto tamen Chriſto, & Diua Virgine, idque propter cauſas explicatas Concluſione 1. & 3. Deinde, falſum eſt, quod nonnulli docuerunt Hieremiam Prophetam, & Ioannem Baptiſtam, catuiſſe ſemper peccato originali; de iſtis namque duobus dicitur in ſacris litteris, quòd fuerint ſanctificati in vteris maternis. Ità Lucæ 1. de Diuo Ioanne: *Et replebitur Spiritu ſancto adhuc ex vtero matris ſuæ.* & de Hieremia, capite 1. ſuæ hiſtoriç. Sanctificatio autem hæc licèt fuerit facta in vteris maternis, non tamen propterea excludit ſimpliciter peccatum originale, ſed potiùs ſupponit; cùm ſanctificatio de lege communi fiat à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, vt colligitur ex Tridentino ſeſſione 6. Luc. 1. ℣. 15.

Satisfit rationibus contrarijs. Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. *Ad* 1. primam, Chriſtum nuncupari filium Dauid, & conſequenter *Adæ*, non quòd fuerit in iſtis ſecundum ſeminalem rationem, ſed tantùm ſecundum corpulentam ſubſtantiam; exiſtentia autem iſta non ſufficit, vel ad debitum contrahendi peccatum originale, vel ad ipſum peccatum contrahendum, ſed tantùm prior illa exiſtentia in *Adamo*.

Ad 2. Ex illis locis Scripturæ, probari tantum de lege communi neminem eſſe immunem à peccato *Adæ*, ſpeciali tamen Dei priuilegio D. Virgo fuit præſeruata à Deo; neque hoc mirum, nam dicitur in iſdem locis, neminem naſci ſinè peccato, & tamen religio docet Ioannem Baptiſtam, item Hieremiam ſinè vllo peccato fuiſſe natos, Quid igitur mirum ſi diſpenſauerit Deus cum D. Virgine circa legem de contrahendo peccato originali?

Ad 3. Patres intelligendos eſſe generaliter, non autem particulariter, præſertim ſi comparentur poſteri *Adæ* cum omnipotentia Dei, & gratuita eiuſdem liberalitate: nihil enim prohibet, quin Deus ſupra ſuas leges operetur quotieſ-

cumque vult, & eo modo quo vult. Ad illos verò qui dixerunt Diuam Virginem fuiſſe commaculatam peccato originali. Reſpondeo, hoc eſſe intelligendum ex ſe & ſua natura, ità vt ſecluſa bonitate diuina peccatum originale locum habiturum eſſet in Diua Virgine. Ad D. vero Thom. Reſpondeo, noſtris ſeculis nec inter concionandum, nec inter docendum publicè, nec inter reſpondendum eius opinionem eſſe defendendam, vt conſtat ex decreto Pauli V. Pontif. Max. quod refertur à multis, circa ſeſſ. 6. Trid. vbi de Conceptione Diuæ Virginis Mariæ fit mentio.

4. Ad Pium vero V. Reſpondeo, ſuſtuliſſe officium Conceptionis ex Miſſali, itémque Breuiario, non quidem animo abolendi feſtum Conceptionis: præcepit enim hic, vt in eodem feſto legeretur officium Natiuitatis Diuæ Virginis, mutato nomine Natiuitatis, in nomen Conceptionis. Abſtulit ergo prædictum Officium animo retinendi vſum veteris Eccleſiæ, inter recitandum Officium D. Virginis.

5. Ad quintam reſpondeo, Diuam Virginem fuiſſe redemptam redemptione præſeruatiua, non autem liberatiua, vt loquuntur.

Vltim. Ad vltimam. Mortem nedum eſſe pœnam peccati, ſed etiam debitum naturæ: in Diua ergo Virgine, mors non cenſetur eſſe pœna peccati, neque enim vllum extitit in ea, ſed tantùm debitum naturæ; omne enim compoſitum ex quatuor qualitatibus cenſetur eſſe corruptioni obnoxium ex ſe, & ſua natura. Accedit, Deum nolle alicui dare vitam æternam, niſi interueniente morte naturali, ex illo, *Non enim videbit me homo & viuet*: propter iſtas ergo duas cauſas ſuſtinuit mortem Diua Virgo, ceterùm placidè & ſinè dolore ex communi Doctorum opinione.

Exod. 33. ℣. 21.

DVBITATIO QVARTA.

An peccatum originale ſit verè voluntarium.

D. Auguſt. *Originalis culpa voluntaria.*

CONCLVSIO *Affirmatiua.* Ità enim docent ſancti Patres, maximè verò Auguſtinus lib. 2. de nuptijs & concupiſcentia, cap. 28. *Ex voluntate*, inquit, *peccatum eſt. Quærit fortè*, Pelagius, *vtrum & originale peccatum? Reſpondeo, prorſus & originale peccatum, quia & hoc ex voluntate primi hominis ſeminatum eſt, vt & in illo eſſet, & in omnes tranſiret.* & lib. 1. Retract. c. 13. Quemadmodum peccatum eſt originale in ſua origine; ità in ſua origine exiſtit voluntarium. Idem docent omnes Scholaſtici in 2. diſt. 31. 32. & 33. & Thomiſtæ cum D. Thom. artic. 1. huius quæſt.

1.

2. Deinde, fieri nequit, vt aliquid ſit propriè peccatum, niſi fuerit voluntarium, vt ſæpe diximus: at peccatum originale eſt verè, & propriè peccatum, vt probabitur quæſt. proximè ſequente D. Thom. Confirmatur: Pius V. itémque Gregorius XIII. referente Azorio lib. 4. Inſtitutionum Moralium, cap. 29. quæſt. 7. damnarunt Michaëlem Baïum Doctorem Louanienſem, hoc ſolo nomine, quòd dixerit fieri poſſe, vt aliquid ſit peccatum, etiamſi non habuerit ortum à voluntate, ſeu, quod idem eſt, etiamſi non eſſet voluntarium.

3. Tertiò, voluntarium definitur, quod habet ortum à voluntate, cum cognitione finis: at peccatum originale habuit ortum à voluntate primi parentis operantis ex perfectiſſima cognitione, non enim fuit hic deceptus, vt author eſt Apoſtolus, quando comedit de ligno vetito, rogante Eua: igitur huiuſmodi peccatum eſt voluntarium.

Quæſtiunc. ROGABIS, *Qui fiat vt voluntarium alienum imputetur alicui ad culpam propriè dictam.*

Exempla D. Thom. non conuincunt omnino rem. Reſpondet D. Thom. in corpore huius artic. ſubiungendo tria exempla: Primùm, quemadmodum, inquit, omnes homines communione vnius ſpeciei ſunt vna numero ſpecies; ità omnes voluntates & Adami, & poſterorum eiuſdem, ſunt veluti vna voluntas ſpecie: quare quemadmodum, id quod conſequitur ſpeciem reperitur in omnibus planè indiuiduis; ità peccatum commiſſum per voluntatem primi parentis reperitur in omnibus poſteris eiuſdem. Ceterùm, exemplum hoc rem iſtam non ſatis illuſtrat; nam ex eo manifeſtè ſequitur nedum primam culpam, ſed quamcumque commiſſam ab Adamo habere locum in nobis, quod tamen negant omnes cum D. Thom. art. 2. huius quæſt. Secundum exemplum ſumitur à gubernatore alicuius ciuitatis: ſicut enim ea quæ fiunt à rectore imputantur nedum ſibi, ſed etiam cæteris ciuibus; ità peccatum ab Adamo commiſſum imputatur poſteris eiuſdem, & ipſi, idque quòd Adam ſit quaſi dux & rector quorumcumque mortalium. Ceterum, neque exemplum hoc videtur difficultatem attingere: nam propterea culpa commiſſa à rectore ciuitatis imputatur ciuibus, quòd conſenſerint iſti tacitè, vel expreſsè in creatione iſtius ducis; poſteri autem Adæ nec tacitè, nec expreſsè conſenſerunt ad hoc vt iuſtitia originalis daretur primo parenti, cum ea conditione, vt eo peccante peccarent & ipſi. Poſtremum exemplum ſumit D. Thom. à partibus corporis: iſtis enim imputatur culpa propter dependentiam quam dicunt à voluntate rationali, vt occiſio facta à manu, cenſetur eſſe culpabilis propter ſubiectionem, quam dicit ad imperium voluntatis. At neque hoc exemplum aliquid dicit: partibus ſiquidem corporis ſenſibilibus nulla ineſt voluntas, nulla ineſt cognitio, ſaltem rationalis: bene tamen in quolibet poſtero Adæ datur voluntas rationalis, diſtincta à voluntate primi parentis, neque vll' ex poſteris Adæ tacitè vel expreſsè cõſenſit peccato primi parentis. Diuus verò Anſelmus, & alij nonnulli recentiores vtuntur exemplo principis adoptantis aliquem in filium vnà cum poſteris eiuſdem, & concedentis iſtis ampliſſima patrimonia, ea lege, quòd adoptat' hic ſtabit in omnibus & ſingulis præceptis iſtius principis adoptantis: peccante namque iſto adoptato, nedum hic, ſed etiam poſteri eiuſdem excidunt iure adoptionis, & item bonis fortunæ ſibi datis. Ceterùm exemplum, hoc tantùm demonſtrat fieri poſſe, vt aliquis lædatur in bonis externis dependenter à peccato alieno, non autem peccatum alienum poſſe alijs imputari, quatenus culpa eſt.

Germana reſolutio authoris. Dico ergo, voluntarium alienum imputari nobis ad culpam propriè dictã ex dictamine ſolius fidei Chriſtianæ, quæ docet peccatum primi parentis cauſaſſe in nobis peccatum originale, quod verè peccatum eſt, & quidem dependenter à voluntate primi parentis, quódque in nobis & ſingulis reperitur proprium & peculiare in ratione culpæ propriè dictæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An nedum peccatum primi parentis, ſed etiam alia eiuſdem, vel proximorum parentum transfundatur in poſteros.

Sola culpa 1. Adami transfundi tur.

CONSTITVENDA ſunt aliqua hoc loco. Primùm eſt, *Nulla peccata primi parentis, aut poſterorum transfundi ad ſucceſſores præter culpam commiſſam primo loco ab Adamo.* Nam per peccatum primo loco commiſſum ab Adamo priuamur iuſtitia originali. Deinde, ſoli Adæ data fuit iuſtitia originalis transfundenda in poſteros. Tertiò, iuſtitia orignalis habuit rationem doni naturæ in Adamo; in ceteris verò rationem doni perſonę. Quartò, ſi ſola Eua peccaſſet, non propterea peccatum originale eſſet tranſmiſſum ad poſteros, vt docet D. Thom. artic. vltimo huius quæſt. Denique, Pius V. & Gregor. XIII. damnarunt Michaëlem Baïum, vt referunt authores ſupra citati hoc nomine, quod diceret eam eſſe rationem cuiuſlibet peccati, vt nedum noceret ſuo authori, ſed ſucceſſoribus eiuſdem. Ità D. Thom. hoc loco, & omnes interpret. eiuſdem ibidem.

Obiectio. Obijcies, poſteros iſtos contineri in proprijs parentibus: ergo debent iſti conſequi peccata eorumdem.

Solutio. Reſpond. negando conſequentiam: nam peccata omnia quæ dantur in parentibus iſtorum, ſunt peccata perſonalia, non autem naturæ; ſolum autem peccatum naturæ transfunditur in poſteros Adæ.

Replica. Inſtabis, in ſacris litteris nihil frequentiùs inculcari, quàm Deum vindicare peccata parentum in filijs.

Diſſoluitur. Reſpond. hoc eſſe verum de pœnis temporalibus debitis peccatis parentum, non autem de pœnis æternis: hoc autem contingit quia filij cenſentur eſſe bona quædam parentum, quare iuſtè puniuntur iſti pœna temporali propter delicta parentum.

Peccantibus aliis, non Adamo, non fuiſſet trãſfuſio peccati. Secundum ſtatuendum hoc loco eſt, *Perſeuerante Adamo in ſtatu innocentiæ, & peccantibus nonnullis ex poſteris eiuſdem, filios natos ex iſtis poſteris Adæ, qui ex hypotheſi peccarunt, non eſſe propterea commaculandos peccato originali.* Primùm, quia peccatum originale tranſundi tantummodo poteſt à capite morali humanæ naturæ idque per veram generationem naturalem: at nullus alius à primo parente cenſetur eſſe caput morale totius generis humani: ergo licèt poſteri Adæ aliqui peccaſſent, non tamen propterea inficerent ſuos filios peccato originali. Deinde, iuſtitia originalis data fuit ſoli Adæ per generationem naturalem.

Obiectio. Dices, parentes iſtos carere iuſtitia originali, ſupponimus enim quod ipſi peccarunt lethaliter: ergo non poſſunt tranſmittere iuſtitiam originalem ad ſuos poſteros.

Solutio. Reſpond. negando conſequentiam; eadem enim ratione qua nunc contingit filios genitos ex parentibus Chriſtianis baptizatos infici peccato originali per generationem naturalem, licèt peccatum originale fuerit ſublatum per baptiſmum in illis: ità & in hac hypotheſi iuſtitia originalis communicaretur filijs iſtis, licèt hæc non eſſet in eorum parentibus; acciperent enim iſti iuſtitiam originalem dependenter à primo parente veluti à capite totius humanæ naturæ, non autem dependenter à proximis parentibus, ſed tantùm veluti à conditione ſine qua non.

Vltimum ſtatuendum, *Filios ex hypotheſi procreatos ab Adamo in ſtatu innocentiæ, peccante poſtea Adamo, non fore commaculandos propterea peccato originali.* Ità D. Auguſt. in Pſal. 89. ad hæc verba. *Auerte iram tuam à nobis*, & epiſt. 23. ad Bonifacium: habet & aliquid iſtis non abſimile Gratianus 14. quæſt. 3. cap. *Quod autem*, in fine: ait enim ideo omnes teneri peccato originali, quia nondum aliquis ex illo ſcilicet Adamo fuerat naturaliter præſeruatus: idem tradit Hugo de ſacramentis part. 7. cap. 38. Deinde, ratio peccati originalis poſita eſt in priuatione iuſtitię originalis, conſequuta per generationem naturalem dependenter à primo parente: at ſupponimus filios iſtos fuiſſe genitos ab Adamo antequàm hic peccaſset, ergo. Denique, iuſtitia originalis nequit ab illo in quo eſt remoueri, niſi interueniente propria culpa: at ſupponimus filios genitos ab Adamo in ſtatu innocentię eſſe adhuc in tenera ætate, ac proinde nullam prorſus admiſiſſe culpam actualem: ergo non poterunt iſti contrahere peccatum originale, præſertim cùm hoc debuerit antecedere generationem illius, qui coïnquinatur huiuſmodi peccato: eſt enim de fide peccatum hoc contrahi tantum per generationem naturalem.

D. Auguſt. Gratian.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm peccatum primi parentis transfundatur in poſteros Adæ per originem.

Duæ difficultates propoſitæ D. Auguſtino à Pelagio.

CCVRRIT hoc loco diſputandum, qua ratione peccatum originale transfundatur in poſteros Adæ: De qua re extant duæ quàm maximè implicatę difficultates propoſitæ D. Auguſtino à Pelagio, vt conſtat ex lib. 1. & 2. de nuptijs, & concupiſc. & ex lib. contra Iulianum Pelagianum, & ex lib. 3. de peccatorum meritis.

Prima eſt, ſi peccatum originale transfunditur in poſteros Adæ, vel id contingit dependenter ab anima, vel à corpore: non primum, quia cùm anima à ſolo Deo procreetur & hic nequeat eſſe author vllius peccati, non poteſt anima contrahere peccatum originale: neque ſecundum, quia ſi ità res haberet, id certè accideret, ex eo quòd anima vnitur corpori inquinato peccato originali: at res hæc dici nullo modo poteſt, non enim res vlla ſpiritualis inquinari poteſt à re ſenſili, & corporea: quæ ſunt ergo illæ rimæ, per quas ingreſſum eſt peccatum originale ad poſteros Adę? vt inquit Pelagius apud D. Aug. lib. 2. de Nuptijs & concupiſc. cap. 28 Non peccat, ait, iſte, qui naſcitur, non peccat iſte qui genuit, non peccat ille qui condidit, per quas minas inter tot præſidia innocentię, peccatum fingis ingreſſum?

Vi generationis naturalis p. orig. communicatur.

Secunda difficultas Pelagij eſt: peccatum originale non datur in parentibus baptizatis: ergo nequeunt iſti transfundere illud in ſuos poſteros; nemo quippe dat quod non habet.

CONCLVSIO. *Peccatum originale tranſunditur ad poſteros per actum generationis & propaga-*

tionis naturalis, seu quod idem est, peccatum originale communicatur posteris Adæ per illum actum, quo quis efficitur filius Adæ. Ità definitum fuit in Concil. Trident. Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali, can. 3. *Si quis hoc Adæ peccatum quod origine vnum est, & propagatione non imitatione transfusum omnibus inest*, &c.

Anselm. D. Thom. Deinde, idem docent Anselmus de conceptu virginali, cap. 7. D. Thom. hoc loco, & interpretes eiusdem ibidem.

Tertiò, peccatum originale transfunditur illo eodem modo, quo transmissa fuisset iustitia originalis ad posteros Adæ, ex doctrina communi: at iustitia hæc transfusa fuisset per generationem naturalem, omnium consensu: ergo & peccatum.

Tertia ratio, cur humanitas Christi non fuerit coïnquinata peccato originali, hæc redditur à Magistro dist. 31. lib. 2. quòd humanitas Christi non fuerit in Adamo, secundum seminalem rationalem rationem, sed tantùm secundum corpulentam substantiam, id est, quod humanitas Christi non pendeat ab Adamo per propagationem & generationem naturalem, sed tantùm per partem materialem; fuit enim hæc humanitas procreata ex sanguine purissimo solius Diuæ Virginis.

Denique, D. Thom. art. 4. huius quæst. affirmat eum, qui produceretur à Deo miraculosè ex carne humana, non contracturum peccatum originale, etiamsi penderet ab Adamo iuxta modum explicatum, cuius rei nulla alia potest assignari ratio, nisi quia hic non penderet ab Adamo, secundum generationem naturalem: ergo tota ratio cur aliquis inficiatur peccato originali est, quia pendet à primo parente per generationem naturalem.

D. Augustini authoritas. Ad difficultates verò Pelagij. Respondet D. August. ad primam lib. 2. de nuptijs & concupisc. cap. 28. *Quid quæris*, inquit, *latentem rimam, cùm habeat apertissimam ianuam? peccatum per vnum hominem intrauit in mundum, ait Apostolus, per inobedientiam, ait Apostolus, vnius hominis. Quid quæris amplius? Quid quæris apertius? Quid quæris inculcatius?* Ceterùm responsio hæc non satisfacit argumento Pelagij: nam ex hoc testimonio Pauli solùm colligitur peccatum originale verè habere locum in posteris Adæ; non autem potest colligi, quis sit ille modus per quem peccatum originale transmittitur ad posteros Adæ.

Dicunt ergo plerique, D. Augustinum difficultatem hanc ideò explicare non potuisse, quòd ipse dubitauerit, quânam ratione animæ nostræ producerentur; lib. quippe 1. Retract. verbis expressis docet, se nescire an animæ creentur de nouo in corpore, an verò aliunde adscisc antur? & in epist. 28. dicit se misisse Osorium Diaconum ad D. Hieronym. vt ab eo sciret, quid ipse sentiret de animarum nostrarum productione. Magister verò & sequaces eiusdem aliqui, crediderunt animam rationalem educi ex potentia materiæ, seu, quod idem est, esse ex traduce, quare animam commaculari peccato originali, quòd hæc educta ex potentia materiæ vniatur corpori polluto peccato originali; credunt enim in corpore extare qualitatem aliquam morbidam, dependentem à peccato primi parentis, & ratione istius qualitatis animam verè commaculari peccato originali.

Ceterùm responsio hæc communiter reijcitur; nulla quippe datur qualitas talis morbida in corporibus nostris. Deinde, quia licèt daretur, non tamen posset hæc inficere animas nostras, naturaliter saltem; res siquidem sensiles nullam possunt exercere operationem, circa res spirituales, relictæ intrà terminos propriæ naturæ.

Solutio difficultatis prima. Dico igitur animam pollui peccato originali, non quia creatur de nouo, neque etiam quia vnitur corpori: si enim Deus faceret hominem ex nihilo, vt potest; anima, & eius corpus crearentur & coniungerentur hæc duo inter se, & tamen homo iste non propterea haberet peccatum originale; pollitur ergo anima quia vnitur corpori descendenti ab Adamo per generationem naturalem; generatio enim naturalis facit, vt hic sit verè filius Adæ, & præterea vt careat iustitia originali dependenter à peccato commisso ab Adamo.

Ad secundam autem Pelagij difficultatem. Respondet D. August. loco supra citato, & lib. 3. de peccatorũ meritis, cap. 8. nihil repugnare, quominus aliquis det quod non habet; circumcisus namque caret præputio, & tamen generat filium cum præputio: granum item commendatur terræ, sinè palea, & tamen cetera grana producit cum palea; ex oleastro item fit oleaster; ex semine verò oliuæ, nedum oliua, sed etiam oleaster. Quid igitur mirum, si ex parentibus non habentibus peccatum originale, generentur filij cum peccato originali?

Subiungit Pelagius ibidem: Si ex semine oliuæ nedum oleaster generatur, imò & oliua, qui fit vt ex iustis generentur semper iniusti; nusquam autem iusti, sed peccatores? Respondet D. August. lib. 6. contra Iulianum, subiunctione exempli, ex quo manifestè constat fieri posse, vt aliquis det quod non habet. Ab homine, inquit, cæco generatur videns & oculatus.

D. verò Thom. hoc loco respondet, propterea peccatum originale transmitti ad posteros, licèt hoc peccatum non detur in eorum parentibus, quia deletum fuit in illis quoad reatum & culpam tantùm; minimè verò quoad concupiscentiam: eódemque redit eorum responsio, qui aiunt peccatum originale formaliter spectatum, deletum esse in parentibus, minimè vero materialiter: nomine autem peccati originalis materialiter, intelligunt concupiscentiam, quare ratione istius concupiscentiæ communicatur posteris peccatum originale. Responsio tamen ista non exhaurit difficultatem propositam; supereſt enim explicandum, quî fiat vt cum in parentibus baptizatis detur sola concupiscentia, in paruulis tamen natis ex istis baptizatis præter concupiscentiam deprehendatur & peccatum originale; cui difficultati non occurrit responsio proximè adducta.

Solutio difficultatis 2. Dico ergo, propterea in filijs natis ex baptizatis reperiri peccatum originale, præter concupiscentiam, quia parentes baptizati non generant paruulos istos, quatenus sunt baptizati, aut iusti, vel sancti; sed quia acceperunt propriam naturam ab Adamo transfundendam in posteros per actum generationis naturalis; & quia hæc eadem natura ex vi peccati commissi ab Adamo priuatur gratia originali, quam suis liberis communicant sinè iustitia originali. Ità recentiores.

Articvlo 4. docet eum qui formaretur à Deo miraculosè ex carne humana non contracturũ peccatum originale. De qua re nulla potest esse difficultas, cùm sit de fide peccatum originale contrahit tantùm per generationem naturalem, vt docuimus art. proximè antecedente.

Dices,

Digitized by Google

Dices, procreatum ex huiuſmodi carne humana, non habere iuſtitiam originalem: ergo daretur in eo peccatum originale, cùm hoc nihil aliud ſit, quàm carentia iuſtitiæ originalis.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; negatio quippe iuſtitiæ originalis haberet tantùm locum in iſto homine, non autem priuatio eiuſdem; deberetur namque iuſtitia hæc illis ſolis qui habent ortum à primo parente, veluti à capite morali totius humanæ naturæ; & quidem per generationem naturalem: non debetur autem iuſtitia hæc originalis alijs hominibus productis aliter, quàm per generationem naturalem. Eſt tamen concedendum de genitis à Dæmone ſuccubo, vel incubo, quod conciperentur in peccato originali, verè enim haberent iſti ortum à primo parente per ſemen deciſum tam ab homine, quàm à fœmina, & eorum formatio contingeret intrà vas à natura conſtitutum ad generationem hominis dependentis ab Adamo, vt obſeruat Curiel hoc loco. Poſſe autem generationem hominis contingere dependenter à Dæmone iuxta modum explicatum, docet D. Auguſt. cap. 23. lib. 15. de Ciuitate, ait enim illic dæmones extitiſſe improbos mulieribus. Fatendum præterea eſt genitos à ſterilibus per omnipotentiam Dei extraordinariam, concipi in peccato originali; Deus enim in hac hypotheſi tantum auferet à parentibus ſterilitatem, & concedit fecunditatem, & tamen fecunditas non fortitur ſuos effectus aliter, quàm per generationem naturalem dependentem à primo parente, & ideò daretur in iſtis peccatum originale.

Articvlo vltimo tradit, Eua peccante, minimè verò Adamo, peccatum originale non propterea habiturum locum in poſteris eorumdem: qua de re vix poteſt eſſe dubitatio aliqua; dicitur enim in Concil. Trident. can. 2. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, Adamum ſuo peccato amiſiſſe & ſibi, & nobis iuſtitiam quam à Deo acceperat, & transfudiſſe in nos peccatum quod eſt mors animæ. Deinde, cap. 5. Rom. dicitur: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*: nomine autem iſtius hominis intelligitur Adamus, vt manifeſtè colligitur ex verbis ſequentibus; *Regnauit*, inquit, *mors ab Adamo*.

Rom. 5. verſ. 12.

Obiectio. Dices, D. Hieronymum intelligere locum Pauli de Eua, imò Geneſ. cap. 5. donatur Eua nomine Adam, *Et vocauit nomen eorum Adam, in die quo creati ſunt*: loquitur autem de vtroque parente primo.

Solutio. Reſpond. ceteros omnes Patres intelligere locum Pauli de ſolo Adamo, non ſunt autem cereri omnes deferendi propter vnius authoritatem. Deinde, interpretatio noſtra manifeſtè probatur ex verbis ſequentibus Pauli: confert enim Chriſtum cum Adamo, docérque quòd quemadmodum in Adam omnes perierunt; ità & in Chriſto omnes viuificentur; nomine autem Chriſti non ſignificatur aliqua femina, vt eſt per ſe notum, ſed ſecunda perſona Trinitatis incarnata. Accedit, quòd ſi hæc Hieronymi interpretatio eſſet admittenda, ſequeretur dari etiam duo peccata originalia ſpectata cauſaliter, vnum enim teneret ſe ex parte Euæ, alterum verò ex parte Adami.

Ad locum verò Geneſ. 5. Reſpond. nomen Adam non eſſe proprium, ſed appellatiuum illic, vt obſeruant communiter interpretes. Denique, patet reſponſio D. Thom. ex eo quòd iuſtitia originalis fuit data non Euæ, ſed Adam ſolo, tranſfundenda in poſteros eiuſdem: ergo cùm peccatum originale ſit priuatio iuſtitiæ originalis dependenter à peccato primi parentis, peccante Eua, non autem Adamo, culpa originalis nulla extitiſſet in poſteris Adæ.

Obijcies, Eccleſiaſtici cap. 25. dicitur, *A muliere initium peccati factum eſt, & per illam omnes moriuntur*. *Obiectio 2.* Eccleſ. 25. verſ. 33.

Reſpond. hæc intelligenda tantùm eſſe occaſionaliter, non autem cauſaliter, etiam loquendo de cauſa meritoria, vt communiter explicant Doctores hoc loco, idque quòd Eua primum parentum ſolicitauerit, & induxerit ad peccatum committendum. *Solutio.*

QVÆSTIO LXXXII.

De cauſa peccati originalis.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. peccatum originale non eſſe habitum, eo modo quo ſcientia, ſeu virtus ſunt habitus: De qua re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm habitus omnis ſit, vel acquiſitus, vel infuſus; de peccato autem originali nequit affirmari quòd acquiratur dependenter ab actibus noſtris, neque item quod infundatur vt habitus; nam omnis habitus infuſus pendet à Deo veluti à cauſa præcipua & principali: Deus autem nec eſt, nec eſſe poteſt cauſa peccati originalis. Deinde, omnis habitus eſt qualitas realis & phyſica; peccatum autem originale, ſaltem formaliter loquendo, eſt priuatio iuſtitiæ originalis: ergo. Tandem peccatum originale licèt habuerit annexas plures deformitates cum primo parente, vt tamen tranſmittitur in poſteros, habet rationem vnius priuationis, vt docet D. Thom. art. ſequenti: ergo non poteſt eſſe habitus. Denique, de ratione cuiuſlibet habitus eſt inclinare potentiam ad operandum, vt obſeruat ſanctus Doctor in corp. huius artic. at peccatum originale non inclinat ad operandum, ſaltem per ſe, ſed tantùm per accidens, quatenus ſcilicet remouet ab homine iuſtitiam originalem, quæ perficiebat hominem in ſuis actionibus exercendis.

Addit tamen, de peccato originali poſſe concedi, quod ſit habitualis quædam diſpoſitio deordinata humanæ naturæ: & ideò quod poſſit de hac habitudine concedi, quod ſit quodammodo acquiſita, quatenus ſcilicet pendet à peccato primi parentis in nobis: rectiùs tamen dicitur de ea, quod ſit innata; conſequitur enim naturam cuiuſlibet noſtrûm, & quidem ità, vt de lege communi nequeat à nobis ſeparari; hæc tamen ſunt intelligenda de peccato originali materialiter ſpectato, qua ratione peccatum originale nihil aliud eſt, quàm ipſamet concupiſcentia, ſeu fomes, qui datur in nobis propter defectum iuſtitiæ originalis.

Articvlo 2. tradit peccatum originale eſſe tantummodo vnum numero in quolibet ex poſteris Adæ; in omnibus verò ſucceſſoribus

Digitized by Google

Trident. vnum specie; primum definitum est in Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali can. 3.

Leo. idem docet Leo epist. 86. & Scholastici Theologi hoc loco omnes. Tertiò, vnitas numerica cuiuslibet peccati repetenda est ex vnitate subiecti in quo subiectatur huiusmodi peccatum, & ex tendentia ad virtutem & perfectionem cui opponitur: at homines distinguuntur inter se realiter vnitate numerica, & in quolibet ex istis est peccatum originale quod respicit iustitiam originalem, veluti sibi oppositam; opponitur namque isti priuatiuè, vt probabitur art. sequenti: ergo peccatum originale est tantum vnum in quolibet.

Secunda verò pars responsionis ex eo innotescit, quòd vnitas specifica cuiuslibet peccati sit desumenda ex virtute cui opponitur, vel certè ex modo diuerso tendendi in huiusmodi virtutem, vt docuimus: at virtus opposita peccato originali censetur esse virtus iustitiæ originalis, quæ licèt ex se non sit vna numero virtus (consurgit enim ex pluribus habitibus, vt probabitur art. 3. huius quæst.) aggregatio tamen istorum omnium habituũ censetur esse quasi vna totalis virtus, seu perfectio specie distincta, à ceteris alijs omnibus; quare & peccatum originale erit etiam vnum specie in omnibus hominibus, cùm habeat vnam planè & eamdem rationem in istis omnibus.

ARTICVLO 3. docet peccatum originale esse concupiscentiam.

DVBITATIO PRIMA.

An peccatum originale sit concupiscentia, seu appetitus sensilis qui datur in nobis.

HÆretici nostri temporis in eo sunt errore, vt credant concupiscentiam esse ipsummet peccatum originale, idque quòd Apostolus dicat

Rom. 7. vers. 7. cap. 7. ad Rom. *Nesciebam concupiscentiam esse peccatum, nisi lex diceret, Non concupisces.*

Deinde, quia SS. Patres verbis expressis id docent,

D. Auguſt. D. Auguſt. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia, cap. 25. affirmat concupiscentiam carnis in baptismo dimitti, non vt non sit, scilicet peccatum, sed vt non imputetur in peccatum, & lib. 1. contra Iulianum Pelagianum cap. 3. vocat concupiscentiam peccatum carnis: & lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 8. 13. & 17. & lib. 1. de peccatorum merit. cap. 19. & 29. eamdem planè rationem loquendi retinet.

Tertiò, lex prohibet tantùm ea quæ sunt peccata, est enim peccatum dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam; at lex prohibet verbis expressis, *Exod.* 20. ne quis concupiscat: ergo concupiscentia est peccatum.

Hæreſes varia. Hic error ità displicuit Marco cuidam Heremitæ Catholico, vt propterea dixerit, nullam manere in nobis concupiscentiam, sumpto baptismate; & rebellionem partis inferioris, quæ in aliquibus repetitur, habere ortum in illis vel ex negligentia, vel certè ex consuetudine nimia peccandi.

Matthias verò Illyricus vnus ex præcipuis Centuriatoribus, credidit essentiam peccati originalis positam esse in entitate aliqua substantiali, vel etiam accidentali, quæ datur in nobis propter peccati primi parentis participationem; existimat siquidem hæreticus iste Deum primo loco condidisse primos parentes, secundum omnem partem substantialem eorum, postea verò contulisse istis entitatem aliquam substantialem, vel accidentalem per quam constituti fuerunt parentes in esse quodam diuino; peccante autem primo parente qualitas ista, vel substantia fuit omnino destructa, & alia de nouo à Deo producta, per quam inclinati sunt primi parentes, & posteri eorumdem ad quælibet mala committenda: in qualitate ergo ista substantiali vel accidentali putat Illyricus positam esse rationem peccati originalis. Probat ex his locis Scripturæ in quibus dicitur, quòd Deus daturus sit homini cor carneum, & ablaturus ab eodem cor lapideum, & ex alijs in quibus dicitur de corporibus nostris, quòd sint corpora peccati. Rom. 6. *Vt destruatur corpus peccati.*

Concupiſcentia manet in baptizatis.

CONCLVSIO 1. *Concupiscentia manet in baptizatis.* Primùm, quia ità dicitur in Trident. sess. 5. can. vlt. in decret. de peccato orig. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem,* hæc sunt verba Concilij, *hanc sancta Synodus fatetur & sentit.* Idem docent Patres: D. Auguſt. lib. 2. cap. 4. de peccator. meritis; ait enim concupiscentiam in paruulis baptizatis à reatu esse solutam, relictam verò ad agonem; & lib. 1. de nuptijs & concupiscentia, cap. 25. ait, concupiscentiam destrui in baptizatis vt non imputetur ad peccatum, minimè verò vt non sit in nobis. *Concupiscentia igitur tamquam lex peccati,* inquit, *manens in membris corporis mortis huius, cum paruulis nascitur, in paruulis baptizatis à reatu soluitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur. Paruulos non baptizatos reos innectit, & tamquam ira filios, etiamsi paruuli moriantur, ad condemnationem trahit. In grandibus autem baptizatis, iam ratione vtentibus, quidquid eidem concupiscentiæ mens ad peccandum consentit, propria voluntatis est, deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu, quo vinctus originaliter detinebatur, ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura, donec absorbeatur mors in victoriam, & pace perfecta nihil quod vincatur existat. Consentientes autem sibi ad illicita reos tenet, & nisi per medicinam pœnitentiæ, & opera misericordiæ, per cœlestem Sacerdotem pro nobis interpellantem sanetur, ad secundam mortem damnationis vsque perducit.*

Concupiſcentia manet in baptizatis. D. Auguſt.

Baptizati non ipſa cõcupiſcentia, ſed ſolum eam nec conſentiũt.

Tertiò, hoc idem colligitur ex verbis istis Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus verò aduersus carnem.* & ex cap. 7. Rom. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,* &c. & ex cap. 8. Genes. *Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia sua:* littera siquidem ista explanatur à Patribus communiter de concupiscentia, seu appetitu sensili.

Galat. 5. vers. 17. Rom. 7. vers. 23. Genes. 8. vers. 21.

Concupiſcentia non eſt peccatũ.

CONCLVSIO 2. *Concupiscentia quæ manet in baptizatis, nec est, nec esse potest peccatum veniale, loquendo de peccato originali, quatenus peccatum hoc est.* Primùm, quia in Concil. Trident. in decreto de peccato originali, can. vlt. verbis expressis dicitur, totum illud quod habet rationem peccati originalis, deleri in baptizatis per sacramentum baptismatis: ibidem adijcitur concupiscentiam manere in baptizatis.

Deinde, de fide est Christum venisse in hunc mundum vt deleret omnia omnino peccata in nobis, ad Tit. cap. 2. *Dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate.* & 1. Ioann. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris:* at

Tit. 2. vers. 14. 1. Ioan. 2. vers. 2.

certum

certum est Christum in nullo planè destruxisse concupiscentiam, saltem ad actum primum eiusdem: imo D. Paulus conqueritur de hac re, vt constat ex cap.7. Rom. supra citato, *Sentio*, inquit, *legem in membris meis*, &c.

Tertiò, nomine peccati originalis, significatur defectus aliquis voluntarius in primo parente, & culpabilis in nobis, vt docebitur; & colligitur ex Tridentino toties citato sess.5. at concupiscentia quæ datur in baptizatis non habet rationem culpę, vt definit idem Concilium.

Quartò, peccatum originale, vt sic, formaliter loquendo, nihil aliud est, quàm priuatio iustitiæ originalis debitæ posteris Adæ, vt probabitur Dubitat, sequente: at concupiscentia non est priuatio iustitię originalis, cùm hæc, idem planè sit atque appetitus sensilis qui datur in nobis, & qui similiter esset in homine creato à Deo de nouo in puris naturalibus, in quo tamen nulla esset culpa originalis vt docuimus.

Originale p. nō est forma substantialis.

CONCLVSIO VLTIMA. *Peccatum originale non est forma aliqua substantialis superaddita naturæ hominis cuiuscunque, ex delicto primi parentis.*

Primùm, quia si ità res haberet, sequeretur vel Deum esse authorem peccati, vel certè dari entitatem aliquam physicam & naturalem, cuius Deus non esset author, quorum tamen neutrum defendi potest.

Deinde, habet Illyrici opinio aliquid commune cum errore Manichæorum; admittebant siquidem isti duo principia; alterum rerum bonarum, alterum malarum.

Tertiò, forma ista substantialis, vel esset materia, vel forma, vel certè totum compositum cuiusque nostrûm; Philosophi enim nullas hactenus alias admiserunt in hominibus substantias: at certum est peccatum originale nullum ex istis esse posse; nam statuendum esset Deum esse authorem peccati originalis, cùm omnis entitas physica & realis, magis sit à Deo, quàm ab alio ente creato.

Respondet Illyricus, formam istam substantialem, quam aliqui dicunt accidentalem, constituere hominem in esse mali hominis, sicut virtutes, & alia dona supernaturalia constituunt homines in esse hominis diuini. Ceterùm hæc responsio nulla ratione fauet Illyrico: nam homo non constituitur in esse diuino, seu supernaturali, per formam aliquam substantialem, quæ insit eidem intrinsecè, & essentialiter, sed tantùm extrinsecè, & consequenter accidentaliter: ergo idem quoque dicendum esset de homine malo, si constitueretur hic in esse mali per entitatem aliquam positiuam, sibi extrinsecè aduenientem. Ità docent communiter hoc loco, & Canisius lib.1. de beata Virgine, cap 8. & alij.

Solutio rationum contrariarum.

1. Ad rationes verò contrarias respond. Ad primam, probare tantùm concupiscentiam esse peccatum, hoc solo nomine, quòd sit effectus peccati, vel certè, quod alliciat homines ad peccatum, ità explicat testimonium Pauli Concilium Tridentinum in decreto de peccato originali cap. vltimo.

2. Ad secundam: primum testimonium D. Augustini intelligendum esse de existentia concupiscentię in nobis, quatenus est deordinatio quædam, ità vt velit concupiscentiam non deleri simpliciter in baptizatis, cùm maneat hæc ad agonem, vt ipse loquitur cap.4. lib.1. de peccatorum meritis: intendit tamen sanctus Doctor deleri per baptismum, totum illud quod habet rationem peccati originalis, & per consequens asserit de concupiscentia, quòd non maneat in baptizatis, ad hoc vt imputetur ad peccatum. Secundò respondeo ad hæc omnia testimonia D. Augustini, probare tantùm, concupiscentiam coniunctam cum assensu libero imputari ad culpam, minimè verò concupiscentiam spectatam secundum suam entitatem, etiam sub ea ratione, qua potest mouere ad agendum contra rectam rationem.

Vlt. Ad vltimam respond. quæ sunt contra legem esse in duplici differentia, alia namque sunt contra legem formaliter, alia verò tantum effectiuè, operando scilicet quidpiam contra legem: priora rationem peccati consequuntur, minimè verò posteriora; inter hæc autem concupiscentia computatur, vt est per se notum. Secundò, concupiscere absolutè, non prohiberi lege diuina, sed tantùm in ordine ad assensum liberum voluntatis nostræ: ità vt prohibeat Deus, ne quis liberè consentiat motibus deordinatis appetitus concupiscibilis.

Argumẽtis aliqui satisfit. Ad argumenta verò Illyrici. Respond. imprimis ad illa loca in quibus dicitur Deum auferre à nobis cor lapideum, & conferre nobis cor carneum, intelligenda esse per metaphoram; ità vt sensus sit, Deum media sua gratia efficere in nobis, vt durities, & obstinatio quæ datur in nobis circa peccata committenda, tollatur à nobis, atque ità reddamur prompti, & faciles ad quælibet bona opera exercenda: non significatur ergo istis in locis Deum auferre à nobis cor lapideum, quasi detur in nobis substantia aliqua lapidea, sed tantùm quia remouetur obstinatio circà peccata committenda.

Ad ea verò testimonia in quibus dicitur corpora nostra esse corpora peccati. Respond. hæc, eo solo nomine esse vera, quod detur in nobis peccatum, quodque recipiatur vel proximè, vel remotè in nobis, & præterea quod corpus nostrum sit organum ad multa peccata committenda.

DVBITATIO SECVNDA.

Qua sit ratio formalis constitutiua peccati originalis.

Quorumdam sententia & fundamenta. VAriant in hac re explicanda Scholastici. Sunt enim, qui putent peccatum originale, nihil aliud esse in nobis, quàm idem numero peccatum, quod commisit primus parens in paradiso terrestri. Probant ex illo Rom.5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, in quo omnes peccauerunt.* Deinde, quia SS. Patres docent posteros Adæ commaculari peccato, non quidem propria voluntate, sed origine: ità D. Augustinus lib. 1. Retract. cap.15. & epist. 89. & lib. 2. de nuptijs & concupiscentia, cap.28. & in Enchirid. cap.45. addit loco proximè citato de nuptijs & concupiscentia, omnium posterorum Adæ vnum esse peccatum, nempe peccatum ipsiusmet Adami, & lib.2. de libero arbitrio docet, Adamo peccante, peccasse quoque posteros eiusdem omnes. Hæc opinio tribuitur Alberto Pighio, & Ambrosio Catharino in opusculo de peccato originali, cap. 8.

Rom. 5. vers. 7.

D. Augustin.

Reiicitur. Ceterùm sententia hęc defendi nullo modo potest, ità enim esset concedendum accidentia transire de subiecto in subiectum naturaliter, sinè

Digitized by Google

ſuo interitu; quod tamen negatur ab omnibus Philoſophis. Deinde, Trident. in decreto de peccato originali, ſeſſ. 5. verbis expreſſis habet, peccatum originale eſſe in vnoquoque noſtrûm proprium, & peculiare, & deſtrui per ſacramenti baptiſmatis applicationem; quæ tamen non poſſunt eſſe vera, ſi peccatum originale ſit illa eadem numero culpa, quam commiſit primus parens in paradiſo terreſtri. Tertiò, ſequeretur nos non eſſe peccatores formaliter, & intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè; conſequens verò eſt falſum, ergo & illud ex quo ſequitur.

Et ſoluuntur argumenta.

Ad rationes verò contrarias. Reſpond. ex loco Pauli ſolum colligi poſſe peccante primo parente, poſteros eiuſdem habuiſſe debitum incurrendi peccatum originale; non autem, quod peccatum Adæ idem numero tranſmittatur ad poſteros eiuſdem, vt manifeſtè colligitur, ex verbis Pauli, ait enim, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors:* at certum eſt mortem eamdem numero, quæ fuit in primo parente, non habuiſſe locum in poſteris eiuſdem, ſed tantummodo aliam numero diſtinctam: ergo illud idem dicendum eſt de peccato Adæ. Deinde, poſito peccato Adæ, & morte eiuſdem, non ſtatim poſteri commaculantur peccato, & de facto moriuntur; ſed tantùm obnoxij ſunt, & peccato, & morti, vt eſt per ſe notum: ergo obligatio ad incurrendum peccatum, conſequuta ex peccato primi parentis, in poſteris Adæ eſt peccatum, non autem ipſum peccatum Adæ.

1.

2.

Ad teſtimonia autem D. Auguſtini. Reſpondeo, probare tantùm peccatum originale, in nobis præſupponere intrinſecè peccatum primi parentis; & item peccatum hoc non eſſe in nobis voluntarium, ſed tantùm in primo parente, minimè verò eamdem numero culpam, quam commiſit primus parens recipi in nobis tanquam in ſubiecto, quod tamen debuerunt probare Pighius, & Catharinus, vt eorum ſententia ſubſiſtere poſſit.

Aliorum opinio.

Alij verò putarunt, naturam peccati originalis poſitam eſſe in qualitate aliqua ſenſili morbida, quam primus parens contraxit, dum offendit, & quæ deriuatur ad nos per actum generationis naturalis. Probant ex D. Auguſtino lib. 1. de nuptijs & concupiſcentia, cap. 25. ex Ambroſio, referente Magiſtro lib. 2. diſt. 31. cap. 4. ad hæc verba Rom. 7. *Scio quòd non habitet in carne mea bonum.*

D. Auguſt. Ambroſ.

Exploditur.

Verùm, ſententia hæc exploſa eſt à ſcholis ante multos annos, & quidem meritò; ſi enim ità res haberet, concedendum eſſet aut Deum eſſe authorem peccati, aut extare entitatem aliquam phyſicam & naturalem, cuius Deus non eſſet author; quorum tamen neutrum defendi poteſt. Deinde, ſi qualitas iſta ſenſilis habuit rationem peccati in primo parente, & tranſmittitur ad poſteros eiuſdem, ad hoc vt producat in iſtis peccatum originale, vel potius tranſmittat, concedendum eſt rem ſenſilem relictam intrà terminos propriæ naturæ, poſſe agere in rem ſpiritualem; culpa enim omnis & actualis, & originalis debet eſſe in anima, tamquam in ſubiecto: at illatio hæc negatur ab omnibus planè Theologis, & Philoſophis; volunt enim naturaliter fieri non poſſe, vt res ſenſilis exerceat aliquam operationem circa rem ſpiritualem, idque quòd hæc ſit extra latitudinem obiecti adæquati naturalis rei cuiuſlibet ſenſibilis: igitur peccatum originale non poteſt eſſe vlla qualitas morbida.

3. Opinio.

Tertia ſententia eſt eorum, qui putant eſſentiam peccati originalis conſiſtere in entitate aliqua realj poſitiua, & priuatiua ſimul: eò quòd in peccato originali detur auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam, veluti in vltimum finem; eſt enim peccatum hoc mortale, omnium conſenſu: auerſio autem habet rationem priuationis, conuerſio vero cenſetur eſſe entitas aliqua vera & realis.

Improbatur.

Ceterùm opinio, hæc nullo modo defendi poteſt; ratio ſiquidem formalis conſtitutiua alicuius rei debet eſſe indiuiſibilis, & impartibilis, quando præſertim conſtitutum eſt impartibile; at priuatiuum & poſitiuum ſimul non poſſunt eſſe res aliqua indiuiſibilis, vt patet: ergo neque conſtituere peccatum originis. Deinde, conſtitutiuum peccati originalis, debet eſſe defectus aliquis culpabilis in poſteris Adæ, & voluntarius in primo parente, ex doctrina communi ſanctorum Patrum, & ſcholaſticorum Theologorum: at in poſteris Adæ nihil eſt culpabile, præter carentiam iuſtitiæ originalis; nihil item voluntarium in primo parente, præter iſtam priuationem ergo. Denique, ſunt inter authores opinionis contrariæ qui credant conſtitutiuum peccati originalis nihil aliud eſſe, quàm peccatum ipſiuſmet primi parentis, minimè retractatum per penitentiam, & manens in nobis in modum habitus; at opinio iſta eſt eadem planè cum illa Catharini & Pighij refutata à nobis primo loco: ergo non eſt admittenda.

2. Sententiæ fundamenta diruuntur.

Ad rationes verò authorum ſecundæ ſententiæ reſpond. Ad primam D. Auguſtinum illis in locis diſputare de concupiſcentia, & appetitu ſenſili, & de iſtis affirmare, quòd habeant in ſe qualitatem aliquam morbidam, quam ille appellat, languorem, ſeu morbum; alij verò nuncupant infirmitatem; nuſquam tamen docuit D. Auguſt. ſaltem verbis expreſſis, quod qualitas iſta morbida, ſit peccatum originale. Eſto id videatur aſſeruiſſe de concupiſcentia, ſeu appetitu ſenſili, quæ ratio loquendi, non eſt intelligenda, de concupiſcentia ſpectata ſecundum ſuam entitatem, aut vt hæc eſt principium operandi contra dictamen rectæ rationis, ſed vt dicit reatum, & obligationem ad pœnam, aut certè vt eſt effectus peccati originalis; aliter enim ratio prædicta loquendi nullo modo eſſet toleranda, quod pugnet cum ſacris Concilijs, maximè vero Trident. loco proximè citato, & item cum communi opinione Theologorum, quæ in eo poſita eſt, vt conſtanter doceat peccatum originale non eſſe concupiſcentiam.

3. Sententiæ argumenta diſſoluuntur.

Ad Ambroſium vero, verba iſta, *Cuius conſortio anima commaculatur*, non haberi apud ipſum, ſed referri tantùm ex Magiſtro, vbi ſupra; & licèt daremus verba proximè commemorata legi apud Ambroſium, non tamen propterea ſequeretur rationem peccati originalis poſitam eſſe in qualitate aliqua morbida ſenſili, ſed tantùm animam commaculari, ex eo quod vniretur corpori deſcendenti ab Adamo, per veram generationem naturalem, commaculato qualitate aliqua morbida, dependenter à primo parente.

Ad rationes vero authorum tertiæ ſententiæ. Reſpond. in peccato originali dari & auerſionem à Deo (nam priuat gratia gratum facientem, quare conſtitutus in eo peccato nullum habet

Digitized by Google

bet ius ad vitam æternam obtinendam, & conuerſionem ad creaturam, vt pluribus oſtendunt recentiores hoc loco: ratio tamen peccati originalis non eſt poſita in iſta auerſione, & conuerſione; ſed in priuatione iuſtitiæ originalis; ſicut enim auerſio & conuerſio, quæ dantur in peccato mortali actuali conſequuntur naturam, & eſſentiam peccati mortalis actualis, non autem ſunt ipſum peccatum mortale actuale, ex communi doctrina: ità auerſio & conuerſio, quæ reperiuntur in peccato originali, conſequuntur exiſtentiam eiuſdem peccati, non autem ſunt eſſentia præcisè ſpectata illius. Quòd autem conſtitutus in peccato originali ſit conuerſus ad creaturam, probant aliqui recentiores, quòd conſtitutus in peccato originali ſit magis conuerſus ad creaturam, quàm ille qui ex hypotheſi crearetur à Deo in puris naturalibus; conuerſio tamen iſta non eſt dicenda actualis reſpectu paruulorum, qui naſcuntur, ſed reſpectu Adami tantùm: habitualis verò reſpectu paruulorum, quia datur in iſtis ad modum habitus, non autem ad modum actus.

P. oriq. eſt priuatio iuſtitiæ originalis. 1.

Conclvsio. *Peccatum originale, vt ſic, poſitum eſt in priuatione iuſtitiæ originalis debitæ poſteris Adæ per generationem naturalem.* Primùm, quia peccatum originale, vt ſic, debet eſſe defectus aliquis formaliter in nobis & voluntarius, ſeu liber in primo parente; eſt enim de intrinſeca ratione cuiuſcumque peccati, vt ſit defectus aliquis, & præterea vt ſit voluntarius: at nihil eſt in poſteris Adæ, quod habeat rationem defectus culpabilis, & quod ſit voluntarium in primo parente, præter priuationem gratiæ, ſeu iuſtitiæ originalis: ergo in hoc conſiſtit peccatum originale.

2. Deinde, peccatum originale dicitur eſſe mors animę, in Trident. in decreto de peccato originali, ſeſſ. 5. can. 1. & in Arauſicano II. can. 2. at mors animæ, poſterorum Adæ poſita eſt in priuatione iuſtitiæ originalis, ſeu, quod idem eſt, gratiæ gratum facientis, ſicut & vita ſpiritualis conſurgit, ex poſſeſſione eiuſdem gratiæ gratum facientis, ex illo Pauli: *Gratia Dei vita æterna.* Rom. 6. verſ. 23.

3. Tertiò, peccatum originale poſitum eſt in eo, per quod auertimur à Deo, & conuertimur ad creaturam tamquam in vltimum finem: at per ſolam priuationem iuſtitiæ originalis, quæ datur in poſteris Adæ, cenſentur eſſe iſti auerſi à Deo, & conuerſi in creaturam, veluti in vltimum finem; nihil enim eſt in illis, quod faciat eos ingratos, & inuiſos Deo, præter priuationem iſtam, vt pendet à peccato primi parentis: ergo. Maior nititur eo principio communiſſimo apud Theologos; rationem ſcilicet, peccati mortalis, poſitam eſſe in eo quòd quis auertatur à Deo tamquam ab vltimo fine, & conuertatur ad creaturam veluti in vltimum finem: ità D. Thomas artic. 1. & 2. huius quæſt. Caietan. Conradus, & plures alij recentiores.

Obiectio. Obijcies, pœnam peccati nuſquam eſſe ipſummet peccatum: priuatio autem iuſtitiæ originalis eſt pœna culpę originalis.

Solutio. Reſpond. priuationem iuſtitiæ originalis, interdum ſignificare carentiam illius doni, quod perficiebat partem inferiorem; ità vt non poſſet hęc contra dictamen rectę rationis operari: interdum verò ſignificat ſolam carentiam gratiæ gratum facientis, ſeu, quod idem eſt, iuſtitiæ originalis, vt iuſtitia hæc conuertitur cum gratia gratum faciente. Priori modo certum eſt priuationem iuſtitiæ originalis non eſſe peccatũ originale, ſed pœnam eiuſdem; deordinatio namque partis inferioris perſeuerat in omnibus poſteris Adę, etiamſi ſublatum fuerit in ijſdem peccatum hoc per baptiſmum; & conſequenter deordinatio iſta eſt pœna peccati originis: quemadmodum mors, ægritudines, & alij defectus naturales, qui dantur in nobis. Poſteriori verò modo priuatio iuſtitiæ originalis, eſt ipſummet peccatum originale, prout tantùm priuatio hæc habet locum in poſteris Adæ dependenter à peccato commiſſo primo loco ab Adamo, vt pluribus explicant Salas, Vazq. & alij.

Replica. Inſtabis, carentiam gratiæ gratum facientis eſſe pœnam peccati cuiuſlibet mortalis actualis: ergo idem erit dicendum de priuatione gratiæ gratum facientis, comparata cum peccato originali: eſt enim peccatum hoc mortale.

Diſſoluitur. 1. Reſpond. conceſſo antecedente, nego conſequentiam; nam maximum eſt diſcrimen inter peccatum mortale actuale, & originale; illud quippe formaliter loquendo conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ actui, vel voluntati, vt probatum fuit quæſt. 71. huius partis; quare prius eſt peccatum hoc eſſe conſtitutum in ratione peccati mortalis, quàm hominem priuari gratia gratum faciente, non quidem tempore, ſed natura: peccatum verò originis formaliter loquendo nihil aliud eſt, quàm carentia iuſtitiæ originalis debitę poſteris Adę, quare non poteſt culpa hæc habere pro pœna carentiam gratiæ gratum facientis; quia gratia gratum faciens idem planè eſt, atque iuſtitia originalis transfundenda ex hypotheſi in poſteros Adę, ipſo non peccante. Deinde, quælibet pœna peccati intenditur à Deo, ſi non directè, ſaltem indirectè; at non poteſt Deus intendere priuationem iuſtitiæ originalis, quæ reperitur in poſteris Adæ, dependenter à peccato eiuſdem, nedum directè, ſed neque indirectè, alioquin Deus eſſet author peccati originalis: ergo priuatio iſta non poteſt eſſe pœna peccati originalis. Denique, diximus peccatum originale, vt ſic, eſſe defectum aliquem in nobis culpabilem formaliter, & voluntarium in primo parente; at carentia iuſtitiæ originalis eſt huiuſmodi defectus culpabilis in nobis formaliter, & voluntarius in primo parente; neque enim dici poteſt quæ res alia ſit defectus iſte in nobis: ergo huiuſmodi carentia erit originale peccatum.

2. Secundò Reſpond. priuationem iuſtitiæ originalis conſiderari, & vt eſt in nobis tamquam in ſubiecto inhæſionis, & vt pendet hæc à peccato primi parentis: priori modo nec eſt, nec eſſe poteſt pœna peccati originalis, cum ſit ipſummet peccatum originale: poſteriori tamen modo nihil repugnat quominùs fateamur priuationem iſtam eſſe pœnam culpæ originalis, vt hæc ſupponit pro peccato primi parentis: illo eodem modo, quo communiter fatentur Theologi, vnum peccatum eſſe pœnam alterius peccati, qua ratione docet frequenter D. Thom. hæreſim non tam eſſe peccatum, quàm pœnam peccati; & tamen certum eſt hæreſim proprijſſimè loquendo eſſe peccatum; quia tamen vix patitur Deus quempiam in hæreſim labi, niſi propter peccata alia commiſſa, & ea grauiſſima, ideò hæreſis cenſetur eſſe pœna peccatorum iſtorum.

Alia replica. Inſtabis rurſus, poſſe Deum creare hominem in puris naturalibus, ac proinde qui caret iuſtitia originali, & tamen nulla daretur in eo culpa originalis; nam hæc debetur ſolis deſcendentibus ab Adamo per generationem naturalem: ergo.

Enervatur. Reſpondeo conceſſo antecedente, nego conſequentiam; non enim quælibet carentia iuſtitiæ originalis eſt peccatum originale, ſed tantùm ea quæ ineſt poſteris Adæ dependenter à generatione naturali, & à peccato primi parentis: priuatio autem iuſtitiæ originalis, in homine producto per creationem de nouo in puris naturalibus, non eſt dependenter à primi parentis culpa, neque item per actum generationis naturalis, ſupponimus enim quòd fuerit creatus à Deo de nouo, & per conſequens non deberur iſti iuſtitia originalis, vllo modo, rectiúſque proinde dicitur negatio iſtius iuſtitiæ, quàm priuatio.

Obiectio 2. Obijcies 2. fieri nequit, vt peccatum originale detur in aliquo, niſi quoque hic denominetur formaliter ab eo peccator; at poſteri nati ex Adamo, non dicuntur peccatores, ſed tantùm cenſentur eſſe obligati ad reatum pœnæ damni, & item ad pœnalitates aliquas ſenſiles, quales ſunt, mors, ægritudo, laſſitudo, & ſimilia.

Solutio. Reſpondeo conceſſa maiore, nego minorem: ſicut enim tranſacto actu peccati mortalis actualis, quilibet denominatur formaliter peccator ab actu præterito peccati, non emendati per veram penitentiam, aut à carentia nitoris & pulchritudinis ſpiritualis, vt vult D. Thom. quæſt. 86. huius part. ità quicumque natus ab Adamo per generationem naturalem, hoc ipſo quòd caret iuſtitia originali dependenter à culpa primi parentis cenſetur eſſe formaliter, & intrinſecè peccator; verè quippe caret iuſtitia originali, quæ peccatum originale eſſe cenſetur, prout eſt dependenter à prima culpa commiſſa ab Adamo.

Replica. Inſtabis, in poſteris Adæ nullam extitiſſe aptitudinem ad iuſtitiam originalem obtinendam: ſi enim ità res haberet aliquis ex poſteris Adæ conſequutus fuiſſet iuſtitiam iſtam originalem: ergo hoc peccatum non poteſt eſſe carentia illius iuſtitiæ.

Diluitur. Reſpondeo, negando propoſitionem maiorem; quilibet enim ex poſteris Adæ habuit ius ad iuſtitiam originalem obtinendam in primo parente, veluti in capite morali totius humanæ naturæ; fuerunt enim omnes poſteri in eo, veluti in radice; & data fuit à Deo iuſtitia originalis, nedum veluti donum perſonale, reſpectu Adæ, ſed etiam veluti donum naturæ tranſfundendũ in deſcendentes omnes per generationem naturalem, vt docent ſancti Patres, maximè verò Auguſtinus lib. 16. de Ciuitat. cap. 27. & colligitur ex illo Ozeæ 6. *Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum: ibi prauaricati ſunt in me.* idem colligunt ex illo Geneſ. 17. *Quia irritum fecit pactum meum*, aut vt legunt Septuaginta, *Teſtamentum Domini*: ergo ex vi huius pacti celebrati inter Deum & Adam, quilibet ex poſteris habuit ius ad iuſtitiam originalem obtinendam, vnde & carentia ipſius iuſtitiæ debitæ, cenſetur eſſe peccatum originale formaliter loquendo.

D. Auguſt. Ozeæ 6. verſ. 7. Geneſ. 17. verſ. 14.

Obiectio 3. Obijcies 3. ſi ità res haberet, ſequeretur non vnum tantùm eſſe peccatum originale in poſteris Adæ, ſed varium & multiplex; nam nedum datur priuatio iuſtitiæ originalis in illis, ſed etiam priuatio fidei, ſpei, & charitatis, & ceterorum donorum ſupernaturalium.

Solutio. Reſpondeo, negando illationem maioris; priuationes enim fidei, ſpei, & charitatis, & aliæ quæ dantur in filijs Adæ dependenter à peccato eiuſdem, habent ortum à priuatione gratia gratum facientis, & charitatis, veluti à ſua radice; quare res iſtæ cẽſentur eſſe vnum numero peccatum originale in quolibet, moraliter loquendo; neque enim licet affirmare dari in nobis plura peccata originalia, cùm Concil. Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali verbis expreſſis doceat in vnoquoque ex poſteris Adæ reperiri vnum tantum numero peccatum, & vnicuique proprium.

Obiect. vlt. Obijcies denique, in baptizatis manere præuaricationem iuſtitiæ originalis; nam iuſtitia hæc partem inferiorem ſubijciebat rectæ rationi; & quidem ità, vt hæc non poſſit quidpiam moliri contra dictamen rectæ rationis, omnium conſenſu; in baptizatis autem rebellio partis inferioris reperitur contra præſcripta rectæ rationis.

Solutio. Reſpond. negando antecedens. Ad probationem autem iuſtitiam originalem habuiſſe duo officia, alterum perficere partem ſuperiorem, alterum inferiorem: primum præſtabat ſub ea ratione qua eſt gratia gratum faciens, quare ſanctificabat hominem formaliter, conferebatque ei ius ad vitam æternam obtinendam: poſtremum autem exequebatur ratione alicuius aſſiſtẽtię ſpecialis diuinę, qua Deus ità aderat homini, vt in nullo planè caſu pateretur appetitum ſenſilem inſurgere contra præſcripta rationis: hoc ergo beneficium non reſtituitur in baptiſmo impliciter, vel formaliter loquendo; bene tamen primum, quòd ſufficit ad hoc vt iuſtitia originalis dicatur reſtituta. Accedit Deum conferre auxilia ſupernaturalia, per quæ poteſt quilibet non conſentire motibus deordinatis concupiſcentiæ.

DVBITATIO TERTIA.

Quid ſit illud, quod opponitur peccato originali, vt ſic.

1. Sententia improbatur. SVnt qui exiſtiment eſſe donum illud quod temperabat partes inferiores, ſeu, quod idem eſt concupiſcentiam, ità vt non poſſit hæc quidpiam agere contra præſcriptum rectæ rationis, ità Caietan.

Cetertùm opinio hæc defendi non poteſt; eſt enim de fide totum illud quod habet rationem peccati originalis deſtrui per baptiſmum; & tamen indubitatum eſt donum quod temperabat partes inferiores reſpectu ſuperiorum, non reſtitui per baptiſmum, ſaltem ſecundum eam perfectionem quam habuit in ſtatu innocentię. Confirmatur. Rebellio partis inferioris deprehenditur in omnibus baptizatis: ergo.

Item 2. Alij verò putant donum oppoſitum peccato originali eſſe qualitatem aliquam ordinis ſupernaturalis, per quam ſanctificatur homo formaliter; non quidem ſpectatam, vt eſt qualitas aliqua ſupernaturalis, ſed tantùm vt eſt coniunctio aliqua cum Deo, ſeu ſanctificatio.

Sed

2 Item. Sed neque modus loquendi iſtorum tolerandus eſt; qualitas ſiquidem ſupernaturalis, quæ vulgò nuncupatur gratia gratum faciens, nullum alium habet effectum formalem præterquàm vnire hominem Deo, ſanctificando eumdem formaliter, vt colligitur ex cap. 7. ſeſſ. 6. Tridentini: ergo fruſtra diſtinguunt iſti in hac qualitate ſupernaturali rationem ſupernaturalitatis, & rationem ſanctificandi. Confirmatur. *Effectus formalis primarius ſaltem per nullam potentiam poteſt ſeparari à re cuius eſt effectus formalis: ergo ſi gratia gratum faciens ſanctificat ex ſe, & ſua natura, & coniungit hominem Deo, certè illud etiam præſtabit, vt eſt qualitas ſupernaturalis.

3. Opinio reijcitur. Alij verò diſtinguunt in peccato originali rationem materialem, & formalem: Primam putant eſſe concupiſcentiam, ſecundam eſſe contendunt priuationem iuſtitiæ originalis: ità communiter Thomiſtæ.

Verùm neque iſti ſatis explicatè loquuntur; nam quærimus hæc loco, quid ſit illud quod opponitur peccato originali vt ſic; cui tamen difficultati non reſpondent authores iſti. Deinde, concupiſcentia nõ alia de cauſa poteſt eſſe materiale peccati originalis, niſi quòd recipiat in ſe peccatum originale aliqua ratione; at dicemus quæſt. proximè ſequenti S. Thom. peccatum originale ſubiectari in animæ eſſentia, & in voluntate veluti in ſubiecto proximo. Tertiò, licèt iuſtitia originalis formaliter opponatur peccato originali, non tamen tradunt authores iſti quid ſibi velit iuſtitia originalis.

Valentia nõ euacuat difficultatem. Valentia verò diſtinguit in peccato originali ſubiectum remotum, & proximum: illud putat eſſe concupiſcentiam, hoc credit eſſe eſſentiam animę.

Sed neque hic difficultatem propoſitam attingit: nam priuatio debet eſſe in illo eodem ſubiecto, in quo reperitur forma ſibi oppoſita; forma autem quæ opponitur peccato originali recipitur non in concupiſcentia, ſed in voluntate, & in animæ eſſentia: ergo fruſtra recurrit hic author ad diſtinctionem prædictam. Confirmatur: Diximus in antecedentibus omne peccatum, vt peccatum eſt, eſſe neceſſariò liberum, ac proinde ſubiectari neceſſariò in voluntate; debet enim eſſe quodlibet peccatum actus aliquis immanens, ſi ſermo ſit de peccato actuali, vel carentia aliqua iuſtitiæ originalis dependens à culpa primi parentis: ergo debet omne peccatum habere ſedem in voluntate, vt peccatum eſt.

Quod opponitur peccato orig. eſt gratia habitualis. Conclvsio. *Id quod opponitur peccato originali, vt ſic, eſt gratia gratum faciens:* hæc enim ſanctificabat primum parentem formaliter, & idem feciſſet in poſteris eiuſdem, tribuebátque ius ad vitam æternam obtinendam: in priuatione ergo iſtius gratiæ gratum facientis debitæ poſteris adæ, & tranſmittendæ per generationem naturalem poſita eſt ratio peccati originalis. Primùm, quia Trident ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, can. vlt. definit totum illud quod habet rationem culpæ originalis deſtrui in omnibus baptizatis; at culpa originalis non aliter deſtruitur, neque deſtrui poteſt, ſaltem de lege communi, niſi quia gratia gratum faciens confertur homini baptizato, per quam iuſtificatur formaliter, & cenſetur eſſe gratus & acceptus Deo, habétque ius ad vitam æternam obtinendam: ergo.

Notabile. Aduerte, ad hoc vt duæ poſtremæ dubitationes intelligantur, nomine iuſtitiæ originalis, adæquatè non ſignificari vnam tantùm numero qualitatem, vt volunt aliqui, ſed aggregatum quidpiam ex variis & diuerſis qualitatibus ordinis ſupernaturalis. Ità plerique recentiores; maximè verò Pererius lib. 5. in Geneſ. diſputat. de tertia excellentia ſtatus innocentiæ, quæſt. 7. Deinde, hæc videtur eſſe mens D. Thom. prima enim parte quæſt. 100. artic. 1. ad 2. ait, Gratiam gratum facientem eſſe iuſtitiæ originalis radicem; radix autem arboris non eſt tota arbor, & tamẽ gratia gratum faciens eſt vera & realis aliqua qualitas ordinis ſupernaturalis, diſtincta ſupernaturaliter à fide, ſpe, & item charitate, ex ſententia D. Thom. Tertiò, intellectus & voluntas ſunt potentiæ diſtinctę realiter ab anima, ex veriori opinione, & quælibet ex iſtis duabus potentijs debuit habere aliquos actus iuſtitiæ originalis: ergo iuſtitia originalis debuit conſurgere ex pluribus habitibus inter ſe diſtinctis realiter; nam illic debet eſſe præſidium operandi, vbi eſt difficultas agendi, ex doctrina D. Thom. in quæſt. de virtute in communi; habitus autem ordinis ſupernaturalis ſunt præſidia quædam ad bene operandum, imò ex quorumdam opinione ſunt ratio exercendi actus quoſlibet ſupernaturales, faciúntque potentias naturales ſimpliciter potentes ad actus iſtos ordinis ſupernaturalis exercendos: licèt autem iuſtitia originalis conſurgat ex multis habitibus ordinis ſupernaturalis, præcipuè tamen & principaliter conſiſtit hæc in gratia gratum faciente, & charitate; propter hanc enim cauſam nuncupatur gratia gratum faciens, radix iuſtitiæ originalis, à D. Thom. & interpretibus eius, loco ſupra citato. Denique, gratia gratum faciens, & charitas faciunt hominem gratum & acceptum Deo formaliter, vt definit Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. quare idem Concilium ſeſſ. 5. docet totum illud quod habet rationem peccati originalis deſtrui per baptiſmum in baptizatis, quia baptiſmus confert gratiam & charitatem ex opere operato. D. Thom.

Quid iuſtitia originalis. Aduertę 2. iuſtitiam originalem nedum habuiſſe gratiam gratum facientem, item charitatem, fidem, & alia dona Spiritus ſancti, quibus anima poſterorum adæ fuiſſet exornata, ſed etiam habuit donum, quod temperaſſet partes inferiores: ità vt in nullo planè euentu potuiſſet pars inferior operari quidpiam contra dictamen rectæ rationis: ità Diuus Thomas 1. part. quæſt. 95. & interpretes eiuſdẽ omnes ibidem. Sententiarij verò in 2. diſt. 25. vt Eſtius. Alij verò diſtinct. 29. vt Scotus, & innumeri alij. D. Thom.

Donũ multiplex ſecundũ aliquos, ſed non bene. De hoc autem dono ſunt qui affirment extitiſſe varium & multiplex, & item fuiſſe habituale, iuxta diuerſitatem potentiarum, quæ reperiuntur in parte inferiore hominis. Ceterùm hæc doctrina non videtur admittenda; non enim ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate; ratio autem, itémque experientia quotidiana docet vnam numero voluntatem rationalem ſufficere ad mouendas omnes omnino partes inferiores hominis ad agendum, vel non agendum.

Deinde, ex actibus iteratis à potentijs naturalibus in viris honeſtis dantur habitus acqui-

ſiti, & tamen ij non impediunt, quominùs partes inferiores ferantur circa ſua obiecta delectabilia, reclamante recta ratione.

Tertiò, ſi ità res haberet ſequeretur peccatum originale conſiſtere in priuatione iſtorum habituum; & conſequenter habitus iſtos reſtituendos eſſe hominibus iuſtificatione facta per baptiſmum: diximus enim ex Tridentino, deleri per baptiſmum totum illud, quod habet rationem peccati originalis; habitus autem hos baptiſma non reſtituit, ſicut neque ordinationem partis inferioris reſpectu ſuperioris.

Obiectio. Dices, in parte ſuperiore admittere nos plures habitus ſupernaturales: ergo idem dicendum eſt reſpectu partis inferioris.

Solutio. Reſpond. conceſſo antecedente, nego conſequentiam: propterea enim in parte ſuperiore hominis deſiderantur plures habitus ordinis ſupernaturalis, quia potentiæ iſtæ ſunt inter ſe realiter diſtinctæ, & vna non pendet ab alia in ſuis actionibus exercendis; at verò potentiæ inferiores, licèt realiter inter ſe diſtinguerentur, non tamen quælibet ex iſtis poteſt ad nutum ſuas exercere operationes, ſed ſubijcitur imperio voluntatis rationalis; ità vt cogatur parere voluntati imperanti, quotieſcumque præſcribit voluntas hæc rationalis. Accedit, non deeſſe qui putent appetitum iraſcibilem, & concupiſcibilem, non eſſe duas potentias inter ſe realiter diſtinctas; ſed vnam & eamdem numero, quæ tamen habeat duplicem modum operandi, & per conſequens ſufficere illis vnum numero habitum.

Aliorũ explicatio non probatur. Sunt etiam qui putent donum hoc habituale varium & multiplex, ità eſſe coniunctum cum gratia gratum faciente, vt exiſtiment ex natura rei coniungi cum illa & charitate. Ceterùm, neque hæc doctrina eſt admittenda, ità enim concedendum eſſet in nullo planè reperiri gratiam gratum facientem, in quo non daretur etiam donum hoc habituale, quod tamen defendi nequit, vt oſtenſum eſt; cùm in omnibus baptizatis detur gratia gratum faciens, & tamen in nullo ex iſtis reperiatur donum hoc habituale, quod temperet partem inferiorem: ità vt non poſſit hæc operari contra rectam rationem.

Reſpondent aliqui, hoc donum coniungi, non cum qualibet gratia, ex natura rei, ſed cum gratia ad certum aliquem gradum extenſa. Verùm, reſponſio hæc nulla ratione videtur defendenda; nam non poſſunt authores iſti aſſignare, quid ſit ille gradus, qui vendicat ſibi ex ſe & ſua natura coniunctionem doni temperantis partes inferiores partibus ſuperioribus: ità vt in nulla planè occaſione pars inferior poſſit contra præſcripta rationis operari. Deinde, fatentur plerique gratiam copioſiorem & magis intẽſam fuiſſe in Apoſtolis, quàm in primis parentibus, conſtitutis in ſtatu innocentiæ, idque quod de Apoſtolis dicatur Actor. 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* & 2. Corinth. cap. 3. *Qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti:* imò conuenit inter omnes Theologos, Apoſtolos in cælis poſt Diuam Virginem perfectiores eſſe ceteris omnibus Sanctis, & tamen in Apoſtolis fuit carentia doni temperantis partes inferiores reſpectu ſuperiorum: ità enim loquitur de ſeipſo Paulus Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

Dico ergo donum hoc extitiſſe tantùm actuale in primis parentibus; quare de hoc concedendum eſt quòd fuerit aliqua aſſiſtentia diuina, aut manutentia, aut prouidentia, per quam Deus ità promiſerat ſe affuturum parti inferiori cuiuſlibet hominis, vt in nullo planè euentu, aut caſu, pateretur appetitum ſenſilem aliquid moliri contra dictamen rectæ rationis Natura ergo peccati originalis non eſt poſita in priuatione iſtius doni actualis; non enim reſtituitur hoc per baptiſmum, ſed tantùm in carentia iuſtitiæ originalis cùm dependentia à peccato primi parentis, prout iuſtitia originalis idem eſt atque gratia gratum faciens & charitas, vt dictum eſt.

DVBITATIO VLTIMA.

An culpa originalis habeat rationem peccati propriè dicti; ità vt genus proximum iſtius culpæ ſit peccatum propriè dictum.

Durandi opinio & fundamenta. DVrandus in 2. diſt. 30. num. 6. & 7. putat culpam originalem non eſſe verè & propriè peccatum, ſed eſſe tantùm reatum & obligationem ad pœnam; addit tamen concedendum eſſe de conſtituris in eadem culpa, quòd in illis detur peccatum.

Probatur primò, quia nihil eſt quod ſit peccatum propriè, cui non debeatur aliquod vituperium; proprietates enim actus cuiuſlibet moralis honeſti, & turpis, laus ſunt & vituperium, ex doctrina D. Thom. communiter recepta: at conſtituris in peccato originali nullum debetur vituperium; Ariſtoteles namque lib. 3. Ethicor. ait, ab Ariſtot. ijs quæ natura nobis indidit neque laudamur, neque vituperamur: certum autem eſt peccatum originale eſſe in nobis à natura: ergo. 1.

Deinde, nemo peccat in his quæ euitare non poteſt, peccatum enim debet eſſe quàm maximè liberum; at nullus eſt ex poſteris Adæ, qui poſſit vitare culpam originalem: ergo. 2.

Denique, mors cenſetur eſſe pœna peccati, non autem peccatum propriè dictum, ex cap 5. Rom. *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors:* at peccatum originale dicitur mors animæ, ex Trident. ſeſſ. 5. & ex Arauſicano II. 3. Rom. 5. verſ. 12.

Conclvsio. *Peccatum originale tam verè ac propriè peccatum eſt, quam ſit culpa mortalis quæ committitur à nobis.* Hæc eſt de fide, aut ſaltem videtur eſſe manifeſta, dicitur enim Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, in quo omnes peccauerunt.* & apud Dauidem Pſalm. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* & Epheſ. 2. *Et eramus naturâ filij iræ.* & Iob. 14. iuxta verſ. Septuaginta: *Nemo mundus à ſorde, neque infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terrã:* nam teſtimonia illa de ſola culpa originali intelliguntur à Patribus, & à Concilijs, vt conſtat ex ijs quæ diximus in Dub. de exiſtentia peccati originalis. *Peccat. oriri. propriè actualis.* Pſal. 50. verſ. 6. Epheſ. 2. verſ. 3. Iob. 14. iuxta 70.

Deinde, res hæc videtur definita in Concil. Arauſicano II. & Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, can. 5. dicitur enim illic, per baptiſmum deleri totum illud quod habet rationem peccati, his verbis: *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit, non tollì totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud tantùm radi, aut non imputari: anathema ſit.*

Tertiò,

Act. 2. ỹ. 4. 2. Cor. 3. verſ. 6.

Rom. 7. verſ. 23. *Donum iuſtitiæ originalis in Adam actualis aſſiſtẽtia Dei.*

Tertiò, id docent SS. Patres à nobis ſupra citati.

Rationes pro Concluſione. 1. Subiungo aliquas rationes: Quod deſtruitur per baptiſmum in nobis, habet rationem peccati proprie dicti; baptiſmus enim cenſetur eſſe vnum ex ſacramentis mortuorum, omnium conſenſu, morimur namque propter ſolum peccatum mortale, ſicut & viuimus per gratiam gratum facientem, ſeu charitatem, ex illo; *Gratia Dei vita æterna*: at de fide eſt deleri per baptiſmum totum illud quod habet in nobis rationē peccati. Cōfirmatur. Id à quo quis iuſtificatur propriè & verè, eſt proprie, & verè peccatum: definitur enim iuſtificatio propriè dicta; *Tranſlatio à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ*, vt dicitur ſeſſ.6. Trident. cap.4. at per baptiſmum quilibet iuſtificatur: ergo & à peccato proprie.

Rom.6. verſ. 23.

Trident.

2. Secunda ratio. Vbicumque datur auerſio à Deo tamquam ab vltimo fine, & conuerſio ad creaturam tamquam in vltimum finem, illic datur quoque peccatum propriè dictum; eſt enim hæc auerſio à Deo, & conuerſio peccatum mortale: at in culpa originali reperitur auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam; non quidem actualis, ſed habitualis, vt monuimus in antecedentibus: imò reſpectu peccati primi parentis, conuerſio iſta, & auerſio poſſunt dici actuales, vt obſeruant interpretes D. Thom. ad quæſt. 80. huius partis: ergo.

3. Ratio vltima: Peccatum propriè dictum, nihil eſt aliud, quàm priuatio rectitudinis debitæ, aut vt alij volunt, diſconuenientia ad rectam rationem, prout recta ratio eſt idem cum præcepto, vel lege ſuperioris: at iſta priuatio ſeu contrarietas ad rectam rationem reperitur verè & propriè in peccato originali: ergo peccatum originale erit verè & propriè peccatum.

Ad rationes verò contrarias. Reſpond. Ad primam, conceſſa maiori, negando minorem.

Sit ſatis rationibus Durandi. Ad probationem autem, ſunt qui dicant neminem vituperari ab ijs, quæ natura nobis indidit, ſi ſermo ſit de defectibus ſenſilibus, ſecus verò ſi agatur de defectibus animi; neque enim Ariſtoteles aſſequutus eſt cognitionem peccati originalis. Ceterùm reſponſio hæc non videtur tuta; nam licèt Ariſtoteles non cognouerit peccatum originale, intellexit tamen extare in nobis aliquos defectus à natura inſenſiles, cuius generis eſt amentia, tarditas, ſeu difficultas ad intelligendas res à ſenſibus remotas, & tamen pronunciauit abſolutè neminem laudari, aut vituperari ab ijs quæ natura nobis indidit. Reſpondeo ergo neminē vituperari vel ob defectus ſenſiles, vel etiam ſpirituales naturales, ſi ſermo ſit de vituperio quod reſpicit pœnam ſenſus, ſeu, quod idem eſt, ſi loquamur de vituperio quod trahit ſecum pœnam aliquam verè ſenſilem afficientem intrinſecè ſenſus externos: ſecus tamen ſentiendum eſt de defectibus, qui trahunt ſecum vituperium cum ſola pœna damni quæ conſiſtit in priuatione alicuius rei ſiue internę, ſiue externæ, ſecluſa quacumque læſione in ſenſibus externis. Spurij enim & ex illegitima copula nati propter hunc defectum ſibi connaturalem, legibus ciuilibus arcentur ab hereditate paterna, itémque à dignitatibus in republica, niſi beneficio & liberalitate principis ab huiuſmodi pœnis fuerint exempti: legibus item Eccleſiaſticis ſubmouentur iſti & à beneficijs, & præterea ab ordinibus ſacris: quare defectus quos habemus à natura, trahunt ſecum vituperium, quod habet rationem pœnę damni: locus ergo Ariſtotelis de vituperio primo venit explicandus.

Ad 2. Reſpond. Peccare, vſurpari duobus modis; interdum enim idem eſt atque peccatum committere, interdum verò idem ac peccatum in ſe habere: priori modo nemo peccat, niſi peccatum in ſeipſo vitare potuerit, cùm peccare hac ratione nihil aliud ſit quàm peccatum admittere, ſeu aliquam actionem vitioſam exercere, aut certè prætermittere aliquid quod potuimus & debuimus vitare, ex præcepto nobis impoſito. Poſteriori verò modo, fieri poteſt, imò de facto contingit, vt aliquis habeat in ſe peccatum verum, licèt nullam actionem vitioſam exercuerit in ſeipſo; eſt tamen ſimpliciter neceſſarium ad hoc vt aliquis peccet iſto ſecundo modo, quod potuerit vitare culpam in alio; poſteri autem Adæ potuerunt in primo parente declinare peccatum originale, omnium conſenſu. 2.

Corollariū. Ex iſtis colliges, non eſſe abſurdum fateri filios Adæ verè peccaſſe, ratio quippe iſta loquendi habetur Rom. cap.5. *In quo*, inquit, *omnes peccauerunt*. Idem planè docent verbis expreſſis ſancti Patres, maximè verò Auguſt. epiſt.105. ità enim loquitur: *Neque enim damnantur qui non peccauerunt, quandoquidem illud ex vno in omnes pertranſijt, in quo ante propria in ſingulis quibuſque peccata omnes communiter peccauerunt.* & lib.16. de Ciuit. cap.72. & lib.2. de peccato originali, cap.30. & lib.2. de nuptijs & concupiſcentia, cap.11. vſurpat eamdem loquendi rationem. Rectius tamen dicitur de poſteris Adæ, quòd peccante primo parente contraxerint debitum peccandi, quàm peccaſſe; peccare quippe eſt aliquem actum illicitum exercere, quod præcisè & formaliter loquendo, non poteſt dici de poſteris Adæ; non enim erant quando peccauit primus parens, habuerunt tamen peccante primo parente reatum & obligationem contrahendi peccatum originale: & ità explicandi ſunt D. Paulus, & SS. Patres, quando dicunt, peccante Adamo peccaſſe quoque Adæ deſcendentes. Rom.5. verſ. 12. Auguſt.

Ad vlt. Ad vltimam. Mortem corporis eſſe pœnam peccati; non autem peccatum ipſum, aliter tamen ſentiendum eſt de morte animæ; hæc enim cùm poſita ſit in obiecto inimicitiæ Dei, quod eſt priuatio gratiæ gratum facientis, & charitatis, verè hæc peccatum eſt; eſt enim ipſamet inimicitia diuina obiectiuè ſpectata.

ROGABIS, *An peccatum dicatur ſynonymè, an verò analogicè de culpa mortali actuali, & originali.* Sunt qui dicant enuntiari analogicè, idque quòd peccato originali competat eſſe voluntarium dependenter à voluntate aliena; actuali autem culpę mortali conuenit eſſe propriam voluntate propria. Ceterùm opinio contraria videtur verior; nam peccatum ſumptum in communi, definitur priuatio rectitudinis debitæ, vel, vt alij volunt, diſconuenientia, ſeu, quod idem eſt, deordinatio à lege, aut præcepto ſuperioris: at definitiones iſtę competunt ex æquo peccato originali, & peccato actuali mortali; nam in peccato originali reperitur carentia iuſtitię originalis debitę poſteris Adę, ſicut & in peccato actuali mortali, priuatio rectitudinis debitę actui, vel voluntati: & item quælibet ex iſtis culpis eſt deordinatio quædam contra legem ſuperioris, vt ſatis manet comprobatum ex dictis in antecedentibus. Deinde, peccatum originale non minùs facit nos ingratos Deo, quàm peccatum actuale mortale; nam priuat nos iuſtitia originali, ſiue gratia gratum faciente, & chari-

tate, cuius est facere hominem gratum & acceptũ Deo formaliter. Peccatum autem actuale mortale extinguit etiam in nobis gratiam & charitatem; diximus enim hæc duo opponi inter se de lege communi. Tertiò, culpa originalis trahit secum pœnam damni, sicut culpa actualis mortalis: ità Azor, licèt fateatur posse dici de prædictis culpis quòd peccatum enuncietur analogicè de ijsdem: ità lib. 4. Institut. Moralium, cap. 29. & alij multi.

Ad rationem verò contrariam. Respond. probare tantùm peccatum originale & actuale mortale, spectata secundum proprias quidditates & differentias non conuenire inter se synonymè, quod nos vltrò concedimus; non autem si spectentur culpæ istæ in ratione peccati præcisè, quatenus peccatum est; hæc enim ratio & nominis definitio æquè dicitur de peccato originali & mortali actuali: diximus enim peccatum in communi sumptum, vel esse tantùm priuationem rectitudinis debitæ, vel deordinationem à lege superioris, quæ duo ex æquo conueniunt culpis prædictis.

Articvlo vltimo, docet peccatum originale esse æquale in omnibus posteris Adæ; de qua re vix potest esse difficultas vlla: nam ex mente multorum Scholasticorum priuationes in facto esse non suscipiunt magis & minùs. Deinde, ex D. Thom. hoc loco, quotiescumque contingit priuatio alicuius formæ totalis, priuatio hæc comparata cum huiusmodi forma non potest suscipere magis & minùs: iustitia autem originalis omnino deletur in posteris Adæ; ità vt nihil istius reperiatur in illis: ergo cum peccatum originale nihil aliud sit quàm priuatio iustitiæ originalis, peccatum hoc erit in omnibus æqualiter.

Obiectio. Dices, concupiscentiam non esse in omnibus æqualem.

Solutio. Respond. inæqualitatem concupiscentiæ non esse desumendam præcisè ex priuatione iustitiæ originalis, sed ex priuatione illius, & praterea ex complexione diuersa eorum in quibus reperitur priuatio iustitiæ originalis; ità vt inæqualitas concupiscentiæ habeat ortum nedum ex carentia iustitiæ originalis, sed etiam ex diuersitate temperamenti, & humorum, qui magis abundant in vno, quàm in alio: illustratur exemplo: calefacere absolutè & formaliter pendet à calore, magis autem & minùs calefacere non pendet à calore solo, sed à calore recepto in materia magis densa, vel minùs compressa; notum enim est ferrum candens magis calefacere quàm flammam, & tamen plus caloris inest flammæ, (cùm sit hæc verus ignis) quàm detur in ferro candente, in quo non datur verus ignis: ità concupiscere in posteris Adæ habet ortum à priuatione iustitiæ originalis: magis verò vel minùs concupiscere à complexione varia, & diuersa, quæ coniungitur cum ista priuatione.

QVÆSTIO LXXXIII.

De subiecto peccati originalis.

ARTICVLO 1. docet D. Thomas peccatum originale quorumcumque mortalium fuisse in Adamo sicut in causa principali; quæ res fuit à nobis explicata quæst. 81. huius part. Addit in semine decisio in primo parente reperiri idem peccatum originale, ceterùm veluti in sua causa instrumentali; est enim semen velut instrumentum quoddam quo quis efficitur filius Adæ, & quidem per generationem naturalem: Diximus autem peccatum originale contrahi per generationem naturalem, dependenter à posteris Adæ. Tandem affirmat non in carne, sed in animæ essentia reperiri idem peccatum.

Articvlo 2. tradit prius peccatum originale esse in animæ essentia, quàm in potentijs: de qua re sit

DVBITATIO VNICA.

Quod sit proximum & immediatum subiectum peccati originalis.

Prima opinio. SVnt qui putent esse voluntatem & concupiscentiam: quia priuatio aliqua est in illo eodem subiecto, in quo proximè reperitur forma eidem opposita; atqui iustitia originalis opponitur formaliter eidem peccato, & hæc sedem habuit proximè in voluntate, & in concupiscentia Adami; nam iustitia originalis, vt sic, temperabat partem superiorem respectu Dei (ità vt in omnibus obsequeretur Deo) & partem inferiorem subijciebat rectæ rationi, vt in nullis posset concupiscentia operari contra regulam rectæ rationis: ergo. Ità Durand. in 2. dist. 30. & aliqui recentiores.

2. Sent fundamenta. Alij verò putant subiectum proximum & immediatum peccati originalis esse voluntatem; remotum verò essentiam animæ. Probant, quia

1. illud est subiectum proximum peccati originalis, quod est proximè, & immediatè capax obseruationis, & transgressionis præcepti superioris; diximus enim ad quæst. 71. huius partis, peccatum esse dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam: at sola voluntas rationalis est proximum subiectum obseruationis & transgressionis præcepti, non autem animæ essentia; hæc enim per seipsam quidpiam operari non potest, sed omnes suas actiones exequitur mediis potentijs sibi à natura datis: ego sola voluntas est subiectum proximum peccati originalis.

2. Deinde, peccatum originale est idem cum peccato primi parentis, aut certè præsupponit intrinsecè peccatum hoc; at culpa primi parentis proximè in voluntate eiusdem fuit recepta: ergo & in nobis idem fiet. Ità Scotus, & sequaces eiusdem in 2. dist. 30.

Digitized by Google

Peccat. origin. in eſſentia & voluntate reſidet.

CONCLVSIO. *Peccatum originale immediatè recipitur in animæ eſſentia, & in voluntate: ità tamen vt in ordine ad priuationes partiales, ex quibus conſurgit principaliter, ſit in animæ eſſentia, & quodammodo prius; poſterius verò in voluntate, & minùs principaliter.*

Notabile.

Aduerte, gratiam gratum facientem & charitatem eſſe duas inter ſe diſtinctas qualitates, vt probabitur in tractatu de gratia; charitas autem recipitur in voluntate, idque quòd præſidium operandi debeat eſſe in illo eodem ſubiecto in quo eſt difficultas agendi: difficultas autem amandi Deum & proximum, eſt in voluntate rationali; hæc enim eſt quæ elicit omnes actus amoris proximè & immediatè, gratia verò gratum faciens ſubiectatur proximè in animę eſſentia.

Notabile 2.

Aduerte 2. Peccatum originale non conſurgere ex vna numero priuatione, ſed ex priuatione gratiæ gratum facientis, & ex carentia charitatis; ità vt ex duabus priuationibus iſtis conſurgat vnum numero peccatum originale ſpectatum in genere moris, & quidem vnitate numerica.

Probatio Concluſion.

His ità conſtitutis, probatur Concluſio, quo ad 1. partem, ratione D. Tho. quæ habetur in corpore huius artic. Peccatum originale tranſmittitur ad poſteros Adę per generationem naturalem; at generatio naturalis priùs attingit eſſentiam animæ, quatenus hæc eſt forma corporis humani, quàm faciat potentias eiuſdem: nam ſi per impoſſibile Deus non concurreret cum anima ad productionem intellectus & voluntatis eiuſdem, homo tã verè generaretur in ratione hominis, quàm de facto nunc producatur; etenim conſurgit natura & eſſentia hominis ex vnione animæ cum corpore: ergo cùm peccatum originale nihil aliud ſit præcipuè & principaliter, quàm priuatio iuſtitiæ originalis, vt dicit hæc gratiam gratum facientem, peccatum originale proximè recipietur in animæ eſſentia principaliter.

Aliquorũ reſponſio.

Reſpondent aliqui, rationem iſtam non eſſe ſatis efficacem ad probandam noſtram Concluſionem; aiunt enim agens naturale non attingere productionem animæ, cùm hæc à ſolo Deo creetur. Deinde, illud tantùm generatur ab agente naturali cuius eſt eſſe, ex doctrina Ariſtotelis in lib. de generatione: eſt autem eſſe totius compoſiti, non autem partis materialis, vel formalis. Tertiò, quia ex hoc argumento colligitur peccatum originale ſubiectari in toto homine; totus enim homo cenſetur eſſe terminus proximus, & immediatus generationis.

Inefficax.

Ceterùm rationes iſtæ non deſtruunt fundamentũ D. Th. nam licèt anima à ſolo Deo creetur, hęc tamẽ ità à Deo creata vnitur corpori humano dependenter ab actione agentis naturalis, & per conſequens cùm hæc ſola ſit capax receptionis peccati originalis, recipietur illud in animæ eſſentia dependenter ab agente naturali. Deinde, diſpoſitio vltima neceſſaria ad introductionem animæ rationalis eſt ab agente naturali, quare vnio animæ cum corpore erit terminus generationis, non quidem vltimus, ſed proximus; licèt ergo daremus, quod volunt authores iſti, rationem D. Thom. non demonſtrare euidenter Concluſionem noſtram, negari tamen nequit, quin hæc quodammodo comprobetur ratiocinatione D. Thomæ, præſertim cùm ordine generationis partes concurrentes ad compoſitionem totius phyſi-

A ci & naturalis, priùs intendantur à generante, quàm totum compoſitum.

Secundò probatur: Priuatio recipitur in illo eodem ſubiecto in quo ſubiectatur forma eidem oppoſita, idque proximè & immediatè, vt patet ex cæcitate & viſu: at forma oppoſita peccato originali recipitur in animæ eſſentia, & in voluntate; hęc enim forma nihil aliud eſt, quàm gratia gratũ faciens, & charitas; diximus autem charitatem collocari in voluntate proximè, gratiam verò gratum facientem in animę eſſentia: ergo peccatum originale in eadem eſſentia animæ ſedem habebit principaliter. *2. Probat.*

Secunda verò pars Concluſionis probatur: *2. Partis probatio.*

B Priuatio charitatis præſupponit carentiam gratiæ gratum facientis, illa eadem ratione (ceteris tamen paribus) qua voluntas præſupponit intellectum; ſicut enim intellectus eſt radix libertatis, ſeu voluntatis, ità gratia gratum faciens eſt radix charitatis; ità vt D. Thom. dixerit quæſt. proximè antecedente, iuſtitiam originalem conſurgere ex gratia gratum faciente, veluti ex ſua radice, & trahere ſecum charitatem, quæ proinde de lege communi nequeunt ſeparari ab vno & eodem ſubiecto: in ordine ergo ad iſtas priuationes peccatum originale priùs erit in animæ eſſentia, & poſteriùs in voluntate.

C Dices, docuiſſe nos iuſtitiam originalem conſurgere ex habitibus fidei, ſpei, & charitatis, gratiæ gratum facientis, & ex ceteris donis alijs ordinis ſupernaturalis, quibus perficiebatur homo in ſtatu innocentiæ: ergo cùm peccatum originale ſit priuatio iuſtitiæ originalis, nedum erit in voluntate & in animæ eſſentia, ſed etiam in intellectu; in hoc enim ſubiectatur fides, omnium conſenſu. *Obiectio.*

Reſpondeo, iuſtitiam originalem poſitam fuiſſe in iſtis omnibus donis, ſpectatam totaliter & adæquatè; & per conſequens peccatum originale, ſumptum hac ratione, ſubiectari in illis omnibus potentijs in quibus reſident habitus oppoſiti peccato originali totaliter & adæquatè conſiderato: quia tamen iuſtitia originalis præcisè & principaliter, & quaſi eſſentialiter poſita fuit in ſolis habitibus gratiæ gratum facientis, & charitatis, hinc eſt vt peccatum originale præcisè, & quaſi eſſentialiter ſpectatum, ſedem habeat tantùm in voluntate, & in animæ eſſentia. Prima pars huius Concluſionis eſt manifeſtè D. Thom. hoc loco, & Alberti Magn. in 2. diſtinct. 30. artic. 4 Ægidij Romani, quæſt. 2. artic. 1. Thomæ Argentinenſ. quæſt. 1. art. 4. diſtinct. proximè citata, & omnium planè Thomiſtarum hoc loco. Secunda verò pars defenditur à Vazque diſput. 133. & à Scotiſtis in 2. diſtinct. 30 credunt namque iſti gratiam gratum facientem & charitatem eſſe vnum & eumdem numero habitum realiter, non autem duos, ſicut nos ſentimus cum Diuo Thoma. *Solutio.*

D

E

Ad rationes verò authorum primæ ſententiæ. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem autem, nomine iuſtitiæ originalis ſignificari dona illa, quæ perficiebant partem ſuperiorem, & inferiorem hominis, ſi ſermo ſit de iuſtitia originali totaliter ſpectata; præcisè tamen & principaliter gratiam gratum facientem ſignificat & ſolam charitatem, vt monuimus: quare peccatum originale quod opponitur iſtis, proximè recipitur in voluntate, & in animæ eſſentia. Addo, nomine partis ſuperio- *Diſſoluũtur rationes 1. ſentent.*

Digitized by Google

ris, non significari voluntatem solam, vt arbitrantur authores isti, sed denotatur vlteriùs animæ essentia, & ità peccatum originale sedem habebit in istis duobus præcisè & quasi essentialiter. A

Scotistarum fundamenta diruuntur.

Ad rationes verò Scotistarum respondeo. Ad 1. negando absolutè propositionem maiorem; hæc enim tantùm vera esse potest, respectu peccati actualis, cùm pendeat intrinsecè à voluntate rationali creata, ità vt nullum possit dari peccatum actuale, quin habeat ortum à voluntate propria, vnde debet in eo subiectari proximè & immediatè; secus tamen dicendum est de culpa originali, quia hæc non fit dependenter à propria voluntate, sed contrahitur per actum generationis naturalis, B quare cũ generatio naturalis ordine generationis respiciat animam rationalem, veluti formam corporis descendentis ab Adamo, & sola anima capax sit susceptionis peccati originalis, ideò peccatum originale in ea recipitur sub ea ratione qua peccatum originale, est priuatio gratiæ gratum facientis; in voluntate verò vt est priuatio charitatis.

Ad vltimam: peccatum originale esse idem cum peccato primi parentis, non quidem formaliter, sed causaliter tantùm; docuimus enim peccatum hoc, sumptum formaliter, pendere intrinsecè à peccato primi parentis, veluti à sua causa demeritoria: quare non probat hoc argumentum pec- C catum originale formaliter sumptum subiectari in voluntate, sed tantummodo causaliter: de qua re non disputatur hoc loco.

Rogabis, *Quódnam sit subiectum vt quod, seu denominationis peccati originalis.*

Totus homo subiectum quod, peccati originalis.

Respondeo omnium consensu, *Esse totum hominem natum ex Adamo per generationem naturalem:* subiectum enim denominationis, seu, quod peccati originalis censetur esse illud quo verè dicitur peccator à peccato isto: at quilibet ex posteris Adæ à peccato originali, quod in se habet, denominatur formaliter & intrinsecè peccator, vt docent Scripturæ, *Rom. 5. Psal. 50.* Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali, & omnes sancti D Patres à nobis supra citati: ergo totus homo dicetur subiectum quod.

Articvlo 3. Tradit peccatum originale prius inficere voluntatem quàm ceteras potentias: De qua re nullum potest esse dubium, suppositis ijs, quæ docuimus Dubitatio. proximè antecedente. Deinde, quia nomine infectionis, nihil aliud intelligit D. Thom. hoc loco, quàm deordinationem voluntatis, & ceterarum potentiarum inferiorum in peccatis admittendis, vt obseruat Curiel hoc loco; certum autem est ceteras potentias non peccare formaliter, sed peccatum omne actuale desumendum esse à voluntate rationali veluti à sua causa demeritoria. E

Articvlo vltimo. Ait magis inficiper peccatum originale potentiam generandi, potentiam concupiscendi, & sensum tactus, quàm inficiantur ceteræ potentiæ inferiores, eò quòd tria proximè commemorata concurrunt proximè, & quasi immediatè ad contractionem peccati originalis, loquendo materialiter de productione peccati originalis. Circa istos duos artic. disputant Theologi de effectis peccati originalis, de qua re sit

DVBITATIO PRIMA.

An naturalia & gratuita per peccatum originale fuerint in posteros Adæ destructa vel diminuta.

Hæreticorũ error.

Hæretici nostri temporis in eo sunt errore, vt credant naturam humanam per peccatum primorum parentum fuisse mutatam essentialiter, quod attinet ad substantiam liberi arbitrij: putant enim istam omnino fuisse extinctam in nobis: idem dicunt de vi necessaria ad quodlibet intelligendum, & idem de robore requisito ad bonum prosequendum. Pelagiani verò contra, sicut nullum agnoscunt peccatum originale, ità nullam accidisse in nobis deprauationem fatentur, ex peccato primorum patentum; monuimus enim in antecedentibus, ex istorum opinione, mortem, & alios defectus, qui dantur in nobis, esse imperfectiones cõnaturales naturæ humanæ, de qua re sit

Dona naturalia & supernaturalia collata primis parentibus.

Conclvsio 1. *Primi parentes consequuti sunt naturam humanam in primo instanti suæ creationis perfectam & integram, nedum quoad naturalia, sed etiam quoad supernaturalia; integritas tamen ista venit desumenda, etiam quoad supernaturalia ex iustitia originali.* Prima pars patet, ex eo quòd dicitur Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* & ex illo Apostoli; *Omnis creatura Dei bona est:* at bonum & perfectum sunt vnum & idem, ex communi doctrina Peripateticorum & Theologorum omnium: ergo perfectam acceperunt naturam à Deo. Genes. 1. ℣. 31. Tim. 4. ℣. 4.

Accedit: quodlibet opus productum à Deo proximè & immediatè est perfectissimum, vt constat ex Cœlis, Angelis, & similibus; ità vt quæcumque ex istis rebus à solo Deo proximè producta habeat omnem perfectionem sibi debitam, & in ordine ad finem naturalem, & ad supernaturalem, si fuerit hæc capax finis supernaturalis: ergo primi parentes habuerunt in prima creatione omnem perfectionem sibi debitam naturaliter, & supernaturaliter.

Secunda verò pars Conclusionis probatur, integritatem scilicet istam repetendam esse ex iustitia originali: Primùm, quia ità docent sancti Patres citandi.

Deinde, idem colligitur ex illo, Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* nomine quippe imaginis significatur hoc loco libertas & facultas intelligendi; nomine verò similitudinis, qualitas supernaturalis, quę fuit desumenda in illis ex iustitia originali, vt docent Patres: Irenæus lib. 5. contra hæreses, cap. 17. & 21. Cyprianus lib. de bono patientiæ, paulò post initum, Chrysostomus homil. 9. in Genes. Damascenus 2. de fide, cap. 12. Hieronymus ad cap. 28. Ezechielis. Genes. 1. ℣. 26. Irenæus. Cyprian. Chrysost. Damasc. Hieron.

Tertiò, in sacra Genesi, cap. 3. posito peccato primorum parentum dicitur eosdem erubuisse, & suam nuditatem agnouisse; de qua tamen re nihil dicitur anteà, etiamsi nuditas hæc esset in illis: huius autem diuersitatis causa censetur esse defectus iustitiæ originalis, ex communi doctrina sanctorum Patrum. Genes. 3. v. 7.

Quartò, dicitur Eccles. cap. 7. Quod fecit Deus hominem rectum, & cap. 17. *Creauit Deus hominem de terra, & secundum imaginem suam fecit illum: & secundum se vestiuit illum virtute:* Nunc autem nascimur imbecilles, & filij iræ, Eccles. 7. ℣. 30. Eccles. 17. ℣. 1.

ex

Col. 3. v. 9. ex c. 3. ad Col. *Exſpoliantes vos veterem hominem, & induentes nouũ qui ſecundum Deũ creatus eſt*, &c. Loquitur autem Paulus de ſanctitate, quam nobis acquiſiuit Chriſtus ſuo ſanguine, & item de veſtimento, quod nobis perdiderat primus parens ſuo peccato: quod nullũ aliud fuit à iuſtitia originali. Denique, iuſtitia hæc ità hominem perficiebat, vt pars inferior obſequeretur perfectiſſimè rationi; ratio verò Deo ſimiliter: at totus hic ordo fuit immutatus per peccatum originale, ità vt nec pars inferior morem gerat rectæ rationi, nec ratio ſimiliter obediat Deo, vt conſtat experientia quotidiana: ergo bonum illud prouenìebat ex iuſtitia originali.

Non eſt deſtructa natura humana per peccatum.

CONCLVSIO 2. *Non eſt exiſtimandum humanam naturam fuiſſe deſtructam aut immutatam, quod attinet ad principia ſibi intrinſeca, vel etiam ad facultates eiuſdem per peccatum primorum parentum*: hæc eſt communis inter omnes Theologos ad quæſt. citatam 1. part. D. Thomæ.

Deinde, quia non potuit magis obeſſe peccatum primis parentibus, quàm Angelis, ſaltem in ordine ad deſtructionem naturæ intrinſecè ſpectatæ; at natura permanſit in Angelis poſt peccatum eadem quæ fuit antea, ex doctrina communi in tractatu de peccato Angelorum: ergo & in hominibus.

Tertiò, peccatis quotidianis non deſtruitur humana natura in nobis, neque minuitur ſubſtantialiter: quis ergo dicat humanam iſtam naturam fuiſſe corruptam in primis parentibus ſubſtantialiter?

Quartò, per Chriſtum recuperamus illud omne quod nobis primus parens ſuo peccato perdidit ex illo Apoſtoli: *Vbi abundauit delictum ſuperabundauit & gratia*: & alibi, *Sicut in Adam omnes moriuntur: ità & in Chriſto omnes viuificabuntur*: at naturalia non reſtituuntur nobis per Chriſtum, ſed tantùm gratuita, qualia ſunt ſupernaturalia omnia: ergo ſola hæc amiſimus, non autem illa.

Rom. 5. ỳ. 20. Cor. 15. ỳ. 22.

Natura læſa per peccatum in naturalib⁹.

CONCLVSIO VLTIMA. *Licèt natura humana non fuerit intrinſecè corrupta per peccatum primorum parentum; fuit tamen hæc læſa, debilitata, & vulnerata, etiam in naturalibus.* Ità docent ſacra Concilia, Arauſicanum II. can. 1. *Si quis per offenſam prauaricationis Adæ, non totum (id eſt, ſecundum corpus & animam) in deterius dicit hominem commutatum, ſed anima libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, errore Pelagij deceptus eſt, aduerſatur Scripturæ dicenti, Anima quæ peccauerit ipſa morietur.* & Tridentin. ſeſſ. 5. can. 2. in decreto de peccato originali, ferit anathemate eos omnes, qui dicunt Adamum non amiſiſſe & ſibi, & poſteris ſanctitatem, & iuſtitiam, quam à Deo acceperat: ità tradunt ſancti Patres; maximè D. Auguſtin. ſermo. 11. de verbis Apoſtoli, cap. 2. *Creatus eſt primus homo in natura ſinè culpa, in natura ſinè vitio: creatus eſt rectus, non ſe fecit rectum: Quid ſe autem fecerit, notum eſt, cadens à manu figuli fractus eſt.* Fulgentius de incarnatione, & gratia Chriſti, capite 19. *Ex quo primus homo naturam ſuam voluntariè vitiauit, atque oppreſſit infirmitas; niſi diuina gratia medicamento præuentum in vnoquoque homine ſanetur, atque adiuuetur liberũ arbitrium indefinenter, eſt liberũ quidem, non tamen bonum: eſt liberũ non tamen rectum eſt liberum, non tamen ſanum: eſt liberum, non tamen iuſtum.* & Proſper Aquitanic lib. 1. de vocatione gentium, capite 7. *Omnes homines in primo homine ſinè vitio condidit ſumma, & omnes natura noſtra incolumitatem eiuſdem hominis prauaricatione perdidimus, inde tracta mortalitate, inde multiplex animi, corporiſque corruptio.*

Ezech. 18. ỳ. 20.

D. Auguſt.

Fulgent.

Proſper Aquitanic.

Tertiò, propter hanc cauſam D. Thom. art. 3. quæſt. 85. huius partis, ait quatuor fuiſſe illata homini vulnera per peccatum, ignorantiam ſcilicet, quæ tenet ſe ex parte intellectus: malitiam, quæ conſequitur voluntatem; infirmitatem, quæ coniuncta eſt cum appetitu irascibili; & denique concupiſcentiam, ſeu, quod idem eſt, deprauationem appetitus concupiſcibilis.

Cum autem diximus naturam humanam fuiſſe læſam & vulneratam circa naturalia, per peccatum primorum parentum, id venit intelligendum de humana natura, comparata cum iuſtitia originali: ità vt dicatur læſa in ſuis actionibus exercendis, ea ratione, qua priuatur iuſtitia originali ob culpam primi parentis, cum qua iuſtitia originali poterat vitare omnia incommoda, quę quotidie experimur in nobis: læditur ergo natura humana peccato primi parentis, quod attinet ad proximè commemorata, ex ſententia D. Tho. offenditur tamen adhuc magis in iſtis per peccata, quæ quotidie committimus; hæc enim priuant nos gratia gratum faciente & inducunt habitus vitioſos, ex quibus naſcitur in nobis procliuitas aliqua ad malè operandum, præter eam quæ prouenit ex remotione gratiæ gratum facientis, vt docet D. Thom. quæſt. citata, & interpretes eiuſdem ibidem omnes.

Notabile.

Aduerte, defectus proximè commemoratos habituros locum in quocumque homine producto in puris naturalibus, quare in iſtis non poſſunt ij defectus habere rationem læſionis, ſed ſolùm negationis; nam non debita fuit iſtis iuſtitia originalis, ſicut debita fuit omnibus poſteris Adę ex pacto inter Deum & Adamum inito, de tranſmittenda iuſtitia originali ad poſteros eiuſdem, ſi morem geſſiſſet Adam præcepto ſibi impoſito: in ordine ergo ad iuſtitiam iſtam originalem, quæ non datur in filijs Adæ, dicitur humana natura læſa, vulnerata, & debilitata, etiam reſpectu facultatum interiorum, & operationum, quarumdam naturalium.

Corollariũ.

Ex quibus colliges qua ratione verum ſit, quod communiter affirmant omnes, hominem per peccatum primorum parentum exſpoliatum fuiſſe gratuitis omnibus: volunt enim humanam naturã denudatam eſſe iuſtitia originali propter culpam à primo parente commiſſam, vt docent ſancti Patres ad caput 10. Luc. Parabolam namque hominis deſcendentis in Hierico ab Hieruſalem explicant de natura humana, quam dicunt ſpoliatam fuiſſe gratuitis, & vulneratam in naturalibus inſtar iſtius hominis, qui à prædonibus, & vulnera & ſpoliationem ſuorum bonorum perpeſſus eſt, vt dicitur illic. Ità verbis expreſſis, Irenæus lib. 3. aduerſùs hæreſes, cap. 33. *Si enim*, inquit, *qui factus fuerat à Deo homo, vt viueret, hic amittens vitam, læſus à ſerpente, qui deprauauerat eum iam non reuerteretur ad vitam, ſed in totum præſtitus eſſet morti.* & paucis interiectis, *Per ſecundum hominem alligauit fortem, & diripuit eius vaſa, & enecauit mortem, vnificans eum hominem, qui fuerat mortificatus.* Nazianzenus, oratione 42. quæ eſt 2. Paſchatis, Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 30. Hilarius, D. Auguſtinus, & Ambroſius lib. 7. in Lucam, ad cap. 10. *Hierico*, inquit, *figura iſtius mundi eſt, in quam de Paradiſo, hoc eſt, de Hieruſalem illa cœleſti victus Adam*

Irenæus.

Nazianz. Cyrillus. Hilarius. D. Auguſt. Ambroſ.

Digitized by Google

prævaricationis prolapsione descendis: hoc est de vitalibus ad inferna demigrans, cui non loci, sed morum mutatio naturæ suæ fecit exilium. Longè enim mutatus ab illo Adam, qui inoffensa beatitudine fruebatur, ibi in sæcularia peccata deflexit, incidit in latrones. Hi sunt Angeli noctis, atque tenebrarum. Hi ante despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ spiritualis, & sic vulnera inferre consueverunt. Cave ergo ne ante nuderis, sicut Adam nudatus est, mandati cœlestis custodia destitutus, & exutus fidei vestimento, & sic lethale vulnus accepit. In quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens, vulnera eius acerba curasset. & denique Gregorius Magnus ad cap. citatum Lucæ.

Gregor. Magn.

DVBITATIO SECVNDA.

An mors, infirmitates, distractiones, & alia huius generis incommoda humanæ naturæ, sint effectus peccati originalis.

Partis negantis argument. 1.

SVnt qui putent partem negantem esse verissimam: Credunt enim fieri non posse, vt ea sint effectus peccati originalis, quæ insunt omnibus & singulis naturaliter, maximè si fuerint dependenter à principijs intrinsecis naturæ: at omnia proximè commemorata dantur in omni planè homine naturaliter, & quidem dependenter à principijs intrinsecis naturæ humanæ; neque enim negari potest, si crearetur aliquis de nouo à Deo in puris naturalibus, quin hic tam verè esset obnoxius morti, ægritudinibus, & alijs huius generis, sicut quilibet nostrûm subijcitur istis: ergo.

2. Deinde, pœna peccati cuiusque à Deo est, si non directè, saltem indirectè: at mors non est à Deo, ex cap. 1. Sapient. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Sapient. 1. ℣. 13.

3. Denique, sublata causa, destruitur quoque effectus eiusdem: at peccatum originale destruitur per baptismum, minimè verò mors, & alia incommoda commemorata proximè: ergo illa non sunt effectus peccati originalis. Ità docuit antiquitus Philo Iudæus, Iosephus, Pelagius, & alij nonnulli Hebræi.

Mors & alia sunt in nobis effectus peccati originalis. 1.

CONCLVSIO. *Mors, ægritudines, & alia incommoda, quæ consequuntur naturam humanam sunt effectus peccati originalis in posteris Adæ, de lege communi.* Primùm, quia sacra Concilia definiunt hominem non moriturum Adamo non peccante: ità Mileuitanum II. cap. 1. *Quicumque dixerit Adamum primum hominem mortalem factum, ità vt siue peccaret, & siue non peccaret moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* & Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali, can. 1. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statum, sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisséque per offensam prævaricationis huiusmodi, iram, & indignationem Dei, atque ideò mortem: anathema sit.*

Mileuitan.

2. Deinde, sancti Patres docent hominem fuisse procreatum à Deo immortalem, & Theologi Scholastici addunt rationem hanc loquendi esse de dono gratiæ intelligendam, ità vt velint hominem factum immortalem, non quidem naturâ suâ, sed gratia diuina: ità D. Augustin. 14. de Ciuitate, cap. 26. *Viuebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus iusserat: viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: viuebat sine vlla egestate, ità semper viuere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret: potus, ne sitiret: Lignum vitæ, ne illum senecta dissolueret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllas molestias, vllis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus illius meinebatur extrinsecus,* &c. & lib. 13. cap. 3. *Hanc enim,* inquit, *primi homines nisi peccauissent, perpessi vtique non fuissent:* & paucis interiectis. *Quapropter fatendum est, primos quidem homines ita fuisse institutos, vt si non peccassent, nullum mortis experirentur genus.* & lib. 7. de Genes. ad litter. cap. 13. & lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 2. & epistol. 127. ait Ecclesiam Catholicam semper tenuisse, Adamum non moriturum, si non peccauisset.

D. Augustin.

Tertiò, hæc eadem res colligitur ex varijs Scripturæ locis, Genes. 2. *In quocumque die comederis, ex eo morte morieris.* Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Eccles. 25. *A muliere initium factum est peccati, & per illam moriuntur omnes.* Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Sapient. 2. *Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem,* alij legunt *immortalem.* Vide D. Thom. quæst. 95. 1. part. & quæst. 85. huius part. art. 5. & 6. & interpretes eiusdem. 3. Genes. 2. ℣. 17. Rom. 6. ℣. 23. Eccles. 25. ℣. 33. Rom. 5. ℣. 12.

Rationibus contrarijs dissoluntur.

Ad rationes verò contrarias respondeo. Ad 1. Mortem & alios defectus humanæ naturæ, posse comparari cum illa natura intrà terminos propriæ essentiæ spectata, & 2. vt habet hæc iustitiam originalem adiunctam: priori modo nihil repugnat, quominus fateamur omnia ista incommoda esse defectus aliquos naturales humanæ naturæ; habent enim hæc omnia ortum ex quatuor qualitatibus, prout vna agit contra aliam: posteriori tamen modo nec mors, nec vllus ex prædictis defectibus deberur homini naturaliter, sed tantùm propter culpam à primis parentibus commissam: iustitia quippe originalis impediebat quemlibet ex istis defectibus, ità vt nec mors, nec lassitudo, nec vllum aliud nocumentum ex prædictis habiturum esset locum in posteris Adæ.

Ad id verb quod dicitur, naturalia non posse habere rationem pœnæ peccati.

Respondeo, hoc esse falsum; reptare quippe in serpente naturale est omnium physicorum consensu, & tamen decernitur hæc operatio serpenti tamquam pœna à Deo Genes. cap. 3. *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: supra pectus tuum gradieris.* Genes. 3. ℣. 14.

2. Ad secundam respondet D. Augustin. mortem spectari duobus modis, vt est scilicet priuatio vitæ tantùm, & vt est actus iustitiæ vindicatiuæ Dei: priori modo fatetur mortem non esse à Deo, bene tamen posteriori, idque quòd per mortem & asperitatem eiusdem vleiscatur hac ratione Deus iustissimè peccata nostra. Respondent alij, mortem per se non esse à Deo, sed tantum per accidens, quatenus scilicet non restituit iustitiam originalem, quæ iugulum mortis in omnibus impediret.

3. Ad 3. destructa causa destrui etiam effectum eiusdem, si effectus dixerit necessariam dependentiam cum sua causa; mors autem non necessariò coniungitur cum peccato originali; sed tantùm illud præsupponit in posteris Adæ.

Obiectio.

Obijcit Scotus, in statu innocentiæ positum fuisse in potestate cuiuslibet, vel comedere, vel non

non comederé: ergo potuit etiam in eo ſtatu liberè mori, nam ſumptio alimenti fuit ſimpliciter neceſſaria ad conſeruationem vitæ præſentis, omnium conſenſu. Addit, puerulos in ſtatu innocentiæ ob defectum alimenti potuiſſe ſimiliter mori; nihil enim impediebat quominùs iſti negligerentur à parentibus.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, nego conſequentiam; non enim poterant iſti permanere in ſtatu innocentiæ, niſi tempris famis & ſitis præuenirent, idque propter cauſam explicatam, nempe propter ſummam neceſſitatem alimenti reſpectu conſeruationis vitæ. Ad id verò quod dicitur de pueris, conſtanter dicendum eſt eos non propterea eſſe morituros; pertinebat enim ad B ſuauem Dei prouidentiam ſupplere malitiam, aut etiam defectum parentum, & via aliqua extraordinaria conſeruare vitam iſtorum puerorum; illo eodem modo, quo nunc conſeruat Enoch*, & Eliam in paradiſo ex communi doctrina, aut etiam ea ratione, qua educat Coruos in nidis agentes, antequam veſtiantur pennis.

DVBITATIO TERTIA.

An mors ſit habituta locum in omnibus poſteris Adæ.

Non omnes mortuos reperiet Chriſtus. 1. Theſ. 4. ℣. 15. Actuũ. 10. ℣. 42.

CONCLVSIO 1. *Chriſtus cum veniet ad iudicium reperiet aliquos in carne humana viuentes.* dicitur enim Theſſal. 1. cap. 4. *Et mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde, nos qui viuimus, qui relinquimur, cum illis ſimul rapiemur obuiam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cũ Domino erimus.* & Actor. cap. 10. propter hanc eamdem cauſam Chriſtus dicitur futurus iudex viuorum & mortuorum: & 1. Corinth. cap. 15. iuxta litter. Græcam, *Omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur*, dormire autem in ſacris litteris idem eſt atque mori: ex illo eiuſdem: *Nolumus vos ignorare de dormientibus.*

1. Theſ. 4. ℣ 12.

Tertull.

Deinde, ità tradunt Patres, maximè verò Tertull. lib de reſurrectione carnis, capit. 41. D & 42. *Huius enim gratiæ priuilegium illos manet, qui ab aduentu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum Antichriſti merebuntur compendio mortis per demutationem expuncta concurrere cum reſurgentibus.* & D. Auguſtinus lib. 10. de

D. Auguſt.

Ciuitate, cap. 20. *Ad hunc*, inquit, *ſenſum quo exiſtimemus etiam illos quos hic viuos inuenturus eſt Dominus in ipſo paruo ſpatio, & paſſuros mortem & accepturos immortalitatem.*

Sed quæri ſolet, vtrùm illi quos hic viuentes inuenturus eſt Chriſtus numquam omnino morituri ſint.

Non eſt hæreſis dicere non omnes morituros.

CONCLVSIO 2. *Citra hæreſim, errorem, aut temeritatem aliquam poteſt quis defendere non om-* E *nes morituros, etiamſi ſupponamus ſermonem eſſe de hominibus deſcendentibus ab Adamo per generationem naturalem.* Primò, quia opinio hæc videtur probari ex proximè locis citatis Pauli.

Deinde, quia ſancti Patres Græci ferè omnes in hac ſunt opinione, imò plerique ex Latinis

Hieron.

hanc quàm maximè probabilem exiſtimant. Ità Hieronymus, epiſtola 152. ad Minerium. *Omnes quidem dormiemus*, inquit, *non omnes autem immutabimur. Si enim in Adam omnes moriuntur, & in morte dormitio eſt, omnes ergo dormiemus, ſine moriemur.* & paucis interiectis: *Cui ſententiæ magis acquieſcit Eccleſia: vt omnes communi morte mo-* A *riamur.* Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei, c. 20. D. Auguſt. citato, Ambroſ. ad cap. 4. 1. Theſſal. Tertull. lib. de reſurrectione carnis, cap. 41. & 42. & lib. 5. aduersùs Marcionem & D. Thom. quæſt. 81. huius part. art. 3. ad 1. & Magiſter diſt. 43. lib. 4. nulla ſiquidem notant iſti duo cenſura opinionem de hac re Græcorum.

Tertiò, non eſt magis abſurdum eximere aliquos à morte, quàm à peccato originali, aut ab ira Diuina, reſpectu eorum qui natcuntur ex poſteris Adæ: ſicut enim dicitur de natis ex poſteris: *Nemo mundus à ſorde, neque infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram.* Iob. 14. & Ephel. 2. *Eramus natura filij iræ:* ità etiam dicitur Hebræorum 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori:* at fatemur non obſtantibus iſtis, D. Ioannem Baptiſtam natum fuiſſe ſinè peccato originali, & Hieremiam Prophetam, idque quòd dicatur de D. Ioanne: *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ* Lucæ 1. & de Hieremia, quòd fuerit in vtero materno ſanctificatus, capite 1. eiuſdem lib. ergo poterimus etiam pronunciare aliquos non morituros, quia dicitur cap. citato 1. Theſſal. *Deinde nos qui viuimus*, &c.

Iob. 14. ſecundum 70. Epheſ. 2. ℣. 4. Hebr. 9. ℣. 27. Lucæ 1. ℣. 16. Hier. 1. ℣. 5.

Quartò, nihil eſt hac de re hactenus ab Eccleſia conſtitutum, ſeu definitum.

CONCLVSIO VLTIMA. *Probabilius* *Omnes mo-* *mulò eſt neminem planè futurum à morte immunem,* *rientur.* *quiſquis ille ſit inter poſteros Adæ.* Primò, quia Rom. 5. Rom. 5. dicitur: *Per vnum hominem peccatũ intra* ℣. 12. *uit in mundum: & per peccatum mors: & ità in om-* Hebr. 9. *nes mors pertranſyit.* & Hebræorum, cap. 9. *Sta-* ℣. 27. *tutum eſt hominibus ſemel mori.* & Pſalm. 88. *Quis* Pſal. 88. *eſt homo qui viuet, & non videbit mortem?* & 1. Cor. ℣. 49. cap. 15. *Tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius* 1. Cor. 15. *moriatur.* Loquitur autem Paulus de ſanctorum ℣. 36. reſurrectione: ſi omnes ergo ſancti ſunt morituri, quare non morientur impij?

Secundò, de fide eſt reſurrectionem futuram eſſe; at terminus à quo reſurrectionis, eſt mors: ità communiter omnes Patres Latini ad loca Scripturæ ſacræ proximè citata, maximè verò D. Auguſt. cap. 20. lib. 20. de Ciuit. qui de hac re eſt legendus

Ad rationes verò quibus prima Concluſio fuit *Soluuntur* confirmata breuiter reſpondeo, videtur namque *rationes pro* Concluſio illa, & probationes eiuſdem poſtremę *concluſ. 1.* huic Concluſioni aduerſari. Reſpondeo, ergo D. Paulum affirmare de hominibus quos Chriſtus deprehendet viuentes, quando veniet ad generale iudicium, repetituros iſtos aërem, vnà cum mortuis in Chriſto, & ituros obuiam eidem viuentes, quia breuiſſimum tempus interijcietur inter mortem, & eorum reſurrectionem, vt explicat D. Auguſtinus libro citato. *In ipſo*, inquit, *D. Auguſt.* *paruo ſpatio, & paſſuros mortem, & accepturos im-* *authoritas.* *mortalitatem, ipſe Apoſtolus nos videtur vrgere, vbi* 1. Cor. 15. *dicit, In Chriſto omnes viuificabuntur:* idem dicendum eſt ad teſtimonium ex Actis Apoſtolorũ. Ad cap. verò 15. 1. Corinth. ſunt qui dicant, Codices Græcos fuiſſe vitiatos ea in re; ceterùm doctrina hæc nihil planè dicit, nam plerique ex ſanctis Patribus cum Codicibus Græcis locum hunc legunt. Deinde, fatentur omnes Codices Græcos, aut etiam Hebræos, numquam eſſe negandos, niſi in eo caſu in quo lectiones nequeunt conciliari cum editione vulgata; facilè autem conciliantur verba proximè citata cum verbis editionis vulgatæ. Nam verba iſta: *Non omnes dormiemus*, idem ſignificant, atque ſi quis diceret,

Digitized by Google

non omnes sepeliemur in sepulchris, sed hoc vt A longo & diuturno tempore in illis agamus: verba autem ista, *Sed nos immutabimur*, idem sonant atque omnes resurgemus: ità respondent plerique recentiores, inter quos est Antonius Perez.

Ad Patres verò Græcos i itémque nonnullos Latinos. Respondeo, probare tantùm opinionem contrariam non esse notandam aliqua censura, saltem antequàm accesserit de hac re definitio aliqua Ecclesiæ.

Obiectio. Dices, ex istis colligi, fieri posse vt aliquis plectatur morte propter peccatum ab alio commissum.

Solutio. Respondeo, nihil repugnare, quominùs aliquis plectatur morte propter culpam ab alio B commissam, si tamen sermo sit de Deo, & de morte ista sensili; nam dicitur Exod.20. *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem* & Hierem.31 *Patres comederunt vuam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt* & Thren. c 5. *Patres nostri peccauerunt & nos iniquitates eorum portauimus.* & 2.Reg.c.12. filius natus ex adulterio Dauid cum Bethsabe moritur propter culpam à parte commissam, & cap.24. eiusdem lib. infiniti propemodum homines tolluntur peste propter peccatum numerationis populi, & Genes.19. propter delicta commissa à Sodomitis occiduntur pueri constituti in vteris maternis: idem coptingit in vastatione C totius vniuersi medijs aquis diluuij, *Genesis 7.*

Exod. 20. ℣. 5. Hiere. 31. ℣. 29. Thren.5. ℣. 7. 2.Reg.12. ℣. 14. Ibid. ℣.15. cap.24. Genes. 7.

Dixi autem, si sermo sit de Deo, & de morte corporea; quia nullum hominem potest quispiam mulctare morte, etiam corporea, propter peccatum ab alio commissum, vt colligitur ex cap.24. Deuter *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus occidentur.* Deinde, morte æterna nullus plectitur propter peccatum alterius, etiam ab ipsomet Deo, ex illo Ezech. 18 *Filius non portabit iniquitatem patris, & anima quæ peccauerit ipsa morietur*, morte scilicet æterna: est tamen concedendum posse aliquem propter peccatum alterius castigari certis quibusdam pœnis D temporalibus, etiam authoritate publica humana, morte tamen excepta, vt communiter fatentur omnes in 4. distinct. 43. & alij hoc loco.

Deut.24. ℣. 16. Ezech.18. ℣. 20.

DVBITATIO QVARTA.

An nedum pœna damni, sed etiam sensus locum sit habitura in pueris, qui moriuntur sinè baptismate.

Quid per pœnam dãni intelligatur. ADuerte, nomine pœnæ damni significari hoc loco carentiam visionis essentiæ diuinæ, respectu alicuius culpæ commissæ; nomine verò sensus denotatur quælibet læsio afficiens sensus externos, vel etiam internos dependenter à peccato aliquo commisso, idque vel authoritate diuina, vel etiam humana. Hoc ità constituto. E

Ariminẽsis opinio. 1. Sunt qui putent, paruulos istos torquendos esse pœna sensus, nedum damni post hanc vitam: ità Gregorius Ariminensis in 2. dist.31. quæst. 3. qui propter hanc causam nuncupatur tortor parD. Augustuuulorum; & probat ex D. Augustino lib. de fide ad Petrum, cap.27. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solùm homines tam ratione vtentes, verùm etiam paruulos, qui sine in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, sine cum de matribus sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnalis conceptionis, & nativitate traxerunt.* & lib.5. hypognosticon, cap. 5. & sermo. 10. de verbis Apostoli, & lib.5. contra Iulianum Pelagianum, cap.8. in hoc enim loco non audet definire quanta sit pœna quæ debetur paruulis istis sinè baptismo morientibus vbi sunt separati ab hac vita mortali.

Deinde, isti paruuli in generali massa quorumcumque mortalium, vel futuri sunt granum, vel palea: non primum, quia alioquin colligerentur in horreum æternæ felicitatis: ergo secundum: ergo plectuntur isti pœna æterna ignis; dicitur enim de palea, Mat. 3. quòd sit igne consumenda. 2. Mat. 3. ℣. 12.

Tertiò, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* Mat. 3. at paruuli isti nullum planè fructum bonum fecerunt: ergo. 3. Ibid. ℣.10.

Quartò, pueri isti futuri sunt in iudicio generali, & quidem vel à dextris, vel à sinistris: non primum, quia alioquin diceretur illis, *Venite benedicti Patris mei.* quod sustineri non potest; dicitur enim Apoc.21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens:* isti autem coinquinantur peccato originali, nam illud non tollitur nisi per baptismum, quem tamen supponimus illis non fuisse administratum: ergo erunt isti à sinistris quibus dicetur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matthæi, capite 35. 4. Apoc. 21. ℣. 27. Matth. 35. ℣. 41.

Denique, morientibus in peccato originali & veniali tantùm, debetur pœna æterna: certum est enim post hanc vitam mortalem in illis qui decedunt in peccato mortali, nulla remitti: at pœna hæc æterna non debetur culpæ veniali, vt sic: ergo peccatum originale trahit secum pœnam sensus. 5.

CONCLVSIO. *Pœna damni habebit tantùm locum in pueris qui moriuntur sinè baptismo, minimè verò sensus.* Prima pars conceditur ab omnibus Theologis in 4. dist. 43. & item Patribus communiter, innotescitque hac vnica ratione: Fieri nequit vt aliquis consequatur vitam æternam, nisi fuerit baptizatus, ex illo Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* at supponimus pueros istos non esse baptizatos: ergo afficientur pœna damni: diximus enim eam esse positam in priuatione visionis essentiæ diuinæ. *Pœna dãni non sensus afficiuntur pueri mortui absque peccato actuali.* Ioã.3. v.5.

Confirmatur: Quæ sunt necessaria necessitate medij ad salutem, nequeunt vlla ratione suppleri: at baptismus est necessarius necessitate medij ad deletionem peccati originalis. *Probatio.*

Secunda verò pars probatur, nempe pueros decedentes sinè baptismo non torqueri pœna æterna sensus, post hanc vitam: Primùm, ex capite 18. Apocalyps. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* & capite 22. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* & Deuter.25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus:* at in pueris istis nulla fuit delectatio turpis, nullum item malum opus, supponimus enim quòd decesserint Apoc. 18. ℣. 7. Idem 22. ℣. 12. Deut. 25. ℣. 3.

Digitized by Google

deceſſerint ante ætatem rationis : ergo nullus A quoque cruciatus dabitur in iſtis. Confirmatur : Iniquum eſt vt quis propter peccatum alienum torqueatur pœna ſenſus , dicitur enim 2. Corinth. capite 5. de hac pœna , *Vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit , ſiue bonum, ſiue malum.*

2. Cor. 5. ℣. 10.

Deinde , ſi aliter res haberet, portaret quis iniquitatem alterius ; experiretur enim pœnam debitam culpæ alienæ , quod eſt contra illud Ezechiel. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris :* ergo.

Ezech. 18. ℣. 20.

Tertiò, ſequeretur paruulos iſtos odiſſe Deum: dicitur namque de damnatis omnibus : *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper :* at odium B Dei nullum poteſt habere locum in paruulis , cùm ſupponamus deceſſiſſe ex hac vita mortali ante omnem vſum rationis , & conſequenter non poſſunt iſti poſt hanc vitam odio habere Deum ; non enim datur hic actus in aliquo , niſi dependenter ab aliquo alio executioni demandato in hac vita, vt fatentur omnes communiter.

Pſalm. 73. ℣. 23.

Quartò, vermis, & ignis coniunguntur in ſacris Scripturis, reſpectu cuiuſlibet damnati, Eſaiæ quippe vltim. dicitur : *Vermis eorum non moritur , & ignis eorum non extinguitur in ſecula ſeculorum :* at nulla datur pœna vermis in pueris decedentibus ſinè baptiſmo etenim debitur C vermis ad corrodendam conſcientiam de peccatis antea commiſſis , qualia numquam fuerunt in pueris : ergo neque ignis.

Eſai. vlt. ℣. 24.

Denique , ità docent plerique Patres, maximè Innocentius III. in capite *Maiores*, de baptiſmo. §. Sed adhuc, ait enim privationem viſionis eſſentiæ diuinæ , eſſe pœnam peccati originalis : actualis verò perpetuæ gehennæ cruciatus. Eugenius IV. in litteris Vnionis Concilij Florentiſi ſimile quid dicit : & ante iſtos Ambroſius lib 2. de Abraham Patriarcha, capite vltimo , & D Auguſtin. in Euchirid. ad Laurentium, capite 39. ait enim pœnam mitiſſimam paruulis eſſe debitam : qualis tamen non D eſt pœna ſenſus æterna , & lib. 1. de peccatorum meritis, capite 25. nullam aliam adſcribit iſtis paruulis pœnam , præterquàm manere in tenebris, ſeu , quod idem eſt, carere hac luce ſenſili: hæc eſt communis opinio Theologorum Scholaſticorum , maximè verò D. Thom. locis ſupra citatis , & interpretum in hunc locum.

Ambroſ. D. Auguſt.

Solutio argumentorũ. Ad rationes verò Ariminenſis reſpondeo. Ad primam , libros hypognoſticon non pertinere ad Diuũ Auguſtinum ex cenſura Doctorum Louanienſium , & aliorum Scholaſticorum : idem affirmant de ſermonibus de verbis Apoſtoli ; quare non eſt quod author hic obijciat no- E bis D. Auguſtin. lib. verò de fide ad Petrum licèt inter opera D. Auguſtini computentur, concors tamen eſt omnium ſententia pertinere ad D. Fulgentium, aut certè ad Gaudentium : liber verò 5. contra Iulianum computatur inter legitimos fœtus D. Auguſtini. Cæterùm , quæ dixit in iſtis locis de paruulis , qui moriuntur ſinè baptiſmo, fatentur plerique Theologi Scholaſtici, ardore diſputationis in Pelagianos negantes peccatum originale à D. Auguſtino fuiſſe pronunciata : non autem quòd crediderit paruulos torqueri vlla planè pœna ſenſus in altera vita.

Ad 2. Paruulos in die iudicij comparati paleis , minimè verò granis , ac proinde pertinere ad numerum reproborum , qui ſunt in duplici differentia in iudicio : alij enim ideò reprobantur , quia moriuntur in peccato mortali actuali , alij verò quia moriuntur in ſolo originali : iſtis debetur ſola pœna damni , illis verò & damni & ſenſus ſimul. 2.

Ad 3. Locum Matthęi intelligendum de ſolis adultis , inter quos non computantur pueri iſti. 3. Matth. 25. ℣. 32.

Ad 4. Paruulos verè conſtituendos eſſe ante tribunal Chriſti in die iudicij , quod eſt obſeruandum contra Durandum : dicitur quippe Matth. 25. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* & 2. Corinth. capite 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti.* & Apocalyps. 1. *Videbit eum* , ſcilicet Chriſtum, *omnis oculus :* non tamen audituri ſunt ſententiam iſtam contra ſe, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum :* hæc enim locum habebit in illis qui peccata actualia tantùm commiſerunt & penitentiam non egerunt , vt manifeſtè colligitur ex verbis ſubſequentibus : *Eſurini enim & non dediſtis mihi manducare*, &c. audient tamen ſententiam debitam culpæ originali , etiamſi de hac re nihil planè habeatur in toto illo capite , neque enim omnia quæ agentur in iudicio generali ſcripta ſunt apud Matthæum , ſed ea tantùm, quæ conducunt ad emendationem malorum , & ad prouocandos bonos , vt perſeuerent in actionibus honeſtis exercendis : eſt tamen concedendum , quòd conſtituendi ſunt à ſiniſtris , non autem à dextris : Ità communiter omnes in 4. diſtinct. 45. aliqui vero ad artic. 4. huius quæſt. D. Thom. 4. 2. Cor. 5. ℣. 10. Apoc. 1. ℣. 7. Matth. 25. ℣. 41.

Ad vltimam , nego propoſitionem maiorem; peccato ſiquidem originali nulla planè debetur ſenſus pœna æterna : culpæ vero veniali debetur tantùm pœna temporalis per ſe : quod dico, quia ſi fuerit hæc coniuncta cum peccato mortali actuali per accidens debetur illi pœna æterna : cùm ergo in data hypotheſi culpa iſta venialis non coniungatur , cum peccato mortali actuali , ſed tantùm cum originali , non potuit hæc culpa vendicare ſibi pœnam æternam: Data ergo hac hypotheſi ſtatuendum eſt pertinere ad ſuauem prouidentiam Dei , aſſignare aliquem locum in quo remittatur hæc culpa venialis , & in quo exſoluatur pœna temporalis eidem debita. *Vltim.*

Dices , ex iſtis manifeſtè colligi nullum eſſe diſcrimen inter pœnam paruulorum iſtorum , & eorum qui morerentur in puris naturalibus , ſinè vllo peccato originali , & actuali : nam priuarentur iſti vita æterna , non minus quàm paruuli qui moriuntur ſinè baptiſmo. *Replica.*

* Reſpondeo , negando illationem antecedentis. Ad probationem , pœnam paruulorum futuram diuerſam ab ea quæ daretur in illis, qui morerentur in puris naturalibus , quoniam in pueris non baptizatis , pœna damni haberet rationem priuationis , in aliis vero haberet rationem ſolius negationis. *Diſſoluitur.*

Inſtabis , paruulos ſuſtinere mortem , & alias ærumnas huius vitæ propter peccatum primi parentis , quare ergo non ſuſtinebunt ſimiliter pœnam æternam ſenſus propter de- *Alia replica.*

lictum primi parentis.

Enervatur. Reſpondeo, id fieri quia iniquum planè eſt exigere pœnam æternam ab aliquo, propter culpam ab alio commiſſam, vt communiter fatentur Doctores ad cap. 18. Ezech. ad hæc verba: *Filius non portabit iniquitatem patris:* nullam autem dicit iniuſtitiam exigere pœnas aliquas à filijs temporales, propter delicta parentum, vt docent etiam Patres ad caput 20. Exod. & manifeſtè ex eo colligitur, quòd filij cenſeantur eſſe bona quædam parentum, vt communiter fatentur Doctores, cum Ariſtotele lib. 3. Ethicorum ad Nicomachum: ordo verò iuſtitiæ poſtulat, vt author ſceleris alicuius puniatur in ſeipſo, & in ſuis bonis, in ordine ad pœnam temporalem.

Ezech. 18. ℣. 20.

Replica 3. non vrget. Vrgebis, pœnam damni grauiorem eſſe pœna ſenſus æterna: at patiuntur pueri pœnam damni, propter peccatum primi parentis: ergo.

Reſpondent aliqui propoſitionem maiorem eſſe falſam: Ceterùm minùs rectè, hæc enim aſſeritur à D. Chryſoſtomo, homilia 47. ad populum Antiochenum. *Intolerabilis eſt*, inquit, *gehenna, & illa pœna; tamen licèt quis innumeras ponat gehennas, tale nihil dicet, quale illa felici excidere gloria, à Chriſto odio haberi, audire, Neſcio vos; accuſari, quòd eum videntes eſurientem non pauimus. Etenim infinita faciùs eſt fulmina ſuſtinere, quàm illam mitem faciem nos auerſantem videre, & tranquillum oculum in nos reſpicere non ſufferentem.* & homilia 24. in Matthæum, & ad caput 5. 2. Corinthiorum.

Chryſoſt.

Accedit ratio: Grauitas pœnæ repetenda eſt ex nobilitate obiecti quo priuat nos, & ex nocumento quod nobis infert, ex communi doctrina: pœna autem damni priuat nos Deo, cuius bonitas tanta eſt, vt nulla poſſit dari maior, neque æqualis: ergo maior eſt pœna ſenſus.

Confirmatur: ſumma felicitas ſanctorum conſurgit ex amore & viſione diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt: ergo ſumma miſeria damnatorum conſurget ex priuatione iſtius viſionis & amoris diuinæ eſſentiæ.

Reſpondeo ergo: conceſſa maiore, negando conſequentiam; ſæuior namque eſt pœna ſenſus, pœna damni; nam pœna damni tota poſita eſt in priuatione alicuius boni, quę ſecum nullam trahit anxietatem, niſi mente & cogitatione fuerit hæc apprehenſa: pœna verò ſenſus trahit ſecum dolorem, velimus nolimus: ac per conſequens cogitantibus nobis, vel non cogitantibus. Deinde, diximus deberi pœnam ſenſus æternam ex æquitate iuſtitiæ illis ſolis qui peccatum actuale commiſerunt: nulla autem datur culpa actualis in pueris qui moriuntur ſinè baptiſmo.

DVBITATIO VLTIMA.

An triſtitia aliqua futura ſit in pueris, qui ſinè baptiſmo moriuntur, ex priuatione beatitudinis æternæ.

Triſtitia nulla futura in pueris. SVnt qui putent partem affirmantem eſſe tenendam; quia credunt fieri non poſſe, quin conſurgat triſtitia ex amiſſione tanti boni, quantum eſt viſio diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, & amor eiuſdem. Ceterùm, contraria opinio eſt indubitata apud Theologos, & in 2. diſt. 33. & in 4. diſt. 49. & hoc loco.

Variationes: prima quorumdã. Variant tamen in reddenda ratione iſtius doctrinę: Sunt enim qui dicãt propterea pueros iſtos non moleſtè ferre priuationem viſionis diuinæ eſſentiæ, quòd ſint iſti in ſtatu aliquo medio inter beatos, & damnatos; beati ità delectantur, vt nullum planè experiantur incommodum, aut etiam triſtitiam; damnati verò ità triſtantur, vt nullam planè ſentiant delectationem: ergo de pueris iſtis ſtatuendum erit, & quod afficiantur pœna damni, ſinè triſtitia, vt diſtinguantur à beatis; & conſequantur etiam delectationes aliquas, vt diſtinguantur à damnatis.

Inefficax. Verùm doctrina hæc non explicat difficultatem propoſitam, vt eſt per ſe notum; debuerunt enim authores iſti reddere rationem aliquam propter quam priuatio beatitudinis æternæ nullum in eis excitet dolorem.

2. Ratio aliorum. Alij verò propterea volunt in pueris, nullam dari triſtitiam ex amiſſione beatitudinis æternæ, quod non cognoſcant ſe eſſe procreatos ad hoc vt beatitudinem conſequerentur, & quòd neſciant in ipſis dari peccatum originale, & propter huiuſmodi peccatum fraudari beatitudine iſta ſupernaturali: rationem reddunt, quia nullus eſt, qui aliter cognoſcat peccatum originale, & beatitudinẽ æternam, quàm per ſpecialem Dei reuelationem, ſeu, quod idem eſt, per fidem diuinam, quæ non fuit in iſtis paruulis: Ità Durandus & alij nonnulli.

Improbatur. Sed opinio iſta nulla ratione eſt defendenda: diximus enim paruulos iſtos futuros in iudicio, & audituros ſententiam debitam peccato originali. Deinde, audient ſententiam contra reprobos pronuntiatam, inter quos futuri ſunt innumeri infideles, qui nedum propter peccatum actuale, ſed etiam originale, priuabuntur viſione beatifica. Denique, licèt modus, quo contrahimus peccatum originale non aliter poſſit nobis innoteſcere, quàm per fidem diuinam, vt docuimus; poteſt tamen probabiliter intelligi aliter, quàm per reuelationem diuinitus factam: & idem dicendum eſt de cognitione beatitudinis æternæ, ſuppoſita præſertim reuelatione facta.

3. Quorumdam diſcurſus. Alij verò autumant, propterea paruulos non triſtari de beatitudine æterna amiſſa, quia aſſequuntur ſe feciſſe iacturam tanti boni, non propter culpam propriam, ſed alienam tantùm.

Reſpuitur. Verùm, doctrina hæc meritò reijcitur: nam ratio naturalis dictat, eum qui peccat ut eſſe plectendum, quare quotieſcumque aliquis intelligit ſe ſuſtinere pœnas proprijs peccatis debitas,

bitas, minùs quodammodo torquetur, cùm habet pœnas iſtas ex dictamine rectæ rationis gratas: qui autem videt ſe torqueri propter peccatum ab alio commiſſum tantùm, hic magis ingratas habet pœnas, quia ratio dictat iniquum planè eſſe eum puniri, qui non deliquit in aliquo.

4. Aliorum ratiocinatio. Alij denique docent, pueros iſtos ideò non triſtari de beatitudine deperdita, quia vident ſe caruiſſe mediis neceſſarijs ad vitam æternam obtinendam, illo eodē modo, quo nullus ex nobis v.g. moleſtè fert, quòd nec potiatur dignitate Regia, aut Imperatoria, aut Pontificia, nec præterea abundet illis commodis quibus abundant proceres, & magnates; hoc enim contingit, quia nuſquam habuimus ius ad dignitates iſtas, vel commoda obtinenda.

Minimè placet. At neque hæc opinio, quæ eſt multorum Thomiſtarum, eſt amplectenda; negari enim nequit, quin paruuli iſti habuerint aliquando ius ad vitam æternam; nam habuerunt iuſtitiam originalem in primo parente, quæ fuit medium potentiſſimum, & quàm maximè ſufficiens ad beatitudinem conſequendam. Deinde, certiſſimum eſt omnem creaturam rationalem fuiſſe à Deo procreatam, vt potiretur felicitate æterna, ex illo ad Timoth. 1. *Vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Denique indubitatum eſt Chriſtum, nomine quorumcumque mortalium ſatisfeciſſe in ara crucis; ità vt Apoſtolus dixerit, *Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundauit & gratia.*

1. Tim. 2. ℣. 4.

Rom. 5. ℣. 10.

Vera ratio doctrinæ communis. Dico propterea triſtitiam non habere locum in iſtis paruulis, licet intelligant ſe fraudari beatitudine propter culpam originalem, quā non vult Deus concurrere cum omni planè creatura ad infeſtandos iſtos pueros, neque item cum mentibus eorumdem, ad hoc vt ſequatur ex cognitione deperditæ felicitatis vlla planè triſtitia. Poſſe autem Deum Optimum Maximum hoc præſtare, notiſſimum eſt cuilibet, ex eo quòd ſecundæ cauſæ nequeant quidpiam operari, aut etiam pati ab aliquo, niſi concurrente prima.

QVÆSTIO LXXXIV.

De cauſa peccati, prout vnum peccatum eſt cauſa alterius.

ARTICVLO 1. Docet D. Thom. concupiſcentiam eſſe radicem cuiuſlibet peccati: quod qua ratione ſit verum, non ſatis conuenit apud omnes. Nam ſunt qui putent concupiſcentiam eamdem eſſe radicem peccati, quia nomine concupiſcentiæ ſignificatur appetitus deordinatus vniuſcuiusque rei; non autem appetitus inordinatus pecuniæ. Probant, quia certum eſt Angelos peccaſſe, & tamen non potuerunt peccare ex deſiderio deordinato pecuniæ, vt eſt per ſe notum; bene tamen ex appetitu deordinato propriæ excellentiæ, vt fatentur communiter Theologi in diſp. de Angelis. Deinde, certum eſt pleroſque abdicaſſe à ſe omnino pecunias, & eaſdem ſimpliciter contempſiſſe, neque tamen iſti omnes fuerunt immunes à peccatis. Denique, non deſunt qui diſſipident & profundant omnes ſuas ſubſtantias temporales, quare non poſſunt iſti peccare ex affectu deordinato pecuniæ.

Rectiùs tamen illi qui tradunt D. Thom. affirmare hoc loco appetitum deordinatum pecuniæ, ac proinde auaritiam, ſumptam pro peccato diſtincto à ceteris alijs, eſſe cauſam, ſeu radicem omnis peccati; nam res hæc videtur affirmari 1. ad Timot. cap. vlt. *Radix*, inquit, *omnium malorum eſt cupiditas.* Deinde, vtitur Paulus nomine φιλαργυρία quod nihil aliud ſignificat quàm amorem pecuniæ. Tertiò, in ſubſequentibus loquitur verbis expreſſis de diuitibus: *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli.* Quartò, Eccleſ. cap 10. dicitur, *Auaro nihil eſt ſceleſtius, hic enim & animam venalem habet*, id eſt homo cupidus pecuniæ, ità deordinatus eſt, vt ſit in proxima quaſi diſpoſitione ad quælibet peccata committenda, modò poſſit inde colligere pecuniam: Ità docent interpretes omnes D. Thom. hoc loco, vt colligitur ex corpore artic. eiuſdem.

1. Tim. 6. ℣. 10.

Ibidē ℣. 9.

Ad rationes verò contrarias. Reſpondeo, probare tantùm formaliter, & de facto loquendo de quibuſuis peccatis, hactenus commiſſis ab Angelis, & hominibus, auaritiam non eſſe radicem cuiuſlibet peccati, quod nos vltrò concedimus: moraliter tamen, & vt plurimum loquendo de peccatis, quæ committuntur ab hominibus radix omni peccati cenſetur eſſe auaritia, hoc ſenſu; quia qui auarus eſt ad hoc vt ſuam auaritiam expleat, cenſetur eſſe ità diſpoſitus ratione iſtius cupiditatis, & deordinati deſiderij, vt paratus ſit, ad quælibet peccata committenda ſtudio ampliandi pecuniam.

ARTICVLO 2. Docet radicem cuiuſlibet peccati eſſe ſuperbiam; & quidem meritò, dicitur enim Eccleſ. cap. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia:* idem docet Baſilius ad cap. 13. Eſaiæ. Deinde, primum peccatum ab Angelis perpetratum fuit ſuperbia, ex illo: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*; & rurſus: *Ponam cor meum quaſi cor Dei.*

Eccleſ. 10. ℣. 15. D. Baſil. Eſai. 14. ℣. 14.

Dices, hæc aduerſari his, quę docuimus art. proximè antecedente. Reſpondeo, hæc duo inter ſe minimè pugnare; non enim eſt mens D. Thom. hoc loco diſputare, an radix peccati in vniuerſum abſolutè, & ſimpliciter ſit hoc, vel illud peccatum, ſed tantùm, quę ſit radix & origo peccati moraliter, & vt plurimum loquendo: certum autem eſt extare non vnam aut alteram radicem cuiuſlibet peccati moraliter loquendo; nam & auaritia dicitur radix culpæ, reſpectu hominis cupidi, & item ſuperbia, reſpectu hominis elati, ſeu, quod idem eſt, expetentis propriam excellentiam, & idem dicendum eſt de homine luxurioſo, ad hoc vt expleat ſuam libidinem, vt videtur colligi ex 1. Canonica Ioann. capite 2. *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Dico ergo ſuperbiam dici hoc loco radicem cuiuſlibet peccati, non quidem hoc ſenſu, quòd ſuperbia ſit cauſa peccati commiſſi de facto, ſed quia in homine ſuperbo datur diſpoſitio aliqua ad cetera peccata committenda: Ità expreſsè Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 162. articulo 7. ad 1.

1. Ioan. 2. ℣. 16.

D. Thom.

ARTICVLO 3. Oſtendit præter ſuperbiam & auaritiam eſſe alia peccata ſpecialia, quæ dici debeant capitalia, ſeu, quod idem eſt, radices ceterorum peccatorum.

ARTICVLO VLTIMO. Conuenienter aſſignari ſeptem vitia capitalia, aut vt alij loquuntur, mortalia: de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm hic ſit communis ſenſus Theologorum omnium: lege de hac re Gregorium lib. 31. Moral. capite 17. & Magiſtrum Sententiarium diſtinctione 42. lib. 2. & Caſuiſtas, in tractatu de ſeptem peccatis mortalibus.

QVÆSTIO LXXXV.

De effectis peccati.

ARTICVLO 1. Tradit peccatum minuere bonum naturæ.

ARTICVLO 2. Bonum humanæ naturæ, quod eſt naturalis inclinatio ad virtutem, quamuis per peccatum minuatur, non tamen poteſt per ipſũ ab homine totaliter auferri; ceterùm res iſtæ fuerunt explicatæ à nobis quæſt. 83. huius partis.

ARTICVLO 3. Quatuor illata fuiſſe homini vulnera per peccatum, ignorantiam ſcilicet, malitiam, infirmitatem & concupiſcentiam.

ARTICVLO 4. Priuationem modi & ordinis eſſe effectus peccati, de qua re lege interpretes D. Thomæ.

ARTICVLO 5. Docet mortem, & alios defectus corporis eſſe effectus eiuſdem.

ARTICVLO VLTIMO. Mortem non eſſe homini connaturalem ſecundum formam eiuſdem eſſentialem (hæc enim eſt anima rationalis, quæ eſt verè immortalis) bene tamen ſecundum partem materialem; conſurgit quippe homo, quod attinet ad hanc partem ex quatuor qualitatibus contrarijs: verùm res iſtæ fuerunt explicatæ quæſtione 83. huius partis.

QVÆSTIO LXXXVI.

De macula peccati.

ARTICVLO 1. Tradit D. Thomas peccatum cauſare maculam.

ARTICVLO 2. Maculam peccati remanere in anima illius qui peccauit, poſt peccatum commiſſum. Circa hęc ſit

DVBITATIO PRIMA.

An peccatum cauſet, ſeu inducat maculam poſt ſe.

CONCLVSIO *affirmatiua*, dicitur enim Pſalm. 14. *Qui ingreditur ſinè macula.* & Pſalm. 118. *Beati immaculati in via.* & Eccleſ. 31. *Beatus vir qui inuentus eſt ſinè macula.* & cap. 47. *Dediſti maculam in gloria tua.* Epheſ. 5. *Vt exhiberet Eccleſiam non habentem maculam neque rugam.* & Ioſuë 22. *Cur peccaſtis in Beelphegor? macula huius ſceleris permanet in nobis vſque in præſentem diem.* Pſalm. 14. ℣. 2. idem 118. ℣. 1. Eccleſ. 31. ℣. 8. idem 47. ℣. 22. Epheſ. 5. ℣. 27. Ioſue 22. ℣. 17.

Deinde, ſicut ex defectu corporis ſequuntur aliquæ ſordes in nobis: ità ex peccatis, quæ ſunt defectus aliqui conſequuntur etiam ſordes aliquæ in anima, & per conſequens maculæ, à quibus abluimur & purgamur quotieſcumque iuſtificamur à peccatis commiſſis, vt manifeſtè colligitur ex illo, Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis ſpiritum nouum.* & ex illo Eſai. 1. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum.* & ad Epheſ. capite 5. *Mundans lauacro aquæ in verbo vitæ*, & alibi ſæpe. Denique, ità tradunt D. Thom. art. 1. & 2. huius quęſt. & interpretes eiuſdem ibidem, & Sentent. in 4. diſt. 14. alij 18. Ezech. 36. ℣. 25. Eſai. 1. ℣. 16. Epheſ. 5. ℣. 26.

DVBITATIO SECVNDA.

Quæ ſit macula iſta, quam peccatum relinquit in nobis poſt ſe.

ADuerte, nomine maculæ peccati, & culpæ habitualis, vnum & idem planè ſignificari: nomine autem maculæ, communiter ſignatur id, à quo quis formaliter denominatur peccator, ab actu peccati tranſacto: de hac re ſunt duæ ſententiæ. *Culpa habitualis, & macula idẽ ſunt.*

Prima contendit maculam peccati nihil aliud eſſe, quàm reatum, & obligationem ad pœnam. Probant primùm, quia remittere peccatum, nihil aliud eſt, quàm non exigere pœnam peccato commiſſo debitam, vt manifeſtè colligitur ex D. Auguſtin. ad hæc verba Pſalm. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: Si texit*, inquit, *peccata Deus, noluit aduertere; ſi noluit aduertere, noluit animaduertere: ſi noluit animaduertere, noluit punire: noluit agnoſcere, malnit ignoſcere:* ergo manere in peccato, nihil aliud eſt, quàm reum eſſe & obſtrictum ad pœnam aliquam ſuſtinendam: ergo macula peccati erit tantùm reatus, & *1. Sententia fundamẽta. D. Auguſt. ſentent.*

& obligatio ad pœnam iſtam ſuſtinendam.

2. Deinde, ſi macula peccati eſſet aliquid diuerſum à reatu, & obligatione ad pœnam, eſſet priuatio rectitudinis debitæ actualis vel habitualis; in peccato ſiquidem nullæ aliæ deprehenduntur præter peccatum ipſum, & reatum, ſeu obligationem ad pœnam: at macula non eſt priuatio rectitudinis actualis; hæc enim debetur tantùm actui, ſeu voluntati, pro eo tempore, quo actus potuit, & debuit à nobis fieri conformiter præcepto & legi ſuperioris; macula autem peccati manet tranſacto actu eiuſdem.

3. Denique, macula peccati eſt aliquid diuerſum, ab ipſomet peccato; eſt enim hæc effectus peccati: at quæſt. 71. huius partis: diximus peccatum eſſe priuationẽ rectitudinis debitę actui vel volũtati: ergo neque etiam dici poteſt maculam eſſe priuationem aliquam habitualem debitam; ſi enim ità eſſet, ſequeretur maculam quorumcumque peccatorum eſſe æqualem, præſertim ſi cum D. Tho. dicamus maculam peccati eſſe priuationem gratiæ, & charitatis, cùm hæc deſtruatur in nobis totaliter per quodlibet peccatum mortale; imò ſequeretur omnes ex æquo manere in peccato, & conſequenter vnum non eſſe magis peccatorem, quàm alium: quod tamen negant authores contrariæ ſententiæ: ſicut enim beatitudo ſanctorum eſt inæqualis: ità hoc idem dicendum eſt de pœna damnatorum, ac proinde de peccatis eorumdem, ſpectatis in ordine ad maculam, quia huius inæqualitas, præſupponit intrinſecè inæqualitatem peccatorum, vt præmia inæqualia arguunt neceſſariò inæqualitatem meritorum. In hac ſententia ſunt Scotus in 4. diſt. 14. quæſt. 1. §. Dico ergo, & in quæſt. reportaris, eadem diſtinct. quæſt. 1. Gabriel in 4. diſt. 14. Durandus, licèt in 3. diſtinct. 19. exiſtimet maculam peccati poſitam eſſe in priuatione, & Guillelmus Pariſienſis, de penitentiæ ſacramento.

2. Sentẽt. Secunda ſententia eſt eorum, qui putant præter reatum & obligationem ad pœnam, manere aliquid in eo, qui peccauit, & ab hac denominari formaliter peccatorem, ac proinde rem iſtam eſſe maculam peccati: Non tamen conuenit inter iſtos, quid ſit illud, quod manet in peccatoribus, à quo denominantur formaliter peccatores, tranſacto actu peccati.

Baij opinio reijcitur. Michaël Baïus Doctor Louanienſis putauit tranſacto actu peccati manere in nobis, qualitatem aliquam phyſicam & naturalem acquiſitam per actum peccati, ac proinde vitioſam, & deordinatam, & ab iſta qualitate denominari formaliter peccatores. Ceterùm opinio hæc improbatur communiter ab omnibus, ex ea quippe colligitur aut Deum eſſe authorem maculæ peccati, aut extare entitatem aliquam phyſicam, & naturalem cuius Deus non ſit author: quorum tamen neutrum dici poteſt: non enim Deus eſt author maculæ peccati, ſicut neque ipſiuſmet peccati: certum eſt etiam omne ens per participationem, eſſe à Deo, veluti à cauſa præcipua & principali. Deinde, macula peccati nequit conſiſtere cum gratia & charitate, opponuntur enim hæc duo de lege communi: at quælibet qualitas acquiſita phyſica conſiſtere poteſt cum gratia, vt conſtat ex dictis: docuimus enim habitus vitioſos ſtare cum gratia & charitate. Tertiò, qualitas iſta producta in nobis per actum peccati ex hypotheſi, bona eſt, cùm ſit phyſica, & naturalis, quare poteſt eſſe obiectum diuinæ voluntatis: at macula peccati nulla ratione intenditur aut intendi poteſt à voluntate diuina, omnium planè conſenſu: ergo macula non eſt illa qualitas.

Aliorum placitum improbatur. Alij verò putant, id quod manet poſt peccatum commiſſum diſtinctum à reatu & obligatione ad pœnam, eſſe rem aliquam, partim priuatiuam, partim poſitiuam, & ab iſta re appellari hominem formaliter peccatorem, tranſacto actu peccati.

Verùm hæc opinio defendi nullo modo poteſt, ſequerentur enim ex eo, illa eadem incommoda, quæ ex opinione proxima. Deinde, macula peccati debet eſſe res aliqua ſimplex, cùm pertineat ad entitates morales: at hæc dici non poteſt de re aliqua quæ partim eſt poſitiua, partim priuatiua. Tertiò, non explicant iſti quid ſit hoc poſitiuum, & priuatiuum ex quibus conſurgit macula peccati: ergo non poteſt conſtitui in poſitiuo & priuatiuo ſimul.

Magiſtri opinio. Magiſter verò Sententiarum lib. 4. diſtinct. 18. vult maculam peccati poſitam eſſe in receſſu, elongatione, ſeu alienatione à Deo per contrariam diſſimilitudinem: exiſtimauit namque Deum, ſpectatum ſecundum ſuam eſſentiam, eſſe iuſtitiam, ſanctitatem, perfectionem, & integritatem noſtram; per peccatum autem maximè mortale, recedere nos, & elongari à diuina eſſentia, & quidem eò magis, quò contingit peccatum à nobis commiſſum, eſſe grauius & magis deforme: ab hac ergo alienatione à Deo, putat denominari eum, qui peccauit formaliter peccatorem, & conſequenter maculam peccati eſſe receſſum hunc, ſeu à Deo elongationem.

Relinquitur. Ceterùm, opinio hæc improbatur communiter; ex ea namque ſequitur hominem denominari tantùm extrinſecè peccatorem, non autem formaliter, & intrinſecè, quod eſt manifeſtè contra Concilium Tridentinum, ſeſſione 5. in decreto de peccato originali, vbi dicitur, totum illud, quod habet in nobis rationem peccati originalis, deſtrui per ſacramentum baptiſmatis. Deinde, falſum eſt, quod ait Magiſter, Deum ſecundum ſuam eſſentiam eſſe cauſam formalem noſtræ ſanctitatis, quod tradit verbis expreſſis, diſtinctione 17. lib. 1. Concil. Tridentin. enim ſeſſione 6. capite 7. docet gratiam, & charitatem, quæ infunduntur in nobis, eſſe cauſas formales noſtræ iuſtificationis, & hominem denominari formaliter ſanctum, non per non imputationem, vt docent Hæretici noſtri temporis, ſed formaliter, & intrinſecè per ſanctitatem, quæ de facto recipitur in anima.

Thomiſtarũ ſent. Thomiſtæ verò cum D. Thom. art. 1. & 2. huius quæſt. autumãt maculam peccati eſſe carentiam nitoris, & pulchritudinis, & quia nitor, ſeu pulchritudo, alia conſequitur perfectiones ordinis naturalis, cuius generis ſunt virtutes omnes morales; alia verò coniuncta eſt cum perfectionibus ordinis ſupernaturalis, maximè verò cum gratia & charitate, ideò docent iſti maculam peccati poſitam eſſe in priuatione veriuſque pulchritudinis explicatæ: & ab iſta priuatione putant denominari formaliter peccatorem eum qui peccauit, actu peccati tranſacto.

Moneo tamen interdum D. Thom. affirmare maculam peccati poſitam eſſe in priuatione nitoris, & pulchritudinis ſupernaturalis; propter hanc enim cauſam docet aliquando ſolum peccatum mortale imprimere maculam: ità in 4. diſt. 14. & videtur colligi ex quæſt. 109. art. 7. huius partis.

Macula peccati non eſt reatus ad pœnam.

1. CONCLVSIO 1. *Macula peccati, ſeu peccatum habituale non eſt reatus & obligatio ad pœnam.* Primùm, quia maculam peccati Deus nec intendit, nec intendere poteſt; eſt enim hæc peccatum habituale, at Deus eſt author reatus, & obligationis ad pœnam: imò Deus eſt qui taxat pœnam debitam cuilibet culpæ, vt colligitur ex cap. 18 Apocal. *Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* & Deuter. 25. *Pro menſura peccatis erit & plagarum modus* & Matth 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum:* dicit Chriſtus iuſtinendo perſonam iudicis: ergo.

Apoc. 18. ℣. 7. Deut. 25. ℣. 3. Matth 25. ℣. 41.

2. Deinde, Gregorius XIII. & Pius V Pontifices Maximi damnarunt Michaëlem Baïum, hoc ſolo nomine, quòd affirmaret tranſacto actu peccati nihil remanere, in nobis præter reatum & obligationem ad pœnam.

3. Tertiò, macula peccati auertit hominem à Deo, tamquam ab vltimo fine, & conuertit ad creaturam, tamquam in vltimum finem, ſi ſermo ſit de macula peccati mortalis: quod dico, quia macula peccati venialis auertit hominem à Deo, non tamquam ab vltimo fine, ſed tãquam à mediis conducentibus ad vltimum finem: at reatus & obligatio ad pœnam, non auertit hominem formaliter & intrinſecè à Deo: iuſtificatus namque poteſt eſſe reus alicuius pœnæ debitæ peccato; non enim hæc culpa ſemper tollitur cum peccato, cum vt plurimum remiſſa culpa & pœna æterna, remaneant aliquæ pœnæ temporales exſoluendæ in hac vel in altera vita.

4. Denique, macula peccati facit hominem formaliter, & intrinſecè ingratum Deo: at reatus, & obligatio ad pœnam non reddit hominem ingratum Deo; diximus enim hominem iuſtificatum poſſe eſſe reum alicuius pœnæ temporalis, & tamen homo iuſtificatus eſt verè gratus Deo, cùm habeat hic in ſe gratiam gratum facientem, quæ eſt obiectum dilectionis diuinæ in nobis; quemadmodum peccatum cenſetur eſſe obiectum odij & inimicitiæ Dei: igitur macula peccati nequit eſſe obligatio ad pœnam.

Quorundã effugium.

Reſpondent aliqui, nomine reatus, & obligationis ad pœnam, non ſignificari deſtinationem, ſeu adiucationem ad pœnam ſuſtinendam, ſed dignitatem pœnæ debitæ peccatis, idque quòd Deus ſit author deſtinationis, & adiudicationis ad pœnam debitã peccato ſuſtinendam: dignitatis autem pœnæ Deus non eſt author, nec eſſe poteſt. Probant, quia propter hanc cauſam peccatum in ſacris litteris nuncupatur reatus, ita Exod. 32. Percuſſit Dominus populum pro reatu vituli, id eſt pro peccato commiſſo adorando vitulum, & Deuter. 22. *Auferetur ab eis reatus ſanguinis*, id eſt peccatum homicidij.

Deut. 21. ℣. 8.

Deinde, Apoſtolus Rom. 9. vocat reprobos vaſa iræ apta ad interitum, quia ſcilicet datur in iſtis dignitas ad ſuſtinendas pœnas æternas, propter peccata commiſſa; quare ait Epheſ. capite 2. *Eramus natura filij iræ*, id eſt vindictæ. Epheſ. 2. ℣. 3.

Denique, propter hanc eamdem cauſam docent ſancti Patres puniri pœna aliqua non eſſe malum, bene tamen meruiſſe pœnam: ità D. Auguſtin. lib. 1. de Nuptijs, & concupiſcentia, capite 26 *Nam ſicut*, inquit, *eorum peccatorum quæ manere non poſſunt, quoniam cùm fiunt præterreunt, reatus tamen manet, & niſi remittatur in æternum manebit; Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati.* & in fine eiuſdē c. *Sed quomodo manent, ſi præterita ſunt, niſi quia præterierunt actu, manent reatu?* D. Auguſt.

Ceterùm reſponſio hæc eſt nulla, propter ea quę diximus inter confirmandam noſtram Concluſionem; certum enim eſt nomine reatus & obligationis ad pœnam Scotum, Nominales, & ſequaces huius opinionis, nihil aliud intelligere quàm obligationem ad pœnam, ac proinde diſtinctio excogitata ab ipſis inter dignitatem pœnæ, & deſtinationem ad pœnam non eſt ad mentem Scoti & ſequacium eiuſdem. *Præcluditur.*

Deinde, implicat eſſe maculam peccati, & non denominari peccatorem ab ea: diximus enim nomine maculæ ſignari id à quo quis tranſacto actu peccati denominatur formaliter peccator: at à dignitate pœnæ debitæ peccato, nullus eſt qui denominetur aut denominari poſſit peccator, vt manifeſtè colligitur ex eo, quòd propter peccatum quilibet mereatur pœnam aliquam, non autem is qui pœnam meretur, ex eo quòd meretur pœnam, poteſt dici peccator.

Confirmatur: Pœna eſt quaſi proprietas peccati, ſicut laus eſt proprietas conſequens actionem honeſtam: at nullus denominatur formaliter bonus à laude debita actioni honeſtæ, ſed ab actione honeſta: ergo nullus etiam denominabitur malus formaliter & intrinſecè à pœna debita actioni inhoneſtæ, ſed ab actione inhoneſta, quare & à peccato commiſſo. Ad teſtimonia verò contraria. Reſpondeo, ex primis teſtimonijs Pauli ſolùm poſſe colligi, peccatum nuncupari reatum, ceterùm ea ratione loquendi, qua effectus dicitur de ſua cauſa, non autem formaliter, & intrinſecè. Ad illud autem quod dicitur ex eodem Paulo, reprobos vocari vaſa iræ, id eſt vindictæ. Reſpondeo, probare tantùm in reprobis dari dignitatem ad pœnam, propter peccata commiſſa, quod nos vltrò fatemur, minimè verò dignitatem hanc eſſe maculam peccati. Ad authoritatem D. Auguſtini dico reatum eſſe duplicem, alius namque reſpicit obligationem ad pœnam tantùm, alius verò cenſetur eſſe reatus culpæ, definiturque communiter, id quo quis conſtringitur ſub peccato, ità vt cenſeatur eſſe formaliter peccator dependenter ab eo: priori modo non loquitur D. Auguſtinus de reatu, ſed iuxta ſecundam ſignificationem, & conſequenter ait, tranſacto actu peccati manere hæc eadem reatu. *Soluuntur argumenta proximè allata.*

Reſpondent alij, nomine reatus, & dignitatis pœnæ, non ſignari à Doctoribus iſtis dignitatem pœnæ, ſed inimicitiæ Diuinæ. Ceterùm, reſponſio hæc nihil planè dicit, nomine quippe inimicitiæ Diuinæ, vel intelligunt culpam ipſam, vel pœnam eiuſdem: Primum dici non poteſt, quia macula peccati eſt aliquid diuerſum ab ipſomet peccato: neque item ſecundũ, diximus enim dignitatem ad pœnã ſuſtinendam, *Aliorum reſponſio infirma.*

Digitized by Google

& item pœnam ipſam debitam peccatis non eſſe maculam peccati.

Vltima Concluſionis Probatio.

Denique, probatur Concluſio. Si reatus & obligatio ad pœnam eſſet macula peccati: ſequeretur Deum eſſe authorem peccati habitualis, nam omnis pœna debita peccato cenſetur eſſe à Deo veluti à iuſto vindice iniquitatum noſtrarum: atqui falſum eſt Deum eſſe authorem peccati habitualis; ſicut enim implicat Deum eſſe authorem peccati actualis, ità & peccati habitualis, eſt enim hoc tam verè peccatũ, quàm actuale.

Dices, nihil repugnare quominus fateamur Deum non eſſe authorem pœnæ debitæ peccatis, ſi ſeque quòd pœna reſpiciat intrinſecè peccatum. Cæterùm licèt hæc reſponſio defendi poſſit, loquendo de pœna ſub ea ratione qua reſpicit culpam actiuè ſpectatam, ſeu, quod idem eſt, quatenus pœna conſequitur culpam, vt culpa eſt, certum tamen eſt pœnam ſumptam in ratione pœnæ, eſſe à Deo veluti à iuſtiſſimo iudice.

Priuatio nitoris ſpiritualis eſt aliqua macula.

CONCLVSIO 2. *Priuatio nitoris & pulchritudinis ſpiritualis, ſeu, quod idem eſt, gratiæ & charitatis, eſt aliqua macula peccati, non tamen ea à qua quis denominatur formaliter peccator.* Prima pars probatur; licèt enim ità interpretari D. Thom. art. 1. & ſecundo huius quæſt. quando ait, maculam peccati eſſe priuationem nitoris & pulchritudinis debitæ.

D. Thom.

Deinde, macula non ſemper ſignificat id à quo quis denominatur formaliter peccator tranſacto actu peccati, ſed illud omne à quo quis ſordeſcit, & inquinatur: conuenit enim inter omnes extare maculas aliquas ſenſiles in corpore, vt colligitur etiam ex illo Threnor. 4. *Denigrata eſt facies eorum ſuper carbones*, & ex illo Eccleſ. 31. *Beatus qui inuentus eſt ſine macula*: at à priuatione gratiæ & charitatis quilibet dicitur ſordeſcere, & inquinari; nam pulchritudo animæ rationalis poſita eſt maximè in poſſeſſione gratiæ & charitatis. Concil. enim Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. definit vnumquemque noſtrûm ſanctificari formaliter per gratiam, & charitatem, quæ infunditur in cordibus noſtris à Deo.

Threu. 4. verſ. 8.
Eccleſ. 31. verſ. 8.
Trident.

Denique, ſancti Patres docent ornamentũ animæ noſtræ conſurgere maximè ex informatione gratiæ, & charitatis: ergo priuatio iſtorum donorum inducit maculam aliquam in animabus noſtris.

2. Partis probatio.

Secunda verò pars Concluſ. probatur: Id à quo quis iuſtificatur eſt macula peccati; definitur enim iuſtificatio tranſitus à ſtatu peccati, ad ſtatũ gratiæ, ex Trid. proximè citato: at abſolutè & formaliter loquendo nullus eſt qui iuſtificetur à priuatione gratiæ, & charitatis; tum quia priuatio hæc eſt à Deo, veluti à cauſa efficiente; tum quia hæc eſt pœna aliqua peccati; tum denique quia ſi daretur aliquis procreatus à Deo in puris naturalibus, hic non propterea diceretur conſtitutus in peccato, aut maculatus peccato, & tamen careret gratia, & charitate: ergo priuatio gratiæ non eſt macula peccati.

Moneo tamen de lege communi hominem iuſtificari à priuatione gratiæ, & charitatis, non quidem ſimpliciter, ſed dependenter à peccato; nullus enim priuatur gratia & charitate de facto, niſi propter peccatum commiſſum, vel à ſeipſo, vel certè à primo parente. Deinde, eadẽ eſt macula peccati originalis, & actualis mortalis, loquẽdo in vniuerſum de macula: atqui macula peccati originalis non eſt priuatio gratiæ, & charitatis; hæc enim poteſt eſſe in homine conſtituto in puris naturalibus, ſinè vllo planè peccato: ergo non erit etiam macula peccati mortalis actualis. Addo tamen, priuationem gratiæ, & charitatis eſſe maculam peccati originalis comparatam cum peccato primi parentis; diximus enim in ſuperioribus peccatum hoc eſſe habituale, idque quòd detur in nobis ad modum alicuius habitus. Denique, macula peccati cenſetur eſſe illud, quod denominat formaliter peccatorem, tranſacto actu peccati: atqui à priuatione gratiæ, & charitatis, vt ſic, nullus eſt qui denominetur formaliter peccator: ergo priuatio hæc non poteſt eſſe macula peccati.

Macula peccati eſt actus peccati præteriti non emendati per veram penitentiam.

CONCLVSIO VLTIMA. *Macula peccati eſt actus peccati præteriti non emendati per veram penitentiam.* Primùm, quia macula definitur id à quo quis nuncupatur peccator, tranſacto actu peccati: at ab actu præterito peccati non emendato per penitentiam quilibet denominatur formaliter peccator; dicitur enim hic tamdiu manere in peccato, quamdiu non retractauit actum peccati commiſſi, cenſetur præterea reus pœnæ alicuius, & item auerſus à Deo, & conuerſus ad creaturam: ergo in hoc conſiſtit macula peccati. 1.

Deinde, macula peccati aut eſt peccatum ipſum formaliter ſpectatum, aut reatus, & obligatio ad pœnam, aut priuatio nitoris & pulchritudinis animæ noſtræ, aut denique actus peccati præteriti non emendatus per penitentiam (non enim dantur plura in peccato aliquo:) at nullum ex tribus primo loco poſitis dici poteſt, vt conſtat ex dictis: ſupereſt ergo vt ſit vltimum. Ità docent Ioannes Baſſolis in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 1. §. quantum ad præſentem, & plerique recentiores. 2.

Vt autem hæc Concluſio magis innoteſcat, obſeruandum eſt duo eſſe ſimpliciter neceſſaria ad maculam peccati conſtituendam; actum ſcilicet peccati commiſſi, & non retractationem eiuſdem: ab actu denominatur quis formaliter peccator; non retractatio verò eſt tantùm conditio, quæ tenet ſe ex parte illius qui dicitur commaculatus peccato: quare appellatio iſta cenſetur eſſe denominatio quædam extrinſeca; petitur enim hæc ab actu peccati præteriti non emendati per penitentiam, actus autem non eſt in eſſe actualis exiſtentiæ, vt patet, & per conſequens non poteſt hic afficere intrinſecè eum qui peccauit, ſed ſolùm extrinſecè. Ità author citatus, & alij.

Obiectio.

Obijcies, Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali affirmare totum illud quod habet rationem peccati originalis deſtrui in nobis per baptiſmum: ergo macula peccati erit aliquid intrinſecè exiſtens in nobis, nedum extrinſecè, vt diximus.

Solutio.

Reſpond. ex hoc loco Concilij ſolùm colligi, dari in nobis aliquam maculam peccati, quæ afficit intrinſecè; minimè verò maculam peccati, quatenus talis eſt in vniuerſum, eſſe aliquid, quod detur in nobis intrinſecè, de quo tamen diſputamus hoc loco, quando dicimus maculam peccati eſſe actum peccati præteriti, non emendatum per penitentiam, aut certè aliqua alia ratione. Deinde, diximus in antecedentibus priuationem gratiæ & charitatis eſſe quidem maculam aliquam peccati, non tamen eam à qua quis denominatur formaliter peccator, ſed tantùm à qua quis dicitur ſordeſcere. Tertiò, carentia iuſtitiæ origi-

nalis de qua differit Trident. eo in loco, non eſt abſolutè loquendo peccatum originale, ſed tantùm vt datur in nobis, dependenter à peccato primi parentis, quare ab illo actu, & à carentia iuſtitiæ originalis quilibet noſtrûm ante baptiſmatis ſuſceptionem denominatur formaliter peccator; ac proinde extrinſecè, nedum intrinſecè: imò ſi culpa primi parentis non interceſſiſſet nulla ratione denominaremur formaliter peccatores, eſto daretur in nobis carentia iuſtitiæ originalis.

Corollariũ. Ex dictis colligo, nedum peccatum mortale, ſed etiam veniale imprimere maculam, & iſtam eſſe actum peccati præteriti non emendati per veram penitentiam: peccatum autem veniale, tam verè peccatum eſt quàm mortale. Deinde, tam verè quis dicitur peccator à peccato veniali commiſſo, quàm à mortali: & item manere in peccato, quamdiu non emendauit actum peccati venialis, quàm dicatur peccator, quamdiu nõ emendauit peccatum mortale actuale. Tandem quilibet ſordeſcit & inquinatur à veniali, vt colligunt ſancti Patres ex illo Ioannis 13. *Qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet.* Ità D. Auguſt. tractatu 56. in Ioannem. *Hic moueatur*, inquit, *fortaſſis quis, & dicat; imò ſi mundus eſt totus, quid ei opus eſt vel pedes lauare?* Ad quod paucis interiectis reſpondet. *Dominus dicit, veritas loquitur, quod opus habeat pedes lauare etiam ille qui lotus eſt. Quid fratres mei, quid putatis? niſi quia homo in ſancto quidem baptiſmo totus ablutus, non præter pedes, ſed totus omnino? Verumtamen cùm in rebus humanis poſtea vitiatur, vtique terra calcatur. Ipſi igitur humani affectus ſinè quibus in hac mortalitate non vitiatur, quaſi pedes ſunt, vbi ex humanis rebus afficimur & ſic afficimur, vt ſi dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos decipiamus, & veritas in nobis non ſit. Quotidie igitur pedes lauat nobis, qui interpellat pro nobis; & quotidie nos opus habere, vt pedes lauemus, id eſt, vias ſpiritualium greſſuum dirigamus, in ipſa oratione Dominica confitemur cùm dicimus. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Gregor. lib. 9. epiſtol. epiſt. 39. & D. Thomas, 3. parte quæſt. 87. art. 2. ad 3.

D. Auguſt. 1. Ioan. 1. verſ. 8. Rom. 8. verſ. 34. Matth. 6. verſ. 12. Gregor. D. Thom.

Satisfit rationibus contrarijs. 1. Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad primam D. Auguſt. illis in locis non diſputare de modis omnibus, quibus peccata remittuntur in nobis, ſed tantùm de eo, quo peccata relaxantur in ordine ad condonationem pœnæ. Hanc ergo docet D. Auguſt. tunc temporis condonari nobis, quando nec Deus, nec vllus alius legitimus ſuperior vult exigere pœnas peccatis noſtris debitas. Cum iſtis tamen rectè cohæret, vt peccata remittantur in ratione culpæ, per infuſionem gratiæ gratum facientis, vt probabitur alibi.

2. Ad ſecundam, patet reſponſio ex dictis Concluſione ſecunda.

3. Ad vltimam. Maculam peccati non eſſe priuationem vllius rectitudinis actualis vel habitualis, vt bene probat argumentum, ſed tantùm actum peccati præteriti non emendatum per veram penitentiam, aut aliquo alio remedio.

ROGABIS, *An macula peccati ſit in omnibus aqualis.*

Macula peccatorum ſunt inæquales. RESPOND. *Maculas eſſe inter ſe inæquales:* Dixi enim maculam nihil aliud eſſe quàm actum peccati præteriti, non emendati per penitentiam: at certum eſt maculas iſtas differre interdum ſpecie inter ſe, & item numero, hicque à nobis cum inæquali aliquo affectu, ſeu conatu: ergo. Deinde, idem dicendum eſt de ijs maculis, ceteris tamen paribus, quod de bonis operibus; indubitatum autem eſt bona opera eſſe inter ſe inæqualia, cùm ſit de fide beatitudinem Sanctorum inæqualem eſſe, quæ tamen reſpondet bonis operibus in hac vita factis: ergo idem erit dicendum de maculis peccati; reſpondent quippe iſtis inæquales pœnæ, vt docui in antecedentibus. Concedendum tamen eſt vnam maculam peccati mortalis nuſquam poſſe deleri in nobis, quin deſtruantur ceteræ omnes, ſeu, quod idem eſt, quin deleantur omnes aliæ maculæ peccatorum mortalium, quia hæc, de lege communi ſaltem, nequit deſtrui in nobis ſinè infuſione gratiæ gratum facientis; Gratia autem gratum faciens eſt incompoſſibilis cum peccato mortali: Secus tamen dicendum eſt de maculis peccati venialis; fieri namque poteſt vt vnum peccatum veniale deſtruatur ſinè deſtructione ceterorum: quia veniale, vt [illegible], nec per contritionem, nec per attritionem cum ſacramento, nec denique per actum dilectionis Dei ſuper omnia deſtruatur, ſicut deſtruitur mortale quodlibet ab ijs: deſideratur enim ad hoc vt deleatur peccatum veniale in nobis, vt contritio vel attritio cum ſacramento, vel denique actus dilectionis ſuper omnia, ordinetur ad deſtructionem illius, ità vt ſi aliquis ex actibus proximè commemoratis, non fuerit ordinatus ſpecialiter ad deſtructionem illius, nuſquam delebitur, vt probabitur alibi. Accedit, vnum peccatum veniale poſſe deleri in nobis pro eo tempore, quo aliud veniale perpetratur; non enim hæc pugnant inter ſe: implicat autem peccatum aliquod deſtrui, pro eo tempore, quo ipſum committimus.

QVÆSTIO LXXXVII.

De reatu pœnæ.

ARTICVLO 1. tradit D. Thom. quodlibet peccatum trahere ſecum reatum pœnæ, ſeu, quod idem eſt obligationem ad pœnam: de qua re non eſt dubitandum; ſicut niem cuilibet honeſto operi debetur laus, & præmium; ità cuilibet actioni culpabili debetur pœna & vituperium. Deinde, idem colligitur ex ijs locis Matth. 25. verſ. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, & alibi ſæpe, ſimile quid dicitur: idem docent ſancti Patres quos quæſt. anteced. citauimus.

Matth. 25. verſ. 41.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An vnum peccatum poſſit eſſe pœna alterius.

1. Opinionis fundamẽta. SVNT de hac re plures Theologorum opiniones. Prima contendit vnũ peccatum ſpectatum in ratione peccati, eſſe pœnã alterius, quia dicitur Pſal. 68. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* & Rom. 1. de Philoſophis probat Paulus, quòd fuerint traditi. *In reprobum ſenſum, & in paſſiones ignominiæ*, quòd non gratias egerint Deo de beneficijs ſibi ab eodem collatis. *Qui cùm Deum cognouiſſent*

Pſal. 68. verſ. 28. Rom. 1. verſ. 21.

non

Theſſal. 2. *non ſicut Deum glorificauerunt.* & 2. Theſſal. cap. 2. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent; ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* & Apocal. vlt. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat magis.*

2. Deinde, ſancti Patres verbis expreſſis docent, peccatum quod non citò tollitur per penitentiam trahere nos ad aliud peccatum: ità D. Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 12. & lib. 5. contra Iulianum Pelagianum, cap. 3. & lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 15. & 16. & in Pſal. 57. prope finem, quo loco verba citata Pauli Rom. 1. adducit & explicat in huius veritatis confirmationem. Gregor. homil. 11. in Ezech.

3. Denique, quod quis meretur peccando, pœna peccati eſſe poteſt; at peccatum ſecundum, eſt quaſi meritum prioris, vt colligi videtur ex locis proximè citatis Scripturæ: ergo eſt pœna illius.

2. Sent. Secunda ſententia huic omni ex parte oppoſità eſt, credunt enim authores illius, fieri nullo modo poſſe, vt peccatum vnum ſit pœna alicuius alterius, præſertim ſi peccatum fuerit in ratione peccati.

3. Sent. Vltima ſententia eſt eorum, qui arbitrantur peccatum ſecundum poſſe eſſe pœnam prioris, ſi tamen ſpectetur vt eſt in ſubiecto, ſeu, quod idem eſt, vt dicit priuationem rectitudinis debitæ ineſſe: ità Scotus, & ſequaces eiuſdem.

Peccatū vt ſic nequit eſſe pœna alterius.

Conclvsio 1. *Peccatum ſpectatum in ratione peccati, nec eſt, nec eſſe poteſt pœna alterius peccati.* Primum probant aliqui: quia peccatum, vt ſic, debet eſſe neceſſariò liberum: pœna autem debet eſſe inuoluntaria, ſeu, quod idem eſt, non libera. Verùm ratio hæc nihil planè dicit, abſolute quippe loquendo falſum eſt, pœnam debere eſſe inuoluntariam: tum quia quilibet poteſt in ſeipſo vindicare peccata à ſe commiſſa, & tamen hæc cenſetur eſſe pœna; tum quia alioquin concedendum eſſet de paruulis morientibus ſine baptiſmate, dari in illis triſtitiam, & dolorem de amiſſa felicitate æterna; neque enim fieri poteſt, vt detur aliquid in nobis contra propriam voluntatem, quin ſequatur inde triſtitia aliqua. Probant alij ex eo quòd pœna quælibet debeat eſſe ab alio, quàm ab eo qui peccatum commiſit: culpa autem, vt ſic, debet eſſe neceſſariò ab eo qui peccauit. Ceterùm ratio hæc reijcitur etiam; diximus enim quemlibet vlciſci peccata commiſſa in ſeipſo, & tamen vltio hæc cenſetur eſſe pœna peccati commiſſi. Deinde, quilibet dum peccat mortaliter, deſtruit in ſeipſo gratiam gratum facientem, ſaltem ex doctrina Thomiſtarum, & quidem in ratione cauſæ efficientis phyſicè, & tamen deſtructio iſtius gratiæ eſt quædam pœna peccato mortali debita.

Quorundā rationes inefficaces pro Cōcluſione.

Efficax probatio. Probatur ergo tertiò Concluſio. Pœna, vt ſic, non eſt mala, ſed hoc ſolo nomine quòd ſit contra propenſionem, & inclinationem appetitus ſenſilis; lædit enim hæc ſenſum, ſecundum tamen ſuam entitatem verè pœna iſta bona eſt, cùm ſit entitas aliqua vera, & realis, à Deo procreata: at quodlibet peccatum ſpectatum vt peccatum eſt, verè malum eſt: ergo vnum peccatum non poteſt eſſe pœna alterius ſumptum in ratione peccati.

Denique, quælibet pœna debet eſſe pœna iuſtitiæ vindicatiuę, vt ratio idipſum ſuadet; hæc enim debet reſpondere dignitati culpę, quare & æquitati iuſtitię: at nullum peccatum quatenus peccatum eſt, poteſt eſſe actus iuſtitiæ vindicatiuę; eſt enim peccatum, vt ſic, malum & deforme; omnis autem actus iuſtitię eſt intrinſecè bonus, & rationi conformis: ergo. Confirmatur. Æquus iudex non poteſt iniquitatem iniquitate compenſare, neque punire peccatum peccato: ergo multò minùs Deus. In hac ſententia ſunt Thomiſtæ hoc loco, & aliqui in 4. diſt. 44.

Conclvsio 2. *Peccatum ſpectatum vt eſt in ſubiecto, non eſt pœna peccati prioris, neque item eſſe poteſt.* Primùm, quia peccatum, vt ſic, ſignificat priuationem rectitudinis debitę ineſſe, ex iſtorum authorum opinione: at docuimus peccatum, vt peccatum, non poſſe eſſe pœnam peccati: ergo neque vt eſt in ſubiecto: docuimus namque quæſt. 71. huius part. peccatum formaliter ſumptum nihil aliud eſſe, quàm priuationem rectitudinis debitę ineſſe.

Peccatū vt in ſubiecto non eſt pœna alterius.

Deinde, peccatum ſpectatum vt eſt in ſubiecto, habet rationem actus immanentis, & per conſequens debet eſſe neceſſariò vt ſit culpabilis; culpa autem, vt culpa eſt, non poteſt eſſe pœna alicuius peccati.

Denique, peccatum conſideratum vt eſt in ſubiecto, aut extra, ſemper eſt peccatum, & ideò vitioſum, & deordinatum: ergo nequit eſſe pœna alterius.

Conclvsio vltima. *Peccatum ſecundum poteſt eſſe pœna prioris, hoc nomine, quod primum deſtruat in nobis gratiam gratum facientem, & item quod ſua turpitudine auferat à nobis ſpecialem illam aſſiſtentiam Dei Opt. Max. per quam adeſſe ſolet agentibus in gratia & charitate.* Primùm, quia hoc colligunt communiter Scholaſtici ex iſtis Scripturæ locis, Pſalm 94. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* & ex illo Prouerb 11. *Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit, qui aſpiceret: ego quoque in interitu veſtro ridebo.* & ex cap. 1. Iſaï. *Cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine.*

Peccatū poteſt eſſe pœna alterius prioris.

1. Pſal. 94. verſ. 10. Proue. 11. verſ. 24. Iſaï. 1. verſ. 15.

Deinde, ſancti Patres propter hanc eamdem rationem docent Deum obdurare, & excæcare obſtinatos in peccatis, non quidem, inquiunt, obdurationem, aut cæcitatem producendo, ſed gratiam aliquam ſpecialem ſubtrahendo, propter peccata antecedentia. Ità D. Auguſt. lib. de prædeſtinatione Sanctorum. De nuptijs & concupiſc. & in lib. contra Iulianum Pelagianum.

2. D. Auguſt.

Denique, qui perſeuerat in peccatis propter obdurationem meretur priuari donis quibuſdam ſpecialibus propter huiuſmodi peruicaciam, & obſtinationem in malis committendis, vt colligitur ex cap. 1. Rom. vbi dicitur, quòd Philoſophi fuerint traditi *In reprobum ſenſum, & in paſſiones ignominiæ*, quia neglexerint agere gratias Deo pro beneficijs ab eodem acceptis.

3. Rom. 1. verſ. 26.

Obiectio. Obijciet, ex iſtis manifeſtè colligi, eum qui poſteriora peccata committeret, non peccare; nemo enim peccat in ijs, quæ euitare non poteſt, ſupponimus autem Deum negare auxilia quædam ſpecialia, peccatoribus iſtis neceſſaria ad vitanda peccata poſteriora.

Solutio. Reſpondeo, negando illationem maioris. Ad probationem autem, eum, cui Deus denegat ſpecialia iſta auxilia propter peccata antecedentia, verè peccare; quia licèt deneget Deus quædam auxilia ſpecialia, concedit tamen alia, cum quibus poteſt hic, ſi velit, peccata iſta poſteriora vitare, vt manifeſtè colligunt Theologi ex eo quod dicat Deus Apocal. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo,* Apocal. 3. verſ. 20.

ſcilicet peccatoris, *& quid volo niſi vt aperiatur mihi?* Deinde, certum eſt Deum velle omnium planè mortalium ſalutem, quare conceditauxilia ad ſalutem conſequendam neceſſaria.

Diluuntur rationes cõtrariæ. Ad rationes verò authorum primæ ſententiæ reſpond. Ad primam, ex illis omnibus locis Scripturæ non poſſe colligi, ſecundum peccatum comparatum cum priore poſſe eſſe pœnam eiuſdem, ſpectatum in ratione peccati, quatenus peccatum; ſed tantùm Deum propter peccata præcedentia permittere, vt quis labatur in peccata alia grauiora; verba enim iſta: *Tradidit illos in reprobum ſenſum, & in paſſiones ignominiæ*, ſumpta ex Apoſtolo, omnium Patrum interpretatione ſunt intelligenda, non cauſaliter, ſed permiſſiuè tantùm; ità vt eorum ſenſus ſit; Deum permiſiſſe Philoſophos ab peccata ingratitudinis, labi in alia quædam magis turpia, & fœda peccata.

Rom. 1. verſ. 26.

2. Ad 2. ſanctos Patres non diſputare iſtis in locis de peccato, quatenus peccatum eſt in genere moris, ſed tantùm de deordinatione partis inferioris & ſuperioris hominis, de infirmitate, & imbecillitate eiuſdem in bonis proſequendis, & de procliuitate in malis perpetrandis: deordinationes ergo iſtas imbecillitates, & infirmitates, quæ dantur in nobis contendunt Patres eſſe pœnas peccati, non autem peccatum aliquod ſpectatum in ratione peccati.

3. Ad vlt. eam eſſe pœnam peccati, quam quis peccando promeretur; ea tamen lege, & conditione, quòd poſſit hæc à iuſto iudice infligi: debet namque pœna eſſe actus iuſtitiæ vindicatiuæ, vt pœna proprie eſſe poſſit, ex doctrina D. Thom. communiter recepta; certum autem eſt culpas non poſſe vindicari à iudice iuſto, media aliqua culpa.

Replica. Dices, omnem pœnam debitam peccato debere eſſe inuoluntariam.

Diſſoluitur. Reſpond. hoc non eſſe ſimpliciter verum, vt oſtenſum eſt ante: quare illa propoſitio habet tantùm locum in pœna ſenſus, quæ ex eo capite debet eſſe inuoluntaria, quòd ſit contra propenſionem naturalem; nam quælibet res reſpuit malum, ſub ea ratione, qua malum eſt: certum autem eſt pœnam appetitui ſenſibili, eſſe malam, vnde debet hac ratione ſpectata eſſe inuoluntaria; quod dico, quoniam monuimus in antecedentibus vnumquemque poſſe in ſeipſo vindicare propriè peccata, & vindicationem iſtam habere rationem pœnæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm aliquod peccatum inducat reatum pœnæ æternæ.

VÆRVNT Theologi hoc loco; *An detur aliqua culpa cui reſpondeat perfectiſſimè pœna æterna.* Ratio dubitandi eſt, quia ex ſacris litteris habemus Deum neminem punire, niſi cum miſericordia, imò dicitur de Deo, Quod non continebit in ira miſericordiam ſuam. Pſalm. 76.

Ratio dubitandi.

1. Pſal. 76. v. 8. 9. & 10. *Numquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet vt complacitior ſit adhuc, aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, à generatione in generationem? aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira miſericordias ſuas?* quod idem eſt, ac ſi diceret, minimè. & Pſal. 139. de damnatis ait, *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijctes eos, in miſerijs non ſubſiſtent.* & cap. 7. Micheæ. *Ne lætaris inimica mea, ſuper me, quia cecidi: conſurgam, cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet*, id eſt, vindicet & vlciſcatur.

Pſal. 139. verſ. 11. Mich. 7. 8. & 9.

Deinde, ſi quæ eſſet ratio propter quam diceremus extare culpas aliquas trahentes ſecum reatum pœnæ æternæ, eſſet, quòd dicatur Matth. 25. conſtitutis à ſiniſtris in iudicio, *Diſcedite à me maledicti, in ignem æternum*: at ratio hæc non eſt ſatis efficax ad demonſtrandam opinionem iſtam; nam Geneſ. cap. 17. dicitur, quod Deus daturus ſit Abrahæ terram Chanaam in poſſeſſionem æternam; & tamen indubitatum eſt terram hanc non ſemper fuiſſe à poſteris Abrahæ poſſeſſam. & Prouerb. 29. dicitur de rege gubernante iuſtè populum ſuum: *Thronus eius in æternum firmabitur*, id eſt, multo tempore perſeuerabit.

2. Matth. 25. verſ. 41. Geneſ. 17. verſ. 8. Prouc. 29. verſ. 14.

Tertiò, Eccleſia orat pro damnatis, dicitur enim in Offertorio Miſſæ pro defunctis: *Domine Ieſu Chriſte rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum: ſed ſignifer ſanctus Michaël repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini eius.*

3. *Offertorium in Miſſa pro defunctis.*

Denique, pœna debita peccato conſequitur naturam peccati: at quodlibet peccatum committitur à mortalibus in tempore, imò vt plurimum in momento temporis: ergo nulla datur culpa quæ poſſit vendicare ſibi pœnam æternam.

CONCLVSIO. *Qualibet culpa mortalis trahit ſecum reatum pœnæ damni & ſenſus:* loquimur enim hîc de peccato mortali actuali. Probatur ex cap. 11. Eccleſ. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit*, id eſt, ſi contigerit hominem mori in ſtatu gratiæ, aut peccati mortalis, ità erit hic coniunctus cum gratia, vt ab ea ſeparari nullo modo queat: & idem dicendum eſt de eo, qui moritur in peccato mortali: & conſequenter, quemadmodum ille conſequitur vitam æternam; ità & huic dabitur pœna æterna, ex communi ſanctorum Patrum interpretatione: & Iſaï. vlt. dicitur de damnatis, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: qui locus explicatur à D. Auguſt. lib. 20. de Ciuitate, cap. 21. de æternitate pœnarum debitarum peccatis noſtris, & ex cap. 25. Matth. citati. & rurſus: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* & Marc. cap. 9. *Si oculus tuus ſcandalizat te ejice eum; bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* & cap. 1. 2. Theſſal. *Qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti pœnas dabunt in interitu æternas.* & Apocal. 14. *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum.*

Omne peccatum mortale trahit reatum pœnæ æternæ. 1. Eccleſ. 11. verſ. 3. Iſaï. 66. verſ. 24. D. Auguſt. Matth. 25. verſ. 46. Marc. 9. verſ. 46. 2. Theſſ. 1. verſ. 8. Apoc. 14. verſ. 11.

Deinde, res hæc videtur definita in Concil. Lateranenſi ſub Innocent. III. & refertur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitat. & fide Catholica, & in Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. can. 25. & ſeſſ. 14. can. 5. & in cap. *Maiores*, de Baptiſmo & eius effectu, §. ſed adhuc. & denique in 6. Synodo generali act. 11. ſub Agathone Papa: probatur enim illic epiſtola Sophronij in qua dicitur pœnas damnatorum futuras eſſe æternas.

2.

Tertiò, ità tradunt ſancti Patres, maximè verò Cyprianus

3.

Digitized by Google

Cyprian. Cyprianus lib. de reſurrectione carnis, & ſerm. de Aſcenſione Domini prope finem; ſi tamen ſermo hic fuerit Cypriani. *Continuus erit*, inquit, *& ſuperfluus illarum lacrymarum decurſus, ſtridorem illarum dentium flamma inextinguibiles agitabunt. Immortales, miſeri vivent inter incendia, & inconſumptibiles flamma nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, nec erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat.* D.Hieron. & Hieronymus ad cap. 3. Ionæ: *Sed tamen*, inquit, *peccatores in Euangelio mittit in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & Angelis eius: & de his dicit; Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* & epiſt. 59. ad Auitum, & epiſt. 61. ad Pammachium. & lib 2. Apologiæ contra Rufinum. & Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 44. *Iniqui*, inquit, *ideò cum ſine deliquerunt, quia cum ſine vixerunt.* vt refert D. Thomas in hoc articulo ex eodem: *Nam voluiſſent vtique ſi potuiſſent ſinè fine viuere, vt potuiſſent ſinè fine peccare.* Cyrillus Alexand. orat. de exitu animæ: D. Auguſt. lib. 12. de Ciuitate, cap. 20. & lib. 21. cap. 9.

Gregor. D. Thom. Cyrillus Alexand. D. Auguſt.

1. Ratio Cõcluſionis. Accedunt rationes aliquæ. Prima, quæ deſumitur ex articulis 3. & 5. huius quæſt. D. Thomę: In omni culpa mortali reperitur deordinatio irreparabilis: ergo & cuilibet culpæ mortali reſpondet pœna æterna, nam pœna eſt comes indiuiduus culpæ; ità vt veriſſimum ſit tamdiu deberi alicui pœnam, quamdiu manet in eo culpa, ſicut tamdiu debetur alicui præmium, quamdiu dantur in eo aliquæ actiones honeſtæ; ſunt enim præmium, & pœna proprietates conſequentes naturam, & eſſentiam cuiuſlibet actus humani boni vel mali. Antecedens verò probatur: Propterea deordinatio mortis & cæcitatis cenſetur eſſe irreparabilis, quia mors deſtruit in nobis principium ſimpliciter neceſſarium ad vitam retinendam, & cæcitas deſtruit ſimiliter principium abſolutè neceſſarium ad videndum; at peccatum mortale deſtruit in nobis principium ſimpliciter neceſſarium ad vitam ſpiritualem agendam, nempe gratiam, & charitatem, quam Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. docet eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtitiæ, & ſanctitatis, & ideò vitæ ſpiritualis: ergo deordinatio peccati mortalis eſt irreparabilis, & per conſequens pœna eidem correſpondere debet æterna.

Confirmatur: A priuatione ad habitum, non datur regreſſus per potentiam naturalem: at peccatum mortale priuat hominem gratia, & charitate; opponuntur enim hæc duo inter ſe de lege communi: ergo malum illatum per peccatum mortale nequit reparari in homine per vllam potentiam naturalem.

2. D.Gregor. Secunda ratio deſumitur ex D. Gregorio, loco ſupra citato. Qui peccat in ſuo æterno, debet etiam puniri in Dei æterno: at homo peccando mortaliter peccat in ſuo æterno; conſtituit namque ſe per peccatum mortale in eo ſtatu, à quo reſurgere nequit per vllam potentiam naturalem, vt probatum fuit in antecedentibus: ergo debet puniri per æternitatem.

3. Pſal. 73. verſ. 23. Tertia ratio: Conſtituti apud inferos perpetuò peccant, ex Dauide Pſalm. 73. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*; locus quippe hic explicatur communiter de damnatis: ergo & pœna iſtorum debet eſſe ſimiliter æterna; præſertim cùm dixerimus culpam, & pœnam eſſe inter ſe ità coniuncta, vt vnum nequeat ſeparari ab alio, ſaltem ſi ſermo ſit de pœna comparata cum culpa. Denique, Deus, itémque anima rationalis ſunt æterni: ergo & præmia, & ſupplicia debita animabus noſtris erunt æterna.

Origenes quid ſenſerit. Rogabis, *Quid de hac re ſenſerit Origenes:* D. Auguſt. lib. de hæreſibus ad Quodvultdeum, cap. 43. Hieronym. epiſt. 56. Theophilus Alexandrinus in ſuo Paſchali: Sanderus lib. 7. de viſibili monarchia, cap. 46. & alij nonnulli, exiſtimant Originem docuiſſe pœnas damnatorum fore tandem aliquando terminandas. Alij verò contra, putant opinionem hanc adiectam fuiſſe operibus Origenis ab Origeniſtis hæreticis; homil. quippe 13. in Ezech. ait ipſe, Angelos non cuſtodientes principatum ſuum vinculis ſempiternis aſſeruari à Deo Opt. Max. & homil. 14. ſuper Ieſum Naue, *Poſt conſummationem*, inquit, *huius ſeculi tunc omnis virtus contraria deſtruetur, tunc penitus vincetur cum dicetur iis qui à ſiniſtris ſunt; Ite in ignem æternum.* & homil 14. & 18. in Numero 9. ſimile quid habet. Deindè, in epiſtola quam ſcripſit ad Alexandrinos, quam referunt nonnulli recentiores, conqueritur illic quòd eius ſcripta fuerint vitiata: *Quando*, inquit, *traſlatus noſtros calumniantur, & ea ſentire nos criminantur quæ numquam ſenſiſſe nos nouimus.* hoc ſatis probabile eſt: dicemus tamen in tractatu de Indulgentijs contrarium verum eſſe.

Origenes D. Auguſt. Hierony.

Contrariæ rationes diſſoluũtur. 1. Ad rationes verò contrarias. Reſpond. ex illis omnibus locis Scripturæ ſolum probari incarnationem Chriſti eſſe futuram, etiamſi tot peccata, quotidie committerentur à mortalibus, & conſequenter in ordine ad iſtam incarnationem futuram, docent Scripturæ illis in locis Deum non continere in ira miſericordiam ſuam, ſed vſurum ſua bonitate erga mortales quoſcumque, ſtando promiſſis de diuino verbo incarnando. Secundò reſpondeo recentiores explicare prædicta teſtimonia de hominibus conſtitutis in hac vita, ità vt velint Scripturas iſtis in locis nihil aliud ſignificare, quàm Deum nuſquam negaturum homini ſuam miſericordiam pro toto illo tempore, quo aget in hac vita mortali; dicitur enim apud Ezech. *In quacumque hora ingemuerit peccator iniquitatum eius non recordabor.*

2. Ad 2. æternum vſurpari in ſacris litteris, interdum pro eo quod caret principio & fine durationis; aliàs pro eo quod licèt careat fine, habuit tamen principium. Denique, pro eo quod & principium & finem habiturum eſt, ità tamen vt multo tempore duret: in hac tertia ſignificatione vſurpatur æternum in illis locis, quæ obijciuntur nobis; in ſecunda verò ſignificatione ſumitur particula hæc in illis omnibus locis, in quibus Scriptura agit de pœnis damnatorum, aut de reatu & obligatione pœnę debitę peccatis mortalibus: hoc autem aſſequimur ex doctrina Conciliorum, ſanctorum Patrum, & ex præſcripto rectæ rationis; hæc enim dictat, quòd quemadmodum peccatum mortale auertit à Deo ſimpliciter, & inducit deordinationem irreparabilem naturaliter; ità etiam cuilibet culpę mortali reſpondet pœna æterna.

3. Ad 3. reſpondeo, Eccleſiam inter orandum pro defunctis fundere preces iſtas. *Domine Ieſu Chriſte*, &c. in gratiam animarum exiſtentium in purgatorio, & quidem ad eum modum, ac ſi animę eſſent in hac vita conſtitutæ, vt pluribus obſeruat Bellarm. lib. 2. de Purgatorio, cap. 4. neque hoc mirum: nam in vigilijs feſtiuitatum Chriſti, aut etiam in ipſiſmet feſtiuitatibus, comme-

Digitized by Google

morantur myſteria Chriſti ab Eccleſia veluti futura; ità enim dicitur in officio vigiliæ Natiuitatis Chriſti: *Craſtina die delebitur iniquitas terræ, & apparebit ſuper vos Saluator mundi.* & rurſus: *Hodie ſcietis quia cras videbitis gloriam Dei.* Quid igitur mirum ſi Eccleſia oret pro animabus exiſtentibus in Purgatorio, *Domine libera eas à pœnis inferni?* &c. cùm pro toto illo tempore in quo animæ fuerunt vnitæ proprijs corporibus potuerint deſcendere in infernum, & liberari etiam à pœnis.

Vlt. Ad vltimam: Perpetuitatem pœnæ debitæ culpis mortalibus non eſſe deſumendam ex mora in qua peccata iſta à nobis committuntur, neque reſpectu Dei, neque hominum; apud homines ſiquidem propter peccata commiſſa intrà breuiſſimum tempus mulctatur aliquis exilio perpetuo, priuatur item vita; quare in æternum vel ad diem vſque reſurrectionis expungitur à numero viuentium; apud Deum verò certum eſt ex dictis, cuilibet culpę mortali reſpondere pœnam ignis æternam apud inferos: diuturnitas ergo pœnę in peccatis mortalibus ſumenda eſt ex natura ipſiuſmet culpę mortalis, & ex circumſtantijs illis omnibus, quæ concurrunt ad huiuſmodi culpam mortalem.

Articvlo 4. docet pœnam damni, quę reſpondet auerſioni à Deo eſſe infinitam; pœnam verò ſenſus, quæ reſpondet conuerſioni ad creaturas eſſe finitam. De qua re vix poteſt eſſe aliqua difficultas; etenim hæc facile intelligitur ex dictis articulo proximè antecedenti. Aduerte tamen D. Thom. non agere hoc in loco de infinitate pœnę debitę peccatis ſecundum durationem; in damnatis enim nedum pœna damni, ſed etiam ſenſus erit infinita ſecundum durationem. Deinde, aduerte pœnam damni non eſſe infinitam intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè, quatenus ſcilicet propter culpam mortalem priuamur Deo, prout in ſe eſt, qua ratione cenſetur eſſe obiectum felicitatis noſtræ, quare peccatum dicitur infinitum, quod ſit contra Deum qui infinitus eſt: quod autem pœna damni non ſit intrinſecè infinita, probatur ex eo quod entitas priuationis cuiuſlibet deſumenda ſit ex forma ſibi oppoſita, vt conſtat exemplo cæcitatis & mortis; forma autem qua priuamur per peccatum mortale, non eſt intrinſecè infinita, eſt enim hæc viſio eſſentię diuinę quæ daretur, niſi peccatum mortale fuiſſet commiſſum, viſio autem hæc in omni planè re creata eſt finita intrinſecè. Deinde, pœna conſequitur naturam & eſſentiam cuiuſlibet culpę: certum autem eſt omnem culpam ſpectatam intrinſecè, eſſe finitam. Denique, concedendum eſſet aliter pœnam damni in omnibus planè eſſe æqualem, quod tamen nullus hactenus dixit; ſicut enim peccata ſunt inæqualia, ità etiam & pœnę quæ reſpondent peccatis; quare non ſunt infinitę intrinſecè, ſaltem in eorum opinione qui putant maius, & minus eſſe proprietates ſolius quantitatis finitę.

ARTICVLVS QVINTVS.

An peccatum veniale inducat reatum pœnæ æternæ.

QVÆRVNT hoc loco interpretes D. Thom. *An peccatum veniale connexum mortali plectatur apud inferos pœna æterna:* ſed hoc nos reſoluemus in 3. part. ad quæſt. 87. art. 4.

Articvlo 6. tradit ſublata macula peccati, poſſe reatum pœnæ manere, non quidem ſimpliciter: ſed tantùm ratione pœnæ ſatisfactoriæ.

Articvlo 7. ait omnem pœnam eſſe propter culpam.

Articvlo vltimo, dicit fieri poſſe vt aliquis puniatur propter culpam alienam pœna temporali, minimè verò pœna æterna: Ceterùm res iſtæ fuerunt explicatæ à nobis in antecedentibus.

QVÆSTIO LXXXVIII.

De peccato veniali, & mortali.

ARTICVLVS PRIMVS.

An peccatum veniale conuenienter diuidatur contra mortale.

DVBITATIO PRIMA.

Quid intelligatur nomine peccati mortalis, & venialis.

CONCLVSIO. *Nomine peccati mortalis ſignificatur ea culpa, quæ trahit ſecum mortem animæ ſpiritualem, ſeu, quod idem eſt, quæ eſt ipſamet mors ſpiritualis animæ.* Primùm, quia res hæc colligitur à Theologis ex innumeris ſacræ Scripturæ locis, maximè verò ex cap. 16. Sap. *Homo autem occidit quidem per malitiam.* & ex cap. 18. Ezech. *Anima, quæ peccauerit, ipſa moritur.* & ex cap. 6. Rom. *Stipendia peccati mors,* qui locus, licèt de morte corporea ad litteram intelligatur, rectè tamen traducitur ad mortem ſpiritualem comprobandam, quæ poſita eſt in tranſgreſſione legis diuinę, quatenus eſt in re aliqua graui, & ex plena aduertentia rationis.

Peccatum mortale quod animæ mortem affert.

Sap. 16. verſ. 14. Ezech. 18. verſ. 20. Rom. 6. verſ. 23.

Deinde, mors corporea conſurgit ex ſeparatione animę & corporis: ergo mors quoque animę poſita erit in ſeparatione vitæ ſpiritualis à creatura rationali: at per quodlibet peccatum mortale ſeparatur vita ſpiritualis à creatura rationali; vita enim hæc ſita eſt in poſſeſſione gratię & charitatis, quæ tamen deſtruitur per quamlibet culpam lethalem.

Denique,

Digitized by Google

Denique, pœna æterna debetur tantùm mortuis respectu vitæ spiritualis, vt constat ex locis Patrum, quos citauimus artic. 3. quæst. proximè antecedentis D. Thom. at cuilibet peccato mortali debetur pœna æterna.

Veniale, quia venia dignum.

Nomine verò peccati venialis, significatur ea culpa, quæ est quasi venia digna, & ideò quæ facili negotio condonatur; idque quòd fiat in materia aliqua leui prohibita; aut etiam ex non aduertentia plena rationis.

DVBITATIO SECVNDA.

An omnis culpa sit lethalis; an verò concedenda sint aliqua venialia.

Hæreticorũ dogma & fundamentum. 1.

QVæstio hæc magna contentione agitatur inter hæreticos, & Catholicos; illi enim pertinaciter asserunt nullam dari culpam venialem, sed omnes esse mortales. Probant, quia culpę omnes censentur esse mortales, quæ fiunt contra præcipuum & maius mandatum diuinum; est enim peccatum mortale transgressio legis diuinæ: at nulla datur culpa quantumuis minima quæ non sit violatio præcipui & maximi mandati diuini, quod habetur Matth. 22. vers. 37. & 38. *Diliges Dominum Deum tuum*; & paucis interiectis. *Hoc est maximum & primum mandatum*; qui autem peccat, in quolibet peccato transgreditur huiusmodi præceptum; si enim diligeret Deum ex toto corde, neutiquam operaretur contra aliquod præceptum sibi impositum à Deo.

Matth. 22. vers. 37. & 38.

2.

Deinde, Scriptura docet verbis expressis, eum qui peccat occidere animam suam, locis dubio proximè antecedenti citatis; imò addunt eum esse maledictum qui contrahit aliquam culpam, vt constat ex cap. 27. Deuteron. *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit*: at illi soli qui peccant mortaliter moriuntur morte spirituali: & censentur esse maledicti, ex cap. 25. Matth. *Discedite à me maledicti.*

Deut. 27. vers. 26.

Matth. 25. vers. 41.

3.

Tertiò, Matth. 5. dicitur; *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*; id est, nullus, vt explicant plerique Patres: at nulla datur culpa, quæ non sit contra præceptum aliquod; est enim peccatum dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam: ergo cùm priuatio vitæ æternę detur propter solum peccatum mortale, omnis culpa erit mortalis.

Idem 5. vers. 19.

Denique, violatio præceptorum censetur esse culpa mortalis: ergo omne peccatum est mortale, nullúmque dabitur veniale.

Nonnulli etiam inter hæreticos congerunt innumera Patrum testimonia, ex quibus opinionem suam confirmare nituntur; dicitur namque in illis nulla peccata esse contemnenda, quasi parua, & religionem Catholicam non agnoscere diuersitatem culparum leuiorum, aut grauiorum. Ità docet Basil. in regulis, quæst. 4. & quæst. 293.

Idẽ docuerunt quidã Catholici.

Peccarunt in hac eadem re Theologi Scholastici nonnulli, Almaïnus siquidem tract. 3. moral. cap. 20. Ioann. Rossensis art. 32. contra Lutherum, & alij nonnulli, existimarunt omnes culpas esse mortales ex se, & sua natura, diuina tamen bonitate alias existimari mortales, alias verò veniales; huius generis sunt omnes illæ à quibus Deus exigit pœnas temporales; illius vero hæc omnes quas Deus punit pœna æterna. Probant, quia quælibet offensa Dei, vt sic, est culpa lethalis: quodlibet autem peccatum etsi minimum, est offensa Dei.

Deinde, si res aliter haberet non posset Deus peccatis venialibus infligere pœnas æternas, deberentur quippæ istæ solis peccatis mortalibus; indubitatum autem est Deum punire pœnis æternis animas damnatorum, nedum propter culpas mortales; sed etiam propter venialis, quæ in ijsdem reperiuntur: ergo omnes sunt mortales.

Dantur peccata venialia.

CONCLVSIO 1. *De fide est extare culpas veniales, & citra manifestam hæresim defendi non potest omnem culpam esse lethalem.* Ità dicitur in Concil. Mileuitan. cap. 6. 7. & 8. & in Trident. sess. 6. cap. 11. 13. & 15. & in sess. 14. cap. 5. & 7. in istis enim locis distinguitur peccatum mortale à veniali, & in cap. *Aquam*, de consecratione distinct. 3. ait Alexander Pontifex Maximus, peccata venialia deleri aqua lustrali, & in Concilio Toletano IV. can. 9. dicitur culpas veniales destrui in nobis per meritum orationis Dominicę.

Concil. Mileuitan. Trident.

Deinde, hoc idem colligitur ex sacris litteris, Prouerb. namque 24. dicitur, *Septies cadet iustus & resurget.* & Ecclesiast. 7. *Non est homo iustus in terra qui faciat bonum & non peccet.* & 1. Ioann. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* & cap. 5. Ephes. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* & cap. 12. Matth. *Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro*: ex hoc siquidem loco Gregor. lib. 4. dialogor. cap. 23. colligit peccata aliqua remitti in altera vita: hæc autem non possunt esse nisi sola venialia, ex communi doctrina Theologorum. Testimonia verò alia commemorata, de culpis venialibus explicantur communiter à Patribus: ità enim docet D. Bernardus serm. 66. in Cantica, & Gregor. loco citato, & D. Augustin. ad cap. 13. Ioan. ad hæc verba, *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet*: cuius verba retulimus supra Dubitat. 2. ad quæst. 86 & serm. 25. de verbis Apostoli, & in Enchirid. cap. 45. & lib. 21. de Ciuitate, cap. 26. & Ambros. serm. 10. in Psal. 118. Hieronym. lib. 2. contra Iouinian. & 2. contra Pelagian. quo loco verba ista cap. 5. 1. Canonicę Ioann. *Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem*, explicat de peccatis venialibus: & Cyprianus serm. de eleemosyna, & Basilius in Psal. 114.

Prouer. 24. vers. 16. Eccles. 7. vers. 21. 1. Ioan. 1. vers. 8. Ephes. 5. vers. 27. Matth. 12. vers. 32. Gregor. Bernard. Gregor. August. Ioann. 13. vers. 10. Ambros. Hierony. 1. Ioan. 5. vers. 16. Cyprian.

Ratio Conclusionis.

Accedit ratio. Inter homines amicitia non soluitur per quamcumque culpam: ergo neque inter Deum & creaturam, est enim magis constans amor, quo Deus prosequitur creaturam, quàm sit is quo homo hominem diligit: ergo concedendæ erunt culpę aliç veniales, aliç verò lethales. Deinde, qui offendit Deum, vel proximum non offendit semper in re graui, sed in re quàm maximè leui, vt constat ex mendacio iocoso, aut officioso, ex eo qui furatur denarium, & similibus: at ex eo, quòd quis offendat Deum in re graui, aut etiam proximum, dicemus infra peccare mortaliter, ex eo verò, quòd offendat in re leui peccare venialiter: ergo concedendę sunt culpę lethales, & veniales.

Digitized by Google

Peccatũ venniale diſtinguitur à mortali ex ſe.

CONCLVSIO 2. *Peccatum veniale diſtinguitur a mortali ex ſe, & ſua natura.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. damnarunt enim iſti Michaëlem Baïum hoc nomine, quod diceret nullam extare culpam præter mortalem, & cuilibet culpæ debitas eſſe pœnas æternas.

Deinde, ſancti Patres verbis expreſſis docent admittendas eſſe culpas aliquas leues; leuiſſimas, quotidianas, & breues; alias verò graues, & grauiſſimas; maximè verò D. Auguſt. lib. de natura & gratia, cap. 8. & 12. de ſpiritu & littera cap. 36. & in Enchirid cap. 71. & 21. de Ciuitate, cap. vlt. quo loco dicit peccata venialia. Tertullian lib. 4. de anima, cap. 17. vocat enim culpam venialem modicam, & Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 11.

D. Auguſt.

Tertull.

Tertiò, ratio omnis culpæ repetitur à ſuo obiecto, vel certè ex fine in quem ordinatur ab operante, omnium Doctorum conſenſu: at obiectum circa quod verſatur culpa aliqua eſt graue, aut leue: finis item qui intenditur ab operãte, aut res eſt ſimiliter grauis aut leuis; non autem ſemper eſt grauis, aut ſemper leuis: ergo cùm peccatum veniale reſpiciat obiectum leue; & mortale graue, peccata iſta diſtinguentur inter ſe ex natura rei.

Corollariũ

Ex iſtis colligo hæreticorum noſtri temporis opinionem, & item quorumdam Theologorum, nulla ratione defendi poſſe, dum credunt diſtinctionem peccati venialis & mortalis eſſe refundendam in ſolam Dei voluntatem, qua Deus vult exigere pœnas æternas propter quædam peccata, propter alia autem temporales; hæc credunt eſſe venialia, illa verò mortalia. Primùm, quia ſi daretur hęc hypotheſis impoſſibilis, quòd Deus non eſſet, peccata tamen venialia, & mortalia admitterentur ab hominibus; poſſent enim iſti operari contra legem ſuperioris, non minùs quàm de facto iam operentur, & idcircò peccarent venialiter & mortaliter: ergo. Deinde, licèt Deus nollet exigere pœnas, non tamen ſequeretur peccata non eſſe peccata venialia, & mortalia. Tertiò, concedendum eſſet neminem certò ſcire quænam eſſent peccata mortalia, & quænam venialia: Deus enim hactenus non reuelauit his peccatis ſpectatis in particulari debitas eſſe pœnas æternas, illis verò temporales tantùm; imò ex cap. 5. Matth. colligere licet quibuſdam peccatis conſtitutas eſſe certas pœnas omnino diuerſas, à gehenna ſempiterna; illic ſiquidem dicitur; *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo Raca, reus erit conſilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis:* æternitatis autem pœnę nulla fit mentio. Denique, ſequeretur Deum vleiſci vnam, & eamdem ſpecie culpam in vno, pœnis æternis; in alio verò, pœnis temporalibus, vt conſtat ex verbo iocoſo, quod in opinione quorumdam Theologorum eſt peccatum veniale; hoc autem in reprobo puniretur pœna æterna, in prædeſtinato verò tantùm pœna temporali, quæ tamen omnia ſunt abſurda; diximus enim ordinem ſeu dignitatem ad pœnam eſſe proprietatem conſequentem naturam & eſſentiam culpę, & ideò non ex voluntate diuina, ſed ex natura ipſiuſmet culpę deſumenda eſt condignitas pœnę, quam Deus exigit ob culpas noſtras.

Matth. 5. verſ. 22.

Obiectio.

Obijcies, quædam eſſe peccata, hoc ſolo nomine, quòd ſint à Deo, vel à ſuperiore aliquo prohibita: ergo.

Solutio 1.

Reſpondeo, ex iſtis nihil poſſe colligi contra ea quæ hactenus docuimus; diximus enim ex voluntate Dei non poſſe peti diuerſitatem peccati venialis, & mortalis, abſolutè & ſimpliciter loquendo, ſed ex natura ipſorummet peccatorum venialis, & mortalis.

2.

Reſpondeo 2. ex iſtis tantùm colligi voluntatem Dei & ſuperioris prærequiri antecedenter, ad hoc vt aliqua peccata cenſeantur eſſe peccata, nempe vt ea ſint peccata, quæ ideò peccata ſunt, quia prohibentur lege ſuperioris; peccata tamen iſta non ideò ſunt mortalia, vel venialia reduplicatiuè, quia ſunt prohibita, ſed tantùm, quia peccata iſta fiunt à nobis contra ea, quæ prohibita ſunt in materia leui, vel graui; illa ſunt peccata venialia, hæc vero mortalia.

Diſſolutur fundamenta hæreticorum.

Ad rationes verò hæreticorum reſpondeo. Ad primam, conceſſa maiori, negando minorem: Ad probationem autem, eum qui peccat non ſemper facere contra præceptum hoc; *Diliges Dominum Deum tuum:* cùm enim ſit affirmatiuum, obligat interdum, & aliquando; non autem in quolibet inſtanti temporis, ac proinde nequit hoc violari à quolibet homine dum peccat. Deinde, communis opinio defendit præceptum de diligendo Deo ex toto corde obligare in primo inſtanti, quo quis peruenit ad ætatem rationis, & quidem iuxta eam cognitionem, quam habet de Deo, pro eo inſtanti & in articulo mortis euidenti, vel probabili: & denique quando quis tenetur ad adminiſtrationem alicuius ſacramenti, & eſt ſibi conſcius peccati mortalis, neque tamen habet ſacerdotem cui peccatum hoc mortale confiteri queat. Si ergo hoc præceptum obligat tantùm in iſtis caſibus, dici nequit eum qui peccat, quotieſcumque peccat, violare præceptum proximè commemoratum. Accedit, quòd ſi res aliter haberet nullus planè daretur, qui inter peccandum duo peccata numero diſtincta non admitteret: alterum contra præceptum v. g. de non furando, (ſuppono enim quod furaretur) alterum contra præceptum de Deo diligendo ſuper omnia: hoc autem cenſetur eſſe abſurdum, & negatur communiter ab omnibus: ergo & illud ex quo ſequitur.

1.

Ad 2. Scripturam indicere mortem ei qui peccat, non quidem peccato veniali, ſed mortali; ità vt ex illis locis ſolùm colligi poſſit mortem æternam, ſeu animæ, debitam eſſe ei qui peccat mortaliter, minimè verò ei qui venialiter: peccatum enim veniale non deſtruit in nobis gratiam & charitatem, ſed ſolum mortale; in priuatione enim charitatis & gratiæ conſiſtit mors ſpiritualis animæ.

2.

Ad 3. Chriſtum nedum dixiſſe; *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis*, ſed addidiſſe, *& ſic docuerit homines*, nempe mandata eſſe ſoluenda, *minimus erit in regno cœlorum*, id eſt nullus; quare peccatum hoc non eſt minimum, ſed maximum: eſt namque ſolutio præcepti diuini, & præterea contemptus legis diuinæ, quæ duo non poſſunt eſſe peccata minima, vt eſt per ſe notum, & ratio docet; quia verſantur circa præcepta diuina, & quidem in re graui.

3.

Ad vltimam, peccatum eſſe quidem violationem præcepti; non omnis tamen violatio eſt lethalis

Vlt.

thalis, ſed ea tantùm quæ inducit reatum pœnæ æternę, quod non præſtat culpa venialis, cum obliget tantùm ad pœnam temporalem.

Explicatur Baſilius. Ad teſtimonia verò Patrum, maximè D. Baſilij: Sunt qui affirment librum hunc non eſſe editum ab illo, ſed ab Euſtachio quodam Epiſcopo, quem hæreticum eſſe aſſerunt Nicephor. lib. 9. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 16. & Sozomen. lib. 3. cap. 13. & licèt fateremur librum hunc eſſe partum legitimum Baſilij, ſupereſſet quod reſponderemus, dicunt enim aliqui, hæc ideò dicta eſſe à Baſilio, quod alloqueretur illic viros religioſos, ſeu monachos, quorum vita ità debet eſſe pia, & ſancta, vt carere debeat omni planè culpa, nedum lethali, ſed etiam veniali.

Solutio aliorum argumentorũ. Ad rationes verò Catholicorum, omnem culpam eſſe Dei offenſam; quælibet tamen offenſa Dei nequit eſſe lethalis, ſed vel lethalis, vel venialis, vt conſtat.

Ad vltimam, Deum non exigere pœnas æternas ob peccata venialia, quæ coniunguntur in damnatis cum lethalibus, hoc nomine quod debeantur iſtis peccatis pœnę æternę ex ſe, & ſua natura; ſed tantùm quia ſtatus damnationis nullam planè admittit liberationem à peccatis, vel à pœnis; quare per accidens eſt quod pœnę æternę debeantur iſtis peccatis venialibus.

DVBITATIO TERTIA.

Vtrùm dentur diuerſitas peccati mortalis, & venialis.

Scoti ſententia. SCOTVS in 1. diſt. 21. quæſt. 1. Gabriel in 4. diſt. 16. quæſt. 5. & in 2. diſt. 22. quæſt. 1. art. 3. & alij nonnulli arbitrantur peccatum veniale diſtingui à mortali, quod veniale ſit contra conſilium, mortale verò contra præceptum.

Reijcitur. Verùm hæc opinio defendi nullo modo poteſt; nam peccatum veniale tam verè eſt peccatum, quàm mortale, & ideò tam vere debet eſſe prohibitum quàm lethale: etenim peccatum definitur, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Deinde, qui operatur contra conſilia antequàm liberè ſe obſtrinxerit ad eorum obſeruationem, nullam planè contrahit culpam, vt conſtat ex Paulo, cap 7. 1. Corinth. *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* & paucis interiectis. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam bene facit.* & rurſus. *Si vxorem acceperis, non peccaſti.* Tertio, præceptum eſt de rebus bonis cum obligatione ad eaſdem executioni demandandas; conſilium autem de rebus bonis, non tamen cum obligatione aliqua ad eas exercendas: at peccatum non poteſt eſſe peccatum, niſi fuerit violatio alicuius præcepti: ergo peccatum mortale non ſecernitur à veniali per hoc, quod illud ſit contra præceptum, aliud vero contra conſilium.

1. Cor. 7. verſ. 25. verſ. 38.

Dices, eum qui non vult ſeruare conſilia, hoc ipſo poſſe peccare.

Reſpondeo ſimpliciter, & abſolutè loquendo propoſitionem iſtam eſſe falſam; qui enim dicit ſe nolle ſeruare conſilia, antequàm liberè ſe obſtrinxerit ad eorum obſeruationem, exercet actum indifferentem, ſaltem ex obiecto; nam materia iſtius actus, nec eſt prohibita, nec imperata; in indiuiduo vero actus hic poteſt eſſe malus, illa eadem ratione, qua volunt aliqui verbum otioſum eſſe peccatum: ceterùm in hac hypotheſi actus hic erit contra præceptum de ordinandis actionibus noſtris in honeſtum aliquem finem, hîc & nunc, cum his & illis circumſtantijs, & ideo ſemper peccatum, ſiue veniale, ſiue mortale erit contra præceptum aliquod.

Aliorũ opinio improbatur. Alij vero putant peccatum veniale diſtingui à mortali, quod hoc ſit contra finem, illud vero contra media. Verùm neque iſtorum opinio videtur ſatis explicita; certum namque Deum eſſe finem vltimum rerum omnium, & tamen non omnis culpa contra Deum commiſſa, lethalis eſt; qui enim non eſt perfectiſſimè compos rationis, aut non ſemper vtitur ratione, ſed interdum & aliquando, contra Deum peccare poteſt; & tamen peccatum hoc ex defectu vſus rationis, non poterit eſſe mortale. Confirmatur. Sunt qui dicant eum, qui peruenit ad ætatem rationis, in primo inſtanti in quo attingit ætatem, ità obligari ad diligendum Deum ſuper omnia, & tamen concedunt peccatum commiſſum contra huiuſmodi præceptum, futurum veniale, ſi cognitio quæ datur in eo de Deo, non ſit ſufficiens ad conſtituendum peccatum mortale, ſed tantùm veniale. Deinde, ſacramenta ſunt media quædam ordinata ad finem vltimum noſtrum conſequendum, & tamen peccata quæ committuntur circa ſacramenta, non ſunt omnia venialia, vt colligitur ex 11. 1. Corinth. ità enim loquitur de eo qui indignè Euchariſtiam ſumit: *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*: loquutio autem hæc manifeſtè arguit culpam lethalem.

1. Cor. 11. verſ. 27.

3. Sententia non placet. Alij tertio putant, peccatum veniale diſtingui à mortali, ex eo quod veniale nullo modo ſit contra præceptum, bene tamen mortale.

Ceterum opinio iſta nullo pacto defendi poteſt; peccatum ſiquidem formaliter ſumptum cenſetur eſſe priuatio rectitudinis debitæ, aut, Dictum, factum, vel concupitum contra legem, ſiue vt alij loquuntur, id quod eſt contrarium ſeu diſconueniens præcepto: at peccatum veniale formaliter, eſt priuatio rectitudinis debitæ, & item, Dictum, factum, vel concupitum contra legem, ſaltem ſi ſermo ſit de peccato veniali commiſſionis, & denique culpa venialis eſt contraria, ſeu diſconueniès præcepto, neque enim aliter poſſet culpa iſta eſſe culpa, cùm moralitas vitioſa, vt ſic, poſita ſit in deuiatione à lege & præcepto ſuperioris. Confirmatur. Peccatum ex D. Ambroſio lib. de Paradiſo, cap. 8. nihil aliud eſt quàm præuaricatio legis diuinæ, & cæleſtium mandatorum inobedientia: ergo cùm peccatum veniale, vt ſic, ſit verè peccatum, erit præuaricatio alicuius legis diuinæ, vel certè cæleſtis mandati.

Deinde, præceptum diuinum prohibet quodlibet mendacium; dicitur enim Leuit. 19. *Non mentiemini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum.* & Eccleſ. 7. *Noli velle mentiri omne mendacium, aſſiduitas enim illius non eſt bona.* Imo Scriptura vetat, ne verbum otioſum proferamus, dicitur enim Matth. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*: at mendacium iocoſum tantùm, vel officioſum tantùm, itémque verbum otioſum, ſunt peccata venialia: ergo ſaltem iſta erunt contra aliquod præceptum.

Leuit. 19. verſ. 11. Eccleſ. 7. verſ. 14. Matth. 12. verſ. 36.

Tertiò, vel peccatum veniale eſt prohibitum præcepto aliquo, vel non, ſi ſecundum illud nulla

ratione erit peccatum in genere moris; nam malitia quælibet moralis posita est in trangressione præcepti, seu legis superioris: si primum habetur intentum, quare peccatum veniale non distinguitur à mortali ex eo quòd mortale sit contra præceptum, veniale verò minimè.

Obiectio. Dices, D. Thom. in responsione ad 1. huius art. affirmate peccatum veniale non esse contra præceptum, sed præter legem.

Solutio. Respond. D. Thom. hac ratione loquendi velle tantùm peccatum veniale, non esse contra legem simpliciter, non autem aliqua ratione, illud namque dicitur esse contra legem simpliciter, quod auertit creaturam à Deo, tamquam ab vltimo fine, & conuertit ad creaturam tamquam in vltimum finem; hoc autem solum peccatum mortale facit: veniale verò, licèt sit contra legem, non tamen simpliciter, sed aliqua ratione; auertit enim à Deo non tamquam ab vltimo fine, sed tamquam à mediis ordinatis ad huiusmodi finem, cùm remittit feruorem charitatis, & idcirco conuertit aliqua ratione ad creaturam, non tamen vt hæc est vltimus finis.

Notabile. Aduerte, propterea peccatum veniale non auertere simpliciter à Deo, licèt sit aliqua ratione contra Deum, quia illud intelligitur nomine legis simpliciter in sacris litteris, quod est necessario præstandum, aut vitandum ad vitam æternam obtinendam, vt colligitur ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* & Ioann. 14. *Si diligitis me, mandata mea seruate.* & 1. Ioann. cap. 2. *Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* & Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* & rursus *Plenitudo legis est dilectio.* & denique Iacob 2. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus:* quod tamen non potest dici de eo qui peccat venialiter contra aliquod præceptum. Confirmatur. Nomine præcepti, vel legis simpliciter, intelligitur illud, quod obligat ad reatum peccati mortalis: ergo peccatum veniale non potest esse contra legem simpliciter. Ità docent Caietanus hoc loco, Durandus in 2. dist. 42. & Curiel, Dubio 3. ad hunc articulum.

Matth. 19. vers. 17. Ioann. 14. vers. 15. 1. Ioan. 2. vers. 4. Rom. 13. ỳ. 8. & 10. Iacob. 2. vers. 10.

Vera sententia. Distinctionem peccati venialis à mortali ex grauitate & leuitate offensæ esse desumendã. Alij verò docent, *Distinctionem peccati venialis, & mortalis esse petendam ex grauitate, & leuitate offensæ, quæ in istis peccatis reperitur; ità vt putent eam omnem culpam esse lethalem, quæ offendit Deum in re grani, vel proximum, vel seipsum; illam verò culpam esse venialem, quæ in re leui:* ità plerique recentiores, maximè verò Curiel citatus. Quæ opinio videtur ceteris anteponenda; nam peccatum quod offendit Deum, vel proximum, vel seipsum in re graui auertit hominem istum à Deo tamquam ab vltimo fine, & conuertit ad creaturam tamquam ad vltimum finem, vt dicitur in Trident. sess. 6. cap. 5. de iustificatione: at quod auertit à Deo tamquam ab vltimo fine, & conuertit ad creaturam tamquam in vltimum finem, est verè peccatum mortale. Quod verò auertit à Deo aliqua tantùm ratione, & imperfectissimo modo, censetur esse peccatum veniale, idque quòd auersio ista sequatur læsionem imperfectam, aut potius coniuncta sit cum læsione imperfecta: ergo per hoc distinguentur illa peccata. Confirmatur. Propter hanc causam Scripturæ docent de peccatoribus, qui peccant mortaliter, quòd magis diligant creaturam quàm creatorem, Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* & Ioann. 12. *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Idem tradunt sancti Patres, D. Augustin. lib. 3. de libero arbitrio, cap. 24. & 10. de Trinitat. cap. 10. & 14. de Ciuitate Dei, cap. 24. & 28. & lib. 21. cap. 26. & lib. octuaginta trium quæstionum, qu. 30. & Chrysostom. homil. 13. in epist. ad Philippenses: at propterea diliguntur magis creaturæ ab eo, qui peccat mortaliter quàm diligatur Deus, quia pluris facit is qui peccat mortaliter creaturam; quàm creatorem, cùm lædat Deum grauissimè; præfert enim rem finitam infinito bono, & si Deus posset destrui, destrueretur hac ratione ab eo, qui peccat mortaliter: quod enim quisque magis diligit, id sibi Deum constituit, & facit.

Matth. 10. vers. 37. Ioan. 12. vers. 43. D. Augustin. Chrysost.

1.

Deinde, hæc eadem videtur esse sententia eorum, qui dicunt peccatum mortale, distingui à veniali, quod mortale destruat ordinem circa finem, veniale verò minimè, sed tantùm aliqua ratione, retento enim fine debito peccatum veniale, destruit tantùm ordinem circa media: Ità D. Thomas, & plerique alij interpretes eiusdem hoc loco: at ordo circa finem non potest destrui, nisi ex eo quòd offendatur Deus grauiter; solum namque peccatum mortale soluit amicitiam, quæ est inter Deum & creaturam: ergo ex grauitate offensæ inuestigatur ratio peccati mortalis, ex leuitate verò ratio peccati venialis.

2.

3.

Tertiò, sunt qui affirment peccatum mortale distingui à veniali in eo, quod mortale sit simpliciter contra præceptum, veniale verò secundum quid tantùm: Ità Caietan. opusculo 1. & tractat. 21. Sotus, lectione 7. de peccatorum discrimine, & alij: ergo ex grauitate offensæ & leuitate, sumenda est distinctio peccati mortalis & venialis: nam diximus nomine præcepti simpliciter significari illud quod obligat ad reatum peccati mortalis; nomine verò præcepti secundum quid, id quod obligat tantùm ad veniale: ergo cùm impossibile sit deficere à præcepto aliquo simpliciter, quin sequatur destructio gratiæ gratum facientis in nobis, & solutio amicitiæ diuinæ, ratio peccati mortalis, vt sic, consurget ex grauitate offensæ commissæ contra Deum; ratio vero culpæ venialis ex leuitate eiusdem. Denique, æterna pœna debetur culpæ tantummodo quæ lædit Deum in re graui, ex communi doctrina Scholasticorum: at soli culpæ mortali debetur pœna æterna; temporalis vero soli culpæ veniali: ergo.

DVBITATIO VLTIMA.

An ratio peccati dicatur synonymè, an verò analogicè de mortali & veniali.

CONCLVSIO. *Natura peccati sumpta in communi, quatenus peccatum est, dicitur de peccato mortali & veniali synonymè: modò tamen natura istius peccati sumatur metaphysicè, si enim hæc considereturmoraliter, & secundum veram viri prudentis existimationem, natura hæc dicitur analogicè de peccato veniali & mortali.* Prima pars Conclusionis probatur. Peccatum, vt sic, præcisum à mortali & veniali, censetur esse id quod est

Peccatum dicitur de mortali veniali & analogicè de veniali.

Digitized by Google

eſt diſconueniens præcepto vel regulæ rectæ rationis, ex communi doctrina: at definitio hæc competit ex æquo mortalibus, & venialibus; etenim tam verè peccata venialia ſunt peccata, quàm mortalia, vt colligitur ex cap. 1. Can. Ioan. 1. Ioan. 1. verſ. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt.* & Prouerb. 10. Prouc. 10. verſ. 19. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* & Ioann. 20. Ioann. 20. verſ. 23. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* particula enim, *peccatum*, in iſtis locis nedum intelligitur de peccato mortali, ſed etiam de veniali: idem docent ſancti Patres citati Dubitat. 1. & 2. & manifeſtè colligitur, ex eo, quòd implicet aliquid eſſe peccatum, niſi fuerit contra legem, aut contra regulam; peccatum autem veniale eſt contra regulam, non quidem ſimpliciter ſed aliqua ratione, & quidem ſinè dependentia vlla à peccato mortali: ergo hac ratione dicentur vniuocè peccata.

Effugium. Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, conceſſo antecedente, negando conſequutionem ens namque dicitur formaliter, & intrinſecè de Deo, & de rebus creatis, & tamen ratio entis non competit iſtis ſynonymè, ſed analogicè.

Præcluditur. Verùm hæc reſponſio non eſt defendenda; propterea enim ens enuntiatur analogicè, de Deo & rebus creatis, quòd ratio entis competat rebus iſtis, cum intrinſeca dependentia ab ente increato; ratio autem peccati ſumpti in communi, non conuenit peccato veniali, cum aliqua dependentia à peccato mortali, ſed ex ſe & ſua natura: ità vt ſi nullum daretur, nec ex hypotheſi dari poſſet peccatum mortale, ratio tamen peccati ineſſet culpæ veniali, non minùs quàm competat ratio hominis Petro, etiam ex hypotheſi quòd nulla daretur alia ſpecies animalis.

Probatio 2. Cõcluſionis. Secundò probatur pars iſta Concluſionis: Actus honeſtus dicitur ſynonymè de omni planè actu laudabili: ergo & actus vitioſus de quolibet actu inhoneſto.

Solutio quorundã eneruatur. Reſpondent aliqui negando antecedens, ſed parum prudenter; nam ſi ità res haberet ſequeretur actionem honeſtam, plenè deliberatam diſtingui ſpecie ab actione honeſta facta à nobis cum imperfecta deliberatione; quod tamen nulla ratione defendi poteſt; cùm concors ſit omnium ſententia, vnitatem ſpecificam actionis ſumendam eſſe ab obiecto, ſeu, quod idem eſt, à motiuo eiuſdem; actio autem plenè deliberata honeſta, ſi fuerit v. g. actio eleemoſynæ; & actio ſimiliter non plenè deliberata de danda eleemoſyna, habet vnum & idem obiectum, & motiuum; ſuppono enim quòd quælibet ex iſtis duabus eleemoſynis, data ſit ad ſubleuandam miſeriam pauperis, & idcircò ex præſcripto virtutis miſericordiæ: ergo pertinebunt iſtę duæ actiones ad vnam & eamdem ſpeciem. Confirmatur. Magis, & minùs non inducunt diuerſitatem ſpecificam: ergo.

Tertiò, furtum notabile, non diſtinguitur ſpecie à furto leui; hæc enim duo pertinent ad vnam & eamdem ſpeciem iuſtitię: ergo peccatum hoc dicitur ſynonymè de duobus iſtis furtis.

Denique, ratio peccati mortalis, vt ſic, abſtrahitur ab omnibus omnino culpis lethalibus: ratio item peccati venialis ab omnibus culpis venialibus: ergo & ratio peccati abſtrahitur ſimiliter ex æquo ab omnibus omnino peccatis conſideratis in ratione peccati: ergo peccatum dicetur ſynonymiè; nam ratio ſynonymi in eo poſita eſt, quòd detur aliquod nomen commune multis, & quòd ratio ſignificata per huiuſmodi nomen ex æquo reperiatur in iſtis multis.

Secunda verò pars Concluſionis probatur. *2. Partis probatio.* Peccatum tunc temporis conſideratur moraliter, ſiue, vt alij loquuntur, Theologicè, quatenus attenditur ſecundum nocumentum, ſeu, læſionem maiorem & minorem, quam infert; ſed peccatum mortale longò maius inducit detrimentum, quàm peccatum veniale; quodlibet enim mortale deſtruit in nobis gratiam & charitatem; ſecus tamen veniale ſed tantùm remittit feruorem charitatis; culpa item lethalis ſoluit ſimpliciter amicitiam, quæ datur inter Deum & creaturam, non tamen veniale.

Deinde, ex aliorum interpretatione peccatum tunc temporis concipitur moraliter, quando attenditur ſecundum inæqualitatem, quæ datur inter peccatum mortale & veniale; & ideò tunc temporis enuntiatur analogicè de iſtis; nam peccatum mortale, vt ſic, eſt graue; veniale verò leue: illud ex malitia, hoc verò ex infirmitate perpetramus: illud inducit reatum pœnæ æternæ, hoc verò trahit ſecum tantùm pœnam temporalem; imò culpæ veniali competit ratio nocumenti, ſeu, quod idem eſt, mali, per comparationem ad peccatum mortale, ſaltem ex mente quorumdam, quibus etiam fauere videtur D. Thomas hoc loco, articul. 3. huius quæſtionis: ergo (cùm analoga ſint ea quæ habent idem nomen commune, & rationem ſignificatam per huiuſmodi nomen quodammodo eamdem, & quodammodo diuerſam) peccatum mortale, & veniale vt ſic ſpectata, ſecundum læſionem & nocumentum erunt analoga. In hac ſententia ſunt, quod attinet ad primam partem, Durand. in 2. diſt. 42. quæſt. 6. Salas diſput. 16. tractat. 13. ſect. 18. *D. Thom.* Secunda verò pars Concluſionis iſtius, eſt verbis expreſſis D. Thom. hoc loco ad 1. & art. 3. item ad 1. Bonauent. in 2. diſt. 35. Bellarm. lib. 1. de amiſſione gratiæ, cap. 11. & 12. & aliorum recentiorum.

Ex iſtis colliges, peccatum poſſe diuidi in mortale & veniale, ratione nocumenti maioris & minoris, eo modo quo diuiditur analogum in ſua analogata; quando autem diuiditur peccatum in mortale & veniale metaphyſicum, diuiſio hæc eſt ſubiecti in ſua accidentia; accidit enim peccato quòd ſit mortale, vel veniale; illo eodem modo, quo accidit homini quòd ſit albus & niger.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm aliqua peccata ſint venialia.

RESPONDET *Quædam peccata eſſe ex ſuo genere venialia, quædam verò lethalia*, de qua re nulla poteſt eſſe difficultas, cùm per particulam, *Ex ſuo genere*, intelligat D. Thomas obiectum peccati venialis, & mortalis: diximus autem vnitatem genericam & ſpecificam cuiuſlibet peccati ſpectati in genere moris, ſumendam eſſe ex obiecto. Vide de iſtis D. Thom. & interpret. eiuſdem.

ARTICVLO 3. docet peccatum veniale diſponere ad mortale indirectè, ſi peccatum veniale fuerit ex ſuo genere diuerſum à mortali, ſi verò fuerit eiuſdem generis & ſpeciei cum mortali, ait diſponere ad mortale directè.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm peccatum veniale poſſit fieri mortale.

RESPONDET *peccatum veniale poſſe fieri mortale*, quod nedum venit intelligendum de venialibus elicitis à potentijs inferioribus voluntate, ſed etiam de illis, quæ eliciuntur ab ipſamet voluntate, & denique de actibus exterioribus, qui cenſetur eſſe venialia. Primùm, quia nomine venialis, hoc loco, nihil aliud intelligit D. Thomas, quàm actum phyſicum, & naturalem, qui commaculatur culpa veniali, vt venialis eſt, & de iſto actu ità ſpectato in genere entis, contendit quod poſſit eſſe lethalis. Deinde, poteſt huic actui aduenire circumſtantia aliqua, ex intentione operantis, & ideircò poterit hic pertinere, ex vi iſtius ordinationis, ad ſpeciem aliquam accidentariam omnino diuerſam, ab ea, quæ competit eidem in ordine ad ſuum obiectum; certum eſt enim finem conferre ſpeciem actibus humanis, loquendo de fine qui intenditur ab operante, quiſque proinde dicitur finis, non operationis, ſed operantis. Ità docent communiter omnes hoc loco, & in tractatu de actibus humanis: etenim tradunt illic vnum, & eumdem numero actum, ex bono poſſe fieri malum, loquendo tamen de huiuſmodi actu ſecundum entitatem phyſicam quam habet, vt patet ex eo qui ante Chriſti incarnationem credebat Chriſtum eſſe venturum, & poſita incarnatione perſeuerauit in illo eodem actu; hic namque actus ante Chriſti incarnationem erat bonus, poſita vero incarnatione Chriſti cæpit eſſe malus.

Obiectio. Dices, D. Thomam verbis expreſſis affirmare peccatum veniale non poſſe fieri mortale.

Soluto. AD hoc reſpond. intelligendum eſſe de peccato veniali, vt veniale eſt, non autem de actu coinquinato malitia peccati venialis phyſicè ſpectato; hic enim verè fieri poteſt lethalis ex adiectione circumſtantiæ conferentis ſpeciem accidentariam.

Quæſtiuncula. ROGABIS, *An ſaltem ex pluribus venialibus ſpectatis reduplicatiuè poſſit conſurgere vnum numero peccatum mortale.* Ratio dubitandi eſt: Qui diſtinctis & diuerſis actionibus aufert à proximo ſummam notabilem, tenetur ad reſtitutionem iſtius ſub reatu peccati mortalis, continet namque ſumma hæc rem notabilem, ac proinde proximus lęditur ex ea in re notabili: ergo ex pluribus peccatis venialibus poterit conſurgere mortale.

Reſpond. tamen ex infinitis peccatis venialibus reduplicatiuè ſpectatis, nuſquam fieri poſſe culpam mortalem. Primùm, quia ſicut ex non ſubſtantijs non fit ſubſtantia, ex non quantitate, quantitas, ità ex non notabili offenſa, nequit conſurgere lethalis culpa; quælibet autem culpa venialis cenſetur eſſe leuis, & non grauis. Deinde, culpæ veniales multiplicatæ in infinitum, non poſſunt ſoluere Dei amicitiam, aut extinguere in nobis charitatem, aut inducere reatum pœnę æternę, hæc enim omnia debentur ſolis culpis mortalibus: ergo neque etiam fieri poterit, vt ex infinitis venialibus conflетur vnum numero peccatum mortale.

Ex infinitis non poteſt fieri vnum mortale.

AD rationem verò dubitandi. Reſpond. actiones, quibus ſumma hæc fuit à proximo ablata, ſpectari poſſe, vel vt nullam dicunt inter ſe connexionem, vel vt inter ſe connectuntur, & ſubordinantur; priori modo cenſentur tantummodo veniales: ſupponimus enim, quòd per quamlibet ex iſtis actionibus, denarius v. g. fuerit à proximo ablatus, quare cùm læſio illi illata ſit leuis, quælibet ex iſtis actionibus furti erit tantùm peccatum veniale; & per conſequens obligatur hic qui ſummam hanc à proximo abſtulit, ad eius reſtitutionem, ſub veniali tantùm culpa. Si autem ſpectentur actiones iſtæ vt inter ſe connexę, & ſubordinatæ, tenetur hic ad reſtitutionem iſtius ſummę, ſub reatu culpę mortalis, idque quòd ſumma ſit notabilis. Ità Nauarrus & ceteri Caſuiſtę, & interpretes D. Thom. hoc loco.

ARTICVLO 5. ait circumſtantiam quæ trahit ad aliam ſpeciem, facere poſſe de peccato veniali, mortale; ſed res hæc fuit explicata art. 4. huius quæſtionis.

ARTICVLO VLTIMO, docet per diminutionem voluntatis, vel deliberationis, aut, notabilis materiæ, ex mortali conſurgere poſſe veniale: de qua re conuenit inter omnes.

QVÆSTIO LXXXIX.

De peccato veniali ſecundum ſe.

ARTICVLO 1. docet D. Thom. peccatum veniale non imprimere maculam ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid, & eam eſſe priuationem feruoris, qui reperitur in actionibus virtutum: Ceterùm res hæc fuit à nobis tradita quæſtione de macula peccati.

ARTICVLO 2. Tradit quid nomine ligni, ſtipulæ, & fœni ſignificetur: de quibus legendi ſunt interpretes D. Pauli ad cap. 3. 1. Corinthiorum, & quæ nos dicemus in tractatu de indulgentijs, vbi de purgatorio.

ARTICVLO 3. Quærit, *An homo in ſtatu innocentiæ potuerit peccare primò venialiter.* Ratio dubitandi eſt, quia primus parens, tam verè fuit liber in eo ſtatu, quàm quilibet noſtrûm: eſt autem de ratione libertatis, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, liberè feratur in bonum, vel malum, ſaltem pro eo tempore, quo ſumus in hac vita mortali. Accedit, primum parentem non magis fuiſſe coniunctum Deo per iuſtitiam originalem, quàm quilibet noſtrûm coniungatur eidem per gratiam & charitatem: certum namque eſt maiorem dari in pleriſque mortalibus charitatem, etiam pro eo tempore, quo ſunt in hac vita, quàm fuerit in primis parentibus: at gratia quæ datur in nobis, non impedit quominus peccemus venialiter: ergo. Denique potuit Deus præcipere primis parentibus ne veſcerentur de ligno vetito, ſub pœna peccati venialis, ſicut præcepit eiſdem ne comederent ex eo ſub mortali: eſt enim Deus, quàm maximè liber in ſuis omnibus actionibus ad extra: ergo in hoc caſu potuiſſent iſti peccare venialiter primo loco.

In ſtatu innocentiæ nõ potuit peccare venialiter.

Opinio tamen contraria eſt indubitata: traditur quippe hæc à D. Auguſtino lib. 14. de Ciuitate, cap. 10. *Nec aberat quidquam*, inquit, *quod bona voluntas adipiſceretur, nec inerat quod carnem animámue hominis feliciter viuentes offenderet.* Peccatum autem veniale offenditiſet ſinè dubio primos parentes, vt eſt per ſe notum, ſi habuiſſet locum in eis: idem docent D. Thom. hoc loco, & in 2. diſt. 21. quæſt. 2. art. 3. & quæſt. 7. de malo, & communiter alij Sententiarij ibidem, & interpretes D. Thom. Deinde, pœna eſt ità coniuncta cum peccato etiam veniali, vt hæc nequeat ab eo ſeparari: diximus enim reatum & obligationem ad pœnam, eſſe quidpiam ità coniunctum cum peccato, vt cenſeatur eſſe, quaſi proprietas peccati, quatenus peccatum eſt: at pœna non potuit ſtare cum ſtatu innocentiæ, vt docent authores proximè citati, & manifeſtè colligitur, ex eo quod ſtatus ille eſſet perfectiſſimus, & feliciſſimus, ex doctrina ſanctorum Patrum. Tertio, magis diſconueniens eſt minima culpa, cum ſtatu innocentiæ, quàm ægritudo quælibet corporea: eſt enim peccatum longè maius malum, quàm ſit vllus planè morbus corporis: at infirmitas nulla potuit eſſe in ſtatu innocentiæ: ergo. Denique, impeccabilitas iſta, reſpectu peccati venialis, pro ſtatu innocentiæ, deſumenda eſt, non ex libertate primi parentis, neque item ex gratia & charitate eiuſdem, ſed ex ſpeciali Dei prouidentia, qua ſingulari ſua bonitate, voluit ità adeſſe homini, pro eo ſtatu, vt in nullo planè caſu culpam venialem admitteret. Ex hac ratione, quid ſit rationibus dubitandi reſpondendum innoteſcit.

D. Auguſt.

D. Thom.

ARTICVLO 4. Tradit nec Angelum bonum, nec item hominem damnatum poſſe peccare venialiter: de qua re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm loquatur de Angelis beatis, & de damnatis: certum autem eſt in eo ſtatu nullam poſſe ab hominibus vel Angelis admitti culpam. De damnatis vero notiſſimum eſt eos ſemper odio habere Deum, & per conſequens in omni planè opere quod exercent peccare mortaliter, cùm odium Dei ſit peccatum mortale.

ARTICVLO 5. Motus primo primos qui dantur in infidelibus ex concupiſcentia, non eſſe peccata.

ARTICVLO VLTIMO Solum peccatum veniale non poſſe eſſe cum ſolo originali docet.

AD QVÆSTIONEM NONAGESIMAM.

DE LEGIBVS.

PROOEMIVM.

DE Legibus differunt Morales Philosophi in caput 1. & 7. lib. 5. Ethicorum Aristotelis, & alibi: vtriusque Iuris Pontificij & Cæsarei Doctores, nec non Theologi; dispari tamen ratione: nam Philosophi de omnibus legibus sermonem non instituunt, sed tantùm de illis, quas lumine naturali ducti, deprehendere possunt conducere ad hominum mores rectè instituendos componendósque, quò societate familiari coniuncti actiones honestas & laude dignas promere valeant. Quod etiam præstare nituntur Iurisperiti; quare non malè illi qui Iurisprudentiam, prout leges ciuiles contemplatur, Philosophiæ morali subordinari contendunt. Dixi, prout leges ciuiles contemplatur; quoniam ius Pontificium, cùm Ecclesiasticum sit, à Christo Domino est institutum, quod proinde Theologiæ substitutum est. At Theologia & de quibuscumque legibus nempe naturalibus, humanis positiuis, ciuilibus, Ecclesiasticis, diuinis, æternis, temporalibus tractat; earum naturam proprietates, & passiones inuestigans & examinans, idque longè sibi nobiliori & excellentiori proposito fine, videlicet vt mortales, istis veluti vinculis constricti, mentem, voluntatémque propriam dirigentes, studiosi, iustique verè, & in seipsis euadant, peccata, turpia, & deformia cuncta vitent, opera exerceant, quibus tamdem perpetuam, & vndequaque exsatiantem felicitatem consequi possint. Quò fit, vt etiam sanctus Doctor statim post disputationem grauium & spinosarum difficultatum, quæ occurrunt circa intelligentiam naturę beatitudinis, actionum humanarum, virtutum, vitiorum & peccatorum in communi, quæ vel propria voluntate perpetrantur, vel per naturalem generationem à primis parentibus in vnumquemque nostrûm deriuantur quæque verè contrahimus, fit inquam, vt statim de principio quod ad bonum faciendum nos mouet, allicit, & impellit, tractet: hoc autem principium est Deus, mediante lege & gratia, vt ipsemet Diuus Thomas ait in prefatione ad hanc quęstionem nonagesimam, cum quo proinde, & innumeris alijs authoribus paucula de eadem materia aperienda sunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

An lex sit aliquid rationis.

RESPONDET *affirmatiuè*: tum quia (in argumento sed contra) de ratione legis est præcipere: hoc autem præstat ratio: tum etiam quia (in corpore articuli) lex est quædam regula humanorum actuum; horum autem magistra est ratio: ergo lex est aliquid rationis.

DVBITATIO PRIMA.

Quibus nominibus Lex in communi vocetur.

CONCLVSIO. *Apud Latinos, non vno & eodem nomine appellatur*: interdum enim dicitur voluntas. Psalm. 102. *Notas fecit vias suas* ℣. 7. *Moysi, & filijs Israël voluntates suas.* & alibi: *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.* Matth. 6. *Fiat voluntas tua.* Luc. 22. *Non mea, sed tua fiat voluntas.* 2. Machab. 1. *Det vobis Deus cor omnibus, vt faciatis; eius voluntatem*: in istis siquidem locis ex multorum Patrum sententia, nomine voluntatis, significatur lex, decretum, siue placitum diuinum. Aliàs nuncu-

Psal. 102. Idem 39. ℣. 8. Matth. 6. ℣. 10. Luc. 22. ℣. 42. 2. Mach. 1. ℣. 3.

Digitized by Google

patur, *lucerna, lux.* Prouerb. 6. *Mandatum lucerna eſt: & lex, lux, via vitæ.*

Tertiò, dicitur, *præceptum.* Pſalm. 18. *Præceptum Domini lucidum.*

Matth. 19. ℣. 17. Idem 22. ℣. 40. Pſal. 118. ℣. 4. ibid. ℣. 32. Mat. 11. ℣. 30. Pſa. 2. v. 3. Actuũ 15. ℣. 10. Iſidor.

Quartò, dicitur, *mandatum* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Matth 22. *In his duobus mandatis*, &c. & frequentiſſimè, Pſal. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* & rurſus: *Viam mandatorum tuorum cucurri.*

Quintò, nuncupatur lex, *iugum.* Matth. 11. *Iugum meum ſuaue eſt* Pſa. 2. *Proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Actuum 15. *Quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum?*

Sextò, dicitur, *ius*, vt videre eſt apud Iſidorum lib. 5. Etymologiarum, capite 3. & lib. 2. capite 10. ait enim legem ſpeciem eſſe iuris. In hac eadem opinione ſunt omnes ij, qui putant legẽ idem eſſe, quòd iuſſum, lex enim iubet agenda, prohibétque vitanda.

B

Denique, vocatur communiſſimè & apud Patres, & apud bonos authores, ac ſacras litteras, *Lex*, idque, vt tenet D Thom. hoc loco, & plerique interpretes eiuſdem, vel quod præceptis, veluti vinculis ſubditi ligentur (conſtringuntur enim ſubditi, veluti funibus ac vinculis quibuſdam ad ea faciendo, quæ ſunt à legiſlatore conſtituta:) vel à legendo, quòd frequenter ſit animo repetenda, ne recedamus ab ijs, quæ ſunt à legiſlatore conſtituta: vel denique à legendo, prout legére idem

C

D. Auguſt. eſt ac ſeligere, quod putat D. Auguſtin. neque enim lex caſu, temerè, aut fortuito ferenda eſt, ſed magno cum conſilio & animi deliberatione.

A Græcis verò nuncupatur νόμος. Ab Hebræis verò Thorah quod idem eſt ac inſtitutio, ſeu inſtructio.

DVBITATIO SECVNDA.

An lex ſit actus intellectus, an verò voluntatis.

Quorundã ſententia.

SVnt qui putent legem neque eſſe actum intellectus, neque voluntatis; ſed tantum ſignum

D

aliquod externum ſubditis à legiſlatore notificatum, ligans eoſdem ad aliquid agendum, vel omittendum: nomine verò ſigni externi intelligunt vel ſcripturam, vel vocem, vel certè conceptum, vel verbum mentis. Alij verò exiſtimant eſſe actum ſolius voluntatis: ità Alphonſus à Caſtro lib. 1. de lege pœnali, capite 1. Thomiſtæ verò ferè omnes volunt eſſe actum ſolius intellectus. Alij denique aurumant legis rationem repetendam eſſe ex actibus intellectus & voluntatis ſimul: ità Michaël de Palatios in 3. diſtinct. 23. diſput. 1.

Lex non eſt ſignum vocale, aut ſcriptum.

1.

Nazianz. D. Baſil. Ambroſ. Boëtius.

CONCLVSIO 1. *Lex non eſt ſignum, aut ſcriptum, aut vocale, aut mentale notificatum, ſubditis à ſuperiore.* Primò, quia plerique Patres docẽt, velle Imperatoris, legem eſſe non ſcriptam: ità Nazianzenus oratione 3. quæ eſt 1. contra Iulianum paulo ante finem: *Velle etenim Imperatoris, lex eſt non ſcripta, imperij & potentiæ patrocinio ſepta, & quidem ſcriptis legibus, quæ potentia non fulciuntur, longè firmior atque valentior.* Baſilius in Hexameron. Ambroſius & Boëtius vt obſeruauit Gerſon, de vita ſpirituali.

2.

Deinde, ante Moyſem extitit lex aliqua poſitiua diuina; fuerunt enim in omni ſtatu naturæ corruptæ ſacramenta quædam, ad hominum ſalutem inſtituta: atqui leges iſtæ de ſacramentis

A

frequentandis non fuerunt illo tempore ſcriptę, ſed traditæ tantùm: ergo lex non eſt ſignum ſcriptum.

3.

Tertiò, Lex æterna, & item naturalis, ſunt legès, vt docet D. Thom. hoc loco: at iſtæ non ſunt ſcriptæ, & ex multorum ſententia non promulgantur, neque fuerunt vſquam promulgatæ, ſigno aliquo externo: ergo.

4.

Quarto, opinio contraria ad ſummum poteſt tantum eſſe vera de lege poſitiua; non autem in vniuerſum de lege qualibet, vt manifeſtè colligere licet ex definitione legis, tradita à D. Tho. artic. 4. huius quæſt. ait enim legem eſſe rationis ordinationem in bonum commune, ab eo, qui

▽

curam habet communitatis promulgatam.

Obiectio.

Obijcies Ariſtotelem, capite 9. lib. 10. Ethicorum dicere legem, Sermonem ſcriptum ab aliqua prudentia & mente profectum, quę habet vim cogentem, ſed ſermo ſcriptus eſt ſignum aliquod externum. Deinde, communiter dicimus, inter leges alias eſſe faciles, alias difficiles: ergo.

Varię ſignificationes legis.

Vt huic obiectioni reſpondeatur: Aduerte nomen legis varias & diuerſas habere ſignificationes: interdum enim ſignificat quamlibet regulam, ſiue normam, mediã quã finem quem intendimus aſſequimur, vel certè malum, quod cauemus, vitamus: iuxta hanc ſignificationem leges Tyrannorum dicuntur leges, Eſai. 10. *Væ qui condunt leges iniquas.* Præcepta item cuiuſlibet artis, nomine legis iuxta hanc ſignificationem donãtur. Aliquando ſumitur, lex, pro regula, non quidem qualibet, ſed tantùm iuſta & rationi conſona; atque ità definitur, rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata, à D. Thoma citato, poſt D. Auguſtin. libro 1. de libero arbitrio, capite 5. Clement. Alexandr. lib. 1. ſtromatum, capite 14. & nonnullos alios Patres. Tertiò, lex ſignificat præcepta cuiuſlibet legis ſiue ſcripta, ſiue tradita, vt vt videre eſt Ioann. 7. *Nonne Moyſes dedit vobis legem* (Moſaïcam ſcilicet) *& nemo ex vobis facit legem?* id eſt, præcepta legis nullus veſtrũm adimplet. Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent*, ſci licet Moſaïcam, *naturaliter faciunt quæ legis ſunt*, id eſt, præcepta Decalogi obſeruant. Quartò, denotat quamlibet conſtitutionem authoritate publica factam; etiamſi per eam nihil planè prohibeatur, aut præcipiatur bene tamen actus aliquis inualidatur. Quintò, ſignificat terminum rei alicuius, vt conſtat ex illo, *Legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos.* Interdum dicit effectum peccati, vt conſtat ex illo Rom. 7. Lex peccati; fomes ſiquidem illic nuncupatur lex carnis. Denique, ſignificat ea omnia quæ pertinent ad religionem aliquam, ſiue ipſammet religionem: & iuxta hanc ſignificationem religio Moſaïca nuncupatur, lex vetus; religio verò Catholica appellatur, lex gratiæ. His ità conſtitutis.

D. Auguſt. Clemens Alexand. Ioan. 7. ℣. 19. Rom. 2. ℣. 14. Idem 7. ℣. 23.

Solutio.

Reſpondeo Ariſtotelem eo in loco non definiuiſſe legem propriè dictam, qua ratione ſumitur in ſola ſecunda ſignificatione à nobis primo loco poſita; ſed definiuit præceptum legis cuiuſlibet poſitiuæ, & ſcripto traditę: & de iſtis præceptis communiter dicimus, quòd alia ſint facilia, alia difficilia, quę etiam cõtineantur in certo codice legum; difficultas autem cuiuſlibet præcepti ſcripti, ortum habet ex varia & multiplici ſignificatione dictionum, quibus præ-

cepta sunt scripta, vel certè ex vitiatis & corruptis dictionibus, quibus præcepta significantur.

Lex supponit naturā intellectualē vt propriam causam.

Conclvsio 2. *Lex præsupponit naturam rationalem, & intellectualem, tamquam propriam causam.* Primò, quia sola natura rationalis obligare potest ad aliquid agendum, vel prætermittendum; at hæc obligat non per se ipsam proximè & immediatè, sed per legem.

Deinde, lex habet rationem præcepti: atqui sola natura rationalis præcipere potest, quemadmodum hæc sola capax est iurisdictionis & dominij.

Tertiò, lex dirigit in bonum communitatis, seu, quod idem est, in finem honestum reipublicæ vtilem: at sola natura rationalis est capax cognitionis finis honesti, vt finis honestus est: ergo sola quoque potest condere leges.

Denique, ità sentit D. Thom. hoc loco, & omnes omnino interpretes eiusdem, & Sententiarij.

Lex dicit actum voluntatis intrinsecè.

Conclvsio 3. *Lex arguit actum voluntatis intrinsecè, & quasi essentialiter.* Primò, quia nuncupatur in sacris litteris voluntas, & item apud sanctos Patres, vt constat ex ijs, quæ diximus Dubit. 1.

Deinde, lex & regula sunt vnum & idem, saltem si sermo sit de regula iusta & conformi rectæ rationi; atqui voluntas superiorum est regula eorum, quæ sunt ab inferioribus agenda, aut omittenda, vt docet D. Thom. quæst. 104. art. 1. ad 2. de voluntate Dei præcipiente aliqua, & D. Anselm. lib vnico de voluntate tom. 3. ait enim tunc voluntatem hominis esse bonam, iustam, & rectam, quando vult homo illud, quod Deus vult eum velle.

Tertiò, lex inducit obligationem ad aliquid agendum, aut negligendum: at voluntas legislatoris debet necessariò interuenire ad hoc vt pronunciet præceptum aliquod, quo constringuntur subditi, ad aliquid agendum, vel prætermittendum. Confirmatur: Lex, est opus legislatoris ad extra, atqui opera ad extra naturæ cuiuslibet intellectiuæ, vt plurimum sunt libera: ergo cùm actiò quælibet libera sit à voluntate, erit lex ab aliquo actu voluntatis.

Lex est electio.

Rogabis, *Quisnam actus voluntatis sit is, qui concurrit ad constitutionem legis.*

Respondeo, *Esse electionem:* nam de ratione legis est quod obliget ad agendum, vel prætermittendum: electio autem huius vel illius medij conducentis ad finem reipublicę vtilem, non obligat, vt est per se notum.

Respondeo 2. *Esse illum actum quo legislator vult obligare subditos ad hæc, vel ad illa facienda vel omittenda.* Ità Alphonsus à Castro, lib. 1. de lege pœnali, capite 1. & illi omnes qui putant rationem legis positam esse in actu solius voluntatis. Deinde, voluntas superioris obligat inferiores, præsertim si fuerit præceptiua aut imperatiua, & per rectam rationem regulata: at obligatio est de intrinseca ratione legis, omnium consensione: igitur, &c.

Actus intellectus est de essentia legis consurgit nedum ex actu voluntatis, sed etiam intellectus essentia legis.

Conclvsio vltima. *Natura & essentia legis consurgit nedum ex actu voluntatis, sed etiam intellectus.* Primo, quia ità sentiunt D. Tho. hoc loco, & omnes illi qui aiunt rationem legis desumendam esse ex solo actu intellectus legislatoris.

Deinde, ex illis omnibus locis Scripturæ in quibus lex nuncupatur, *lux*, vel dicitur de lege quod luceat: ità Psalm. 18. *Præceptum Domini lucidum*, id est lex: & Psalm. 24. *Propter hoc dabit legem delinquentibus in via*, id est monstrabit lex viam pœnitentiæ, & Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Psalm. 18. ℣. 9. Idem 24. ℣. 8. Idem 118. ℣. 105.

Tertiò, ex Damasceno lib. 4. de fide; cap 23. Chrys. serm. de fide & lege naturæ, Basilio ad caput 1. Isaiæ. Damasc. Chrysost. Basil.

Quartò, ex illis locis locis Aristotelis in quibus nuncupatur opinio multitudinis, aut sermo ab aliqua mente profectus: ità cap. vltimo lib. 10. Ethicorum.

Quintò rationibus. Prima: Omnis lex nedum positiua, sed etiam naturalis & diuina siue æterna, est opus rectæ rationis & prudentiæ; atqui prudentia pertinet ad intellectum. Secunda: lex est præceptum & iussio superioris, sed intellectus est qui præcipit & iubet. Tertia; lex conuertitur cū imperio, sed intellectus est qui imperat, ex ijs quæ docuimus quæst. 17. huius partis. Vltima: Lex est rationis ordinatio ad bonum commune, ex D. Thom. art. 1. huius quæst. ergo lex est actus intellectus.

Lex non est rebus iudicium de agendis.

Rogabis, *Quis sit iste actus intellectus.*

Respondeo, *Non esse iudicium de rebus iudicium de agendis, aut vitandis*, quod putarunt aliqui; nam prius est iudicium de rebus agendis, aut vitandis, vt & consultatio, quàm sit lex: ergo ratio legis non est repetenda præcisè à iudicio rationis. Deinde, iudicium rationis nullam inducit obligationem, saltem in ijs quæ sunt tantùm iuris positiui: atqui lex, vt sic, obligat ad aliquid agendum vel prætermittendum.

Lex est intimatio superioris de eius voluntate.

Respondeo ergo 2. *Actum intellectus ex quo consurgit ratio legis, esse intimationem seu informationem voluntatis superioris factam inferiori, qua obligatur inferior ad aliquid agendum.* Accedit ratio: Essentia legis maximè posita est in eo actu, in quo reperitur ratio præcepti, & imperij; atqui intimatio voluntatis superioris, facta inferiori, est præceptum & imperium: ergo. hæc autem insinuatio vocatur ab aliquibus imperium, ab alijs iussio, ab alijs verò explicatur verbis istis, *fac hoc.*

Obiectio.

Dices, ex istis duabus postremis Conclusionibus colligi manifestè, legem non esse quid vnum; diximus enim consurgere ex actibus intellectus & voluntatis simul.

Solutio.

Respondeo, legem non esse vnum in genere entis (vt rectè probat argumentum) est tamen vnum in genere moris: illa eadem ratione, qua de sacramentis dicitur, quòd sunt vnum specie, & numero; licèt in genere entis distinguantur inter se realiter: coalescit enim verbi gratia baptismus ex aqua, intentione ministri, & verbis istis, *Ego te baptizo*, baptismus tamen in genere moris est vnum sacramentum, propter vnam solam significationem, quæ in eo datur, nempe propter significationem regenerationis vitæ spiritualis: ità etiam lex propter ordinationem quam dicit ad finem reipublicæ vtilem, censetur esse vna.

Digitized by Google

DVBITATIO TERTIA.

An ratio legis magis poſita ſit in actu inſinuationis, ſeu intimationis voluntatis ſuperioris, quàm in actu quo legiſlator vult inferiorem obligare ad aliquid agendum vel prætermittendum.

Quorundã opinio & argumenta.

1. SVnt qui naturam legis deſumendam eſſe velint magis ex actu voluntatis, quàm ex actu inſinuationis, quem diximus pertinere ad intellectum: ità Alphonſus à Caſtro, & omnes illi, qui ſentiunt legem eſſe actum tantùm voluntatis. Probant: Natura legis maximè poſita eſt in vi obligandi ad aliquid agendum vel omittendum; at vis obligandi eſt à voluntate ſuperioris, qua vult inferiorem reſtringere ad aliquid agendum, vel non agendum.

2. Deinde, lex & regula agendorum ſunt vnum & idem: at voluntas legiſlatoris, maximè verò voluntas Dei cenſetur eſſe regula agendorum, ex Anſelmo in lib. de voluntate, D. Thom. quæſt. 104. huius partis, art. 1. ad 2. ergo in actu voluntatis potius poſita erit ratio legis, quàm in actu intellectus.

3. Tertiò, lex tendit in finem & ad bonum commune: atqui voluntas, non autem intellectus tendit in bonum.

4. Denique, lex dicitur ab eligendo, ex multorum ſententia, ſed ſola voluntas eligit: ergo ſola voluntas legem conſtituit.

Actus intellectus eſt quid magis eſſentiale legi quàm voluntatis.

CONCLVSIO. *Ratio legis petenda eſt magis ex aliquo actu intellectus, quàm voluntatis.* Primo, quia hæc eſt aperta ſententia D. Thom. definit enim legem rationis ordinationem art. 4. huius quæſt. idem docent interpretes eiuſdem: putant enim naturam legis poſitam eſſe tantùm in actu intellectus.

Ratio 1.

Accedunt rationes: Prima. Natura legis maximè deſumenda eſt ex eo quod obligat ad aliquid agendum, vel prætermittendum: at actus intellectus magis obligat, quàm voluntatis; nam præceptum, vt ſic, inducit obligationem; intellectus autem eſt qui præcipit, iubet, & præſcribit aliquid agendum, vel vitandum.

2. Secunda, quod tribuit ſpeciem legi, illud magis pertinet ad eius naturam conſtituendam, ſed actus intellectus tribuit ſpeciem legi, non autem actus voluntatis; nam lex eſt ordinatio rationis ad bonum commune; hæc autem eſſe poteſt ſinè aliquo actu voluntatis, ſaltem formali & explicito: ſi enim ſuperior aliquid præciperet ſubditis, etiamſi de facto non cogitaret aut vellet explicitè obligare ſubditos ad agendum vel prætermittendum, ſubditi nihilominus tenerentur obtemperare præcepto ſibi impoſito.

3. Denique, idem eſt dicendum, ceteris tamen paribus de lege, quod de oratione, ſed eſſentia orationis magis conſiſtit in actu intellectus, quã in actu voluntatis: oratio namque nihil aliud eſt, quàm inſinuatio, ſeu intimatio neceſſitatis inferioris facta ſuperiori potẽti leuare miſeriã inferioris: ergo lex eſt potius actus intellectus quã volũtatis.

Satisfit argumentis.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo, vim obligandi ità eſſe coniunctam cum lege, vt hæc ſit ab omni planè lege inſeparabilis; obligatio tamen iſta non habet ortum præcisè & proximè ab actu voluntatis legiſlatoris, quo legiſlator vult ſubditos obligare, ſed ab actu intellectus qui dicitur imperium, iuſſio, ſeu intimatio ſuperioris, de his vel illis agendis, qui enim facit contra legem, hic verè peccat, ex D. Auguſtin. libro 22. contra Fauſtum, capite 27. qui autem facit contra voluntatem diuinam hic non ſemper peccat, vt patet ex his quæ habentur, 3. Regum, capite 8. dicitur enim illic Dauidem voluiſſe ædificare templum Domino, & tamen id nolebat Deus, neque peccauit in eo Dauid: ſed contrà laudatur ibidem eius voluntas & deſiderium. Deinde, certum eſt Deum velle obſeruationem conſiliorum Euangelicorum; neque tamen peccant illi omnes qui ab obſeruatione illorum abſtinent, ſed tantùm qui ſunt obſtricti voto, peccant: ergo ratio legis non eſt poſita in actu voluntatis, magis quàm intellectus. Denique, prius eſt legiſlatorem velle obligare quempiam ad aliquid agendum, vel omittendum quàm de facto inferiores ad id teneantur: quamprimùm autem innoteſcit iuſſio, & præceptum ſuperioris, ſtatim obligatur inferior ad executionem legis ſibi impoſitæ: ergo ratio legis magis erit in actu intellectus, quàm in actu voluntatis.

D. Auguſt.

Ad ſecundam reſpondeo, voluntatem ſuperioris imperatiuam, & per rectam rationem regulatam non eſſe proximam regulam humanarum actionum, ſed tantùm legem, lex enim eſt quæ mouet ſubditum ad aliquid agendum vel omittendum: diximus autem legem præcisè poſitam eſſe in iuſſione & imperio ſuperioris, iuſſio autem eſt actus intellectus, non vero voluntatis. 2.

Ad tertiam, voluntatem tendere in finem & in bonum: ſunt enim hæc duo, vnum & idem, & item intellectum, ceterum diuerſa ratione: nam voluntas tendit in finem appetendo & deſiderando: intellectus vero illuminando, oſtendendo, & dirigendo: cùm ergo lex dirigat in finem, & dirigere ſoli intellectui competat, quatenus dirigere idem eſt ac diſcernere, deſcribere, ratio legis magis erit in actu intellectus, quàm voluntatis: non eſt tamen negandum quin voluntas dirigat & imperet, ſed id facit mouendo ceteras potentias, & intellectum ad conformiter ſuæ naturæ operandum, & in finem tendendum. 3.

Vltim. Ad vltimam: eligere ſoli voluntati competere, ex iſtis tamen non licet colligere legem magis pertinere ad voluntatem, quàm ad intellectum, electio ſiquidem eſt actus qui præcedit legis conſtitutionem, vt conſtat ex dictis.

DVBITATIO VLTIMA.

An Lex æterna & naturalis includant actus intellectus & voluntatis.

Rationis dubitandi.

1. RAtio dubitandi eſt: lex æterna eſt ipſamet diuina ſapientia: atqui ſapientia diuina non eſt actus intellectus, aut voluntatis.

2. Deinde, lex naturalis eſt ipſamet natura rationalis, & intellectiua: atqui hæc non eſt actus intellectus, neque voluntatis.

3. Tertio, ſtante hac hypotheſi impoſſibili, quod nullus daretur ſuperior in naturæ vniuerſitate, adhuc eſſet peccatum furari, mœchari, occidere: & idem eſt iudicium de ijs omnibus, quæ prohibentur ceteris præceptis Decalogi: ergo lex naturalis non dicit aliquos actus intellectus, & voluntatis ſuperioris, ſeu legiſlatoris: nam præcepta Decalogi pertinent ad legem naturalem.

Lex æterna & naturalis dicunt actũ intellectus & voluntatis.

CONCLVSIO. *Lex æterna & naturalis sunt actus intellectus & voluntatis.* Primò, quia leges istæ tam verè sunt leges, quàm positiuæ; atqui lex positiua includit actus intellectus & voluntatis superioris, vt constat ex dictis.

1. Præterea, quælibet lex quæcumque illa sit, est opus rationis, & prudentiæ; sed lex naturalis & æterna sunt leges: ergo.

2. Tertiò, præcepta Decalogi tam verè sunt explicata, quàm præcepta alicuius legis positiuæ, vt constat ex cap. 20. Exod.

3. Quartò, lex naturalis nihil aliud est, quàm id ex quo sequitur in nobis necessitas operandi, vel cũ peccato, vel sinè illo; atqui id ex quo sequitur in nobis necessitas operandi vel cũ peccato vel sinè peccato, est iudicium rectæ rationis de ijs agẽdis, vel vitãdis: ergo lex naturalis dicet actum intellectus & voluntatis: neque enim ratio dictat aliquid agendum aut certè fugiendum, nisi etiam voluntas similiter acceptet, & per consequens velit hæc esse acceptanda vel vitanda.

4. Quintò, omne peccatum debet esse contra legem aliquam ex D. Augustin. cap. 27. lib. 22. contra Faustum, & ex communi doctrina D. Thom. in hac part. quæst. 70. at quod fit contra iudicium rectæ rationis omnium iudicio peccatum est: ergo cùm lex naturalis sit iudicium rectæ rationis, sequitur includere vtrumque actum intellectus & voluntatis.

Soluuntur rationes dubitandi.

Ad rationes verò dubitandi respondeo. Ad 1. legem æternam non esse ipsammet Dei sapientiam realiter spectatam; sed esse rationem diuinæ sapientiæ, & ordinationem, qua Deus dirigit res omnes in suos fines, cum voluntate obligandi creaturam rationalem media lege naturali & positiua, tam diuina, quàm humana: ac proinde dicet actum intellectus & voluntatis legislatoris Dei.

2. Ad secundam: legem naturalem spectari duobus modis, primariò scilicet & secundariò; illo modo dici tantùm naturam intellectiuam & rationalem, prout est regula prima recti & honesti; hoc verò modo dicit iudicium actuale, vel habituale de rebus agendis, aut vitandis: Primo modo certum est legem naturalem non esse actum intellectus, nec supponere aliquem actum voluntatis: posteriori tamen modo constat legem naturalem dicere aliquem actum intellectus, cùm iudicium de rebus agendis, & item iussio seu imperium de ijs agendis aut vitandis sint actus intellectus, ex communi doctrina Thomistarum.

3. Ad tertiam: data illa hypothesi impossibili, mœchari, furari, esse peccata, non quidem in genere moris, sed tantùm in genere entis; diximus enim quæst. 18. huius partis bonitatem & malitiam moralem præsupponere legem superioris, quæ videtur etiam colligi ex definitione peccati: est enim dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Deinde, malitia, aut bonitas moralis nusquam consurgere possunt sinè aliqua apprehensione rationis: Rursus, genus moris respicit præmium, vel pœnam, laudem, aut vituperium, secluso autem superiore nullus conceditur locus præmio, aut pœnæ: ergo, &c.

Replica.

Instabis D. Thom. affirmare communiter legem naturalem non pendere ab vlla re creata, aut increata.

Dissoluitur.

Respondeo, hæc esse intelligenda de lege naturali primariò spectata; non autem de naturali secundariò: hæc enim hac ratione est actus intellectus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An lex ordinetur in bonum commune.

Argumẽt.1.

RATIO dubitandi prima: negari non potest, quin extent legis aliquæ de correctione fraterna, Mat. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Matth.18. ℣. 15. De vita propria conseruanda; qui enim prohibet ne alium occidat, vetat etiam ne quis seipsum interimat, Exod. autem 20. dicitur: *Non occides.* Exod.20. ℣. 13. De danda eleemosyna, Luc. 11. & 12. de vectigalibus persoluẽdis principibus & regibus Mat. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari:* Matth.22. ℣. 21. atqui omnes istæ leges priuatum commodum, non autem publicam vtilitatem respiciunt, vt est per se notum: Correctio siquidem fraterna ordinatur ad bonum illius, qui conuertitur, ex cap. 5. Iacobi: *Quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte.* Iacob. 5. ℣. 20. Lex item de non occidendo seipsum propriam vitam respicit, quemadmodum & eleemosyna leuamen, & miseriam pauperum, quibus datur: Vectigalia autem rem principis promouent, quæ omnia sunt bona quædam priuata.

2. Secunda: si vtilitas publica sit in omni lege aduertenda, sequeretur detracta vtilitate publica nullam planè extare legem veram; fatentur enim omnes cessante motiuo legis, legem quoque desinere: at illatio istius maioris videtur falsa, licèt enim quis certò agnoscat Ecclesiam nullum pati nocumentum eo quod Petrus v. g. agat cum publicè excommunicatis, & denunciatis, non potest tamen hic tuta conscientia morari cum istis excommunicatis, ex communi doctrina: ergo leges non semper attendunt ad bonum commune & publicum.

Lex ordinatur ad bonum commune.

CONCLVSIO *Lex ita respicit bonum commune, vt sublata ratione illius, nequeat esse vlla planè lex.* Istà Isidor. lib. 5. Originum, cap. 21. & refertur in capite, *Erit autem lex.* dist. 4. *Erit*, inquit, *lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Isidor. & Aristoteles lib. 4. Politicorum, cap. 7. & lib 5. Ethicorum simile quid habet. Aristotel.

2. Deinde, lex respicit maximè bonum commune, vt proprium finem, vt docet D. Thom. hoc loco & interpretes: at quæ sunt ad aliud nequeunt consurgere sinè eo ad quod ordinantur: ergo.

3. Tertiò, lex debet esse æterna in naturalibus & immutabilis; non quidè physicè, sed moraliter loquendo: at solæ communitates sunt æternæ: ergo.

4. Quartò, lex distinguitur à priuilegio, ex sententia quorumdam, quòd priuilegium respiciat bonum priuatum, lex autem commune. Hinc voces illæ communissimæ apud Iurisconsultos; lex est commune iussum, lex est commune præceptum: ergo ordinatur ad bonum commune.

Dices,

Solutio. Dices, priuilegium nuncupari interdum legem.

Obiectio. Reſpondeo, priuilegium ideò tantùm dici legem, quòd inducat obligationem quemadmodum & lex: quia tamen non reſpicit vtilitatem communem, ideò definit hoc conſequi rationem legis. Cùm autem diximus legem reſpicere bonum commune, id intelligendum eſt, non in vniuerſum de communitate omnium & ſingulorũ mortalium, aut etiam de communitate omnium Catholicorum, ſed de qualibet communitate, quæ principem aliquem vltimum & ſupremum agnoſcit: cuius generis ſunt Pontif. Max. ratione poteſtatis ſpiritualis, reſpectu totius orbis, vt manifeſtè colligitur ex cap. vltimo Ioan. *Petre paſce oues meas*: reſpectu verò Galliæ, aut Hiſpaniæ in temporalibus, reges illorum regnorum.

Obiectio. Obijcies, conſules alicuius vrbis, itémque patresfamilias condere veras leges, & tamẽ iſtę non reſpiciunt bonum commune, ſed priuatum, nempe familię aut ciuium huius aut illius vrbis.

Solutio. Reſpondeo, Conſules, patresfamilias, & ſimiles nullas leges condere propriè loquendo, ſed tantùm conſtitutiones, & præceptá aliqua, quæ obligant tam verè ac leges, ideò vocantur impropriè leges; quia tamen non ordinantur ad ad bonum totius communitatis, cuius ſunt partes, neque proximè, neque remotè, ideò conſtitutiones iſtæ nequeunt eſſe leges propriè dictæ.

Replica. Inſtabis, iudicium rectæ rationis quod datur in Socrate de his agendis vel vitandis ſibi hîc, & nunc, cum his & illis circumſtantijs eſſe legem naturalem, & tamen iudicium hoc eſt à perſona priuata, & reſpicit bonum priuatum, nempe illius qui iudicat hæc eſſe agenda vel vitanda.

Diſſoluitur. Reſpondeo, iudicium hoc ſpectari duobus modis, nempe quatenus eſt in iſto homine tantùm. Deinde, vt in qualibet alia creatura rationali ineſſe poteſt: primo modo non eſt lex naturalis, ſed tantùm poſteriori: quemadmodum enim natura vltima communis eſt multis; ità hæc apta nata eſt, vt in ſingulis ſimile iudicium proferat de his vel illis agendis, idque concurrente authore naturæ, qui voluit ex omni æternitate creaturam quamlibet rationalem ad hæc vel illa obligare agenda, iuxta dictamen ſuæ ordinationis media lege naturali, & qualibet alia poſitiua. Vt autem difficultatibus his reſpondeamus, maximè verò primæ.

Bonorum communium differentia. Aduerte bona communia eſſe in duplici differentia; quædam enim ſunt ſimpliciter communia, putà quæ ità pertinent ad communitatem, & rempublicam, vt priuatum cuiuſlibet alterius reſpuant dominium; cuius generis ſunt ædes publicæ, nemora, aquæ, viæ publicæ, &c. alia verò ſunt, quæ licèt ſint in poteſtate priuati huius, vel illius hominis; dominium tamen communitatis etiam agnoſcunt; huius generis ſunt poſſeſſiones priuatis commodis acquiſitæ, & ſimilia: hæc enim omnia bona, quæcumque illa ſint, in caſu extremæ neceſſitatis cenſentur eſſe communia, tum quia ſi primi parentes in ſtatu innocentiæ perſtitiſſent nulla fuiſſet introducta bonorum iſtorum proprietas ſeu dominium: tum quia recta ratio dictat bonorum communionem magis pertinere ad rectam inſtitutionem ſocietatis humanæ ſaltem in extrema neceſſitate, quàm faciat diuiſio eorumdem bonorum. Tertiò, quia inter primos Chriſtianos omnia planè fuerunt communia, *Actor. 4.* Hoc autem conſtituto.

Solutio primi argum. Reſpondeo ad primam rationem dubij, legem de cunda eleemoſyna conſtituto in vltima in neceſſitate, & item de propria vita conſeruanda, eſſe veras leges; iſta enim reſpiciunt communia bona poſterioris generis: lex enim reſpicit bona cõmunia primi vel ſecundi generis; vita autem propria, & item pauperis pertinet ad ſecundum genus bonorum communium; ſunt enim partes reipublicæ, & ex iſtis coaleſcit quodammodo reſpublica. Deinde, bonum commune cenſetur quodammodo anteponendum priuato, & ſic quilibet priuatus tenetur cum periculo ſui ipſius defendere rempublicam, quandocumque hæc verſatur in vltimo periculo diſcriminis, ex communi doctrina. Lex item de vectigalibus ſuperioribus perſoluendis, naturam veræ legis conſequitur: nam licèt proximè vectigalia reſpiciant commodum, & vtilitatem ſuperioris, remotè tamen bonum commune attendunt, quò enim magis princeps aliquis abundat, eò quoque faciliùs hoſtes reipublicæ repellere poteſt, & item faciliùs ſubleuare ſubditos, ne inſolitis ſubſidijs eos diuexet vrgente bello, aut aliqua alia neceſſitate. Correctionis denique, fraternæ lex inter leges veras eſt computanda; inſtitutio ſiquidem recta ciuium pertinet ad communitatem, vt eſt per ſe notum.

Obiectio. Dices, ſi hæc eſſent vera ſequeretur obligari vnumquemque noſtrûm ad fratrem corripiendum, quotieſcumque deprehenderet eum peccantem; atqui illatio iſta videtur abſurda: conſtat namque experientia quotidiana, poſita correctione fratris potius exaſperari fratrem, quàm ad meliorem mentem redire.

Solutio. Reſpondeo, legem de emendando fratrem peccantem habere rationem præcepti affirmatiui, & per conſequens obligare ad ſemper, non tamen pro ſemper, vt loquuntur: id eſt non teneri nos in quolibet inſtanti temporis ad proximum peccantem de facto emendandum, ſed tantùm interdum & aliquando, putà quando iudicio viri prudentis ſperatur conuerſio peccatoris: ſi verò iudicio eiuſdem viri prudentis exaſperatio proximi timeatur, quilibet noſtrûm cenſetur eſſe immunis à tranſgreſſione præcepti, ſeu legis de correctione fraterna.

2. Argum. ſoluitur. Ad ſecundam reſpondeo: ceſſante motiuo legis deſtrui quoque legem ipſam, non tamen propterea liberum eſt cuilibet priuato ſtatim recedere ab obſeruatione iſtius legis, ſed debet expectari vel iudicium totius communitatis, vel principis eiuſdem, vel certè ſapientum de abrogatione huiuſmodi legis: nam quemadmodum leges authoritate publica conſtituuntur; ità iudicium publicum ſatis eſt ad hoc vt quis certò cognoſcat legem aliquam eſſe antiquatam: nuſquam autem abrogatur lex, aut cenſetur abrogata, quamdiu ratio propter quam lex eſt conſtituta, perſeuerat.

Corollarium. Ex iſtis colliges, quod ſi princeps aliquis vel communitas ipſa legem aliquam ferret contrariam bono publico, aut etiam inutilem, huiuſmodi conſtitutionem non habere rationem legis, neque ſubditos obligare. Deinde, princeps non eſt abſolutè dominus alicuius communitatis, ſed tantùm cum iudicio rectę rationis. Tertio, quia omnis lex debet eſſe iuſta & honeſta. Quarto, quia ſuperior lędit voluntatem ſubditorum condendo huiuſmodi leges, quod tamen non debet.

Digitized by Google

Moneo tamen, tamdiu conſtitutionem iſtam eſſe obſeruandam, quamdiu non conſtat de inuſtitia, & de nocumento eiuſdem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Verùm ſuperior, vel communitas poſſit condere leges.

Communitas poteſt condere leges.

CONCLVSIO *affirmatiua*: de qua re nulla poteſt eſſe difficultas; diximus enim legem eſſe ordinationem rationis factam ab eo, qui curam habet communitatis. B

Deinde, ſolius ſuperioris eſt imperare, & præcipere; inferioris verò parere, ex capite 13.

Rom. 13. ℣. 1. Rom. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* & 1. Pet. 2. *Subiecti eſtote omni creaturæ humanæ propter Deum.*

1. Petr. 2. ℣. 13.

Denique, diſpenſatio & gubernatio bonorum communium debet eſſe penès perſonam aliquam publicam: ergo ad illam pertinet ſtatuere leges.

Obiectio. Dices, ſi ità res haberet, ſequeretur Pontificem Maximum, itémque Epiſcopos etiam in generali Concilio congregatos, non poſſe condere leges veras; quæ enim habet hoc loco D. Tho. intelligéda ſunt de eo qui habet ſupremam & vltimam poteſtatem in republica: vltima autem & ſuprema poteſtas Eccleſiaſtica eſt penès Chriſtum ſolú, ex C

Pſa. 2. ℣. 2. Pſ. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion.*

Solutio. Reſpondeo, ſupremam authoritatem & poteſtatem Eccleſiaſticam, aliam eſſe in ordine ad gubernationem inuiſibilem Eccleſiæ, aliam verò ad viſibilem: Illius ſolus Chriſtus cẽſetur eſſe rector, dominus, & vt caput: propter hanc enim cauſam dicitur de eo quod ſit caput omnis poteſtatis, &

Coloſ. 2. ℣. 10. principatus, *Coloſſ. 2.* quòd ſit, *rex regum & dominus dominantium.* Apoc. 19. & 17. Quòd ſit Eccle-

Apoc. 19. ℣. 16. ſiæ caput & adfuturus ſit eidẽ vſque ad conſummationem ſeculi, *Mat. 28.* & denique, quòd in D

Ioann. 15. ℣. 26. hunc finem Spiritum ſanctum Eccleſię promiſerit, Ioan. 15. *Mittam vobis Spiritum veritatis*, &c. Huius verò adminiſtrator eſt ſolus Pontifex maximus, quamobrem nuncupatur hic caput viſibile & miniſteriale Eccleſiæ, quod colligitur

Idem 21. ℣. 17. ex verbis Chriſti, Ioan. vlt. *Petre paſce oues meas.* imò ob id fatentur omnes Pontif. Maxim. non poſſe aberrare aut in bonis moribus præſcribendis toti Eccleſiæ, aut in rebus fidei decernendis: pertinet ergo ad Pontif. Max. condere leges vicaria poteſtate, quæ ſuprema & vltima cenſetur eſſe, quia ab ea prouocare, aut appellare non licet vllo modo inter mortales; ſaltem ſi ſermo ſit de rebus pertinentibus ad ſalutem. An verò Epiſcopi poſſint condere leges, explicabitur poſteà. E

Replica. Inſtabis, aſſenſum populi eſſe ſimpliciter neceſſarium ad legis validitatem, vt colligi videtur ex

D. Auguſt. cap. 31. lib. de vera religione D. Auguſt. vbi habetur leges tunc inſtitui quando promulgantur; formari verò, cùm viſibus ſeu moribus, vtentium comprobantur.

Diſſoluitur. Reſpondent aliqui, hæc intelligenda eſſe de lege poſitiua humana tantùm, quorum opinio non vacat probabilitate: certum enim eſt omnem legem humanam poſitiuam antiquari contraria conſuetudine.

Reſpondeo 2. Acceptationem populi non eſſe ſimpliciter neceſſariam, etiam ad hoc vt lex aliqua A humana obliget; nam vis ligandi petenda eſt ex poteſtate, quę eſt in legiſlatore, vt conſtat ex locis Scripturæ ſupra citatis. Deinde, quia alioquin fruſtra daretur iſta potentia in legiſlatore, ſi abſolutè loquendo poſſet impediri voluntate ſubditorum. Tertiò, contraria conſuetudo non deſtruit legem ſuperioris, reclamante ſuperiore, ex communi doctrina.

ARTICVLVS QVARTVS.

An promulgatio ſit de ratione legis.

PRIMA dubitandi ratio: lex naturalis eſt vera & quàm maximè propria lex; atqui nequit aſſignari quando fuerit promulgata. *Ratio dub. 1.*

Deinde, lex æterna, ex multorum ſententia, computatur inter leges propriè dictas: at non potuit hæc promulgari ex omni æternitate, vt eſt per ſe notum, neque dici poteſt quando fuerit hæc in tempore promulgata. *2.*

Denique, ſi quæ eſſet ratio propter quam diceremus promulgationem eſſe de ratione legis, hæc maximè eſſet; quia lex ſinè promulgatione obligare non poteſt: atqui illatio hæc eſt manifeſtè falſa, vt colligitur exemplo legis baptiſmatis: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Ioann. 3. hæc enim fuit paulò poſt Chriſti reſurrectionem diuulgata Matth. & Marc. vltimo, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* & tamen lex hæc obligauit ſtatim à Chriſti morte: alioquin concedendum eſſet dari aliquod tempus in quo nulli planè legi diuinæ, & ad ſalutem neceſſariæ homines fuiſſent ſubditi: nam non tenebantur parere legi Moſaïcæ poſita Chriſti morte, omnium conſenſu: neque item Euangelicæ, quoniam nondum fuerat hęc promulgata: cũ ergo nõ ſit concedendum aliquod tempus in quo caruerint homines medijs ad ſalutem neceſſarijs, ſtatuendum eſt legem gratiæ, & per conſequens baptiſmi obligaſſe ſtatim à Chriſti morte. *3.* Ioã. 3. ℣. 5. Matth. & Marc. vlt.

CONCLVSIO 1. *Promulgatio eſt de ratione legis, maximè poſitiuæ.* Primò, quia de ratione legis eſt, quod ſit præceptum, vt obſeruat D. Thom. in corpore art. at ſecluſa promulgatione nequit intelligi ratio præcepti: non enim aliter poteſt innoteſcere præceptum ſubdito. *Promulgatio eſt de ratione legis poſitiuæ.*

Secundo, obligatio ad aliquid agendum aut vitandũ, eſt ità coniuncta cum lege, vt hæc ab ea ſeparari nullo modo poſſit: atqui ſubditi nequeunt obligari ad agendum, vel vitandum, niſi interueniẽte intimatione & inſinuatione legis: ergo cùm hoc faciat promulgatio, hæc erit de ratione legis.

Denique, lex Moſaïca fuit promulgata cum multis, & diuerſis prodigijs, *Exod. 19. 20. 24.* lex item Euangelica, *Actuum 2.* Exod. 19. Actuum 2.

Dixi autem promulgationem eſſe maximè de ratione legis poſitiuæ, quia ſunt qui putent diuulgationem nulla ratione deſiderari ad legem æternam, & naturalem, idque quod obligent indicando & demonſtrando, non autem præcipiendo, vel vetando.

Ceterùm, recedunt iſti à doctrina D. Tho. nam in reſponſione ad 1. huius art. ait legem naturalem promulgari hoc ipſo quod Deus inſinuauerit mentibus hominum eam naturaliter cognoſcendam. Deinde, fatentur plerique legem æternam fuiſſe promulgatam diuino verbo ex omni æternitate. Tertio, lex æterna & naturalis ſunt

vera

veræ leges, & ſic debent ſibi vendicare ea omnia quæ pertinent ad legem in vniuerſum ſpectatam, qua ratione differit de lege D. Thom. in hac tota quæſt. ac per conſequens promulgatio erit de ratione cuiuſlibet legis, ſaltem ex mente eiuſdem.

Promulgatio eſt de ratione legis poſitiua ex natura rei.

CONCLVSIO 2. *Promulgatio eſt de ratione legis præſertim poſitiuæ, nedum ex inſtitutione, ſed etiam ex ſe, & ex natura rei.* Primo, quia de ratione cuiuſlibet legis eſt eſſe regulam, quæ applicari proinde debet ad operandum: at regula nequit applicari ſinè cognitione eiuſdem: cùm ergo lex cognoſcatur per promulgationem, hæc ex ſe & ſua natura erit promulganda.

1.

2. Deinde, nulla extitit hactenus reſpublica, quæ vim condendi leges conceſſerit principi alicui, niſi ſtante conditione de ijs promulgandis, vt pluribus Salas hoc loco.

3. Tertiò, ſecluſa promulgatione leges poſitiuæ coniunguntur cum innumeris propemodum incommodis ſubditorum, vt conſtat exemplo legis irritatoriæ, aut derogatoriæ.

4. Quartò, lex quælibet, vt ſic, includit rationem præcepti, & obligationis per conſequens ad aliquid agendum vel prætermittendum: at ratio præcepti & obligationis ad agendum, aut omittendum aliquid cognoſcitur per promulgationem ſeu inſinuationem: ergo promulgatio ex ſe & ſua natura erit de ratione legis.

Sufficit ad legem promulgatio ſolemnis aut priuata.

CONCLVSIO VLTIMA. *Promulgatio ſolemnis non eſt de ratione legis, neque item promulgatio priuata, ſeu interna, ſed altera iſtarum indefinitè.* Primò, quia tota ratio cur promulgatio ſit de ratione legis eſt; quia lex non aliter cognoſcitur, quàm per promulgationem; atqui æquè cognoſcitur per priuatam, ac per ſolemnem publicationem.

1.

2. Deinde, qui ſcit legem aliquam à principe conſtitutam, certò & indubitanter tenetur ad obſeruationem huiuſmodi legis; etſi non conſtet illi certò legem iſtam eſſe cum ſolemnitatibus quibuſdam publicatam: ergo altera publicatio ſufficit.

Obiectio. Dices, Innocentium III. docere eum qui ſcit legem aliquam eſſe publicè editam, aut publicè promulgatam teneri ad legis obſeruationem: ergo.

Solutio. Reſpondeo, particulam iſtam, *aut*, non ſumi eo in loco diſiunctiuè, ſed copulatiuè; ac proinde ex eo loco non licet colligere vel ſolemnem publicationem eſſe neceſſariam, vel quamlibet ſcientiam ad legis conſtitutionem ſatis eſſe.

Solutio rationum dub. Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. Legem naturalem verè publicari, vt admonet

1. D. Thom. in reſponſione ad 1. huius articuli, ait enim legem naturalem hoc ipſo promulgari, quòd eam inſeruerit Deus mentibus hominum naturaliter cognoſcendam. Deinde, interpretes eiuſdem, maximè verò Vazquez putat legem naturalem promulgari ſecundarib ſpectatam, non autem primario; hac enim ratione dicit tantùm naturam intellectiuam ſeu rationalem; poſteriori vero modo dicit iudicium illud, quod recta ratio exprimit de rebus honeſtis exercendis, aut de turpibus vitandis.

2. Ad ſecundam reſpondeo, legem æternam non eſſe propriè legem, vt probabitur quæſt. proximè ſequente, ſed tantùm nobiliori & excellentiori modo, ſeu ratione quadam: ac proinde non eſſe mirum ſi deficiat hæc à conditionibus legis propriæ dictæ.

Iuxta alios, cum meliori alia ſolutio. Si quis tamen ſit, qui velit cum alijs authoribus legem æternam eſſe propriè legem, poterit reſpondere illam publicari ex omni æternitate in verbo diuino, vt docet D. Thom. art. 1. quæſt. 91. huius partis, ad 2. ait enim legem omnem publicari verbo aut ſcripto, & legem æternam fuiſſe publicatam diuino verbo, ſcriptam vero in libro vitæ.

Alij vero contendunt legem æternam eſſe rationem diuinæ ſapientiæ, cum voluntate eiuſdem obligandi, media lege naturali, vel poſitiua diuina, aut humana: & ſic legem æternam fuiſſe promulgatam quando lex naturalis, vel poſitiua diuina, aut humana promulgantur.

Dices, legem æternam ex omni æternitate fuiſſe legem. Reſp. hoc eſſe verum in actu 1. non vero in actu 2. Nam vt rectè obſeruauit D. Thom. loco proximè citato, lex æterna reſpicit Deum, & præterea creaturas, quæ ſubijciuntur huiuſmodi legi: primo enim modo concedit D. Thomas legem æternam fuiſſe legem ex omni æternitate, non autem poſteriori modo.

Dices, promulgationem legis æternę, factam fuiſſe in tempore, ſaltem ex ſententia quorumdam: temporale autem nequit dici de æterno. Reſpondeo, abſolutè negando minorem: nam creatio, incarnatio, & ſimilia, facta ſunt in tempore, & tamen iſta dicuntur de Deo. Reſpondeo 2. Legem æternam ſpectari vt dicit finis intentionem. Deinde, vt dicit eius executionem. Priori modo promulgatio non eſt de ratione legis æternę, ſaltem in doctrina quorumdam Thomiſtarum, ſecus poſteriori modo: ità enim hęc nihil aliud eſt quàm directio & ordinatio cuiuſlibet rei creatę in ordine ad ſuum finem.

3. Ad 3. conceſſa maiori, negando minorem: Ad probationem autem, legem baptiſmi non obligaſſe omnes & ſingulos mortales ante ſufficientem eius promulgationem, quod accidiſſe putant aliqui in die Pentecoſtes: ità communiter Thomiſtæ.

Alij vero contrà putant, promulgationem iſtam ſufficientem contigiſſe intrà illud tempus, in quo potuit lex hęc iudicio viri prudentis ad omnes omnino nationes huius vniuerſi peruenire. Ità Scotiſtę: qui tamen nouerant legem baptiſmi & neceſſitatem eiuſdem, ſtatim à Chriſti morte fuerunt obligati ad eius ſuſceptionem, ſaltem ſi peccatum originale non eſſet in ipſis remiſſum per circumciſionem, ſi ſermo ſit de Iudęis: per ſacramentum vero aliquod legis naturę, ſi loquamur de ijs qui non dederant nomen legi Moſaïcę; non enim à tempore mortis Chriſti aliud fuit remedium peccati originalis, quàm baptiſmus. Ad id vero quod ſubiungitur in eodem argumento colligi ex eo, quod nos docuimus, publicationem eſſe de ratione legis, genus humanum caruiſſe remedijs ad ſalutem neceſſarijs toto illo tempore quod interijcitur inter Chriſti mortem, & diem Pentecoſtes. Reſpondeo nuſquam concedendum eſſe de omnibus omnino mortalibus quod caruerint remedijs efficacibus & neceſſarijs ad ſalutem, etiam ad breuiſſimum tempus: nam ex doctrina D. Thom. quæſt. 93. art. 3. huius partis, ad 2. lex Euangelica, & Moſaïca, viuente Chriſto, concurrebant, id eſt obligabant.

Digitized by Google

Licèt non conueniat inter interpretes Diui Thom. qua ratione id verum sit: Sunt enim aliqui qui putent legem Euangelicam fuisse tum temporis in consilio respectu Iudæorum, in præcepto verò legem Mosaïcam; respectu autem Ethnicorum legem gratiæ fuisse in præcepto.

Lex Euangelica priùs emulganda Iudæis quàm gentilibus. Matth. 10. ℣. 5. Idem 15. ℣. 24. Actor. 13. ℣. 46.

Ceterùm istorum opinio nulla ratione defendi potest; nam constat ex sacris litteris legem Euangelicam priùs fuisse euulgandam apud Iudæos, quàm apud Ethnicos, Matth. 10. *In viam Gentium ne abieritis*, ait Christus Apostolis, & 25. *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.* & Actor. 13. ità alloquitur Petrus Iudæos. *Vobis oportebat loqui primum regnum Dei.* Deinde, dici non potest quin lex Euangelica viuente Christo plerisque Iudæis & Ethnicis fuerit promulgata: ergo saltem isti posita Christi morte tenebantur ad legis Euangelicæ obseruationem.

Obiectio.

Dices, legem Mosaïcam fuisse mortuam à primo instanti mortis Christi: ergo Iudæi qui nihil audierunt de lege gratiæ caruerunt remedijs ad salutem necessarijs, posita Christi morte.

Solutio.

Respondeo, negando consequentiam: nam licèt lex Mosaïca fuerit extincta & omnino inutilis post Christi mortem; non tamen fuit hæc mortifera statim à morte Christi: sed potuit & debuit hæc ab illis, qui nihil audierunt de Euangelio inculpabiliter obseruari; tamdiu enim tenetur quis ad alicuius legis obseruationem quamdiu non constat de eius abrogatione: supponimus autem Iudæos istos nihil audiuisse de institutione legis Euangelicæ, neque de reuocatione Mosaïcæ.

Ad id verò quod dicitur legem Mosaïcam fuisse inutilem statim à Christi morte: Respondeo hoc esse verissimum; pertinuisse tamen ad diuinam bonitatem & suauem prouidentiam eiusdem supplere defectum sacramenti circumcisionis & aliorum, quæ in ea lege fuerunt simpliciter necessaria ad salutem: illa eadem ratione, qua de facto in lege gratiæ supplet actualem quorumdam sacramentorum acceptionem, quando in re suscipi non possunt: idem est iudicium de sacramentis legis naturalis respectu eorum qui viuebant sub hac lege.

Aliorum responsio.

Alij verò putant, legem gratiæ viuente Christo, fuisse tantùm in consilio, respectu quorumcumque mortalium; & interueniente sufficienti promulgatione eiusdem post Christi mortem obligasse ex æquo omnes homines vbique locorum constitutos: eos verò qui viuente Christo sufficienter agnouerunt virtutem legis gratiæ obligasse statim à Christi morte, tamquam præceptum ad salutem simpliciter necessarium, quorum opinio videtur indubitata: nam ex epistola Pauli ad Hebræos, *Translato sacerdotio transfertur quoque lex*: certum autem est in morte Christi translatum esse sacerdotium legis Mosaïcæ in sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, & per consequens statim à Christi morte lex cœpit omnes obligare tamquam præceptum, qui nouerant legem gratiæ esse constitutam. Non est tamen negandum quin priuati aliqui, imò innumeri propemodum caruerint ad aliquod tempus efficaci remedio ad salutem necessario: diximus enim publicationem esse de ratione legis, & communis opinio defendit quamlibet publicationem non esse satis ad legem; sed desiderari sufficientem; certum autem est statim à Christi morte legem gratiæ non fuisse sufficienter promulgatam; ergo isti omnes caruerunt remedio ad salutem necessario, quibus lex gratiæ non erat sufficienter promulgata; nam nulla alia remedia habuerunt vim iustificandi post Christi mortem, præter ea quæ sunt à Christo instituta.

Hebr. 7. ℣. 12.

Obijcies, legem derogatiuam esse veram legem, & tamen promulgatio non est necessaria ad eius validitatem. *Obiectio.*

Respondeo, negando antecedens; lex enim propriè dicta præcipit, aut certè vetat aliquid agendum; lex autem derogatiua nec præcipit aliquid agendum, aut prohibet, sed tantùm destruit obligationem ad aliquid agendum, vel non agendum: ergo non est lex, propriè dicta. *Solutio.*

Ex istis omnibus articulis colligit D. Thomas definitionem legis in vniuersum sumptę, & ait legem esse rationis ordinem ad bonũ commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgatam: prima particula generis rationem habet: per hanc enim conuenit lex cum idea, prudentia, prouidentia, & similibus, in quibus reperitur vsus, & dispositio rationis: ceterę verò particulæ rationem quasi differentiæ legis consequuntur, per hanc enim separatur lex à quolibet alio. Vt autem hæc omnia pleniùs intelligantur *Corollarij.*

Aduerte, legem distingui à præcepto, mandato, seu iusso, à sententia, & à priuilegio: à tribus primis quæ solo nomine inter se distinguuntur, quia lex latiùs patet quolibet præcepto: omnis enim lex præceptum est, non è contra. Deinde, præceptum potest habere ortum à persona priuata: nam præterfamilias præcepta quędam imponit familię ad quorum obseruationem hęc tota tenetur: lex autem non potest habere ortum ab vllo planè priuato, sed ex se, & sua natura debet habere ortum à persona publica. Denique, præceptum positum à priuato destruitur morte præcipientis: lex verò minimè interueniente morte legislatoris, vt obseruat Armilla, Syluester, verbo, *præceptum*, *lex*, & alij communiter. A sententia verò distinguitur lex, quòd licèt hæc postulet personam publicam, non tamen ità, vt exigit lex: hæc enim emanare debet à suprema & vltima potestate. Sententia verò potest esse à iudice, qui superiores alios plures agnoscit. Postremò, qui sententiam seu constitutionem fert, debet eam ferre secundum leges sibi impositas à principe communitatis: Lex autem debet esse tantùm conformis rectæ rationi, & respicere bonum commune. A priuilegio denique, quia hoc respicit primò & per se bonum priuatum; lex verò bonum commune. Deinde, priuilegium ex multorum sententia censetur esse exceptio alicuius priuatæ personæ, aut plurium, à lege, manente hac eadem in pleno vigore, & robore in ordine ad quoslibet alios. *Lex distinguitur à præcepto, mandato, priuilegio, & sententia.*

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

Quódnam ſit ſubiectum legis.

Lex non habet pro ſubiecto intellectum legiſlatoris.

SVnt qui putent, legem locari in intellectu legiſlatoris tamquam in ſubiecto. Ceterùm, minùs rectè; nam ſi ità res haberet, ſublato legiſlatore deſtrueretur lex; deſtructis ſiquidem nobis, deſtruuntur omnia quæ ſunt in nobis, atqui poſita morte legiſlatoris non deſinit lex omnium conſenſu. Deinde, licèt lex magis poſita ſit in actu intellectus, quàm voluntatis legiſlatoris, non tamen conſurgit tantum ex actibus intellectus, & voluntatis legiſlatoris, ſed deſideratur vlteriùs ordinatio ad bonum commune, & promulgatio; quæ tamen duo poſteriora, non ſunt in ipſomet legiſlatore, vt eſt per ſe notum. Tertiò, lex videtur potius eſſe effectus aliquis procedens à legiſlatore, & receptus in ſubditis, quàm in intellectu legiſlatoris.

Lex eſt in legiſlatore, vt in regulante, & in inferioribus, vt in regulatis.

Dico igitur cum D. Thom. quæſt. 91. huius partis, art. 1. in corpore, legem recipi in legiſlatore, tamquam in regulante; in ſubditis verò tamquam in regulatis: ità vt lex recipiatur in iſtis duobus tamquam in ſuo ſubiecto morali. Primò, quia diximus legem eſſe quamdam entitatem moralem, exiſtentia autem rei moralis petitur ab æſtimatione & iudicio viri prudentis: ità vt tamdiu cenſeantur hæc entia moralia durare, quamdiu vir prudens iudicat ea exiſtere. Vir autem prudens tamdiu decernit legem aliquam extare, quamdiu lex illa non reuocatur à principe, & quamdiu ſubditi vtuntur ea, veluti regula quadam in ſuis actionibus exercendis.

A verò omnes verbo *Lex*, aut in tractatu de legibus. Legis æternæ meminit D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, cap. 27. & de vera religione, cap. 31. D. Auguſt. *Nec iam illud*, inquit, *ambigendum eſt, illam incommutabilem naturam, quæ ſupra rationalem animam ſit, Deum eſſe: & ibi eſſe primam vitam, & primam eſſentiam vbi eſt prima ſapientia. Nam hæc eſt illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars artificis.* & D. Thomas hoc loco, & quæſt. 71. huius partis. D. Thom. Legis verò naturalis meminit D. Hieronymus ad caput 7. Eccleſiaſtis: Hieron. Legis verò humanæ, D. Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana, capite 14. lib. 1. de libero arbitrio, capite 6. D. Auguſt. *Diſpiciamus ſi placet* B *diligenter quouſque per legem iſtam, qua populos in hac vita cohibet, malefacta vitiſcenda ſint*, Ariſtot. 10. Ethicorum, capite 9. Ariſtot. Plato in dialogis de legibus, D. Thomas hoc loco, & alij citati. Legis denique diuinæ mentionem facit Pſalmiſta, Pſalm. 118. *Beati qui ambulant in lege Domini.* Pſal. 118. Roman. 2. Chriſtus Lucæ 10. & Ioann. 7. & ℣. 1. alibi ſæpe. Patres, locis ſupra citatis.

Obijcies, dari leges omnino varias à proximè commemoratis: nam datur lex carnis, ſeu fomitis, ex Paulo Rom. 7. & lex ſpiritus, ex eodem Rom. 8. & denique lex Eccleſiaſtica; hæc enim eſt poſitiua, & tamen nec eſt humana, nec diuina, neque naturalis, neque æterna; & idem C eſt iudicium de lege ſpiritus & carnis. *Obiectio.*

Reſpondeo, leges iſtas reuocari ad quatuor traditas, ex D. Thom. hoc loco: nam lex ſpiritus reducitur ad legem poſitiuam diuinam; nomine ſiquidem legis ſpiritus, ſignificatur lex gratiæ: hæc autem cenſetur eſſe lex poſitiua diuina: cùm à Chriſto vero Deo, & homine traxerit originem; hæc autem gratiam confert mediis ſacramentis. Lex verò Eccleſiaſtica licèt finem multo præſtantiorem habeat, quàm lex ciuilis, ad humanam tamen reuocatur: quia etſi ortum habeat à Deo, non tamen proximè & immediatè, ſed media poteſtate & prudentia, quæ reſidet in D ſuperioribus Eccleſiaſticis: & ideò rectè humana vocari poteſt: lex verò fomitis metaphoricè tantùm & impropriè vocatur lex: nempe quod retineat aliquam ſimilitudinem cum lege propriè dicta: vti enim hæc conſtringit & obligat ſubditos ad aliquid agendum, aut omittendum; ità lex carnis afficit, & mouet mirum in modum creaturam rationalem ad aliquid agendum, quod rectæ rationi aduerſatur: ità enim loquitur Paulus, capite 7. Rom. *Non quod volo bonum, hoc ago*, ſcilicet ex dictamine rectæ rationis, *ſed quod nolo malum hoc facio*: id eſt quod recta ratio dictat eſſe bonum, hoc non ago, ſecundum appetitum ſenſilem ſcilicet, ſed malum iudicatum ſecundum rationem, id facio ſe- E cundum propenſionem appetitus ſenſilis: aut etiam lex carnis nuncupatur lex, vt obſeruat D. Thomas articulo vltimo huius quæſt. quòd deordinatio fomitis in poſteris Adæ habeat ortum ex tranſgreſſione legis primis parentibus impoſitæ: ità vt nomen cauſæ tribuatur effectui, licèt effectus hic verè non ſit lex. *Solutio.* Rom. 7. ℣. 20. & 19.

QVÆSTIO XCI.

De diuiſione Legum.

RTICVLO 1. Docet D. Thomas extare legem æternam.

ARTICVLO 2. Legem naturalem.

ARTICVLO 3. Legem humanam.

ARTICVLO 4. Legem diuinam.

ARTICVLO 5. Legem æternam eſſe vnam tantùm legem.

ARTICVLO VLTIMO. Præter iſtas leges admittendam eſſe legem fomitis. Circa iſtos ſex articulos ſit

DVBITATIO PRIMA.

Quotuplex ſit Lex.

Lex quadruplex.

CONCLVSIO. *Lex eſt quadruplex*: diuiditur enim in æternam, naturalem, humanam, & diuinam poſitiuam: ità D. Thomas hoc loco, & communiter Sententiarij in 3. diſt. 37. Caſuiſte

Digitized by Google

DVBITATIO SECVNDA.

Quid sit Lex æterna.

Lex æterna est ratio diuinæ sapientiæ.

REspondeo esse rationem diuinę sapientię, per quam res quęlibet creata dirigitur & ordinatur in finem sibi conuenientem: ità D. Thomas hoc loco, & quęstione 93. huius partis, Alensis 3. parte, quęstione 22. membro 1. & 3.

Duæ actiones Dei ad extra.

Vt autem hęc definitio intelligatur Aduerte, Deum exercere duas actiones circa res creatas, quarum prima dicitur creatio, secunda gubernatio: per primam, res istę creatæ, transeunt à non esse simpliciter, ad esse, per secundam vero quælibet res creata mouetur & ordinatur in suum finem: lex ergo æterna dicit gubernationem actuum creaturæ tendentis in proprium finem.

Deus operatur per intellectum, & voluntatem.

Aduerte 2. Deum nihil extra se operari, nisi ad id concurrant eius intellectus & voluntas: nam Deus est gens quammaximè liberum ad extra. Deinde, Deus est agens perfectissimum, ac proinde operatur ex cognitione finis. Denique, scientia Dei & voluntas ciusdē, sunt causa rerum, ex D. Thom. 1. part. quæst. 14. ac per consequens antequàm quidpiam operetur Deus ad extra, præconcipit intrà seipsum formam aliquam ad cuius imitationem postea producit illud omne, quod extra se facit: illa eadem ratione, ceteris tamen paribus, qua artifices proponunt sibi simulacrum aliquod ad cuius imitationem opus postea quod intendunt producunt. Neque verò id præstat tantùm Deus respectu cuiuslibet entitatis, quam de facto extra se produsit, sed etiam respectu omnis directionis & motus, aut actus creaturarum; ità vt ista forma intrà diuinam essentiam præconcepta sit ratio operandi Deo; cum hoc tamen discrimine, quòd forma per quam mouetur Deus ad producendas entitates creaturarum sit idea; forma verò per quam Deus dirigit motus & actus creaturarum in suos fines, sit lex: atque ità explicanda est definitio prima posita; lex enim æterna non est ratio, seu ordinatio diuinæ sapientiæ, qua entitates rerum creatarum producuntur, sed tantùm qua motus & actus earumdem in debitum finem ordinantur.

Obiectio.

Dices, ex istis colligi legem æternam esse idem cum idea & prouidentia æterna; nam idea definitur à D. Thom. 1. part. quæst. 15. id ad cuius imitationem agens per intellectum aliquid producit: Deus autē ad imitationem illius conceptus seu formæ quam præconcepit ex omni æternitate, produxit res istas creatas, & easdem ordinauit in suos fines: ergo lex æterna erit idea.

Solutio.

Respondeo, concessa maiori, negando minorem: Deus enim non dirigit creaturas in suos fines per illum conceptum quem in se habuit ex omni æternitate de rebus istis creatis producendis, sed tantùm per illum conceptum quem in se habuit de motibus & actionibus rerum creatarum ordinandis in suos fines: primus autem ille conceptus dicitur idea rerum creatarum; posterior verò dicitur lex æterna, & proinde de lege æterna videtur sentire D. Thom. hoc loco, quòd nulla ratione distinguatur à diuina prouidentia: nam prouidentiam definit D. Thom. part. 1. quæstione 22. directionem seu ordinationem rerum quarumlibet in fines sibi conuenientes, illud autem idem docet hoc loco de lege æterna: quæstione tamen 5. de veritate, assignat discrimen inter legem æternam & prouidentiam diuinam, quòd æterna contineat regulas maximè communes, & generales quibus res istæ creatæ ordinantur in suos fines: prouidentia vero diuina contineat tantùm priuatas & singulares regulas quibus vnaquæque res dirigitur in suum finem.

ROGABIS, *An lex æterna tribuat vim Lex æterna confert vim aliis omnibus legibus.*

RESPONDEO *affirmatiuè.* Primùm, quia *aliis legibus.* ità D. Thomas art. 3. huius quæst. saltem de lege humana. Deinde, ex cap. 8. Prouerb. *Per me* ℣. 15. *reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Ioann. 19. Ioann. 19. *Non haberes potestatem aduersùm me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Ad Rom. 13. *Non* Rom. 13. *est potestas nisi à Deo, & quæ resistit potestati, Dei* ℣. 1. & 2. *ordinationi resistit.* Tertiò, ex Patribus, Auguſt. D. Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio, capite 6. *Simul etiam te videre arbitror in ista temporali lege, nihil esse iustum atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines dernauerint.* & capite 21. lib. 5. de Ciuitat. *Non tribuamus dandi regni imperijque potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum solis pijs; regnum verò terrenum & pijs & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet.* & quibusdam interiectis: *Quis dedit Mario, ipse Caio Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni, qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo, & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano.* Denique ratione: Bonitas omnis quæcumque illa sit est participatio quædam diuinę bonitatis, siue sermo sit de bonitate entis, siue de bonitate morali: ergo & rectitudo omnis quæcumque illa sit, erit similiter participatio quædam diuinæ rectitudinis: ergo cùm omnis lex sit recta, & lex æterna sit ipsamet prima rectitudo, ab hac repetenda erit rectitudo quæuis, quæ in alijs legibus est. Deinde, lex æterna ordinat & dirigit quælibet creaturam in finem sibi conuenientem: ergo cùm alię leges ad hunc etiam finem dirigant creaturam, profectò leges istę sunt quędam participationes legis æternæ. Tertiò, causarum secundarum vis est desumenda à prima causa: ergo vis cuiuslibet legis erit à prima: hęc autem est lex æterna: ergo.

Obiectio.

Dices, dari leges aliquas quibus Catholici homines adiudicantur morti, hoc solo nomine, quod sint Catholici, aut quod diuinam legem explicent mortalibus, contra Principum quorumdam mentem, vt in Anglia, Scotia, & in alijs regnis labe Caluiniana commaculatis.

Solutio.

Respondeo, leges illas non esse leges, sed potius constitutiones iniquas: nos autem loquimur hîc de legibus veris, quę semper sunt cum æquitate coniunctę, & de istis dicimus quod illarum rectitudo sit à lege æterna repetenda

Digitized by Google

DVBITATIO TERTIA.

An lex æterna ſit vna, vel multiplex.

Lex æterna eſt vna.

CONCLVSIO. *Lex æterna eſt vna, & realiter & formaliter, ſiue ratione.* Primo demonſtratur: lex æterna realiter ſpectata eſt ipſamet ratio diuinę ſapientię: atqui ratio iſta eſt vna entitas ſimpliciſſima, cùm ſit idem cum diuina eſſentia, quæ excludit omnem omnino compoſitionem. Deinde, attributa ea tantùm diſtinguuntur realiter in Deo quæ opponuntur inter ſe: atqui lex æterna realiter ſpectata computatur inter attributa diuina, & hæc nullam dicit oppoſitionem cum aliquo alio, eſt enim abſolutum attributum, non autem reſpectiuum: ergo.

Secundum vero probatur: lex illa cenſetur eſſe vna formaliter, quæ habet tantùm vnum finem ſpecie diſtinctum ab omnibus alijs, vel certè quaſi ſpeciem: atqui lex æterna vnum tantùm reſpicit finem, nempe bonum commune rerum creatarum. Deinde, lex æterna definitur, ratio diuinę ſapientię per quam motus & actus creaturarum diriguntur in ſuos fines: ergo hæc erit vna formaliter, ſiue ratione.

Obiectio. D. Auguſt.

Dices, D. Auguſt. cap.22. lib.9. de Ciuitate, loqui de lege æterna in plurali numero.

Solutio.

Reſpondeo, D. Auguſt. eo in loco modum hunc loquendi retinuiſſe reſpectu diuerſorum præceptorum, ſeu priuatarum regularum, quæ dantur in lege æterna, medijs quibus res iſtę creatę conſideratę in particulari ordinantur, & fines ſuos conſequuntur; non autem de ipſamet lege æterna loquutus eſt ſanctus Doctor: hęc enim, licèt in ſe ſit vna realiter & formaliter, in ordine tamen ad iſtas particulares præceptiones eſt varia & multiplex, illa eadem ratione, qua prouidentia diuina cenſetur eſſe vna realiter & formaliter in ſe ſpectata in ordine tamen ad res quarum Deus habet prouidentiam, illa cenſetur eſſe varia & multiplex iuxta diuerſum modum dirigendi res iſtas ſingulares in ſuos fines.

DVBITATIO VLTIMA.

An lex æterna ſit verè & propriè lex.

Ratio dubitandi.

1. RAtio dubitandi prima eſt: quia D. Thomas totus in eo eſſe videtur, vt affirmet legem æternam eſſe verè & propriè legem; conditiones ſiquidem traditas quæſt. 90. legis propriè dictę docet conuenire legi æternę, vt videre eſt quæſt. 91. & 93.

2. Secundò, nuncupatur lex iſta non minus lex quàm alię leges in ſacris litteris, Prouerb. 8. *Et* *Prouer. 7. verſ. 29.* *legem ponebat aquis.*

3. Tertiò, lex æterna dicitur prima & ſumma lex, *D. Auguſt.* ex relato D. Auguſtino, in ſuperioribus: imò docet lib.1. de libero arbitrio leges omnes alias participare naturam & eſſentiam legis æternę.

4. Denique, lex æterna eſt norma, ſeu regula agendorum obligarque creaturam rationalem non minùs ac aliæ leges: ergo eſt verè & propriè lex.

Lex æterna eſt nobiliori modo lex, non propriè.

CONCLVSIO. *Lex æterna non eſt verè & propriè lex, ſed altiori & nobiliori modo, quàm lex naturalis, diuina, & humana poſitiua.* Primò, quia lex propriè dicta eſt regula proxima & immediata agendorum, reſpectu eorum quibus lex iſta eſt impoſita; atqui lex æterna non eſt in nobis regula proxima & immediata agendorum, ſed tantùm remota.

Deinde, lex æterna eſt ipſimet Deo ratio dirigendi res creatas in ſuos fines: Deo autem nulla conuenit lex propriè dicta. 2.

Tertiò, D. Thom. docet neminem imponere propriè legem ſuis actibus; hinc vox illa communiſſima Iuriſconſultorum, Princeps cenſetur eſſe ſolutus ſuis legibus. 3.

Quartò, lex æterna non minùs eſt lex æterna ex omni æternitate, quàm iam ſit; at ex omni æternitate non potuit eſſe propriè & verè lex: nam lex propriè dicta ità reſpicit ſubditos, vt ſinè iſtis natura legis propriè dictę nullo modo poſſit conſurgere. 4.

Quintò, lex propriè dicta ex dictis quæſt. 90. debet eſſe præceptum ſiue imperium: at lex æterna non habet rationem præcepti & imperij, reſpectu omnium creaturarum, quæ tamen omnes ſubijciuntur legi æternę, ex D. Thom. art. 6. quæſt.93. huius part. nam creaturę inſenſiles & irrationales non ſunt capaces præcepti, ſed ſolæ rationales, cùm præcepta includant rationem meriti vel demeriti, laudis aut vituperij, pœnę & præmij: hæc autem in ſola creatura rationali locum habere poſſunt. 5.

Sextò, promulgatio eſt de ratione legis propriè dictę art.4. quæſt. proximè antecedentis: at promulgatio nequit dici de lege æterna, ſaltem ex omni æternitate; nam quod diximus ex D.Tho. legem æternam fuiſſe publicatam verbo, ex omni æternitate; gratis planè adducitur; publicatio ſiquidem legis propriè dictę reſpicit ſubditos, non autem legiſlatorem ipſum; ſubditi autem non fuerunt ex omni æternitate: ergo nequit dici publicata. 6.

Soluuntur rationes dubitandi.

Ad rationes vero dubitandi reſpondeo. Ad 1. ex D. Thom. ſolùm colligi poſſe, legem æternam eſſe legem altiori & nobiliori modo, quàm ſint ceterę leges, non autem propriè; nam ex eodem authore lex æterna non promulgatur ſubditis, ſed tantùm filio, qui tamen nulla ratione ſubijcitur imperio alicuius. Deinde, fatetur D. Thom. neminem imponere legem propriè dictam ſuis actibus; lex tamen æterna eſt quaſi impoſita actionibus Dei.

Ad 2. Reſpondeo, D. Auguſtinum eo in loco non loqui de lege æterna, ſed potiùs de lege naturali: nam lex æterna eſt regula generalis & communiſſima dirigendi creaturas quaſlibet in ſuos fines: D. Auguſt. autem loquitur de illa directione ſolius creaturæ rationalis in ſuum finem, quæ videtur eſſe idem cum lege naturali. 2.

Ad aliud vero teſtimonium D. Auguſtini. Reſpond. leges poſitiuas diuinas & humanas, & item naturalem nuncupari participationes legis æternæ; non quod attingant naturam & eſſentiam legis æternæ per vniuocam communicationem, ea ratione, qua indiuidua alicuius ſpeciei participant naturam generis & ſpeciei, ſed hoc ſolo nomine quod ſint quidam effectus ſynonymi legis æternæ.

Vlt.

Ad vltimam, legem æternam nec eſſe proximam regulam agendorum reſpectu creaturæ rationalis, nec item habere rationem præcepti in ordine ad creaturam rationalem, & per conſequens nec eſſe propriè legem: concedendum eſt tamen de creatura rationali, quod ſubijciatur aliqua ratione legi æternæ, quatenus ſcilicet lex æterna habet rationem menſuræ, & regulæ primæ, cui

Digitized by Google

conformandæ sunt actiones creaturæ rationalis. A

QVÆSTIONE XCII. Disputat D. Thom. de effectibus legis in vniuersum: docet autem de hac re, legem facere eos quibus imponitur bonos, de qua re nullus superest dubitandi locus: promittitur enim vita æterna obseruantibus legem, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Luc. 10. *In lege quid scriptum est? hoc fac & viues.* Rom 2. *Non auditores legis iustificabuntur, sed factores.* Deinde, lex respicit bonum commune; atqui finis & bonum sunt vnum & idem.

Matth. 19. vers. 17. Luc. 10. vers. 26. Rom. 2. vers. 13.

Secundum est proximos & præcipuos legis effectus esse præcipere, vetare, permittere, & punire, qua de re conuenit etiam inter omnes: nam B de ratione legis est quòd sit imperium, seu præceptum, idque vel operandi, vel aliquid omittendi. Deinde, lex permittit ea quæ sunt indifferentia, imò ea etiam quæ sunt honesta, ne fiant saltem certò quodam tempore, putà tamdiu quamdiu non incumbit necessitas adimplendi præceptum affirmatiuum: punire denique itémque remunerare conuenit legi; est enim hæc ità coniuncta cum omni bono opere, & item cum malo, vt huic debeatur pœna; illi verò merces aliqua: erit ergo legis punire & præmiare. Cetera vide apud sanctum Doctorem.

QVÆSTIONE XCIII. Disserit de lege æterna, idque per sex Articulos: quæ autem difficultatem habent fuerunt à nobis explicata quæstione 91.

QVÆSTIO XCIV.

De lege naturali.

ARTICVLVS PRIMVS.

An lex naturalis sit habitus.

DVBITATIO PRIMA.

An lex naturalis sit actus, vel habitus.

Aliquorum sententia & fundamenta.

SVNT qui putent legem naturalem esse habitum: Idque quòd habitus difficili ratione moueatur à subiecto, & quòd facilitet potentiã in suis operibus exercẽdis; atqui lex naturalis facilitat hominem in actionibus honestis exercendis, & nulla ratione E dimoueri potest à subiecto cui inest. Deinde, lex naturalis aut est actus, aut habitus; atqui non est actus (durat enim hæc in homine nihil planè operante aut cogitante) ergo est habitus. Ità Alensis 3. part. quæst. 22. memb. 2. Bonauent. in 3. dist. 29. art. 2. & alij nonnulli.

Lex naturalis non est habitus aut qualitas infusa. 1.

CONCLVSIO 1. *Lex naturalis non est habitus, aut vlla planè qualitas infusa, aut acquisita.* Primò, quia omnis habitus quilquis, ille sit, est definitus aut ad bonum, aut ad malum: at lex naturalis non est determinata aut ad bonum, aut ad malum; sed prohibet hæc tantùm mala, præcipit verò honesta.

Deinde, omnis habitus infusus aut acquisitus absolutè loquendo remoueri potest ab homine; atqui lex naturalis nequit planè separari ab vllo homine, saltem in actu primo, quod dico propter amentes & pueros in quibus lex naturalis non est in actu secundo; non enim vsus rationis rectæ datur in istis, qui tamen pertinet ad legem naturalem, ex doctrina D. Thom. hoc loco. 2.

Tertiò, habitus morales comparantur vt plurimum ex iteratis & frequentatis actibus: lex autem naturalis non acquiritur, sed coniungitur cum natura rationali creata ità necessariò, vt ab ea separari nullo modo possit: ergo nequit esse habitus. Ità D. Thom. hoc loco, Caiet. Conradus, & alij plerique. 3.

CONCLVSIO 2. *Lex naturalis est actus, aut certè quidpiam conceptum à nobis per modum actus.* Ità D. Thom. art. 2. huius quæst. ait enim legem naturalem esse aliquid per rationem institutum, & quæst. 90. art. 1. & quæst 92. art. 2. idem planè dicit. *Lex naturalis est actus.*

Deinde, lex naturalis nihil aliud est, quàm præscriptio rectæ rationis, qua per lumen à natura nobis insitum cognoscimus hæc esse agenda, quia honesta; illa verò vitanda, quia turpia. Confirmatur: Lex naturalis definitur à multis iudicium, seu dictamen rectæ rationis de rebus agendis vel vitandis: atqui iudicium hoc omnium C consensione est actus intellectus: ergo.

Cùm autem diximus, legem naturalem esse iudicium, id non est præcisè intelligendum de quolibet iudicio; iudicant enim pueri & amentes aliqua ratione de rebus agendis, & tamen lex naturalis non est in illis, saltem in actu secundo: nomine ergo iudicij, significatur iudicium, quod est coniunctum cum cognitione perfecta, quódque habet annexam rationem imperij, regulæ, siue normæ conformi rectæ rationi: hoc enim iudicium ex sententia D. Thom. est necessarium ad legis naturalis essentiam constituendam: diximus enim ad quæst. 90. huius part. de ratione legis propriè dictæ esse imperium; atqui solum iudicium, præcisè spectatum, non præcipit, aut vetat: ergo neque hoc solum iudicium constituet naturam & essentiam legis naturalis. D

Ex istis colliges, legem naturalem nihil aliud esse, quàm præscriptionem eorum quæ sunt agenda, vel vitanda, ex dictamine rectę rationis.

Ad rationes verò authorum primę sententię respond. Ad primam, legem naturalem non esse habitum; tum quia non iuuat aut facilitat hæc hominem in suis actionibus exercendis; tum quia per omnipotentiam Dei nequit hæc remoueri à natura intellectiua & rationali; quod tamen concedendum est de omni habitu propriè dicto: non est tamen negandum quin lex naturalis maneat in nobis ad modum habitus aliqua ratione; nam transacto actu, recta ratio iudicat aliquid agendum, & simul imperat: vnde iudicium hoc verè perseuerat in nobis, illa eadem ratione qua transacto actu peccati, actus hic censetur manere habitu; nuncupatur enim propterea peccatum habituale. Deinde, quia licèt recta ratio non semper actu iudicet aut præcipiat aliqua vitanda vel agenda, semper tamen est apta nata præcipere & iudicare agenda esse quæ sunt rectę rationi consona, quæ verò sunt turpia vitanda. *Solutio rationum dubitandi.* 1.

Dices, legem naturalem destrui in nobis per actum contrarium, illa eadem ratione, qua peccata destruuntur per actum contritionis. *Replica.*

Respon-

Digitized by Google

Diſſoluitur. Reſpondeo, legem naturalem non poſſe deſtrui in nobis, illa eadem ratione, qua peccata tolluntur; etiamſi loquamur de lege naturali in actu ſecundo, nempe reſpectu iudicij & imperij de rebus agendis: præſertim reſpectu illius iudicij quod lex naturalis format de agendis, aut vitandis, circa prima principia eiuſdem, qualia ſunt: *Omne bonum eſt amplectendum; Omne malum eſt vitandum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; & ſimilia: reſpectu verò concluſionum deductarum ex principiis legis naturalis non eſt negandum, quin lex naturalis poſſit hac ratione deleri in nobis, non tamen vllam actu primo aboleri à creatura rationali poteſt.

2. Ad ſecundam, reſponſum fuit Concluſione ſecunda: diximus enim illic, legem naturalem eſſe actum, aut certè quidpiam, quod accedit ad naturam actus; id autem quidquid ſit manet in nobis ad modum habitus, nedum in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo.

DVBITATIO SECVNDA.

An lex naturalis obliget, & quando incipiat obligare.

Lex naturalis obligat ſub mortali. Matth. 15. verſ. 19. 1. Cor. 6. verſ. 9.

CONCLVSIO 1. *Lex naturalis obligat ad peccati mortalis reatum in omni re notabili.* Primò, quia actiones factę contra præceptum iuris naturalis vocantur in ſacris litteris malę, Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta*, &c. hæc enim omnia prohibentur iure naturali.

Deinde, qui peccat circa præceptum iuris naturalis, beatitudine æterna priuatur cap. 6. prioris ad Corinth. *Adulteri, molles, rapaces, &c. regnum Dei non poſſidebunt*, furtum autem, mollities, & adulterium vetantur iure naturali.

Tertiò, omnis lex quæcumque illa ſit ad reatum peccati mortalis obligat in re notabili, ex communi doctrina: ergo à fortiori illud idem præſtabit lex naturalis; cùm leges omnes inferiores, quales ſunt omnes poſitiuę, ſint participationes quædam legis naturalis. Confirmatur: Peccatum definitur deuiatio à lege; à D. Auguſtino verò contra Fauſtum lib. 22. cap. 27. Dictum, factum, & concupitum contra legem æternam: at lex æterna, ex multorum ſententia, eſt ratio diuinę ſapientię, mouentis res creatas in ſuos fines, vnà cum voluntate obligandi media lege naturali, vel qualibet alia poſitiua.

Denique, pœna æterna debetur ei qui auertitur à Deo, tamquam ab vltimo fine, & conuertitur ad creaturam, tamquam in vltimum finem; atqui tranſgreſſor legis naturalis auertitur à Deo, & conuertitur ad creaturam: ergo debetur illi pœna æterna, quæ præſupponit peccatum mortale.

Obiectio. Dices, nullam legem obligare ad reatum peccati mortalis, niſi poſita eiuſdem promulgatione; atqui non poteſt dici quando lex naturalis fuerit promulgata, aut promulgetur.

Solutio. Reſpondeo, docuiſſe nos art. 4. quæſt. 90. huius partis, ex D. Thomę ſententia, legem naturalem ſufficientiſſimè promulgari tum, cùm inſinuatur hæc mentibus hominum naturaliter cognoſcenda; quod idem eſt, ac ſi diceret, legem naturalem tunc temporis promulgari, quandocumque natura rationalis communicat alicui creaturę, quæ per præſidia à natura ſibi inſita ſeu concęſſa, poteſt naturaliter cognoſcere hoc eſſe turpe, & rationi diſconueniens, illud verò conueniens & conforme, & proinde dictare hoc eſſe agendum, illud verò vitandum.

CONCLVSIO 2. *Lex naturalis obligat hominem quamprimùm peruenit ad ætatem rationis.* Primùm, quia in eo inſtanti tenetur homo conuertere ſe in Deum tamquam in vltimum finem, idque ad reatum peccati mortalis, ex doctrina D. Thom. & probat plurimus Franciſcus à Victoria, in relectione de eo, ad quod tenetur homo vbi peruenit ad ætatem rationis. *Quonam tempore incipiat obligare lex naturalis.* 1.

Deinde, ratio naturalis dictat Deum eſſe maximè colendum, idque quamprimùm id commodè fieri poteſt; at adepto vſu rationis quis poteſt cognoſcere Deum. 2.

Tertiò, vix poteſt dici quando ſit illud aliud tempus, quo tenetur homo ad obſeruationem legis naturalis; præſertim cùm lex naturalis ſit ità coniuncta cum natura intellectiua, vt ab ea ſeparari non poſſit, & ratio naturalis dictat agnoſcendos eſſe benefactores, quamprimùm innoteſcit ratio beneficij; hæc autem omnia accidunt, aut etiam contingere poſſunt quamprimùm peruenit homo ad ætatem rationis: ergo tunc temporis obligabit naturalis lex. 3.

Obiectio. Dices, extare aliquos inter homines, qui vix intelligunt dari Deum.

Solutio. Reſpondeo, ſtante hac hypotheſi, certiſſimum eſſe de tota hominum ſocietate non poſſe affirmari, non agnoſcere diuinitatem aliquam; ac proinde de hac eadem ſocietate concedendum eſt, & item de illis omnibus qui vſum rectę rationis retinent, obligari ad conuertendum ſe in Deum, quamprimùm vſum rectę rationis attigerunt, idque iuxta dignitatem cognitionis, quæ datur in ipſis de Deo, & ceteris aliis præceptis legis naturalis; nam cùm voluntas noſtra ſit cæca, eatenus præcepta legis naturalis obligant, quatenus voluntas fuerit illuſtrata, medio intellectu, de his vel illis agendis: Lumen autem rectę rationis, vt plurimum in omnibus planè mortalibus illucęſcere conſueuit circa annum ſeptimum, & per conſequens definitur hic annus, veluti tempus prædeterminatum ad legis naturalis adimpletionem, ex quorumdam ſententia. Alij enim communiter ponunt tempus hoc iudicio viri prudentis eſſe determinandum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Virùm lex naturalis variis & diuerſis conſtet præceptis, ea tamen remanente vna.

Lex naturalis multiplex & vna. DIVVS Thom. reſpondet affirmatiuè, de primo namque nullus eſt qui dubitare queat: Sunt enim decem præcepta decalogi, & tamen hæc omnia ſunt iuris naturalis, etiam præceptum de Sabbatho ſanctificando, ſaltem ſecundum ſubſtantiam; quod dico, quoniam ſecundum modum eſt de iure diuino poſitiuo; propterea enim mutatus fuit modus huiuſmodi præcepti in lege gratię. Deinde, lex naturalis conſurgit ex præcepris per ſe notis, & item indemonſtrabilibus, cuius generis ſunt iſta. *Omne bonum eſt amplectendum: Omne malum eſt fugiendum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, & ſimilia: & præterea ex concluſionibus deductis ex prin-

Digitized by Google

cipiis istis per se notis: atqui principia ista, itémque Conclusiones ex illis deductę, sunt varię & diuersæ: ergo. Tertiò, lex naturalis dictat colendos esse parentes: non esse fœnerandum, nihil esse ex mutuo, quatenus mutuum est, accipiendum; & similia: at ista omnia sunt inter se quàm maximè diuersa: ergo lex naturalis constat diuersis præceptis. A

Secundum autem documentum probatur: lex naturalis habet ortum ab vna & eadem planè natura intellectiua. Deinde, respicit eumdem planè finem, qui est conformiter rectę rationi viuere: ergo vna est.

Dices, legem reperiri in illis omnibus in quibus reperitur ratio: ergo tot erunt leges naturales, quot erunt rationes, seu naturę intellectiuę. B

Respondeo, hoc argumento tantùm probari legem naturalem esse variam & multiplicem secundum numerum; non autem secundum suam speciem, qua tamen ratione loquitur D. Thom. quando asserit legem naturalem esse vnam.

Articvlo 3. docet actus quarumcumque virtutum pertinere ad legem naturalem, si spectentur isti in vniuersum & in communi; minimè verò actus cuiuslibet virtutis in particulari: de hoc nulla planè est difficultas; nam actus fidei, spei, & charitatis sunt actus virtutis, & tamen isti non subijciuntur legi naturali, cùm hæc ordinet C creaturam in finem naturalem; actus verò prędicti ordinent eamdem in finem supernaturalem. Deinde, actus multarum virtutum sunt tantùm in consilio, (vt constat ex illis virtutibus quæ versantur circa consilia Euangelica) quæ verò sunt iuris naturalis sunt in præcepto. Denique, lex positiua multa præcipit, quæ non subijciuntur saltem per se & directè iuri naturali: De illo verò, maxima est difficultas; propterea enim vult D. Thom. actus quarumcumque virtutum in communi spectatos, pertinere ad legem naturalem, quia ratio boni reperitur in istis actibus, & item quia conducere possunt ad finem legis naturalis; at rationes istę probant actus fidei, spei, D & charitatis, & cuiuslibet alterius virtutis per se infusæ subijci legi naturali; quod tamen ex proximè dictis patet esse falsum: sunt enim actus isti alterius ordinis ab actibus qui subijciuntur legi naturali: ergo explicanda est mens D. Thom.

Dico ergo, doctrinam istam D. Thom. restringendam esse ad actus quatuor virtutum Cardinalium, & de his asseruisse maximè, quòd sint in præcepto legis naturalis, saltem in communi, & in vniuersum.

Articvlvs 4. fuit explicatus artic. 3. huius quæst. diximus enim legem naturalem esse vnam, licèt habeat diuersa principia.

ARTICVLVS QVINTVS.

An lex naturalis mutari possit.

DVBITATIO PRIMA.

An lex naturalis mutari queat.

Dvplex legem aliquam posse mutari aut additione alicuius præcepti, aut subtractione præcepti, vel præceptorum quorumdam: & hoc posteriori modo adhuc dupliciter: nam vel tota lex secundum omnia vel singula sua præcepta destrui potest, vel quoad præcepta aliqua tantùm: idque quòd ista præcepta hîc & nunc, in his & illis circumstantiis, manifestam inuoluant iniustitiã si obseruentur, vel quod per legislatorem eximatur aliquis ab obseruatione istorum præceptorum, præceptis his manentibus in pleno robore, respectu eorum omnium, qui subijciuntur huic legislatori, & legi. *Quibus modis mutari possit lex.*

Quærimus ergo hoc loco, an lex naturalis possit omnibus istis modis mutari.

Conclvsio 1. *Lex naturalis mutari potest additione alicuius præcepti.* Primò, quia ità D. Thom. hoc loco, & Sententiarij in 3. dist. 37. *Lex naturalis mutari potest additione alicuius præcepti.*

Deinde, præcepta legis naturalis non ità sunt explicata, & nobis nota quin in potestate Dei sit ex illis præceptis nobis notis conclusionem aliquam colligere nobis incognitam: certum enim est Deum longè perfectiori modo intelligere præcepta iuris naturalis, quàm vlla planè creatura rationalis: atqui lex naturalis mutaretur additione istius Conclusionis, mutatione perfectiua vt loquuntur: ergo.

Tertiò, leges humanę positiuę ex multorum sententia nihil aliud sunt, quàm additiones aliquæ legis naturalis: ergo secundum commemoratam rationem lex naturalis mutari potest.

Conclvsio 2. *Lex naturalis secundum se totam deficere non potest: seu, in nullo planè casu lex naturalis mutari potest: idque ità, vt desinat obligare, vel quia continet manifestam iniustitiam, vel quia reuocari potest ab aliquo legislatore, saltem inferiore Deo.* Primùm, quia lex naturalis dicitur simpliciter immutabilis: ità Lactantius lib. 6. diuinarum institutionum cap. 8. *Est quidem vera lex,* inquit, *recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium, iubendo, vetando, à fraude deterreat: quæ tamen nec probos frustra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando mouet.* & Isidorus lib. 5. Originum cap. 4. & refertur in cap. *Ius naturale,* dist. 1. *Ius naturale est commune omnium nationum, eò quòd vbique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur.* & D. Augustin. lib. octuaginta trium quæstionum, quæst. 31. D. Thomas hoc loco, & communiter omnes. *Lex naturalis nunquam desinere potest.* Lactant. Isidorus. D. August. D. Thom.

Deinde, lex naturalis continet ipsammet rationem iustitię, & est idem cum natura rationali, saltem primariò spectata; at ratio iustitię, itémque natura intellectiua mutari non potest: ergo neque lex.

Tertiò, lex naturalis consurgit ex istis principiis communissimis, *Bonum est per se quærendum; Malum est fugiendum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*

Digitized by Google

fecerit, & ſimilibus: at iſta principia in nullo planè caſu deficere poſſunt; ſi quis enim vult aliquid affectu proſequutionis, debet neceſſariò illud velle, quia bonum eſt. Si quis etiam fugit aliquid, recedit ab eo, quia in eo datur vel apparet ratio mali.

Denique, tota lex naturalis in nullo planè caſu admittere poteſt epieichiam, ſeu quod idem eſt, æquam iuris interpretationem: ergo tota lex naturalis nequit deſinere obligare, ſeu mutari per ceſſationem, aut abrogationem.

In ordine ad perſonã particularẽ aliquando lex naturalis mutari poteſt.

CONCLVSIO 3. *Præceptum aliquod particulare legis naturalis mutari poteſt, ità vt deſinat obligare, non quidem reſpectu communitatis alicuius, ſed reſpectu perſonæ cuiuſdam priuatæ.* Primùm, quia docet Ariſtoteles lib. 5. Ethicor. cap. 7. ius naturale deficere aliquando, & per conſequens ſtatuendum eſt pati æquam iuris interpretationem; quod aduerto contra pleroſque recentiores.

Deinde, conſeruatio vitæ propriæ eſt de iure naturali; qui enim præcipit ne alium occidat priuata authoritate, prohibet etiam ne quis ſeipſum occidat.

Tertiò, regula dilectionis proximi eſt regula dilectionis ſuiipſius, ex verbis Chriſti, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum:* at poteſt occurrere

Matth. 5. verſ. 43. caſus in quo quis non poteſt conſeruare propriam vitam citra culpam, putà ſi intrà tempus peſtis vocetur Curatus ad ſacramentorum adminiſtrationem; in hoc enim caſu tenetur Curatus, etiam eum manifeſtiſſimo periculo mortis adminiſtrare ſacramenta ſuis ſubditis, præſertim ſi nullum alium habeat, qui vices ſuas ſupplere velit, ex illo Ioann. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro*

Ioann. 10. verſ. 11. *ouibus ſuis.* Quilibet item tenetur exponere propriam vitam pro republica in vltimo periculo conſtituta, ſi poſſit priuatus eam ſaluam & incolumem ſeruare, ex illo; Bonum commune eſt anteponendum priuato.

Denique, conſeruatio ſecreti naturalis eſt de lege naturali; at occurrere poteſt caſus in quo quis non tenetur ſecretum ſibi commiſſum retinere; putà ſi ſecretum hoc verſetur circa culpam proximi volentis rempublicam perdere, aut principem, aut religionem Catholicam, & monitus nolit à peccato deſiſtere, is qui ſecretum alteri commiſit.

Sunt tamen qui putent, ex iſtis non poſſe colligi præceptum aliquod legis naturalis admittere propriè diſpenſationem, ſed tantùm impropriè, quatenus fit mutatio materiæ ſubiectæ præcepto legis naturalis; nituntur autem hoc vnico fundamento: lex illa diſpenſationem propriè admittit, quæ retento eodem obiecto, eodem fine, & omnibus omnino circumſtantijs definit obligare reſpectu huius, aut illius perſonæ; at in caſibus proximè explicatis non manent eædem circumſtantiæ: ergo neque præcepta iſta diſpenſationem propriè admittunt.

Nulla creata authoritate irritari poteſt lex naturalis.

CONCLVSIO VLTIMA. *Nullum præceptum legis naturalis irritari poteſt authoritate alicuius creaturæ, quacumque illa ſit.* Primùm, quia ità ſentit D. Bernardus lib. de præcepto & diſpenſatione, cap. 5. *Neceſſarium*, inquit, *quod inuiolabile nominauit, illud intelligo, quod non ab homine traditum, ſed diuinitus promulgatum, niſi à Deo qui tradidit,*

D. Bernar. D. Thom. *mutari omnino non poteſt.* D. Thomas quæſt. 100. art. 8. huius partis, ad 1.

Deinde, inferior nequit diſpenſare in lege ſuperioris ſui; ſed quælibet creatura eſt inferior Deo, qui naturaliter legem condidit: ergo non poteſt legem naturalem irritare.

Obiectio. Dices, contraria conſuetudine leges antiquari. *Solutio.* Reſpond. hoc eſſe verum de ſolis legibus poſitiuis; imò neque de ſolis legibus poſitiuis ſimpliciter: ſi enim reclamauerit princeps, conſuetudo contraria non eſt ſatis ad legis poſitiuæ abrogationem: lex autem naturalis non eſt lex poſitiua, ſed in cordibus hominum ſcripta, & idem planè cum natura intellectiua, ex dictis.

DVBITATIO SECVNDA.

An lex naturalis diſpenſationem authoritate diuina admittere queat.

1. Opinio. SVnt qui putent Deum poſſe diſpenſare in omnibus præceptis Decalogi, diſpenſatione propriè dicta, non quidem de lege communi; idque quòd Deus ex omni æternitate conſtituerit ſe non facturum diſpenſationem circa ea quæ ſunt legis naturalis; decretum autem hoc eſt inuariabile & abſolutè immutabile: ergo Dei poteſtate lex naturalis diſpenſationem admittere poteſt.

2. Opinio. Secunda ſententia, eſt eorum qui putant circa legem naturalem poſſe diſpenſari, non quidem quoad omnia & ſingula ſua præcepta, ſed tantùm quoad aliqua: ità ſentit Durandus in 1. diſt. 47. quæſt. 4. ait enim Deum non poſſe diſpenſare in præceptis negatiuis decalogi, neque in affirmatiuis primæ tabulæ, bene tamen in affirmatiuis ſecundæ tabulæ. Nititur autem his rationibus.

1. Fundam. Prima: fieri non poteſt vt diſpenſatio habeat locum in illis præceptis in quibus ratio debiti, ad aliquid agendum, aut indebiti ad aliquid prætermittendum ſeparari non poteſt: at ratio adimplendi quæ præcipiuntur præceptis affirmatiuis primę tabulę, & item ratio non admittendi, quæ prohibentur præceptis negatiuis, non poteſt ſeparari ab iſtis præceptis, etiam per omnipotentiam Dei: ergo neque iſta præcepta admittent vllam diſpenſationem.

2. Secunda ratio Durandi: Omnis ordo & dependentia quæ datur inter creaturas aliquas poteſt ab illis ſeparari, virtute diuina: ergo poterit Deus diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ affirmatiuis; hæc enim verſantur circa proximum. Idem docet Sotus in 3. diſt. 37. q. 1. § dicitur hîc, & alij nonnulli dicunt Deum non poſſe diſpenſare circa præcepta negatiua primæ tabulæ. *Non habebis Deos alienos coram me*, &c., *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*; bene tamen circa alia præcepta affirmatiua, licèt dubitet de præcepto hoc, *Sabbatha ſanctifices*, an diſpenſationem admittere poſſit: aſſerit tamen de hoc quod diſpenſationem admittat reſpectu operis ſeruilis, quod eo die fieri prohibetur, & item reſpectu modi; de ſubſtantia tamen præcepti nihil determinat: idem tradit Bonauent. in 1. diſt. 49. quæſt. 4. qui ait præcepta primæ tabulæ decalogi nullam tolerare diſpenſationem, bene tamen præcepta ſecundę tabulę.

3. Vltima ſententia eſt Thomiſtarum omnium, qui docent ne minimum quidem præceptum legis naturalis diſpenſationem propriè dictam admittere poſſe, etiam de potentia Dei abſoluta.

Aliqua ratione poteſt diſpenſari à Deo in lege naturali.

CONCLVSIO 1. *Probabile eſt legem naturalem admittere diſpenſationem poſſe, diuina ſaltem virtute, aliqua ratione.* Primò, quia ità docent ex quolibet ordine Theologorum Doctores præci-

pui: Ità D. Thom. art. 4. & 5. huius quæſt. Scotus & Ockam.

Bernard. Deinde, hæc videtur eſſe ſententia Bernardi lib. de præceptis & diſpenſatione cap. 5. ità enim loquitur: *Non occides, non mœchaberis & reliqua illius tabulæ legiſſcita; quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his ſoluere aliquo modo, aut licuit aut licebit; Dominus tamen horum, quod voluit & quando voluit ſoluit.*

Tertiò, Deus legem naturalem liberè poſuit: ergo poteſt etiam liberè quos volet ab huius legis executione, aut obſeruatione eximere: eſt enim Deus quàm maximè liber in ſuis omnibus actionibus ad extra exercendis.

Quartò, ſequeretur aliter Deum neceſſariò amare aliquid extra ſe, quod tamen omnes iudicant eſſe falſum; non enim poſſet, non velle obligationem legis naturalis.

Dixi autem, probabile eſſe legem naturalem admittere diſpenſationem aliqua ratione; quoniam dicemus Concluſione vltima, Deum diſpenſare ſaltem impropriè, & quempiam poſſe eximere ab obſeruatione legis naturalis. Deinde, quia fatentur omnes aliqua præcepta legis naturalis pati explicationem aut interpretationem. Denique, quia communis opinio docet Pontificem Max. diſpenſare interdum & aliquando in votis nedum ſimplicibus, ſed etiam ſolemnibus; & tamen obſeruatio voti pendet quodammodo à lege naturali; hæc enim dictat promiſſa eſſe ſoluenda, ac proinde à fortiori, vota quæ habent annexam promiſſionem factam Deo.

Nullã admittit diſpenſationem lex naturalis.

Conclvsio 2. *Multò probabilius eſt legem naturalem nullam admittere poſſe diſpenſationem, ſaltem propriè dictam, etiam diuina virtute.* Primùm, quia ità docent authores tertiæ ſententiæ.

Deinde, quia illud iuſſum ſeu præceptum diſpenſationem propriè dictam tantùm admittere poteſt, quod interdum deficit: atqui nullum præceptum ſeu iuſſum legis naturalis deficit, aut deficere poteſt: ergo nec poteſt diſpenſationem admittere.

Ratio quorumdam non placet.

Ceterùm iſta ratio non eſt ita efficax, quemadmodum putat Vazq. & alij nonnulli; diximus enim Dubit. proximè antecedente iuſſum naturale, ſaltem aliquod, interdum & aliquàndo deficere, & per conſequens admittere Epieichiam, quod admonet Lorca.

Aliorum probatio etiam non conuincit.

Probatur aliter: Lex naturalis, ſi ſumatur cum eodem ſubiecto, fine, & omnibus omnino circumſtantijs ſuis, non poteſt non obligare; præcipit enim hæc quæ vel per ſe bona ſunt, vel per ſe mala prohibentur; at quæ per ſe mala ſunt, nuſquam fieri poſſunt licitè; quæ verò per ſe bona ſunt, in omni planè caſu ſinè culpa exerceri poſſunt: ergo lex naturalis non admittit diſpenſationem.

Verùm ratio hæc, niſi ſumatur reduplicatiuè de lege naturali, cum ijſdem circumſtantijs omnino inuariatis, obiecto, & fine, nihil planè probat; nam rectè reſpondent authores primæ ſententiæ; quæ præcipiuntur aut prohibentur iure naturali eſſe ſemper bona, aut mala in genere entis, non autem in genere moris; quæ reſponſio eſt indubitata, ſaltem ſi genus moris determinetur ad illud, quod eſt coniunctum merito vel demerito; indubitatum enim eſt conſtitutos apud inferos Deum odiſſe, & conſequenter peccare, & tamen actio hæc odij Dei non eſt coniuncta cum demerito, meritum enim & demeritum exigunt ſtatum viæ, in quo tamen non ſunt damnati.

Vera Concluſionis ratio.

Tertiò probatur Concluſio: Præcepta etiam remotiſſima iuris naturalis habent fundamentum in natura, & eatenus ſunt præcepta iuris naturalis, quatenus coniunguntur cum natura; atqui natura hæc variari & mutari non poteſt, etiam per Dei omnipotentiam; nam licèt data quacumque creatura poſſit Deus producere perfectiorem in infinitum, non poteſt tamen aliter facere hominem, quàm ſit; repugnat enim idem differre à ſeipſo: ergo nequit etiam legem naturalem abrogare, aut in ea diſpenſare.

Effugium Durandi.

Reſpondet Durand. Deum mutare naturam rerum per ſuam omnipotentiam, quod probat exemplo humanitatis Chriſti ſubſiſtentis ſubſiſtentia diuini Verbi, non autem humanæ naturæ: & item exemplis accidentium ſacramenti ſanctiſſimi Euchariſtiæ; hæc enim non inſunt, ſed per ſe exiſtunt.

Præcluditur.

Ceterùm reſponſio hæc nihil planè dicit; nam humanitas Chriſti non eſt mutata ſecundum ſuam naturam, & eſſentiam, licèt ſubſiſtat ſubſiſtentia diuini Verbi; ſed tantùm quoad modum aliquem ſibi proprium: & idem dicendum eſt de accidentibus ſanctiſſimi ſacramenti. Cùm ergo naturæ rerum ſint inter ſe immutabiles, & lex naturalis fundetur in ipſamet natura, vt natura eſt immutabilis, ità & lex naturalis erit immutabilis.

Quartò, lex illa diſpenſationem tantùm admittere poteſt, in qua poteſt, occurrere caſus, in quo quis retinendo verbum legis dicetur aliquid operari citra intentionem legiſlatoris: at nullus occurrere poteſt caſus in quo quis ſeruando præceptum naturalis legis poſſit dici de eo, quòd operetur citra intentionem legiſlatoris: ergo illa lex non poteſt pati diſpenſationem: verùm minor hæc negaretur ab authoribus primæ ſententiæ.

Valentiæ probatio inefficax.

Gregor. verò de Valentia ità probat Concluſionem: Lex naturalis eſt idem cum lege æterna; atqui lex æterna eſt ſimpliciter inuariabilis, & immutabilis: ergo & lex naturalis. At rectè authores primæ ſententiæ reſpondent, nec legem naturalem eſſe idem conuertibiliter cum lege æterna (hæc enim latiùs patet lege naturali, vt eſt per ſe notum) nec eodem modo obligare leges iſtas; naturalis ſiquidem obligat ad culpam; æterna verò non obligat ad culpam omnem omnino creaturam, ſed ſolam rationalem. Nec denique fatentur authores iſti legem æternam eſſe ſimpliciter immutabilem, ſed tantùm de lege communi, quod manifeſtiſſimè conuincitur, eſſe verum ex pleriſq; actionibus Dei, quas præter communem & ordinarium curſum naturæ exercuit, vt quando fecit Solem ſtare, *Joſuæ* 10. & retrocedere Solem verſùs Orientem temporibus Ezechiæ, 4. *Reg.* 19. & 20.

Differunt legem abrogare, explicare, diſpenſare.

Vt autem hæc melius intelligantur. Aduerte aliud eſſe legem abrogare, aliud explicare, & aliud diſpenſare in lege aliqua propriè. Abrogare ſiquidem legem, nihil aliud eſt quàm eam omnino abolere, & deſtruere. Diſpenſare verò ſuper lege propriè, nihil aliud eſt, quàm eximere quempiam ab obligatione legis, ità vt poſſit hic tuta conſcientia contra legem operari, ea manente in pleno vigore & robore, reſpectu ceterorum omnium. Interpretari denique nihil aliud eſt, quàm pronunciare in certo aliquo caſu legem definere obligare.

Conten-

Contendimus ergo hoc loco diſpenſationem modo explicato acceptam nullum habere locum in ijs quæ ſunt iuris naturalis; non negamus autem interpretationem & explicationem locum habere in ijs quæ ſunt iuris naturalis.

Obiectio. Dices, cum authoribus primæ ſententiæ, Deum diſpenſaſſe Abrahamum ad hoc vt occideret filium, *Geneſ.* 22. & item, vt contraheret cum propria ſorore, vt colligi videtur *ex cap. Geneſ.* 20. rogatus ſiquidem illic an Sara ſit eius vxor, an ſoror, reſpondit: *Soror mea eſt ex eodem patre, non tamen ex matre*: duo tamen hæc prohibentur præceptis iuris naturalis, quemadmodum & polygamia, ſeu pluralitas vxorum, & item ſeparatio aut diſſolutio matrimonij; & tamen pluralitas vxorum locum habuit inter Patriarchas: ſolutio item matrimonij inter Iudæos videtur admiſſa *Deuter.* 24.

Solutio. Reſpondeo ex iſtis non poſſe colligi Deum diſpenſaſſe propriè in lege naturali; nam quod dicitur de occiſione Iſaac ab Abraham, non arguit diſpenſationem circa præceptum de non occidendo; occiſio enim non prohibetur illic, ſed tantùm quæ ſit priuata authoritate. Abraham autem voluit occidere filium præcepto Dei, cuius authoritas ſumma & quàm maximè publica eſt. Deinde, Deus cenſetur eſſe pleniſſimè Dominus eorum omnium quæ ſunt in hoc vniuerſo: imò *Deuteron. cap.* 31. *& Eccleſ.* 13. Deus dicitur Dominus vitæ & mortis, & conſequenter potuit facere hanc poteſtatem Abrahæ, vt filium vnigenitum enecaret: idem dicendum eſt de Samſone, & alijs nonnulis qui ſeipſos occiderunt, accedente tamen ſpeciali Dei reuelatione, de qua re lege D. Auguſt. cap. 21. lib. 1. de Ciuitate Dei. D. Auguſt.

Ad id verò quod dicitur Abraham contraxiſſe cum propria ſorore, vt videtur colligi ex iſta particula loci proximè citati Geneſ. *Soror mea eſt, ex eodem patre, non tamen ex eadem matre*: non tamen ex iſtis inferre licèt Deum diſpenſaſſe circa legem de non contrahendo matrimonium in primo gradu, ſed tantùm præceptum huiuſmodi fuiſſe mutatum, & deſijſſe obligare interueniente conditione aliqua. Idem dicendum eſt de præcepto polygamiæ, quia enim exiguus hominum erat numerus, aliquo tempore permiſſa fuit pluralitas vxorum; aut etiam alia iuſta de cauſa, nobis incognita, Deo autem notiſſima.

Ad id etiam quod dicitur de libello repudij. Aliqui docent non fuiſſe temporibus legis Moſaïcę licitum, ità vt peccaret qui libellum repudij dediſſet vxori, ſed tolerauit illum Moyſes ad maius malum vitandum. Ceterùm, rectiùs illi qui ſentiunt libellum repudij fuiſſe licitum, & ab omni culpa immunem; dicitur enim Deuteronom. 24. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Deute. 24. verſ. 1.

Deinde, illud idem videtur colligi ex cap. 5. Matth. Licèt autem opinio hæc defendatur, non tamen propterea lex de perpetuitate matrimonij paſſa eſt diſpenſationem propriè dictam: Cum enim Deus pleniſſimum habeat dominium in res omnes, poteſt tollere obligationem contractus matrimonialis, illa eadem ratione, qua quilibet poteſt relaxare promiſſionem ab alio factam.

Denique, nulla irrogabatur iniuria vxoribus illis in temporibus; nam aſſumebantur ad ſtatum coniugalem cum ea conditione, vt ſi non eſſent gratæ, liberè dimitterentur.

Obijcies 1. Deum diſpenſaſſe cum Oſea Prophetа, vt accederet ad non ſuam *Oſea* 1. *Obiectio 2.*

Solutio. Reſpondeo, Oſeam contraxiſſe de facto matrimonium, cum muliere illa fornicaria. Primò, quia potuit hæc liberè conſentire. Deinde, quia licèt hæc expreſsè non conſenſerit, potuit tamen Deus ſupplere defectum conſenſus mulieris, idque ex plenitudine dominij, quod habet in res omnes.

Obiectio 3. Dices, filios procreatos ex huiuſmodi matrimonio nuncupari filios fornicationis; quod tamen non diceretur ſi matrimonium interceſſiſſet inter iſtos duos.

Solutio. Reſpondeo filios Oſeæ Prophetæ, & iſtius mulieris nuncupari filios fornicationis, licèt ex legitimo matrimonio procreatos; quia in ſacris literis res denominantur poſt earum mutationem illis ijſdem nominibus, quibus dicebantur ante mutationem, vt conſtat ex cap. 7. Exod. Serpentes ſiquidem Moyſis & Magorum vocantur virgæ, idque quòd antequàm conſequerentur eſſe ſerpentis, fuerunt verè virgæ: & Matth. 11. Matthæus & Magdalena poſt eorum conuerſionem nuncupantur meretrix & & publicanus; & cap. 11. prioris ad Corinth. Sacramentum Euchariſtiæ appellatur panis. Ità etiam, quia mater iſtorum liberorum fuerat fornicaria ante contractum matrimonium cum Oſea, ideò filij nati ex matrimonio ſubſequuto dènominantur filij fornicationis. Niſi mauis cum quibuſdam recentioribus affirmare vxorem Oſeę non ſtetiſſe etiam fidei datę marito, quod colligi videtur ex cap. 2. Oſeę. *Dicite*, inquit, *fratribus veſtris, iudicate matrem veſtram auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio vberum ſuorum, ne forte exſpoliem eam nudam.* Alij denique dicunt, iſtos nuncupari filios fornicationis, quòd ſuperueniente ætate rationis receſſuri eſſent à vero cultu, quemadmodum & parentes ex parte matris prædeceſſores. Oſeę 2. verſ. 1.

Obiectio 4. Denique, obijciunt Deum diſpenſaſſe in præcepto furti, ex cap. 11. Exod. dicitur enim illic Deum præcepiſſe Iſraëlitis, vt peterent vaſa precioſa ab Ægyptijs, quæ tamen nunquam reſtituerunt, ſed ſibi aſſeruauerunt. Tandem ſubiungunt diſpenſaſſe cum ijſdem Iſraëlitis, vt fœnerarentur, ſaltem exteris, Deuter. enim 23. dicitur, *Non fœnerabis fratri tuo, ſed alieno.* Dente. 23. verſ. 19.

Solutio. Reſpondt. Deum non diſpenſaſſe cum Iſraëlitis circa præceptum furti, etiamſi iſta precioſa vaſa Ægyptiorum retinuerint apud ſe; nam ad hoc vt aliquis dicatur furari ſimpliciter & abſolutè, requiritur quòd rem alienam inuito Domino apud ſe retineat; Iſraëlitæ autem non retinuerunt alienum apud ſe, ſed ſibi datum à Deo, idque ex plenitudine dominij quod habet in omnia creata.

Deinde, conſtat ex toto decurſu lib. Exod. Iſraëlitas locaſſe ſuam operam Ægyptijs, neque tamen propterea vllam ab ijs accepiſſe mer-

eedem ; potuerunt ergo vaſa illa precioſa ſibi aſſeruare, tamquam præmium debitum ſuis laboribus & actionibus.

Tertiò, quia licèt Iudæi habuerint fortè intentionem non reſtituendi, quando petierunt hæc ab Ægyptijs mutuò : certum tamen eſt Deum non præcepiſſe vt acciperent mutuò, ſed tantùm vt peterent ab Ægyptijs ; petitio autem iſta non habet rationem vllius culpę, vt eſt per ſe notum.

Replica.

Diſſoluitur.

1. Dices, Deum ſaltem diſpenſaſſe cum Iſraëlitis vt mendacium admitterent.

Reſpondeo neque hoc eſſe concedendum ; nam licèt Ægyptij fuerint decepti in ea re, non tamen potuit Deus concurrere ad iſtam deceptionem, idque quòd mendacium, vt ſic, ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſit deordinatum, & malum ; Deus autem nequit eſſe author alicuius mali : ſi quæ ergo culpa fuit in Iſraëlitis hæc tota refundenda eſt in ipſoſmet, nullo verò modo in Deum.

2.

Ad id verò quod dicitur de vſuris. Reſpond. eas habuiſſe locum inter Iudæos, non tamquam rem licitam, etiam cum exteris ; ſed veluti minus malum ad maius tollendum, aut impediendum : illa eadem ratione qua hæreſis v. g. permittitur in regno Gallię, aut lupanaria in Hiſpania, & Italia.

Secundo Reſpond. nomine vſuræ hoc loco non ſignificari vſuras propriè dictas, quæ nihil aliud ſunt quàm acceptio rei alicuius ex mutuo, quatenus mutuum, præter ſortem datam ; ſed ſignificatur iuſtum lucrum quod conſequitur interdum pecuniam datam alteri, ſecluſa omni culpâ ; putà quando ceſſat lucrum, aut damnum emergit reſpectu creditoris : in hac enim ſignificatione vſurpatur nomen vſurę Matth. 25. *Vtique cum vſuris exegiſſem*, hac eadem ratione dices Deum non diſpenſare in votis abſolutè loquendo, neque item Pontificem Max. ſed tantùm interpretari, aut explicare in quibus caſibus vota obligent, aut non obligent : non eſt tamen negandum quin Pontifex Max. ex poteſtate ſibi facta à Deo diſpenſet in aliquo, quod coniungitur cum voto, nempe in promiſſione : ex plenitudine ergo poteſtatis quæ datur in illo poterit remittere obligationem promiſſionis, illa eadem ratione, qua quilibet noſtrùm poteſt irritare promiſſionem ſibi factam.

Matth 25. verſ. 27.

CONCLVSIO VLTIMA. *Præcepta iuris naturalis, & decalogi in pleriſque caſibus poſſunt deſinere obligare.* Ità communiter omnes.

Præcepta iuris naturalis multoties non obligant.

Deinde, actus qui vetantur aut præcipiuntur præceptis iuris naturalis, non vetantur aut præcipiuntur abſolutè, ſed cum conditione, vt conſtat ex præcepto, *Non occides.* occiſio enim hominis non prohibetur ſimpliciter, ſed tantùm quæ ſit priuata authoritate ; atqui conditio iſta mutari poteſt.

2.

3. Tertiò, quando dantur duo præcepta quæ ſimul & ſemel obſeruari non poſſunt, minus deſinit obligare ; maius autem eſt executioni mandandum, vt habet regula communiſſima inter Theologos : ergo cum hypotheſis iſta nedum habeat locum in præceptis poſitiuis, ſed etiam in ijs quæ ſunt iuris naturalis, præcepta aliqua iuris naturalis deſinent obligare.

4. Quartò, materia præcepti iuris naturalis poteſt non eſſe materia talis, additione alicuius conditionis de nouo, vt patet ex ijs quæ ſupra diximus de Iſraëlitis, quando vaſa precioſa petierunt ab Ægyptijs, & ſibi retinuerunt : ergo.

Ex iſtis non eſt colligendum, præcepta iuris naturalis admittere diſpenſationem proprie dictam ; ſed tantùm improprie : nam ſolus legiſlator poterit diſpenſare in ſuis legibus ; quilibet autem noſtrùm poteſt inducere conditionem aliquam, qua poſita deſinit præceptum iuris naturalis obligare, vt patet in eo qui relaxat debitum proximo, etiamſi hic ſatis ſit ad ſoluendum huiuſmodi debitum.

Solutiones rationis Cluſ.

Ad rationes verò authorum primæ Concluſionis reſpondeo. Ad primam, Diuum Bernardum non affirmare Deum poſſe diſpenſare in præceptis iuris naturalis ; ſed tantùm eum poſſe ſoluere præcepta naturalia, idque additione alicuius conditionis, quæ facit vt præceptum deſinat obligare. 1.

Ad 2. non eſſe abſurdum fateri Deum velle aliquid extra ſe neceſſariò, neceſſitate hypothetica ; nam ſtante hac hypotheſi, quòd Deus voluerit Chriſti incarnationem v. g. nequit Deus non amare incarnationem ; abſolutè autem loquendo falſum eſt Deum velle, aut amare aliquid extra ſe neceſſariò. 2.

Ad tertiam, conceſſo antecedente, nego conſequentiam ; non enim poteſt Deus legem naturalem abrogare, ſtante hac ſuppoſitione, quòd detur natura intellectiua : hæc autem præſupponitur eſſe per creationem, & ideò debet etiam lex naturalis eſſe neceſſaria, neceſſitate hypothetica ; fundatur enim lex naturalis in ipſamet natura intellectiua neceſſariò. 3.

Vltima.

Ad vltimam, nego minorem ; nam diſpenſare in lege nihil aliud eſt quàm eximere quempiam ab obſeruatione legis, lege manente in pleno vigore reſpectu ceterorum ; hoc autem nequit habere locum in præceptis iuris naturalis, idque, quoniam quæ prohibentur præceptis iuris naturalis ſunt per ſe, & ſua natura mala, ſaltem in genere entis, & vt volunt alij, etiam in genere moris ; & conſequenter in nullo planè caſu poſſunt hæc licitè fieri.

Solutionis fundamentorum Durandi.

Ad rationes verò Durandi reſpondeo. Ad primam, confirmare ſecundam noſtram Concluſionem. Ad 2. verò, propterea præcepta Decalogi quæ verſantur circa proximum eſſe indiſpenſabilia, quia quæ prohibentur præceptis iſtis ſunt per ſe mala, ſaltem in genere entis, & ex Thomiſtarum ſententia etiam in genere moris ; quæ verò præcipiuntur ſunt per ſe bona ; ac proinde obligatio ad aliquid agendum aut vitandum in iſtis præceptis repetenda eſt ex cauſa proximè adducta.

Præcepta iuris naturalis indiſpenſabilia.

ROGABIS, *An præcepta iuris naturalis ſint indiſpenſabilia, & in genere entis, & in genere moris.*

Reſpond. ex doctrina Thomiſtarum omnium, præcepta iſta eſſe indiſpenſabilia, & in genere entis, & in genere moris ; putant enim bonitatem moralem, quæ datur in actibus humanis, petendam eſſe ex conformitate & tendentia, quæ datur in actu humano ad regulam rectæ rationis, aut ad ipſam rectam rationem : malitiam vero contrà volunt eſſe deſumendam ex diſconuenientia, vnà cum tendentia in ſuum obiectum

obiectum, prout indebitè tendit: hæc autem reperiuntur in actibus qui vetantur, aut præcipiuntur in Decalogo.

Ex ſententia tamen noſtra ſtatuendum eſt, præcepta iuris naturalis nullam admittere diſpenſationem, ſaltem in genere entis, & item aliqua ratione in genere moris: bene tamen in genere moris, prout genus moris contrahitur ad meritum vel demeritum.

Ratio poſterioris eſt, quia agentes in Cœlis, de facto bene operantur, neque tamen propterea merentur; agentes etiam apud inferos perpetuò peccant, neque tamen demerentur: ergo ſaltem hac ratione poterit Deus diſpenſare in præceptis Decalogi. Ratio verò prioris eſt, B quia quæ prohibentur iure naturali ſunt per ſe, & ſua natura mala, in genere entis, & quodammodo in genere moris, quia aduerſantur dictamini rectæ rationis, ac proinde ex ſe, & ſua natura vindicant ſibi vituperium; quæ verò contrà præcipiuntur ſunt per ſe bona, nedum in genere entis, ſed & quodammodo in genere moris; conueniunt enim cum regula rectæ rationis, quia quæ per ſe mala ſunt, nulla ratione poſſunt eſſe per ſe bona; quæ item per ſe bona ſunt, rationem mali omnino reſpuunt: ergo præcepta iuris naturalis hac ratione erunt ſimpliciter indiſpenſabilia. Confirmatur: quod verum eſt, ità in ſe verum eſt, vt C per nullam planè potentiam poſſit eſſe falſum, ſed quæ præcipiuntur præceptis iuris naturalis ſunt per ſe bona, quæ verò prohibentur ſunt per ſe mala: ergo.

ARTICVLO VLTIMO docet, legem naturalem non poſſe omnino dimoueri à mentibus hominum, ſaltem ſi ſermo ſit de lege naturali, prout hæc reſpicit principia communiſſima ſibi; imò illud idem videtur dicendum de decem præceptis Decalogi.

Prima pars huius doctrinę probatur: principia iſta iuris naturalis, communiſſima ſunt nedum nobis, ſed etiam in ſe notiſſima, & euidentiſſima; nullus eſt enim qui diſſentiat iſtis D principijs: *Omne bonum eſt ampiectendum, Omne malum eſt vitandum.* Confirmatur: Illud cenſetur eſſe euidentiſſimum nobis, cui diſſentire non poſſumus, perſpecta ſignificatione terminorum, & eorumdem debita connexione: at principia communiſſima iuris naturalis ſunt huiuſmodi: ergo. Tertiò, lex naturalis eſt idem ſaltem radicaliter cum ipſamet natura intellectiua: at natura hæc deleri in hominibus non poteſt.

Rom. 2. verſ. 14. Secunda verò pars probatur ex Paulo Rom. 2. *Gentes*, inquit, *qua legem non habent, naturaliter faciunt qua legis ſunt:* at nomine legis ibi intelligit præcepta decalogi. Deinde, vix eſt E aliquis inter mortales, qui non agnoſcat furtum, adulterium, homicidium, falſum teſtimonium, & alia huius generis quæ vetantur aut præcipiuntur in decalogo, eſſe bona, vel mala: ergo.

Obiectio. Dices, D. Thom. affirmare hoc loco, Germanos antiquitus commendaſſe furta, & tamen hæc vetantur in decalogo.

Solutio. Reſpond. hoc argumento tantùm probari in multis naturæ humanæ indiuiduis aliqua præcepta iuris naturalis poſſe extingui, & auferri; non autem in omnibus & ſingulis, qua ratione documentum hoc videtur intelligendum.

In Primam Secundæ D. Thom.

A Deinde, licèt laudarent Germani furta, non tamen propterea credibile eſt eum qui furabatur nullos paſſum eſſe ſtimulos conſcientiæ, quamdiu cogitabat de re aliena ablata; ratio enim naturalis dictat alienum non eſſe inuito Domino retinendum.

Tandem docet S. Doctor præcepta aliqua iuris naturalis omnino aboleri poſſe in nobis, quod videtur intelligendum de præceptis remotiſſimis iuris naturalis; tum quia hæc non ſunt per ſe nota, nec in ſe, nec nobis; tum etiam quia dantur innumeri propemodum homines qui peccant contra ea quæ ſunt iuris naturalis, prout ius naturale explicatur in Decalogo; & tamen putantiſti ſe minimè contra rectam rationem operari.

QVÆSTIO XCV.

De lege humana, vt ſic.

ARTICVLVS PRIMVS.

An fuerit vtile aliquas leges fieri ab hominibus.

DVBITATIO PRIMA.

An detur poteſtas in hominibus Eccleſiaſticis condendi lege aliquas.

VTHERANI, & Caluiniſtæ, & omnes fere Hæretici noſtri temporis in eo ſunt errore vt putent nullam dari poteſtatem in Pontifice Max. Epiſcopis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis condendi leges, ad quarum obſeruationem teneantur ſubditi. Primùm, quia dicitur Matth. vlt. *Docentes ſeruare eos quæcumque mandaui vobis.* *Hæreticorũ error & fundamẽta.* 1. Matth. 28. verſ. 20.

Deinde, ex cap. 4. & 12. Deuter. vbi prohibet Deus, ne quis aliquid addat, aut minuat verbis ſuis, ſiue legis ſuæ. 2.

Tertiò, ex illis omnibus locis Scripturæ in quibus dicitur de Chriſto, quod ſit *Iudex, Rex, & Legifer noſter.* Iſaï. 33. 3. Eſaï. 33. verſ. 11.

Vlterius, cap. 29. conqueritur Deus ex eo quod plerique deferant ſibi honorem debitum propter doctrinam & mandata hominum, *Timuerunt me, inquit, mandato hominum & doctrinis.* 4. Idem 29. verſ. 13.

Quinto, ex illis omnibus locis in quibus dicitur Chriſtianos eſſe liberos, *Epheſ. 6. Galat. 4. & 5. 2. Corinth. 3. & 1. Corinth. 7.* 5.

Sexto, ſi daretur poteſtas in Epiſcopis condendi leges, ſequeretur Catholicos deterioris conditionis eſſe, quàm Iudæi fuerint; ſunt enim multo plures conſtitutiones Epiſcoporum, quàm ſint leges Moſaïcæ. 6.

Vlt. Denique, qui aliter quàm Deus ſanciuit in A veteri Teſtamento coluerunt Deum, pœnam ſuæ temeritatis ſunt experti, vt conſtat ex cap. 17. 4. Reg. Iudæi ſiquidem aliqui ſtrangulati fuerunt à leonibus, quod altare intrà templum Hieroſolymitanum poſuiſſent: & ſimile quid dicitur cap. 16. de Vria Pontifice, & de Manaſſe Rege, cap. 21. 4. Reg.

Extat in Eccleſia poteſtas condendi leges. Concil. Conſtant. Trident.

CONCLVSIO. *Citra manifeſtam temeritatem defendi non poteſt, in Eccleſia non extare poteſtatem condendi leges, quibus conſtringuntur Catholici:* Ità enim res hæc definita fuit in Concilijs Conſtantien. ſeſſ. 8. & 15. Trident. ſeſſ. 7. cano. 8. de baptiſmo, & à Leone X. ſimiliter damnatur opinio contraria art. 27. contra Lu- B therum.

Deinde, conſtat ex ſacris litteris datam fuiſſe poteſtatem D. Petro, & Apoſtolis omnibus gubernandi Eccleſiam Catholicam, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* & cap. 18. *Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit,* &c. Ioann. 20. *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata.* &: *Petre paſce oues meas.*

Matth. 16. verſ. 18. Idem 18. verſ. 17. Ioann. 21. verſ. 23.

Ratiocinatio pro Concluſione. Ex quibus locis ità ratiocinari licèt: Ille habet poteſtatem condendi leges propriè dictas, qui curam Chriſtianæ reipublicæ habet, præſertim ſi ſit vltimus ſuperior; at Pontifex Romanus eſt ſupremus Monarcha viſibilis Eccleſiæ: ergo. C

Tertiò, probatur ex illis locis in quibus dicitur Apoſtolos de facto leges aliquas euulgaſſe, & condidiſſe: ità cap. 15. Actuum; *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos.* & cap. 16. Præcipiens eis obſeruare mandata ſeniorum, & cap. 11. 1. Corinth. *Laudo vos, quòd per omnia ſicut tradidi vobis præcepta mea teneritis.* & rurſus. *Cetera cùm venero diſponam.* & 1. Theſſal. 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis.* cap. 3. poſterioris ad eoſdem: *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate; & ne commiſceamini cum eo.* & 2. Theſſal. 2. *State & tenete traditiones quas à me accepiſtis, ſiue per epiſtolam, ſiue per* D *ſermonem.*

Actor. 15. verſ. 28. 1. Cor. 11. ℣. 2. & 34. 1. Theſſ. 4. verſ. 1. 2. ad eoſdē c. 3. ℣. 14. 2. Theſſ. c. 2. verſ. 14.

Effugium hæreticorū. Reſpondent ad hæc omnia loca hæretici, maximè Caluinus lib. 4. inſtitutio. cap. 10. ſect. 21. & 22. Apoſtolos nullas planè leges condidiſſe propriè dictas, etiam quando prohibuerunt eſum carnium immolatarum Dijs; ſed tantùm fuiſſe hæc monita & conſilia, obſeruanda ratione ſcandali puſillorum, non autem ad reatum alicuius culpę, ſiue peccati; nam mens Apoſtolorum, itémque Chriſti fuit abolere præcepta legis Moſaïcę præcipuè; ità enim dicitur cap. 15. Actuum. *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* inter præcepta autem legis Mo- E ſaïcę fuit lex de non edendis carnibus Dijs immolatis. Deinde, conſtitutio eſt planè noſtris ſeculis abrogata; quod tamen non accidiſſet ſi lex iſta eſſet vera lex ab Apoſtolis conſtituta. Denique, Paulus cap. 8. 1. Corinth. videtur diſpenſaſſe cum Corinthijs, vt veſcerentur carnibus Dijs conſecratis.

Actor. 15. verſ. 10.

Præcluditur. Ceterùm reſponſio hæc eſt planè impertinens. Primùm, quia ad conſiliorum & monitorum obſeruationem, nullus eſt qui neceſſariò teneatur; atqui primi Catholici fuerunt obſtricti neceſſariò ad abſtinendum à carnibus idolothytis; dicitur enim cap. 15. ſupra citato Actuum, de hac probatione, *Nihil vltra vobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria.* Deinde, appellatur, *Onus,* conſilium autem, & exhortatio rationem oneris non habent. Tertiò, quia conſtitutiones Apoſtolorum nuncupantur mandata, *Actuum* 16. Quartò, lex iſta viguit multis ſeculis in Eccleſia Catholica, vt conſtat ex Tertullian. in Apologetico cap. 9. D. Auguſt. epiſt. 154. & alij, pleriſque. Tertull. D. Auguſt.

Ad rationes verò Caluini. Reſpondeo Apoſtolos, itémque Chriſtum legem Moſaïcam nedum voluiſſe abrogare, ſed etiam de facto abrogaſſe; cum iſtis tamen rectè cohæret, vt reuocata fuerit lex de non manducandis carnibus idolis conſecratis, idque ex cauſa aliqua iuſtiſſima; nempe quòd eſus huiuſmodi carnium contineat ſpeciem Ethnicę ſuperſtitionis, vt obſeruat D. Thom. quæſt. 102. art. 6. ad 1. Nobiliſſima ſiquidem & præſtantiſſima ſacrificia apud illos fuerunt carnes animalis ſtrangulati, & ſuffocati. Secundò, noſtris ſeculis lex iſta eſt abrogata, idque contraria conſuetudine, & quia nullum eſt periculum idololatriæ. Denique, D. Paulus vel non permiſit vt Corinthij veſcerentur carnibus immolatis Dijs, quod nec colligi poteſt ex loco citato Pauli; vel ſi permiſit, præſtitit diſpenſando in lege lata ab Apoſtolis; ſi tamen eo tempore hæc erat publicata apud Corinthios, de qua re, non ſatis conſtat; licèt certum ſit tunc temporis legem iſtam fuiſſe ab Apoſtolis conſtituram: potuit autem Paulus ob dignitatem Apoſtolatus, aut ex ſpeciali Dei reuelatione ſibi facta, diſpenſare in huiuſmodi lege cum Corinthijs.

Alia probatio Concluſionis. Denique, probatur Concluſio ex illis omnibus locis in quibus monentur Chriſtiani, vt obſequantur ſuperioribus ſuis, Roman. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* 1. Petr. 2. *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum* Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit:* loquitur autem de Apoſtolis ad Titum 3. *Admone eos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.* Hebræor. 13. *Obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete eis; ipſi enim pernigilant quaſi rationem pro vobis reddituri.* & Matth. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Rom. 13. verſ. 1. 1. Petr. 2. verſ. 21. Luc. 10. verſ. 16. Tit. 3. ℣. 1. Hebr. 13. verſ. 17. Matth. 22. verſ. 21.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad primam, ex eo loco nihil planè colligi; argumentum ſiquidem ab authoritate negatiuè ſumptum eſt nullum. *Diſſoluuntur argumenta hæreticorum.*

Deinde, non additur illic particula vlla excluſiua, quod tamen videtur neceſſarium, ad hoc vt ſola præcepta Chriſti ſint executioni mandanda. 1.

Denique, nihil mirum ſi non faciat Chriſtus mentionem de legibus Apoſtolorum, quia nullas adhuc condiderant Apoſtoli.

Ad 2. Reſpondeo, non prohiberi ſimpliciter illis in locis additionem ad legem Moſaïcam; nam cap. 4. lib. 1. Machabæorum legitur feſtum dedicationis templi Salomonis inſtitutum fuiſſe à Iuda Machabæo, & fratribus eiuſdem, vniuerſáque ſynagoga Iſraël: & Eſther cap. 9. dicitur lunam decimamquartam & decimam quintam menſis Adar fuiſſe, celebres & ſolemnes inter Iudæos, idque ob victoriam partam illis diebus contra Aman, & alios huius generis hoſtes populi Iudaïci. Deuteronom. item 17. dicitur in omnibus dubijs confugiendum eſſe 2. 1. Mac. 4. verſ. 59. Eſther 9. verſ. 17. Deute. 17. verſ. 9.

Digitized by Google

esse ad Sacerdotem generis Leuitici, & ad eum qui præfuerit Israël in omni planè tempore, standúmque iudicio & decreto istius iudicis, in omnibus & singulis. Deinde, explicationes & interpretationes legis ab omnibus admittuntur, ac proinde fieri poterit, vt quis addat nedum positiuæ humanæ, sed etiam diuinæ; præsertim si hic fuerit princeps & superior seu dispensator legis diuinæ aut humanæ. Dico ergo, prohiberi illis in locis detractiones & additiones quæ corrumpunt & deprauant leges, non autem interpretationes, & explicationes, aut etiam alias leges: nam fieri poterit vt quis consequatur finem legis diuinæ v. g. media aliqua lege positiua humana, vt constat exemplo legis Ecclesiasticæ, de non sumenda Eucharistia nisi à ieiunis; media enim hac lege faciliori modo consequimur fructum sanctissimi sacramenti, ad cuius tamen receptionem tenemur, præcepto iuris diuini positiui, vt alibi ostendetur.

3. Ad 3. ex eo quòd vnus sit supremus legislator noster Christus non posse colligi nullos alios dari legislatores subordinatos, & dependentes à Christo; nam fatemur vnum tantùm esse mediatorem & redemptorem nostrum, & tamen dicimus plures alios esse mediatores & intercessores, nempe sanctos omnes, quemadmodum & Christus est redemptionis mediator. Fides item docet, Christum esse iudicem nostrum, & tamen experientia quotidiana ostendit præter Christum dari innumeros alios iudices, nedum in rebus ciuilibus, sed etiam Ecclesiasticis & diuinis: Christus enim est legislator supremus & inuisibile caput Ecclesiæ; supremus verò Pontifex est caput ministeriale & visibile Ecclesiæ Catholicæ, exercétque hic vicariam Christi potestatem.

4. Ad 4. Respondeo, eo in loco excitare Deum querimonias, non quòd honor persoluatur mandatis aut præceptis hominum, sed quòd non deferatur sibi honor debitus: ità enim illic habetur: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Tenetur autem quilibet nostrûm nedum Deum colere ore, sed multò magis corde.

Matth. 15. verſ. 8.

Respondeo 2. Deum conqueri eo in loco de illis fortè mandatis & præceptis hominum, quibus nulla ratione promouetur cultus diuinus, sed tantùm vtilitas vel commodum hominis, vel hominum: huius generis est mandatum illud Iudæorum de non iubueniendo patri in necessitate constituto, ea lege quòd sacrificium fuerit Deo oblatum, cuius meminit Christus *Matth.* 15. & de istis mandatis docet ibidem Christus; quod non habeat ea grata & accepta. *Sinè causa*, inquit, *colunt me, docentes mandata & doctrinas hominum.*

Matth. 15. verſ. 9.

5. Ad 5. Christum liberasse nos à seruitute, mortis, ac Diaboli, & peccati, vt communiter docent sancti Patres, & colligitur ex innumeris sacræ Scripturæ locis Osee 13. *O mors ero mors tua, morsus tuus ero ô inferne.* & ex illo Pauli: *Eripuit nos de potestate tenebrarum.* Non liberauit autem nos Christus à seruitute, qua subijcimur regibus, aut etiam superioribus Ecclesiasticis: nam Matth. 5. dicitur à Christo: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* & Luc. 2. Christus fuit subditus proprijs parentibus, & Cyprianus ad Rogatianum ait, Christum toto tempore vitæ honorem debitum sacerdotibus legis Mosaïcæ exhibuisse, etiamsi sciret eos esse sacrilegos, & corruptissimos homines; & Matth. 23. dicit; *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis seruate.*

Osee 13. verſ. 14. Coloſ. 1. verſ. 13. Matth. 5. verſ. 17. Cyprian. Matth. 23. verſ. 2.

Ad 6. Respond. legem gratiæ non esse duriorem lege Mosaïca, licèt plura dentur in hac præcepta; nam gratia multò copiosior datur hominibus Catholicis quàm Iudæis. Deinde, affectus erga legem aliquam minuit asperitatem & seueritatem illius: certum autem est pios Catholicos bene affectos esse erga obseruationem legum Ecclesiasticarum, idque vel solo motiuo charitatis, vel ex dignitate præmij, quod cultoribus legis Ecclesiasticæ rependere consueuit Deus; hoc autem præmium est vita æterna. 6.

Ad vltimam respond. Regem Manassem, Sacerdotem Vriam, & alios Iudæos; de quibus illis in locis differitur, non ideò fuisse à Deo emendatos quòd aras & altaria construxerint in eius laudem & honorem; sed multò magis quòd altaria hæc ædificauerint in gratiam idolorum: dicitur enim de Vria quòd construxerit altare simile illi quod erat Damasci in gratiam idoli; & de Manasse similiter dicitur, quòd vniuersæ militiæ Cæli altare consecrauerit, & quòd huic posteà sacrificauerit; certum autem est sacrificium soli Deo deberi. Deinde, constructio altarium laudatur in sacris litteris, modo referatur in Deum, vt constat ex cap. 8. 3. Reg. *Vlt.*

DVBITATIO SECVNDA.

Penès quos sit potestas condendi leges Ecclesiasticas, & item easdem seu publicas.

CONCLVSIO 1. *Potestas condendi leges Ecclesiasticas est maximè in Pontifice Romano.* Primò, quia huic commissa est cura omnium planè Catholicorum, Ioan. 21. *Petre pasce oues meas: Pasce agnos meos.* locus enim hic nedum de D. Petro, sed etiam de successoribus eiusdem explicatur ab omnibus Patribus vt videbimus aliàs. *Papa potest instituere leges.* Ioan. 21. verſ. 17.

Deinde, pollicitatio assistentiæ Spiritus sancti infallibilis, soli Pontifici Romano est facta, Luc. 22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*: at assistentia hæc ideò facta est Pontifici Romano ne errare posset in rebus fidei definiendis, aut in bonis moribus præscribendis, qui faciunt ad ampliationem fidei, & religionis Christianę: ergo. Luc. 22. verſ. 32.

Tertiò, Pontifex Maximus est caput visibile & ministeriale totius Ecclesiæ: ergo debet hic habere potestatem condendi leges; nam suprema potestas est ità coniuncta cum facultate condendi leges, vt ab inuicem nequeant, etiam per omnipotentiam Dei, ex quorumdam sententia separari.

CONCLVSIO 2. *Concilium Oecumenicum legitimè congregatum potest condere leges Ecclesiasticas, obligantes quoscumque Christianos.* Primùm, quia potestas Pontificis Max. & Episcoporum est in Concilio generali: at Pontifex Romanus & item Episcopi possunt condere leges: ergo. *Concilium Oecumenicum item.*

Deinde, assistentia Spiritus sancti infallibilis promissa est Ecclesiæ, Matth. vltimo. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* & Ioann. 15. *Mittam vobis spiritum veritatis.* at assistentia Spiritus sancti est in Ecclesia, ad hoc vt rectè gubernetur: ergo cùm leges conducant ad rectam gubernationem, poterit Concilium generale condere leges.

Matth. 28. vers. 20. Ioann. 15. vers. 26.

Papa potest abrogare leges à Concilio latas.

CONCLVSIO 3. *In potestate Pontificis Max. est abrogare leges in Concilio generali latas, & item dispensare circa easdem; non tamen contrà Concilium generale potest abrogare leges Pontificis Max.* Primò, quia Pontifex Rom. est caput Ecclesiæ.

Deinde, potest superior dispensare in legibus inferioris; atqui Concilium Oecumenicum subijcitur Pontifici Max. non autem è contra.

Tertiò, Pontifex Max. censetur esse iudex omnium difficultatum quæ consequuntur litteram iuris Pontificij, siue Ecclesiastici.

Quartò, Concilia Oecumenica eatenus faciunt fidem, & suam consequuntur authoritatem, quatenus à Pontifice Max. sunt confirmata.

Episcopi possunt condere leges.

CONCLVSIO 4. *Episcopi possunt condere leges propriè dictas, ad quarum obseruationem tenentur omnes eorum Diœcesiani.* Primò, quia potestas Episcopalis est perpetua, & de iure communi reuocari minimè consueuit.

Deinde, non minùs tenetur quilibet Episcopus res suæ Ecclesiæ omni diligentia tractare, quàm faciat aut Rex aliquis temporalis regnum suum, aut Pontifex Max. omnem omnino Ecclesiam: atqui potest Pontifex Max. itémque Reges condere de nouo leges aliquas: ergo & Episcopus.

Obiectio. Dices, potestatem supremam, & vltimam esse necessariam ad condendas leges; talis autem non est potestas Episcoporum: ergo.

Solutio. Respondeo primùm, negando antecedens absolutè loquendo; nam potestas omnis quæ datur in hominibus siue ciuilis, siue Ecclesiastica, subijcitur potestati Dei, ex cap. 13. Rom. & tamen Pontifex Rom. itémque reges quotidie condunt leges. Respondeo 2. concessa maiori, negando minorem, saltem quoad aliqua: satis enim est in omnibus & singulis potestatem Episcoporum repetendam esse à Pontifice Max. nam si ità res haberet, sequeretur Pontificem Max. quando & vbi vult remouere & omnino tollere ab Episcopis potestatem, quam habent, quod tamen fieri non potest; ordo siquidem Episcopalis imprimit characterem, aut certè est extensio sacerdotalis; hic autem est indelebilis, omnium consensu. Deinde, potestas Episcoporum est eadem cum potestate Apostolorum, quatenus Apostoli fuerunt Episcopi, vt docet D. Augustinus in Psal. 44. ad hæc verba; *Pro patribus tuis*, id est pro Apostolis, *nati sunt tibi filij*, id Episcopi: imò hoc colligitur ex multis alijs Patribus, quos citat Bellarm. in lib. de Pontifice Max. atqui potestas Episcopalis in illis fuit immediatè à Christo, non autem mediante Pontifice Max. D. Petro, vt colligitur ex cap. 20. Ioan. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hæc responsio est Vazq. disp. 151. cap. 3. Alphonsi à Castro, de iusta hæreticorum punitione, Francisci à Victoria, relectione 2. de authoritate Ecclesiastica, & eamdem probabilem putat Salas disp. 8. sect. 4. tractat. 14. Denique respondeo, licèt fateremur potestatem Episcoporum pendere simpliciter à Pontifice Max. non tamen propterea sequeretur Episcopos non posse statuere leges nouas; satis enim est ad hoc vt aliquis legem condere possit, quòd eius potestas sit perpetua, ordinaria, & quòd de iure communi non reuocetur; talis autem est potestas Episcoporum; imò quando creantur isti à Pontifice Max. ità confert illis dignitatem Episcopalem, vt velit eos vti authoritate hac, nedum quoad sacramentorum administrationem sed etiam vt possint nouas condere leges iuxta necessitatem suorum subditorum.

Ioann. 20. vers. 21.

Multi alij possunt leges facere.

CONCLVSIO VLTIMA. *Imperator, Rex, & quilibet Princeps, nullis alteri subditus & qualibet respublica similiter libera à potestate alicuius superioris, potest condere nouas leges, quibus denuncientur eorum subditi.* Primò, quia id colligitur ex cap. 13. Rom. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* Hebræ. 13. & 1. Petr. 2.

Rom. 13. vers. 1.

Deinde, quia facultas condendi leges est ità coniuncta cum suprema, & vltima potestate, vt ab ea separari nullo modo possit.

Tertiò, id constat ex vsu & consuetudine.

Aduerte tamen, leges alicuius Episcopi aut Principis non obligare extra terminos Episcopatus, seu principatus; leges enim eos constringunt solum & obligant, qui subijciuntur legislatoribus; atqui non omnes omnino mortales subijciuntur Episcopis quibusuis, aut principibus; sed illi soli in quorum territorijs & principatibus nati sunt, aut certè domicilium habent: ergo &c. & sic quando leges Imperatoris in regno aliquo obseruantur, rationem legis non habent, nisi quatenus iuri naturali conformes existunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An omnis lex humana deriuetur à naturali & diuina.

Rationes dubitandi. RATIO dubitandi prima est, quia Pontifex Rom. non potest quidpiam decernere tamquam de fide, quod non habeatur expressè vel tacitè in sacris litteris. 1.

Secunda, D. Thom. in corpore articuli verbis expressis habet, legem positiuam esse deriuationem iuris naturalis, & diuini. 2.

Tertia, superiores alicuius ordinis nequeunt cogere inferiores ad ea quæ non continentur in eorum regula. 3.

Non omnis lex positiua est participatio legis æternæ.

CONCLVSIO. *Omnis lex positiua non est participatio legis naturalis aut diuina, saltem vt sit conclusio quædam deducta ex principijs iuris naturalis aut diuini positiui, sed tantùm aliqua ratione.* Prima pars Conclusionis probatur, quia extat lex humana non positiua de matrimonio non contrahendo intrà annum luctus, respectu mulieris viduæ: at lex hæc non est consona iuri diuino, quinimò videtur ei quodammodo contraria; ità enim loquitur Paulus: *Mulier viuente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, cui vult nubat, tantùm in Domino.*

1. Cor. 7. vers. 39.

Deinde, extat lex Albinatus in Gallia, qua priuatur alienigena facultate testãdi de bonis acquisitis

Digitized by Google

intrà terminos regni; at lex hæc videtur contraria iuri naturali & diuino: Ius ſiquidem naturale facit poteſtatem diſponendi de proprijs bonis; Ius item diuinum prohibet ne exteris & peregrinis iniuriam irrogemus, quod tamen facit lex iſta: nam hereditas acquiſita à parentibus, non deuoluitur ad filios eorumdem, ſed cedit in commodum Regis Galliæ.

Tertiò, ſi oppoſita ſententia eſſet vera, ſequeretur nullos dari inter mortales propriè loquendo legiſlatores, ſed tantùm interpretes iuris naturalis & poſitiui; deducerent enim iſti tantùm concluſiones aliquas ex principijs iuris naturalis, & diuini, quas proponerent ſubditis poſtea retinendas: at illatio iſtius maioris cenſetur eſſe B falſa, vt experientia quotidiana docet: ergo & id ex quo ſequitur.

Secunda verò pars Concluſionis probatur: Primò, quia omnis lex humana debet eſſe iuſta & honeſta; atqui omnis honeſtas eſt conformis iuri naturali, & item diuino, ergo quoad hoc lex omnis humana erit derivatio legis naturalis & diuinæ. Deinde, quælibet lex humana debet eſſe cõformis rectæ rationi. Tertiò, Scriptura ſacra nihil frequentiùs inculcat, quàm ſuperioribus eſſe obtemperandum, & idem præſtat ius naturale. Denique, ſancti Patres communiter docent leges humanas non eſſe veras leges, niſi fuerint iuſtæ & C ſanctæ; atqui iuſtitia & ſanctitas omnis conuenit cum iuſtitia & ſanctitate legis naturalis, aut diuinę: ergo. Ità D. Thom. & interpretes eiuſdem hoc loco; propter hanc enim cauſam aſſerit in corpore articuli, omnem legem poſitiuam eſſe derivationem legis naturalis quoad determinationem.

Satisfit rationibus dubitandi. 1. Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. conceſſo antecedente, negando conſequentiam: eſt enim maximum diſcrimen inter poteſtatem condendi leges, & poteſtatem definiendi aliquid de fide: ad hoc enim vt quis poſſit condere articulum de fide ſimpliciter & abſolutè, requiritur, vt hic ſit Deus; fides enim ſupponit intrinſecè & eſſentialiter reuelationem Dei: ità vt tota ratio D quare aliquid ſit de fide, deſumenda ſit ex reuelatione diuina: certum autem eſt Pontificem Maxim. eſſe vicarium Chriſti, neque tamen poſſe condere articulos fidei, ſed tantùm declarare hæc vel illa eſſe de fide: poteſtas autem condendi leges eſt ità coniuncta cum ſupremo dominio alicuius reipublicæ, vt ſit inſeparabilis ab eo: quare cum Pontifex Maxim. ſit ſupremus Dominus in ſpiritualibus, poterit hic condere quaſlibet leges, quibus promoueatur bonum ſpirituale Catholicorum omnium.

2. Ad ſecundam, D. Thom. affirmare tantùm legem poſitiuam humanam eſſe derivationem legis naturalis diuinæ, quoad determinationem tantùm; non autem ſimpliciter & abſolutè: ità vt minimè voluerit D. Thom. leges poſitiuas humanas eſſe concluſiones deductas ex principijs iuris naturalis poſitiui, aut diuini.

In omni lege reperitur honeſtas & obligatio. Vt autem reſponſio hæc intelligatur. Aduerte in omni lege poſitiua reperiri duo, honeſtatem, & obligationem ad aliquid agendum, vel omittendum: honeſtas deſumitur à virtute, quam reſpicit lex humana poſitiua: idem namque dicendum eſt de legibus iſtis, quod de actibus humanis, ceteris tamen paribus; indubitatum autem eſt honeſtatẽ cuiuſlibet actus humani ſumi à virtute, ſecundum quam producitur: ergo idem erit di- A cendum de honeſtate legis. Confirmatur. Turpitudo cuiuſlibet actus humani vitioſi deſumitur à virtute ſibi oppoſita; nempe quia deficit hic à virtute hac, vel illa: Obligatio verò legis ſumenda eſt partim à legiſlatoris voluntate, volentis obligare aliquos ad hæc, vel illa agenda, & item à principio hoc communiſſimo iuris diuini & naturalis: *Superioribus eſt obtemperandum*: quoniam ergo obligatio legis humanæ poſitiuæ pendet à principio proximè explicato, ſaltem inadæquatè, & partialiter, ideò aſſerit D. Thom. legem omnem humanam eſſe deriuationem legis naturalis, & diuinæ, quoad determinationem ad aliquid ſcilicet agendum, vel vitandum.

Vltim. Ad vltimam reſpondeo, ſuperiores Ordinum, ſaltem in Comitijs generalibus poſſe condere veras leges obligantes ſubditos, etiamſi non habeantur iſtæ vel in regula, vel in conſtitutionibus: ea tamen ratione quòd leges huiuſmodi ſint vtiles & neceſſariæ, aut ad vota ſeruanda faciliùs, aut ad iſtorum reſtitutionem, ſi deſierint hæc obſeruari in Ordine.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm conditiones legis humanæ ſint ab Iſidoro bene conſtitutæ.

RESPONDEO, tres eſſe humanæ legis conditiones: Prima, quòd conueniat religioni. 2. Quod congruat diſciplinę. 3. Quod proficiat ſaluti omnium. 4. Addit Iſidorus, nempe quod ratione conſtet: per primam partem intelligit D. Thom. omnem legem humanam debere eſſe conformem religioni: Per ſecundam verò omnem legem humanam debere congruere cum lege naturali, aut, vt alij volunt, debere eſſe facilem, non grauem, aut oneroſam ſubditis. Per 3. denique omnem legem humanam promouere debere bonum commune, & publicum. Sunt qui addant ſex alias conditiones 1. quod ſit honeſta. 2. quod ſit iuſta. 3. quod ſit poſſibilis ſecundùm naturam, & ſecundum regionem in qua ponitur talis lex. 4. quod ſit tempori congrua. 5. quod ſit vtilis. 6. quod ſit neceſſaria. Ceterùm conditiones iſtæ facilè reuocantur ad tres illas explicatas à Diuo Thoma. His ità circa litteram D. Thom. conſtitutis ſupereſt inueſtiganda.

Conditiones legis humanæ.

DVBITATIO VNICA.

An promulgatio ſit de ratione legis humanæ.

CONCLVSIO 1. *Promulgatio eſt de ratione legis humanæ*: nam promulgatio eſt de ratione cuiuſlibet legis, ex dictis art. 4. quæſt. 90. huius partis. E

Promulgatio eſt de ratione legis humanæ.

Deinde, leges humanæ tunc maximè conduntur quando promulgantur.

Tertio, lex nequit habere naturam legis, niſi ſit à principe communitatis per modum imperij, & præcepti, intendente obligare ſubditos ad aliquid agendum vel omittendum; atqui lex humana rationem præcepti conſequitur, poſita promulgatione: ergo hæc eſt neceſſaria ad naturam legis humanæ.

Obiectio. Dices, Deum ſupplere poſſe defectum pro-

mulgationis legis humanæ, vt aliqui dicunt; credunt enim solemnem & externam promulgationem esse de ratione legis: quare fatentur legem humanam futuram altioris ordinis interueniente dispensatione diuina, respectu promulgationis solemnis & externæ, quàm de facto sit, posita promulgatione solemni. Ceterùm hæc responsio non videtur satis tuta: lex enim humana postulat tantùm ex se & sua natura publicationem, vel solemnem, vel priuatam, vt docuimus art. 4. quæst. 90. huius partis. Deinde, quia publicatio solemnis & externa non est magis publicatio, quàm interna. Tertiò, tota ratio cur publicatio seu intimatio sit de ratione legis, hæc videtur esse; quia lex nequit esse vera lex, nisi innotescat subdito per modum imperij: at ratio imperij æquè cognoscitur per priuatam promulgationem, atque per solemnem: ergo solemnis determinata non requiritur.

Aliquorum sciu io non placet.

Dico ergo, Deum non posse dispensare in promulgatione legis humanæ, idque quòd promulgatio sit de ratione legis, non quidem solemnis vel priuata tantùm, sed harum altera; vt in superioribus diximus, vbi de lege æterna.

Publicatio quænam sit necessaria.

Conclvsio 2. *Lex humana statim obligat vbi fuerit in Curia, aut in Ciuitate regia publicata; saltem si fermo sit de illis omnibus, qui domicilium habent constitutum in ciuitate regia; si verò fermo sit de ys qui longè absunt à ciuitate, obligantur lege, emenso illo tempore intrà quod potuit lex apud eos publicari.* Primùm, quia constitutiones Pontificum Maximorum quæ habentur in Sexto, & Decretalibus, & item regulæ Cancellariæ obligant vbique locorum: atqui constitutiones istæ fuerunt tantùm publicatæ Romæ; saltem hoc est indubitatum de plerisque, si non de omnibus.

Deinde, si contraria sententia esset vera, sequeretur neminem obligari ad obseruanda Concilij Tridentini decreta; nusquam enim fuit in Gallijs promulgatum: & tamen Pius IV. in Bulla quæ habetur ad calcem eiusdem Concilij, decreuit omnes & singulos vbique locorum constituros teneri ad obseruationem eorum quæ decreta sunt in hoc Concilio.

Tertiò, qui celebrat contractus prohibitos in ciuitate regia, ex ignorantia inuincibili, verè sunt inualidi; & tamen lex ista derogatoria, aut prohibitiua erit in ciuitate regia tantùm promulgata. Ità sentiunt Syluester verbo, *Lex*, quæst. 6. saltem si fermo sit de legibus Pontificis Romani.

Obiectio.

Dices, si ità res haberet, sequeretur eos qui facerent contra huiusmodi legem peccare, etiam si id præstarent ex ignorantia inuincibili; agerent enim contra legem ad cuius obseruationem tenerentur.

Solutio.

Respondeo, aliud esse quempiam obligari lege, & aliud peccare contra legem; ille subijcitur & obligatur legi qui agit in territorio illius principis qui legem aliquam in ciuitate regia promulgauit; hic enim hoc ipso quod lex promulgata est aut in aula, aut in ciuitate regia, subijcitur verè legi: peccare verò contra legem is solus potest, qui nedum subijcitur legi, sed etiam eam habet notam; nemo quippe peccat nisi actum liberum exerceat contra legem sibi impositam, est enim hic actus necessariò liber, si sit actus peccati: voluntas autem nequit ferri in suum obiectum cùm sit cæca, nisi interueniente aliquo actu intellectus. Confirmatur: fatentur omnes neminem peccare, nisi id præstet sciens & volens: ergo præter subiectionem legis quę contingit interueniente promulgatione, desideratur ad hoc vt quis peccet contra legem, quòd eam cognouerit. Dico ergo hoc argumento tantùm probari, ignorantiam inuincibilem excusare subditum istum à peccato, quando facit contra legem sibi minimè notam idque inculpabiliter, id est ex ignorantia inuincibili. Quod autem hic verè subijciatur legi, etiamsi inuincibiliter ignoret legem, colligitur ex eo quòd media ista ignorantia excusetur à lege: at qui non subijcitur legi non eget excusatione. Deinde, omnis lex statim atque publicata est sufficienter constringit & obligat, saltem in actu primo, vt loquuntur. Tertiò, si subditus hic aliter cognouisset legem, quàm per publicationem externam hic non esset immunis à peccato, agendo contra legem sibi impositam: ergo.

Adieci autem in Conclusione eos qui absunt à Curia, aut à ciuitate regia obligari transacto illo tempore, intrà quod potuit lex apud istos promulgari: quemadmodum Scotus, & alij plerique volunt promulgationem in Curia factam non sufficere ad hoc, vt qui longè absunt obligentur.

Sunt etiam alij qui putent assensum populi, seu subditorum esse necessarium ad legis obligationem.

Ceterùm opinio ista nulla ratione est defendenda: ità enim sequeretur principes supremos & independentes non habere, absolutè loquendo, potestatem condendi leges, deberent enim expectare assensum subditorum ex hypothesi: at illatio hæc est impertinens, & reijcitur ab omnibus communiter. Deinde, non est in potestate subditorum destruere legem iustam à principe constitutam, principe reclamante; sed tantùm assentiente, idque vel expresso, vel tacito consensu. Tertiò, quia assensus subditorum videtur tantùm necessarius, ad hoc vt lex altiores figat radices, seu vt vsu & consuetudine firmetur.

Assensus populi minimè necessarius ad legis obligationem.

Conclvsio vltima. *Leges aliquæ humanæ etiam publicatæ sufficientissimè, obligant tantum certis & quibusdam constitutis temporibus:* huius generis sunt tantùm illæ omnes in quibus tempus obligationis præfinitur, & prædeterminatur in ipsamet lege: etenim lex eatenus obligat, quatenus exit à principe, vt supponimus, cum ista conditione, lex obligabit trigesimo die à sua publicatione prima: huius generis est lex Concilij Tridentini qua irritantur matrimonia clandestina; decernit enim in capite de reformatione matrimonij, sess. 21. legem qua irritantur ista matrimonia obligare tantùm post 30. diem à prima sua publicatione facienda in qualibet parœcia. Confirmatur hoc, ex declaratione Cardinalium circa dubia nata ex littera eiusdem Concilij: aiunt enim matrimonia clandestina esse valida nostris temporibus in istis omnibus parœcijs, in quibus lex Concilij non fuit promulgata, contrà vero esse inualida in illis in quibus est promulgata.

Leges aliquæ publicatæ certis temporibus obligant.

Articvlo vltimo, Differit D. Thom. de diuisione legis humanæ: qua de re consule sanctum Doctorem.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XCVI.

De potestate legis humanæ.

ARTICVLO 1. Docet D. Thomas omnem legem humanam debere esse communem personis: de qua re nulla potest esse dubitatio, cum quæst. 90. art. 2. docuerimus legem versari circa bonum commune. Deinde, lex distinguitur à priuilegio & præcepto, quòd hæc respiciant tantùm vnam, aut plures personas: lex autem omnes homines alicuius reipublicæ, & communitatis. Addit D. Thomas legem debere esse communem negotijs, id est rebus, quæ vt plurimum contingunt, & applicandam hîc & nunc iuxta circumstantias personarum & temporum. De qua etiam re nulla est dubitatio; cùm in moralibus mutata aliqua circumstantia, mutetur etiam species actus; ac proinde & lex quodammodo variatur: hæc etiam est aperta Hieronymi sententia: ait enim Concilia Ecclesiastica variari, non quia noua veteribus anteponenda, sed quia non æquè tempori congrua.

ARTICVLO 2. Docet legem humanam non prohibere & cohibere quamlibet speciem peccati, cuius rei hanc reddit causam, quòd lex humana alioquin esset impossibilis, non quidem simpliciter, sed tantùm secundum consuetudinem humanam, quæ peccata aliqua non vindicat, vt simplicem fornicationem, vsuras, & alia huius generis, sed hæc permittit ad maiora mala impedienda.

ARTICVLO 3. Docet legem humanam præcipere posse actus singularum virtutum, non tamen eos omnes præcipere, sed tantùm aliquos; & ratio est manifesta, quia lex respicit bonum commune communitatis: at omnes actus virtutum spectati in particulari, non promouent de facto bonum commune. Deinde, quia lex esset impossibilis secundum patriæ consuetudinem toti communitati, saltem ratione correctionis, quam secum lex affert. Tertiò, ratione simplicis præcepti, quia lege humana multa opera virtutis, quę erant tantùm in consilio, fierent necessaria sub præcepto, quod nimis esset asperum. Denique, quia princeps præcipit actum virtutis prout hic conducit, aut iudicatur conducere ad bonum publicum; actus autem quilibet virtutis non iuuat ad bonum publicum, saltem in omni euentu & casu.

ARTICVLVS QVARTVS.

An lex humana imponat necessitatem homini in foro conscientiæ.

DVBITATIO PRIMA.

An lex humana, nedum Ecclesiastica, sed etiam ciuilis obliget ad culpam.

Opinio negans & fundamenta. 1.

SVNT qui sentiant leges humanas, etiam Ecclesiasticas, quatenus tales, nullam inducere obligationem in foro conscientiæ ad reatum peccati mortalis, aut venialis; sed tantùm quatenus præcipiunt aliqua, quæ sunt iuris naturalis, vel certè diuini positiui. Probant: leges humanæ quæcumque illæ sint nec agnoscunt, nec attingunt finem hominis supernaturalem: ergo nequeunt etiam istæ inducere obligationem per quam priuetur quis fine isto, aut fortè remoretur ab huius adeptione; certum autem est peccatum mortale priuare hominem vltimo fine supernaturali, & item veniale retardare adeptionem istius finis, ex illo Apocalypsis vltimo, *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.*

2. Deinde, nullus est qui possit obligare subditos ad pœnam aliquam subeundam, quam non possit ipse exigere à reis in suo tribunali: at certum est nullum legislatorem humanum posse exigere pœnas æternas ab ijs qui recedunt ab eorum legibus: ergo neque poterit condere leges obligantes.

3. Tertiò, potestas humana, quæcumque illa sit censetur esse humana; imò & secularis respectu principum laïcorum: ergo nequeunt isti inducere obligationem suis legibus ad culpam venialem vel mortalem; nam potestas humana non videtur esse satis ad destruendam in nobis gratiam gratum facientem: ità sentiunt Gerson referente Almaino in tractatu de potestate Ecclesiastica, capite 12 Medina, capite de ieiunio, quæst. 7. Driedo lib. 2. de libertate Christiana, capite 1. Adrianus quotlibeto 6. Conclus. 1.

CONCLVSIO. *Lex humana tam Ecclesiastica, quàm ciuilis obligat ad culpam.* Primò, quia id colligitur ex cap. 13. Rom. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* & paucis interiectis, Rom. 13. ℣. 1. 2. & 4. *Qui resistunt*, principibus scilicet, & superioribus humanis, *sibi damnationem acquirunt.* & ibidem, *nedum propter iram*, id est pœnam, *sed etiam propter conscientiam*, id est propter culpam, quæ consequitur ex transgressione legis humanę, & 1. Petr. 2. *Subditis estote omni humanæ creaturæ.* 1. Petr. 2. ℣. 21. Illud idem confirmatur, ex illis locis in quibus dicitur obtemperandum esse Episcopis, & superioribus Ecclesiasticis, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Loquitur autem Christus illis de Apostolis: & Actuum 16. Præcipiens eis obseruare mandata seniorum, & capite 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Luc. 10. ℣. 16. Actor. 20. ℣. 28.

Lex humana obligat ad culpam.

3. Tertiò, peccatum definitur communiter dictum, factum, concupitum: at quælibet lex humana nedum Ecclesiastica, sed etiam ciuilis, si sit vera lex, est participatio legis æternæ, ex D. Thom. quæst. proximè antecedente.

4. Quartò, qui deficit in re graui à præcepto su-

Digitized by Google

cipit, quæ compensare potest aliqua ratione: atqui actus internos, nec emendare, nec compensare potest, in proprio tribunali: ergo illos non præcipit.

Deinde, sententia, & lex in eo distinguuntur, quòd hæc sit præceptum vniuersale obligans omnes, & singulos subditos: illa vero censetur præceptum vni aut pluribus impositum, idque conforme legi, quare censetur esse præceptum peculiare: at præcepta hæc præsupponunt res aliquas sensiles, quales sunt actus externi, non autem interni: ergo. Confirmatur: de occultis non iudicat Ecclesia, neque Prætor, sed solus Deus, quemadmodum & cogitationes nostras ipse solus inuestigat.

Tertio, conformitas voluntatum spiritualis, in solis Angelis locum habere videtur: ergo conformitas voluntatum sensilis, debet admitti inter homines; ergo de solis istis actibus externis leges constituuntur ab hominibus. Ità D. Thom. quæst. 91. art. 4. huius part. & q. 100. ar. 9. & plerique alij.

Probatio 2. partis. Secunda vero pars probatur: Primo, qui prohibet v. g. ne quis alium occidat, prohibet etiam saltem consequenter ne quis velit efficaciter quempiam occidere; occisio siquidem externa pendet in hoc casu ab actu intrinseco voluntatis nostræ, quo voluntas efficaciter vult occisionem externam, ac proinde tam verè peccatum est actus internus, quàm externus, ex illo; quod est causa causæ, est etiam causa causati.

Deinde, malitia actus externi prohibiti, communicatur actui interno; imo vero vnum & idem numero peccatum complent actus interni & externi: ergo consequenter saltem prohibentur actus isti interni, quando actus internus est causa efficax productiua actus externi prohibiti.

Notabile. Aduerte, actus internos comparari cum externis, & tanquam causas efficaces, & quasi circumstantias eorumdem, quæ tamen non innotescunt, etiam si actus externus prohibitus sensibus externis deprehendatur: & denique tanquam nulla ratione pertinentes ad actus externos prohibitos: de primis ergo actibus internis ità comparatis cum actibus externis veritis aut imperatis, contendimus quod non præcipiantur, aut prohibeantur lege aliqua humana per se, sed tantùm consequenter: de actibus vero secundis & alijs docemus, quod nec per se primo, nec secundario, siue consequenter præcipiantur aut imperentur legibus humanis.

Solutio fundamentorũ. Ad rationes verò authorum primæ sententiæ, respond. Ad primam, præceptum de confessione facienda semel in anno esse diuinum, secundum suam substantiam, vt dicitur expressè in Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. & colligitur ex illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata.* Secundum verò suam determinationem esse tantùm Ecclesiasticum, & hoc manifestè conuincitur ex illo loco cap. *Omnis vtriusque sexus.* in argumento citato; non est autem absurdum Deum posse prohibere primò, & per se actus internos, aut etiam vetare, cùm in huius potestate sit actus istos verè emendare aut compensare; de fide quidem est cogitationes cordium esse notissimas Deo Opt. Max.

1. Trident. Ioan. 20. ¥. 22.

2. Ad 2. Ex multorum sententia Pontificem Ro. & item Episcopos, non dispensare in vllis planè votis, sed tantùm explicare, & declarare vota definere obligare in hoc, vel in illo casu, idque ex vi potestatis sibi à Deo traditæ. Alij verò putans Pontificem Max. & item Episcopos dispensare in votis saltem aliqua ratione dispensatione propriè dicta, quatenus scilicet remittunt isti promissionem annexam cuilibet voto. Cæterùm ex istis nihil planè colligitur: nam id præstant Pontifex Rom. & Episcopi authoritate diuina, modificata tamen in Episcopis iure humano positiuo.

3. Ad 3. Præceptum de audiendo sacrum diebus festiuis esso similiter diuinum secundum suam substantiam, vt colligere licet, ex illo Exod. 20. *Sabbatha sanctifices*, aut ex illo, *Vnum cole Deum*: secundùm verò determinationem esse iuris humani positiui, nempe quatenus eo prohibetur opus seruile, & item vt respicit præcisè auditionem sacri. Ad id verò quod dicitur violari præceptum istud per illum actum, quo quis vult non audire sacrum, etiamsi nihil aliud fiat ab homine, aut dicatur. Respondeo ex eo tantùm posse colligi actũ hunc internum prohiberi secundarib, siue consequenter per huiusmodi præceptum. Exod. 20. ¥. 8.

4. Ad 4. Eum qui discredit omnibus articulis fidei non innodari vlla planè censura Ecclesiastica, nisi huiusmodi errorem, siue hæresim actu aliquo externo manifestet: ità communiter omnes; asserunt enim censuras prolatas ab homine, vel à iure contra hæreticos, incurri tantùm ab hæreticis manifestis, seu ab illis qui suam hæresim actibus externis publicarunt seu notificarunt: imò Tridentinum facit potestatem Episcopis absoluendi quoslibet hæreticos occultos, quod venit intelligendum, ex multorum sententia, de illis hæreticis, qui suam hæresim actibus externis publicarunt, neque tamen de ea re conuinci possunt; propter hanc enim causam dicuntur hæretici occulti. Ad id autem quod dicitur de attentione inter recitandas horas canonicas, aut audiendum sacrum. Respond. attentionem istam non esse in præcepto Ecclesiastico: tum quia hæc actio non est sensilis; tum quia non deprehenditur per recitationem Horarum, aut etiam per auditionem sacri, vt est per se notum: est tamen hæc in præcepto iuris diuini, & naturalis: quilibet enim tenetur colere Deum cum reuerentia debita, & attentione, vtroque iure.

Ad id denique quod dicitur de beneficiario Curato, qui non habet intentionem promouendi ad sacros ordines. Respondeo intentionem istam esse verè culpabilem lethaliter, consequenter ex præcepto iuris humani positiui, per se vero primo ex præcepto iuris naturalis diuini. Curatus enim censetur esse pastor, & per consequens tenetur ad administrationem Sacramentorum, quam de facto admittere non potest sine sacerdotali dignitate: quare peccat hic quandocumque prouentus beneficij retinet, & intentionem non habet promouendi ad sacros ordines. Idem dic de Episcopo qui assumptus ad dignitatem Episcopalem intrà sex menses negligit consequi beneficium consecrationis, ex Trident. sess. 23. cap. 2.

DVBITATIO QVARTA.

An lex humana, ciuilis, aut Ecclesiastica obliget cum dispendio vitæ, ad sui obseruationem.

Lex humana tam ciuilis quàm humana potest obligare cum dispendio vitæ, saltem interdum & aliquando.

CONCLVSIO prima. Primùm, quia *dispendio* bonum commune est anteponendum priuato, ex *vita*.

illo

illo communi axiomate : Bonum quò cõmunius, eo melius : atqui fieri poterit, vt occurrat aliquis caſus in quo nequeat quis bonum commune reipublicę conſeruare, cum propria vita : ergo ſaltem in hoc caſu lex humana obligabit cum diſpendio vitæ.

Secundò, experientia docet quamlibet partem corporis exponere ſe periculo vt caput intacte & illæſum conſeruet : ergo idem erit dicendum de quolibet priuato homine, quando commune bonum conſeruari non poterit cum vita priuata, huius vel illius hominis qui eſt pars reipublicę periclitantis.

Quartò, Carthuſiani in nullo planè caſu patiuntur ſuos religioſos veſci carnibus, etiamſi, ex hypotheſi ſinè eſu carnium ſanitas v. g. iudicio medicorum comparari non poſſit : at lex iſta eſt iuris humani poſitiui ; lex autem de conſeruanda vita eſt iuris diuini & naturalis : ergo lex humana interdum obligat cum diſpendio vitæ.

Obiectio. Contra hoc obijcies : Quia non videtur eſſe poſitum in poteſtate alicuius ſuperioris quacumque fulgeat authoritate, condere legem præceptis iuris naturalis contrariam, at lex de non veſcendis carnibus in neceſſitate extrema, aduerſatur per ſe præcepto iuris naturalis, quod eſt de vita propria retinenda : Non enim licet de ſtatione propter vitam conſeruandam conſulto imperatore diſcedere : ergo illa lex Carthuſianorum, vt pote iuris poſitiui humani tantum non poteſt obligare in conſcientia.

Vt hæc ſoluantur placet paulò fuſiùs immorari in mea aperienda mente circa difficultatem propoſitam de Carthuſiano in extrema neceſſitate poſito, an illi liceat, medicis id in præcipientibus, carnes edere, aut iuſcula ex illis condita ſumere.

Carthuſiani nequeunt veſci carnibus in extrema neceſſitate.

CONCLVSIO 2. *Non poteſt Carthuſianus, aut is qui tenetur voto ad perpetuam abſtinentiam carnium, tuta conſcientia veſci carnibus, quando alius cibus haberi poteſt.* Primùm, quia conuenit inter omnes quemlibet ità obligari ad voti perſolutionem, vt in nullo planè caſu liberum ei ſit recedere à fide data, ſaltem quamdiu votum non irritatur, ex illo Dauidis : *Vouete & reddite.* & ex illo Sapientis, *Quodcumque poteſt facere manus tua inſtanter operare. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei ſtulta & infidelis promiſſio*, & vt loquitur ille, *Rumpe moras ſemper nocuit differre paratis*, atqui Carthuſianus ex voto tenetur ad abſtinentiam carnium vt ſupponimus ; licèt enim iſte votum priuatum & particulare, non emittat de non edendis carnibus ; negari tamen non poteſt quin ad id ſe obliget, ſaltem in communi, putà hoc ipſo quòd quilibet vouerit ſe ſeruaturum ea omnia quæ continentur intrà terminos regulæ, quam profitetur, prout vſus & conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres obtinuit, & explicauit : vſus autem hactenus habet apud iſtos viros optimos & religioſos, vt nec extremè laborantibus, nec in quouis alio periculo conſtitutis carnes, aut aliquid carne conditum, fuerit adminiſtratum : ergo non licebit illis citra peccatum mortale carnes edere.

1. Pſal. 75. verſ. 12. Eccleſ. 9. verſ. 10. Idem 5. verſ. 3.

2. Secundò, ſi quæ eſſet ratio propter quam diceremus Carthuſianos teneri ad comedendum carnes, maximè id locum haberet quando ægrotant, & iudicio medici aliter ſanitati reſtitui non poſſunt, at hæc ratio non conuincit ; nam fatentur plerique in re medica exercitati, fieri poſſe, vt quis ſanitatem conſequatur ſecluſo omni alimento carneo : ergo &c.

3. Tertiò, extra omnem controuerſiam videtur eſſe poſitum vota ſponte & liberè emiſſa, aut maiorem, aut certè æqualem inducere obligationem cum preceptis iuris poſitiui Eccleſiaſtici, ſiue diuini, at tanta fuit religio, tantus erga res ſacras quorumdam affectus, vt pluris fecerint vitam cum morte commutare, & exquiſita quæque ſupplicia perpeti, quàm carnes ſuillas & alias huius generis lege Moſaïca prohibitas attingere, vt conſtat de Eleazaro inter Scribas Iudæorum optimo cap. 6. 1. Machab. & de Daniel, Sidrach, Miſach, & Abdenago : ergo.

4. Quartò. Poterit & hæc Carthuſianorum agendi conſuetudo ex his quæ temporibus primitiuæ Eccleſiæ fuerunt à Catholicis communitatibus acta aliqua ratione comprobari : De iſtis ergo refert Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſiaſticę cap. 1. Bi- Euſeb. blidem mulierem maximè piam exprobrantibus Ethnicis, & interroganti Tyranno, an verum eſſet cultores nominis Chriſtiani ad tantam impietatẽ peruenisſe vt carnibus humanis veſcerentur, conſtanter & intrepidè in ipſis medijs cruciatibus reſpondiſſe. *Quomodo eiuſmodi viri liberos ſuos devorare in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem ſit ſanguinem animalium ratione carentium comedere?* & Niceph. lib. 17. cap. 32. narrat vniuerſam Græciam, maximè verò agrum Byzantinum ſiue Conſtantinopolitanũ tanta penuria piſcium, & eorum quibus vita hæc ſuſtentari conſueuit temporibus ieiunij quadrageſimalis laboraſſe, vt Iuſtinianus Imperator miſeratione erga ſuos ſubditos aliqua commotus, propterea iuſſerit forum piſcarium carnibus brutorum animalium repleri, quatenus hac ratione annonæ caritatem ſubleuaret, ciuibúſque ſuis meliori quo fieri poterat modo proſpiceret, at rebus iſtis à Catholicis deprehenſis, probant aliqui factum Imperatoris, & bene affectũ erga populum eiuſdem animũ commendant, omnes tamen vno ore conclamant præſtare dira & acerbiſſima fame interire, quàm carnibus veſci, & à maiorum moribus, & viuendi conſuetudine, ac inſtituto recedere. Pulchrè ſanè de Machabæis, Theophilus Alexandrinus epiſt. 3. de Paſchalibus ferijs. *Quid*, inquit, *memorem inſignes Machabaeorum victorias qui ne illicitis carnibus veſcerentur & communes tangerẽt cibos, corpora obtulere cruciatibus, totiúſque orbis, in Eccleſijs Chriſti prædicantur laudibus, fortiores pœnis, ardentiores quibus comburebantur ignibus? victa ſunt in eis omnia crudelitatis ingenia ; & quidquid ira perſecutoris immenerat, patientiam fortitudo ſuperauit. Inter pœnas, magis paterna legis, quàm dolorum memores. Lacerabantur viſcera, tabo & ſanie artus defluebant, & tamen ſententia perſeuerabat immobilis : liber erat animus, & mala præſentia futurorum ſpe deſpiciebant. Laſſabant tortores, & non laſſabatur fides, frangebantur oſſa, & volubili rota, omnis compago nervorum atque artuum ſoluebatur, & in immenſum ſpirantia mortem incendia conſurgebant : plena erant feruentis olei ſartagines, & ad frigenda ſanctorum corpora, errore incredibili perſonabant : & tamen inter hæc omnia, paradiſum animo deambulantes, non ſentiebant quod patiebantur, ſed quod videre cupiebant : mens enim Dei timore vallata flammas ſuperat : varios tormentorum ſpernit dolores. Cùmque ſemel virtuti ſe tradiderit, quidquid aduerſi emeneris, calcat & deſpicit, &c.* Si ergo iſtis omnibus licuit, etiã cũ diſpendio vitę corporalis abſtinere à

Theophili Alexandrini authoritatis.

Digitized by Google

carnibus, non erunt certè culpandi illi qui cum Carthuſianis liberè & ſponte perpetuam continentiam carnium ſunt complexi, imò ad hunc viuendi modum in conſcientia tenebuntur, etiam in neceſſitate poſiti.

5. Quintò. Habet & hæc viuendi ratio aliquid commune cum illis hominibus qui ante diluuium vixerunt; ſunt enim qui putent iſtos ab eſu carnium omnino abſtinuiſſe: ego verò auſim illud de quibuſuis veri numinis cultoribus, quales fuerunt poſteri Seth affirmare, idque propter teſtimonia Chryſoſt homil. 27. in Geneſ. Theodoreti quæſt. 55. & D. Thom quæſt 102. art. 6. ad 2. & videtur manifeſtè colligi ex verbis Moyſis, cap. 9. Geneſ. *Omne quod mouetur & vimit erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnem carnem.* Sed placet referre teſtimonium Theodoreti. *Mox vbi creaſſet hominem, dedit ei terræ fructus inbens illum veſci fructu ſeminum & arborum: poſt diluuium autem pretioſiorem cibum illi conceſſit, iubens occidere & comedere volatilia & natatilia, & terreſtria animalia.* Sunt & Ethnicorum ſapientes hanc carnium abſtinentiam in primæua mundi ætate, quam illi nominarunt ſeculum aureum, ſubodorati, vel ſcriptoris Moyſis lectione, vel fama & traditione antiqua, Chaldæorum præſertim, atque Ægyptiorum, quibus inſtituta Iudæorum, propter diutinam cum illis conuerſationem, non fuere ignota: continentiam igitur illius temporis ab eſu carnium expreſſit Ouidius lib. 15. Metamorph. his verſibus paulò poſt initium.

Heu quantum ſcelus eſt, in viſcera, viſcera condi,
Congeſtóque auidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriúſque animantem animantis viuere leto.
At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore:
Tunc & aues tutæ mouêre per aëra pennas,
Et lepus impauidus medijs errauit in aruis,
Nec ſua crudelis piſcem ſuſpenderat hamo.
Cuncta ſinè inſidijs, nullámque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant.

Verùm milla hæc omnia faciamus, putà quibus veritas noſtræ propoſitionis licèt aliqua ratione illuſtretur, non tamen vt ingenuè fatear demonſtratur. Sit ergo ratio Concluſionis prima, quam attulimus pro præcedenti: Bonum commune eſt anteponendum bono priuato, ſaltem in eo caſu in quo ambo hæc retineri non poſſunt; at abſtinentia à carnibus eſt bonum commune, reſpectu illius ſocietatis, quæ tenetur voto ad perpetuam carniũ continentiam: conſeruatio autem vitæ huius, vel illius qui ſecluſo eſu carnium non poteſt priſtinam ſanitatem conſequi, eſt tantùm bonum priuatum, & particulare: ergo cùm hæc duo nequeant ſimul retineri præſtabit eum perire, quàm à lege de non edendis carnibus recedere.

Ratio pro Cõcluſione.

Confirmatur: Propterea volunt Thelogi in diſputat. de ſigillo confeſſionis, nulli liberum eſſe in vllo planè caſu peccatum auditum in confeſſione reuelare, quòd obſeruatio ſigilli confeſſionis credatur maius bonum, quàm ſit illud, quod ſuboriri poſſet ex illius violatione; aut, vt alij putant, quod Sacerdos teneatur illa eadem ratione ad ſigillum confeſſionis, qua Deus ſeipſum ad id liberè & ſponte obſtrinxit; ſcit enim peccata hæc vt vicem Chriſti gerit, ex illo Ioann. 20. Quorum remiſeritis peccata, &c. at Chriſtus ità nouit peccatum auditum in confeſſione, vt illius non recordetur, ex illo Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, iniquitatum eius non recordabor amplius:* ergo neque poterit Sacerdos recordari, vt illud alicui alteri exprobret manifeſtè, & reuelet: ergo cùm commune bonum pluris facere debeamus quàm priuatum, ſatius erit Carthuſianis ſuas leges ſanctiſſimè exequi, quàm in fauorem huius, aut alterius, vel tantillum ab illis recedere, vel certè interdum etiam ex iuſta cauſa diſpenſare: Quamprimum enim rigor monaſticæ diſciplinæ relaxatur, ſenſim & paulatim omnia & ſingula illius ordinis corruunt, & deorſum prolapſa feruntur, vt quotidiana oſtendit experientia. Ezech. 18. verſ. 22.

Quare ad argumentum in contrarium factum. Reſpondeo, in nullius planè poteſtate eſſe condere legem iuri naturali contrariam; nec legem de non edendis carnibus apud Carthuſianos, etiam in probabili aut euidenti periculo mortis conſtitutos, pugnare cum præcepto iuris naturalis de vita retinenda, & conſeruanda; cùm poſſit homo ſinè eſu carnium propriam vitam conſeruare. *Soluitur argumentum allatum ante Concl. 2.*

Dixi in Concluſione, quando alius cibus haberi poteſt, quia quando nullus alius cibus ſubeſt aut ſubeſſe poteſt, exiſtimo non ſolùm liberum eſſe Carthuſiano in extremis degenti comedere carnes, ſed etiam ad id teneri in conſcientia; *Quæ enim pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quæ vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur*, authore Bernardo de præcepto & diſpenſatione cap. 4. at contra charitatem eſt vt homini cuiuis in extrema neceſſitate poſito nullus adminiſtretur cibus: ergo cùm ſupponamus nulla alia præter carnes haberi poſſe cibaria, teneretur Carthuſianus in his anguſtijs coniectus, carnibus veſci, quod in data hypotheſi conſtitutio huiuſmodi ſanctorum Patrum non poſſit vlla ratione dici bona, bonitas enim omnis, ſaltem moralis, repetenda eſt ex conformitate ad legem Dei æternam, vt pluribus docuimus quæſt. 8. huius part. S. Thomç, at tantùm abeſt, vt conſtitutio hæc ſit conformis diuinæ legi, quin ab ea omni ex parte recedit; præcipit enim Deus vt proximum in extrema neceſſitate conſtitutum verbo, conſilio, re, & opere iuuemus, Matth. 5. *Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt*, hoc autem præceptum tantam inducit obligationem, vt ſi quis opera charitatis erga eum qui agit in extrema neceſſitate prętermiſerit, credatur reus homicidij, ſi mors in paupere fuerit ſubſequuta; habent autem religioſi iſti carnes vnde ſeipſos alere queant, caréntue omni alio cibo: ergo tenerentur ad eſum carniũ. Conijcitur & tertio loco, propoſitionem illam: bonum commune anteponendum priuato, in quouis caſu non habere locũ; quoniam alioqui dicendum eſſet, quod non dubitarunt affirmare aliqui ex recentioribus, Matrimonium ratum & conſummatum nedum poſſe ſecluſa morte dirimi quoad thorum de qua re conuenit inter omnes, ſed etiam quoad vinculum: nihil enim prohibet quominus Turcarum verbi gratia Imperator, vnà cum ſuis omnibus ſubditis velit Chriſtianam religionem profiteri, ea lege quod ſibi tradatur in matrimonium vxor alicuius Principis, Ducis, aut Nobilis Catholici. Quo in caſu maius bonum eſſe videtur conuerſio Imperatoris Turcarum, & tot hominum, quàm ſit obſeruatio vinculi coniugalis inter iſtos duos nobiles *Quando nullus alius cibus haberi poteſt, Quæ Carthuſia in extremis poteſt veſci carnibus.*

biles Catholicos; hæc enim ordinatur ad finem naturalem, illa ad ſupernaturalem: hæc reſpicit bonum priuatum, illa bonum commune, non vnius Prouinciæ, ſed multarum & diuerſarum. Neque tamen eſt aliquis qui ſuſtinere audeat vxorem iſtam poſſe ſeparari à proprio marito, & tradi Turcæ, idque propter verba Pauli ad Rom. 7. *Mulier, viuente viro, alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit.* & 1. Corinth. 7. *Præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit manere innuptam:* ergo quemadmodum in hoc caſu bonum commune non eſt priuato anteponendum, idem erit iudicium, quando à carnibus nullus alius poteſt haberi cibus. Tandem vix datur aut aſſignari poteſt lex aliqua iuris poſitiui, ſiue diuini, ſiue humani, quæ non deſinat in aliquo caſu obligare. Lege ſiquidem Moſaïca ſtrictiſſimè præcipiebatur, vt Circumciſio omnibus & ſingulis maſculis octauo die adminiſtraretur, & tamen toto illo tempore quo populus Iſraël manſit in deſerto nulli circumciſio fuit adminiſtrata, *Ioſue* 5. & colligitur ex Pſalm. 104. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* Vſus item panis propoſitionis ſolis Deo conſecratis fuit licitus, & tamen Achimelech Sacerdos, Dauidi, & militibus eiuſdem fame laborantibus ſponte, & liberè obtulit, vbi tamen ab eis acccepit à re venerea per aliquos dies abſtinuiſſe. 2. *Reg.* 21. Quæ Sabbathi ſolemnitas ità pie & religioſe fuit obſeruanda legis Moſaïcæ temporibus, vt nulli licuerit opus ſeruile, quantumuis minimum exercere, quin ſtatim culpa hæc ſupplicio ſatis exquiſito vindicaretur, vt conſtat ex cap. 15. Numerorum: homo enim decreto ipſiuſmet Dei Opt. Max. lapidatur, idque quòd in Sabbathi paucula quædam ligna collegiſſet; primo tamen Machabeorum cap. 2. dicitur Iudæos ab hoſtibus ſecundo in die Sabbathi laceſſitos in aciem deſcendiſſe, & glorioſam de Ethnicis, ac prophanis hominibus reportaſſe victoriam; idque inculpatè. Verùm quia dicere poſſet aliquis leges Moſaicas fuiſſe abrogatas & antiquatas, exempla quædam ſubiungamus legis Euangelicæ, ad hoc idem demonſtrandum meo iudicio, non minùs firma quàm ſint proximè explicata. Inter leges ergo à Chriſto ſancitas nulla videtur ſtrictiori iure imperata ea quæ eſt de baptiſmate in aqua adminiſtrando; dicitur enim Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum.* & Matth. vltimo, *Ite, docete baptizantes*, &c. at certum eſt pleroſque ab hac lege defeciſſe, ſecluſa omni culpa; & vitam æternam ſinè actuali ſuſceptione baptiſmi fuiſſe conſecutos: id teſtatur de Valentiniano Imperatore Ambroſ. in oratione ſecunda. *Sed audio*, inquit, *vos dolere quod non acceperit ſacramentum baptiſmatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis eſt niſi voluntas, niſi petitio. Atqui etiam dudum hoc vos habuit: vt & antequam in Italiam veniſſet; initiaretur, & proximè baptizari ſe à me velle ſignificauit: & ideò præ ceteris cauſis me accerſiendum putauit. Non ergo habet gratiam quam deſideranit? non habuit quam poposcit? Certè quia poposcit; accepit.* & D. Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 21. *Non dubito*, inquit, *catechumenum Catholicum diuina charitate flagrantem, hæretico baptizato anteponere; ſed etiam in ipſa intus Catholica bonum, catechumenum malo baptizato anteponimus.* Nec immerito; nam tantæ dignitatis eſt actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, vt eo in nobis poſito ſucceda[t] ſtatim diuina gratia, qua anima ſordibus peccatorum ſeatens, purgatur: Imò Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. putat verba Chriſti. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. eſſe intelligenda de baptiſmo vel in re, vel in voto ſuſcepto; non autem de eo, qui verè & actu adminiſtratur. Ex illis autem omnibus plus ſatis demonſtratum eſſe putamus, nihil eſſe reprehenſione dignum in Carthuſiano, ſi vbi nullos alios poteſt habere cibos, carnibus veſcatur; imò crediderim ad id obligari cùm careat ex hypotheſi omni alio cibo quo ſeipſum nutrire poſſit: ità docet Gabr. Vazquez diſp. 162. cap. 4. num. 17. & cap. 5.

Rom. 7. verſ. 2. 1. Cor. 7. verſ. 11. Pſal. 104. verſ. 37. Ioann. 3. verſ. 3. Ambroſ.

Conclvsio 3. *Licèt lex humana obliget interdum & aliquando cum diſpendio vitæ; non tamen id præſtat ſemper, ſed rariſſimè.* Primò, quia non poteſt legiſlator humanus, qualibet ratione obligare, ſed conformiter legi naturali & diuinæ.

Deinde, non ſemper maius bonum eſt conſeruare legem poſitiuam humanam, quam conſeruare propriam vitam, vt eſt per ſe notum, & manifeſtè colligitur vel ex ægrotis qui tempore quadrageſimæ veſcuntur carnibus, & ex innumeris Catholicis qui viuunt inter hæreticos; non enim conſtringuntur iſti ad audiendũ ſacrum diebus feſtiuis cum periculo vitæ, ſaltem ceſſante omni ſcandalo & contemptu Religionis Catholicę, omnium conſenſu.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum legiſlator ſuis teneatur legibus.

Legiſlator non tenetur ſuis legibus.

Conclvsio. *Legiſlator ſuis non tenetur legibus:* quod certiſſimum & indubitatum videtur, ſaltem ſi termo ſit de vi coactiua legis, licèt Suarez, & alij nonnulli recentiores ſecus ſentiant: nam ille tantùm ſubijcitur legi, qui ſuperiorem aliquem habet, à quo lex iſta emanauit; ſupponimus autem legiſlatorem hunc carere ſuperiore.

Deinde, diximus ex D. Thom. in antecedentibus, neminem ponere legem ſuis actibus.

Tertiò, fauet propoſitio communiſſima hæc inter omnes Caſuiſtas & Canoniſtas; Princeps eſt ſolutus ſuis legibus.

Denique, fatentur omnes de Pontifice Max. non ſubijci de legibus iuris Pontificij, idque quòd leges huiuſmodi ſint ab authoritate Pontificis Max. latę.

Obiectio. Obijcies, illud Catonis communiſſimum, Patere legem quam ipſe tuleris.

Solutio. Reſpond. hæc eſſe intelligenda de vi directiua legis; tenetur enim legiſlator ſuo exemplo mouere, & excitare ſubditos, ad executionem legum, quas ipſe conſtituit ex illo Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Matth. 5. verſ. 16. Non autem poteſt ex illo axiomate colligi, legiſlatorem poſſe cogi, ad obſeruationem ſuarum legum, vel à communitate cuius eſt pars, vel à priuato aliquo alio quiſquis ille fuerit inter mortales.

Articvlo vltimo docet, fieri poſſe vt quis interdum operetur præter verba legis, tuta conſcientia; nam lex naturalis interdum definit obligare: ergo idem eſt concedendum de lege humana.

Digitized by Google

QVÆSTIO XCVII.

DOCET D. Thom. legem humanam poſſe mutari, conſuetudinem vim legis habere, & denique legiſlatorem poſſe in ſuis legibus diſpenſare, quæ res latiùs explicantur à recentioribus.

A Quæſtione 98 ad 108. vſque diſſerit idem ſanctus Doctor de lege diuina.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit lex diuina.

Lex diuina quam Deus conſtituit proximè.

CONCLVSIO. *Lex diuina eſt ea quam Deus proximè & immediatè conſtituit:* ità D. Thom.

Deinde, lex humana cenſetur eſſe ea quæ proximè ab homine ortum habet: ergo & diuina dicitur ea quæ à Deo proximè conſtituitur.

Tertiò, per iſtam particulam, *Quæ à Deo proximè*, &c. diſtinguitur lex diuina & a naturali & ab humana; nam legem naturalem ponit Deus media tantùm natura rationali, legem verò humanam medio homine, & eius authoritate: ergo illa dicetur diuina quæ à Deo exit.

Obiectio. Galat. 3. verſ. 19. Actu. 7. verſ. 54.

Dices, legem Moſaïcam eſſe diuinam, & tamen hæc ab Angelis fuit poſita, cap. 3. ad Galat. & 7. Actuum. *Lex per Angelos ordinata in manu mediatoris.*

Solutio.

Reſpondeo, Angelos ità dediſſe legem Moſaïcam, vt eam tradiderint non quidem nomine proprio, ſed nomine ſolius Dei omniporentis: ità vt Angelus qui legem hanc Moyſi tradidit vices Dei ſuſtineret: dicitur autem Moſaïca, non quòd Moyſes ſit eius author, ſed quia innotuit hæc Iudæis, opera Moyſis.

Alia obiect. Ezech. 2.

Obijcies, omnem legem diuinam eſſe bonam, de lege autem Moſaïca dicitur apud Ezech. cap 2. quòd non ſit bona. *Dabo*, inquit, *eis legem non bonam.*

Solutio.

Reſpond. hæc eſſe intelligenda non quidem per ſe, ſed tantùm per accidens, ſeu conſequenter, nempe in ordine ad tranſgreſſores legis Moſaïcæ; hæc enim exigit ab eiſpænas quàm maximè acerbas, vt colligere licet ex lib. Exodi Deuteronomij, Numer. & Leuitici.

DVBITATIO SECVNDA.

Quotuplex ſit lex diuina.

Lex diuina antiqua & noua.

CONCLVSIO *Duplex eſt noua ſcilicet & vetus:* hæc vulgò nuncupatur lex Moſaica, illa verò lex Chriſti; continetur autem Moſaica in veteri Teſtamento; Chriſti verò in nouo: de hac loquitur Hieremias cap. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Rom. 3. & 8. *Lex fidei, & ſpiritus:* legis verò Moſaicæ meminit Ioann. cap. 1. *Lex per Moyſen data eſt; gratia autem & veritas per Chriſtum.* & alibi: *Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem.*

Hiere. 31. verſ. 33. Rom. 3. & 8. Ioann. 1. verſ. 17. Idem 7. verſ. 19.

A DVBITATIO TERTIA.

Qua ratione diſtinguantur lex Euangelica & Moſaïca.

RESPONDEO *Diſtingui præceptis.* Moſaica enim habet infinita præcepta: Ex ſententia quorumdam Rabinorum fuerunt 248. poſitiua & affirmatiua; negatiua verò extiterunt in eadem lege 365. præter præcepta iuris naturalis: In lege verò gratiæ præcepta ſunt in exiguo numero, & hæc quàm maximè facilia, ex cap. 11. Matth. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* & 1. Ioan. 5 *Mandata eius grauia non ſunt,* præcepta verò contrà, legis Moſaicæ, fuerunt quàm maximè anxia & difficilia, ex cap. 15. Actuum. *Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper cernices Diſcipulorũ quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus.* Deinde, lex Moſaica ſuſtinuit odium inimicorum, ex cap. 5. Matth. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Libellum item repudij *Matth.* 19. cælibatum & virginitatem matrimonio poſtpoſuit, & denique vſuras, ab exteris ſaltem, toleranit Deuter. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ſed alieno.* Lex autem Euangelica hæc omnia reiſcit; dicitur enim Matth. 5. *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros* & 1. Corinth. 7. *Præcipio non ego, ſed Dominus, mulierem à viro non diſcedere; quòd ſi diſceſſerit manere innuptam.* & ibidem: *Mulier viuente viro alligata eſt legi:* ibique cælibatus anteponitur matrimonio. *Qui*, inquit, *matrimonio iungit virginem ſuam benefacit, qui autem non iungit melius facit.* & Luc. 6. dicitur. *Mutuũ date, nihil inde ſperantes,* præter ſortem datã, ſi tamen locus hic intelligatur de vſuris, qua ratione explicatur à pleriſq. Doctoribus.

1. Diſcrimẽ legis noua à veteri. Matth. 11. verſ. 30. 1. Ioan. 5. verſ. 3. Actu. 15. verſ. 10. Matth. 5. verſ. 43. Deute. 23. verſ. 19. Matth. 5. verſ. 44. 1. Cor. 7. verſ. 10. & 11. Luc. 6. verſ. 35.

2. Diſcrimen.

Secundò diſtinguuntur leges iſtæ ſacrificijs, & ſacramentis; in lege ſiquidem veteri fuerunt ſacramenta, holocauſta, hoſtia pro peccatis, & hoſtia pacifica, tamquam ſacrificia, & ſacramenta, ex multorum ſententia: In lege verò gratiæ vnicum tantùm ſpecie ſacrificium altaris, quod propterea ſecundum ordinem Melchiſedech ſit conſtitutum, quia quemadmodum Melchiſedech panem & vinum obtulit Deo in ſacrificium, ità Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini ſeipſum obtulit Deo patri in cœna, antequàm pateretur; & hic eadem ratione offertur quotidie à ſacerdotibus inter ſacrum perficiendum: ſacrificia autem legis Moſaicæ fuerunt cruenta; conſtabant enim vt plurimum ex brutis animalibus, quæ interdum in totum comburebantur, & dicebantur holocauſta; interdum verò pars dimidiata tantùm comburebatur, altera verò in vſum cedebat ſacerdotis, & hæc dicebatur hoſtia pro peccatis; alia denique partim comburebatur, partim cedebat in vſum ſacerdotis, & offerentis, & hæc nuncupabatur hoſtia pacifica. Sacramenta item nouæ legis ſeptenario numero comprehenduntur; in veteri autem fuerunt multò plùra; & quæ hominem iuſtificabant tantùm ex opere operantis, id eſt ex dignitate vel ſuſcipientis, vel ſynagogę, vel miniſtri. Sacramenta autem nouæ legis ex opere operato ſanctificant, vt communiter docent Theologi in diſp. de ſacramentis in genere.

3. Diſcrimẽ.

Tertiò, diſcrepant inter ſe leges iſtæ reſpectu promiſſorum; lex ſiquidem Moſaica promittit bona iſta temporalia, ſaltem verbis expreſſis; Euangelica verò permittit vitam æternam, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* & alibi. *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Matth. 19. verſ. 17. Idem 6. verſ. 33.

Denique,

Denique, diſcrepant in eo quòd Moſaïca fuerit lex terroris; & vmbra futurorum; Euangelica verò amoris & charitatis, datque veritatem ipſam, quæ eſt ipſemet Chriſtus. *Ioann.* 14. A

DVBITATIO QVARTA.

Quibus ſit data lex Moſaïca.

Solis Iudæis data lex Moyſis. Deuter. 6. verſ. 8. Idem 4. verſ. 8. Pſal. 147. verſ. 20. Idem 75. verſ. 1.

CONCLVSIO. *Data fuit ſolis iudæis ſaltem primò & per ſe*, vt colligitur manifeſtè ex cap. 19. & 20. Exodi: *Audi Iſraël, Dominus Deus, noſter, Dominus vnus eſt.* & Deutero. 4. *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat ceremonias iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem?* & Pſalm 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* & alibi: *Notus in Iudæa Deus.* Geneſ. 17. Circumciſio ſolis poſteris Abrahæ adminiſtratur, ex præcepto Dei. B

Deinde, ſolis Iudæis fuit lex iſta promulgata.

Tertiò, promiſſiones de Meſſia, & Chriſto venturo factæ ſunt ſolis Iſraëlitis. Non tamen eſt negandum quin præter Iudæos potuerint admitti alij ad obſeruationem legis Moſaïcæ; nam certum eſt Abrahamum circumcidiſſe ſuos vernaculos, qui tamen non erant ex proſapia eiuſdem, & Deuter. 21. facit Deus poteſtatem Iudæis accipiendi in vxores mulieres alienigenas, ea lege quòd iſtis præſcindantur vngues, & item veſtimenta, & denique quòd integro menſe deplorent parentum ſuorum amiſſionem, ſeu alienationem, & Exod. 12. Emptitij admittuntur ad Paſchatis ſolemnitatem, ſumpta tamen prius circumciſione. C

DVBITATIO VLTIMA.

Quando fuerit lex Moſaïca antiquata, & noua introducta, cum obligatione ad eius obſeruationem.

CONCLVSIO. *Lex Moſaïca fuit omnino extincta in Chriſti morte.* *Extincta fuit in morte Chriſti lex antiqua.*

Deinde, tamdiu durat lex aliqua quamdiu eius ſacrificium perſeuerat, vt colligitur manifeſtè ex illo Pauli Hebr. 7. *Tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat:* at poſita Chriſti morte tranſlatum fuit ſacerdotium Aaronicum in ſacerdotium Melchiſedech: ergo lex Moſaïca fuit omnino abrogata. Hebr. 7. verſ. 12.

Dices, D. Paulum circumcidiſſe Timotheum & præterea circumciſionem perſeueraſſe vſque ad primum Concilium Apoſtolorum, vt colligitur cap. 15. Actuum. *Obiectio.*

Reſpondeo, ex iſtis ſolùm poſſe colligi legem Moſaïcam non fuiſſe mortificatam ſtatim à Chriſti morte, quod nos vltrò fatemur; potuit enim hæc iuſtis quibuſdam de cauſis ad aliquod tempus obſeruari, etiam poſt Chriſti mortem, vt pluribus docet D. Auguſtinus epiſt. 19. ad Hieronym. Fuit tamen lex hæc, poſita Chriſti morte, verè mortua, id eſt, inefficax, & inutilis planè ad hominis iuſtificationem. *Solutio.*

Reſpond. 1. legem Euangelicam ſtatim obligaſſe à Chriſti morte omnes illos quibus fuerat ſufficienter publicata: ceteros verò omnes tantùm poſt ſufficientem eius promulgationem.

Qui plura volet de hac materia legum, videat ipſum D. Thom. à quæſt. 98. ad 109. & Interpretes eiuſdem Vazquez. Lorcam, Ioannem Salas, & alios, qui de illis accurata ſcripſerunt.

Digitized by Google

AD QVÆSTIONEM CENTESIMAM NONAM.

DE EXTERIORI PRINCIPIO HVMANORVM actuum, ſcilicet Dei gratia.

PROOEMIVM.

HOC eſt vltimum & præcipuum huius ſecundæ partis caput, in quo ſanctus Doctor de altero principio, quo ad actus bonos ſupernaturales producendos, gratia nempe Dei, iuuamur, agit: initium proinde ſumens ab eiuſdem neceſſitate, declarans quàm latè pateat huius diuinæ qualitatis indigentia ex parte creaturæ rationalis; id eſt ad quæ & quantum ſit illi neceſſaria. Deinde, eiuſdem naturam & quidditatem aperit. Diuiſionem in varia membra affert. Quámnam cauſam efficientem habeat demonſtrat. Tandem vniuerſæ huic parti 1. 2. finem imponit, duplicem effectum gratiæ aſſignans; quorum alter eſt iuſtificatio impij; alter verò actio meritoria, glorię præſertim. Tractant porrò Doctores de hac materia, D. Thomas in præſenti & lib. 2. contra Gentes à cap. 247. ad finem vſque, & de veritate quæſt. 27. Magiſter in 2. diſt. 28. & Sententiarij ibidem. Alij etiam varios tractatus ediderunt: Sotus lib. de natura & gratia, Vega ſuper Concil. Trident. Roſſenſis, Alphonſus à Caſtro contra hæreſes, lib. 7. verbo, *Gratia*, Robertus Bellar. toto tom. 3. controuerſiarum & innumeri alij, poſt plura Concilia aduersùs hæreticos celebrata, & ſanctos Patres; maximè verò D. Auguſtinum, præcipuum gratiæ diuinæ, contra Pelagium, aſſertorem & defenſorem variis in locis, vt patebit in decurſu totius tractationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An gratia ſit neceſſaria ad qualibet vera cognoſcenda.

ADVERTE, nomine gratiæ in hac tota tractatione ſignificari auxilia naturalia, vel ſupernaturalia, quæ dantur gratuitò, & liberaliter à Deo mortalibus: ità vt debeant eſſe hæc indebita. Ità omnes D. Thom. interpretes hoc loco, vt videtur colligi ex Apoſtolo Rom. cap. 11. *Si autem gratia iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia.* Idem docent ſancti Patres, maximè verò D. Auguſt. in Pſal. 49. & epiſt. 95. & 105. Accedit, gratiam ideò donatam eſſe hoc nomine, quòd gratis detur: naturalia ergo quando ſunt indebita, & conferuntur à Deo creaturę rationali, cenſentur eſſe gratię aliquæ ſupernaturales, & idem dicendum eſt de auxilijs quibuſuis ſupernaturalibus. Sunt autem hæc in duplici differentia: quædam enim ſunt actualia, quædam verò habitualia; illa nihil aliud ſunt quàm motiones illæ, ſiue concurſus, cum quibus Deus producit effectum aliquem vnà cum creatura rationali; hæc verò cenſentur eſſe qualitates aliquæ humanis mentibus impreſſæ, cum quibus creatura rationalis producit effectus aliquos tranſcendentes captum ſuæ naturæ. *Quid ſit gratia inlita, vel ſupernaturalia, quæ dantur intelligatur.* Rom. 11. verſ. 6. Auguſt.

ADuerte 2. humanam naturam conſiderari in quinque ſtatibus. In puris ſcilicet naturalibus; quod accidit quotieſcumque concipitur hæc à nobis diſtincta à quocumque auxilio gratuito, & ſinè vlla planè culpa. Interdum verò conſideratur in ſtatu rationali, quatenus ſcilicet hæc ſecundum omnes potentias, quas in ſe habet, poteſt operari conformiter præſcripto rectæ rationis. Tertius ſtatus cenſetur eſſe iuſtitiæ originalis: ſdque quòd humana natura ſpectetur vt ornata iuſtitia originali, ſiue fuerit hæc coniuncta cum gratia, ſiue non. Quartus cenſetur eſſe gratiæ gratum facientis, qualis eſt is qui datur in homine iuſtificato à peccato mortali. *Quinque ſtatus naturæ humanæ.*

Vltimus ſtatus eſt naturæ corruptæ, qualis eſt is qui datur in nobis omnibus; deprauata eſt namque noſtra natura per peccatum originale, ità vt quilibet noſtrûm naſcatur & concipiatur in peccato originali, & per conſequens cum propenſione, & inclinatione ad peccata committenda, & ad innumera incommoda ſuſtinenda; beneficio autem iuſtitiæ originalis, & gratiæ gratum facientis datæ primis parentibus, & in illis nobis, liberamur ab omnibus iſtis incommodis. Hoc ergo conſtituto, in ſtatu naturæ corruptæ quærit D. Tho. hoc loco; An gratia ſit ei neceſſaria ad quodlibet verum intelligendum: & quia vera, ſeù cognoſcenda ſunt in duplici differentia; alia enim ſunt naturalia, alia verò ſupernaturalia: & rurſus, quælibet ex iſtis alia ſunt Theoretica, alia practica, ideò duæ proponuntur hoc loco dubitationes explicandæ.

DVBITATIO PRIMA.

An gratia ſit homini neceſſaria in ſtatu, in quo iam agit, ad quaslibet veritates Theoreticas, & practicas intelligendas.

Rationes aduerſariorũ.

RAtio dubitandi eſt; quia ſancti Patres affirmant neminem poſſe ſcire quid ſibi ſit agendum, niſi fuerit hic ſpiritum ſapientiæ & conſilij aſſequutus: ita D. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. *Illa eſt peccati pœna iuſtiſſima, vt amittat vnuſquiſque quo bene vti noluit, cùm ſinè vlla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, vt qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quid rectum ſit, & qui rectè facere cùm poſſet, noluit, amittat poſſe cum velit.* Et in Enchiridio ad Laurentium cap 18. imò addit hominem, per peccatum, commiſſum ab Adamo ſcilicet, contraxiſſe ignorationem agendorum.

D. Auguſt.

Deinde, ſanctiſſimi quique homines gratiam expoſtularunt à Deo ad hoc, vt bene vitam ſuam inſtituerent: ità Salomon Sap. cap. 9. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, vt mecum ſit, & mecum laboret.* & Pſaltes Regius, Pſal. 118. *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas:* & hæc eadem verba repetit frequentiſſimè in eodem pſalmo.

Sap. 9. ỽ. 4. Pſal. 118. ỽ. 135. Faciem tuam.

CONCLVSIO 1. *Gratia non eſt homini neceſſaria, etiam in ſtatu naturæ corruptæ conſiderato, ad propoſitiones Theoreticas, vel etiam practicas, ſeu morales ordinis naturalis intelligendas.* Primùm, quia propoſitiones iſtæ omnes continentur intrà latitudinem obiecti adæquati hominis relicti intrà terminos propriæ naturæ: ſunt enim illæ omnes ordinis naturalis, vt ſupponimus: at quælibet potentia naturalis relicta intrà limites propriæ naturæ poteſt attingere ſuum obiectum ſine vllo alio dono ſuperaddito: grauia enim feruntur deorſum, leuia verò ſurſum; bruta ſuos item conſequuntur effectus: quare ergo non hoc idem præſtabit homo, etiam ſi agat in ſtatu naturæ corruptæ?

Gratia non eſt neceſſaria ad veritates ſpeculatiuas ordinis naturalis intelligendas, & practicas etiam.

Deinde, de veris moralibus & practicis veritas iſta videtur comprobari, ex illo. *Quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, quod idem eſt ac ſi diceret; ad bona à nobis inueſtiganda ſufficit lumen naturale, quod datur vnicuique noſtrûm, ita enim locum hunc intelligunt ſancti Patres communiter.

Pſalm. 4. ỽ. 6. & 7.

Tertiò, ita docent Patres Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 2. *Quomodo*, inquit, *ſi non eſſet ſcientia boni & mali, inter bonum & malum diſcretionem aliquam diſceremus? Nam neque quod malum erat, malum indicaremus eſſe, niſi eſſet ſcientia boni, neque quod bonum erat ſciremus bonum eſſe, niſi eſſet ſcientia mali.* Et D. Auguſtinus lib. 1. Retractationum, cap. 4. & in pſal. 57. ad hæc verba. *Si verè vtique iuſtitiam loquimini.*

D. Ambr. D. Aug.

Denique, non eſt magis difficile definire interdum colendos eſſe parentes hîc & nunc, in his, & illis circumſtantijs, aut etiam Deum eſſe venerandum: non eſſe item aliena inuito domino accipienda & retinenda, quàm dictare in communi, & in vniuerſum parentes eſſe colendos, Deum eſſe venerandum, &c. At nullus eſt qui ſine gratia non intelligat Deum in communi eſſe venerandum, parentibus obſequendum, aliena non eſſe retinenda inuito domino: ergo hæc & in particulari eadem cognoſci poterunt.

Explicatur concluſio.

Aduerte, Concluſionem iſtam intelligendam eſſe diſtributiuè, non autem copulatiuè, ita vt velimus quodcumque verum ordinis naturalis Theoreticum vel practicum poſſe inueſtigari ſine gratia Dei, ſi ſpectetur hoc in particulari, ſeu diſtributiuè; minimè verò ſi iſta fuerint ſimul & inter ſe coniuncta, vel ſubordinata; ad hoc enim deſideratur ſpeciale Dei auxilium, vt pluribus oſtendunt interpretes D. Thom. hoc loco; maximè verò Curiel, Peſantius, & alij nonnulli.

Collectiuè non poſſunt omnes veritates naturaliter cognoſci.

CONCLVSIO 2. *Vera ordinis naturalis nequeunt omnia collectiuè ſpectata, neque item ſine errore inueſtigari, ab homine conſtituto in ſtatu naturæ corruptæ, ſine gratia aliqua ſpeciali Dei:* Primùm, quia nullus hactenus fuit ità prudens inter agendum aut intelligendum, quin aliquando fuerit hallucinatus; propter hanc enim cauſam docent ſcripturæ neminem carere peccato, pro toto illo tempore, quo agit in hac vita mortali, & item iuſtum ſepties in die cadere.

Confirmatur. Nemo longo ac diuturno tempore, obſeruare poteſt mandata Dei ſinè aliquo auxilio eiuſdem ſpeciali, neque item bona opera moralia facere.

Denique, nullus eſt ex Philoſophis, qui ità accuratè de rebus iſtis naturalibus egerit, vt in earum tractatione nullum planè errorem admiſerit; Ariſtoteles ſiquidem qui omnium conſenſu, primas inter illos obtinet partes, docuit ex nihilo nihil planè produci poſſe; mundum fuiſſe ab æterno: Deum operari ad extra neceſſariò, ac proinde non poſſe producere, niſi ea quæ de facto iam producta ſunt: & denique accidentis eſſe inhærere: quæ tamen omnia cùm pugnent contra articulos fidei Chriſtianæ, ſunt falſiſſima.

Satisfit rationibus aduerſariũ.

Ad rationes verò dubitandi. Reſpond. Ad primam, neminem poſſe ſcire quid ſit ſibi agendum, niſi ſpiritum ſapientiæ & conſilij fuerit à Deo conſequutus, ſi ſermo ſit de iſs quæ conducunt ad felicitatem æternam obtinendam; de iſtis enim docet ſcriptura, neminem ſcire quæ ſunt Dei, niſi ſpiritus Dei qui in ipſo eſt: ipſe enim reuelauit iſta mortalibus, ſua ſingulari bonitate, & miſericordia: cum iſtis tamen rectè cohæret, vt quæ pertinent ad finem naturalem hominis quilibet intelligat ſinè vlla Dei gratia ſpeciali; diſtributiuè tamen & non collectiuè, atque ità explicandi ſunt ſancti Patres citati.

Ad id verò quod ſubiungitur ex iiſdem patribus, hominem peccando contraxiſſe ignorationem agendorum. Reſpondeo, mentem iſtorum Patrum non eſſe lumen rectæ rationis fuiſſe omnino extinctum per peccatum; ſed tantùm debilitatum & infirmatum: quare volunt neminem

poſt peccatum à primis parentibus commiſſum poſſe ità facilè promptè & expeditè de rebus naturalibus iudicare, aut eaſdem intelligere, vt faceret ſi culpa primi parentis non interueniſſet.

Ad vlt. Reſpond. viros ſanctiſſimos expoſtulaſſe ſuis precibus à Deo cognitionem agendorum, non quidem quorumcumque, ſed eorum quæ iuuant ad beatitudinem æternam habendam, aut quæ conducunt ad iſta naturalia proſequenda promptè, facilè & expeditè, & ſine vllo errore; hæc enim nullus eſt qui in ſtatu naturæ corruptæ præſtare poſſit, niſi fuerit adiutus gratia aliqua ſpeciali diuina, ex concluſione noſtra vltima.

DVBITATIO SECVNDA.

An quæ ſunt ordinis ſupernaturalis poſſit homo ſinè ſpeciali Dei gratia inueſtigare.

Supernaturale bifariam ſumitur.

ADuerte ſupernaturalia eſſe in duplici differentia; alia namque ſunt ordinis ſupernaturalis ex ſe & ſua natura, & ex modo tendendi: cuius generis ſunt, *Deus eſt trinus & vnus: Pater generat filium: Pater & filius producunt ſpiritum ſanctum: ſolus filius eſt incarnatus*, & ſimilia: hæc enim verſantur circa obiectum quod ex ſe eſt ordinis ſupernaturalis, & præterea cognoſcuntur medio aliquo auxilio ſupernaturali; innoteſcunt enim nobis per fidem Chriſtianam, quæ eſt medium aliquod cognoſcendi res ſupernaturales. Alia verò ſunt ſupernaturalia tantùm ſecundum modum tendendi in ea, cuius generis ſunt, *Deus eſt, Deus eſt cauſa efficiens rerum omnium, Deus eſt bonus*, &c. Propoſitiones ſiquidem iſtæ ex ſuo obiecto ſunt ordinis naturalis cum poſſint cognoſci naturaliter, & de facto fuerint cognitę à Philoſophis; ex eo modo tamen aliquo cognoſcendi ſunt ſupernaturales quod fuerunt à Deo nobis reuelatæ in ſacris literis: quare in ordine ad hanc reuelationem cẽſentur eſſe ordinis ſupernaturalis. Quærimus ergo hoc loco de iſtis omnibus veris ordinis ſuperneturalis, an ea poſſimus aſſequi abſque gratia Dei ſpeciali.

Veritates ſupernaturales ſecundum modũ cognoſci poſſunt diſtributiuè naturaliter.

CONCLVSIO 1. *Propoſitiones ordinis ſupernaturalis ex modo tendendi tantùm, non autem ex ſuo obiecto, poſſunt ab homine in ſtatu naturæ corruptæ conſtituto ſine gratia Dei ſpecialis inueſtigari, modo ſumantur diſtributiuè, non autem collectiuè.* Primùm, quia inter iſtas propoſitiones referuntur hæ, *Deus eſt: Deus eſt proniſor rerum omnium: Deus eſt bonus; Deus eſt colendus amandus, inuocandus*, & ſimiles: at ſinè vllo ſpeciali Deo dono quælibet ex iſtis propoſitionibus poteſt à nobis inueſtigari; dicitur enim Rom. cap. 1. de Philoſophis. *Quia cum cognouiſſent, Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, & euaneſcunt in cogitationibus ſuis, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.* Ergo ex his verbis colligitur, Philoſophos ex creaturis viſibilibus deuenire potuiſſe in cognitionem Dei, & eius attributorum, quæ ſunt ordinis naturalis. Sap. 1. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia*, id eſt, iſte, mundus, *ſcientiam habet vocis*, id eſt laudat Deum, & ducit vnumquemque in cognitionem eius conditoris, & idem 13. *A magnitudine ſpecici, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri*, Maior huius argumenti innoteſcit ex eo, quod in ſacris literis extent manifeſtæ reuelationes de bonitate, exiſtentia, & ceteris attributis diuinis: Exod. quippe 20. dicitur *Audi Iſraël Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt*, & Pſalm. 72. *Quàm bonus Iſraël Deus, iis qui recto ſunt corde*: & apud Paulum: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum*: Ergo propoſitiones vt ſunt à Deo reuelatæ, & iſtis aſſentimur per fidem, ſunt ex modo tendendi ordinis ſupernaturalis: ex ſuo verò obiecto, ordinis naturalis: cùm contineantur intrà latitudinem obiecti adæquati intellectus noſtri, relicti intrà terminos propriæ naturæ.

Rom. 1. ℣. 20.

Sap. 1. ℣. 7.

Id. 13. ℣. 5.

Deut. 6. ℣. 4.

Pſalm. 72. ℣. 1.

2. Cor. 1. ℣. 3.

Deinde, ſpeciale Dei auxilium cenſetur eſſe neceſſarium ad inueſtigandas eas propoſitiones, quę ſunt extra latitudinem obiecti adæquati intellectus noſtri relicti intrà terminos propriæ naturæ: ob hanc enim cauſam debet intellectus eleuari per auxilia ordinis ſupernaturalis, quia intellectus creatus non poteſt attingere ea quæ ſunt extra latitudinem ſui obiecti: at propoſitiones prędictæ continentur intrà ambitum obiecti intellectus noſtri relicti, intrà fines propriæ naturæ: iſtæ ſiquidem omnes fuerunt, notiſſimæ ethnicis Philoſophis, qui tamen caruerunt auxilij ſpecialibus diuinis ordinis ſupernaturalis.

Propoſitiones ſupernaturales ex ſuo obiecto non poſſunt cognoſci vt oportet ſine gratia.

CONCLVSIO 2. *Propoſitiones ordinis ſupernaturalis ex ſuo obiecto, & ex modo cognoſcendi ſimul, nequeunt intelligi à nobis ſinè ſpeciali Dei auxilio, ſaltem vt oportet; ſeu, quod idem eſt, vt conducunt ad iuſtificationem noſtram, & ad vitam æternam; aut vt alij loquuntur quatenus propoſitiones iſtæ pertinent ad opera pietatis, & Chriſti redemptionis.* Prima pars Concluſionis probatur, ex poſterioris Corinth. cap. 3. *Non quod ſcimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Locus enim hic loquitur de iſtis cogitationibus, quæ iuuant ad vitam æternam obtinendam, vt explicant patres; maximè verò D. Auguſt. lib. de prædeſtin. Sanctorum & Trident. ſeſſ. 6.

2. Cor. 3. ℣. 5.

Auguſt.

Deinde, Mat. 16. dicitur, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi*, & 2. Pet. cap. 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, loquuti ſunt ſanctis Dei homines.*

Matth. 16. ℣. 17. 2. Petr. 21. ℣. 21.

Tertiò, res hæc ità videtur explicata in Concil. Arauſicano II. Mileuitano, & Trident. ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit, ſinè præueniente ſpiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Fauent Pontifices maximi Zozimus, Innocent. I. & Celeſtinus I. in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ. Subſcribunt patres: D. Auguſtin. lib. 1. Retract. cap. 23. de prædeſt. ſanctor. cap. 2. & 3. & Epiſt. 107. & alij plerique, quos citat Sotus de natura & gratia lib. 1. cap. 8.

Auguſt.

Quartò, medium debet eſſe eiuſdem ordinis cum fine, ex communi doctrina: ergo nullus erit qui poſſit aſſentiri propoſitionibus ordinis ſupernaturalis ex ſuo obiecto, niſi per medium quod ſit ſupernaturale, ſaltem vt oportet, & vt propoſitiones iſtæ conducunt ad finem iſtum ſupernaturalem: at propoſitiones tam Theoreticæ quam practicæ ex ſuo obiecto ſupernaturalis ordinis, conducunt ad vitam æternam conſequendam: nã ſinè fide impoſſibile eſt placere Deo, & rurſus. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt: ergo.*

Hebr. 11. ℣. 6.

Denique, nihil eſt in intellectu naturaliter loquendo, quod prius non fuerit in ſenſu: at propoſitiones ordinis ſupernaturalis ex ſuo obiecto, nulla ratione ſenſibus externis percipiuntur: ergo ſinè ſpeciali Dei auxilio non poterunt iſtæ inueſtigari à nobis.

Dixi, vt oportet, ad conſtituendam ſecundam partem Concluſionis iſtius, quę ità deducenda eſt, vt quilibet noſtrûm poſſit abſque ſpeciali Dei dono aſſentiri propoſitionibus ordinis ſupernaturalis,

ralis, ſaltem interdum, & aliquando; indubitatum quippe eſt Dęmones credere & contremiſcere, & tamen certum eſt ſpecialia Dei auxilia, nullum habere locum in iſtis: quare ergo non poterit homo, in hac vita conſtitutus, interdum & aliquando aſſentiri, propoſitionibus aliquibus ordinis ſupernaturalis ſinè ſpeciali Dei auxilio. Deinde probamus multa quę habentur apud prophanos authores, etiam ſi iſta ſint naturaliter loquędo incredibilia. Tertiò, res de fide, & per conſequens quæ ſunt ordinis ſupernaturalis ex ſuo obiecto, dicuntur eſſe euidenter credibiles, vt docetur in tractat. de fide. Quartò, non eſt abſurdum virum prudentem & bonum, aſſentiri iſis, quæ ſibi credenda proponuntur ab alio viro bono, & maximè prudente, præſertim, quando nobis conſtat ea quę proponuntur ab iſto fuiſſe miraculis illuſtrata, & item acceptata à viris quàm maximè doctis, & excellentibus, in qualibet parte vniuerſi: ità Sotus, Durand. Gabriel, nominal. & alij recentiores.

Quæſtiuncula monetur & reſoluitur.

Rogabis, *An aſſenſus quem nos prębemus propoſitionibus iſtis, vt non oportet, ſit aſſenſus fidei Chriſtiana.* Reſpondeo negatiuè, primùm, quia aſſenſus fidei Chriſtianę eſt ex ſe ordinis ſupernaturalis: ac proinde pendet à principio, quod ſit per ſe ordinis ſupernaturalis; aſſenſus autem quem nos prębemus propoſitionibus prædictis, non eſt ſupernaturalis ex modo tendendi in propoſitiones iſtas: ſupponimus enim nos aſſentiri ſinè vllo ſpeciali Dei dono. Deinde, propoſitiones ex ſunt tantùm ſupernaturales ex ſuo obiecto; non autem ex eo modo cognoſcendi; illa eadem ratione, qua cognitio quæ datur in Dęmonibus de myſterijs gratiæ, eſt tantùm ſupernaturalis ex ſuo obiecto: ex modo verò tendendi cenſetur eſſe naturalis, dicituruque communiter de hoc, quod ſit aſſenſus fidei humanę ſeu opinionis: non autem aſſenſus fidei diuinę.

Notabile.

Vt autem Concluſio hæc ſit paulò magis explicata. Aduerte aſſenſum fidei, quem nos prębemus propoſitionibus ordinis ſupernaturalis, tam ex obiecto, quàm ex modo cognoſcendi, pendere reſpectu intellectus & voluntatis ab aliquo ſpeciali Dei auxilio, ità vt nequeat hic conſurgere abſque hoc ſpeciali Dei dono, quod tenet ſe ex parte intellectus, & ex parte voluntatis: ità definitum videtur in Concil. Arauſicano II. Mileuitano & Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. *Declarat præterea ipſius inſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præuenientem gratia ſumendum eſſe, & cap. 6. Diſponuntur ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt.* Deinde, hoc ipſum colligitur ex cap. 1. ad Philip. *Vobis*, inquit, *donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini*, & Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Quod autem aſſenſus hic ex parte voluntatis ſumendus ſit ab aliquo auxilio vario & diuerſo ab eo, quod tenet ſe ex parte intellectus docet D. Auguſtinus lib. de ſpiritu & littera cap. 33. *Nam illud quod dictum eſt, Deus eſt qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate; gratia iam eſt, quam fides impetrat, vt poſſint eſſe hominis opera bona, qua operatur fides per dilectionem, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* & lib. 1. Retractationum cap. 23. & de gratia Chriſti cap. 31. & lib. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. & 19. & lib. de dono perſeuerantiæ c. 2. & ex Concilio Mileuitano. can. 4. & Arauſicano 2. cap. 5. & 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, aut eligere, ſine ſalutari (id eſt Euangelizanti) prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei, in Euangelio dicentis: ſine me nihil poteſtis facere, &c.* Et ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5.

Mileuit. Arauſican. Trident.

Ratio idipſum ſuadet: aſſenſus circa propoſitiones iſtas, nedum eſt ſupernaturalis ex parte intellectus, ſed etiam ex parte voluntatis; elicitur enim ab intellectu & imperatur à voluntate, veluti à domina omnium planè operationum humanarum, cum ordinetur hîc aſſenſus ad beatitudinem æternam obtinendam; at actus ordinis ſupernaturalis nequit eſſe talis, niſi dependenter à principio ſupernaturali: ergo aſſenſus iſte erit verè ſupernaturalis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An homo poſſit velle & facere bonum abſque gratia.

DVBITATIO PRIMA.

An ſine gratia Dei poſſit aliquis in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutus exercere bona aliqua moralia?

Quorundam opinio.

SVNT qui putent neminem ſine dependentia à meritis Chriſti, & conſequenter, à gratia aliqua ſpeciali diuina, vllum plane bonum opus morale poſſe exercere. Probant, quia Ioan. 15. dicitur à Chriſto: *Sine me nihil poteſtis facere*, & 1. Corinth. cap. 4. *Quid habes quod non accepiſti?* & cap. 12. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto*, & 2. Corinth. cap. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, & ad Philip. cap. 2. *Deus operatur in vobis & velle & perficere*; ſcilicet bona quælibet quę facitis, *pro bona voluntate*, & Sap. 8. *Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.*

Ioan. 15. ℣. 5. 1. Cor. 4. ℣. 7. Id. 12. ℣. 3. 1. Cor. 3. ℣. 4. Ad Philip. 2. ℣. 12. Sap. 8. ℣. 21.

Deinde ex Concilijs illud ipſum comprobare nituntur, maxime ex Paleſtino; in illo quippe coactus fuit Pelagius retractare propoſitionem iſtam, *Gratia Dei, atque adiutorium eiuſdem non datur ad ſingulos actus, ſed poſita eſt iſta gratia in libero arbitrio, aut in lege, in doctrina*: ità autem retractault, Gratia Dei & adiutorium, etiam ad ſingulos actus datur, & quidem non ſecundum merita noſtra. Meminit huius rei D. Auguſt. epiſt. 105. & 107. & Arauſicanū II. can. 9. *Diuini*, inquit, *muneris eſt, cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros ab iniuſtitia & falſitate tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, vt operemur, operatur*, & can. 11. *Nemo quidquam Domino rectè voueris, niſi ab illo acceperis, ſicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, tibi damus*, & can. 22. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum*, & can. 23. *Suam voluntatem faciunt homines, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet. Quando autem ità faciunt quod volunt, vt diuinæ ſeruiant voluntati, quamuis*

Auguſt. Arauſican.

volentes agant quod agunt, illorum tamen voluntas, eſt à quo præparatur & obtur, quod volunt. Confirmant ex decretis Pontificum Max. Zozimi, Innocentij. I. & Celeſtini. I. in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ cap. 8. *Omnia ſtudia, omnia opera ac merita ſanctorum, ad Dei gloriam ſunt referenda*, id eſt, diuinæ gratiæ debent adſcribi: & rurſus. *Quotidiana præſtat remedia ille*, ſcilicet Deus, *quibus, niſi confiſique vitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores; neceſſe enim eſt, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.*

Tertiò, probant ex patribus, maximè verò ex D. Cypriano, referente D. Auguſtino lib. 2. Retractat. cap. 1. *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt*, & epiſt. 47. *Legimus*, inquit, *librum beatiſſimi martyris Cypriani, de oratione Dominica, & oſtendimus, quemadmodum docet omnia, quæ ad mores noſtros pertinent, quibus rectè viuimus, à patre noſtro, qui in cœlis eſt, eſſe poſcenda*, & lib. de natura & gratia, cap. 26. & lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianorum, ait liberum hominis arbitrium non poſſe aliquid boni præſtare, niſi adiuuetur à Deo, qui malum velle non poteſt, hoc eſt à gratia Dei per Ieſum Chriſtum: & Ambroſ lib. 2. in Lucam cap. vltimo & Epiſt. 33. Hieronym. epiſt. ad Cteſiphontem. *Audite, quæſo, audite ſacrilegium*, ſcilicet Pelagianum. *Si inquit, volutro curuare digitum, mouere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputa iacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, releuare alium, vrinam digerere, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit* Vincentius Lirinenſis aduerſus prophanas nouitates. Proſper. lib. contra Collatorem, cap. 14. Fulgentius lib. de Incarnatio. & gratia Chriſti, cap. 12. & 24. Bernard. de libero arbitrio, & alij plerique illud ipſum docent, quos citat Vaſq. cap. 6. diſp. 190.

D. Aug. Ambroſ. Hieron. Vinc. Lir. Proſper. Fulgen. Bernard.

Ratio pro concluſione. Accedunt rationes aliquæ; Prima, nullus actus poteſt eſſe moraliter bonus, niſi fuerit hic ordinatus in Deum, veluti in vltimum finem; circumſtantia quippe vltimi finis, pertinet ad bonitatem cuiuſlibet actus omnia enim bona cenſentur eſſe dependentia aliqua à bono increato, & infinito: at ſine ſpeciali Dei dono fieri nequit, vt aliquid referatur in Deum, tanquam in vltimum finem, vt videtur colligi ex locis ſcripturæ paulò ante allatis: ergo nullum fieri poterit bonum opus morale abſque gratia per Chriſtum.

Deinde, ſi poſſet homo in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutus, bene moraliter operari ſinè auxilio aliquo ſupernaturali diuino, ſequeretur poſſe etiam ſe diſponère ad gratiam iuſtificantem ſinè præſidio alicuius auxilij ſupernaturalis, eſt enim axioma communiſſimum apud Theologos *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*; qui autem bene moraliter operatur, facit quod in ſe eſt: ergo. Illatio tamen maioris eſt contra Trident. ſeſſ. 6. & contra rationem, quæ dictat diſpoſitionem ad formam aliquam debere eſſe eiuſdem ordinis cum forma; forma autem iuſtificationis eſt ordinis ſupernaturalis: ergo & hoc idem dicendum eſt de diſpoſitione qualibet ad hanc formam comparandam, cuius tamen generis non ſunt actus boni tantùm moraliter, cum ſint ordinis naturalis.

Tertiò, nullus eſt qui poſſit obſeruare omnia & ſingula Dei mandata longo ſaltem & diuturno tempore, abſque ſpeciali Dei auxilio: ergo neque poterit aliquis vllum bonum morale, ſine ſpeciali Dei auxilio exercere: obſeruatio ſiquidem mandatorum Dei, ad minus dicenda eſt moraliter bona.

A Quartò, quilibet rectè precatur Deum, vt dignetur omnes ſuas operationes dirigere; quilibet item perſoluit vtiliter gratias Deo, de quibuſuis bonis operibus moralibus executioni de mandatis, ex illo Pauli 1. Theſſal. cap. 5. *In omnibus* inquit, *gratias agite*: ergo operationes iſtæ à nullo planè poſſunt fieri, ſinè dependentia à meritis Chriſti: DE PLENITUDINE *enim eius, nos omnes accepimus & gratiam pro gratia.* Ioan. 1. 1. Theſſ. 5. ℣. 18. Ioan. 1. ℣. 16. Id. 15. ℣. 5.

Denique, voluntas noſtra non poteſt ſe determinare, potiùs ad bonum, quàm ad malum præſtandum, niſi præceſſerit in nobis cogitatio aliqua, de bono iſto exequendo; nihil quippe vult voluntas noſtra, niſi fuerit hoc præcognitum ab intellectu: at cogitatio iſta nunquam datur in nobis ſinè dependentia à merito redemptionis generis humani, ex locis proximè citatis ſacræ ſcripturæ, & præterea quia cogitatio iſta eſt pia, & videtur ordinata ad ſalutem noſtram operandam. In hac ſententia ſunt Ariminenſis in 2. d. 28. q. 1. art. 1. Toſtatus ad cap. 19. Mat. q. 174. & 175. Alenſis 3. part. q. 69. Gab. Vazq. diſp. 190.

B

CONCLVSIO 1. *Poteſt homo in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutus ſine vllo ſpeciali Dei auxilio ſupernaturali, aliquod bonum morale interdum operari.* Primùm, quia hæc videtur eſſe expreſſa ſententia D. Auguſt. lib. de ſpiritu & litera cap. 27. & 28. ita namque loquitur illic de Iudæis. *Nam, & ipſi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quæ legitimum aliquid anima rationalis & ſentit & facit*: particula autem, *legitimum quid*, opera bona moraliter ſignificat; ſunt enim hæc quammaximè conformia legi, ſeu quod idem eſt, præſcripto ſuperioris, vel dictamini rectæ rationis: & lib. 3. Hypognoſticon, cap. 4. *Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus: habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad* DEUM *pertinent, ſinè* DEO, *aut incboare, aut certè peragere: ſed tantùm in operibus vitæ præſentis tam bonis, quam malis*: particula verò iſta, *tam bonis, quàm malis*, manifeſtè intelligitur de bonis, & malis moralibus, ex verbis proximè ſequentibus eiuſdem D. Auguſtini, tum quia apertè, diſputat de malis moralibus eo in loco: ergo & de bonis: tum quia reijcit à nobis ea tantùm bona, quę conducunt ad vitam æternam obtinendam, tum denique, quia verbis expreſſis docet ſe agere de bonis, quę pertinent ad hanc vitam, inter quæ ſunt bona moralia. *Aliquod bonum opus morale poteſt fieri abſque auxilio.* D. Auguſt.

C

D

Idem docent Patres Hieronym. epiſt. 151. ad Algaſiam. quæſt. 8. *Scimus quia lex ſpiritalis eſt, & extra hæc omnia naturalem legem ſcriptam in cordibus noſtris, idem Apoſtolus docet, cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt: iſti, legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui indicant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium perhibente illis conſcientia. Iſta lex, quæ in corde ſcribitur, omnes continet nationes, & nullus hominum eſt qui hanc legem neſciat*, & Cyril. lib. 3. contra Iulian. *Gentes quæ natura legem non habent, quæ legis ſunt, faciunt: hi legem non habentes, ſibi ipſis ſunt lex, qui declarant opus legis conſcriptum in cordibus ſuis.* Chryſoſtom. Theoph. Oecumenius ad cap. 2. Rom. Ambroſ. epiſt. 71. & D. Thomas hoc loco in corpore art. & interpretes. Hieron. Cyrillus. Chryſoſt. Theoph. Oecum. Thomas.

E

Deinde, homo in ſtatu puræ naturæ creatus à Deo, poſſet cum ſolo concurſu generali bene moraliter operari; teneretur enim in eo ſtatu conformiter regulæ rectæ rationis viuere, vt fatentur omnes, & manifeſtè colligitur, ex eo quia alioquin male agendo non peccaret; nemo ſiquidem peccat

Digitized by Google

eat in ijs quæ euitare non poteſt : ergo poterit etiam hic in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutus aliquod bonum morale præſtare cum ſolo concurſu Dei generali : nàm vt rectè ait D. Thom. citatus eadem planè eſt natura humana in ſtatu naturæ corruptæ, quæ fuit in ſtatu naturæ integræ, cum hoc tamen diſcrimine quòd hæc fuit ſana in ſtatu naturæ integræ, in noſtro vero ſtatu, ſeu quòd idem eſt naturæ corruptæ, eſt vitiata, læſa, & infirma; infirmitas autem, ſeu ægritudo, non impedit, quominùs natura aliqua poſſit effectus ſuæ naturæ conuenientes exercere, licet non ità facilè, ſicut præſtat natura ſana : bonum autem morale cenſetur eſſe effectus proportionatus humanæ naturę, cum hæc ſit verè rationalis, & teneatur conformiter rectæ rationi operari : ergo, & cetera.

Tertiò, quælibet res naturalis effectus ſibi proportionatos naturaliter, & conuenientes cum ſolo concurſu generali attingit, vt conſtat ex leuibus & grauibus, & item ex brutis animantibus, & Cœlis : hæc enim omnia conſequuntur ſuos effectus naturales, ſinè vlla ſpeciali Dei gratia : ergo quilibet noſtrùm in ſtatu naturę corruptæ poterit aliqua bona moralia exercere, abſque ſpeciali gratia ſupernaturali; nam propterea cœli & alia commemorata ſuos attingunt effectus, cum ſolo concurſu generali, quia continentur intrà latitudinem obiecti adæquati cuiuslibet C agentis commemorati : at actus quicumque moralis continetur etiam intrà latitudinem obiecti adæquati, hominis conſtituti in ſtatu naturæ corruptæ : bonum ſiquidem quodlibet morale ordinatur ad finem naturalem obtinendum ex communi doctrina : ergo illud fieri poterit à creatura rationali cum ſolo concurſu generali.

Quartò, ſi liberum arbitrium noſtrum non poſſet vllum planè morale bonum opus exercere ſinè ſpeciali Dei auxilio, ſequeretur ipſum nedum eſſe læſum in nobis, ſed etiam omnino extinctum; tunc enim potentia aliqua dicitur extincta, quotieſcumque nequit hæc vllum planè effectum ſibi connaturalem cum concurſu gene- D rali Dei producere : at illatio iſtius maioris eſt apertè contra Trident. ſeſſ. 6. cap. 1. & can. 5. ergò cum quodlibet opus morale ſit effectus aliquis conueniens & proportionatus humanæ naturæ, poterit hic effectus à nobis produci : Eſto infirmatum fuerit liberum arbitrium per peccatum primorum parentum.

Trident. Denique, Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 1. definit hominem non poſſe ſe diſponere ad iuſtificationem illis operibus, quæ per vim humanæ naturæ fiunt, ſed deſiderari ad id gratiam diuinam per Ieſum Chriſtum *Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia poſſe iuſtificari coram Deo : anathema ſit.* Ergo dantur in nobis aliquæ operationes quæ ſunt bonæ & ordinis naturalis, ex Trident. hoc in loco; quæ tamen non conducunt ad iuſtificationem, non enim reijciuntur operationes iſtæ à iuſtificatione quod ſint malæ, ſed quod ſint improportionatæ : ergo cùm inter bonum & malum mora-

Aliqua bona moralia facere poteſt abſque gratia ſupernaturali. le, ex multorum opinione ſaltem, nullum detur medium, actiones aliquæ erunt in nobis admittendæ bonæ moraliter, & quidem omni ſpeciali Dei auxilio per Chriſtum, detracto.

CONCLVSIO 2. *Homo in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutus ſinè vllo ſpeciali Dei dono ordinis naturalis, poteſt exercere aliqua bona moralia.* Aduerte me monuiſſe ſub initium art. antecedentis dari duplex ſpeciale auxilium diuinum, vnum ſupernaturale, & hoc Concluſione proximè antecedente diximus non eſſe neceſſarium ad aliquod bonum opus morale exercendum : aliud verò naturale, & de iſto probandum eſt in hac Concluſione, quòd non requiratur ad opus aliquod morale producendum, ſed ſufficere ſolum concurſum generalem Dei : Primùm, quia hæc videtur expreſſa ſententia D. Thom. in corpore huius art. ait enim hominem in ſtatu naturæ corruptæ conſtiturum, poſſe per propriam virtutem bonum opus aliquod morale exercere. Neque refert quod reſpondet Capreolus particulam adductam a D. B Thom. intelligendam eſſe de bonis operibus in ordine ad bonitatem Phyſicam, & naturalem, non autem de bonitate morali : nam licet verum ſit, exempla quibus vtitur D. Thom. ad opinionem ſuam comprobandam, eſſe ordinis non moralis, ſed Phyſici & naturalis; vtitur namque his exemplis, ædificare domos, & plantare vineas, quæ manifeſtè pertinent ad bonitatem naturalem, negari tamen nequit quin plantare vineas & ędificare domos, ſint actus morales, ſaltem in eò caſu in quo fiunt liberè, & ordinantur in finem aliquem conformem rectæ rationi.

Deinde, D. Thom. q. 18 huius part. contendit omnem actum deliberatum hominis in particulari, eſſe vel bonum, vel malum, & quidem bonitate vel malitia morali.

Denique, per bonum proportionatum & conueniens humanæ naturæ explicat D. Thom. in hoc art. ſe intelligere bonum virtutis acquiſitæ, non autem infuſæ : ergo loquitur euidenter de bono morali, ac proinde fatetur bonum hoc poſſe produci abſque vllo ſpeciali Dei dono, etiam ſi agamus in ſtatu naturæ corruptæ.

Poſtremò, ſi ſpeciale Dei auxilium eſſet neceſſarium ad bene operandum moraliter, hoc eſſet, vel quia creatura rationalis debet promoueri à Deo antequàm poſſit quidquam bene operari moraliter, vel quia voluntas eſt indeterminata ad agendum, vel non agendum, & debet determinari per ſpeciale Dei auxilium, vel denique, quia moralis bonitas non poteſt conſurgere, niſi acceſſerit ſpecialis Dei gratia; at nullum ex iſtis dici poteſt : non quidem primum, quia concurſus generalis, ſatis eſt in alijs rebus naturalibus, ad hoc vt iſtæ ſuos conſequantur effectus : ergo idem etiam concurſus generalis poterit eſſe ſatis ad actus morales bonos exercendos; nam hi cenſentur eſſe naturaliter proportionati cum creatura rationali, etiã ſi ſupponamus hanc cõſtitutam eſſe in ſtatu naturæ corruptę. Confirmatur : bonum morale ordinatur ad finẽ naturalem obtinendum: E ergo poterit hoc per præſidia tantum naturalia produci à nobis. Neque item ſecundum : voluntas enim noſtra tam verè eſt determinata ad malum operandum, quam ad bonum, nam de ratione cauſæ liberæ eſt, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſit hæc operari, vel non operari : at nullum datur homini auxilium ſpeciale, ad hoc vt determinet ſe ad malum perpetrandum : ergo neque dabitur etiam ad hoc vt voluntas determinet ſe ad bonum morale exercendum. Confirmatur. Cuiuslibet agentis liberi eſt ſeipſum determinare ad agendum, vel non agendum, propter hanc enim cauſam is qui operatur libere dicitur dominus ſuarum operationum.

Neque denique tertium, quia bonitas moralis conſurgit ex libertate, & tendentia, quæ reperitur in actu libero ad obiectum quod eſt conforme præcepto vel legi ſuperioris, vt docuimus quæſt. 18. huius part. ergo. Deinde, ſpeciale Dei auxilium eſt tantùm neceſſarium ad bene operandum, quando operatio iſta eſt extra latitudinem obiecti adæquati voluntatis noſtræ, relictæ intra terminos propriæ naturæ: at obiectum morale reſpectu actus boni moralis continetur intrà latitudinem obiecti voluntatis noſtræ relictæ intrà cancellos propriæ naturæ: concedunt enim omnes bonum in communi ſumptum eſſe obiectum voluntatis noſtræ, reſpectu cuiuslibet actus proſequutionis: ergo illud poterit attingere naturaliter ſine dono. In hac ſententia ſunt ſententiarij communiter in 2. d. 28. Bonauent. ar. 2. q. 3. Richardus quæſt. 1. Durand. q. 2. Gabr. ar. 2. q. 1. Scotus quæſt. vltima, Alphonſus Curiel, dubit. 1. ad hunc articulum.

Perſeuerãtia in operibus bonis ex auxilio Dei eſt.

CONCLVSIO VLTIMA. *Licet quilibet noſtrûm poſſit bene moraliter operari, etiam in ſtatu naturæ corruptæ; non tamen poteſt vllus longo ac diuturno tempore perſeuerare in bonis operibus moralibus ſine ſpeciali aliqua Dei gratia.* Primùm, quia ità docent authores proximè citati.

Deinde, diximus art. 1. huius q. neminem poſſe aſſequi propoſitiones Theoreticas aut practicas ordinis naturalis, ſinè ſpeciali Dei dono, ſaltem abſque aliquo errore.

Tertiò, dicemus neminem poſſe ſeruare omnia Dei mandata collectiuè ſecluſo ſpeciali Dei auxilio nullus item poteſt difficiles tentationes ſine eodem ſpeciali Dei auxilio ſuperare.

Denique, perſeuerantia ſaltem ad extremum vſque vitæ ſpiritum in actionibus honeſtis cenſetur eſſe Dei donum, ex Trident. ſeſſ. 6. quare nullus eſt qui poſſit perſeuerare in iſtis operibus ſine gratia Dei ſpeciali: ergo neque etiam poterit aliquis ſinè gratuito aliquo Dei auxilio multo tempore & diuturno in bonis operibus moralibus perſeuerare, quin in aliquo deficiat.

Diſſoluuntur rationes aduerſar.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad primam, ex illis omnibus locis Scripturæ ſolùm colligi actus ordinis ſupernaturalis à nullo poſſe fieri ſinè auxilio Dei ſpeciali. reſponſio hæc colligitur ex ipſiſmet teſtimonijs Scripturæ. Nam verba iſta, Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, loquuntur manifeſtè de actibus ordinis ſupernaturalis: verba namque ſubſequentia: *Niſi palmes manſerit in vite, non poteſt ferre fructum*, & item: *Ego ſum vitis vera, & vos palmites*, manifeſtè loquuntur de vnione Chriſti cum quolibet iuſto; ac proinde effectus qui producuntur ab iſtis, ſunt dependenter à Chriſto, vt dicitur Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Atque ità Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. locum hunc Ioan. interpretatur.

Ioan. 15. ℣. 5.

Ioan. 15. ℣. 16.

Trident.

Ad primùm verò Pauli teſtimonium dico, militare tantùm contra eorum arrogantiam, qui ſibi plus quàm par ſit tribuebant ex eo quòd publicatio diuini verbi eſſet ei commiſſa, ac proinde impertinens eſt hic locus ad confirmandum opinionem iſtorum doctorum. Secundus verò locus venit explicandus de donis Spiritus ſancti, quæ proinde non eſt mirum dari in nobis ex ſpeciali Dei auxilio. Tertius agit de ſufficientia, quę conducit ad vitam æternam obtinendam; non autem de ea quæ neceſſaria eſt ad bene operandum moraliter; ita explicatur hic locus à Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 1. & à D. Aug. de prędeſtinat. Sanctorum cap. 2. & à pleriſque recentioribus. Quartus verò eiuſdem authoris aufert diffidentiam, quam poterat aliquis cõcipere ex verbis antecedentibus nempe: *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini* vt tollatur ergo ab Apoſtolo diffidentia in perficienda ſalute ſubiungit: *Deus enim eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*; Quod idem eſt ac ſi diceret: Eſto bono animo, Deus enim ſicut eſt author noſtræ ſalutis, ità quoque voluntatem cuiuslibet mouet ad bene operandum, vt nedum immittat pias inſpirationes, ſed etiam conferat auxilia neceſſaria ad eaſdẽ executioni demandandas. Locus verò Sapientiæ nulla ratione nobis aduerſatur; nam poſtulat eo in loco Salomon ſapientiam non quę ſignificet ſpecialem aliquam virtutem, ſed vel cumulum omnium planè virtutum, vel habitum aliquem honeſtum, qui reſpondeat quodammodo cæteris omnibus habitibus ſtudioſis; bonum autem hoc à nullo poteſt haberi ſine ſpeciali Dei auxilio; ſecus tamen dicendum eſt de bonis moraliter exercendis: hæc enim ſaltem interdum & aliquando fieri à nobis poſſunt ſe motò ſpeciali Dei auxilio.

Ad loca verò Conciliorum & ſummorum Pontif. Reſpond. ſimiliter probare ea quæ ſunt ordinis ſupernaturalis à nullo poſſe perfici ſinè ſpeciali Dei auxilio: atque hanc eſſe mentem Conciliorum & Pontificum Max. ex eo manifeſtè deprehenditur, quòd Concilia iſta fuerint contra Pelagium celebrata; hic enim docuerat omnia & ſingula Dei mandata poſſe à nobis obſeruari ſine vlla ſpeciali Dei gratia: Deinde, charitatem qua bene viuitur, non eſſe donum Dei. Tertiò, acceptationẽ fidei Chriſtianę, profeſſionem eiuſdem, augmentum, & alia huius generis non eſſe annumeranda inter dona Dei gratuita. Denique, reſipiſcentiam à peccatis eſſe cuilibet noſtrûm adſcribendam, non vlli gratię ſpeciali diuinæ, vt refert D. Auguſt. lib de hæreſibus, cap. 88. & de dono perſeuerant. cap. 2. Contra iſtos ergo errores docent Concilia nulla ex prædictis operibus poſſe à nobis fieri, aut etiam cogitari ſine gratuito Dei dono, quod nos vlrò fatemur: contendimus autem tantùm aliquod bonum opus morale, quod ſit ordinis naturalis poſſe ſine vlla gratia Dei ſpeciali fieri. Ad id verò quod dicitur ex Conc. Arauſicano, can. 22. *Nemo de ſuo habet niſi peccatum, & mendacium.* Reſpond. hęc non pertinere ad definitionem Concilij; & licet daremus pertinere, quod tamen non facimus, ſupereſſet reſpondendum, Concilium velle tantùm hominem in ſtatu peccati conſtitutum reduplicatiuè nihil planè poſſe præter mentiri & peccare: peccator namque vt peccator, nihil aliud operatur quàm peccare; ſunt qui dicant verba iſta ſignificare procliuitatem & facilitatem ad quælibet peccata committenda: Ità Curiel, & alij nonnulli recentiores.

Auguſt.

Arauſican.

Ad teſtimonium verò Patrum, dico ea probare tantùm diſpoſitiones ad vitam æternam obtinendam, & opera meritoria eiuſdem de condigno à nullo fieri poſſe, niſi acceſſerit ſpeciale Dei adiutorium: propter hanc enim cauſam docent auxilium hoc, dari vnicuique noſtrûm, ad omnes & ſingulos actus bonos exercendos. Addunt etiam opera hęc facta ex ſpeciali auxilio numquam eſſe in nobis ſterilia, & inania, cum ordinantur, in vitam ęternam, quę dabitur in pręmium iſtorum operum. Ad id autem

tem quod ait D. Auguſtin. & alij nonnulli cum eo, per peccatum primorum parentum liberum arbitrium ità eſſe læſum, vt nullum planè poſſit operari bonum, ſed tantùm malum. Reſpond. nomine, boni, illic ſignificari, ea tantùm bona, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis nomine verò mali, deſignari illud omne quod deficit à bono ordinis ſupernaturalis, ſiue fuerit hoc malum morale, ſiue non. Ex iſtis autem non licet colligere hominem in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutum, non poſſe aliquod bonum morale exercere ſinè ſpeciali Dei auxilio.

Ad rationes verò contrarias, reſpond. Ad primam, non eſſe neceſſarium ad bonitatem actus moralis hunc referri in Deum veluti in vltimum finem; circumſtantia enim vltimi finis non eſt de intrinſeca ratione bonitatis actus humani, ſaltem ſi ſermo ſit de vltimo fine formaliter, & actu ſpectato; quod dico quoniam non deſunt qui putent circumſtantiam iſtam implicitè ſeu virtute pertinere ad bonitatem cuiuslibet actus: ſatis ergo eſt ad hoc vt aliquis actus ſit moraliter bonus, quòd verſetur circa obiectum aliquod per ſe honeſtum, & quod fiat à nobis liberè, quódque careat omni circumſtantia vitioſa; quæ autem omnia cùm poſſint dari in nobis, ſaltem interdum & aliquando ſinè ſpeciali Dei dono, ſequitur & cetera.

Ad 2. Eum qui bene operatur moraliter tantùm, non diſponere ſe iſtis actibus ad gratiæ iuſtificantis receptionem; nam diſpoſitio quælibet ad formam debet eſſe eiuſdem rationis cum forma: forma autem per quam iuſtificamur à peccato eſt ordinis ſupernaturalis, eſt enim gratia gratum faciens, ſeu charitas, vt definitum fuit in Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. certum autem eſt ex cap. 5. Rom. charitatem diffundi in nobis per Spiritum ſanctum, vnde hæc pertinet ad dona Dei gratuita. Ad id verò quod dicitur; facienti quod in ſe eſt, Deum non negare ſuam gratiam. Reſpond. axioma hoc Theologicum intelligendum eſſe de eo qui facit quod in ſe eſt, ex ſpeciali Dei auxilio: non autem de eo qui facit quod in ſe eſt in ordine tantùm ad concurſum generalem, & ad facultates ſibi naturaliter inditas.

Rom. 5. ℣. 5.

Ad 3. Mandatorum obſeruationem eſſe dicendam bonam, moraliter ad minus; obſeruatio ſiquidem hæc reſpicit obiecta per ſe honeſta, & ſuppono quod habeat ortum à voluntate noſtra liberè operante, & præterea quòd careat omni circumſtantia turpi; collectiuè tamen ſpectata nequit à nobis fieri, quin accedat ſpeciale Dei auxilium; aliquod tamen mandatum diſtributiuè ſumptum poteſt à nobis adimpleri, ſeclusò omni ſpeciali Dei dono.

Ad 4. qui perſoluit gratias Deo, nedum de bonis ſibi gratuito datis, ſed etiam de naturalibus, quæ in ſe habet, quique præterea implorat diuinam opem ad hoc vt dirigat omnes ſuas operationes in honeſtum aliquem finem, exercet actum bonum bonitate morali ad minus: nam actus hic verſatur circa obiectum per ſe licitum, & honeſtum, carétque circumſtantia omni mala. Deinde, propter huiuſmodi ſubiectionem, & gratiarum actionem excitatur Deus ad conſeruanda aliqua auxilia ſpecialia, cum quibus magis promptè & facilè hic poterit ſuas actiones etiam naturales exercere, & mala quoque declinare.

Ad vltim. Neminem poſſe determinare ſe ad bonum potiùs, quàm ad malum agendum, niſi præceſſerit in eo cogitatio aliqua de bono opere exercendo, potiùs quàm de malo: certum enim eſt voluntatem noſtram eſſe cæcam, neque aliter habere obiectum ſuum præſens, niſi dependenter ab aliquo actu intellectus: cogitatio tamen iſta non eſt à ſpeciali Dei auxilio, ſaltem interdum & aliquando, ſed à concurſu illo generali, quo concurrit Deus cum intellectu, & voluntate noſtra ad obiecta quælibet naturalia intelligenda, & amplectenda, ſi fuerint hæc honeſta.

DVBITATIO SECVNDA.

An qualibet actio hominis conſtituti in ſtatu peccati mortalis ſit peccatum.

Hæreſis.

HÆRETICI noſtri temporis in eo ſunt errore, vt credant omnem planè operationem etiam hominis ſanctiſſimi eſſe peccatum, mereriique odium Dei, & æternam damnationem, ceterùm non imputari credentibus in Chriſtum propter iuſtitiam, quæ in eo eſt. Probant ex illo Eccleſiaſt. cap. 7. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Deinde, Gregorius in Moralibus, & alij nonnulli Patres fatentur de actionibus cuiuslibet iuſti, quod ſint immundæ, & iniuſtę.

Eccleſ. 7. ℣. 21. Gregor.

Ex Catholicis vero ſunt qui credant omnem actionem hominis infidelis eſſe peccatum: probant ex cap. 1. Eſai. *Incenſum abominatio eſt mihi; Neomeniam, & Sabbathum, & feſtiuitates alias non feram, ſolemnitates veſtras odiuit anima mea.* Deinde, Matth. 7. dicitur: *Arbor mala non poteſt bonos fructus facere.* & cap. 1. ad Titum. *Omnia munda mundis, coïnquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum.* Tertio, Rom. 14. dicitur: *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt:* Imo ſancti Patres verbis expreſſis tradunt, nullum planè opus veræ virtutis poſſe conſurgere ſinè vera fide, & ſinè vero cultu Dei: Ità D. Auguſtin. lib. de bono continentiæ, prope finem, & lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. & 5. de Ciuit. Dei, cap. 12. & 3. de Trinitate, cap. vlt. aliquid ſimile habet, & Proſper. lib. 1. de vocatione Gentium, cap. 7. & lib. contra Collatorem, c. 20.

Eſai. 1. ℣. 13. Matth. 7. ℣. 18. Ad Tit. 1. ℣. 15. Rom. 14. ℣. 23. D. Auguſt. Proſper.

Denique, omnis actio quæ reſpicit deordinatum & illicitum finem cenſetur quoque eſſe vitioſa: diximus enim bonitatem actus vel malitiam deſumendam eſſe ex fine operis, aut operantis: at quælibet actio hominis infidelis verſatur circa finem illicitum: nam cultor idolorum omnes & ſingulas ſuas actiones dirigit in idolum, quod colit; ſicut facit vir iuſtiſſimus erga Deum Opt. Max. ergo omnia huiuſmodi opera Ethnicorum ſunt mala.

Omnes actiones peccatoris aut infidelis non ſunt peccata. Trident.

CONCLVSIO. *Non omnes actiones hominis conſtituti in ſtatu peccati mortalis ſunt peccata, etiam ſi ſupponamus peccatum hoc eſſe culpam infidelitatis.* Primùm, quia in Trident. ſeſſ. 6. can. 25. ita dicitur. *Si quis in quolibet opere bono iuſtum, ſaltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius eſt mortaliter, atque ideò pœnas æternas meruiſſe tantúmque ob id nõ damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema ſit.* & can. 7. eiuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Deum creſci, anathema ſit.*

Deinde, illa actio non poteſt eſſe peccatum quam remunerat Deus præmio aliquo; nam peccato debetur pœna, non autem præmium: at certum eſt Deum remuneraſſe operationes aliquas factas ab infidelibus, vt conſtat ex c. 1. Exod. dicitur enim illic quòd Deus ædificauerit, id eſt, fœcundas reddiderit, cùm antea eſſent ſteriles, obſtetrices filiorum Iſraël, quæ tamen erant infideles: & Luc 7. dicitur de Cornelio Centurione, quòd ædificauerit Synagogam Iudæis, quare mercedem aliquam eſſe ei debitam, iudicio ſaltem & exiſtimatione Iudæorum: ità enim alloquuntur Chriſtum: *Dignus eſt vt hoc illi præſtes, ipſe enim ædificauit nobis Synagogam.* Plerique item ex ſanctis patribus docent Deum contuliſſe donum prophetiæ Sybillis infidelibus, hoc ſolo nomine, quòd pudicitiam & caſtitatem colerent.

Luc. 7. ℣. 5.

Tertiò, diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem obtinendam, nequit eſſe peccatum; eſt enim hæc à Deo, & ab eo, qui exequitur huiuſmodi operationem, vt conſtat ex iſtis locis: *Conuertimini ad me & conuertar ad vos,* & rurſus. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu.* Ioël 2. & Eſai. 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum:* at ſi actio iſta eſſet peccatum non poſſet eſſe diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem obtinendam: hæc enim eſt eiuſmodi ordinis & rationis cum forma: ergo.

Zachar. 1. ℣. 3. Ioel. 2. ℣. 12. Eſai. 55. ℣. 7.

Quartò, nullus eſt qui poſſit affirmare actiones factas à Diua Magdalena pro eo tempore quo fuit in ædibus Simonis leproſi, vnà cum Chriſto fuiſſe peccata; laudantur namque ab ipſomet Chriſto, *Luc* 7. at operationes iſtæ habuerunt ortum à Diua Magdalena pro eo tempore in quo erat in ſtatu peccati mortalis, vt videtur colligi ex verbis Chriſti, *Dimittuntur ei peccata multa,* id eſt omnia; *Multum*, enim, ſeu, *multa*, in ſacris literis idem ſignificant aliquando atque omnia, *Quia dilexit multùm.*

Luc. 7. ℣. 47.

Quintò, ad bonitatem alicuius operationis moralis deſideratur tantùm, vt hæc verſetur circa obiectum honeſtum per ſe, & licitum, & quidem liberè; & præterea quòd careat omni circumſtantia turpi: certum eſt autem conditiones iſtas omnes poſſe habere locum in pleriſque actionibus hominis infidelis: quid enim vetat quominus infidelis colat parentes liberè, & ſecluſa omni planè mala circumſtantia, cultus autem parentum cenſetur eſſe actus aliquis honeſtus: ità Sententiarij in 2. diſt. 18. D. Thom. Bellarmi. lib. 4. de iuſtificatione, cap. 16. 17. & 18. & alij.

Soluuntur fundamenta hæreticorum

Ad rationes verò contrarias hæreticorum. Reſpond. ex illis locis Scripturæ ſolùm probari difficile eſſe hominem perſeuerare diu, & longo tempore in ſtatu gratiæ, aut in bonis operibus exercendis ſinè ſpeciali Dei auxilio. Reſpond. 2. ex illis locis colligi tantùm procliuitatem & propenſionem, quæ datur in nobis circa peccata admittenda: hanc ergo propenſionem deordinatam non poſſe ſuperari à nobis ſaltem multo tempore, ſinè ſpeciali Dei auxilio vult Scriptura illis in locis.

Explicatur D. Gregor.

Ad teſtimonia verò Gregorij: eum velle tantùm, quòd ſi aſſumantur à nobis omnes omnino actiones hominis cuiuslibet etiam iuſti, vix fieri poſſe, quin inter iſtas omnes actiones maior futurus ſit numerus actionum inhoneſtarum, quàm honeſtarum: iuxta ergo hunc ſenſum aſſerit actiones hominis iuſti eſſe fœdatas & iniuſtas. Sunt qui aliter reſpondeant; contendunt enim Gregorium diſſeruiſſe tantùm de operibus legis Moſaïcæ, & de iſtis docuiſſe quòd ſint pollutæ & iniuſtæ, etiamſi fuerint factæ ab homine iuſto, vigente tamen lege Euangelica.

Satisfit rationibus Catholicorum.

Ad argumenta Catholicorum, reſpondeo: Ad primùm, ex illis locis Eſaiæ, ſolum colligi Deum habuiſſe ingrata & inuiſa ſacrificia, itémque feſta Iudæorum, non quidem præcisè & formaliter loquendo, ſed in ordine tantùm ad eum modum, cum quo ſacrificia iſta adminiſtrabant, & ſolemnitates celebrabant: nam ſacrificia iſta complebant ſinè vllo actu contritionis, etiamſi eſſent ſibi conſcij peccati mortalis; ac proinde quòd indignè tractarent iſta ſacrificia, ideò hæc habuit Deus ingrata & inuiſa, vt manifeſtè colligitur ex eodem cap. Eſaiæ; ità enim alloquitur illic ſacerdotes filiorum Iſraël: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum; cùm multiplicaueritis orationes veſtras non exaudiam, manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine.*

1. Iſai. ℣. 15. & 16.

Ad teſtimonia verò Matth. & Pauli reſpondeo, intelligenda eſſe reduplicatiuè; ità vt ſenſus ſit arborem malam, quatenus mala eſt, non poſſe fructum ferre bonum: immundus item vt immundus eſt, nulla cenſetur præſtare munda; cum iſtis tamen rectè ſtat, vt arbor mala & immunda conſiderata ſecundum ſuam entitatem, quam habet à parte rei, poſſit aliqua bona opera præſtare, vnde & bonum aliquem fructum. Ad illud verò Apoſtoli, *Quod non eſt ex fide peccatum eſt*: ſunt qui dicant nomine fidei illic ſignificari fidem Chriſtianam & Catholicam: Ità Fulgentius, Proſper, & alij nonnulli; vnde ità explicant locum D. Pauli, vt velit illud omne quod non eſt ex fide peccatum eſſe, vel certè cum peccato: concedunt enim peccatum originale deleri non poſſe ſinè baptiſmo, quare cùm baptiſmus non applicetur infidelibus, omne opus factum ab iſtis erit vel peccatum, vel certè coniunctum cum peccato originali. Alij verò reſpondent nomine fidei non ſignificari hoc loco fidem Catholicam, ſed conſcientiam; ità vt velit Paulus quidquid non eſt ex fide peccatum eſſe, id eſt, quidquid ſit contra dictamen propriæ conſcientiæ induere naturam peccati: ità Chryſoſtom. & alij nonnulli, quos citat Cornelius à Lapide ad hunc locum, & item Laurentius Iuſtinianus: ex neutra autem explicatione poſſunt inferre auctores contrarij omnia opera infidelium eſſe peccata.

Explicatur SS. Patres.

Ad teſtimonia vero Patrum. Reſpondeo ſanctos Patres ideò affirmare, nullum opus veræ virtutis poſſe conſurgere ſinè fide; quia nomine veræ virtutis intelligunt id quod conducit ad vitam æternam obtinendam: non negant tamen opus aliquod virtutis moralis poſſe fieri ab homine infideli, aut conſtituto in ſtatu peccati mortalis; imò fatentur vitam infidelis hominis vix poſſe carere aliquo bono opere morali. Ad id vero quod ſubiungunt virtutes veterum Romanorum non extitiſſe virtutes, ſed vitia. Reſpondeo, hæc non ità dici à Patribus, quaſi crediderint opera huiuſmodi fuiſſe peccata, ſed quia non conducebant ad felicitatem æternam conſequendam, & præterea quia mala aliqua circumſtantia fuerunt bona illa opera ab ipſis vitiata, omne enim

enim opus honestum factitatum fuit ab istis hominibus, vt hac ratione auram populanem aucuparentur, vt docet D. Augustin. & alij nonnulli.

Ad vltimam, Respond. Non omnes actiones hominis idololatræ referri in idolum veluti in vltimum finem: si enim ità haberet, concedendum esset verè esse peccata; non quidem ex suo obiecto, seu, quod idem est, ex fine interno operis; sed tantùm ex fine externo, & operantis; indubitatum tamen est hominem idololatram, & parentes colere posse, & eleemosynam dare, & vnicuique quod suum est reddere, etiamsi non cogitet hic de idolo quod colit; quare operationes istæ cùm sint ex suo obiecto bonæ, & careant omni mala circumstantia necessaria ad bonitatem actus moralis, statuendum erit cultorem idolorum opus bonum morale exercere absque eo quod peccet.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus principijs sinè gratia.

DVBITATIO PRIMA.

An in statu naturæ integræ potuerit homo diligere Deum super omnia sinè Dei speciali auxilio.

Homo rectus potuit diligere Deum super omnia vt est author naturæ.

CONCLVSIO 1. *Potuit homo in statu naturæ integræ constitutus diligere Deum super omnia, vt est author naturæ, sinè speciali Dei dono.* Primùm quia in eo statu debuit homo diligere Deum super omnia, vt est author naturę, alioquin non peccasset prætermittendo dilectionem Dei super omnia: nullus enim peccat in his quæ euitare non potest; illatio autem ista est contra bonitatem diuinam, & summam Dei prouidentiam, hic namque neminem obligat ad impossibile: Ergo potuit homo in illo statu diligere Deum super omnia, vt est author naturæ.

Confirmatur: homo in statu naturæ constitutus habuit huiusmodi omnia auxilia necessaria ad cõformiter operandum rectę rationi. nomine enim status naturæ integræ nihil aliud intelligitur, quã humana natura, prout potest hæc conformiter præcepto & regulæ rectæ rationis operari, respectu cuiuslibet potentiæ rationalis, & item quòd caret omni planè peccato & dono gratuito: ergo cùm ratio naturalis dicat Deum esse super omnia diligendum, vt est author naturæ potuit in statu illo naturæ integrę dilectionem istam exercere sinè speciali Dei auxilio: dilectio enim ista est quàm maximè congrua & proportionata naturaliter homini agenti in isto statu naturæ integræ.

Deinde, caruisset homo in hoc statu omni planè impedimento, quo retardaretur ab exercitio actus dilectionis Dei super omnia: ità S. Thomas hoc loco; Curiel, Medina, & communiter Theologi.

Potuit idem homo diligere Deum cognitum vt est author gratiæ.

CONCLVSIO 2. *Potuit homo in statu naturæ integræ constitutus, diligere Deum super omnia, cognitũ vt est author gratiæ, sine vllo speciali Dei dono.* Primùm quia diximus Conclusione 1. proximè antecedenti, hominem in hoc statu constitutum posse diligere Deum super omnia, vt Deus est author naturæ: ergo poterit in eodem statu naturæ integræ diligere eumdem cognitum, vt est author gratiæ, absque speciali gratia; non enim est magis difficile diligere Deum super omnia, cognitum vt est author gratiæ, quàm vt est author naturę: quò enim plures & potiores occurrunt rationes diligendi quempiam, eò quoque magis voluntas nostra facilitatur & inclinatur ad eumdem diligendum; at multò plures occurrunt rationes diligendi Deum cognitum vt est author gratiæ, quàm vt est author naturæ: gratuita quippe præsupponunt naturam, omnium consensione, & ea omnia quæ sunt naturalis ordinis, si tamen sint hæc de intrinseca ratione illius naturæ: ergo poterit diligi illa ratione consideratus absque peculiari dono.

Deinde, quilibet constitutus in statu naturæ corruptæ potest cognoscere propositiones aliquas simpliciter supernaturales, saltem ex obiecto, & præterea eisdem assentiri: ergo & in statu naturæ integræ potuit homo diligere Deum super omnia, cognitum vt est author gratiæ sine speciali Dei adiutorio. *2. Probatio.*

Dices, si ità res haberet, sequeretur hominem in statu naturæ integræ constitutum posse se disponere ad infallibiliter gratiam iustificantem obtinendam, quod tamen est contra Concilium Trident. sess. 6. can. 3. Respondeo negando illationem antecedentis; ad probationem autem, dico dilectionem Dei esse dispositionem, pro eo statu in quo natura humana est iam constituta: & ità explicandus est locus citatus Tridentini: non est tamen dilectio Dei super omnia dispositio infallibilis ad gratiam sanctificantem pro statu humanæ naturæ integræ; idque quòd dispositio debeat esse eiusdem ordinis cum forma; forma autem per quam iustificamur est ordinis simpliciter supernaturalis & per consequens eius dispositio debet quoque esse supernaturalis: dilectio autem Dei super omnia in statu naturæ integræ non est ordinis supernaturalis ex modo tendendi saltem, cùm fit hæc ab homine sinè vllo speciali Dei auxilio, vt supponimus. *Obiectio.* *Trident.* *Solutio.* *Replica.*

Instabis, qui diligit Deum super omnia, diligere eumdem vt oportet: Tridentinum autem loco proximè citato damnat anathemate omnes asserentes sinè speciali Dei auxilio quempiam posse credere, sperare, diligere, & penitere, sicut oportet.

Respondeo, duo esse necessaria ad hoc vt aliquis diligat Deum, vt oportet: Alterum, quòd actus dilectionis versetur circa Deum, vt est author gratiæ, nedum naturæ: Alterum quod actus dilectionis habeat ortum in nobis ex speciali Dei auxilio, vt deducitur ex eo quòd actus huiusmodi elicitus vt oportet, conducat ad vitæ æternæ consequutionem vt dicitur Ioann. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus: & mansionem apud eum faciemus.* Ergo cùm in statu naturæ integræ diligatur ab homine Deus ex hypothesi; non ex speciali Dei auxilio, sed per præsidia sibi à natura concessa, dilectio ista non est ab homine vt oportet; quare non est mirum si non sit etiam dispositio ad gratiam iustificantem pro eo statu habendam. *Dissoluitur.* *Ioan. 14. v. 23.*

Digitized by Google

Corollariũ. Ex iſtis colliget, dilectionem Dei ſuper omnia *in* ſtatu naturæ integræ elicitam, in hypotheſi data, non eſſe dicendam ſupernaturalem, eſto ſit ex obiecto ſupernaturali: ſupponimus enim quòd diligatur Deus vt eſt author gratiæ; ex modo tamen tendendi, dilectio illa tota eſt naturalis, illa eadem ratione, qua diximus art. 1. huius quæſtion. aſſenſum quem quis præbet propoſitionibus de fide, eſſe naturalem ex modo tendendi; aſſentimur enim iſtis interdum media fide humana & opinione.

DVBITATIO SECVNDA.

An poſſit homo in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutus, diligere Deum ſuper omnia ſinè ſpeciali illius auxilio.

Partis affirmantis rationes.

1. RATIO dubitandi eſt, quia diximus hominem in ſtatu naturæ integræ poſitum poſſe diligere Deum ſuper omnia ſinè ſpeciali Dei auxilio: ergo cùm eadem ſit natura humana in nobis, & in illis, qui ex hypotheſi vigent in ſtatu naturæ integræ, poterit Deus diligi ſinè ſpeciali auxilio.

2. Deinde, voluntas poteſt illud omne expetere vel reſpuere, quod poteſt intellectus intelligere; intellectus autem dictat nedum Deum eſſe colendum, vt eſt author naturæ, ſed etiam vt eſt author gratiæ, etiam ſi ſermo ſit de intellectu hominis conſtituti in ſtatu naturæ corruptæ: ergo.

Tertiò, qui poteſt mori pro aliquo ſinè peculiari Dei dono, poterit etiam eumdem amare ſuper omnia, ſinè ſpeciali gratia: at certum eſt pleroſque mortem ſuſtinuiſſe, & propter patriam, & propter parentes, vel amicos, ſinè vllo dono ſupernaturali, vt eſt indubitatum ex hiſtoria prophana, & item ſacra: ergo idem contingere poterit hîc.

3. Denique, natura cuiuslibet allicit, & inuitat ad Deum colendum: poterit ergo hæc diligere Deum ſuper omnia ſinè ſpeciali Dei auxilio; neque enim natura inclinat ad aliquid ad quod pertingere non poſſit naturaliter.

Homo corruptꝰ nequit diligere Deum ſuper omnia.

CONCLVSIO. *Homo in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutus non poteſt diligere Deum ſuper omnia ſinè ſpeciali eiuſdem dono:* Hæc eſt de fide, definita expreſſè in Tridentino ſeſſione 6. cap. 3. *Si quis dixerit ſinè præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut penitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Et anteà in Arauſicano II. can. 25. *Prorſus*, inquit, *donum Dei eſt diligere Deum, ipſe, vt diligeretur dedit, qui non dilectus, diligit.*

1. Trident.

Arauſican.

2. Deinde, Scripturæ verbis expreſſis habent, diligere Deum eſſe donum Dei, Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* & Galat. 5. *Fructus autem ſpiritus eſt, Charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, &c.* 1. Ioann. 4. *In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum: ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Idem docent Patres, D. Auguſtinus, epiſtol. 29. *Quid eſt autem*, inquit, *pietas, niſi Dei cultus, Et vnde ille colitur, niſi charitate? Charitas igitur de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta, magna & vera virtus eſt, quia ipſa & finis præcepti*, &c. cetera. & 21. de Ciuitate, cap. 16. & lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. & de gratia, & libero arbitrio, cap. 17. & 18. & de diſciplina Chriſtiana, cap. 1. in quibus locis docet per peccatum primi parentis ità inclinatum fuiſſe liberum hominis arbitrium, vt nullus poſteà diligere Deum ſicut oportet poſſit, niſi gratia eum & miſericordia diuina præuenerit. Et Bernardus toto libro de diligendo Deo docet dilectionem Dei computandam eſſe inter dona Dei.

Bernard.

Prima ratio concluſionis.

Accedunt rationes aliquæ. Prima, actus qui per ſe conducit ad beatitudinem æternam conſequendam, nequit fieri ab homine ſinè ſpeciali Dei auxilio, poſtulat enim hæc, vt illud omne quod ad eam habendam iuuat, ſit ordinis ſupernaturalis, ſicut & hæc eſt ſimpliciter ordinis ſupernaturalis: at dilectio Dei conducit per ſe ad vitæ æternæ aſſequutionem, ex cap 14. Ioan. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit:* ergo ſinè peculiari Dei dono, non poterit quis diligere Deum ſuper omnia.

Ioan. 14. ℣. 23.

1. Deinde, nullus eſt qui poſſit vitare quælibet peccata longo tempore, aut etiam adimplere omnia & ſingula Dei mandata, ſinè ſpeciali eius auxilio, vt oſtendetur infra: ergo neque poterit etiam quis diligere Deum ſuper omnia in ſtatu naturæ corruptæ, ſinè ſpeciali eius auxilio; dilectio ſiquidem Dei includit virtute & poteſtate obſeruationem quorumcumque mandatorum, quin & fugam & declinationem cuiuslibet peccati; quamobrem, ait Apoſtolus, Rom. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio*, & ibidem. *Qui diligit proximum legem implenit.* Idem docent omnes planè Patres, maximè verò D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 30. Auguſt. ait enim hominem in illo ſtatu potuiſſe non peccare, *Verùm hoc quoque Dei munere, non poſſibilitate ſuæ naturæ.* & epiſt. 106. & in Enchiridio, cap. 106. & 14. de Ciuit Dei c. 27. & de correptione, & gratia, c. 12. & lib. 3. Hypognoſticon prope initium verbis expreſſis habet hominem indiguiſſe adiutorio & gratia Dei, vt permaneret in bono & in iuſtitia.

Rom. 13. ℣. 10. Id. ℣. 8.

1.

Denique, non eſt minùs difficile homini conſtituto in ſtatu naturæ corruptæ diligere Deum ſuper omnia, quàm exercere actus attritionis vel contritionis: omnes quippe iſti actus ſunt ordinis ſupernaturalis, ex Concilio Arauſicano & Tridentino locis ſupra citat. at attritio & contritio nullum habent locum in nobis ſinè ſpeciali Dei dono, vt definit idem Trident. ſeſſ. 6. can. 3. & de attritione, ſeſſ. 14. ergo nec poterimus Deum diligere, &c.

2.

Diſſoluuntur rationes dubitandi.

Ad rationes verò contrarias. Reſpond. Ad 1. eamdem eſſe naturam humanam in ſtatu naturæ integræ, & corruptæ: non tamen propterea poteſt quilibet noſtrûm præſtare in ſtatu naturæ corruptæ, quod potuit in ſtatu integræ ſinè ſpeciali Dei auxilio; idque quod in ſtatu naturæ corruptæ natura humana eſt verè læſa, debilitata, & infirmata propter peccatum; in ſtatu verò naturæ integræ ſana & ſimpliciter incolumis: certum autem eſt ægrum non poſſe præſtare ſinè aliquo auxilio alieno, illa eadem quæ poteſt efficere ſanus.

1.

Ad 2. Voluntatem poſſe velle, vel nolle illud omne quod intellectus intelligit, ſi cetera ſint paria: iam verò notiſſimum eſt ſenſilia

2.

hæc

hæc magis afficere voluntatem noſtram, quàm ſpiritualia. Deinde, in dilectione Dei ſuper omnia includitur virtute totius legis obſeruatio, & per conſequens fuga cuiuslibet peccati; hæc autem duo præſtari non poſſunt ſinè ſpeciali Dei auxilio.

3. Ad 3. Facilius eſſe hominem mori pro patria, parentibus, & amicis, quàm pro Deo ſinè peculiari Dei dono; magis enim afficiunt iſta ſenſilia, quàm ſpiritualia: quare licet poſſit aliquis primum præſtare ſinè vllo Dei dono; non tamen diligere Deum ſuper omnia, ſinè gratuito eiuſdem auxilio, idque propter caſtas in antecedentibus explicatas.

Vltim. Ad vlt. Reſp. naturam inclinare quidem ad diligendum Deum ſuper omnia, etiam pro eo ſtatu in quo agimus: non tamen poteſt hæc natura humana ſinè præſidio aliquo ſpeciali diuino attingere dilectionem eiuſdem ſuper omnia, quia pro eo ſtatu in quo verſamur, dilectio hæc conducit ad vitam æternam obtinendam per ſe.

Notabile. Aduerte, quando diximus auxilium ſpeciale Dei neceſſarium eſſe ad diligendum Deum ſuper omnia, hoc intelligendum eſſe de auxilio actuali vel habituali ordinis ſupernaturalis: ità vt vel cum ſolo actuali, vel cum habituali dono quilibet noſtrûm poſſit diligere Deum ſuper omnia in ſtatu naturæ corruptæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

An homo ſinè gratia poſſit implere decem legis præcepta per ſua naturalia.

DVBITATIO PRIMA.

Quid cenſeant hæretici veteres, itémque recentiores de hac difficultate, & Catholici.

Pelagianorum error. PELAGIANI docuerunt antiquitus mandata decalogi poſſe obſeruari cum ſolo Dei concurſu generali, ab homine conſtituto in ſtatu naturæ corruptæ, nedum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum modum ſpectata; voluerunt enim hominem poſſe conſequi vitam æternam, ſinè vllo ſpeciali Dei ſubſidio. Lutherani verò, & Caluiniſtæ in eo ſunt errore, vt credant decalogum non poſſe obſeruari ab homine, etiam cum particulari Dei dono; vnde docent obſeruationem mandatorum eſſe impoſſibilem pro ſtatu vitæ; idque quod Deus præcipiatur diligendus ex tota anima, & ex totis viſceribus *Luc.* 10. & *Mat.* 22. certum ſiquidem eſt neminem in hac vita conſtitutum hac ratione diligere Deum, ſed potiùs res iſtas ſenſiles & caducas.

Et Lutheranorũ fundamenta.

1. Luc 10. ℣. 27. Matth. 22. ℣. 37.

Deinde, extat præceptum de non concupiſcendo, *Exod.* 20. & tamen concupiſcentia ſuam vim exequitur in viris etiam ſanctiſſimis, vt conſtat ex Paulo Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius.*

2. Exod. 20. ℣. 37. Rom. 7. ℣. 23. & 24

Denique, dilectio inimici eſt in præcepto, *Matth.* 5. & tamen vix eſt aliquis qui diligat inimicum vrgente præſertim & durante inimicitia.

Matth. 5. ℣. 44.

CONCLVSIO 1. *Citra impietatem dici nequit omnia & ſingula Dei mandata collectiuè ſpectata poſſe obſeruari ab homine ſinè vllo gratuito Dei dono, pro eo tempore quo agit in ſtatu naturæ corruptæ.* Primùm, quia res hæc videtur definita in Concil. Arauſican. II. Mileuitano, & Trid. ſeſſ. 6. ſupra relat. *Non poteſt obſeruari tota lex abſque auxilio Dei.*

Deinde, medium debet eſſe eiuſdem ordinis cum fine: atqui obſeruatio mandatorum collectiuè ſpectata cenſetur eſſe medium ordinatum ad vitam æternam obtinendam, ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata:* Ergo tam verè debet eſſe hæc ordinis ſupernaturalis, quàm vita æterna: quare non poteſt dari in nobis obſeruatio iſta decalogi ſinè aliquo particulari Dei auxilio.

Matt. 19. ℣. 17.

CONCLVSIO 2. *Citra impietatem defendi nequit præcepta Decalogi non poſſe ab homine obſeruari cum ſpeciali Dei auxilio conſtituto in hac vita: quare neque dici poteſt mandata Dei eſſe impoſſibilia reſpectu hominis degentis hac in vita.* Primùm, quia res hæc eſt expreſſe definita in Trident. ſeſſ. 6. can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta, homini etiam iuſtificato, & ſubgratia conſtituto eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, anathema ſit.* & capit. 11. eiuſdem ſeſſ. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.*

Impium eſt aſſerere, non poſſe legem neque dici poteſt mandata Dei eſſe impoſſibilia reſpectu obſeruari cum auxilio. Trident.

Deinde, obſeruatio mandatorum dicitur in ſacris literis non grauis, 1. Ioan. 5. *Et mandata eius grauia non ſunt*, & Matth. 11. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

Ioan. 5. ℣. 3. Matt. 11. ℣. 30.

Tertiò, de mandatis decalogi, *Deuter.* 30. aſſeritur quod non ſunt ſupra nos, neque procul à nobis poſita, neque in cœlis ſita, ſed eſſe in manu cuiuslibet noſtrûm, imò particula iſta vltima legitur Eccleſ. cap. 15.

Deut. 30. ℣. 11. & 12. Eccleſ. 15. ℣. 14.

Quartò, ſancti Patres hæreſim Caluinianam & Lutheranam verbis expreſſis damnant: Hieronymus ſiquidem ad cap. 5. Matth. ad hæc verba, *Diligite inimicos veſtros: Multi*, inquit, *præcepta Dei imbecillitate ſua non viribus ſanctorum æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt:* & paucis interiectis. *Sciendum eſt Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta*, & D. Auguſt. lib. de natura & gratia, cap. 43. *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*, & Chryſoſt. homil. 7. de laudibus D. Pauli Baſilius in regulis Monachorum, regula 44.

Mat. 5. ℣. 44. Hieron. D. Aug. D. Baſil.

Denique, ſequeretur hominem peccando non peccare: at contendunt hæretici obſeruationem decalogi eſſe homini impoſſibilem, etiam cum ſpeciali Dei auxilio: ergo nullus planè peccaret prætermittendo obſeruationem iſtorum mandatorum.

Ad rationes verò contrarias, ſunt qui dicant, AD 1. hominem obligari illo præcepto ad eliciendum actum intenſiſſimum dilectionis Dei. Cæterùm minùs rectè, indubitatum enim eſt dilectionem Dei in cœlis non eſſe intenſiſſimam in omnibus beatis: cùm fides doceat Sanctorum felicitatem eſſe inæqualem, & tamen felicitas hæc poſita eſt ſaltem partialiter in dilectione Dei ſuper omnia. Accedit, dilectionem viatoris poſſe eſſe magis intenſam, quàm ſit comprehenſoris alicuius; quis enim negauerit quin diua Virgo conſtituta in hac vita magis dilexerit Deum, quàm faciat ille paruulus infans, qui ſtatim à ſuſceptione baptiſmatis donatur beatitudine æterna.

Diruuntur hæreticorum fundamenta

Denique, cultoribus iſtius præcepti promittitur vita æterna Ioan. 14. Ergo præceptum hoc potuit obſeruari in hac vita, in qua tamen non datur dilectio intentiſſima Dei.

Dico ergo hominem obligari præcepto iſto ad diligendum Deum ſuper omnia appretiatiuè non autem intenſiuè, quod nullo negotio fieri poteſt cùm ſpeciali Dei auxilio; tunc enim diligitur Deus ſuper omnia appretiatiuè, quando quis dilectionem Dei præponit dilectioni cuiuslibet rei creatæ; ità vt poſito caſu in quo creatura occurrit diligenda, & Deus, dilectio Dei retinetur & reſpuitur amor creaturæ.

2. Ad 2. Reſpond. Probare concupiſcentiam eſſe prohibitam in ordine ad aſſenſum voluntatis noſtræ liberæ, ità vt vetetur tantùm illo præcepto, ne quis extra ſtatum coniugalem aſſentiatur motibus concupiſcentiæ. Teſtimonium verò Pauli citatum tantùm probat dari in viris etiam ſanctiſſimis rebellionem partis inferioris contra ſuperiorem: hæc tamen rebellio, ſiue deordinatio nulli imputatur ad culpam, relicta ſiquidem eſt ad agonem, vt tradit Trident. ſeſſ. 6. etiam in renatis per baptiſmum: habet ergo rationem culpæ tantùm, quando coniungitur cum libero voluntatis aſſenſu.

Vltim. Ad vltim. Reſp. dilectionem inimici eſſe quàm maximè difficilem & ſpinoſam; difficultas tamen iſta facilè tollitur in nobis, per Dei gratiam ſpecialem, quæ datur omnibus & ſingulis in eo caſu in quo præceptum hoc occurrit obſeruandum, niſi per illos ſtet.

DVBITATIO SECVNDA.

An homo in ſtatu naturæ integræ conſtitutus cum ſolo concurſu Dei generali, poſſit omnia Decalogi præcepta nedum diſtributiuè ſed etiam collectiuè ſpectata obſeruare, & hoc ſinè gratuito Dei dono.

Partis negantis argumenta. Concil. Araſican. D. Auguſt.

SVNT qui velint partem negantem eſſe veriſſimam: Concilia enim & Patres putant de homine producto à Deo, quòd non potuerit perſeuerare in ea perfectione, qua fuit ab ipſo productus, ſinè eius adiutorio: ità Concil. Araſicanum II. can. 19. *Natura*, inquit, *humana etiam ſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adiuuante, ſaluaret. Vnde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia, poterit reparare, quod perdidit?* Idem habet D. Aug. cap. 11. lib. de corrept. & grat.

2. Deinde, ſunt qui autument hominem non poſſe ſinè ſpeciali Dei concurſu, vllum planè bonum opus morale exercere, ſaltem in ſtatu naturæ corruptæ: ergo neque etiam in ſtatu naturæ integræ, ſine ſpeciali Dei auxilio poterit aliquis vllum planè præceptum diuinum & naturale facere.

3. Denique, ſi in ſtatu naturæ integræ potuiſſet quis omnia Dei præcepta ſinè ſpeciali Dei gratia obſeruare, poſſet etiam hic ſinè eiuſdem auxilio ad gratiam iuſtificantem infallibiliter obtinendam ſe præparare; eſt enim obſeruatio mandatorum omnium, diſpoſitio infallibilis ad gratiam habitualem ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Sequeretur præterea

Matth. 19. v. 17.

A hominem perſeuerare in iſtis bonis operibus ad finem vſque vitæ, ſinè vllo peculiari Dei dono; fierèenim potuit, vt toto illo tempore quo debuit in hac vita verſari, teneretur tantùm ad obſeruationem mandatorum decalogi; at quælibet ex iſtis illationibus eſt contra Concil. & contra rectam rationem, quæ aſſerit medium ordinatum ad finem aliquem debere eſſe eiuſdem rationis & ordinis cum ipſomet fine; vita autem æterna eſt ordinis ſupernaturalis, & item gratia gratum faciens: obſeruatio verò mandatorum decalogi tota eſt ordinis naturalis; nihil quippe præcipitur in illo quod non ſit iuris naturalis, ex communi doctrina: Ergo homo in ſtatu naturæ B integræ non poſſet omnia præcepta decalogi obſeruare. Ità Vazq. diſputat. 189. 190. & 193.

CONCLVSIO 1. *Homo in ſtatu naturæ integræ potuit ſinè ſpeciali Dei auxilio, ac proinde potuit cum ſolo concurſu generali omnia præcepta Decalogi ſimè totam adimplere, etiam collectiuè ſpectata.* Aduerte, præcepta decalogi tunc temporis ſpectari collectiuè, quotieſcumque ità inter ſe comparantur, vt vnum dicat ordinationem ad aliud: diſtributiuè verò, quando quodlibet ex iſtis ità in particulari conſideratur, vt nullum dicat ordinem ad quodlibet aliud præceptum.

Homo reſtus legem impiere abſque gratia.

Iam verò probatur Concluſio. PRIMÙM, quia aliter concedendũ eſſet de homine cõſtituto in ſtatu naturæ integræ, quòd non potuiſſet non peccare cõtra præcepta decalogi ſinè ſpeciali Dei beneficio: at illatio iſta defendi nequit: nam ex doctrina S. Th. art. 2. huius quæſt. homo conſtiturus in ſtatu naturæ integræ habuit vim exercendi omnem actum ſibi conuenientem, & naturaliter proportionatum; at obſeruatio præceptorum decalogi etiam collectiuè ſpectata eſt actus proportionatus naturæ humanæ agenti in ſtatu naturæ integræ; conuenit enim inter authores decem præcepta decalogi præcipere tantùm actus ordinis naturalis; imò ſunt qui dicant communiter decalogi mandata eſſe in præcepto tantùm ſecundum ſuam D ſubſtantiam, qua ratione contendimus mandata iſta poſſe obſeruari ab homine in ſtatu naturæ integræ.

Probatio prima.

Deinde, non eſt negandum homini conſtituto in natura integra, quod conceditur ceteris omnibus alijs rebus naturalibus: at ceteræ res naturales cum ſolo concurſu generali attingunt effectum ſibi connaturalem, idque quòd earum natura ſit ſana & integra; ergo idem præſtare poterit qui naturam integram habuerit in ordine ad præceptorum obſeruationem. 2.

Denique, ratio propter quam D. Thom. in hoc art. contendit hominem in ſtatu naturæ corruptæ conſtitutum non poſſe ſine ſpeciali Dei dono mandata collectiuè ſpectata obſeruare, eſt; quia E natura humana per peccatum primorum parentum, fuit læſa & deprauata: at in ſtatu naturæ integræ nulla datur læſio, nulla imperfectio, nulla infirmitas; nomine enim naturæ integræ, nihil aliud intelligitur, quam natura humana ſinè peccato vllo, & item ſinè gratia ordinis ſupernaturalis, habens tamen omnem omnino perfectionem ſibi debitam naturaliter: ergo. 3.

Effugium. Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, non eſſe parem rationem inter hominem, & cetera agentia naturalia; hæc enim ſunt ad vnum determinata: quare ſatis eſt iſtis con-

curſus generalis, vt conformiter ſuæ naturæ operentur; homo verò cenſetur eſſe liber, & per conſequens indeterminatus ad bonum & malum: vt ergo determinet ſe potiùs ad bonum quàm ad malum operandum, eget hic ſpeciali Dei auxilio. Ità Vazq. citatus.

Præcluditur. Ceterùm reſponſio hæc facilè reijcitur; nam vel ſpeciale hoc Dei auxilium eſt ſimpliciter neceſſarium homini conſtituto in ſtatu naturę integræ ad bene operandum; vel vtile tantum: ſi primum, ſequitur auxiliũ hoc non poſſe dici ſpeciale, reſpectu hominis agentis in ſtatu naturæ integrę; de ratione enim iſtius naturæ eſt, vt habeat vim, & omne præſidium neceſſariũ ad conformiter ſuę naturę operandum; quare auxilium hoc debetur homini ex ſe & ſua natura. Si autem dicatur ſecundum, colligitur euidenter hominem in ſtatu naturę integrę poſſe bene moraliter operari, etiam collectiuè, quodlibet bonum opus morale, ſinè ſpeciali Dei dono. In hac ſententia ſunt D. Thom. hoc loco, & Mag. diſt. 24. & 28. lib. 2. & interpretes D. Thomæ communiter.

Satisfit rationibus partis negantis. Ad rationes verò contrarias reſp. Ad 1. ex loco Concilij Arauſicani, & D. Auguſt. ſolùm poſſe colligi, ſolum hominem creatum in iuſtitia originali, & in donis fidei, ſpei, & charitatis, & gratię gratum facientis, non poſſe in iſtis perſeuerare, neque item actus huiuſmodi virtutum exercere longo, ac diuturno tempore, aut, vt alij loquuntur collectiuè, ſinè peculiari Dei beneficio: loquitur quippe Arauſicanum de integritate data homini in ſua creatione, quæ perficiebat hominem nedum reſpectu finis naturalis; ſed etiam ſupernaturalis: ac proinde non eſt mirum ſi aſſerat hominem non potuiſſe perſeuerare in iſta integritate, ſine ſpeciali Dei auxilio; nos autem loquimur hoc loco de integritate humanę naturę, reſpectu finis tantummodò naturalis, contendimúſque finem hunc potuiſſe obtineri ab homine cum ſolo concurſu generali.

2. Ad 2. docuiſſe nos art. 1. huius quæſt. hominem etiam in ſtatu naturę corruptę degentem, potuiſſe aliquod bonum opus exercere, ſinè ſpeciali Dei ſubſidio: ergo in ſtatu naturæ integræ poterit hic idem multa bona moralia exercere ſinè auxilio Dei gratuito.

Vlt. Ad vltimam, negando vtramque illationem maioris propoſitionis: primam quidem, quia obſeruatio mandatorum in ſtatu naturę integrę non fuiſſet diſpoſitio infallibilis ad gratiam iuſtificantem, aut ad vitam æternam aſſequendam, ſicut exiſtit in ſtatu naturæ corruptæ; nam ſupponimus hominem in ſtatu naturę integrę, operari conformiter præceptis Decalogi collectiuè ſpectatis, cum ſolo concurſu vniuerſali, & nulla ratione cum ſpeciali; quare obſeruatio iſta mandatorum tota eſſet naturalis; naturale autem non eſt diſpoſitio ad rem ſupernaturalem, cùm non ſit eiuſdem ordinis cum re ſupernaturali. Secunda verò illatio ideò negatur, quia in ſtatu naturæ integræ ſi ex hypotheſi daretur, homo nedum eſſet ordinatus in finem naturalem, ſed etiam ſupernaturalem, & conſequenter data quoque eſſent homini præcepta aliqua ordinis ſupernaturalis obſeruanda; quæ tamen non poterat homo adimplere ſinè ſpeciali Dei præſidio.

Cùm autem diximus hominem in ſtatu naturæ integræ ſinè auxilio ſpeciali potuiſſe omnia præcepta Decalogi adimplere, hoc venit intelligendum de obſeruatione mandatorum ſecundum ſubſtantiam operis tantùm; non autem ſecundum modum, ſeu, ſecundum intentionem Dei præcipientis, & ordinantis ad felicitatem conſequendam; hac enim ratione certum eſt hominem in nullo planè ſtatu potuiſſe obſeruare Dei præcepta ſinè concurſu ſpeciali.

DVBITATIO VLTIMA.

An poſſit homo in ſtatu naturæ corruptæ obſeruare Dei mandata collectiuè ſpectata ſinè peculiari eiuſdem auxilio.

CONCLVSIO *negatiua.* Primò, quia id dicitur verbis expreſſis in Concilio Mileuitan. II. cap. 4. *Quiſquis*, inquit, *dixerit, eamdem gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipſam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præſtari, vt legem ſinè quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.* Concil. Mileuitan. *Nequit homo corruptę collectiuè obſeruare totam legem ſinè gratia.*

Euaſio. Reſpondent authores contrariæ ſententię hæc intelligenda eſſe de præceptis ordinis ſupernaturalis, inter quæ non computantur mandata Decalogi; hæc enim omnia ſunt ordinis naturalis. Probant ex verbis iſtius Canonis: *Quia per ipſam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum.* Deinde, quia poſtea Concilium confirmat quod definierat ex illo Pauli 1. Corinth. 8. *Scientia inflat, charitas verò edificat, valde impium eſt, vt credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti; ad eam quæ edificat non habere, cùm ſit vtrumque donum Dei.* 1. Cor. 8. verſ. 1.

Præcluditur. Ceterùm reſponſio hæc facilè reijcitur; præcepta ſiquidem Decalogi dicuntur hoc in loco reuelata, non quidem ſimpliciter, quaſi aliter intelligi ab homine non poſſint ſinè ſpeciali Dei reuelatione; ſed quia Iudæis fuerint data per Moyſen, & quidem præmonente & imperante Deo, vt conſtat ex cap. 20. Exodi. Deinde, potuiſſet Concil. Mileuitanum de iſta mandatorum obſeruatione affirmare, quòd pendeat à charitate: hæc enim eſt quæ ſuauem & facilem reddit Decalogi obſeruationem. Denique, hoc verbis expreſſis dicit de intelligendis, & expetendis à nobis, nulla facta diſtinctione inter ea, quæ ſunt ordinis naturalis, & ſupernaturalis: argumento igitur eſt Concilium intelligendum eſſe de mandatis non ſolum ſupernaturalibus, ſed etiam naturalibus, qualia ſunt precepta Decalogi. Confirmatur. Præcepta Decalogi tam verè docent quæ ſunt agenda, & quæ vitanda, quàm faciant illa à Deo inſpirata & reuelata: ergo ſi hæc non poſſunt obſeruari ſinè ſpeciali Dei dono, idem erit dicendum de præceptis decalogi collectiuè ſumptis: hæc namque ſunt media quædam reuelata à Deo ad finem ſupernaturalem conſequendam.

2. *Probatio Concluſionis.* Deinde, probatur Concluſio ex can. 5. Concilij proximi adducti. *Placuit*, inquit, *vt quicumque dixerit ideò nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum arbitrium iubemur, facilius per gratiam implere poſſimus, tamquam etiamſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſinè illa implere diuina mandata: anathema ſit.* Loquitur autem de mandatis Decalogi: vterque ex iſtis duobus Canonibus refertur in Concil. Arauſicano II. cap. 79. & 80. Fauent præterea Pontifices Maximi, Celeſtinus primus in epiſtola ad Epiſco-

Digitized by Google

Pos Gallię. Innocent. epiſt. 92. 93. & 94. quæ eſt ad Hilarium Arelatenſis Eccleſię Epiſcopum, & quam refert D. Auguſt. epiſt. 95.

D. Auguſt.

Ratio Concluſionis.

Accedit ratio D. Thom. propterea enim hic contendit in corpore huius art. præcepta Decalogi non poſſe obſeruari ſinè ſpeciali Dei auxilio collectiuè ſpectata; quia ad obſeruationem iſtorum mandatorum deſideratur ſanitas, & integritas humanæ naturæ, quæ tamen non datur in nobis pro ſtatu naturę corruptę, etiamſi informemur gratia gratum faciente, cùm maneat adhuc deordinatio partis inferioris, quæ allicit & mouet vnumquemque noſtrûm ad operandum contra præſcriptum rectę rationis: quare vt difficultas iſta tollatur, vel potius ſuperetur, deſideratur

Trident.

ſpeciale Dei auxilium, vt dicitur in Trident. ſeſſ. 6. cap. 13. *Formidare enim debent, ſcientes quòd in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia, Apoſtolo obtemperent dicenti, Debitores ſumus non*

Rom. 8. verſ. 12. & 13.

carni, vt ſecundum carnem viuamus; ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: quo loco docet Concilium renatos & iuſtificatos per baptiſmum, non poſſe perſeuerare in bonis operibus, & in mandatorum obſeruatione ſinè peculiari aliquo

D. Thom.

Dei auxilio. Hæc Concluſio traditur à D. Thom. verbis expreſſis hoc loco.

Obiectio 1. Deut. 30. verſ. 11.

Obijciunt authores contrarię ſententię. Deuter 30. dicitur de præceptis Decalogi, quòd non ſunt à nobis procul poſita, id eſt, quod in poteſtate cuiuſlibet noſtrûm ſit ea adimplere.

Solutio.

Reſpondet Abulenſis ad hunc locum, teſtimonium hoc probare tantùm intelligentiam mandatorum Decalogi poſitam eſſe in poteſtate cuiuſlibet noſtrûm, minimè verò obſeruationem eorumdem; de hac enim re nihil planè habet Moyſes illo loco; & licèt daremus locum hunc intelligendum eſſe de obſeruatione mandatorum, non tamen propterea poſſunt authores iſti aliquid contra noſtram ſententiam probare: nam præcepta dicuntur eſſe facilia, quoad obſeruationem dependenter ab auxilio Dei, quod omnibus & ſingulis datur ad hoc vt adimpleantur, quando incumbit neceſſitas ea obſeruandi.

Obiectio 2. Eccleſ. 15. verſ. 14. 15. & 16.

Obijcies 2. illud Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua, ſi voluerit mandata ſeruare, conſeruabunt te.*

Solutio.

Reſpondet D. Auguſt. lib. 1. hypognoſticon & recentiores, teſtimonium prædictum intelligendum eſſe de homine conſtituto in illo eodem ſtatu, in quo fuit à Deo procreatu; non autem de agentibus in ſtatu naturæ corruptę: ſunt etiam qui dicant ex his verbis tantùm colligi dari liberum arbitrium, cuius eſt ſeruare præcepta Decalogi; ceterùm cum ſpeciali Dei auxilio, ſi ſermo ſit de præceptis iſtis collectiuè ſumptis.

Obiectio 3. Rom. 2. verſ. 14.

Obijcies 3. illud Pauli Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt.*

Solutio.

Reſpond. primò, hæc intelligenda eſſe de natura per gratiam Chriſti reparata; non autem relicta in peccato, aut etiam in deformitate contracta per peccatum primorum parentum.

2.

Reſpond. 2. particulam iſtam naturaliter excludere tantùm legem ſcriptam, ſeu, quod idem eſt, Moſaïcam; ità vt velit Paulus nonnullos ex gentilitate conuerſos ad fidem Chriſtianam, etiamſi nihil audiuiſſent de lege Moſaïca, obſeruare tamen præcepta Decalogi: ceterùm cum auxilio quod datur vnicuique à Deo. Bellar. lib. proximè cit. ſentit locum hunc eſſe intelligendum de mandato particulari Iudæis tradito; non autem de decem præceptis Decalogi. Thomiſtæ etiam plerique putant intelligi, aliquod præceptum legis Moſaïcę fuiſſe obſeruatum à gentibus ſinè ſpeciali Dei auxilio.

Obiect. vlt.

Obijcies vltimò. Si ſpeciale Dei auxilium eſſet neceſſarium ad Decalogi obſeruationem collectiuè ſpectatam, ſequeretur Deum, vt eſt author naturę præcipere aliqua impoſſibilia; nam non confert Deus, vt ſic præſidium neceſſarium ad Decalogi obſeruationem; atqui illatio iſta damnatur in Concil. Trident. ſeſſ. 6. dicitur enim illic anathema illis omnibus, qui docent Deum præcipere aliqua impoſſibilia.

Solutio.

Reſpond. negando illationem maioris propoſitionis: nam ex D. Thom. in reſponſione ad 2. huius art. ſufficit ad hoc vt aliquod præceptum deſinat eſſe impoſſibile, quòd poſſit huiuſmodi præceptum à nobis impleri cum ſpeciali Dei ſubſidio; certum autem eſt Deum conferre auxilia ſufficientia ad mandatorum Decalogi obſeruationem; dicitur enim Apoc. cap. 3. *Ecce ſto ad*

Apocal. 3. verſ. 20.

oſtium, & pulſo: imò D. Paul. cap. 4. ad Philip. ait, *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* loquitur

Philipp. 4. verſ. 13.

autem de gratia Chriſti, media quæ docet ſe morem geſſiſſe præceptis quibuſuis ſibi impoſitis. & alibi, *Plus*, inquit, *omnibus laboraui, non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum.* Ad probationem autem dico, Deum, vt eſt author naturæ, non conferre auxilia neceſſaria ad Decalogi obſeruationem; non tamen inde licet colligere impoſſibilem eſſe mandatorum obſeruationem collectiuè ſumptam; quia ad vitandum illud incommodum, ſatis eſt, vt Deus de communi lege conferat auxilia neceſſaria ad iſtam obſeruationem, vel, vt eſt author naturæ, quod feciſſet in ſtatu naturæ integræ: vel vt eſt author gratiæ, quod facit pro ſtatu in quo verſamur. Ità Curiel, & plerique recentiores hoc loco.

Replica.

Inſtabis, ſi Deus crearet hominem in puris naturalibus, teneretur hic ad obſeruationem Decalogi: ergo deberetur quoque huic ex vi iſtius legis præſidium neceſſarium ad obſeruandum Decalogum.

Diſſoluitur.

Nego conſequutionem; ſatis enim eſſet ſi vel ex eo capite, vt Deus eſt author naturæ, vel gratiæ daretur homini iſti auxilium ad Decalogum obſeruandum, vt videtur colligi ex ijs quæ habet S. Thom. hoc articulo.

Corollariũ.

Ex iſtis colligo, hominem in ſtatu naturæ corruptæ non poſſe omnia præcepta Decalogi collectiuè ſpectata obſeruare, etiam ad breue tempus, ſinè ſpeciali Dei munere: diximus enim ſanitatem integram & perfectam deſiderari in nobis ad præceptorum Decalogi obſeruationem. Deinde, diximus in antecedentibus dilectionem Dei ſuper omnia non poſſe habere locum in nobis ſinè ſpeciali dono pro eo ſtatu in quo verſamur: ergo illud idem erit aſſerere, de præceptorum Decalogi obſeruatione; hæc enim virtute continetur in Dei dilectione ſuper omnia, ex illo Pauli, *Plenitudo*

Rom. 13. verſ. 10.

legis eſt dilectio; imò hoc videtur etiam dicendum de eo qui agit in gratia & in charitate; nam ſi obſeruatio Decalogi collectiuè ſpectata ad breue tempus eſſet neceſſariò coniuncta cum gratia & charitate, ità vt non poſſet hæc ſeparari ab eadem, ſequeretur conſtitutũ in gratia gratum faciente,

nedum

nedum poſſe perſeuerare per breue tempus in mandatorum obſeruatione, ſed etiam ad finem vſque vitæ: at Concil. Trident. ſeſſ. 6. definit neminem poſſe perſeuerare ad vltimum vitę ſpiritum in gratia & bonis operibus ſinè ſpeciali Dei auxilio, quod diſtinguitur proinde à gratia gratum faciente, ſi non realiter, ſaltem ratione: ergo.

Moneo tamen hæc intelligenda eſſe de mandatorum obſeruatione affirmatiua, qualis eſt ea, per quam opus quod eſt in præcepto verè à nobis adimpletur: ſi autem ſermo ſit de obſeruatione mandatorum negatiua, hæc dari poteſt ad breue tempus, ſinè peculiari Dei dono; datur autem hæc in nobis quotieſcumque mandata adimplemus, quæ non præcipiunt aliquid agendum, ſed omittendum; omiſſio autem iſta nullo negotio poteſt locum habere in nobis, vel quia nulla occurrit violenta perturbatio, quæ nos mouear ad agendum contra præceptum, vel quia non occurrit tempus in quo obligant huiuſmodi præcepta.

ROGABIS, *Quodnam ſit illud auxilium quod eſt neceſſarium ad mandatorum Decalogi obſeruationem.* Nonnulli recentiores putant auxilium hoc eſſe ordinis naturalis; idque quod in toto planè Decalogo nihil præcipiatur quod non ſit ordinis naturalis; Deus autem non confert auxilia ſupernaturalia ad ea quæ ſunt ordinis naturalis exequenda.

Auxilium neceſſarium eſt ſupernaturale.

Ceterùm rectiùs illi qui putant auxilium hoc verè eſſe ſupernaturale; nam obſeruatio mandatorum Decalogi aſſumpta eſt à Deo ad vitam æternam obtinendam, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Confirmatur: Medium & finis ſunt eiuſdem ordinis: ergo obſeruatio mandatorum erit ordinis ſupernaturalis, cùm ſit medium ordinatum ad felicitatis perpetuæ adeptionem.

Matth. 19. verſ. 17.

Ad rationem verò contrariam. Reſpond. obſeruationem mandatorum Decalogi eſſe naturalem, ſi ſpectetur hæc tantùm ex ſuo obiecto; ſecus verò ſi attendatur, quemadmodum venit conſideranda, pro ſtatu naturę corruptę ſecundum Dei obſeruationem; ac proinde cùm obſeruatio iſta reſpiciat vitam æternam, & ſit in nobis dependenter à meritis Chriſti erit ſupernaturalis, quæ proinde auxilium ſupernaturale exigit.

Nullus poteſt mereri vitam æternam.

ARTICVLO 5. docet neminem poſſe mereri vitam æternam ſinè gratia, quod eſt manifeſtum; ſuppoſitis tamen illis quę dicemus in quæſt. de merito. Deinde, quia fatentur omnes tria eſſe neceſſaria ad meritum de condigno, ſtatum viæ, libertatem, & denique gratiam gratum facientem.

Nullus poteſt ſe diſponere ad gratiam iuſtificantem.

ARTICVLO 6. aſſerit neminem poſſe ſe diſponere ad gratiam iuſtificantem obtinendam, ſinè peculiari Dei dono, quæ doctrina pertinet ad documenta fidei Catholicę; definita enim eſt in Concil. Arauſicano II. & Trident. cap. 5. ſeſſ. 6. dicitur ſiquidem illic initium noſtræ ſalutis eſſe à Deo, & ſeſs. 16. cap. 4. definit contritionem imperfectam (quæ cenſetur eſſe diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem) eſſe donum Dei. Deinde, idem colligitur ex Pſal 58. *Miſericordia eius præueniet me.* Denique, ratio hoc ipſum ſuadet; diſpoſitio namque ad formam aliquam debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma: at gratia iuſtificans eſt ordinis ſupernaturalis, & ideò nuſquam datur ſinè dependentia ab aliquo auxilio ſupernaturali: ergo idem erit dicendum ad iſtam formam aſſequendam.

Pſal. 58. verſ. 11.

Obijciunt aliqui, qui cum Semipelagianis in contraria verſantur ſententia, opera bona moralia tantùm eſſe diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem, vt videtur colligi ex illo Danielis 4. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* & Tob. 4. *Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat:* at bona iſta moralia poſſunt fieri à nobis ſinè Dei ſpeciali dono, ſaltem interdum & aliquando, ex dictis art. 1. huius quæſt. *Obiectio 1.* Daniel. 4. verſ. 24. Tob. 4. verſ. 11.

Reſpond. eleemoſynas nuſquam conducere ad iuſtificationem, aut ad vitam æternam; niſi fuerint factæ cum peculiari Dei concurſu, ex doctrina communi ſanctorum Patrum. Vnde docent multi de Nabuchodonoſor, quod opera eiuſdem moralia commemorata, debuerint eſſe coniuncta cum penitentia, ad hoc vt eſſent illi ſalutaria. *Solutio.*

Obijciunt 2. illud Actorum 10. de Cornelio cuius orationes & eleemoſynæ dicuntur aſcendiſſe cœlos. *Obiectio 2.* Actor. 10. verſ. 4.

Reſpond. Cornelium eo tempore fuiſſe iuſtificatum, ex quorumdam interpretum ſententia: maximè verò S. Thom. eo in loco: imò D. Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum contendit operationes iſtas non habuiſſe ortum à Cornelio ſinè gratia aliqua ſpeciali diuina. *Solutio.*

Obijciunt denique, Prouerb. 16. hominis eſſe præparare animam ſuam. *Obiectio 3.* Proue. 16. verſ. 1.

Reſpond. cum D. Auguſt. lib. 2. ad Simplicianum, præparationem iſtam nullum habere locum in nobis ſinè gratuito Dei dono; locutio verò iſta; hominis eſt præparare animam ſuam, indicat libertatem quæ datur in nobis, ac per conſequens, & cooperationem noſtram liberam, cum qua bona quælibet tam moralia naturalia, quàm ſupernaturalia vnuſquiſque noſtrûm exercere debet, ad hoc vt ad vitam æternam ſe conferat, aut etiam ad primam gratiam conſequendam. *Solutio.*

Aduerte, eſſe qui dicant actiones etiam factas ſinè ſpeciali Dei dono eſſe diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem obtinendam, non quidem proximas, ſed tantùm remotiſſimas, idque quòd non ſint eiuſdem ordinis cum gratia iuſtificante, quæ ratio loquendi non eſt ſimpliciter damnanda, propter eorum authoritatem, qui ità loquuntur. Rectiùs tamen illi qui docent non eſſe diſpoſitiones, & id propter cauſas adductas in confirmationem doctrinę D. Thomę: quare dicendum eſt de illis qui faciunt bona iſta moralia opera, non ità eſſe indiſpoſitos ad gratiam iuſtificantem, ſicut illi in quibus nulla dantur bona opera moralia: non quòd in illis ſint aliquæ diſpoſitiones, ſed quòd non ſint tot impedimenta.

ARTICVLO 7. docet hominem non poſſe reſurgere à peccato ſinè ſpeciali Dei auxilio, quæ res videtur definita in Concil. Mileuitano, Arauſicano II. & Trident. ſeſs. 6. cap. 5, & ſeſs. 6. cap. 4. Deinde, hoc ipſum confirmant Scripturæ, Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* & Pſal. 40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* & Hierem. 17. *Sana me, Domine, & ſanabor.* Tertiò, iuſtificatio cuiuſlibet tribuitur meritis Chriſti, *Rom.* 3. *Galat.* 2. & alibi ſæpe: at iuſtificatio nihil aliud eſt, quàm tranſitus à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, ex Trident. ſeſs. 4. idem docent Patres quos citauimus art. 5. huius quæſt. ergo homo non poteſt à peccato reſurgere, quin fulciatur Dei gratuito dono.

Oſeæ 13. verſ. 9. Pſal. 40. verſ. 5. Ierem. 17. verſ. 14.

Digitized by Google

ARTICVLVS OCTAVVS.

An homo sinè gratia possit non peccare.

DVBITATIO PRIMA.

An homo possit in statu naturæ corruptæ vitare quodlibet peccatum distributiuè, vel collectiuè spectatum, sinè speciali Dei dono.

Potest peccator vitare aliquod peccatum mortale.

CONCLVSIO. *Homo in statu naturæ corruptæ, & commaculatus peccato mortali, potest aliquod peccatum, etiam mortale, sinè speciali Dei dono declinare: non autem omnia peccata mortalia collectiuè spectata.* Ratio prioris partis est, quia diximus art. 4. huius quæst. hominem in statu naturę corruptę posse aliquod præceptum iuris naturalis sinè speciali Dei auxilio adimplere; ratio verò posterioris est: Sancti Patres docent peccatum commissum suo pondere trahere nos ad aliud peccatum: Ità D. Augustinus de seipso: idem dicit lib. 8. Confessionum, cap 5. *Cui rei ego suspirabam*, inquit, *ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi anfulis quibusdam sibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obstrictum dura seruitus.* & Gregorius in libris Moralium: imò hoc colligitur ex illo Exodi; *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, id est, idololatrari. & ex illo Psal. 41. *Abyssus abyssum invocat.*

D. Augustinus. Gregor. Exod. 32. vers. 6. Psal. 41. vers. 8.

Deinde, hoc idem comprobatur ex illo Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*: constitutus autem in peccato mortali censetur esse arbor mala, & ex illo 1. Timoth. 1. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum*

Matth. 7. vers. 18. 1. Tim. 1. vers. 15.

Denique, peccatum mortale censetur esse dispositio quædam ad cetera peccata mortalia committenda, vt obseruat S. Thomas de peccatis carnis, cùm agit de peccato luxurię: ergo ità docent communiter cum D. Thom. hoc loco.

Homo iustus potest multa non omnia p.m. vitare.

Addo, hominem in statu naturę corruptę, gratia exornatum posse pleraque peccata mortalia vitare, sinè vllo alio dono superaddito, non tamen omnia & singula collectiuè spectata, præsertim ad finem vsque vitę; sed desideratur ad hoc speciale Dei auxilium supra gratiam gratum facientem. Prima pars probatur ex cap. 4. ad Philipp. *Omnia possum in eo qui me confortat.* loquitur autem de Christo, & eius gratia.

Philip. 4. vers. 13.

Deinde, Spiritus sancti assistentia est satis ad quodlibet peccatum mortale in particulari spectatum, fugiendum; quod enim est minimum Dei, fortius est omnibus hominibus; quamobrem nihil est quod possit Deo resistere: at constitutus in gratia & in charitate habet Spiritum sanctum, aut saltem effectum aliquem productum à Spiritu sancto, Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Rom. 5. vers. 5.

Denique, qui habet gratiam gratum facientem suis actionibus liberis & honestis promeretur vitam æternam, satisfacit præceptis sibi impositis, & demum censetur esse gratus Deo formaliter: ergo poterit etiam peccata mortalia distributiuè spectata sinè vllo Dei peculiari dono euitare.

Confirmatur. Charitas satis est, seu gratia gratum faciens ad quodlibet præceptum naturale aut supernaturale adimplendum, distributiuè spectatum: ergo satis quoque erit hæc eadem ad vitanda quælibet peccata mortalia; qui enim adimplet præcepta sibi imposita, hic nullam contrahit culpam moralem, vt patet.

Secunda verò pars huius documenti probatur, ex Trident. sess. 6. can. 22. dicitur enim illic anathema illis omnibus, qui aiunt hominem perseuerare posse in bonis operibus, & in gratia ad vltimũ vsque vitæ spiritum sinè gratuito Dei dono; gratia autem, seu charitas non censetur esse huiusmodi speciale auxilium, quia hæc confertur prædestinatis & reprobis, vnde censetur esse donum commune in ordine ad vtrosque.

Trident.

Obiectio. Obijcies, qui potest adimplere præceptum quodlibet in particulari sumptum cum gratia & charitate, poterit etiam omnia & singula Dei mandata collectiuè spectata adimplere: ergo & idem erit dicendum de fuga quorumcumque peccatorum mortalium. Nego consequutionem: sicut enim is ineptè concluderet, Socratem v. g. posse simul pugnare & expugnare Petrum, Ioan. & Martinum, quòd posset cum quolibet ex istis seorsim sumpto pugnare & deuincere; maior quippe vis desideratur ad hoc vt aliquis possit tres istos collectiuè sumptos debellare, quàm adsuperandum quemlibet istorum; ità maius robur desideratur ad hoc vt quis possit omnia & singula peccata vitare collectiuè sumpta, quàm ad vnum, aut aliud.

DVBITATIO SECVNDA.

An constitutus in gratia pro statu naturæ corruptæ possit sinè speciali fauore omnia & singula peccata venialia ad finem vsque vitæ declinare.

CONCLVSIO. *Talis homo sinè superaddito Iustus potest auxilio vitare potest pleraque peccata venialia, plura p.v. non autem omnia & singula ad finem vsque vitæ.* De prima parte non est ambigendi locus; dixi enim dubio antecedenti constitutum in gratia, etiam pro statu naturæ corruptæ, posse declinare quælibet peccata mortalia distributiuè spectata: non tamen vsque ad vitæ finem. Confirmatur. Facilius saltem interdum est vitare peccatum veniale, quàm mortale: at gratia gratum faciens sufficit ad peccata mortalia vitanda distributiuè spectata, & præscindendo à termino vitæ: ergo & ad peccata venialia.

non omnia vitare.

Secunda pars definita est expressè in Concilio Trident. sess. 6. can. 23. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum, aut contrà, posse in tota vita, peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Tridentini authoritas.

Dices, Concilium nihil planè dicere de distinctione istius auxilij specialis cum gratia gratum faciente.

Respond. de hac re nihil habere formaliter & expressè, bene tamen virtute; nam ait auxilium hoc necessarium ad vitanda quælibet peccata venialia

Digitized by Google

nialia toto tempore vitę, ſoli Diuę Virgini fuiſſe conceſſum: gratia autem & charitas omnibus omnino iuſtis dantur.

Obiectio. Dices, ex iſtis colligi aliquem non peccare venialiter, etiamſi peccatũ veniale admittat; dixímus enim neminem poſſe vitare omnia venialia ſinè peculiari Dei priuilegio: quod tamen ſoli Diuæ Virgini fuit collatum: nemo autem peccat in his quæ vitare non poteſt.

Solutio. Reſpondeo, auxilium efficax neceſſarium ad vitanda quælibet peccata venialia collectiuè ſpectata ſoli Diuæ Virgini fuiſſe conceſſum; ſufficiens tamen conceditur omnibus, quare nullus excuſatur à veniali commiſſo; quia cum iſto auxilio poteſt, & potuit vitare omnia illa peccata etiam collectiuè ſumpta, ac proinde homini, non Deo adſcribendæ ſunt culpę iſtę veniales.

D. Auguſt. Probatur ſecundò ex Patribus: D. Auguſtino tractatu 1. in epiſt. 1. Ioan ad hæc verba. *Si confiteamur peccata noſtra: Non poteſt homo*, inquit, *quamdiu carnem portat, non habere vel leuia peccata, ſed iſta leuia quæ dicimus, nolis contemnere. Si contemnis quando appendis, expauęſce quando numeras.* & Bernard. Bernardo ſerm. de cœna Domini: & ex Gregorio lib. 10. Moralium, cap. 4. & homil. 17. in Gregor. Euangel. & ex Beda ad hæc verba Ioann. 1. *Ecce* Beda. *Agnus Dei.*

Denique, ad omnia peccata venialia vitanda collectiuè ſpectata requiritur integritas, & ſanitas naturę, vt colligitur ex D. Thom. art. 4. huius quæſt. ait enim illic hominem in ſtatu naturę integrę conſtitutum potuiſſe adimplere omnia præcepta Dei collectiuè ſpectata: at integritas naturę non datur in nobis pro ſtatu naturæ corruptę, etiamſi agamus in gratia & in charitate; non enim deſtruit hæc, aut ligat fomitem in nobis, ſed manet deordinatio partis inferioris contra ſuperiorem; & per conſequens non poterit conſtitutus in gratia & charitate ſine ſpeciali Dei dono declinare quælibet venialia collectiuè ſpectata, poſſunt enim hæc admitti à nobis ex leui aliqua conſideratione & inaduertentia.

Obiectio. Dices, ex iſtis colligi, neminem in hac vita præter Diuam Virginem caruiſſe culpis venialibus, quod tamen videtur aduerſari illis quæ canuntur ab Eccleſia de Diuo Ioanne Baptiſta.

Antra deſerti teneris ſub annis
Ciuium turmas fugiens petiſti,
Ne leue ſaltem maculare vitam
Famine poſſet.

Et contra illud Iob. cap. 2. *In omnibus his non peccauit Iob, neque aliquid ſtultum locutus eſt*, & alibi Iob 2. verſ. 11. ait idem. *Non peccaui & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Idem 17. verſ. 2.

Solutio. Reſpond. neminem ex puris creaturis mortalibus, excepta Diua Virgine, fuiſſe immunem à venialibus pro toto illo tempore quo fuit in hac vita mortali. Primùm, quia Scripturæ neminem excuſant à leuibus culpis, Eccleſ. 7. *Non eſt homo* Eccleſ. 7. verſ. 21. *iuſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* & 1. Ioann. 1. verſ. 8. Ioann. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* & Prouerb. 24. *Septies cadit iuſtus.* & Pſal. 13. *Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad vnum*, id eſt, vt explicant aliqui ad Chriſtum per naturam, & ad Diuam Virginem per gratiam. Deinde, D. Auguſt. lib. 5. contra Iulian. cap. 9. ex eo colligit neminem peccaſſe actualiter, quòd non detur in eo peccatum originale, aut potiùs quòd peccatum originale nullum habuerit in eo locum: at inter poſteros Adę nullus hactenus extitit qui caruerit peccato originali, præter Diuam Virginem: ergo. Tertiò, ſi darentur aliqui in quibus venialia nullum habuiſſent locum, certè eſſent Apoſtoli; ex doctrina enim D. Thom. ad cap. 12. prioris ad Corinth & ad cap. 1. Epheſ. lectione 3. citra temeritatem nullus eſt qui poſſit affirmare aliquos extitiſſe ſanctiores Apoſtolis, aut conſequutos eſſe maiorem gratiam & charitatem: at peccata venialia habuerunt locum in Apoſtolis, vt colligitur ex illo Galat. 2. de D. Petro. *Reſtiti*, ipquit Paulus, *illi in faciem, quia reprehenſibilis erat, quòd non rectè ambularet ad veritatem Euangelij:* quod venit intelligendum de culpa veniali, non autem mortali; cùm fateantur omnes, Apoſtolos poſt acceptum Spiritum ſanctum nuſquam peccaſſe mortaliter, atque quòd eſſent confirmati in gratia & charitate. Denique, ad quælibet peccata venialia fugienda deſideratur vel deſtructio fomitis, vel certè colligatio eiuſdem, & ſpecialis aliqua prouidentia diuina, quæ impediat omnem inconſiderationem & inanimaduertentiam inter operandum; at hęc omnia in nullo alio fuerunt, niſi in Diua Virgine: ergo nullus ab ipſa eximitur à culpis venialibus. Galat. 2. verſ. 11.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. ex eo loco probari tantùm, D. Ioannem Baptiſtam anxiè & ſollicitè quantùm potuit tentaſſe, vt declinaret quodlibet peccatum veniale, non autem quòd de facto vitauerit; de ea enim re nihil planè dicitur. Ad 2. probare, Iob non peccaſſe vllo peccato oris; cum iſtis tamen rectè cohæret, quòd peccauerit peccato cordis aut operis; dicitur enim illic, *In his omnibus non peccauit Iob labijs ſuis:* quòd verò ſubiungitur ex eodem, probare tantùm à die illo quo ſuſtinuit tentationem à propria vxore, ad illud tempus in quo protulit, nullam contraxiſſe culpam; potuit tamen antea, & poſthac leuibus quibuſdam culpis ſe commaculare, præſertim cùm peccata venialia dicantur quotidiana.

Roqabis, *In quánam re ſit poſita natura illius auxilij ſpecialis requiſiti ad omnia peccata venialia collectiuè ſpectata declinanda.*

Respond. 1. *Eſſentiam iſtius auxilij non eſſe eamdem cum dono confirmationis in gratia*; nam donum hoc fuit in Apoſtolis poſt acceptum Spiritum ſanctum; & tamen non vitarunt propterea quælibet venialia: non eſt etiam natura huius auxilij poſita in entitate gratiæ gratum facientis, & ceterorum habituum ordinis ſupernaturalis; nam omnes iſti dantur in quibuſuis prædeſtinatis pro eo tempore in quo moriuntur, & tamen fatentur omnes, hominem prædeſtinatum poſſe mori cum actuali complacentia venialis peccati. Imò ſunt qui addant pleroſque mori in ſtatu venialis, & conſequi remiſſionem iſtius in purgatorio. Non eſt etiam poſita in ſpeciali qualibet Dei prouidentia, quam habet de homine prædeſtinato; nam diximus prædeſtinatos aliquos cum venialibus decedere. *Auxilium ſpeciale non eſt donum confirmationis.* *Auxilium ſpeciale ad vitanda p. v. conſurgit ex gratia habituali, alijs donis, & peculiari prouidentia.*

Dico, ergo eſſentiam iſtius auxilij ſpecialis conſurgere ex gratia gratum faciente, & alijs donis per ſe infuſis, & ex ſpeciali aliqua Dei prouidentia, qua fit vt nulli dentur motus deordinati in parte inferiori, nulla item inaduertentia inter operandum: Ità plerique recentiores. Deinde, idipſum ratio ſuadet; gratia namque & alij habitus ſupernaturales, qui infunduntur nobis à

Deo, pro eo tempore quo ſumus in hac vita, mouent & afficiunt hominem, ad hoc vt conformiter regulæ rectæ rationis operetur; quod videtur eſſe neceſſarium, vt quis fugiat quælibet venialia: ſpecialis autem prouidentia, quæ impedit deordinationem partis inferioris, & item inaduertentiam inter operandum ità perficit hominem extrinſecè quemadmodum alia intrinſecè, vt nulla ſequatur culpa venialis in nobis: hæc enim non aliunde poteſt oriri, niſi ex inconſideratione & ex violenta perturbatione, quæ cùm impediantur per gratiam gratum facientem, & alios habitus ſupernaturales, & per ſpecialem iſtam aſſiſtentiam, ſeu prouidentiam diuinam, ſequitur &c.

Dices, ex iſtis colligi hominem iſtum futurum impeccabilem, quod tamen videtur abſurdum fateri; poſſe ſiquidem peccare eſt ità coniunctum cum libertate creata, vt nequeat hæc ſeparari ab iſta imperfectione.

Reſpond. negando illationem antecedentis, ſaltem loquendo ſimpliciter & abſolutè; poſito namque iſto auxilio, manet creatura rationalis adhuc libera, ac proinde potens ad operandum bonum & malum; cùm libertas nedum contradictionis, ſed etiam contrarietatis, detur in omni homine pro eo tempore quo agit in via: ex hoc ergo auxilio poſito in homine, colligitur tantùm eſſe futurum impeccabilem de facto, ità vt nullam commiſſurus ſit culpam; abſolutè tamen & ſimpliciter loquendo peccare poterit, de facto verò non peccabit.

Sunt qui hoc loco quærant, *An homo in ſtatu naturæ integræ potuerit vitare qualibet venialia, etiam collectiuè ſpectata:* Ceterùm res hæc facilè intelligi poteſt ex ijs quæ diximus art. 4. huius quæſtionis.

Homo integer potuit vitare omnia peccata venialia.

Diximus enim talem hominem poſſe vitare quælibet peccata mortalia, oppoſita præceptis iuris naturalis, nedum diſtributiuè, ſed etiam collectiuè; quare illud idem dicendum eſt de venialibus oppoſitis præceptis iſtis naturalibus; debuit enim homo pro eo ſtatu habere vim ſibi connaturalem ad exercendum quemlibet actum ſuæ naturæ proportionatum, cuius generis eſt fuga cuiuſlibet peccati venialis oppoſiti præceptis naturalibus. Adiecimus autem ibidem mortalia oppoſita præceptis ſupernaturalibus, non potuiſſe vitari ab homine in eo ſtatu ſinè ſpeciali Dei auxilio: quare illud idem dicendum eſt de peccatis venialibus oppoſitis præceptis ſupernaturalibus.

ARTICVLO 9. Docet D. Thom. neminem poſſe vitam ſuam bene inſtituere ſinè ſpeciali Dei auxilio: De qua re nulla ſupereſt difficultas; nam vita noſtra non poteſt bene inſtitui, niſi fuerit ordinata in vltimum finem, ſeu quod idem eſt, in vitam æternam: at nullus eſt qui poſſit finem iſtum attingere ſinè peculiari Dei beneficio, cùm ſit hic ſimpliciter ſupernaturalis: ergo nullus poterit vitam ſuam inſtituere abſque peculiari dono.

Pſal. 85. verſ. 11. Idem 118. verſ. 35.

Confirmatur ex illo Pſalm. 85. *Deduc me, Domine, in via tua*, & Pſalm. 118. *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum.* Denique medium & finis debent eſſe eiuſdem ordinis: ergo.

ARTICVLVS VLTIMVS.

An homo in gratia conſtitutus egeat auxilio ſpeciali ad perſeuerandum ad vltimum vſque vitæ ſpiritum in accepta gratia.

PARTVR hic Articulus difficultates aliquas. Prima: Nihil impedit quominùs conſtiturus in gratia medio ſacramento baptiſmi, vel penitentiæ intrà breuiſſimum tempus ex hac vita mortali decedat: ergo ſpeciale auxilium ſuper gratiam iſtam gratum facientem, non videtur neceſſarium ad perſeuerandum vſque ad mortem in huiuſmodi gratia: ſuppono enim quòd nullæ occurrant tentationes violentæ, & ſi occurrerent, poſſint iſtæ ſuperari per ſolam gratiam habitualem; nam hæc videtur eſſe ſatis ad vitanda quæcumque peccata mortalia ex cap. 1. prioris ad Corinth. *Partis affirmantis fundamenta.* 1.

Secunda: Si auxilium ſpeciale diuinum eſſet neceſſarium, vt perſeueraret quis in gratia & in charitate, paruulis ſequeretur eſſe neceſſarium; at illatio iſta defendi nequit; cùm enim non poſſint iſti peccare pro eo tempore, fruſtra poneretur huiuſmodi auxilium in ijſdem, cùm nullum poſſet habere in ijs effectum. Confirmatur. Euchariſtia ideò non eſt medium neceſſarium ad ſalutem paruulorum, quia hæc nullum poteſt habere effectum in illis, ſaltem ſub ea ratione, qua Euchariſtia eſt aliquis cibus ſpiritualis: ergo idem erit dicendum de dono perſeuerantiæ, reſpectu iſtorum paruulorum. 2.

Vltima difficultas: hominis amicitiæ cum Deo, debetur auxilium neceſſarium ad eiuſdem conſeruationem; eſt enim de ratione amicitiæ firmitas & conſtantia: ergo perſeuerare ad vltimum vſque vitæ ſpiritum in gratia, & in charitate debetur charitati & gratiæ; nam tamdiu durat amicitia inter Deum & hominem, quamdiu charitas manet in homine: ergo perſeuerantia non poteſt dici ſpeciale donum reſpectu hominis iuſtificati nam quod conuenit alicui formæ, aut quod debetur eidem, vt ſic, non poteſt dici donum Dei ſpeciale, reſpectu ipſius formæ. *Vlt.*

CONCLVSIO. *Homini cuilibet iuſtificato præter gratiam & charitatem neceſſarium eſt ſpeciale aliquod Dei auxilium ad perſeuerandum in gratia, & in charitate ad mortem vſque.* Hæc eſt de fide, definita expreſsè in Concilio Arauſicano II. can. 10. *Adiutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono poſſint opere perdurare:* qui locus in vniuerſum de quibuſuis iuſtificatis loquitur: & in epiſt. Celeſtini I. ad Epiſcopos Galliæ, *Neminem*, inquit, *etiam baptiſmatis gratia renouatum, idoneum eſſe ad ſuperandas Diaboli inſidias, & ad euincendas carnis illecebras, niſi per donum Dei perſeuerantiam bonæ conuerſationis acceperit.* *Speciale auxilium à charitate, neceſſarium ad perſeuerandum vſque ad mortem.* Concil. Arauſican. Celeſtin. I.

Deinde, idem colligitur ex Trident. ſeſſ. 6. can. 22. *Si quis dixerit iuſtificatum, vel ſinè ſpeciali auxilio Dei, in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe: anathema ſit.* Idem docent ſancti Patres: D. Auguſtinus de dono perſeuerantiæ, cap. 2. *In ſanctificatione*, inquit, *perſeuerantiam: hoc eſt, vt in ſanctificatione perſeueremus oportet, ità vtique & caſtus rogat, vt caſtus ſit: continens vt continens ſit: iuſtus vt iuſtus ſit: pius vt pius ſit, dona Dei eſſe* Trident. D. Auguſt.

eſſe defendimus ; hoc ſinè dubio petit vt in eâ perſeueret bonis, quæ ſe accepiſſe nouit. Quòd ſi accipit, profectò & ipſam perſeuerantiam magnum Dei donum, quo cetera eius dona conſeruantur, accipit.

Hierony. Et de correptione & gratia, cap. 6. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, Cyrillus Cyrillus. Alexandr lib. 11. in Ioann. cap. 21. & Bernardus Bernard. ſermone 3. in Cantica. Fauet & Scriptura ſacra; Lucę quippe 22. dicitur de Diuo Petro: Luc. 22. verſ. 32. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Philipp. 1. verſ. 6. & ad Philip. 1. *Qui cæpit in vobis bonum opus, perficiet.* & in epiſt. Iudæ *Et autem qui potens eſt* Iudę ỽ. 24. *conſeruare vos ſinè peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti.* & cap. 13. poſterioris ad Corinth. *Oramus autem ad Deum,* 2. Cor. 13. verſ. 7. *vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus* & Matth. 24. *Qui perſeuerauerit vſque in fi-* Matth. 24. verſ. 13. *nem, hic ſaluus erit.*

Probatio 2. Deinde, accedunt rationes aliquæ: donum perſeuerantię eſt ità coniunctum cum prædeſtinatione, vt nequeant ab inuicem ſeparari, vt colligitur ex definitione prædeſtinationis tradita à nobis 1. part. quæſt. 23. diximus enim illic prædeſtinationem nihil aliud eſſe quàm deſtinationem quorumdam ad vitam æternam, per hæc & illa media infallibiliter obtinendam; inter iſta media autem computatur donum perſeuerantię: imò propoſitio hæc noſtra colligitur euidenter ex loco Matth. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit:* ergo præter gratiam & charitatem eſt cuilibet homini ſpeciale aliquod Dei auxilium neceſſarium ad perſeuerandum in charitate ad mortem vſque; nam connexio à nobis adducta, non deprehenditur inter charitatem & prædeſtinationem; certiſſimum enim eſt innumeros è iuſtificatis excidere à gratia gratum faciente finaliter; nullus autem ex ijs qui habet donum perſeuerantię fraudatur beatitudine æterna: ergo peculiare donum eſt.

Vlt. Secunda & vltima ratio: Perſeuerantia nedum confert homini iuſtificato poſſe perſeuerare de facto ad finem vſque vitæ, vt author D. D. Auguſt. cap. 6. lib. de dono perſeuerantię. *De illa,* inquit, *perſeuerantia loquimur quæ perſeueratur vſque in finem; quæ ſi data eſt, perſeueratum eſt vſque in finem: ſi autem non eſt perſeueratum vſque in finem, non eſt data.* & lib. de correptione & gratia, cap. 12. & lib. de natura & gratia cap. 48. idem dicit, & refert D. Thom. ad 3. huius art. *Nunc per gratiam Chriſti multi accipiunt & donum gratiæ quo perſeuerare poſſunt, & vlterius eis datur quòd perſeuerent:* ergo præter gratiam & charitatem, neceſſarium eſt ſpeciale aliquod donum diſtinctum à gratia & charitate ad perſeuerandum ad mortem vſque; charitas enim non facit vt aliquis perſeueret ad vltimum vſque vitæ ſpiritum in gratia, & in bonis operibus exercendis; cùm indubitatum ſit pleroſque amittere gratiam & charitatem finaliter.

Obiectio. Dices, ex iſtis colligi Deum non proſpexiſſe ſufficienter ſaluti hominum; non enim dedit donum perſeuerantię omnibus, ſed ſolùm prædeſtinatis, & tamen donum perſeuerantiæ eſt abſolutè neceſſarium ad ſalutem cuiuſliber.

Solutio. Reſpond. negando ſequelam maioris, ad probationem autem, perſeuerantiam dari quidem ſolis prædeſtinatis; iſti ſiquidem perſeuerant in gratia ad finem vſque vitæ; diximus autem donum perſeuerantiæ, vt ſic, nedum tribuere poſſe perſeuerare, ſed perſeuerare de facto finaliter: licèt autem iſta omnia ſint veriſſima; non tamen dicendum eſt de Deo, quòd non proſpexerit ſufficienter ſaluti cuiuſlibet hominis: eſt namque de fide Deum conferre cuilibet auxilia ſufficientia per quæ, ſi velit, poteſt ſalutem ſuam perficere: eſto pertineat hic ad numerum reproborum: defectus ergo hic non Deo, ſed creaturæ eſt adſcribendus, putà quòd non vtatur auxilijs iſtis ſufficientibus cum quibus poteſt ſalutem ſuam perficere, ſi velit.

Inſtabis, ſaltem ex dictis colligitur donum perſeuerantiæ eſſe idem cum dono confirmationis. *Replica.*

Reſpond. negando illationem: donum enim perſeuerantiæ facit, vt ſic, quòd quis finaliter perſeueret in gratia, & in charitate, & ne mors accidat, niſi eo in tempore quo conſtituti ſumus in gratia & charitate: donum autem confirmationis confert tantùm declinare quodlibet peccatum mortale pro eo tempore in quo quis habet donum confirmationis; minimè verò tribuit perſeuerantiam finalem, & coniunctionem mortis cum charitate, & ideò ſeparantur iſta duo dona ad minùs formaliter. *Diſſoluitur.*

Rozabis, *Ex quibus conſurgat natura talis doni perſeuerantiæ.* *Donũ perſeuerantiæ in multis poſitum eſt.*

Reſpond. miſſis aliorum de hac re opinionibus, *Conſurgere primùm ex ordinatione quorumcumque mediorum externorum, quæ conducere poſſunt ad perſeuerandum finaliter, ex remotione impedimentorum, maximè verò tentationum quæ impedire poſſunt boni proſequutionem, ex inſpirationibus internis conducentibus, ad proſequutionem finalem boni; & denique ex ſpeciali prouidentia circa mortem, qua fit, ne hæc contingat extra ſtatum gratiæ & charitatis.* Hæc videtur eſſe mens D. Thomę hoc loco: appellat enim donum perſeuerantiæ ſpecialem directionem, & protectionem contra tentationes, & occaſiones peccandi. Deinde, fauet iſtis D. Auguſt. de dono perſeuerantię cap. 9. ità namque loquitur: *Vt enim dicam quàm ſit poſſibile Deo auerſas & aduerſas in fidem ſuam hominum conuertere voluntates, & in eorum cordibus operari, vt nullis aduerſitatibus cedant, nec ab ipſo aliqua ſuperari tentatione diſcedant, cum poſſit facere, vt non eos permittat tentari ſuper id quod poſſunt. Vt ergo id non dicam, poterat certè illos Deus præſciens eſſe lapſuros, antequàm id fieret, auferre de hac vita.* D. Auguſt.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. concelſo antecedente, nego conſequutionem: ad probationem autem, hypotheſim illam non eſſe admittendam: ſi enim aliquando contingant homini tentationes arduæ & difficiles, id accidit maximè circa finem vitę, & mortem cuiuſliber. *Satisfit rationibus contrarijs*

Deinde, licèt admitteremus hypotheſim iſtam, non tamen propterea ſequeretur donum perſeuerantiæ non eſſe neceſſarium homini ad vitam æternam: diximus ſiquidem auxilium hoc præſtare, vt ſic, ne mors detur in nobis, niſi pro eo tempore quo ſumus in gratia & in charitate: & per conſequens, ad effectum iſtum producendum deſideratur in prædeſtinato auxilium perſeuerantię. Ad id verò quod ſubiungitur in eodem argumento, minimam gratiam gratum facientem ſufficere ad debellandas quaſcumque tentationes.

Reſp. hoc eſſe verum de quibuſuis tentationibus diſtributiuè ſumptis, & id probari teſtimonio adducto Pauli; minimè verò ad quaſcumque tentationes collectiuè ſpectatas, etiam formaliter; nam retulimus in confirmationem noſtræ Concluſionis Celeſtin. I. definiuiſſe non poſſe nos dæmonum tentationes & carnis concupiſcentias ſuperare multo tempore, ſine gratuito Dei munere.

2. Ad 2. conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem autem, certiſſimum eſſe paruulum baptizatum, & qui ex hypotheſi moritur ante vſum rationis, nullam poſſe admittere culpam, pro eo tempore; poteſt tamen hic abſolutè loquendo peruenire ad eam ætatem, in qua poterat peccare, B ac proinde deficere à gratia ſibi in baptiſmo collata: vt ergo hic liberetur ab huiuſmodi incommodis, præter gratiam gratum facientem eget dono perſeuerantiæ, ad hoc vt moriatur in ſtatu charitatis. Ità D. Auguſt. lib. de dono perſeuerantiæ, cap. 17. *Reſtat in his bonis*, inquit, *vſque in finem perſeuerantia: qua fruſtra quotidie à Domino poſcitur, ſi non eam Dominus per gratiam ſuam in illo, cuius oratione exaudit, operetur. Videte iam à veritate quàm ſit alienum, negare donum Dei eſſe perſeuerantiam vſque in finem huius vitæ, cùm vita hæc quando voluerit ipſe det finem. Sed mirabilior & fidelibus euidentior largitas bonitatis eſt, quòd etiam paruulis quibus obedientia non eſt illius ætatis vt detur, datur hæc gratia.* & C lib. 4. contra Iulianum cap. 8. hoc probat ex illo Rom. 5. *Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; idem habet epiſt. 107. prope medium, & lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 1. quibus in locis docet Deum arripere quoſdam ex hac vita mortali, ne labantur in peccatum, ſed vt gratia, & in charitate moriantur.

D. Auguſt. authoritas.

Ad id autem quod dicitur de Euchariſtia. Reſp. nihil planè probare: Euchariſtia namque ideò non eſt paruulis neceſſaria, quia in ipſis vſus cibi ſpiritualis nullum poteſt habere locum; vſus autem doni perſeuerantiæ rectè admittitur in paruulis, vt conſtat ex dictis, cùm impediat, ne perueniant ad eam ætatem in qua poſſent peccare, & D præterea vt moriantur in gratia, & in charitate.

Vlt. Ad aliam rationem dubitandi. Reſp. antecedens eſſe verum, ſi ſermo ſit de eo auxilio, quod debetur charitati & gratiæ, vt perſeuerent in ſua entitate & exiſtentia naturali: quemadmodum enim cuilibet entitati creatæ, hoc ipſo quod creata eſt, debetur conſeruatio; ità & illud idem dicendum eſt de gratia & charitate; quare auxilium hoc comparatum cum iſtis rebus nequit dici ſupernaturale; ſed tantummodo connaturale: ſi verò ſermo ſit de eo auxilio, quod eſt neceſſarium ad hoc vt gratia & charitas perſeuerent in nobis finaliter, auxilium hoc non debetur gra- E tiæ & charitati, vt ſic, ſed pendet à gratuita Dei liberalitate: ità vt penès Deum ſit vel negare, vel certè conferre huiuſmodi donum. Neque verò oppoſitum colligitur ex conſtantia charitatis, ſeu, amicitiæ; nam amicitia, vt ſic, tamdiu debet eſſe firma, quamdiu non læditur ab vno ex amantibus; non debet autem amicitia perſeuerare, vt ſic, ad finem vſque vitæ; imò non poteſt ſinè ſpeciali Dei auxilio, ſiue ſermo ſit de amicitia naturali, ſiue ſupernaturali, ſaltem pro ſtatu naturæ corruptæ, idque quòd amicitia Dei pro eo ſtatu in quo verſamur, ſit medium eleuatum à Deo, & ordinatum ad vitam æternam.

A Inſtabis, gratiam & charitatem eſſe habitum ordinatum ad diligendum Deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum: ergo ſinè vllo alio ſuperaddito auxilio poterit conſtitutus in charitate perſeuerare in Dei dilectione; cùm habitus quilibet ex ſe ſufficiens ſit ad quoſlibet actus ſibi connaturales exercendos. *Replica.*

Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad probationem autem, habitum cum potentia quam informat poſſe exercere quemlibet actum ſibi connaturalem diſtributiuè ſpectatum, non autem collectiuè; quapropter cùm diligere Deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum, ſint actus ſupernaturales, charitati connaturales, poterunt iſti à charitate executioni demandari, extra tamen ſtatum perſeuerantiæ finalis; idque quòd actus iſti ſpectentur collectiuè, nedum diſtributiuè, cùm dicant ſubordinationem ad vltimum terminum vitæ. *Diſſoluitur.*

Aduerte, donum perſeuerantiæ finalis non neceſſitare voluntatem creatam abſolutè & ſimpliciter: libertas enim manet in quibuſuis iuſtificaris finaliter, ità vt de facto mereantur per actus honeſtos, quos tunc exercent; poſſunt tamen iſti verè peccare, etiam pro vltimo inſtanti vitæ: donum tamen hoc perſeuerantiæ inducit infallibilitatem moriendi in gratia & in charitate, ità vt licèt detur in iſtis potentia ad peccandum; non tamen peccatum ſequetur, ſed terminabunt vitam ſuam infallibiliter cum gratia & charitate. *Donũ perſeuerantiæ nõ neceſſitat voluntatẽ.*

QVÆSTIO CX.

De gratia Dei quantum ad eius eſſentiam.

ARTICVLVS PRIMVS.

An gratia ponat aliquid in anima.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An gratia ſit qualitas anima.

DVBITATIO PRIMA.

An gratia ſit res aliqua creata inhærens animabus noſtris; an verò increatum quidpiam.

MAGISTER Sentent. diſt. 17. lib. 1. & alibi, contendit gratiam & charitatem qua diligimus Deum & proximum, eſſe ipſummet Spiritum ſanctum. Probant; quia 1. Ioan. 4. dicitur, *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* fauet & hymnus, qui *Opinio Magiſtri ſententiar. & argumenta.* 1. Ioan. 4. verſ. 16.

qui cantatur ab Eccleſia in feſto Pentecoſtes, vbi dicitur quòd Spiritus ſanctus ſit fons viuus, charitas, & ſpiritalis vnctio. Accedit & locutio aliquorum Patrum; maximè verò D. Auguſt. 8. de Trinitate, & D. Bernardi; aiunt enim dilectionem qua diligitur Deus & proximus, eſſe ipſummet Deum.

Subiungunt alij rationes aliquas in confirmationem iſtius opinionis. Prima: Charitate qua diligitur Deus & proximus non datur maius aliquod bonum, ex doctrina D. Auguſt. & multorum aliorum Patrum; at ſolus Deus eſt illud bonum, quo non datur aliud maius, vt per ſe notum eſt.

Deinde, nulla creatura poteſt eſſe ſatis, ad hoc vt attingatur obiectum aliquod infinitum; propter hanc enim cauſam D. Thom. negat 1. parte, quæſt. 45. creaturam poſſe aſſumi vt inſtrumentum ad creandum, quia infinita diſtantia attingi nequit, niſi à potentia ſimpliciter infinita: nulla item creatura auertit hominem à vanitate; cùm omnis creatura vanitati ſubiecta ſit, ex A poſt. ergo charitas erit res aliqua increata.

Rom. 8. verſ. 20.

Gratia non eſt entitas increata.

Conclvsio 1. *Gratia non eſt entitas increata, ſed verè producta.* Primùm, quia nomine gratiæ ſignificatur in hac tota tractatione auxilium diuinum actuale vel habituale creaturæ rationali communicatum, ad hoc vt actus ordinis ſupernaturalis exercere poſſit; certum autem eſt auxilia quælibet data creaturis, & in eiſdem recepta, eſſe quid creatum.

Deinde, hæc eſt expreſſa ſententia S. Thom. art. 1. huius quæſt. & Doctorum communiter.

Obiectio. Dices, loco proxime cit. D Thomam affirmare extare dilectionem aliquam increatam; hæc autem eſt idem planè cùm gratia.

Solutio. Reſpond. dilectionem iſtam increatam nihil aliud dicere, quàm actum illum quo Deus ex omni æternitate creaturas quaſlibet rationales dilexit, & præparauit eiſdem media neceſſaria ad vitam æternam in tempore obtinendam: hæc autem dilectio non eſt idem cum gratia, de qua diſputamus hoc loco, ſed eſt effectus iſtius dilectionis diuinæ æternæ.

Gratia eſt aliqua qualitas ſupernaturalis. Trident.

Conclvsio 2. *Gratia de qua hic quæritur, eſt qualitas aliqua ſupernaturalis, impreſſa creaturæ rationali.* Probatur primùm ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 11. *Si quis dixerit hominem iuſtificari vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, anathema ſit.* Quo loco aduertendum eſt Concilium aſſerere de gratia quòd diffundatur à Spiritu ſancto, qui datur quotieſcumque iuſtificamur, & quod nobis inhæreat: *At non diffunditur in ratione quantitatis*, neque relationis, neque item ſubſtantiæ, *Sed in ratione qualitatis*, præſertim cùm cap. 7. eiuſdem ſeſſ. dicatur de iſta gratia, quòd ſit cauſa formalis noſtræ ſanctitatis: ità vt eodem planè modo, ceteris tamen paribus, quo paries dicitur albus ab albedine, quam in ſe habet, ſic à gratia quæ recipitur in nobis quilibet dicitur ſanctus & iuſtus formaliter, & intrinſecè: ergo de hac gratia concedendum eſt, quòd ſit qualitas recepta in animabus, ordinis tamen ſupernaturalis.

Denique, ex Catechiſmo ex decreto Concil. Trident. vulgato, conſtat ipſam gratiam eſſe qualitatem; ipſa enim eſt non ſolùm per quam fit peccatorum remiſſio, ſed diuina qualitas in anima inhærens.

Tertiò, hoc idem patet ex varijs locis Scripturæ, in quibus comparatur hæc, ex Paulo, pignori, vnctioni, & ſigillo, quo vnxit nos Deus, & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in nobis, Epheſ. 1. *In quo & credentes ſignati eſtis, ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis æternæ.* 1. Ioann. 2. *Vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* & cap. 3. *Qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum; quoniam ſemen ipſius in eo manet.* & Ioann. cap. 4. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* nomine autem fontis ſignificatur hoc loco gratia, quæ eſt in nobis, & quæ eſt principium omnium operationum noſtrarum meritoriarum, vt colligitur ex cap. 7. Ioann. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; hoc autem dixit de Spiritu ſancto, quem erant accepturi credentes in eum.* Ità teſtimonia iſta intellexerunt Cyril. Alexandrinus lib. 2. in Ioan. Theophylact. ad cap. 4. Ioan. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 19. & Chryſoſt. homil. 31. in Ioann. & denique Trident. ſeſſ. 6. cap. 16.

Epheſ. 1. verſ. 3. 1. Ioan. 2. verſ. 27. Idem 3. verſ. 9. Ioan. 4. verſ. 14. Idem 7. v. 38. & 39. Cyrill. Alexand. Theophyl. Ambroſ. Chryſoſt.

Accedunt rationes aliquæ. Prima: Quilibet noſtrûm pro eo tempore, quo agit in hac vita, credit in Deum, ſperat in eumdem, & diligit medijs quibuſdam qualitatibus ordinis ſupernaturalis: in tractatu namque de fide, ſpe, & charitate docent omnes tria proximè commemorata eſſe qualitates ordinis ſupernaturalis receptas, fidem quidem in intellectu, ſpem & charitatem in voluntate: ergo & de gratia qua iuſtificamur concedendum eſt quòd ſit qualitas aliqua ſupernaturalis; eſt enim hæc forma & principium merendi in nobis; propter hanc enim cauſam nuncupatur hæc ſemen vitæ æternæ, & vita æterna. Confirmatur. Deus non videtur prout in ſe eſt à beatis, niſi dependenter à lumine gloriæ, quod eſt qualitas ordinis ſupernaturalis, vt fatentur omnes: ergo.

Prima ratio.

Denique, in baptizatis infunduntur habitus, id eſt, virtutes morales, & item virtutes ordinis ſupernaturalis, vt conſtat ex Clementina deſumpta ex Concil. Viennenſi: imò hoc ipſum tradit D. Thomas 3. part. quæſt. 69. art. 4. ergo cùm inter iſtas virtutes Concilium hoc referat gratiam iuſtificantem, hæc erit qualitas aliqua.

Obiectio.

Obijcies: ſi gratia eſſet entitas aliqua creata, quæ reuocaretur ad categoriam qualitatis, ſequeretur eſſe principium operationum humanarum; pertineret enim ad primam ſpeciem qualitatis; at S. Thomas negat gratiam eſſe principium operationis alicuius: ergo non eſt qualitas.

Solutio.

Reſpondent Thomiſtæ, qualitates pertinentes ad primam ſpeciem qualitatis eſſe productiuas operationum humanarum, ſi ſermo ſit de illis quæ recipiuntur proximè in potentia animæ rationalis; minimè verò ſi ſermo ſit de quibuſuis qualitatibus iſtis: gratia autem non recipitur in vlla potentia hominis, aut Angeli, ſed tantùm in animæ eſſentia, aut in ſubſtantia Angeli. Ceterùm rectiùs illi qui dicunt D. Thomam non negare ſimpliciter gratiam eſſe productiuam alicuius operationis, ſed tantùm proximè & immediatè; remotè enim & mediatè cenſetur eſſe principium productiuum cuiuſlibet operationis meritoriæ; charitas verò dicitur eſſe principium proximum & immediatum, actionis meritoriæ quæ in voluntate proximè recipitur.

Satisfit rationibus cõtrarijs.

Ad rationes verò contrarias. Reſpond. ex locis Ioann. Auguſt. & hymni qui cantatur in feſto Pentecoſtes, ſolùm probari Deum eſſe charitatem, non quidem formaliter & intrinſecè, ſed cauſaliter; ſolus namque Deus eſt qui tamquam cauſa præcipua producit in nobis, & in Angelis gratiam & charitatem. Moneo tamen non deeſſe qui putent ex loco Ioan. probari Deum eſſe charitatem formaliter loquendo, ea tamen lege quòd per charitatem intelligatur ille actus quo Deus diligit ſeipſum, & nos; hic enim cùm ſit idem cum eſſentia diuina, non poteſt non eſſe Deus. Prima tamen reſponſio videtur anteponenda, idque quòd loquatur D. Ioann. hoc loco de charitate qua nos diligimus Deum & proximum, ex communi ſanctorum Patrum interpretatione.

Ad id verò quod dicitur, charitate non dari maius aliquod bonum. Reſpond. Hoc eſſe verum, ſi per nomen maius ſignificetur vtilius; inter dona namque communicata homini, pro eo tempore quo agit in hac vita, nullum ità vtile eſt charitate & gratia; cùm hæc ſit cauſa formalis noſtræ ſanctitatis & iuſtificationis, formaliter delens peccata, & tribuens ius ad beatitudinem conſequendam; ità vt detur perfectiſſima æqualitas inter gloriam & charitatem viæ: charitas præterea eſt principium productiuum operationis meritoriæ, omnium conſenſu: & ex doctrina D. Thomæ communiter recepta, charitas eſt forma cuiuſlibet alterius virtutis in eſſe virtutis ſimpliciter.

Vit.

Ad id verò quod ſubiungitur ibidem, omnem creaturam eſſe vanitati ſubiectam. Reſpond. hoc eſſe veriſſimum, ſi ſermo ſit de creatura relicta intrà terminos ordinis naturalis: huius autem generis non eſt gratia & charitas, cum ſit ordinis ſupernaturalis ſecundum ſuam entitatem: falſum eſt præterea creaturam licèt finitam attingere non poſſe obiectum aliquod infinitum: nam conuenit inter omnes, beatos videre diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt medio lumine gloriæ habitualis; & tamen hoc omnium conſenſu finitum eſt, cùm recipiatur in intellectu hominis, & Angeli, tamquam in ſubiecto proximo.

DVBITATIO SECVNDA.

An gratia hæc ſit qualitas aliqua tranſiens, vel permanens tantùm.

Ante Trident. liberũ erat docere gratiã ſanctificantem eſſe qualitatem tranſeuntem.

RESPONDEO, miſſis de hac re variis opinionibus. Primùm, *ante Concilium Tridentinum liberum vnicuique fuiſſe affirmare de gratia ſanctificante & iuſtificante, quòd eſſet qualitas aliqua tantùm tranſiens, non autem permanens, & ab iſta qualitate hominem iuſtificari formaliter.* In primis, quia diximus Magiſtrum docuiſſe Deum ipſum eſſe charitatem, & ab iſta charitate homines iuſtificari, neque tamen propterea ille cenſetur hæreticus. Deinde, Concil. Viennenſe, & refertur in Clementina vnica, de ſumma Trinitate & fide Catholica, refert veramque Theologorum opinionem, eorum ſcilicet qui dicebant in baptiſmo infundi virtutes, & per modum habitus, & per modum vſus tantùm; ac proinde permanenter & tranſeuntes: verba Concilij ſunt iſta. *Opinionem (quæ dicit, tam paruulos, quam adultos conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes) tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologis magis conſonam, & concordem; ſacro approbante Concilio duximus eligendam.* & in cap. *Maiores:* de baptiſmo & eius effectu, res hæc vt dubia traditur, & explicatur.

Viennẽſe.

Poſt Trident. gratiam eſſe formã permanentem dicendum. Tridentini authoritas.

RESPONDEO 2. *Poſt Tridentinum, omnibus defendendum eſſe, gratiam eſſe, formam infuſam à Spiritu ſancto, & per conſequens perſeuerantem, & inhærentem iuſtificato cuilibet.* quia cap. 7. ſeſſ. 6. poſt initium dicitur de iuſtificatione; *Quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.* & can. 3. eiuſdem ſeſſ. dicitur: *Si quis dixerit, ſinè præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur: anathema ſit.* Ex quibus ità argumentamur: Tridentinum in iſtis duobus locis ponit diſcrimen inter gratiam iuſtificantem, & inter actus credendi, ſperandi, diligendi, & pœnitendi; & denique inter diſpoſitiones neceſſarias ad recipiendam formam iuſtificantem: at actus proximè commemorati, & item diſpoſitiones neceſſariæ ad formam iuſtificationis, quæ eſt gratia gratum faciens ſunt formæ tranſeuntes, non autem permanentes: ergo voluit Concil. formam iuſtificantem eſſe rem aliquam infuſam nobis inhærentem & permanentem.

Probatio 2.

Probatur 2. & quidem multò efficacius ex can. 11. eiuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit, homines iuſtificari vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei: anathema ſit.*

Confirmatur. cap. 7. eiuſdem ſeſſ. dicitur gratiam eſſe formalem cauſam noſtræ ſanctitatis, diffundi in nobis per Spiritum ſanctum, & denique inhærere: at hæc omnia arguunt formam aliquam infuſam, hærentem & permanentem in nobis: ergo poſt Tridentinum aſſerendum eſt gratiam permanenter eſſe in nobis.

Reſponſio aduerſar.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, hæc omnia poſſe intelligi de qualitate aliqua, vel forma imperfecta, cuius generis ſunt actus eliciti à nobis, aut etiam auxilia Dei ſpecialia, actualia tantùm.

Inefficax.

Ceterùm reſponſio hæc nequit vlla ratione defendi, in fine ſiquidem cap. 7. ſeſſ. citatæ, ità loquitur Concil. *Itaque veram, & Chriſtianam iuſtitiam accipientes, tam ceu primam ſtolam pro illa, quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur ſtatim renati conſeruare, vt eam perferant ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, & habeant vitam æternam.* Ex quo loco ità improbatur reſponſio adducta ad teſtimonia Tridentini: Renati tenentur conſeruare iuſtitiam in baptiſmo acceptam, donec conſequantur vitam æternam; at non poſſunt illam conſeruare vſque ad conſequutionem vitæ æternæ, niſi hæc ſit forma inhærens, impreſſa, & permanens, ſaltem ſi ſermo ſit de pueris baptizatis; non enim datur aliquis actus proprius & perſonalis, ratione cuius poſſint conſeruare iuſtitiam acceptam: ergo cùm iuſtitia data in baptiſmo nihil aliud ſit, quàm forma iuſtificans, hæc erit forma inhærens & permanens.

Probatur

Probatio 2. Probatur 2. ratione D. Thom. Deus non minùs bene proſpexit homini in ordine ad finem ſupernaturalem, quàm ad naturalem, iuxta illud Sap. 8. de prouidentia illius; *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*: at finis naturalis obtinetur dependenter à formis permanentibus, & inhærentibus: quilibet enim noſtrûm intelligit, & vult, operatúrque proinde bene moraliter dependenter ab iſtis potentijs, & ab habitibus quibuſdam eiſdem impreſſis: ergo illud idem erit dicendum de vnoquoque noſtrûm reſpectu finis ſupernaturalis: gratia autem iuſtificans eſt vnum ex præcipuis medijs quibus conſequimur vltimum finem noſtrum: ergo. *Sap. 8. v. 1.*

Corollariũ. Ex quibus colligo ad fidem pertinere hominem iuſtificari per formam infuſam à Deo homini iuſtificato, & permanentem in eo; nam illud omne ad fidem Catholicam ſpectat, quod vel habetur expreſſum in ſacris litteris, vel in aliquo Concilio, ex veriori opinione: atqui locis proximè citatis Trident. dicitur expreſsè de gratia iuſtificante, quod infundatur à Deo per Spiritum ſanctum ei qui iuſtificatur, quòd inhæreat eidem, & quòd ſit cauſa formalis iſtius iuſtificationis: ergo hoc ad fidem ſpectat.

Non eſt euidenter de fide gratiam eſſe habitũ. Reſpondeo denique, *Non eſſe euidenter de fide Catholica ſeu expreſsè, formam iuſtificantem eſſe qualitatem, aut habitum, aut denique accidens inhærens; pertinet tamen hæc propoſitio ad Concluſiones Theologicas.* Probatur prima pars ex eo, quòd Tridentinum non meminit locis citatis qualitatis, habitus, aut accidentis inhærentis. Deinde, illud eſt tantùm expreſsè de fide quod formaliter & verbis conceptis eſt à Deo reuelatum in ſacris litteris, vel definitum in aliquo Concilio: at nullum hactenus extitit quod docuerit expreſsè gratia iuſtificantem eſſe qualitatem, habitum, aut accidens inhærens: ergo non eſt expreſsè de fide nos ſanctificari per qualitatem inhærentem.

Obiectio. Objcit Bellarminus, qui contrariam ſequitur ſententiam: Catechiſmus authoritate Tridentini Concilij editus verbis expreſſis docet inter agendum de Baptiſmo, gratiam eſſe qualitatem.

Solutio 1. Reſpond. Catechiſmum explicaſſe nedum ea quæ tradita ſunt à Concilio, de gratia iuſtificante, ſed etiam ea omnia quæ ex vi formæ ſyllogiſticę poſſunt deduci ex ijs quæ ſunt à Trident. definita; inter hæc autem dicitur de gratia quòd ſit qualitas, aut etiam habitus, vt probabitur.

2. Reſp. 2. nomine qualitatis non ſignificari eo in loco formam aliquam ſanctificantem, exiſtentem in nobis ad modum habitus; ſed tantùm denotatur forma aliqua recepta in nobis ad modum actus, vel habitus; habet enim nomen, habitus, vtramque ex iſtis ſignificationem.

Obiectio 2. Objcit Peſantius, Concilium Viennenſe verbis expreſſis affirmare, quòd in baptiſmo infundantur habitus, & virtutes, & denique gratia; ac proinde videtur eſſe de fide expreſsè, quòd gratia ſit qualitas & habitus.

Solutio. Reſp. hæc haberi quidem in Concilio Viennenſi; non tamen definiri, vel proponi credenda: probatur enim tantùm hæc opinio veluti magis conſona documentis Theologorum, vt conſtat ex verbis Concilij ſupra allatis.

Gratiam eſſe habitum pertinet ad Cõcluſiones Theologicas. Secunda verò pars probatur. Ea pertinent ad Concluſiones Theologicas quæ deducuntur ex propoſitione aliqua de fide, & ex alia, lumine naturali nota ex vi formę ſyllogiſticę, ex opinione S. Thomæ 1. part. at gratiam iuſtificantem eſſe qualitatem, & habitum, & denique accidens inhærens, deducitur in euidenti & neceſſaria conſequutione ex vna propoſitione de fide, & ex altera lumine naturali rectæ rationis nota; nam diximus Tridentinũ definiuiſſe gratiam iuſtificantem eſſe formam infuſam à Deo, & manere in nobis, & præterea inhærere; certum eſt etiam, naturaliter vnumquemque noſtrûm cognoſcere, formas qualificantes, aut etiam bene afficientes hominem, ad hoc vt boni actus exerceantur in nobis, eſſe qualitates aliquas & inhærentes iuxta naturam accidentis: ergo quòd gratia iuſtificans ſit qualitas habitualis, & accidens inhærens pertinebit ad Concluſiones Theologicas.

Obiectio. Dices, Scripturam ſacram verbis expreſſis affirmare homines diligi à Deo, etſi non ſint in eſſe actualis exiſtentię, Rom. 9. *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſaiù odio habui.* & Ephe. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate*: ergo falſum eſt quod docuimus, gratiam ſanctificantem eſſe formam permanentem in nobis, & rem iſtam pertinere ad dogmata fidei. Rom. 9. verſ. 11. 12. & 13. Ephe. 1. verſ. 4.

Solutio. Reſpond. conceſſo antecedente, nego conſequutionem; ex verbis enim iſtis Scripturæ ſolùm colligere licet, Deum ex omni æternitate præparaſſe media neceſſaria mortalibus ad vitam æternam in tempore obtinendam; non autem homines fuiſſe formaliter ſanctos & gratos Deo ex omni æternitate: nam gratitudo & ſanctitas iſta formalis nuſquam datur, niſi priùs homines ſint in eſſe actualis exiſtentiæ; cùm gratitudo iſta repetenda ſit ex gratia & charitate, quæ de facto recipitur in quouis ſanctificato, veluti in ſuo proprio ſubiecto.

ARTICVLVS TERTIVS.

An gratia ſit idem quod virtus.

VÆRVNT hoc loco Theologi cum S. Thoma, *An gratia & charitas diſtinguantur inter ſe realiter*: Nomine quippe virtutis intelligit S. Thomas charitatem. Durand. in 2. diſt. 26. putat hæc duo diſtingui inter ſe ſolo tantùm nomine, Scotus diſt. 22. lib. 2. & nonnulli Nominales diſt. 26. lib. cit. credunt charitatem & gratiam diſtingui tantùm formaliter D. verò Thomas in corpore art. conſtanter aſſerit hæc duo diſtingui realiter.

Probabile eſt gratiam non diſtingui à charitate. CONCLVSIO 1. *Probabile eſt gratiam & charitatem non diſtingui realiter, ſed tantùm formaliter.* Primùm, quia Concil. Trident. verbis expreſſis docet, cauſam formalem noſtræ iuſtificationis, ac proinde & ſanctitatis, quæ datur in nobis, eſſe gratiam & charitatem: imò in fine cap. ait, omnes renatos obligari ad retinendam ſanctitatem ſibi datam in baptiſmo, ad hoc vt poſſint conſequi vitam æternam; ſanctitas autem iſta maximè eſt poſita in adeptione gratiæ & charitatis. Confirmatur. Cauſa formalis alicuius rei non

Digitized by Google

conſurgit ex multis, & diuerſis entitatibus; ſed ex vnica tantùm, vt conſtat de anima rationali, & ſic de omnibus formis naturalibus; at forma ſanctificans cuiuſlibet noſtrûm eſt gratia & charitas. A

2. Deinde, omnes planè effectus qui adſcribuntur gratiæ in ſacris litteris, aut Concilijs, aut etiam à Patribus, tribuuntur etiam charitati, vt patet: de gratia enim dicitur quòd faciat eos in quibus eſt, filios Dei; ſed idem effectus tribuitur charitati Ioann. 5. *Videte qualem gratiam dedit nobis pater, vt filij eius nominemur & ſimus.* Gratia item facit nos gratos, & dilectos reſpectu Dei: charitas autem hoc ipſum præſtat Ioann. 14. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus* B *diliget eum.* & cap. 15. *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ præcipio vobis.* Tribuitur tertiò gratiæ quòd ſit vita ſpiritualis animæ noſtræ, hoc ipſum dicitur de charitate 1. Ioann. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Quartò, per gratiam à peccato iuſtificamur; quis autem neſcit Magdalenam fuiſſe iuſtificatam per charitatem, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Quintò, per gratiam Spiritus ſanctus dicitur eſſe in nobis, idem adſcribitur charitati, 1. Ioann. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Sextò, dicitur de gratia quòd ſit radix omnium virtutum, idem aſſignatur charitati 13. prioris ad Corinth. *Charitas patiens eſt,* C *benigna eſt, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* & in epiſt. ad Rom. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio.* Poſteà adeptio vitæ æternæ cenſetur eſſe effectus gratiæ; ſed hæc etiam tribuitur charitati Iacob. cap. 1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Tandem gratia anteponitur ceteris omnibus donis reſpectu ſaltem eorum, quæ conferuntur homini in hac vita; at præſtantia hæc adſcribitur charitati cap. 13. prioris ad Corinth. *Si habuero omnem fidem, ità vt montes* D *transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* & ad Coloſſ. cap. 3 *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis:* ergo charitas & gratia erunt vna & eadem planè numero entitas; effectus ſiquidem iſti aliter non poſſent habere ortum à gratia & charitate ex æquo.

Probatio 3. Tertiò probatur: ſi charitas & gratia diſtinguerentur inter ſe realiter, ſequeretur poſſe ab inuicem ſeparata exiſtere; fatentur enim omnes ea ſeparatim exiſtere poſſe quæ diſtinguuntur inter ſe realiter; aut certè vnum habet rationem producentis, & alterum producti: at falſum eſt gratiam poſſe ſinè charitate eſſe; nam ſi aliter res haberet, concedendum eſſet de eo qui ex hypotheſi moreretur in gratia ſinè charitate, quòd conſequeretur vitam æternam; careret enim omni planè peccato mortali, cùm gratia & peccatum mortale opponantur, ex communi doctrina: res tamen hæc negatur ab Auguſt. lib. 13. de Trinitat. cap. 18. & tract. 5. in 1. Canonicam Ioan. ait enim illic charitatem eſſe veſtem nuptialem, per quam filij lucis ſeparantur à filijs perditionis. E

4. Quartò, per eamdem entitatem numero, quilibet bene afficitur erga Deum, & allicitur ad operationes meritorias exercendas; nam entia non ſunt ſinè neceſſitate multiplicanda. Rurſus, lumen gloriæ tribuit homini eſſe aliquod ſupernaturale, & præterea facit vt agentes in cœlis videant diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt; atqui per charitatem quilibet noſtrûm ſufficienter eleuatur ad operationes meritorias exercendas, vt conſtat ex loco antea cit. Pauli ad Rom. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio:* ergo hæc non diſtinguitur realiter à gratia. Rom. 13. verſ. 10.

Vlt. Denique, ſi quæ eſſet ratio propter quam diceremus gratiam diſtingui realiter à charitate, hæc eſſet quæ traditur à S. Thoma hoc loco, putà gratiam eſſe eſſentiam rei ſupernaturalis; fidem verò, ſpem, & charitatem proprietates & quaſi facultates eiuſdem: at ratio iſta non eſt efficax, namſi ità res haberet, deſtructâ gratiâ in nobis, deſtrueretur etiam fides, ſpes, & charitas; ceſſante ſiquidem eſſentia, etiam facultates & proprietates eiuſdem deſinunt: ergo cùm Trident. ſeſſ. 6. dicat anathema ijs omnibus qui affirmant deſtructâ gratiâ & charitate in nobis per peccatum mortale deſtrui fidem & ſpem, certè non poteſt dici de gratia quòd ſit de eſſentia rei cuiuſlibet virtutis Theologicæ, & per ſe infuſæ

Gratia diſtinguitur realiter à charitate. Conclvsio 2. *Multò probabilius eſt gratiam & charitatem diſtingui realiter.* Primùm, quia ſacra Concilia, Scripturæ, & Patres loquuntur de iſtis veluti de duabus rebus realiter inter ſe diſtinctis: Viennenſe enim, & refertur in Clementina vnica, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, ait, in baptiſmo infundi baptizatis habitus, & virtutes, & gratiam: nomine autem, habitus, hoc in loco ſignificantur virtutes morales; nomine verò virtutum denotantur fides, ſpes, charitas, & aliæ eiuſdem generis virtutes per ſe infuſæ: nomine tandem gratiæ deſignatur cauſa formalis noſtræ ſanctitatis: ergo illa inter ſe diſtinguuntur.

Concilium item Trident. ſeſſ. 6. definit iuſtificationem, renouationem & ſanctificationem hominis interioris, factam per voluntariam ſuſceptionem donorum & gratiæ: per particulam autem iſtam, donorum, intelligit fidem, ſpem, charitatem, & alia dona per ſe infuſa, diuerſa tamen à gratia: & can. 11. eiuſdem ſeſſ. ait iuſtificationem noſtram non eſſe poſitam in ſola peccatorum remiſſione, aut in ſola imputatione meritorum Chriſti, excluſa gratia & charitate. Scripturæ etiam eamdem diſtinctionem deſignant Rom. quippe 3. dicitur de gratia, *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* & cap. 5. *Gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem.* & rurſus. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum:* & præterea. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* De charitate verò cap. 13. prioris ad Corinth. dicitur, quòd ſit patiens, quòd omnia ſuſtineat, quòd non quærat quæ ſua ſunt &c. & cap. 5. ad Rom. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* & cap. 5. ad Galat. *Fructus autem ſpiritus,* id eſt gratiæ, *charitas.* Sancti denique Patres affirmant de gratia, quòd ſit radix charitatis, & quod charitas per eamdem diffundatur: ità D. Auguſt. lib. de ſpiritu & littera, cap. 32. & de gratia Chriſti, cap. 30. Rom. 3. verſ. 24. Idem 5. verſ. 16. & 17. Ibid. verſ. 20. 1. Cor. 13 verſ. 4. Rom. 5. verſ. 5. Galat. 5. verſ. 22.

Ex quibus omnibus ità argumentamur: Cauſa & effectus diſtinguuntur realiter inter ſe: at Trident. ſacræ Scripturæ, & Patres docent verbis expreſſis charitatem diffundi in nobis per gratiam, ſeu Spiritum ſanctum, qui non aliter dicitur manere in nobis, quàm per ſuam gratiam: argumento igitur eſt gratiam & charitatem diſtingui inter ſe realiter.

1. Ioan. 3. verſ. 1. Ioann. 14. verſ. 23. Idem 15. verſ. 14. 1. Ioan. 3. verſ. 15. Luc. 7. verſ. 47. 1. Ioan. 4. verſ. 16. 1. Cor. 13. verſ. 4. Rom. 13. verſ. 10. Iacob. 1. verſ. 12. 1. Cor. 13. verſ. 2. Coloſſ. 3. verſ. 14.

Moneo tamen ex locis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum non probari euidenter gratiam & charitatem diſtingui inter ſe realiter: Primùm, quia expreſſè rem hanc non declarant; ſubindicant tamen diuerſitatem iſtam, vt colligitur ex dictis.

2. *Probatio.* Probatur 2. Concluſio: principium operandi & eſſendi diſtinguuntur inter ſe realiter, ſaltem in omni re ſubſtantiali creata; quod dico, propter primam & ſecundam ſententiam, quæ ait lumen gloriæ eſſe aliquod principium eſſendi ſupernaturale, & præterea eſſe principium operandi: calor item habet eſſe naturale, & tamen negari non poteſt, quin operationes aliquas producat: ac proinde ſunt hæc duo commemorata & principia eſſendi & operandi; & tamen hæc non diſtinguuntur realiter in calore & in lumine gloriæ: in omni tamen re ſubſtantiali creata principium eſſendi & operandi ſeparantur ab inuicem: nam ex veriori ſententia Philoſophorum, eſſentia cuiuslibet rei creatæ diſtinguitur realiter à ſuis facultatibus, quæ ſunt principia operandi; eſſentia verò cenſetur eſſe principium eſſendi: dixi, in omni re ſubſtantiali creata; quia in ſubſtantia increata principia eſſendi & operandi non diſtinguuntur realiter: ſed tantùm ſecundum noſtrum intelligendi modum; at gratia eſt principium eſſendi ſupernaturale, non quidem quouis modo: fides namque & ſpes, etiamſi ſeparentur à gratia ſunt vere ſupernaturales, vt omnes tenent, & colligitur ex Trident. ſeſſ. 6. can 28. dicitur ergo principium eſſendi ſupernaturale remotum, reſpectu cuiuslibet operis meritorij de condigno: charitas autem cenſetur eſſe principium proximum meritoriè operandi, cùm ſit cauſa proxima & immediata cuiuslibet operationis meritoriæ de condigno.

Tertiò, quæ diuerſis & diſtinctis inter ſe realiter ſubiectis inſunt, diſtinguuntur realiter: at gratia & charitas recipiuntur in ſubiectis inter ſe realiter diſtinctis: nam charitas recipitur in voluntate, tamquam in ſubiecto proximo; cùm enim hæc ſit cauſa proxima operandi meritoriè, & difficultas exercendi operationes meritorias ſit in voluntate noſtra, illic etiam recipietur auxilium quod roborat voluntatem noſtram: imò quod facit potentem ad operandum meritoriè: gratia autem locatur proximè in animæ eſſentia, vt docet D. Thom. 1ª. proximè conſequente huius quæſt.

Denique, nunquam finis obtinetur ab aliquo, niſi priùs poſita eius eſſentia fuerint facultates aliquæ, & motus, vt tradit D. Thom. in q. de veritate, q. 22. ar. 2. ergo neque vita æterna obtinebitur à nobis, niſi poſitis iſtis tribus, & præterea quæ ſint eiuſdem ordinis cum vita æterna: at eſſentia ſupernaturalis prima creata, cenſetur eſſe gratia: proprietates verò eiuſdem fides, ſpes, charitas; motus verò operationes quælibet meritoriæ: ergo gratia, & charitas diſtinguuntur inter ſe realiter. Ità D. Thom. hoc loco, & in 2. diſt. 16. ar. 4. & q. 27. de veritate, ar. 2. & alij recentiores interpretes eiuſdem, Argentinas, & Ægidius Rom. diſt. 26. q. 2. ar. 1. lib. 2. hanc tamdem putant eſſe probabilem.

Satisfit rationibus contrarijs. Trident. Ad rationes verò contrarias, adductas in confirmationem noſtræ primæ concluſionis, reſpond. Ad primam, Tridentin. eo in loco non affirmare verbis expreſſis charitatem eſſe cauſam formalem noſtræ ſanctitatis; ità quippe legit, *Demum vnica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei: non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit.* Quod verò poſtea ſubiungit, charitatem diffundi in cordibus noſtris; nomine charitatis, non intelligit ſolam charitatem habitualem, ſed etiam gratiam, vt obſeruant aliqui recentiores hoc loco; ſed nomine charitatis ſignat præter charitatem habitualem, gratiam, idque vel quia ex multorum opinione hæc duo non diſtinguuntur inter ſe realiter: vel quia licèt diſtinguantur inter ſe realiter, ità tamen coniunguntur, vt de lege communi nuſquam ab inuicem ſeparentur. Ex iſtis ergo non poſſunt authores euidenter demonſtrare non diſtingui inter ſe realiter, ſed tantùm formaliter: nam præterea quæ diximus obſeruandum eſt gratiam & charitatem nuncupari vnam iuſtitiam formalem, totalem, adæquatam: totalis autem iſta iuſtitia nec petitur à ſola gratia, nec à ſola charitate, neque ab iſtis duobus habitibus tantùm, ſed ſolùm, præcipuè, & principaliter: nam fides, ſpes, & alia dona ordinis ſupernaturalis, quæ infunduntur in iuſtificatione noſtra, pertinent ad cauſam formalem totalem iuſtificationis noſtræ.

Ad 2. omnes effectus illic commemoratos enunciari de charitate, non quidem formaliter, & intrinſecè; ſed tantùm concomitanter, idque propter connexionem indiſſolubilem, quæ reperitur inter gratiam & charitatem, vt docet Caietanus hoc loco. Vt autem hæc reſponſio ſit paulò euidentior. 2.

Aduerte, effectum formalem, qui debetur gratiæ, vt ſic, eſſe, facere hominem gratum, iuſtum, & ſanctum, & tribuere eidem ius ad vitam æternam obtinendam: effectus verò formalis qui debetur charitati, vt ſic, eſt, reddere hominem potentem in primo actu, ad hoc vt poſſit hic diligere Deum ſuper omnia, aut, vt alij volunt, facere hominem dilectiuum Dei. *Effectus formalis gratiæ.*

Ex iſtis colliges de charitate concedendum eſſe, quod faciat nos formaliter dilectiuos Dei in actu primo, & etiam in actu 2. interueniente operatione eiuſdem quæ nuncupatur, dilectio, & amor: in actu verò primo facit nos dilectiuos Dei per propriam entitatem receptam in voluntate noſtra, & ideò charitas, vt ſic ordinatur ad aliquos actus exercendos: gratia verò vt ſic, proximè ſaltem non eſt productiua operationis alicuius, ſed tantùm iuſtificat hominem formaliter. *Corollarium.*

Dices, ſi ità res haberet nullus poſſet eſſe gratus alteri ſinè gratia, nullus item poſſet amare ſinè charitate; cauſa enim formalis nullo modo ſuppleri poteſt reſpectu effectus formalis: quilibet autem noſtrùm diligit amicum, ſiue detur in eo charitas, ſiue non. *Obiectio.*

Reſpond. hominem diligere amicum & habere eumdem gratum ſinè gratia & charitate, quando quis diligit alium dilectione naturali, de qua non contendimus hoc loco: dilectione tamen ſupernaturali nullus eſt qui diligat Deum, aut proximum ſinè charitate & gratia: de hac ergo gratitudine ſupernaturali & dilectione contendimus gratiam eſſe cauſam formalem reſpectu gratitudinis, & charitatem reſpectu dilectionis ſupernaturalis tantùm. *Solutio.*

Ad 3. Conceſſa maiore, negando minorem: ad probationem autem gratiam & charitatem de lege communi non poſſe ſeparari: ſecus tamen de poteſtate abſoluta Dei: quare poſita illa hy- 3.

poteſi quòd moreretur aliquis in gratia ſinè charitate, dico de huiuſmodi quod conſequeretur vitam æternam; tum quia careret peccato mortali (gratia quippe & mortale peccatum opponuntur) tum quia eſſet ſanctus & gratus Deo, haberetque ius ad vitam æternam, ex eo quod haberet gratiam.

Ad id verò quod dicitur ex D. Aug. charitatem eſſe veſtem nuptialem per quam filij lucis à filijs perditionis ſeparantur. Reſpond. hoc eſſe verum, non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm de lege communi, & adhuc inadæquatè & partialiter; nam hoc etiam conuenit gratiæ, imò ſunt qui dicant competere charitati denominationem iſtam, reſpectu tantùm ad nos, iuxta modum loquendi Chriſti. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Charitas autem producit iſtos fructus.

Matt. 7. ℣. 16. Ad quartam, reſpond. per vnam & eamdem numero entitatem hominem eſſe gratum & acceptum Deo, & exercere operationes meritorias, ſaltem proximè; diximus enim in reſponſione ad 2. gratiam, vt ſic, facere hominem gratum & acceptum Deo: charitatem verò eſſe proximum & immediatum principium operationum meritoriarum: gratia autem & charitas diſtinguuntur realiter, cùm recipiantur in ſubiectis diſtinctis realiter.

Vltim. Ad vltimam, conceſſa maiore, nego minorem. Ad probationem autem deſumptam ex Trident. dico, probare tantùm gratiam non eſſe eſſentiam abſolutè & ſimpliciter loquendo rei cuiuslibet ſupernaturalis, quod nos vltrò concedimus: ac proinde fides, & ſpes, poſſunt manere in nobis ſinè gratia: eſt tamen gratia, eſſentia prima cuiuslibet rei ſupernaturalis meritoriæ, ità vt meritum conſurgere nequeat ſinè gratia, & ideò fides, & ſpes, non conducunt ad vitam æternam, niſi fuerint iſtæ coniunctæ cum gratia & charitate.

ARTICVLVS VLTIMVS.

An gratia ſit in eſſentia animæ ſicut in ſubiecto; An verò in aliqua potentiarum eiuſdem.

Gratia inhæret animæ proximè DOCET D. Thom. *Gratiam recipi in anima eſſentia proximè, minimè verò in voluntate*, & quidem conformiter iſs quæ tradiderat art. proximè antecedente. Probatur autem hęc opinio: Quod recipitur in voluntate tamquam in ſubiecto proximo, debet iuuare voluntatem in ſuis actionibus exercendis; præſidium quippe operandi, debet eſſe in illo eodem ſubiecto in quo eſt difficultas agendi, ex doctrina communi in tractatu de habitibus: at gratia non iuuat voluntatem in ſuis actionibus exercendis: hæc enim non eſt productiua alicuius operationis, aut, vt loquitur D. Thom. non eſt principium operandi, ſed tantùm eſſendi.

Effugium. Reſpondent authores contrariæ ſententiæ; non omne quod recipitur in voluntate perficere eamdem in ſuis operationibus exercendis: virtus enim fortitudinis & temperantiæ permanet in beatis, & tamen iſtæ nullos eliciunt actus in illis; ſpecies item iſtelligibiles recipiuntur in intellectu noſtro, pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali, & tamen iſtæ non iuuant intellectum in intelligendo, cùm nulla detur vis intellectiua in iſtis.

Præiudicatur. Verùm hæc reſponſio eſt planè impertinens; temperantia enim & fortitudo ſuas poterunt exercere operationes in quolibet exiſtente in terris; poſt mortem verò perſeuerant ad decorem naturæ noſtræ, ſpecies verò intelligibiles concurrunt effectiuè, &, ex veriori ſententia, cauſant in nobis intellectiones mouendo, & determinando intellectum, ad hanc potius, quàm ad aliam rem intelligendam, quod præſtare poſſunt etiamſi non detur in iſtis vlla vis intelligendi: concurrunt enim ſupplendo vicem obiecti repręſentati.

Deindę, habitus cognoſcitiui vnà cum intellectu producunt intellectionem, & tamen habitus iſti, cùm ſint inanimati, nullam habent vim intelligendi; ſicut ergo habitus hi conducunt ad intelligendum, eſto concurrant vi intellectiua; ita iuuare poterunt ad intellectionem ſpecies iſtæ, etiam ſi concurrant vi intellectiua.

Probatur 2. Ad illud idem terminatur regeneratio ſpiritualis, ad quod terminatur generatio naturalis: at hæc terminatur ad eſſentiam proximè, ex communi ſententia philoſophorum; totum quippe compoſitum generatur: ergo cùm eſſentia rei ſupernaturalis meritoriæ ſit gratia, hęc, erit in animæ eſſentia.

Reſponſio aliquorum non ſatisfacit. Reſpondent, argumentum hoc minùs probare: ex eo ſiquidem ſequitur terminum regenerationis ſpiritualis eſſe compoſitum ſupernaturale, quod nullus hactenus dixit. Verùm, licèt hæc reſponſio impugnari nequeat; poſſumus tamen reſpondere in eo valere comparationem; quòd quemadmodum compoſitum naturale eſt terminus generationis naturalis, ità eſſentia rei ſupernaturalis meritoriæ eſt terminus regenerationis ſpiritualis: & quia eſſentia iſta ſupernaturalis meritoria eſt accidens, ideò poſtulat ſubiectum aliquod in quo recipiatur: hoc ergo contendimus eſſe eſſentiam animæ. Denique, prius eſt hominem eſſe gratum Deo, ſecundum ſuam eſſentiam, quàm ſecundum operationes eiuſdem, vt colligitur ex illo Geneſ. 4. *Reſpexit Deus ad Abel, & ad* Gen. 4. ℣. 4. *munera eius*: ergo cùm hic ſit gratus Deo per gratiam, proximè, & per operationes eiuſdem, per fidem, ſpem, & charitatem, recipientur hæc tria proximè in potentijs, illa verò in eſſentia animæ.

Moneo tamen authores contrariæ ſententiæ reſicere reſponſionem hanc facilè; aiunt ſiquidem hominem non eſſe gratum Deo proximè per ſuam eſſentiam, ſed per gratiam & charitatem receptam in voluntate, tanquam in ſubiecto: quare dico hanc doctrinam acceptari à nobis propter authoritatem D. Thom. non autem propter aliquam demonſtrationem ab eodem excogitatam.

Obiectio. Obijciunt authores aduerſæ ſententiæ, peccatum recipi in voluntate: eſt enim peccatum intrinſecè liberum; liberum autem formaliter tàtùm eſt in voluntate: ergo & gratia recipitur in voluntate, contraria enim in vno & eodem ſubiecto locantur ex cap. de Oppoſitis, apud Ariſt.

Solutio. Reſp. conceſſo antecedente, nego conſequentiam: ad probationem autem, contraria ſubiectari in vno & eodem ſubiecto, ſi fuerint hæc aduerſa ex ſe, & ſua natura; minimè verò ſi fuerint aduerſa ex lege, & ex ordinatione diuina: peccatum autem & gratia non opponuntur ex ſe, & ſua natura. Deinde, peccatum & gratia non deſtruunt ſe phyſicè, ſed tantùm demeritoriè.

Moneo

Digitized by Google

Moneo tamẽ peccatum originale opponi gratiæ iuſtificanti, quare de hoc concedendum eſt, quòd ſit in animæ eſſentia; priuatio enim eſt in illo eodem ſubiecto, in quo reperitur habitus eidem oppoſitus.

Replica. Inſtant: gratiam, vt ſic, facere hominem iuſtum, ſanctum, & bonum; peccatum verò reddere hominem iniuſtum, ingratum, & inuiſum Deo.

Diſſoluitur. Reſp. gratiam, vt ſic, facere hominem iuſtum, & gratum Deo, non quidem ſolùm, ſed ſi fuerit hæc coniuncta cum externa Dei condonatione, vt probabitur infra, vbi de iuſtificatione: de peccato tamen mortali non eſt concedendum, quòd faciat hominem iniuſtum, deſtruendo in eo gratiam & charitatem ex ſe & ſua natura, ſed tantùm de lege & ordinatione diuina; Deus namque eſt qui ordinauit, vt interueniente culpa mortali deſinat eſſe in nobis gratia & charitas.

Obiectio. Obijcies, D. Anſelmum definire iuſtitiam & iniuſtitiam eſſe in voluntate.

Solutio. Reſp. hoc eſſe verum: nomine tamen iuſtitiæ & iniuſtitiæ non intelligit gratiam iuſtificantem, aut peccatum mortale in communi ſumptum; ſed tantùm ſpecialem habitum virtutis iuſtitiæ & iniuſtitiæ, comparatum ex iteratis & frequentatis actibus iuſtitiæ & iniuſtitiæ: habitus autem iſti in voluntate ſedem habent.

QVÆSTIO CXI.

De diuiſione gratiæ.

ARTICVLO 1. Docet S. Doctor gratiam aliam eſſe gratis datam: aliam verò gratum facientem.

ARTICVLO 2. Gratiam diuidit in operantem & cooperantem.

ARTICVLO 3. Partitur gratiam in præuenientem & ſubſequentem: Circa iſtos Articulos ſit

DVBITATIO PRIMA.

Quot ſint diuiſiones gratiæ, & quæ.

Gratia alia actualis, alia habitualis. CONCLVSIO 1. *Gratia in communi ſumpta, alia eſt actualis, alia verò habitualis* Ità D. Thom. q. 109. ar. 6. 9. & 10. & Sententiarij in 2. diſt. 16. illa cenſetur eſſe donum receptum in nobis ad modum alicuius actus tranſeuntis: hæc verò cenſetur eſſe donum locatum in nobis ad modum alicuius qualitatis permanentis: imò ex veriori opinione ſemper eſt qualitas inhærens, & permanens.

Gratia gratis data, & gratum faciens. 1. Cor. 12. ¶. 7. CONCLVSIO 2. *Gratia ſubdiuiditur in gratis datam, & gratum facientem:* Ità D. Th. ar. 1. huius q. colligitur autem hæc diuiſio ex Paulo, c. ſiquidẽ 12. prioris ad Cor. ait, *Unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* & Rom. 3. ait, *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Locus hic poſterior de gratia gratum faciente agit, ille verò prior de gratia gratis data: hæc definitur, donum à Deo datum, ad hoc vt ſalus aliena promoueatur: gratia verò gratum faciens cenſetur eſſe donum à Deo collatum, ad hoc vt quiſque ſalutem ſuam conſequatur. Rom. 3. ¶. 24.

Obiectio. Dices, gratiam gratis datam eſſe idem cum diuiſo: nam quælibet gratia quæcumque illa ſit, gratis datur, ex cap 3. Rom.

Solutio. Reſpondeo, nomen generis, ſeu diuiſi in hac diuiſione enunciari de altero membro diuiſionis, ob defectum nominis excogitati ad gratiam iſtam ſignificandam; re vera tamen membrum hoc, eſt aliquid diuerſum à genere, vel diuiſo: nam ſupra id quod gratis datur, dicit, quòd ſit data ad ſalutem alienam promouendam; gratia verò gratum faciens ad propriam perficiendam.

Operans & cooperans. CONCLVSIO 3. *Diuiditur gratia in operantem, & cooperantem*: ità D. Thom. Magiſter, & D. Auguſtin. lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 17. *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incepit, quia ipſe vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.*

Dubitant autem Theologi quid ſignificetur nominibus iſtis, operantis, & cooperantis. Reſpond. eos magis ad veritatem acceſſiſſe, qui dicunt nomine gratiæ operantis ſignificari illud auxilium quod producit in nobis bonam voluntatem & charitatem, ceterùm inchoatam & imperfectam, & præterea ante omnem aſſenſum voluntatis noſtræ; nomine verò gratiæ cooperantis, ſignificatur donum illud quod & perfectam bonam voluntatem, & charitatem in nobis producit, ceterùm poſito aſſenſu libero voluntatis noſtræ. Ità D Auguſtin. lib. citato: *Qui ergo vult Deo facere mandatum, & non poteſt, iam quidem habet bonam voluntatem, ſed adhuc paruam & infirmiſſimam; poterit autem, cùm magnam habuerit & robuſtam,* & paucis interiectis ait voluntatem iſtam paruam nihil aliud eſſe, quàm charitatem imperfectam & incipientem: magnam autem voluntatem ait eſſe perfectam charitatem, hanc docet fuiſſe in martyribus quando paſſi ſunt pro Chriſto; illam autem in D. Petro, quando dixit, *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* D. Auguſt. Matth. 26. ¶. 35.

Præueniens & ſubſequens. CONCLVSIO 4. *Gratia diuiditur in præuenientem & ſubſequentem.* Ità D. Thom. hoc loco, & Sententiarij in 2 diſt. 28. colligitur autem hæc ex ſacris literis: de gratia ſiquidem præueniente dicitur Apoc. cap. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo.* Et adhuc expreſſius Pſal. 20. *Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* & Pſal. 55. *Miſericordia Domini præueniet me* De gratia vero ſubſequente Pſalm. 22. *Et miſericordia eius ſubſequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.* Traditur præterea à Patribus, maximè verò à Diuo Auguſt. lib 2. contra duas epiſt. Pelagianorum, cap. 9. & lib. de natura & gratia, cap. 31. & refert D. Thomas art. 3. huius quæſt. *Præuenit*, inquit, *vt ſanemur, ſubſequitur vt ſanati vegetemur: præuenit vt vocemur, ſubſequitur vt glorificemur*, & in Enchir. cap. 32. *Nolentem præuenit, vt velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* & Bernard. ad hæc verba Canticorum 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Gregor. lib. 9. Moral. cap. 29. ad hæc verba Iob 10. *Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi.* Apoc. 3. ¶. 20. Pſalm. 20. ¶. 4. Id. 55. ¶. 11. Id. 22. ¶. 6. *Auguſtini authoritas.* Bernard. Gregor. Iob 10. ¶. 12.

Obiectio. Obijcies, Pſalm. 118. dici, nos præuenire Deum, ad hoc vt poſtea honeſtam operationem aliquam exerceamus, *Præueuerunt*, inquit, *oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* & Pſal. 87. *Et manè oratio mea præueniet te.*

Pſal. 118. ℣. 148. Id. 87. ℣. 14.

Solutio. Reſp. gratiam Dei producere in nobis quinque effectus: primus eſt, ſanare animam noſtram: ſecundus eſt velle bonum: tertius, operari meritoriè: quartus, perſeuerare in bonis operibus: quintus, glorificari: quando ergo Pſaltes regius ait, nos præuenire Deum, hoc non venit intelligendum de primo, aut ſecundo effectu, ſed tantùm de tribus poſterioribus: de prioribus quippe dicitur 2. Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* & alibi. *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.* Tres verò poſteriores effectus gratiæ, ità ſunt à Deo, vt tamen præſupponant in nobis aſſenſum liberum: nam apud omnes indubitatum manet, neminem poſſe mereri, aut perſeuerare in bonis operibus, aut etiam donari vita æterna, niſi dependenter à libertate noſtra, vt pluribus aliàs oſtenſum eſt.

2. Cor. 3. ℣. 5. 1. Cor. 12. ℣. 3.

Conclvsio. *Gratia diuiditur in excitantem & adiuuantem*: hæc traditur à Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & à D. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 18. *Quod verò, inquit, ad Deum nos conuertimus niſi ipſo excitante, atque & adiuuante non poſſumus.* Idem aſſerit de gratia & libero arbitrio Bernard. vbi aſt, conatus noſtros ad bonum, & caſſos eſſe ſi non adiuuentur, & nullos ſi non excitentur. Deducitur autem ex ſacris literis: de gratia namque excitante legitur, Apoc. 3. *Eccè ſto ad oſtium & pulſo*: de adiuuante verò 1. Cor. c. 15. *Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Gratia autem excitans cenſetur eſſe ea quæ ante omnem aſſenſum liberum voluntatis noſtræ proponit intellectui, quæ ſint agenda, & quæ ſint vitanda, & quæ de facto producit aliquas operationes in intellectu & voluntate noſtra, etiam nobis interdum renitentibus, vt conſtat ex Actibus Apoſt. cap. 9. Paulus ſiquidem excitatur ad ſuorum ſcelerum deteſtationem, & ad fidei Chriſtianæ acceptationem pro eo tempore quo proficiſcebatur Damaſcum, vt vinctos Catholicos perduceret in Hieruſalem. Gratia verò adiuuans dicitur ea, qua, ſuppoſita excitatione, Deus facit vt operemur, & quidem interueniente aſſenſu voluntatis creatę. Vt autem tres poſteriores diuiſiones intelligantur

Excitans & adiuuans.

Apoc. 3. ℣. 20. 1. Cor. 15. ℣. 10.

Notabile. Aduertendum eſt, gratiam operantem, præuenientem, & excitantem ſolo nomine diſtiugui, & idem dicendum eſt de cooperante, ſubſequente, & adiuuante, vt admonent interpretes D. Thomæ hoc loco, & Sententiarij in 2. diſt. 23. 27. & 28. idem colligitur ex Patribus, D. Auguſtin. locis citatis, Gregor. hom. 9. in Ezechielem.

Effectus gratiæ excitantis ſunt indeliberati. Araufican. Proſper. Bernard. Trident. Aduertendum eſt 2. effectus gratiæ excitantis non eſſe poſitos in noſtra voluntate, quare cenſendi ſunt indeliberati: Concilia ſiquidem propter hanc cauſam docent Deum operari aliqua in nobis ſinè nobis: ità Araufican. II. cap. 20. *Multa ſunt in homine bona, quæ non facit homo, nulla verò bona facit homo, quæ non præſtet Deus, vt faciat homo.* Idem docent Patres: Proſper lib. 2. de vocatione gentium. Bernard. de gratia & libero arbitrio, & Trident. ſeſſ. 6. can. 5. opponunt enim cooperationem liberam actibus gratiæ excitantis, Idipſum etiam tradunt Gregor. lib. 16. Moral. cap. 10. & Anſelmus ad hæc verba Corinth. *Abundantiùs illis omnibus laboraui. Superna*, inquit, *pietas prius aliquid agit in nobis, ſinè nobis, vt ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiſcum*, & D. Auguſt. lib. 2. ad Simplicianum, & de ſpiritu & litera, cap. 34. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus & vt credamus: ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſiue intrinſecus vbi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem: ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.*

Gregor. 1. Cor. 15. ℣. 10.

Deinde, Scripturæ tribuunt effectus iſtos ſoli Deo, Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* & Matth. 10. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Non eſt tamen exiſtimandum de effectibus iſtis gratiæ excitantis, quòd ſint tantùm à Deo effectiuè, minimè vero ab intellectu & voluntate noſtra; cùm enim ſint illuſtrationes & illuminationes aliquæ intellectus, & inſpirationes & motiones voluntatis noſtræ, certè ad iſtos concurrimus actiuè: nam actus vitalis intrinſecè & eſſentialiter pendet à potentia vitali vitaliter operante: illuminationes autem gratiæ excitantis & motiones voluntatis ſunt actus vitales, ac proinde effectus iſti ſunt à gratia excitante, & à nobis actiuè, ſeu, quod idem eſt, elicitiuè. Ità recentiores multi hoc loco, contra veteres aliquos Nominales & recentiores ſeculi proximè antecedentis.

Rom. 9. ℣. 16. Matth. 10.

Effectus autem gratiæ adiuuantis ſunt à nobis nedum actiuè, ſed etiam liberè, vt tradunt Patres proximè citati: Deinde, quia effectus iſti gratiæ adiuuantis, pro eo tempore ſaltem quo ſumus in hac vita mortali, ſunt meritorij de condigno vitæ æternæ; at meritum hoc conſurgere nequit ſinè libertate: ergo effectus gratiæ excitantis ſunt tantùm in nobis ſpontanei & voluntarij, non autem liberi, eò quòd dentur ante omnem aſſenſum libertatis noſtræ.

Notabile. Aduerte 3. Effectus gratiæ adiuuantis, ac proinde ipſammet gratiam adiuuantem non eſſe deſumendos ex vna planè entitate: nam gratia hæc facit primùm vt ſanetur anima noſtra, ac conſequenter tollatur infirmitas operandi actiones ſupernaturales: roboratur præterea natura in ordine ad huiuſmodi actus ſupernaturales: quare admittendæ ſunt in intellectu illuſtrationes aliquæ, & in voluntate motiones quibus mouemur meritoriè.

Adeſt præterea præſidium aliquod ſpeciale diuinum extrinſecum, quo facit Deus, media iſta gratia adiuuante, vt imminuantur & debilitentur tentationes, & vt non occurrant occaſiones peccandi, & demum concurrit Deus concurſu aliquo ſpeciali nobiſcum, in iſtis actionibus exercendis, vt conſtat ex D. Thoma hac in parte: ait enim hominem indigere gratia ſanãte, & eleuante ad opera, quæ excedunt facultatem noſtram, & deinde auxilio diuinæ motionis, & præterea gratia diuinæ dilectionis & protectionis.

Corollariũ. Ex iſtis colliges, gratiam excitantem, operantem, & præuenientem ideò infundi nobis à Deo, vt dentur operationes aliquæ ſupernaturales; neque enim fieri poteſt vt aliqua operatio ſit ſupernaturalis, niſi habeat ortum à principio ordinis ſupernaturalis; ante infuſionem autem, gratiæ excitantis, operantis, ſeu, præuenientis nihil eſt in nobis,

nobis, quod sit ordinis supernaturalis: ergo ideò A conferuntur vt producamus actum supernaturalem: Ità Concil. Arausican. II. can.5. D. August. de spiritu & litera, cap. 34. & lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2.

Gratia sufficiens & efficax.

CONCLVSIO VLTIMA. *Gratia diuiditur in sufficientem & efficacem:* Illa definitur auxilium, quòd datur bonis & malis, quódque satis est ad suos producendos effectus, de facto tamen nusquam illos producit; hæc verò censetur esse auxilium, quod & potest suos producere effectus, & semper illos infallibiliter producit, in illis omnibus, in quibus reperitur. Ità D. August. lib.de correpț. & gratia, c. 11. & 12. *Aliud*, inquit, *est adiutorium sinè quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium quo aliquid fit.* Et locis supra cit.idem tradit D. Thom. art. 10. quæst. 109. & Scholastici recentiores hoc loco.

DVBITATIO SECVNDA.

An gratia sufficiens detur omnibus, & singulis mortalibus in hoc mundo constitutis.

Partis negantis argumenta.

GRAVES occurrunt de hac re difficultates. Scriptura namque sacra docet impossibile esse corrigere eum, quem Deus despexerit, Eccles. 7. ℣. 14. Eccles. 7. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Addit plerosque non credidisse prædicante Christo, quòd eorum corda essent indurata: ità Ioan. 12. Præterea monet hæc eadem Deum nolle exaudire aliquos, idque propter peccata fœdissima ab eis commissa: Mac. 2. ℣. 13. ità dicitur 2. Machab. cap. 9 de Antiocho. *Orabat hic sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus,* & 1. Reg. 3. ℣. 14. 1. Reg. cap. 3. dicitur de domo Heli; *Iurauí*, ait Deus, *domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus, vsque in æternum,* & Prouerb. 1. Prouer. 1. ℣. 28. *Inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me:* & apud Esaïam. Isai. 1. ℣. 15. *Non exaudiam, manus enim vestræ* D *sanguine plenæ sunt.*

2. Secunda difficultas. SS. Patres docent Deum ità despicere peccatores aliquos, vt non possint isti de peccatis commissis dolere, etiam si id præstare velint: ità docet Isidorus lib. 2. de summo bono, cap. 15. *Nonnulli*, ait, *ità à Deo despiciuntur, vt deplorare sua mala non possint, etiam si velint.* D. August. & D. Augustinus propositione 26. in epist. ad Rom.& epist. 107.ad Vitalem ait: *Scimus gratiam Dei, nec parvulis, nec maioribus sed secundum merita nostra dari* & lib.2. contra Iulianum negat, Deum omnes homines velle saluos fieri, etiam si velint.

3. Tertia, Concilium Trident. ait, constitutos E in charitate nusquam deseri à Deo, nisi prius fuerit hic ab istis derelictus: ergo quandocumque contigerit quempiam deserere Deum per peccata turpissima,contemnetur & hic à Deo: ac proinde carebit gratia necessaria ad hoc vt resipiscere possit.

4. Quarta, Innumeri propemodum moriuntur in vteris maternis, quibus ex consequenti nullum constitutum est remedium, per quod salutem consequi possint; est enim de fide neminem sinè baptismo saluari posse, baptismus autem nequit Ioann. 3. ℣. 5. applicari alicui antequàm fuerit natus, ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,&c.* Augetur difficultas ista: Deus sua prouidentia, secluſâ omni planè culpâ parentum, aut etiam cuiusliber alterius hominis, facit vt pereat infans in vtero materno, ex vi dispositionum quę dantur in causis naturalibus: ergo saltem tunc non potest dici de istis paruulis quod habeant gratiam sufficientem necessariam ad salutem propriam.

Vltim. Denique, dantur innumeri qui nihil hactenus audiuerunt de fide, & religione Catholica, quæ tamen est simpliciter necessaria ad salutem, cùm sinè fide Christi nullus inter adultos saluari possit, ex Paulo ad Hebr. 11. *Sinè fide autem impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad* B *Deum*: Ergo denſtis concedendum est quod non habeant gratiam sufficientem ad salutem promouendam. Hebr. 11. ℣. 6.

Omnibus datur sufficiens gratia.

CONCLVSIO I. *Nullus planè datur, etiam si agat in abditissimis & remotissimis partibus terra, in quibus nihil hactenus auditum fuit de Euangelio, qui non habeat gratiam sufficientem, per quam potest salutem propriam perficere, si velit.* Hæc videtur esse de fide; sacra enim Concilia verbis expressis docent, Deum velle omnium planè hominum salutem: ità habet Concilium Arausicanum II. can. 25. *Quia gratiam, etiam post aduentum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed in Christi nomine simul credimus largitate* C *conferri.* & idem alibi sæpe hoc ipsum colligitur ex Concilio Tridentino,sessione 6. can. 4. & 9. Trident.

Deinde, 1. Timoth. cap. 2. ità dicitur: *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire.* & 1.Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* & Rom. 5. *Vbi abundauit delictum superabundauit gratia.* & 1. Cor. 15. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes viuificabuntur.* 1. Tim. 2. ℣. 4. 2. 1. Ioan. 2. ℣. 2. Rom. 5. ℣ 20. 1.Cor. 15. ℣. 22. 3.

Tertiò, idem docent Patres,D. Augustin. lib. 1. Retractationum, cap. 22. & de vera religione cap. 55. & tractatu 1. in Ioan. & lib. 2. de peccatorum meritis,cap. 17. Hieron. in epist. ad Cyprianum, *Ità & homo*, inquit, *à principio suæ conditionis Deo vtitur adiutore, & cum illius sit gratia, quòd creatus est, illiusque misericordia, quod subsistit, & viuit, nihil boni operis agere potest absque eo,qui ità concessit liberum arbitrium, vt suam per singula opera gratiam non negaret, ne libertas arbitrij redundaret ad iniuriam conditoris.* & ibidem docet gratiam istam omnibus omnino dari: & Prosper Aquitanicus lib. 2. de vocatione gentium, cap. vltimo, & lib. 1. cap. 7. Leo serm. 16. de passione, & Ambros. serm. 8. ad hæc verba: *Misericordia Domini plena est terra.* & lib. de paradiso, cap. 8. & Cyprianus serm. de lapsis, Damasc. lib. 2. de fide,cap. 29. & denique Cyril. Alexand. lib. 1. in Ioan. cap. 12. D. August. Hieron. Psalm. 32. ℣. 5.

Ratio conclusionis.

Postremò, qui vult dare omnibus & singulis vitam æternam, dat etiam media sinè quibus hæc obtineri nequit; est enim propositio indubitata, eum qui intendit finem, intendere etiam media; at certum est Deum velle omnibus & singulis dare vitam æternam, ex c. 2. 1. Corinth. ergo cùm hæc non possit haberi sinè medijs necessarijs ad huius consequutionem,Deus & media ista ordinauit,& dare voluit.

Effugium precluditur.

Respondent aliqui, Deum voluntate antecedente, non autem consequente velle quibusuis

dare vitam æternam. Ceterùm reſponſio hæc non minuit argumenti vim ; tam verè quippe Deus per ſuam voluntatem conſequentem ordinauit quoslibet homines in vitam æternam , quàm per voluntatem antecedentem (quæcumque enim ex iſtis voluntatibus , dicit aliquem actum intrà Deum , quo vult dare vitam æternam) at fatentur Deum velle dare media neceſſaria, voluntate antecedente : ergo idem erit dicendum de conſequente.

Deinde , poſito peccato primi parentis, ex doctrina D. Auguſtin. & S. Thom. Deus otdinauit Verbi incarnationem , ad reparationem generis humani : at omnibus & ſingulis mortalibus prodeſſe poteſt incarnatio ; tum quia Scripturæ teſtantur Chriſtum ſanguinem ſuum effudiſſe pro mortalibus omnibus, & ſatisfeciſſe pro peccatis quorumcumque , inſtituiſſe Sacramenta nomine omnium , & denique præcepiſſe Apoſtolis poſt mortem ſuam vt ad quamcumque nationem accederent euulgandæ legis Euangelicæ cauſa, Marc. 16.& Matth. vltimo : *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Tum denique quia aliter concedendum eſſet extare pleroſque qui peccando non peccarent; nemo enim peccat in ijs quæ euitare non poteſt : at ſinè medijs neceſſarijs ad ſalutem , nullus eſt qui poſſit vitare quælibet peccata : ergo ſicut Deus vult omnium ſalutem , ità quoque omnibus confert media neceſſaria ad eamdem obtinendam.

Marc. 16. ℣. 15. Matth. 28. ℣. 19.

Gratia ſufficiens datur in quolibet inſtanti temporis , ſed tantùm quotieſcumque incumbit neceſſitas adimplendi præceptum aliquod, aut vitandi aliquam culpam, aut etiam bonum aliquod opus perficiendi &c.

Conclvsio 2. *Gratia ſufficiens non datur in quolibet inſtanti temporis , ſed tantùm quotieſcumque incumbit neceſſitas adimplendi præceptum aliquod, aut vitandi aliquam culpam, aut etiam bonum aliquod opus perficiendi :* Primùm , quia propter hanc cauſam dicitur de Deo , quòd ſit, *Adiutor in opportunitatibus* , apud Pſalmiſtam.

Pſal. 9. ℣. 10.

Deinde , quia nullus eſt qui experiatur ſibi adeſſe auxilium hoc ſufficiens, bene tamen quotieſcumque implere oportet præceptum aliquod. Confirmatur , auxilium ſufficiens ordinatur ad peccata vitanda , & ad bona opera præſtanda , ex ſe , & ex diuina inſtitutione , vnde dicitur Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo.* ergo tunc temporis erit auxilium hoc præſentiſſimum , quando incumbet neceſſitas adimplendi præceptum , aut quando ſuperandæ erunt tentationes , & bona opera exercenda. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Auguſt.lib. 4. in Iulianum vbi docet quod quemadmodum baptiſmus non datur omnibus & ſingulis; ità nec auxilium ſufficiens adeſt in quolibet momento , ſed quando premitur quis tentatione. aut tenetur bene operari.

Apoc. 3. ℣. 20. D. Aug.

Rogabis, *Ad quid detur auxilium ſufficiens nobis.*

Reſpond. ex dictis id facilè colligi ; nam diximus auxilium hoc præſentiſſimum eſſe, poſita quacumque occaſione.

Dices , extare peccata aliqua irremiſſibilia , ex cap. 12. Matt. *Si quis dixerit verbum contra Spiritum ſanctum non remittetur ei , neque in hoc ſeculo , neque in futuro.* Hebr. 6 *Impoſsibile enim eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte , & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum ,virtutesque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt . rurſus renouari ad pœnitentiam ,* &c 1. Ioan. 5. *Eſt peccatum ad mortem , non pro illo dico vt roget quis.*

Matt. 12. ℣. 32. Hebr. 6. ℣. 4. 1. Ioan. 5. ℣. 16.

Reſpond. Ad 1. peccata dici irremiſſibilia, non quod remitti nequeant , ſed quod difficili ratione condonentur. Ad ſecundum , contendunt intelligendum eſſe de peccatis poſt baptiſmum, & ideò dici de ijſdem quòd non remittantur per ſacramentum baptiſmatis ; non enim hoc iterari poteſt cùm imprimat characterem; poſſunt tamen hæc remitti per penitentiam: poſterior verò locus Ioan. agit de peccato finalis impenitentiæ , quod abſolutè loquendo ſit irremiſſibile:quia verò coniungitur cum termino vitæ , (poſt quam nulla peccata mortalia remitti poſſunt) dicitur hoc irremiſſibile,& ideò quòd non ſit pro eo orandum, vt ſcilicet condonetur.

Ad rationes contrarias reſp. Ad 1. ex priori teſtimonio Scripturæ illic adducto, tantùm colligi Deum negare & ſubtrahere gratiam ſuam efficacem pleriſque ; hæc enim datur illis tantùm qui de facto conuertuntur;diximus enim gratiam efficacem eſſe eam quæ infallibiliter ſuos producit effectus ; ſufficientem verò , quæ ſuos ſortiri poteſt effectus , nuſquam tamen de facto conſequitur. Reſp. 2. ex hoc loco Scripturæ probari tantùm Deum ſubtrahere aliquam gratiam ſufficientem non tamen omnem , quod manifeſtè colligitur ex cap. 11. Matth. *Væ tibi Choroſaïn , væ tibi Bethſaïda : quia , ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes , quæ factæ ſunt in vobis , olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent : verumtamen dico vobis , Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij , quàm vobis* : ergo negatur aliqua gratia ſufficiens , non tamen omnis, quia quemadmodum Deus vult omnium ſalutem , ità etiam dat auxilia quibuſuis ad ſalutem neceſſaria. Ex loco verò Ioan. 6. & 12. tantùm probatur diſcipulos iſtos, vel potiùs Iudæos non potuiſſe conuerti ad fidem Chriſti , non quidem ſimpliciter & abſolutè , ſed tantum ex hypotheſi, ſuppoſitâ ſcilicet eorum obſtinatione & cordis obduratione in peccato incredulitatis. Ex alijs item omnibus teſtimonijs , hoc vnum colligere licet , Deum non exaudire illos penitentes , neque gratiam ſuam iuſtificantem eiſdem conferre, qui dolent de peccatis, hoc ſolo nomine , quod experiantur pœnas aliquas temporales: certum enim eſt attritionem , eſto detur in nobis dependenter ab auxilio aliquo ſpeciali diuino, non eſſe tamen diſpoſitionem ſufficientem vt aliquis iuſtificetur à peccato mortali : hac ergo ratione intelligendæ ſunt Scripturæ iſtæ , in quibus dicitur Deum non exauditurum peccatores , neque eiſdem miſericordiam ſuam conceſſurum: precantibus autem Deum & penitentiâ agentibus, ex dolore perfecto de peccatis , qui vulgo nuncupatur contritio , ſolet Deus indubitanter conferre gratiam iuſtificantem cum dicat, Ezechiel 33. *Impietas impij non nocebit ei , in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.*

Satisfit rationibus contrarijs. 1.

Matth. 11. ℣. 21.

Ezech. 33. ℣. 12.

Ad 2. verò difficultatem. Reſp. D. Auguſtinum fuiſſe dubium ea in re; interdum enim ait Deum conferre omnibus ſuam gratiam , & velle quorumcumque ſalutem:interdum verò id negat: benignè tamen poſſumus reſpondere cum Peſantio, D. Auguſtinum affirmare certis quibuſdam locis,maximè verò epiſt. 107. Deum non dare omnibus ſuam gratiam , quam confert fidelibus quibuſuis , ſed iſtam negare innumeris , & hoc velle D. Auguſtinum illis in locis ; minimè verò negare Deum gratiam ſufficientem quibuſuis peccatoribus. Reſp. 2. D. Auguſtinum affirmare interdum Deum nolle omnium ſalutem , non quidem ſimpliciter, ſed tantùm iuxta mentem Iuliani Pelagiani (hic enim credidit in poteſtate cuiuſlibet

2. *Explicatur Auguſtin.*

bet eſſe ſeipſum ſaluare) bene tamen iuxta mentem Pauli, idque quòd hic doceat neminem poſſe conſequi ſalutem ſinè gratia Chriſti, ac proinde dependenter à meritis eiuſdem. Denique reſpondeo ex iſtis omnibus teſtimonijs Patrum ſequi, Deum negare etiam ſufficientem interdum, nempe quando non incumbit neceſſitas adimplendi præceptum, aut vitandi peccatum, aut denique bonum aliquod opus exercendi.

3. Ad 3. verò difficultatem. Reſpond. procedere de gratia cooperante, & ſubſequente, vt eſt per ſe notum, ex loco Concilij Trident. adducto: Concluſio verò noſtra loquitur de gratia præueniente, excitante & operante.

4. Ad 4. ſunt qui dicant, Deum nullum planè inſtituiſſe remedium pro paruulis iſtis, niſi in primo parente in quo habuerunt ius ad iuſtitiam originalem conſequendam per generationem naturalem, vel in communi tantùm, in quantum ſcilicet ſunt homines, in quorum gratiam inſtituit Deus baptiſmum pro ſtatu legis Euangelicę.

Ceterùm, hæc opinio nulla ratione eſt defendenda. Primùm, quia de fide eſt baptiſmum eſſe ſimpliciter inſtitutum, ad quorumcumque ſalutem. Deinde, quia de fide etiam eſt Chriſtum eſſe paſſum nomine omnium hominum, iuxta doctri-
1. Cor. 15. verſ. 22. nam D. Pauli. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Tertiò, ad hoc vt aliquis poſſit baptizari, ſatis eſt, quòd ſit natus, quòd detur aqua naturalis, & miniſter; at hæc omnia poſſunt habere locum in pueris, etiam illis, qui ex hypotheſi moriuntur in vteris maternis, ſaltem abſolutè & ſimpliciter loquendo; per accidens enim fit vt moriantur iſti in vteris maternis. Ad id verò quod dicitur, Deum diſponere cauſas ſecundas, vt paruuli moriantur in vteris maternis ſinè baptiſmi ſuſceptione. Reſpond. hoc eſſe nimis durum creditu; cùm enim Deus per ſuam prouidentiam concurrat ad productionem iſtorum paruulorum intrà vterum; ità quoque ex vi eiuſdem prouidentiæ videtur velle quòd extra vterum per natiuitatem appareant, ac proinde quòd iſtis etiam applicetur baptiſma. Deinde, eſt quàm maximè probabile nullum ex iſtis intrà vterum decedere ſinè culpa parentum, proximorum, aut remotorum; ac proinde totum defectum ſuſceptionis baptiſmi refundendum eſſe in parentes; non autem in Deum, qui ſinit cauſas ſecundas conformiter ſuę naturę operari, neque ordinat illas ad interitum pueri. Quod ſi D. Auguſtinus aliquando videatur contrariam tueri opinionem; alibi tamen ſecus ſentit, vnde cùm hac in re fuerit dubius, ſtandum eſt potiùs iudicio ceterorum, qui docent Deum velle iſtorum ſalutem, & inſtituiſſe remedium vt in illis remitteretur peccatum originale.

Solutio vltimi arg. Ad vltimam. Reſpond. conſtitutos in illis partibus vniuerſi, in quibus nihil auditū eſt de Euangelio, non carere auxilio ſufficienti neceſſariò ad ſalutem; habent enim lumen rectę rationis, cum quo poſſunt, ſi velint, conformiter rectę rationi operari, quod ſi facerent, reuelaret Deus iſtis ea quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, quò tandem vitam æternam conſequerentur, quemadmodum fecit antiquitus Cornelio Centurioni in Actibus Apoſtolorum, & noſtris ſeculis tranſmiſit Paſtores, & Doctores ad incolas noui orbis, à quibus fuerunt illic degentes inſtructi de ijs quæ ſunt fi-

A dei Chriſtianę, & Catholicę. Deinde, cùm Deus neminem deſerat conſtitutum in neceſſitate, occultis quibuſdam inſpirationibus, aut etiam ope Angeli manifeſtaret hominibus illis ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſi dictamen rectę rationis ſequerentur in omnibus.

DVBITATIO TERTIA.

An in omni conuerſione, per quam quis auertitur à peccato, & conuertitur in Deum, vt in vltimum finem, detur auxilium præueniens & ſubſequens, excitans & adiuuans, operans & cooperans.

VEga in Concilium Trident. & alij nonnulli recentiores, putant in conuerſionibus ſubitis, dati tantùm auxilium præueniens; non autem conſequens, idque quòd auxilia iſta nequeant diſtingui in huiuſmodi conuerſionibus. *Quorundā ſententia.*

Contraria tamen ſententia eſt indubitata; in Concilio ſiquidem Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. dicitur, *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei, per Chriſtum Ieſum, præueniente gratia ſumendum eſſe:* ex quo colligitur in omni iuſtificatione reperiri gratiam præuenientem, & cap. 6. dicitur reperiri etiam gratiam adiuuantem, quæ eſt eadem cum ſubſequente & cooperante: ità enim legit: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum.* & can. 3. eiuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Nomine verò adiutorij nihil intelligit, quàm gratiam ſubſequentem, vt eſt per ſe notum. *Vera ſententia Trident.*

Secundò, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia: D. Auguſt. in Enchirid. ad Laurent. cap. 32. *Cùm*, inquit, *proculdubio, ſi homo eius ætatis eſt, vt ratione iam vtatur, non poſſit credere, ſperare, diligere niſi velit, nec peruenire ad palmam ſuperna vocationis Dei, niſi voluntate concurreris: quomodo ergo non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; niſi quia & ipſa voluntas, ſicut ſcriptum eſt à Deo præparatur?* & de natura & gratia, cap. 32. Bernard. lib. de interiori domo, cap. 26. & Gregor. lib. 19. Moralium cap. 11. & 12. & lib. 14. cap. 12. & homil. 9. in Ezechielem. & recentiores D. Thomę interpretes hoc loco, & in tractatione de auxilijs. 2. D. Auguſt. Bernard. Gregor.

Denique, conuerſio quælibet à peccatis, vt oportet, eſt diſpoſitio ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans; atqui nemo poteſt iuſtificari à peccato mortali commiſſo, niſi dependenter à gratia Dei excitante, ex illo; *Sinè me nihil poteſtis facere.* Ioann. 15. neque item ſinè gratia ſubſequente, ex illo D. Auguſtini, ſermone 15. de verbis Apoſtolis, cap. 11. *Qui fecit neſcientem, non iuſtificat niſi volentem:* ergo in omni conuerſione vera & perfecta à peccatis, deſideratur gratia præueniens & ſubſequens. 3. Ioann. 15. verſ. 5.

Ad rationem verò contrariam. Reſp. ex ea tantùm colligi, gratiam præuenientem & ſubſequentem in conuerſionibus inſtantaneis non diſtingui inter ſe realiter, quod nos vltrò fatemur; minimè verò formaliter: nam vna & eadem *Diſſoluitur ratio aduerſar.*

numero entitas gratię, prout excitat voluntatem noſtram ad actum conuerſionis ante aſſenſum liberum voluntatis noſtrę, dicitur gratia præueniens; prout verò coniungitur cum actu libero voluntatis, dicitur ſubſequens.

DVBITATIO QVARTA.

An gratia præueniens, cum qua omnes illi qui conuertuntur de facto reſipiſcunt, ac proinde qua eſt efficax, prædeterminet phyſicè, an verò moraliter dumtaxat liberum arbitrium.

Thomiſtarũ opinio.

DVæ ſunt de hac re extremę ſententię, quarum neutra eſt de fide; Clemens quippe VIII. Pontifex Max. de hac re conſultus, fecit poteſtatem defendendi quamlibet; modò tamen alteram nullâ notaret cenſurâ. Thomiſtę ergo omnes communiter affirmant gratiam iſtam præuenientem efficacem prædeterminare phyſicè liberum arbitrium, eòdem docent de alijs actibus ordinis ſupernaturalis à nobis factis: antequàm hæc opinio probetur,

Quid prædeterminare phyſicè & moraliter.

Aduerte, voluntatem tunc temporis prædeterminare phyſicè, quotieſcumque Deus infundit aliquid intrà voluntatem noſtram per modum actus, vel habitus, à quo mouetur voluntas, & excitatur ad operandum actum, verbi gratia conuerſionem à peccatis: moraliter verò prædeterminatur voluntas quotieſcumque proponit Deus eidem obiectum aliquod cum omnibus rationibus, quæ eam mouere poſſunt ad agendum, vel non agendum, idque infallibiliter.

Prædeterminatio phyſica ſtabilitur.

1.

Priori ergo modo contendunt Thomiſtę grãtiam excitantem efficacem prædeterminare voluntatem noſtram, ad quoſcumque actus ordinis ſupernaturalis, quos de facto producimus. Probant ex illis locis Scripturæ in quibus dicitur, Deum dare nobis gratiam non expectato vllo voluntatis liberę aſſenſu: ità Ezech. 36. *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.* & rurſus; *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos.* & Ioann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum.* & Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* ad Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis, & velle & perficere, pro bona voluntate.* Hieremię 31. *Poſtquam conuerſus ſum me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.*

Ezech. 36. verſ. 27.

Idẽ ℣. 25.

Ioann. 6. verſ. 44.

Rom. 9. verſ. 16.

Philipp. 2. verſ. 13.

Hiere. 31. verſ. 19.

2.

Deinde, ex Concilijs & Pontificibus Maximis; tradunt enim iſti neminem bene vti libero arbitrio, niſi poſito dono aliquo gratuito in nobis: ità Concilium Arauſican. II. cap. 29. Celeſtinus I. epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, cap. 4. & 7. & Innocentius I. epiſt. 25. ad Concilium Carthaginenſe.

3.

D. Auguſt.

Tertiò, ex varijs locis D. Auguſt. in quibus docet Deum priùs operari conuerſionem noſtram, quàm concurramus ad eamdem libere: ità lib. 4. contra Iulian. cap. 8. Pelagianos ſiquidem propterea refellit, quòd dicerent, *Non omnes ſaluos fieri, quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare: nolunt quærere, cùm Deus velit oſtendere: nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire. Sed hunc ſenſum veſtrum, infantes illi ipſa ſua taciturnitate conuincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulſant; imò etiam cùm baptizantur, reclamant, reſpuunt, reluctantur, & accipiunt tamen, & inueniunt, & aperitur eis, & intrant regnum Dei.* & paucis interiectis. *Si* ergo *Deus vult omnes homines ſaluos fieri & in agnitionem veritatis venire: ſed ideò non veniunt, quia ipſi nolunt: cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptiſmate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, vbi certa eſt agnitio veritatis? Nunquid aut homines non ſunt, vt non pertineant ad id quod dictum eſt, omnes homines? Aut aliquis poterit dicere, Deus quidem vult, ſed ipſi nolunt, qui nondum velle, ſeu nolle iſta nouerunt; quando nec ij, qui parvuli baptizantur, atque moriuntur, & per illam gratiam ad agnitionem veritatis qua in regno Dei eſt certiſſima, veniunt, ideò veniunt, quia ipſi renouari Chriſti baptiſmate voluerunt? Cùm ergo nec illi propterea non baptizentur, quia voluerunt, nec iſti propterea baptizentur, quia volunt, cur Deus qui vult omnes homines ſaluos fieri, tam multos in regnum ſuum, vbi eſt certa veritatis agnitio, qui nullo ei reſiſtunt voluntatis arbitrio, patitur non venire?* & epiſt. 107. ad Vitalem. *Quomodo*, inquit, *dicitur omnes homines gratiam fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non donatur, eam ſua voluntate reſpuerent, quoniam Deus vult omnes homines ſaluos fieri, cùm multis non detur parvulis, & ſinè illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoq; volentibus, ac paratis Deo nolente non detur, cùm repente antequàm detur exſpirat pro quo, vt acciperet, currebatur.* & lib. 2. de peccatorũ mẽritis cap. 5. *Cur illum Deus adiuuet, illum nõ adiuuet; illum tantùm, illum non tantùm, iſtũ illo, illum iſto modo, penès ipſum eſt, & aquitatis tam ſecreta ratio & excellentia poteſtatis* & de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 8. *Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo corde duro reſpuitur. Ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* & paucis interiectis. *Nam ſi & illos quibus ſtultitia eſt verbum crucis, vt ad Chriſtum venirent douere voluiſſet, procul dubio venirent & ipſi.* & lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. in fine: *Quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in poteſtate, vt vel occurrat quod eum delectare poſſit, vel delectet cum occurrit, &c. Cùm ergo ea nos delectant quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc & præbetur gratia Dei.* & de dono perſeuerantię cap. 11. *In eo ergo quod alijs gratiam dat, alijs non dat, cur nolunt cantare Domino miſericordiam & iudicium? Cur autem alijs potiùs quàm illis detur, Quis cognouit ſenſum Domini? Quis inſcrutabilia ſcrutari valeat? Quis inueſtigabilia inueſtigare?* ergo cùm Deus conuerſionem noſtram operetur ante omnem conſenſum libertatis noſtrę, & quidem per ſuam gratiam præuenientem efficacem hæc prædeſtinat phyſicè voluntatem noſtram; præſertim cùm infallibiliter ſuos producat effectus.

D. Auguſt.

4.

Quartò, ſi quæ eſſet ratio propter quam diceremus gratiam præuenientem efficacem non determinare phyſicè voluntatem noſtram, hæc eſſet maximè, quòd prædeterminatio videtur deſtruere libertatem; at nulla ratione lædit libertatem; anima namque Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit phyſicè determinata ad ſuſceptionem mortis indictæ ſibi à Patre; tum quia hic fuit in primo inſtanti perfectiſſimè beatus, tum quia vnio hypoſtatica non potuit vllam planè culpam ſecum admittere (Deus enim eſt impeccabilis) & tamen actus hic acceptationis mortis fuit meritorius, omnium

Theolo-

Theologorum conſenſione: ergo prædeterminatio phyſica non lædit libertatem. Confirmatur ex D. Virgine, & ex omnibus confirmatis in gratia; iſti enim non poterant peccare mortaliter, propter donum confirmationis, & tamen eorum operationes fuerunt meritoriæ de condigno.

5. Quintò, poſita gratia efficaci, effectus infallibiliter ſequitur, ex illo D. Auguſt. gratia efficax eſt quæ à nullo quantumuis duro corde reſpuitur; ideò enim tribuitur, vt duritia cordis primitus auferatur: ergo gratia iſta præueniens efficax determinat phyſicè libertatem, alioquin enim fieri poſſet vt effectus gratię non produceretur.

6. Sextò, præmotio diuina, & cooperatio liberi arbitrij, reſpectu actus conuerſionis, ſunt duæ cauſæ ſibi inuicem ſubordinatæ; ac proinde vna determinatur per aliam: at liberum arbitrium non poteſt determinare actum conuerſionis, cùm hic ſit ſupernaturalis: ergo determinatur liberum arbitrium per gratiam præuenientem efficacem: ergo cùm liberum arbitrium, ex indeterminato, non poſſit fieri determinatum, niſi per aliquid quod ei adueniat intrinſecè, gratia prædeterminat phyſicè libertatem. Confirmatur: determinatio liberi arbitrij, ſeu, quod idem eſt, cooperatio eiuſdem nihil aliud eſt, quàm ipſemet actus conuerſionis, prout eſt à libero arbitrio; at conuerſio eſt priùs, & magis à gratia Dei: ergo liberum arbitrium determinatur phyſicè per iſtam gratiam.

7. Septimò, ſequeretur hominem ſaluari, quia vult; non autem quòd Deus id velit; ſequeretur item hominem ſecernere ſeipſum, & præterea habere vnde gloriaretur; quæ tamen omnia ſunt contra Paulum cap. namque 9. ad Rom. ità loquitur: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* & cap. 4. prioris ad Corinth. *Quis enim te diſcernit, quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Rom. 9. verſ. 16. 1. Cor. 4. verſ. 7.

8. Octauò, ſequeretur decretum diuinum efficax & abſolutum poſſe irritari; eſt enim de intrinſeca ratione agentis liberi, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, poſſit agere & non agere; at illatio iſtius propoſitionis maioris eſt contra illud Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* & rurſus; *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati.*

Iſaï 40. verſ. 10. Eſther. 13. verſ 9.

Vltimũ fulcimentum phyſicæ prædeterminationis.

Denique, gratia præueniens efficax ideò confertur nobis, vt ſequatur infallibiliter effectus, qui intenditur à Deo, quique debet à nobis fieri vnà cum Deo, ex illo, *Deus operatur in nobis velle & perficere:* at hæc dici non poſſunt ſi gratia præueniens efficax non determinet phyſicè libertatẽ: nam cùm hæc ſit maximè libera poſſet impedire effectum intentum à Deo producendum per gratiam iſtam præuenientem efficacẽ. In hac ſententia ſunt Sumel ad quæſt. 23. 1. part. S. Tho. diſp. 7. cap. 1. & diſp. 8. cap. 4. Nauarretus ad quæſt. 79. 2. part. D. Thom. Aluarez diſp. 91. lib. 9. de auxilijs, Concluſ. 2. & ceteri Thomiſtę recentiores. Citant etiam D. Thomam pro hac ſententia quæſt. 105. 1. part. art. 5. ad 3. & art. 4. in fine corp. & art. 5. quæſt. 6. art. 1. ad 3. quibus in locis frequenter repetit non poſſe voluntatem moueri, niſi fuerit hæc à Deo mota; imò addit indigere auxilio Dei mouentis, vt agat. & quæſt. 3. de potentia, art. 7. ſimile quid habet. Ceterùm D. Tho. nec in iſtis locis, neque alibi, addit particulam iſtam, phyſicè voluntatem determinari ad actus conuerſionis per gratiam, neque item moraliter.

A

B

C

D

E

2. *Sententia.*

Secunda ſententia eſt, eorum qui putant liberum arbitrium per gratiam præuenientem efficacem prædeterminari tantùm moraliter ad actum conuerſionis exercendum: Ità Molina diſp. 3. quæſt. 14. art. 14. in concordia, & ad 1. part. S. Thomæ, quæſt. 23. art. 4. & 5. Gregorius de Valentia diſp. 8. ad hanc part. D. Thomę, quæſt. 3. puncto 1. Et multi alij hîc. Nos quid videatur probabilius ſequentibus Concluſionibus explicamus. Sit igitur

CONCLVSIO 1. *Præter gratiam præuenientem ſufficientem nullum aliud deſideratur ſpeciale Dei auxilium, ad hoc vt poſſit homo ſe conuertere in Deum, eit vt poſſit ac proinde reſipiſcere vt oportet à peccatis.* Primùm, quia diximus Dub. 1. ad iſtos tres artt. D. Tho. gratiam ſufficientem eſſe eam, quæ habet hoc vt effectus ſemper producatur.

Præueniens gratia ſufficiens.

Præueniens gratia ſufficiens.

homo conuertere ſe.

Deinde, quia aliter iuſtè non conquereretur Deus de ijs, qui non conuertuntur, cum iſta gratia ſufficiente; quod tamen dici nequit: nam Iſaï. 5. dicitur à Deo: *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectans vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* & Matth. cap. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti?* & Prouerb. 1. *Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* Rom. 2. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit?* Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.*

2.

Iſaï. 5. verſ. 4. Matth. 23. verſ. 37. Prouer. 1. verſ. 24. Rom. 2. verſ. 4. Apocal. 3. verſ. 20.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, Deum ideò conqueri de iſtis qui non conuertuntur, poſita gratia præueniente ſufficiente, quia ſi acceptaſſent talem gratiam liberè contuliſſet iſdem Deus aliam gratiam efficacem, cum qua exercuiſſent de facto actum conuerſionis.

Reſponſio aduerſariorum.

Ceterùm reſponſio iſta defendi nullo modo poteſt. Primùm, quia diximus gratiam præuenientem eſſe eam quæ datur in nobis ante omnem aſſenſum libertatis noſtræ: at gratia iſta ex hypotheſi, quæ datur ſecundo loco, præſupponit aſſenſum libertatis: ergo nequit dici gratia præueniens, ſed concomitans vel ſubſequens. Deinde, ſequeretur hominem qui non conuerteretur cum gratia præueniente ſufficiente, non peccare: at contendunt authores iſti hominem hunc non poſſe conuertere ſe cum ſola gratia præueniente ſufficiente, ſed deſiderari aliquod auxilium diuinum ſuperadditum: ergo cùm iſta omnia ſint abſurda, præter hanc gratiam præuenientem ſufficientem, nihil aliud deſiderabitur in nobis ad actum conuerſionis, quàm cooperatio libertatis.

Refellitur.

CONCLVSIO 2. *Negari nequit hominem prædeterminari tantùm moraliter per gratiam præuenientem efficacem ad actum conuerſionis exercendum, ſaltem interdum.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens D. Thom. quæſt. 109 huius partis, art. 9. & 10. ait enim illic ad perſeuerandum in gratia præter, concurſum diuinum, & habitus quibus eleuantur potentię ad eſſe ſupernaturale, deſiderari in nobis ſpecialem directionem, & ordinationem: directio autem & ordinatio diuina, cùm ſe habeant extrinſecè ad voluntatem noſtram, videntur tantùm moraliter operari in nobis conuerſionem à peccatis commiſſis, quæ poſtea ſubſequitur: & lectione 6. ad cap. 8. Rom. ait duplicem extare vocationem, alteram internam, quæ, inquit, eſt quidam mentis inſtinctus, quo cor mouetur, & hæc in prædeſtinatis eſt efficax; aliam verò externam quæ con-

Prædeterminatio moralis aliquando admittenda.

Digitized by Google

tingit per fidei reuelationem, & doctrinam prædicatorum; mentis autem inſtinctus manifeſtè eſt aliqua cogitatio & apprehenſio obiecti, quæ habet rationem motiui moralis, & hanc dicit eſſe efficacem in prædeſtinatis: & lect. 5. ad cap. 6. Ioann. ad hæc verba: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, ait, Deum multis & diuerſis modis trahere ad ſe homines, & interdum perſuadendo; at cauſa quæ tantùm agit ſuadendo eſt moralis, non autem phyſica: ergo Deus prædeterminat interdum moraliter voluntates ad conuerſionem.

Ioann. 6. verſ. 44.

2. D. Auguſt. Deinde, ità docent Patres aliqui; maximè verò D. Auguſt. tract. 26. in Ioan. ad verba proximè cit. *Ramum*, inquit, *viridem oſtendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonſtrantur, & trahitur. Et quia quò currit trahitur, amando trahitur. Sinè laſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo iſta quæ inter delicias & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt; quoniam verum eſt, Trahit ſua quemque voluptas: non trahit reuelatus Chriſtus à Patre?* & paulò ante in eodem tract. ait. *Si poëta dicere licuit, Trahit ſua quemque voluptas; non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio: quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſto eſt?* & lib. 1. quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 2. *Eorum tamen miſeretur, quos ità vocat, quomodo eis vocari aptum eſt vt ſequantur.* & rurſus, *Cuius miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* & de ſpiritu & littera cap. 34. *Plerorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus:* eaſdem loquutiones retinet & in libris citatis, & alibi.

3. Denique, cogitatio de gaudijs Paradiſi, de pœnis inferni, de iudicio & de morte, imò & auditio verbi diuini cenſentur eſſe interdum gratiæ prævenientes efficaces, nempe in illis omnibus, qui de facto reſipiſcunt à peccatis dependenter ab iſtis cogitationibus; at cogitationes iſtæ liberum arbitrium determinant tantùm moraliter ad actum conuerſionis à peccatis exercendum; nam non poſſunt huiuſmodi cogitationes aliquid per modum actus, vel habitus in voluntate, ſed ſe habent ad illam obiectiuè tantùm; vnde tantùm motiuè cauſant: ergo tantùm moraliter, non autem phyſicè.

Obiectio. Obijcies, D. Auguſtinum lib. de gratia Chriſti, cap. 7. affirmare non eſſe ſatis ad conuerſionem hominis certam & indubitatam, credere quòd homo à Deo iuuetur, determinando quæ ſunt agenda, & vitanda; & illuminando, & denique tentationes dæmonis repellendo, itemque detegendo; ſed præterea neceſſarium eſſe credere charitatem diffundi in nobis per Spiritum ſanctum, qui datur in cordibus noſtris.

Solutio. Reſpond. ijs, conceſſo antecedente, nego conſequentiam: verba enim iſta ſunt à D. Auguſt. conſtituta contra Pelagium, exiſtimantem hominem nulla egere gratia diuina, ad hoc vt reſipiſcat à peccatis: nos autem contendimus gratiam prævenientem eſſe ad hoc neceſſariam; ac proinde ponere Deum in intellectu noſtro illuſtrationes, & cogitationes aliquas, in his & iſtis circumſtantijs, & quidem ità vt ſinè iſtis nequeat homo reſipiſcere à peccatis: prædeterminatio autem iſta voluntatis ideò vocatur moralis, quia cogitatio ſancta in his & illis circumſtantijs data, mouet intellectum hominis ad actum conuerſionis exercendum, non ponendo aliquid per modum actus, vel habitus in voluntate intrinſecè. Moneo tamen voluntatem de facto nuſquam exercere actum conuerſionis, quin in illo eodem puncto in quo ſe determinat ad actum conuerſionis, detur in eadem aliquid per modum actus & habitus à Deo infuſum.

Conclvsio 3. *Negari nequit quin Deus poſſit, & interdum præſtet, vt per gratiam prævenientem efficacem determinetur voluntas creata phyſicè, manente illæſa libertate eiuſdem.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens expreſſa D. Thomę quæſt. 6. huius partis, art. 6. ait enim voluntatem noſtram longè aliter ſubijci Deo, quàm faciat vlli planè rei creatę: certum autem eſt rem aliquam creatam poſſe determinare voluntatem noſtram moraliter, vt conſtat ex dictis Concluſione proximè antecedente: ergo.

Prædeterminatio phyſica interdum admittenda.

Deinde, quæſt. 10. huius partis, art. 4. docet motionem hanc non deſtruere libertatem, idque quòd actus libertatis & modus eiuſdem ſubijciantur Deo: & quæſt. 105. art. 4. & 111. art. 3. & 4. duas admittit in homine vocationes ſeu motiones; vnam extrinſecam, nempe quotieſcumque voluntas noſtra mouetur ad agendum ex propoſitione obiecti ſui; alteram quando aliquid imprimitur voluntati intrinſecè, ad hoc vt aliquis ſuos exerceat effectus, hánceque dicit competere ſoli Deo: non diſtinguitur autem iſta motio ab ea quæ fit proponendo obiectum eidem, niſi in eo, quòd ea quæ proponit obiectum dicatur cauſare moraliter; ea verò quæ aliquid ponit in voluntate intrinſecè, dicatur cauſare phyſicè: ergo interdum poteſt prædeterminare phyſicè voluntatem creatam. 2.

Tertiò, hæc videtur eſſe ſententia D. Auguſt. hic enim cap. 19. lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. ſic loquitur; *Trahitur ergo mirie modis, vt velit, ab illo qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari: non vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant.* & de gratia Chriſti, lib. 1. cap. 45. agendo de conuerſione Petri: *In mente*, inquit, *actum eſt, in voluntate actum eſt, interiore gratia ſua viſitauit Petrum, interioris hominis vſque ad exteriores lachrymas mouit & produxit affectum.* & epiſt. 107. ait, Homines omnipotentiſſima facilitate conuerti, vt volentes ex nolentibus fiant. & de correptione & gratia, cap. 14. *Sinè dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem:* potentiſſima autem poteſtas iſta aliquid ſtatuit, quàm ſit cauſalitas moralis, deſignat. 3.

Quartò, idem colligitur ex locis Scripturæ, in quibus dicitur, Spiritum Domini irruiſſe in aliquos: ità Iudic. 14. *Irruit autem Spiritus Domini in Samſon.* & Iſaï. 8. *In manu fortis erudiuit me Dominus, ne irem in via populi huius.* 4.

Iud. 14. verſ. 6. Iſaï. 8. verſ. 11.

Denique, quæ manifeſtam implicant contradictionem ſunt tantùm Deo neganda: at prædeterminatio phyſica reſpectu voluntatis noſtrę, nullam dicit manifeſtam contradictionem: Thomiſtę enim omnes noſtri temporis eam admittunt, & tamen fatentur voluntatem liberè aſſentiri gratię prævenienti efficaci. *Vlt.*

Obijcies, prædeterminationem phyſicam deſtruere *Obiectio.*

ſtruere libertatem; forma enim ad vnum determinata, in ſubiecto recepta, determinat ſubiectum huiuſmodi ad effectum producendum, qui debetur tali formæ; at gratia præueniens efficax eſt determinata ad vnum, & recipitur in voluntate, tamquam in ſubiecto: ergo ea poſita non remanet libera.

Solutio. Reſpond. negando maiorem propoſitionem. Ad probationem autem dico, ex poſitione formæ iſtius in voluntate creata, tamquam in ſubiecto colligi poſſe infallibilitatem effectus, non autem neceſſitatem eiuſdem: poſtulat ſiquidem ordo diuinæ prouidentiæ, vt concurrat cum omnibus cauſis iuxta eorum naturas; quare cum liberis liberè, cum neceſſarijs neceſſariò, & cum contingentibus, contingenter: cum igitur Deus ſit agens efficaciſſimum poteſt attemperare ſuum concurſum vt etſi phyſicè voluntatem præmoueat, id tamen ſit conformiter ad ſuam naturam, ac per conſequens illæſam relinquens libertatem creatam.

Gratia præueniens præterminat moraliter tantùm.

CONCLVSIO VLTIMA. *Gratia præueniens efficax, quæ de communi lege datur ijs omnibus, qui de facto conuertuntur & reſipiſcunt à peccatis, non determinat phyſicè libertatem, ſed tantùm moraliter.* Primùm, quia ſacra Concilia definiunt in poteſtate noſtra eſſe acceptare, vel reſpuere quamcumque gratiam nobis oblatam: Trident. ità Trident. ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam, ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque paſſiuè ſe habere; anathema ſit.*

Solutio 1. Reſpondent aliqui, definitionem hanc intelligendam eſſe de gratia præueniente ſufficiente, cuius tamen generis non eſt gratia efficax præueniens, quam docent prædeterminare phyſicè voluntatem.

Improbabilis. Ceterùm hæc reſponſio caret omni probabilitate: nam Concilium loquitur in vniuerſum de quacumque gratia, nulla facta diſtinctione inter ſufficientem & efficacem. Deinde, gratia præueniens ſufficiens, & efficax poſſunt eſſe vna & eadem numero entitas, vt conſtat ex ſubitis & momentaneis conuerſionibus: ergo entitas iſta poterit acceptari & non acceptari.

Solutio 2. Reſpondent alij, per gratiam præuenientem efficacem determinari libertatem non quidem abſolutè & ſimpliciter, ſed tantùm ex hypotheſi, vel vt alij loquuntur non in actu primo, ſed in actu ſecundo; aut denique in ſenſu compoſito, non autem in ſenſu diuiſo.

Inſufficiens. Ceterùm neque hæc plenè ſatisfacit; nam ſenſus compoſitus conſurgere nequit niſi inter duas res, quarum vna ſupponit aliam neceſſariò, vt conſtat ex iſtis ſuppoſitionibus: ſi currit ambulat; ſi ſentit viuit: ſi ſol lucet, dies eſt. at non dantur hoc in loco duæ res, quarum vna alteram ſupponat neceſſariò; volunt enim iſti authores gratiam præuenientem efficacem præſcindi à libero arbitrio, & item liberum arbitrium à gratia. Deinde, actus hoc in loco nihil aliud ſignificat, quàm actum conuerſionis, qui ex hypotheſi fit à nobis, & à gratia præueniente efficace; atqui actus hic eſt intrinſecè & formaliter meritorius, vt dicetur in tractatu de iuſtificatione, non quidem primæ gratiæ ſed gloriæ: ergo debet hic eſſe neceſſariò liber. Item Concilium Tridentinum cap. 5. ſeſſ. citatæ, docet hominem liberè aſſentiri gratiæ excitanti, & cap. 14 lapſos in peccatum poſſe redire in gratiam Dei liberè: & can. 28. dicit anathema illis omnibus, qui aiunt hominem non poſſe à peccato reſurgere, ſi velit, & cap. 11. ſimile quid dicitur: & in Concilio Arauſicano II. decernitur Deum ità operari ſalutem noſtram, vt tamen ad hanc eamdem liberè concurramus.

2. Probatio Cõcluſionis. Probatur 2. ex illis locis Scripturæ, in quibus docetur Deum expectare conſenſum noſtrum, ad hoc vt nobiſcum concurrat ad actum conuerſionis exercendum; ità Zach. 1 *Conuertimini*, inquit Deus, *ad me, & ego conuertar ad vos.* Zachar. 1. verſ. 3. & Ieremiæ 15. *Si conuerteris conuertam te, & ante faciem meam ſtabis, & ſi ſeparaueris precioſum à vili, quaſi os meum eris.* Ieremi. 15. verſ. 19. & Iſaiæ 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Iſaii. 1. verſ. 19. & Ioann. 14. *Qui diligit me diligetur à Patre meo.* Ioann. 14. verſ. 21. Apocal. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo*, & paucis interiectis; *Si quis mihi aperuerit intrabo.* 2. Petri cap. 1. *Fratres, magis ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*: igitur Deus ſua gratia tantùm moraliter mouet. Apocal. 3. verſ. 20. 2. Petr. 1. verſ. 10.

Subiungo Patrum authoritatem, maximè D. Auguſtini lib. 1. ad Simplicianum, quæſtione 2. in medio. *Aliter enim*, inquit, *Deus præſtat vt velimus: aliter præſtare quod voluerimus. Vt velimus enim; & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* & de ſpiritu & litera cap. 34. *Conſentire, vel diſſentire Dei vocationi propria voluntatis eſt*; & lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 17. *Gratia Dei eſt quæ hominum voluntates adiuuat.* Chryſoſtomi homil. 12. in Ioann. & 42. ad populum Antiochenum. Hieronymi in cap. 26. Hieremiæ, & in epiſt. ad Damaſum Papam, & in quæſtionibus ad Hedibiam, quæſt. 2. Ità etiam & alij innumeri Patres. D. Auguſt. Chryſoſt. Hieron.

Ratio prõ Cõcluſione. 1. Denique, probatur rationibus quibuſdam. Prima: prædeterminatio phyſica deſtruit libertatem: ergo non eſt admittenda. Antecedens ex eo innoteſcit, quòd ratio capere nequeat aliquid eſſe liberum & determinatum ad vnum phyſicè; eſt enim de ratione libertatis, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, poſſit hæc agere, & non agere. Deinde, implicat aliquid eſſe liberum, & non poſſe reſpuere influxum cauſæ ſuperioris potentioris.

Conſecutio verò probatur. Actus conuerſionis qui fit à nobis, media gratia præueniente efficaci, eſt meritorius vitæ æternæ; minimè verò primæ gratiæ: at meritum ſinè libertate conſiſtere non poteſt, vt docebimus in tractat. de merito: ergo prædeterminatio quæ libertatem aufert non eſt admittenda.

2. Secunda ratio: gratia præueniens ſufficiens, eſt idem realiter, ſaltem interdum, cum gratia efficaci, vt fatentur authores prædeterminationis phyſicæ, ſaltem aliqui; at quælibet gratia ſufficiens præueniens, poteſt à nobis reſpui vel acceptari, ex doctrina iſtorum authorum: ergo idem erit dicendum de gratia præueniente efficaci.

3. Tertia ratio: ſequeretur conuerſionem noſtram non eſſe poſitam in voluntate noſtra, ſed eſſe à ſolo Deo repetendam; at illatio hæc eſt contra Scripturam: dicitur enim Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* & alibi ſæpe ſimile quid habetur: ergo. Zachar. 1. verſ. 3.

4. Quarta, ſi res ità haberet, quemadmodum volunt Thomiſtæ, ſequeretur Deum tam verè eſſe authorem peccati ſpectati materialiter, quàm boni operis conſiderati etiam materialiter: præmonet enim Deus voluntatem noſtram, & phyſicè prædeterminat tam verè ad actum homicidij, verbi gratia, quàm ad actum fortitudinis & temperantiæ, ex opinione ipſorum: at illatio maioris nullo modo defendi poteſt; dicitur enim Iacobi cap. 1. de Deo, quòd ſit intentator malorum, & Iacobi 1. verſ. 13. quod neminem tentet. Accedit, improbabile eſſe Deum mouere & prædeterminare quempiam ad ea agenda, quæ ſtrictiſſimè prohibet fieri: imò ſequeretur peccata imputari Deo, non autem nobis, quòd ea vitare non poſſemus: poſita autem iſta prædeterminatione phyſica ad actum peccati materialiter ſpectati, non poteſt voluntas creata non peccare: ergo, vt ſic, Deus erit cenſendus cauſare peccatum.

5. Quinta ratio: opinio contraria videtur declinare quodammodo in opinionem hæreticorum, vt obſeruarunt recentiores; nam fatentur Caluiniſtæ Deum ſponte & voluntariè cum voluntate producere omnes omnino effectus honeſtos, & voluntatem non concurrere ad iſtos liberè; hoc autem idem videntur ſentire aduerſarij, quando dicunt voluntatem noſtram per gratiam præuenientem determinari phyſicè ad actum conuerſionis; docent enim voluntatem non poſſe non operari, ſaltem in ſenſu compoſito.

Vlt. Ratio vltima. Poſita noſtra ſententia facilè reſpondetur ei difficultati, in qua quæritur ab hæreticis noſtri temporis: Qui fiat vt ex duobus, quibus Deus vnum & idem numero auxilium confert, vnus iuſtificetur, per & conſequens conſequatur vitam æternam alius verò minimè.

Dico ergo, poſita opinione noſtra, difficultatem iſtam facilè explicari: vnus ergo ideo conuertitur, quia liberè cooperatur gratiæ excitanti efficaci; alius verò ideò non conuertitur, eſto habeat illam eamdem gratiam quàm alius, quia contra Dei bonitatem libero pugnat arbitrio: hæc reſponſio, tradita ab authore lib. de prædeſtinatione & gratia, cap. 15. qui licèt ſit inter opera D. Auguſtini, non tamen cenſetur eſſe eius legitimus partus; refert autem locum hunc Gratianus 23. quæſt. 4. can. *Nabuchodonoſor.* Sed vt hæc Concluſio faciliori negotio deprehendatur,

Actus conuerſionis eſt ſimul à Deo & à voluntate. Aduerte, actum conuerſionis non priùs produci à Deo, quàm à voluntate noſtra; nam conuerſio hæc eſt vitalis, & meritoria primæ gloriæ, non tamen primæ gratiæ, vt probabitur alibi. Deinde, eſt actus immanens, quare debet recipi in eo ſubiecto à quo exijt. Tertiò, propter hanc cauſam Scripturæ, & Patres exigunt conſenſum noſtrum, ad hoc vt Deus producat in nobis actum conuerſionis, apud Iſaïam cap. 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius.* & D. Auguſt. lib. de ſpiritu & littera cap. 17. *Si tu non eſſes operator, non eſſet ille cooperator.* & ſermo. 13. de verbis Apoſt. idem planè dicit. Ex quibus ità argumentamur: Relata ſunt ſimul natura, definitione cognitione, & tempore: at operator & cooperator actus conuerſionis ſunt relata, ergo actus hic non eſt priùs à Deo, quàm à nobis.

Iſai. 55. verſ. 7. D. Auguſt.

Obiicitur. Obijcies, cauſam determinantem poſteriorem eſſe cauſa determinata: at Deus determinatur ab agente particulari, reſpectu illius actus qui producitur ab illo, & à creatura: ergo idem erit dicendum de actu conuerſionis.

Soluitur. Reſpondeo, cauſam determinantem eſſe poſteriorem cauſa determinata, non quidem hoc ſenſu, quaſi cauſa determinata priùs; poſteriùs verò cauſa determinans influat in effectum: ſed quia effectus, qui producitur ab huiuſmodi cauſis, ſumit ſuam vnitatem ſpecificam à cauſa determinante, vt patet ex homine producto à Deo, ſole, & parente proprio; homo ſiquidem iſte productus, eſt eiuſdem ſpeciei cum proprio parente, minimè verò cum Deo & ſole; idque quòd parens proprius habeat rationem cauſæ ſynonymæ; Deus verò & ſol cauſæ æquiuocæ: cum iſtis tamen rectè cohæret, vt productio hominis ſimul ſit, & quidem in eodem inſtanti, & à Deo, & à ſole, & ab homine. Idem etiam eſt dicendum de actu conuerſionis, qui eſt diſpoſitio infallibilis ad gratiam iuſtificantem obtinendam.

Replica. Inſtabis, Deum eſſe cauſam primam reſpectu cuiuſlibet effectus producti: at de ratione primæ cauſæ eſſe videtur, vt priùs in quemlibet effectum influat, & eumdem ante ceteras cauſas attingat.

Diſſoluitur. Reſpond. negando minorem: ratio quippe primæ cauſæ in eo eſt poſita, quòd à nullo pendeat inter agendum, & quòd cetera omnia agantur dependenter ab eadem; non autem quòd ante ceteras influat in effectum: nam finis eſt primus in intentione, & poſtremus in executione. Deinde, in ratione cauſæ materialis, prius eſt id quod recipit, eo quod recipitur. Tertiò, Deus non habet rationem cauſæ moralis: ergo cùm conuerſio de qua hìc loquimur, ſit actus moralis (eſt enim hæc verè meritoria gloriæ primæ) debuit Deus expectare determinationem libertatis creatę, ad hoc vt vnà cum creatura producat actum conuerſionis: non enim potuit actus hic poni in genere moris, ante determinationem libertatis.

Replica 2. Vrgebis, Concilium Arauſicanum II. can. 25. verbis expreſſis affirmare, Deum non expectare aſſenſum libertatis noſtræ, ad hoc vt ſalutem noſtram operetur, ſed eam operari ſinè nobis: at ſalus noſtra eſt poſita in actu conuerſionis, omnium conſenſu: ergo illa conuerſio priùs eſt à Deo quàm à voluntate creata.

Enervatur. Reſpond. mentem Concilio eo in loco eſſe tantùm, gratiam præuenientem nuſquam dari in nobis dependenter à meritis noſtris, ſed tantùm à ſola Dei gratuita miſericordia: actus autem conuerſionis nuſquam datur in nobis, niſi concurrente aſſenſu libero noſtræ voluntatis, idque quòd actus hic ſit & meritorius, vt diximus, & præterea diſpoſitio infallibilis ad gratiam iuſtificantem: quare in eodem inſtanti temporis producitur hic & à Deo, & à creatura rationali.

Aduerte 2. de actu conuerſionis, qui eſt diſpoſitio infallibilis ad gratiam iuſtificantem obtinendam, nunquam concedendum eſſe, quòd ſit gratia præueniens ſufficiens, aut efficax: Diximus enim gratiam præuenientem eſſe eam, quæ confertur ante omnem aſſenſum liberum voluntatis: conuerſio autem hæc includit talem aſſenſum, ità vt nuſquam ſit, niſi poſita libera voluntatis determinatione.

Satisfit argumentis pro prædeterminatione phyſica.

Ad rationes authorum primæ ſententiæ, reſpond. Ad 1. ex illis omnibus locis Scripturæ tantùm colligi, fieri non poſſe vt actus ordinis ſupernaturalis producantur, niſi præſuppoſito ſpeciali Dei auxilio; actus enim quilibet imitatur naturam principij à quo producitur, & ideò non poſſunt iſti eſſe ordinis ſupernaturalis, niſi detur principium productiuum eorumdem ſupernaturale. Ex iſtis tamen non licet colligere, gratiam præuenientem efficacem prædeterminare phyſicè voluntatem ad actus iſtos ſupernaturales; diximus enim hanc gratiam de lege communi ſubiectari in intellectu, & reſpicere circumſtantias aliquas externas, in quibus datur iſta gratia præueniens, & mediis quibus præuidit Deus voluntatem infallibiliter conſenſuram, motam tamen à gratia præueniente exiſtente in intellectu.

Ad teſtimonia verò Celeſtini I. & Concilij Arauſicani. Reſpond. probare tantùm, bonum vſum liberi arbitrij eſſe à Deo præcipuè & principaliter; cùm iſtis tamen ſtat vt bonus vſus libertatis ſit etiam à nobis, minùs principaliter; non enim repugnat vnius & eiuſdem effectus plures dari cauſas ſibi ſubordinatas: qua ratione autem liberum arbitrium ſit cauſa iſtius boni vſus explicaui multis ad q. 12. 1. part. D. Thom.

Explicatur mens D. Auguſt.

Ad 3. Thomiſtæ ex iſtis locis D. Auguſtini conſtanter affirmant ſuam opinionem habere ducem & patronum ipſummet D. Auguſtinum, de qua tamen re non ſatis mihi conſtat, licèt enim apud illum tres iſtæ propoſitiones ſint certiſſimæ, Prima. *Secunda cauſa non poſſunt quidquam operari, niſi concurrente prima, & dependenter ab eadem.* 2. *Salus noſtra non ex nobis, ſed à Deo eſt.* 3. *Deus per ſuam gratiam nedum confert vim homini, vt reſipiſcat a peccatis, ſed etiam vt infallibiliter reſipiſcat.* Ex nulla tamen iſtarum propoſitionum valent aduerſarij comprobare euidenter ſuam prædeterminationem phyſicam. Non quidem ex prima, quia diximus ordinem diuinæ prouidentiæ poſtulare, vt concurrat cum omnibus cauſis iuxta earum naturam; quare cum neceſſarijs neceſſario, cum contingentibus contingenter: libertas autem ſi non tollitur ſimpliciter per prædeterminationem phyſicam, difficile tamen defenditur. Neque item ex 2. propoſitione; ideò enim dixit D. Auguſtinus ſalutem noſtram deſumendam eſſe à Deo, minimè verò à nobis; quia voluit comprobare actus ordinis ſupernaturalis fieri non poſſe, niſi præſuppoſito aliquo auxiliotalis ordinis: ex poſitione autem iſtius auxilij in nobis non deſtruitur libertas.

Neque denique ex 3. Primùm D. Auguſtinus nuſquam dixit per auxilium hoc ſupernaturale, per quod conuertimur infallibiliter, prædeterminari phyſicè voluntatem creatam. Deinde, quia verbis expreſſis docet hominem conſentire liberè auxilio iſti, per quod conuertimur infallibiliter; ità enim habet cap. 17. lib. de gratia, & libero arbitrio. *Vt velimus ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, ipſe nobiſcum cooperatur.* Et ſerm. 13. de verbis Apoſtol. *Si tu non eſſes operator, ille non eſſet cooperator*, & lib. 1. q. 2. ad Simplicianum, idem planè docet. Denique, duo tantùm auxilia contendit ſanctus Doctor eſſe neceſſaria ad ſalutem noſtram; gratiam ſcilicet præuenientem, & adiuuantem: at nulla gratia præueniens prædeterminat phyſicè voluntatem, eſt enim in poteſtate noſtra eam acceptare, vel reſpuere, ex locis iam citatis.

Obiectio. 1.

Obijciunt, D. Auguſtinum tract. 26. in Ioan. ad hæc verba. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. Magna*, inquit, *gratia commendat ea: nemo venit niſi tractus. Quem trahat & quem non trahat: Quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle diuinare ſi non vis errare*: at trahi dicit violentiam, & neceſſitatem.

Ioann. 6. ℣. 44. D. Auguſt.

Solutio. 1.

Reſpondeo. Nego minorem; ibi enim D. Auguſtinus locum hunc Ioannis ſic explicat, vt velit dictionem iſtam, *Trahi*, nullam dicere neceſſitatem aut violentiam. *Noli*, inquit, *cogitare te inuitum trahi, trahitur enim animus amore.* Ex illis ergo omnibus locis D. Auguſtini adductis à Thomiſtis tantùm colligitur, liberum hominis arbitrium non poſſe aliquid operari, niſi concurrente Deo, & item actus omnes ordinis ſupernaturalis præſupponere in nobis auxilium ſupernaturale, & denique conuerſionem noſtram infallibiliter fieri poſita gratia præueniente efficaci, ceterùm ſinè vlla prædeterminatione phyſica libertatis noſtræ; nam totum hoc negotium perficit Deus mouendo rationibus, ſuadendo inſpirationibus, commodis, & vtilitate, deterrendo periculis, erigendo ſpe retributionis vitæ æternæ, & alijs modis quibus Deus præuidet poſita iſta gratia præueniente efficaci, in his & illis circumſtantijs hominem infallibiliter aſſenſurum.

Solutio. 2.

Reſpondeo 2. Ex locis eiuſdem Doctoris colligi diſcrimen quod intercedit inter gratiam efficacem & ſufficientem; hæc enim cenſetur eſſe illa quæ habet vim producendi effectum, non tamen producit, quia nuſquam habet aſſenſum adiunctum voluntatis noſtræ liberum: illa verò cenſetur eſſe ea quæ ſemper ſuos exerit effectus, idque quod ſemper habeat annexam voluntatis noſtræ liberam cooperationem.

Obiectio. 2.

Obijciunt etiam D. Auguſtinum de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 6. affirmare, ſolum Deum præparare vnumquemque noſtrûm ad ſuam conuerſionem: præparare autem & diſponere ad gratiam iuſtificantem, & ad conuerſionem noſtram, ſunt vnum, & idem, ex can. 4. Trident. ſeſſ. 6. Reſpond. præparationem ad iuſtificationem ſeu conuerſionem noſtram vſurpari duobus modis, interdum enim ſignificat ſolùm illam motionem qua Deus allicit hominem ad hoc vt reſipiſcat à peccatis; interdùm verò denotat eam actionem, per quam creatura gratia diuinâ adiuta ſeipſam liberè conuertit, & diſponit ad gratiam iuſtificantem conſequendam D. auté Auguſt. eo in loco loquitur de prima præparatione hęc enim eſt à ſolo Deo, non verò de ſecunda, quę eſt à nobis, vt conſtat ex cap. 7. 1. Reg. *Præparate corda veſtra Domino*, & Prouerb. 16. *Hominis eſt præparare animã*, imò doctus pater hoc ipſum tradit lib. 2. contra duas epiſt. Pelagianorum, cap. 9. *Hominis*, inquit, *eſt præparare cor.*

1. Reg. 7. ℣. 3. Prou. 16. ℣. 1.

Diluitur 4. argumen.

Ad 4. conceſſa maiore, nego minorem: Ad probationem autem, animam Chriſti non fuiſſe prædeterminatam phyſicè, reſpectu eorũ actuum, quos exercuit in hac vita, nec ex vi vnionis hypoſtaticæ, nec ex vi viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ, exceptis tamen duobus iſtis actibus viſionis & amoris: de fide namque eſt Chriſtum meruiſſe ſibi nominis exaltationem per mortem ſuam, ex illo Pauli ad Philip. 2. *Propter quod exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*: Nobis verò meruit vitam æternam, & omne auxilium neceſſarium ad eam conſequendam, vt probant Theologi ad 3. part. D. Thom. Dixi

Philip. 2. ℣. 9.

autem (exceptis actibus viſionis & amoris) quoniam voluntas Chriſti & intellectus eiuſdem fuerunt prædeterminati phyſicè ad actus viſionis & amoris diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt : vidit enim anima Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis diuinam eſſentiam clarè, & vt in ſe eſt, & per conſequens amauit neceſſariò; quia eſſentia diuina clarè viſa neceſſitat voluntatem ad actum amoris circa eamdem: bonum namque quod complectitur in ſe rationem omnem boni, neceſſitat voluntatem ad agendum circa ſeipſum, ſi hoc fuerit cognitum vt in ſe eſt, ab intellectu; in ordine tamen ad ceteros actus, quos Chriſtus elicuit pro toto tempore, quo fuit in hac vita mortali, voluntas eius fuit libera, libertate, vt aiunt, non contrarietatis, ſed contradictionis tantùm, ità vt in eius poteſtate fuerit exercere, vel non exercere iſtos actus honeſtos; non tamen potuit exercere aliquem actum malum, ſed ſolos bonos.

Ad id verb quod dicitur de Diua Virgine, & de confirmatis in gratiâ.

Reſpond. voluntatem iſtorum non fuiſſe prædeterminatam phyſicè; fuerunt enim liberi in ſuis actionibus exercendis; ità vt quilibet ſibi vitam æternam prometuerit de condigno. Deinde, quia licèt Diua Virgo nuſquam peccauerit nec venialiter, nec mortaliter, poterat tamen peccare; confirmati verò in gratia, licèt nuſquam mortaliter peccauerint poſt acceptum donum confirmationis; culpa tamen venialis in iſtis omnibus locum habuit, vt oſtenſum eſt in ſuperioribus : peccatum autem in nullo dari poteſt, niſi ſit in eo libertas, quæ tamen deſtrui videtur per phyſicam prædeterminationem, vt probatum eſt.

5. Ad 5. poſita gratia efficaci in aliquo, effectum eiuſdem infallibiliter quoque conſequuturum, vt deducitur ex adducto teſtimonio D. Auguſtini in hoc argumento; non licet tamen inde inferre voluntatem eſſe prædeterminatam phyſicè per iſtam gratiam efficacem : Deus enim effectum huius gratiæ producit cum voluntate, ſuadendo rationibus ex dono aliquo impreſſo intrà intellectum, mouendo commodis, deterrendo periculis, & aliis modis, quibus ipſe certiſſimè nouit voluntatem ità excitatam infallibiliter conſenſuram.

6. Ad 6. liberum arbitrium, & motionem diuinam in actu conuerſionis qui fit ab eo, qui reſipiſcit à peccatis, ſibi ſubordinari, non tamen voluntatem creatam prædeterminari phyſicè per motionem diuinam : nam ad primum ſatis eſt ſi voluntas creata non exerceat actum conuerſionis, niſi mouente, & concurrente Deo cum voluntate creata.

Ad 2. autem abſolutè & ſimpliciter requiritur, vt aliquid adueniat per modum actus, vel habitus, antequam voluntas ſeſe liberè ad actum conuerſionis exercendum determiner, quod nullum planè locum habere poteſt in actu conuerſionis, cùm hęc tota ſit vitalis & meritoria de condigno, non quidem primæ gratiæ, ſed primæ gloriæ.

7. Ad 7. Non eſſe abſurdum fateri hominem ſaluare ſeipſum, ſeu, quod idem eſt, ideò hominem ſaluari, quia ſeipſum ſaluare vult, dicitur enim Ioan. 5. languido. *Vis ſanus fieri*, & Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſub alas, & noluiſti,* & Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Zach. 1. ℣. 3.

Deinde, ſancti Patres docent neminem ſaluari ex adultis, niſi poſito aſſenſu libero eorumdem, & rurſus, conſentire diuinæ vocationi, ſiue ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſſe : ità Clem. Alex. lib. 2. ſtromatum pag. 54. edit. Pariſienſis, Chryſoſt. hom. 12. in epiſt. ad Hebræ, & Hieron. in dialog. contra Pelagianos. Idipſum ſuadet ratio : Non eſt magis abſurdum hominem ideò ſaluari, quia vult, quàm iuſtificare & ſanctificare ſeipſum : at certum eſt hominem ſanctificare, & iuſtificare ſeipſum quando exercet actum contritionis perfectæ liberè, aut attritionis cum ſacramento, aut dilectionis Dei ſuper omnia; actus enim iſti ſunt diſpoſitiones ad quas infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans, & ſunt à nobis liberè omnium conſenſu : ergo.

Ex iſtis etiam colligo, non eſſe abſurdum fateri hominem diſcernere ſeipſum; diſcernere enim ſeipſum, nihil aliud eſſe videtur, quàm hominem auertere ſe à creatura, & conuertere ſe in Deum, tãquam in vltimum finẽ per actum penitentiæ, dilectionis Dei ſuper omnia, aut denique attritionis cum ſacramento; actus autem iſti, etſi ſint à Deo, veluti à cauſa magis principali, negari tamen nequit quin ſint ab homine, qui reſipiſcit à peccatis, tamquam à cauſa minùs principali, & quidem liberè, quare effectus conuerſionis tam verè eſt à creatura : quàm à creatore, ſicut & ſeparatio à malis quæ ſubſequitur. *Homo diſcernit ſeipſum.*

Ad id item, quòd dicitur ex Paulo, *Quis eſt qui te diſcernit?* Reſpondeo probare tantùm ſegregationem hominis à peccatis non poſſe tribui creaturæ, tamquam cauſæ principali, quod nos vltrò fatemur : diximus enim hac ratione ſoli Deo conuenire ſecernere hominem bonum à malis, vt cauſa verò particularis & minùs principalis, homo ſeparat ſeipſum à malis, dependenter tamen à gratia præueniente efficaci. 1. Cor. 4. ℣. 7.

• Ad id tandem, quod ex eodem Paulo obijcitur : *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei* : dico locum hunc intelligendum eſſe de ea ſeparatione, quæ facta eſt ab æterno à Deo ex maſſa perditionis, ità vt velit Apoſtolus neminem ſeparatum eſſe ex illa maſſa Adæ, ex proprijs meritis, aut ex operatione propriæ libertatis, ſed beneficium hoc ſoli diuinæ bonitati tribuendum : hunc eſſe germanum ſenſum Apoſtoli tradit D. Auguſt. varijs in locis, maximè verò in lib. de prædeſt. Sanctorum : ad Simplicia. de gratia & libero arbitrio : docet enim illic prædeſtinationem fuiſſe factam à Deo poſt peccatum originale, & omnes Adæ poſteros fuiſſe in ipſo commaculatos iſto peccato, & ex iſtis alios elegiſſe ad vitam æternam, & alios deſeruiſſe in maſſa perditionis; imò hoc colligitur ex verbis præcedentibus Pauli. 1. Rom. 9. *Cùm*, inquit, *nondum fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali* (loquitur autem de Iacob, & Eſaũ,) *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei : quia maior ſeruiet minori, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, id eſt neglexi, ſeu quod idem eſt, deſerui in maſſa perditionis. Nos autem contendimus hominem ſecernere ſeipſum tantùm in tempore, & quidem præuentum gratia efficaci, idque liberè.• Rom. 9. ℣. 16. *Explicatur locus D. Pauli.* Id. ℣. 11. 12. & 13.

Reſpondeo 2. non eſſe abſurdum concedere, laudem aliquam ei debitam eſſe qui reſipiſcit à peccatis, etiamſi ſermo ſit de actu reſipiſcentiæ iſtius, dicitur enim Pſalm. 138. *Nimis honorificati* Pſal. 138. ℣. 17.

ſunt

Digitized by Google

ſunt amici tui Deus, nimiùm confortatus eſt principatus eorum: qui autem exercet actum reſipiſcentiæ perfectæ à peccatis, computatur inter amicos Dei, & cap. 2. Rom. *Gloria autem, & honor, & pax operanti bonum,* & cap. 4. prioris ad Corinth. *Nolite ante tempus iudicare,* & paucis interiectis. *Tunc laus erit vnicuique à Deo,* ex bonis ſcilicet operibus factis: imò D. Paulus ſeipſum commendat cap. 12. poſterioris ad Corinth. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis,* & rurſus. *Nam ſi voluero gloriari, non ero inſipiens; veritatem enim dicam,* & cap. 4. poſterioris ad Timoth. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui.* Deinde, laus & præmium, pœna & vituperium ſunt proprietates actuum humanorum: at conuertere ſe ad Deum per veram penitentiam, & eumdem diligere ſuper omnia, ſunt actus humani honeſti: ergo debetur iſtis laus aliqua.

Rom. 2. ℣. 10. 1. Cor. 4. ℣. 5. 2. Cor. 12. ℣. 9. & 6. 2. ad Tim. 4. ℣. 10.

Obiectio ex Bernard. Obijcies, D. Bernardum in lib. de libero arbitrio totum in eo eſſe, vt demonſtret actibus noſtris honeſtis nullam deberi laudem, ſed ſoli Deo; idque ex illo Pſal. 113. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Ex illo 1. Corinth. 4. *Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Reſpond. D. Bernardum prohibere tantùm, ne quis ità laudet ſeipſum, propter bona opera præſtita, vt excludat Deum ab huiuſmodi laudatione; eſt ſiquidem ipſe cauſa præcipua & principalis cuiuslibet boni operis; creatura autem cauſa minùs principalis, & ideò præcipua commendatio eorum operum Deo eſt adſcribenda: non autem nobis. Fauet iſtis, quòd gloria Dei ſit vltimus finis cuiuslibet operationis noſtræ honeſtæ: quare Deus maximè commendandus eſt propter bona noſtra opera: cum iſtis tamen ſtat, vt quilibet noſtrûm laudetur de bonis operibus factis, cæterùm minus principaliter.

Pſal. 113. ℣. 1. 1. Cor. 4. ℣. 7.

8. Ad octauam, reſpond. decreta diuina non propterea eſſe irritanda à libertate creata, licèt voluntas noſtra non fuerit phyſicè prædeterminata per gratiam præuenientem efficacem. Diximus enim Deum conferre gratiam in illis circumſtantijs, in quibus cognouit Deus ab æterno liberum arbitrium infallibiliter gratiæ diuinæ excitanti conſenſurum.

Vltim. Ad vltimam. Deum conferre gratiam præuenientem efficacem, nedum vt poſſimus bene operari, ſed etiam vt infallibiliter bene operemur; rectè ſiquidem à D. Auguſtino dictum eſt, gratiam præuenientem efficacem, ſeu congruam eſſe eam, quæ à nullo quantumuis duro corde reſpuitur, & alibi; Quæ alta, ſecreta, & ſecundum propoſitum Dei eſt efficaciſſima: cæterùm effectus iſte ſubſequi rectè poteſt, etiamſi non prædeterminetur phyſicè voluntas noſtra; ſatis enim eſt ſi fuerit prædeterminata moraliter à Deo per gratiam præuenientem.

DVBITATIO QVINTA.

Vnde deſumenda ſit efficacia gratia.

SVNT qui putent, ex cooperatione libertatis noſtræ efficaciam iſtam eſſe deſumendam; idque quòd gratia efficax, numquam de facto ſortiatur ſuos effectus, niſi habuerit adiunctam cooperationem libertatis, & per conſequens non eſt efficax, niſi cum dependentia à libertate noſtra. Alij verò repetunt efficaciam hanc ab ipſamet gratia tantùm. Alij à gratia & libertate ſimul.

CONCLVSIO 1. *Efficacia gratia non eſt à libero hominis arbitrio deſumenda, veluti à cauſa præcipua & principali,* vt videtur ſentire Molina in concordia, & ad 1. part. D. Thom. quæſt. 26. Primùm, quia Scripturæ docent nihil eſſe in nobis, quod poſſit conducere nos ad actus ordinis ſupernaturalis exercendos, ſi relinquamur intrà terminos propriæ naturæ: ità Paulus cap. 3. prioris ad Corinth. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* & 9. Rom. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* *Efficacia gratia non eſt à libertate.* 1. Cor. 3. ℣. 7. Rom. 9. ℣. 16.

Deinde ſi efficacia gratiæ ſumenda eſſet à libertate creata, ſequeretur hominem eſſe cauſam præcipuam & principalem ſuæ ſalutis: omnis enim actus ſupernaturalis, qui datur in nobis, repetendus eſt ab efficacia gratiæ, de cuius ratione eſt, nedum vt poſſit operari, ſed etiam vt infallibiliter operetur: at illatio maioris eſt contra Concilia, Mileuitanum, Arauſicanum II. & Trident. ſeſſ. 6. can. 3.

Denique, ſequeretur in poteſtate cuiuslibet noſtrûm eſſe, vel facere efficacem, vel ineffícacem gratiam nobis datam à Deo, quod tamen reijcitur à ſcholis veluti Pelagianum.

CONCLVSIO 2. *Efficacia gratia in actu primo ſpectata, ab ipſamet gratia eſt repetenda.* Aduerte, gratiam in actu primo ſpectari quotieſcumque conſideratur, nedum ſecundum entitatem quam habet; ſed etiam vt eſt tale donum, vel beneficium, quod non ſolùm poteſt operari, ſed etiam infallibiliter operatur. Probatur Concluſio ex illis locis Scripturæ in quibus conuerſio noſtra tribuitur diuinæ gratiæ Ioan. *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* Et item. *Nemo poteſt venire ad me niſi fuerit ei datum à Patre meo,* & c. 10. *Ego cognoſco oues meas, & non rapiet eas quiſquam de manu mea,* & Ieremiæ 31. *Poſtquam me conuertiſti, egi penitentiam.* *In actu primo efficacia gratiæ ab ipſa gratia.* Ioan. 6. ℣. 46. & 66. Id. 10. ℣. 28. Ierem. 31. ℣. 19.

Deinde, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia; maximè D. Auguſt. in lib. namque de gratia & libero arbitrio, cap. 5. ità de D. Pauli conuerſione loquitur, *Vt autem Paulus de cœlo vocaretur & tam magna & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola,* & cap. 16. *Certum eſt nos facere eum facimus, ſed ille,* ſcilicet Deus, *facit, vt faciamus, prabendo vires efficaciſſimas voluntati.* & lib. de gratia Chriſti, cap. 45. ſupra allato, & de prædeſt. ſanctorum cap. 8. *Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideò quippe tribuit, vt cordis duritia primitus auferatur.*

Accedunt rationes aliquæ. Prima: quidquid conuenit gratiæ efficaci ante cooperationem libertatis noſtræ, conuenit gratiæ, vt ſic, ſeu quod idem eſt, vt hæc eſt à ſolo Deo: at efficacia conuenit ei ante omnem cooperationem liberam voluntatis noſtræ; eſt enim de intrinſeca ratione gratiæ efficacis, vt nedum ſatis ſit ad ſuos effectus producendos, ſed etiam vt eos infallibiliter producat, vt patet ex dictis: ergo ex ſe eſt efficax. *Rationes concluſionis.* 1.

Secunda: Efficacia gratia eſt deſumenda ab illo eodem à quo petitur actus conuerſionis, qui eſt vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem obtinendam, ſunt enim hæc duo ex æquo res aliquæ ordinis ſupernaturalis: at actus conuerſionis, qui eſt diſpoſitio ad gratiam habitualem infallibiliter eſt à Deo, veluti à cauſa principali: ergo idem erit dicendum de efficacia gratiæ. Item actus 2.

Digitized by Google

conuerſionis, vt ſic, ideò eſt ordinis ſupernaturalis, quia habet in ſe principium aliquod ſupernaturale; non autem quia eſt à libero hominis arbitrio relicto intrà terminos propriæ naturæ; ergo efficacia etiam gratiæ conueniet ipſi gratiæ efficaci, vt ſic; non autem quia coniungitur hæc cum libero hominis arbitrio. Confirmatur. Nemo dat quod non habet: at liberum hominis arbitrium relictum intrà limites ſuæ naturæ, nihil planè habet quod ſit ordinis ſupernaturalis, vt eſt per ſe notum: ergo non poterit hoc cauſare efficaciam gratiæ in actu primo, cùm hæc tota ſit ex ſe, & ſua natura, ſupernaturalis. A

Efficacia gratiæ completè petitur ab ipſa & cooperatione voluntatis.

CONCLVSIO 3. *Efficacia gratiæ in actu ſecundo, aut (vt alij loquuntur) adæquatè, completè & totaliter eſt repetenda ex gratia, & ex cooperatione libertatis noſtræ.* Aduerte efficaciam gratiæ ſpectari in actu ſecundo, quotieſcumque conſideratur hæc, nedum ſecundum ſuam entitatem, & vt tale beneficium Dei eſt, ſeu donum, quod poteſt operari, & infallibiliter operatur: ſed etiam vt habet coadiunctam cooperationem liberam voluntatis noſtræ. B

Probatio 1. Probatur primùm, quia propter hanc cauſam Scripturæ præexigunt aſſenſum libertatis noſtræ ad actum conuerſionis producendum, media gratia efficaci, ſeu quod idem eſt, cum gratia ipſa efficaci. *Prouerb.* 1. & alibi ſæpe.

Deinde, idem eſt iudicium de efficacia gratiæ in actu ſecundo, reſpectu actus conuerſionis, quod de lumine gloriæ reſpectu actus viſionis diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, aut dilectionis qua diligitur Deus à beatis; at viſio diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt, itémque dilectio quæ producitur à beatis in actu primo, pendent à lumine gloriæ, & ab illo auxilio, cum quo voluntas diligit Deum: in actu verò ſecundo dependent & à lumine gloriæ, & ab intellectu, & ab auxilio recepto in voluntate, & præterea ab ipſamet voluntate: ergo idem quoque erit dicendum de actu conuerſionis. Confirmatur: conuerſio iſta eſt ſimpliciter vitalis, & item meritoria: ergo & intrinſecè & à gratia præueniente efficaci, & à cooperatione libera voluntatis noſtræ. C D

Aduertendum autem eſt, cùm diximus efficaciam gratiæ in actu ſecundo deſumendam eſſe à cooperatione libertatis noſtræ, & ab ipſamet gratia, nolle nos affirmare ipſam aliquid conferre gratiæ, per quod gratia iſta cẽſeatur eſſe potẽtior; ſed contendimus tantùm, nec ſolã gratiam, nec ſolam voluntatem ſufficere ad hoc vt ponatur actus conuerſionis extra ſuas cauſas de facto, & realiter; ſed deſideratur vlterius & gratia, & prẽterea libertatis cooperatio: ità vt velimus actum conuerſionis eſſe ab iſtis duabus cauſis veluti à duobus agentibus partialibus, quorum neutrum ſeorſim ſumptum ſufficiens eſt ad actum conuerſionis eliciendum, bene tamen coniunctim; cum hoc tamen diſcrimine, quòd præcipuè & principaliter ſit à gratia efficaci, à libero autem hominis arbitrio minùs principaliter & remotè. E

Obiectio. Dices, opinionem iſtam inclinare in hæreſim Pelagij; fatemur enim efficaciam gratiæ deſumendam eſſe à cooperatione noſtræ libertatis.

Solutio. Reſpond. ſententiam iſtam toto cœlo diſtare ab errore Pelagij; ipſe enim voluit hominem ſinè vlla gratia poſſe conſequi vitam æternam, & mereri; nos verò contendimus gratiam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad quemlibet actum ordinis ſupernaturalis: dicimus item efficaciam gratiæ eſſe repetendam ex cooperatione libertatis minùs principaliter: ex ipſamet verò gratia principaliter, imò voluntatem creatam præſupponere gratiam in omni planè actu ordinis ſupernaturalis quem facimus.

Ad rationem verò adductam in fauorem primæ ſententiæ. Reſpond. Quamcumque gratiam, etiam efficacem, liberum hominis arbitrium poſſe reſpuere; de facto tamen nunquam abijcere, idque quòd de ratione iſtius gratiæ ſit producere ſuos effectus. Ex iſtis autem non licet colligere, cooperationem libertatis noſtræ eſſe cauſam efficacitatis gratiæ, niſi iuxta modum explicatum in vltima Concluſione. *Diluitur ratio aduerſar.*

DVBITATIO VLTIMA.

Vndénam deſumenda ſit infallibilitas effectus gratiæ efficacis.

CONCLVSIO 1. *Infallibilitas effectus gratiæ non eſt repetenda ex ſcientia conditionata, qua Deus præuidit ab æterno gratiam datam huic vel illi homini, in hac & illis circumſtantijs habituram effectum infallibiliter.* Primò, quia infallibilitas effectus gratiæ efficacis eſt petenda ab illo eodem, à quo gratiæ efficacia: diximus enim de ratione gratiæ efficacis eſſe, nedum poſſe operari, ſed etiam infallibiliter ſuos effectus producere: at efficacia gratiæ non petitur ex ſcientia conditionata, quæ datur in Deo, de efficacia iſtius gratiæ, ſed ab ipſamet gratia, vt probatum fuit, ergo. *Infallibilitas gratiæ non ſumitur à ſcientia media.*

Deinde, licet Deus non præuidiſſet effectum gratiæ efficacis ex hypotheſi; non tamen propterea gratia efficax deſineret producere ſuos effectus.

Denique, preſcientia de rebus futuris nihil planè ponit in ijſdem, cùm ſe habeat extrinſecè ad illas res futuras: ergo ab illa ſcientia non eſt deſumenda gratiæ efficacia.

CONCLVSIO 2. *Infallibilitas effectus gratiæ efficacis eſt refundenda in congruitatem & contemperationem, qua datur inter gratiam efficacem, & libertatem illius, cui hæc confertur.* Hæc videtur eſſe mens D. Auguſt. ad Simplicianum, quæſt. 2. lib. 1. *Non eſt,* inquit, *volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis qui ſequuti ſunt vocationem.* & paucis interiectis. *Cuius miſeretur, ſic eum vocat quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat,* & cap. 14. de dono perſeuerantiæ idem planè dicit. *Sed à congruitate eiũ voluntate.* D. Auguſt.

Deinde docet alibi de gratia efficaci, quòd ſit congrua, alta, ſecreta, & ſecundum propoſitum Dei efficaciſſima: ergo ab huiuſmodi congruitate & contemperatione eſt perpendenda infallibilitas gratiæ efficacis.

ROGABIS, *In quo poſita ſit iſta contemperatio, ſeu congruitas gratiæ efficacis.* Sunt qui dicant poſitam eſſe, in eo, quod congruo tempore gratia detur huic vel illi homini in particulari. Ceterùm minùs rectè; nam congruitas temporis illius in quo gratia iſta datur, reuocanda eſt potiùs in eamdem gratiam quàm è contrà. Deinde, ſancti Patres, maximè verò D. Auguſt. locis Dubitatione proximè antecedente citatis, diſtinguit gratiam efficacem à ſufficienti, ex eo, quòd aliquid intrinſecè conueniat gratiæ efficaci, quod ſufficienti non concedatur: ergo cùm de ratione gratiæ efficacis ſit producere infallibiliter ſuum effectum, *Congruitas gratiæ in quo ſit poſita.*

effectum, infallibilitas iſta, aut congruentia, aut contemperatio non erit deſumenda ex tempore in quo gratia hæc conceditur.

Illi ergo videntur ad veritatem acceſſiſſe, qui docent congruitatem hanc, ſeu contemperationem eſſe deſumendam ex cõuenientia & proportione, quæ datur inter gratiam efficacem, & liberum arbitrium illius cui confertur: Primò quia ità videtur ſentire D. Auguſt. loco proximè citato ad Simplicianum.

Deinde, experientia quotidiana docet, voluntatem creatam citiùs producere ſuos effectus, quando proponitur illi obiectum, quod habet aliquam cum illa conuenientiam, vt patet ex pueris, qui magis mouentur pomis, vuis, ceraſis & alijs rebus delectabilibus, quàm auro, vel argento.

Denique, diſpoſitio neceſſaria ad receptionem alicuius formæ conducit mirum in modum ad illius effectus exercendos: ergo contemperatio vel conuenientia illa quæ datur inter gratiam efficacem, & libertatem creatam iuuabit plurimum ad effectus gratiæ producendos.

Obiectio. Obijcies, infallibilitatem effectus gratiæ efficacis poſtulare cauſam aliquam infallibilem, cuius tamen generis non eſt libertas creata, etiam ſi ſupponamus eam eſſe coniunctam cum gratia efficaci, eſt enim de ratione libertatis, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſit hęc agere, & non agere.

Solutio. Reſpondeo infallibilitatem effectus gratiæ efficacis, non eſſe repetendam ex libertate noſtra, ſpectata vt ſic (vt bene probat hæc obiectio) ſecus tamen ex conuenientia, quæ datur inter gratiam efficacem & libertatem: nam licèt libertas abſolutè loquendo poſſit operari & non operari, gratia efficaci in eadem exiſtente; de facto tamen operabitur voluntas noſtra, ex poſitione gratiæ efficacis in eadem, ſuppoſita conuenientia iſta, quæ datur inter gratiam & voluntatem creatam.

Mouetur quæſt. ROGABIS 2. *An ſi gratia efficax daretur multis, fieri poſſet vt vnus conuerteretur ſine alijs?* Antequàm res hęc explicetur, ADUERTE gratiam efficacem ſpectari duobus modis: Primò, ſecundum entitatem quam habet tantùm. Deinde, ſecundum iſtam entitatem coniunctam cum dono, ſeu beneficio Dei, aut, vt alij loquuntur, quatenus illa entitas dicit congruitatem & contemperationem cum voluntate illius cui confertur: hoc ità conſtituto.

Satisfit 1. Reſpondeo primò. *Gratiam efficacem ſpectatam præciſè ſecundum ſuam entitatem præſcindendo à ratione beneficij, & talis doni, poſſe habere effectum in vno, in alijs verò minimè* Primò, quia id videtur colligi ex Matth. 11. ℣. 21. cap. 11. Mat. & 10. Lucæ. *Væ tibi Chorazaïn, væ tibi Bethſaïda, quia ſi in Tyro & Sidone facta fuiſſent* Luc. 10. ℣. 13. *virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere ſedentes peniterent.* & ex cap. 3. Ezech. *Fili* Ezech. 3. ℣. 4. 5. 6. 7. *hominis vade ad domum Iſraël, & loqueris verba mea ad eos; non enim ad populum profundi ſermonis & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Iſraël: neque ad populos multos profundi ſermonis & ignotæ linguæ, quorum non poſſis audire ſermones, & ſi ad illos mitteretis, ipſi audirent te: domus autem Iſraël nolunt audire te, quia nolunt audire me.*

Deinde, vna & eadem entitas gratiæ data fuit Pharaoni & Nabuchodonoſor, vt author eſt D. Auguſt. in lib. de prædeſt. & gratia, ſi tamen ſit Auguſtini, cap. 15. & refert Gratianus 23 q. 4. can. *Nabuchodonoſor. Quantum*, inquit, *ad naturam ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad cauſam, ambo captiuum populum Dei poſſidebant; quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti.* Et tamen Nabuchodonoſor media iſta gratia egit penitentiam; Pharao verò contra eamdem libero pugnauit arbitrio: quare obſtinatus in peccatis perijt. Tertiò, ſacra Concilia docent, maximè Trident. ſeſſ. 6. can. 4. data gratia quacumque poſſe hominem acceptare & reſpuere: ergo gratia efficax ſpectata præciſè ſecundum ſuam entitatem habebit effectum in vno, non autem in alio, idque ob defectum contemperationis & congruitatis cum voluntate illius cui datur. Denique, hęc eſt ſententia SS. Patrum expreſſa: D. Aug. 11. de Ciuit. cap. 6. & lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. & de prædeſt. & gratia, loco cit. Chryſoſtom. homilia 16. in epiſt. ad Rom. paulò ante medium. Proſperi lib. 2. de vocatione gentium, cap. 9. Cyrilli Alexand. lib. 11. in Ioan. cap. 11. D. Auguſt. Chryſoſt. Proſper. Cyrillus.

Reſpondeo 2. *Gratiam efficacem ſumptam in ratione doni & beneficij, aut ſecundum congruitatem & contemperationem, quam habet cum voluntate eorum, quibus datur, non poſſe habere effectum in vno, quin habeat in illis omnibus quibus datur.* Primùm, quia diximus de ratione gratiæ efficacis, vt ſic, eſſe, nedum poſſe, ſed de facto operari: at ſupponimus hanc dari multis, & quidem ſub ea ratione, qua tale donum & beneficium Dei eſt, ſcilicet congruum & efficax: ergo debet hæc habere effectum in omnibus. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Auguſt. de prædeſt. ſanctorum, cap. 3. 6. 8. & 16. & de dono perſeuerantiæ c. 6. de correptione & gratia, cap. 11. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 19. *Satisfit 2.*

ROGABIS 3. *Quid cenſeant hæretici noſtri temporis de gratia efficaci.* *3. Quæſtio.*

Reſpond. *Eſſe eam hæreſi vt credant libertatem omnino deſtrui ex vi poſitionis gratiæ efficacis in eadem:* Docent enim illud idem de hac gratia efficaci, quod de prædeſtinatione, de præſcientia, de prouidentia, & de voluntate efficaci diuina Contendunt autem de iſtis omnibus quod deſtruant in nobis libertatem, vt probant Theologi ad 1. part. D. Thom. quæſt. 19. 22. & 23. Cęterùm hæreſis iſta refellitur communiter locis citatis: à nobis verò fuit expoſita in tract. de actibus humanis: diximus enim illic, in homine verè dari libertatem, neque deſtrui vel à præſcientia diuina, vel à prouidentia, ſaltem pro illo toto tempore quo ſumus in hac vita mortali. *Hæreticorum dogma.*

ARTICVLO 4. Docet gratias gratis datas rectè fuiſſe à D. Paulo explicatas cap. 12. prioris ad Corinth. quas enumerat his verbis: *Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij diſcretio ſpirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum: hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.* 1. Cor. 12. ℣. 7. 8. 9. 10. 11.

ARTICVLO 5. Tradit gratiam gratum facientem præſtantiorem eſſe gratijs gratis datis, ità quòd hæc nos coniungat Deo proximè, & conſtituat iuſtos & ſanctos formaliter.

Digitized by Google

QVÆSTIO CXII.

De causa Gratiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virùm Deus sit causa gratiæ.

Causa principalis gratiæ Deus.

VT hic Articulus intelligatur quædam sunt aduertenda. Primum est, causam præcipuam & principalẽ gratiæ efficientem esse solum Deum; dicitur enim Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Deinde, entitas quælibet ordinis supernaturalis, nullam aliam habet causam præcipuam & principalem efficientem, præter Deum, idque quòd solus Deus sit prima origo rei supernaturalis, vt sic: at certum est gratiam esse ordinis supernaturalis; eleuat quippe hominem & Angelum ad esse supernaturale, & tribuit istis ius ad vitam æternam obtinendam: ità D. Thomas & interpretes eiusdem.

Psal. 83. ℣. 12.

Humanitas Christi & Sacramenta causa instrumentalis gratiæ.

Aduerte 2. humanitatem Christi, & Sacramenta, esse causas efficientes gratiæ ceterùm instrumentales; cum hoc tamen discrimine quòd humanitas Christi sit causa instrumentalis gratiæ coniuncta diuinitati; Sacramenta verò causæ instrumentales eiusdem diſiunctæ, & separatæ, & quidem in ratione causæ physicæ. Prima pars huius documenti probatur, ex cap. 6. Lucæ; dicitur enim illic de humanitate Christi: *Et virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* & alibi Christus de seipso ità loquitur. *Noui virtutem de me exiisse.*

Luc. 6. ℣. 19. Id. 8. ℣. 46.

Secunda verò pars, probatur ex eo, quòd Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. doceat de sacramento baptismatis, quòd sit causa instrumentalis nostræ iustificationis. Denique, Sacramenta sunt pharmaca quædam, quibus Deus medetur malis nostris, vt docent omnes cum D. Tho. 3. part. q. 62. at certum est pharmaca habere vim purgandi non moralem, sed physicam: ergo illud idem erit dicendum de sacramentis. Confirmatur. Concilium Trident. definit sess. 7. de sacramentis nouæ legis, quòd faciant id quod significant, & quidem ex opere operato: at significant gratiam sanctificantem: ergo eam faciunt. Sed de his suo loco Deo fauente.

Obiectio.

Obijcies, humanitatem Christi non coniungi illis omnibus, quibus datur gratia; manet enim hæc in dextera Patris: ergo nequit esse causa efficiens physica gratiæ; postulat enim causa physica vt coniungatur passo.

Solutio.

Respond. humanitatem Christi coniungi proximè & immediatè illis omnibus, quibus datur gratia, non quidem immediatione suppositi, vt loquuntur, sed virtutis tantùm: auxilium siquidem actuale & habituale, quod confertur nobis, habet ortum ab humanitate Christi, nedum in ratione causæ meritoriæ, sed etiam efficientis physicæ: dicitur enim apud Ioan. cap. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia;*

Ioan. 1. ℣. 16.

A Contactus autem iste virtualis satis est ad causalitatem physicam sustinendam, vt constat ex Solis exemplo, qui dicitur physicè concurrere ad quemlibet effectum productum in visceribus terræ, ex communi doctrina Philosophorum,

Productio gratiæ non est creatio, sed eductio.

Aduerte 3. Productionem gratiæ nec esse creationem, nec concreationem, sed eductionem ex potentia obedientiali animæ, aut substantiæ Angelicæ; ratio prioris est, quia creatio terminatur ad rem per se subsistentem, ex doctrina D. Thomæ communiter recepta 1. part. in quæst. de creatione: gratia autem non est res per se subsistens, cùm sit qualitas accidentalis, non autem substantialis omnium consensu. Secundum verò ex eo

B innotescit, quod ea concreentur, quæ producuntur ad productionem alicuius rei quæ verè creatur: concreari siquidem idem est atque simul creari: at gratia non producitur ad productionem alicuius rei, quę per se creetur, vt est per se notum, datur enim homini à longo tempore producto. Ratio verò posterioris est: illud educitur ex potentia obedientiali animæ quod pendet ab ea in esse, fieri, & conseruari, & est ex se, & sua natura ordinis supernaturalis: at gratia iustificans pendet ab animæ essentia, in fieri, & in esse, & in conseruari, & est ordinis supernaturalis: imo sunt qui dicant non posse gratiam conseruari sinè animæ essentia, aut substantia aliqua spirituali creata, etiam per omnipotentiam Dei: ergo educitur

C ex substantia rationali.

Psal. 50. ℣. 12. *Obiectio.*

Obijcies, dici apud Prophetam, Psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus:* atqui cor nusquam fit mundum, nisi per gratiam à qua informatur.

Solutio.

Resp. nomine creationis hoc in loco non significari creationem propriè dictam, sed tantùm productionem quamlibet.

Causa materialis gratiæ est subiectum in quo proximè recipitur.

Aduerte 4. causam materialem gratiæ esse subiectum proximum in quo illa recipitur: nam subiectum respectu cuiuslibet accidentis sibi inhærentis, censetur esse materia eiusdem, idque quia quemadmodum forma recipitur in materia, quam

D informat; ità & quodlibet accidens recipitur in suo subiecto. Diximus autem subiectum gratiæ proximum & immediatum esse essentiam animæ rationalis.

Finalis proxima est sanctitas creatura, remota gloria Dei. Ephes. 1. ℣. 5.

Aduerte vltimo, causam finalem gratiæ iustificantis proximam, esse sanctitatem, & iustitiam cuiuslibet; remotam verò esse gloriam Dei. Primùm, quia ità dicitur verbis expressis in Trident sess. 6. cap. 7. Deinde, hoc ipsum colligi videtur ex cap. 1. Ephesiorum. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ, gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo.* Denique, finis censetur esse id ad quod cetera omnia referuntur: at gratia iustificans ordinatur proximè ad sanctiE tatem nostram faciendam: definit siquidem Trident. sess. & cap. cit. causam formalem nostræ sanctitatis esse gratiam: sanctitas item nostra nedum spectata formaliter, sed etiam realiter, ordinatur in gloriam Dei vltimo: *Omnia* quippe *propter semetipsum operatus est Dominus.*

Sap. 16. ℣. 4.

ARTICVLVS

ARTICVLVS SECVNDVS.

An requiratur aliqua præparatio, & dispositio ex parte hominis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An necessariò detur gratia præparanti se ad eam.

VT res hæc faciliùs explicetur, aduerte, iustificandos esse in duplici differentia: alij enim sunt adulti, alij verò agunt in tenera ætate, & nulla prorsus vtuntur ratione, etiam si adoleuerint, vt sunt amentes & pueri.

Aduerte 2. gratiam aliam esse actualem, aliam habitualem: de illa nulla est disceptatio; conuenit enim inter omnes hanc nullam supponere dispositionem: est enim ratio recipiendi se, & quamcumq; aliam à se. Deinde, daretur aliter progressus in infinitum: tota igitur difficultas est de posteriori gratia habituali, an prærequirat necessariò dispositiones aliquas ad hoc vt recipiatur in subiecto.

Gratia habitualis est in pueris absque dispositione. *D. August. Bernard.*

CONCLVSIO 1. *In pueris & adultis, qui nusquam vsi sunt ratione, gratia iustificans habitualis nullam præsupponit dispositionem, vt in illo recipiatur.* Hæc est expressa sententia D. August epist. 25. & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 2. & 10. & D. Bernardi in Cantica Cantic. frequenter: ratio ipsum suadet: de fide namque est baptizatos quoslibet mundari à peccato originali & recipere in se gratiam, cessante omni impedimento ex parte eorum, qui baptizantur: at pueri, itémque amentes, qui nusquam vsi sunt ratione, baptizantur ex hypothesi: ergo gratiam iustificantem recipiunt sinè vlla dispositione, quæ teneat se ex parte istorum. Idem dicendum est de iustificatione, quę fit à sola carentia gratiæ, & non à peccato, veluti à termino à quo; cuius generis fuit iustificatio Christi in primo instanti suæ conceptionis, itémque primi hominis, Angeli, & Deiparæ Virginis. Istis ergo omnibus data est gratia iustificans sinè vlla dispositione antecedente infusionem huiusce gratiæ.

Marc. 16. ℣. 16. Obiectio. Dices, Marc. 16. habeti. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Solutio. Resp. hæc de solis adultis esse intelligenda; isti enim soli, cùm retineant vsum rationis, debent etiã seipsos disponere, dependenter tamen à gratia Dei præueniente, ad gratiæ iustificantis receptionem.

Dispositio necessaria in adultis. *Trident.* CONCLVSIO 2. *Gratia iustificans de lege communi in nullo adulto ponitur, nisi dependenter à dispositione aliqua liberè in eodem antecedente.* Hæc est de fide, ità expressè Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 6. & 7 *Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur: quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam gratiæ susceptionẽ & donorũ.*

2. Deinde, hoc idem colligitur ex illis locis Scripturæ in quibus dicitur Deum expectare consensum nostrum, ad hoc vt ipse ad nos accedat per gratiã iustificantẽ, *Zacharię 2. Ozee 4.* & alibi sæpe.

3. *D. August.* Tertiò, hæc est expressa Patrum sententia, maximè D. Aug. de verbis Apost. serm. 15. cap. 11.

A *Sinè te fecit te Deus. Non enim adhibuisti aliquem consensum vt te faceret Deus. Quomodo consentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sinè te. Ergo fecit te nescientem, iustificat volentem.*

Ratio conclusionis. Accedit ratio. In entibus phyũcis nusquam datur forma, nisi suppositá dispositione aliqua, ex communi doctrina Peripateticorum: ergo & illud idem debet fieri in iustificatione hominis supernaturali, præsertim cùm recta ratio dictare videatur, eum qui agit sub forma aliqua deordinata libera, non debere ab eadem recedere, nisi interueniente libera aliqua actione contraria priori; atqui certum est hominem nusquam inquinari peccato actuali, nisi dependenter ab aliquo actu libero turpi & inhoneſto: ergo cùm forma oppositá peccati sit gratia gratum faciens, seu iustificans, hæc nusquam producetur in nobis, nisi dependenter ab aliquo actu libero & honesto.

Osee 13. ℣. 9. Obiectio. Obijcies, salutem nostram à sola Dei voluntate esse repetendá, Ozeę 13. *Perditio tua Israël, tantum modo in me auxilium tuum.* at in Conc. Araufican. II. verbis conceptis dicitur, Deum non expectare assensum voluntatis nostræ, vt nobis benefaciat, sed nobis inconsultis salutem nostram promouere: ergo nulla requiritur dispositio.

Solutio. Resp. ex istis non posse colligi dispositionem liberam non esse necessariam in adultis, vt conferatur istis gratia iustificans; ex locis namque proximè citatis tantùm probatur Deum non expectato voluntatis assensu conferre nobis gratiam præueniẽtem seu actualem; non autem iustificantem: Ità omnes omnino Theologi ad hunc locum. Addunt aliqui ex locis istis proximè citatis probati, propterea Deum esse causam præcipuam & principalem nostræ salutis: at cum istis rectè cohæret, vt quilibet nostrùm possit dici causa suæ salutis, & cooperando gratiæ diuinæ præuenienti, & posita ista gratia præueniente, disponendo se ad gratiæ iustificantis receptionem, ex loco D. Aug. citato.

Prima dispositio est contritio. ROGABIS. *Quanam sint dispositiones illæ ad quas infallibiliter subsequitur gratia iustificans in adultis, quotiescumque iustificantur à peccato mortali commisso* Resp. *Primam dispositionem esse contritionem perfectam:* hæc est expressa sententia Concilij Trid. sess. 6. c. 6. & 7. & 14. can 4. Deinde, hoc ipsum colligitur ex illo Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur.* Secunda dispositio ad quam infallibiliter subsequitur gratia, est dilectio Dei super omnia, vt colligitur ex Trid. locis proximè citatis, & præterea ex cap. 14 Ioan. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vltima dispositio ad gratiam iustificantem obtinendam, est attritio cum sacramento: ità Trident. sess. 14. cap. 4. Accedit ratio: Illa res censetur esse dispositio ad gratiam iustificantem, qua posita, ponitur indubitanter ipsa gratia, & quidem ità, vt aliter euenire non possit de lege communi: at posita in nobis contritione perfectá, vel dilectione Dei super omnia, vel denique attritione cum sacramento, gratia iustificans non potest non dari nobis: ergo tres istę res sunt dispositiones infallibiles ad acquisitionem gratiæ iustificantis.

Ezech. 18. ℣. 21.

2. Dilectio Dei super omnia.

Ioan. 14. ℣. 23.

3. Attritio cum sacramento.

Difficiliùs iustificatur homo extrà sacramentum quam cum illo. Aduerte, non ità facilè hominem iustificari extra sacramenta, ac cum illis; nam sinè sacramentis, nullus est qui possit iustificari à mortali, nisi dependenter à perfecta contritione,

vel ab actu dilectionis Dei super omnia, qui est virtualis quædam contritio: in sacramentis verò iustificatur homo cum sola attritione, & reali applicatione alicuius sacramenti.

ARTICVLO 4. Docet gratiam iustificantem esse maiorem in vno, quàm in alio, de qua re nulla est dubitatio; recipitur enim hæc in adultis dependenter à dispositione cum qua contingit ipsos iustificari: dispositio autem hæc non est æqualis in omnibus, sed maior in vno, & in alio minor: præterea beatitudo est inæqualis, vt docet fides: ergo & gratia, quæ est semen istius beatitudinis.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vtrùm possit homo esse certus de sua gratiâ.

Catharini opinionis fundam. 1.

AMBROSIVS Catharinus in opusculo de prædestinatione, referente Soto in Apologia contra eumdem, quæ extat in fine commentariorum lib. 4. sentent. eiusdem, in ea est opinione, vt credat omnem hominem iustificatum certò scire se gratiam iustificantem esse consequutum; & quidem ità vt nulla superst ei occasio dubitandi de opposito: probat, quia cuilibet homini iustificato datur testimonium à Spiritu sancto de hac gratia adepta, ex cap. 8. Rom. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filij Dei.* & ex cap. 3. 1. can. Ioan. *Scimus quia translati sumus de morte ad vitã, quoniam diligimus fratres.*

Rom. 8. ℣. 16.

1. Ioan. 3. ℣. 14.

2. Deinde, viri sanctissimi, quibus, præmisso districto conscientiæ examine, nulla occurrit culpa commissa, sed contrà vident in omnibus & singulis se morem gessisse præceptis sibi impositis, certò pronuntiare possunt in gratia & charitate versari.

3. Tertiò, qui moritur pro Christo, hic certò intelligit se gratiam Dei possidere, tum quia martyrium est actus perfectissimæ charitatis, ex illo Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: Tum quia fatentur omnes martyrium conferre gratiam ex opere operato; tum denique quia dilectio Dei super omnia est dispositio ad quam infallibiliter subsequitur gratia ex dictis: at potest aliquis certò cognoscere se mortem pati pro Christo tantùm, & propter veram fidem quam profitetur.

Ioán. 15. ℣. 13.

4. Denique, fieri potest vt aliquis attritus sacramentum pœnitentiæ consequatur: ergo poterit etiã certò intelligere se esse iustificatũ: est enim attrito cum sacramento, dispositio infallibilis ad gratiam iustificantem. Antecedens verò ex eo innotescit, quod attritio sit dolor de peccatis commissis, hoc solo nomine quod istis constituta sit pœna aliqua æterna, vel temporalis, aut certè quod peccatum quodlibet trahat secum dedecus & turpitudinem aliquam.

Hæreticorũ errores.

Hæretici vero nostri temporis credunt vnumquemque iustificari per solam Christi sanctitatem; non autem per entitatem aliquam creatam, & ideo docent quemlibet nostrũm obligari ad credendum esse iustum per Christi iustitiam, sicut tenemur credere eumdem Christum pro nobis passum: probant autem hoc ex illis locis Scripturæ, in quibus de Spiritu sancto dicitur, ideo fuisse datum nobis, vt sciamus quæ nobis à Deo concessa sunt. Cuius generis est illud 1. Corinth. 2.

1. Cor. 2. ℣. 12. *Nos spiritum Dei accepimus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*, & cap. 1. 2. ad eosdem: *Gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ.* & cap. 13. *Si estis in fide, probate vosmetipsos.*

1. Cor. 1. ℣. 12. 2. 13. ℣. 5.

Secundo probant ex illis locis Scripturæ, in quibus dicitur, iustificationem ex fide esse desumendam: ità Rom. 5. *Iustificati ergo ex fide.* & cap. 4 *Imò ex fide*, &c. Subiungunt & innumera sanctorum Patrum testimonia: Bernard. serm. 64. in Cantica, & serm. 2. in octauam Paschæ, & epist. 107. D. August. de dono perseuerantiæ, Gregor. lib. 1. Dialogor. cap. 1. & innumera alia quæ referuntur à Medina hîc. Valentia disputat. 8. p. 4. quæst. 4. Bellarm. in quæst. de hac re tom. 3. Testimonia autem ista referuntur ab eodem: Bellarmin. lib. 3. de iustificatione, & aliqua alia ex Patribus desumpta, quibus suam hæresim stabilire conantur.

Rom. 5. vers. 5. Rom. 4. ℣. 16.

CONCLVSIO 1. *De lege communi nullus est qui sciat tanta cum certitudine se gratiam Dei esse consequutum, vt nulla supersit ei occasio dubitandi de sua salute. oppositè.*

Nullus est certus de

Aduerte, certitudinem de re aliqua aliam esse physicam, aliam moralem: prima censetur ea quæ datur in nobis de re aliqua, vt hæc excludat omnem omnino formidinem, de opposito; cuius generis est certitudo huius propositionis: Sol est lucidus, ignis calidus, terra grauis: Illa verò censetur esse moralis, quæ nititur testimonio alicuius boni vel probi hominis, aut certè coniecturis, vel signis quibusdam maximè probabilibus apud bonos: hac certitudine intelligimus hostiam eleuatam à sacerdote inter sacrificandum, aut etiam datam alicui communicanti esse consecratam: item puerulum esse baptizatum, quando vidimus eum fuisse à sacerdote ablutum, & pronunciasse illa verba: *Ego te baptizo.* Conclusio hæc intelligitur de certitudine physica, quam Catharinus admittit dari in omni homine iustificato; contrà ergo probatur Conclusio: ità res hæc videtur definita in Trident sess. 6. cap. 9. *Nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est.* & can. 13. 14. & 15. & in cap. *Accepimus.* de purgatione canonica, apud Gregor. Pontifex enim maximus eo in loco præcipit Episcopo Bisuntino, ne iuret sub ista forma, sub qua tamen iuramentum perficere volebat: *Juro me esse immunem ab omnibus criminibus de quibus infamatus sum*: Propterea autem formam istius iuramenti Episcopus hic retinere voluit, quod crederet merito & dignitate pœnitentiæ peccata sua esse omni ex parte sublata: prohibet ergo Pontifex iuramentum hoc, docétque verbis expressis non potuisse Episcopum certo & indubitanter affirmare, vel gratiam esse consequutum merito sacramenti, vel peccata fuisse sibi condonata.

Duplex certitudo, physica vna, moralis altera.

Probatio 1.

Trident.

Deinde, Prouerb. cap. 20. dicitur, *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Accedit, Scripturam admonere frequéter salutem nostram esse perficiendam cum timore & tremore 1 Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* & Paulus de seipso ait, cap. 4. prioris ad Corinth. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum* & cap. 9. eiusdem epist. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerò ipse reprobus efficiar.* & Iob de seipso ità loquitur, capite nono: *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*: Imo Daniel non audet affirmare Nabuchodonosor eum futurum iustum,

Prou. 20. ℣. 9.

1. Cor. 10. ℣. 12. Id. 4. ℣. 4. Id. 9. ℣. 27. Iob. 9. ℣. 21. Dan. 4. ℣. 24.

Digitized by Google

iuſtum, etiam ſi redimat peccata ſua eleemoſynis cap. 4. ſuæ hiſtoriæ.

D. Aug. Tandem, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia; maximè verò D. Auguſt. de prædeſtin. Sanctorum cap. 20. & lib. 2. de peccat. meritis, cap. 5.

Gregor. Gregor. lib. 6. epiſtol. epiſt. 186. ad Gregoriam Auguſti cubiculariam: Rogauerat iſta Gregorium, an eſſet ſibi reuelatum à Deo, an pertineret ad numerum electorum. Reſpondet Gregorius *Rem & difficilem etiam, & inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia ego indignus ſum, cui reuelatio fieri debeat, inutilem verò, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis.* Cypriani ſerm. de opere & eleemoſynis, Chryſoſtom. hom. 87. in Ioan. Bernard. ſerm. 3. de Aduentu, & aliorum.

Cyprian. Chryſoſt. Bernard.

Quibuſdam Deus reuelauit ſalutē propriam. Luc. 1. ℣. 28. Ioan. 14. ℣. 16. Luc. 24. ℣ 49. Act. 2. ℣. 4. Luc. 1. ℣. 15.

Dixi autem, de lege communi; quoniam certum eſt Deum reuelaſſe quibuſdam interdum, ſe gratiam iuſtificantem eſſe conſequutos, vt conſtat de D. Virgine, ex cap. 1. Lucæ *Ave gratia plena.* Et de Apoſtolis Ioan. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis.* & Lucæ 24. *Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto*: hæc autem promiſſio completur Actor. cap. 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* De Dino item Ioan. Baptiſta. Lucæ 1. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*: & de alijs nonnullis.

Obiicies. Obiicies, D. Paulum, nomine quorumcumque C iuſtificatorum pronuntiare Rom. cap 8. *Certus ſum quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus &c. poterit nos ſeparare à charitate Chriſti*: ergo cùm charitas & gratia ab inuicem non ſeparentur, iuſtificatus certò ſciet ſe gratiam Dei conſequutum.

Rom. 8. ℣. 38.

Soluitur 1. Reſpond. 1. Locum hunc eſſe intelligendum de tota Eccleſia, in qua dantur aliqui verè iuſtificati: de hac ſiquidem dicitur Epheſ. 5. quòd ſit ſine macula & ruga; non tamen certò & indubitanter cognoſcimus, qui ſint iſti, in quibus datur gratia iuſtificans certo, ſed tantùm coniecturis quibuſdam probabilibus in cognitionem iſtorum particularium deuenimus.

Epheſ. 5. ℣. 27.

Soluitio 2. Reſpond. 2. Locum hunc de ſolo Paulo eſſe intelligendum, & eumdem affirmare, quòd nihil poſſit eum ſeparare à charitate Chriſti, non quidem certitudine fidei, ſed ſpei; vt colligere licèt ex loco ſupra cit. cap. 9. prioris ad Cor. Tandem D. Auguſt. cap. 35. lib. de ſpiritu & litera contendit locum hunc de vi charitatis eſſe intelligendum, ità vt velit eam eſſe potentiam & energiam charitatis, vt hæc ſatis ſit ad repellendas quaſcumque tentationes, ſi velit quis vnà cum ea operari; minimè verò vult Apoſtolus nobis innoteſcere charitatem iſtam dari in nobis tãta cum certitudine, præſertim vt nulla ſuperſit occaſio dubitandi de oppoſito.

D. Auguſt.

Replica. Inſtabis. *Quis hominum ſunt quæſiuit hominis, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt.* ex 1. ad Corinth. cap. 2. Reſpond. locum hunc eſſe intelligendum de ſolis cogitationibus liberis; minimè verò de donis ordinis ſupernaturalis, quæ nobis conferuntur.

1. Cor. 2. ℣. 11. *Diſſoluitur.*

Moraliter quis poteſt eſſe certus de ſalute propria. Conclvsio vltima. *Certitudine morali poteſt aliquis dignoſcere ſe verſari in gratia & in charitate.* Hæc eſt D. Auguſtini tractat. 1. in 1. Canonicam Ioan. Sola dilectio diſcernit filios regni à filijs perditionis, & Gregor. lib. 19. Moral. c. 8. *Tantò perfectus quiſque eſt, quantò perfectè dolores ſentit alienos.* & Bernard. ſerm. 2. in octauam Paſchæ, paulò poſt initium; cuius verba retulimus ad quæſt. 23. 1. p. art 1. Dubit. 4. quemadmodum & ſigna quibus quis dignoſci poſſit ſe ad numerum prædeſtinatorum pertinere, quæ optimè huic Concluſioni applicari poſſunt.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. teſtimonium Spiritus ſancti non eſſe ſatis ad excludendam omnem omnino dubitationem de oppoſito; deſideratur enim vlteriùs quòd conſtet certò & indubitanter huiuſmodi teſtimonium à nullo alio eſſe, quàm à Spiritu ſancto, vt rectè obſeruat Sotus allegatus. Reſpondeo deinde, ex illis locis Scripturæ tantùm inferri conſtare teſtimonio Spiritus ſancti cuilibet noſtrùm de medijs neceſſarijs ad vitam æternam conſequendam; non autem quòd hic, vel ille ſit gratiam iuſtificantem aſſequutus.

Diluuntur rationes contrariæ. 1.

Ad 2. probare tantùm Concluſionem noſtram ſecundam. 2.

Ad 3. Eum qui occiditur propter fidem non poſſe certitudine phyſica aſſequi ſe verſari in gratia, & in charitate, citra ſpecialem Dei reuelationem; nam conuenit inter omnes martyrium eſſe inutile in eo qui agit in peccato mortali; de quo tamen propterea non dolet.

Ad vltimam. Attritum qui conſequitur ſacramentum aliquod, etiam baptiſmi, aut pœnitentiæ; non poſſe affirmare ſe gratiam iuſtificantem eſſe aſſequutum, ità vt nulla ſit de oppoſito occaſio dubitandi; neſcit enim certo & indubitanter ſacerdotem habuiſſe intentionem adminiſtrandi ſacramenta. Deinde, eumdem latet an moueatur ex ſpeciali Dei auxilio ad dolendum de peccatis: neſcit denique an ex amore, an vero ex curioſitate ſacramentum hoc conſequatur. 3.

Diſſoluuntur rationes hæreticorũ. Ad rationes vero hæreticorum reſpond. Ad 1. ex illis Scripturæ locis ſolùm probari, conſtare nobis in communi, quæ ſint media à Chriſto inſtituta per quæ poſſimus perficere ſalutem noſtram; non autem probatur iſtis in locis, conſtare priuatæ alicui perſonæ gratiam iuſtificantem extare in ipſo, certo, & indubitanter: teſtimonia D autem iſta reſpiciunt communionem Eccleſiæ: ac proinde quæ ſunt certo & indubitanter omnibus credenda veluti à Deo reuelata; non autem quæ de facto recipiuntur in nobis ità recipi, vt nulla ſuperſit de oppoſito dubitandi ratio. 1.

Ad 2. Nihil planè colligi ex illis locis Scripturæ contra Concluſiones noſtras; docent enim hominem iuſtificari per fidem, non quidem formaliter, ſed initiatiuè & radicaliter, vt explicant communiter Patres: controuerſia autem hæc noſtra differit de cauſa formali noſtræ iuſtificationis, quam contendimus eſſe ſolam gratiam inhærentem, non autem fidem. 2.

Ad 3. ex illis locis ſanctorum Patrum tantùm inferri hominem iuſtum probabiliter dignoſcere ſe gratiam iuſtificantem eſſe conſequutum, non autem infallibiliter. Moneo autem quæ à nobis dicta ſunt eſſe intelligenda de ſolis adultis iuſtificatis: ſacerdos ſiquidem qui puerulos aliquos baptizat certo dignoſcit eos agere in gratia & in charitate. E 3.

A

QVÆSTIO CXIII.

De Iuſtificatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

An iuſtificatio impij ſit remiſſio peccatorum.

DVBITATIO PRIMA.

An iuſtificatio ſit effectus formalis gratiæ habitualis.

Variè ſumitur iuſtificatio.

DVPLEX iuſtificationem interdum ſignificare tantùm terminum à quo, qui ſemper eſt peccatum in quo quis agit, & à quo quis iuſtificatur per gratiæ habitualis infuſionem, vel carentia gratiæ, vel potiùs negatio eiuſdem: hac ratione fuerunt iuſtificati Angeli, & C primi parentes in primo inſtanti ſuæ creationis, & idem dicendum de Chriſto & D. Virgine: in iſtis enim numquam habuit locum peccatum aliquod: Priori verò modo quilibet noſtrûm iuſtificatur, vt tradit Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. definit enim propter hanc cauſam iuſtificationem eſſe tranſlationem ab eo ſtatu in quo quis naſcitur filius primi Adam, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Adæ, per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Interdum verò iuſtificatio ſignificat viam per quam aſſequimur terminum ad quem. Denique vſurpatur pro termino ad quem qui cenſetur eſſe gratia habitualis.

Iuſtificatio eſt effectus gratiæ.

CONCLVSIO. *Iuſtificatio ſumpta primo* D *& ſecundo modo non eſt effectus formalis gratiæ, ſed tantùm iuxta vltimam ſignificationem.* Probatur prima pars, quia diximus terminum à quo iuſtificationis eſſe vel peccatum, vel negationem gratiæ; at à neutro ex iſtis poteſt aliquis dici formaliter iuſtus & ſanctus, vt eſt per ſe notum.

Deinde, via ad terminum, reduplicatiuè loquendo, non eſt terminus ipſe; dicit enim fluxum & tendentiam quamdam, non autem rem aliquam permanentem

Trident.

Vltima verò pars probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. Dicitur enim illic verbis expreſſis, iuſtitiam eſſe effectum formalem gratiæ. Deinde, id à quo quis denominatur formaliter iuſtus, & ſanctus, eſt effectus formalis gratiæ; at quilibet noſtrûm denominatur formaliter iuſtus à gratia habituali, quam in ſe habet, vt manifeſtè colligitur ex loco proximè cit. Conciliſ, Tridentini & ex cap. 3. 1. Canonicæ Ioan. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* 1. Ioan. 3. ℣. 1.

DVBITATIO SECVNDA.

An conferre ius ad vitam æternam ſit effectus formalis gratiæ iuſtificantis.

CONCLVSIO. *Affirmatiua:* dicitur enim Pſalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Pſalm. 83. ℣. 21.

Deinde, datur perfectiſſima æqualitas inter gloriam & gratiam habitam in hac vita mortali, ex cap. 6. ad Galat. *Quæ ſeminauerit homo, hac & metet. Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* 2. Corinth. 9. *Vt referat vnuſquiſque propria corporis,* B *prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum:* imò propter hanc cauſam gratia dicitur communiter ſemen gloriæ.

Gratia confert ius ad gloriam. Galat. 6. ℣. 8. 2. Cor. 9. ℣. 6. Id. 5. ℣. 10.

Denique, tota ratio cur aliquis ſuccedat alteri in bonis iſtis caducis cenſetur eſſe, quia eſt filius demortui, aut quòd ſit inſtitutus heres ab ipſomet, ſuo teſtamento; at non aliter quilibet noſtrûm cenſetur eſſe filius Dei, niſi quòd habeat in ſe gratiam & charitatem, ex loco cit. 1. Canonicæ Ioan. ergo effectus formalis gratiæ eſt conferre ius ad hereditatem æternam.

DVBITATIO TERTIA.

An remiſſio peccati ſit effectus formalis gratiæ iuſtificantis.

CONCLVSIO. *Affirmatiua:* De fide namque eſt per gratiam & charitatem quæ diffunditur in nobis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, remitti verè & propriè peccata commiſſa, vt definitur in Trident. ſeſſ. 6. can. 9. 10. & 11.

Gratia remittit formaliter peccata. Ioann. 17. ℣. 17.

Deinde, Ioan. 17. dicitur, *Pater ſanctifica eos in veritate.* & 1. Corinth. 6. *Hæc quidam fuiſtis,* ſcilicet idolorum cultores, *ſed ablutiſtis, ſed ſanctificati eſtis* (per infuſionem ſcilicet gratiæ habitualis) & cap. 6. 2. Corinth. *Quæ conſentio Chriſti ad Belial, & quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Peccatum autem cenſetur eſſe veluti tenebræ quædam ex illo: *Qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat:* Gratia autem cenſetur eſſe lux animæ noſtræ; illuſtratur ſiquidem anima media gratia & charitate, ità vt tenebræ peccatorum noſtrorum per eam repellantur, & 1. Ioan. cap. 3. dicitur; *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Qui autem habet in ſe peccatum, non eſt filius Dei, ſed Diaboli, ex cap. 8. Ioan. *Vos ex patre Diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere.* Imò propter hanc cauſam dicitur alibi de eo qui peccat, quod ſeruiat peccato, & conſequenter dæmonis, qui eſt author omnis peccati.

1. Cor. 6. ℣. 11. 2. Ad coſſ. 6. ℣. 15. Ioan. 12. ℣. 35. 1. Ioan. 3. ℣. 1. Ioan. 8. ℣. 44.

Poſtremò ex illis omnibus locis Scripturæ in quibus dicitur, quod peccata deleantur, & omnino auferantur à nobis, Eſai. 43. *Ego, ego ſum qui* E *deleo iniquitates tuas propter me.* Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* & Pſal. 50. *Aſperges me hyſſopo & mundabor.* Rurſus. *Laua me, Domine, ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:* At peccata non mundantur, aut deſtruuntur in nobis ſimpliciter, niſi pulchritudo eiſdem oppoſita reſtituatur: ergo iuſtificationis noſtræ, quæ eſt tranſitus à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, effectus formalis erit remiſſio peccatorum.

Iſaï. 43. ℣. 25. Ioan. 1. ℣. 29. Ezech. 36. ℣. 25. Pſalm. 50. ℣. 9. Id. ℣. 4.

Probatur

Probatur deinde ratione, peccata impij verè tolli per iuſtificationem, & non tegi, & radi, vt hæretici confingunt, quia per iuſtificationem renouatur anima, iuſtitia inhęrente, & exornatur ſpirituali pulchritudine, quę interna eſt: ergo eo ipſo pellitur formaliter turpitudo peccati; nam deformitas, adueniente pulchritudine, non occultatur ſolùm, ſed expellitur: item iuſtitia qua reddimur iuſti coràm Deo, efficit nos obiecta idonea amoris diuini: peccatum autem ſi manet, quantumuis tegatur, & non imputetur, efficit dignum obiectũ odij: & hominé ſimul & ſemel eſſe dignum obiectum odij, & amoris, impoſſibile eſt, ſaltem de lege communi: ergo aduentu gratiæ & iuſtitiæ noſtræ, verè excluditur macula peccati.

Obiectio. Obijciunt hæretici, peccata non deleri, ſed tegi in hominis iuſtificatione, quæ proinde non imputantur, vt colligitur ex Pſal. 31. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum* & immediatè ante. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* & Rom. 5. *Peccatum non imputabatur, cùm lex non eſſet.*

Pſalm. 31. ℣. 2. & 1. Rom. 5. ℣. 13.

Solutio 1. Reſpond. ex interpretatione Hieron. ad hunc locum, peccata dici non imputari quotieſcumque ſimpliciter & abſolutè deſtruuntur in nobis: dicuntur etiam propter eamdem cauſam tegi, quod probatur ex cap. 4. 1. Pet. *Charitas operit multitudinem peccatorum*: hæc enim cùm opponatur cuilibet peccato mortali, cum nullo planè poteſt conſiſtere, quia diffunditur in cordibus noſtris quotieſcumque iuſtificamur: ac proinde deſtruit formaliter quodcumque peccatum mortale, ſecundum illud omne quod habet rationem culpæ ſeu peccati, cùm oppoſita nequeant eſſe in vno & eodem ſubiecto.

1. Pet. 4. ℣. 8.

Solutio 2. Reſpond. 2. & melius in peccato duo eſſe; alterum eſt actus qui præceſſit, alterum macula habitualis relicta ex peccato in anima peccatoris: vtrumque tollitur per iuſtificationẽ noſtram, ſed non eodem modo: nam macula tollitur per iuſtitiam habitualem; actus autem præteritus, hoc eſt ipſum præteriiſſe peccati tolli non poteſt: nihilominùs actus etiam ipſe peccati præcedentis verè tollitur, & deletur in iuſtificatione, non quòd auferatur præteriiſſe actus vt infectus fiat (hoc enim eſt impoſſibile) ſed quia tollitur indignitas & macula, quæ ex illo actu relicta erat: cùm ergo Scriptura affirmat tegi, & non imputari peccatũ, neque loquitur de macula habituali, neque de actu peccati qui præteriit; ſed de ipſa præteritione quæ reddi infecta non poteſt: & etiam quia Deus eam non imputat ad pœnam, dicitur tegi oculis Dei: hæc autem non imputatio, non eſt iuſtificatio ipſa, ſed quid conſequens iuſtificationẽ; ideò enim Deus non imputat ad pœnam peccaſſe me, quia macula & indignitas peccati verè eradicata eſt per renouationem interioris pulchritudinis. Dicitur porrò peccatum tegi quando non imputatur, per metaphoram; Deo enim non poteſt occultari actus præteriti peccati, etiam poſt iuſtificationem; ſed, quia non exigit pœnas pro illo, dicitur tradidiſſe obliuioni, & non habere coram oculis ſuis; qua ratione inter homines, qui non vlciſcitur dicitur oblitus iniuriarum. Ex quo ſequitur Scripturam, quando affirmat Deo tegi peccata, ex noſtro ſenſu loquutam eſſe, nimirum quia deleta macula, præteriiſſe actus non imputatur, & tegitur, ideò hanc non imputationem & occultationem peccati coniungit ſæpius cum deletione & obliteratione maculæ, vt proportionaliter alterum alteri reſpondeat. Ità Pſal. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis: & iniquitates meas dele.*

Pſal. 50. ℣. 11.

Ad teſtimonia verò Pauli. Reſp. probare tantùm ante legem conſtitutam à Moyſe, multa extitiſſe peccata, à quibus tamen nulla exigebatur pœna ab hominibus in dignitate conſtitutis; ac proinde peccata iſta non imputabantur alicui ad pœnam, reſpectu hominis exiſtentis in dignitate: ſecus tamen reſpectu Dei, neque enim patitur hic vllam abire culpam ſinè pœna aliqua ſoluenda in hac, vel in altera vita. Habent & alia multa argumenta Hæretici noſtri temporis contra iſtam Concluſionem, quæ fuerunt in antecedentibus à nobis ſoluta.

Tres effectus formales gratiæ iuſtificantis. Ex dictis colliges, gratiam iuſtificantem tres effectus formales cauſare in nobis, nempe iuſtificare formaliter & intrinſecè. Deinde, tribuere nobis ius ad vitam æternam obtinendam. Denique, remittere peccata quælibet mortalia, & quidem per vnam & eamdem numero entitatem, quæ eſt gratia iuſtificans.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An ad remiſſionem culpæ, quæ eſt iuſtificatio impij requiratur infuſio gratiæ.

DVBITATIO PRIMA.

An quilibet noſtrùm ſit iuſtus formaliter per illam numero iuſtitiam quæ datur in Chriſto; An verò per entitatem aliquam realem & poſitiuam ordinis ſupernaturalis receptam in animabus noſtris proximè & immediatè.

Hæreticorum error. IVTHERANI & Caluiniſtæ in eo ſunt errore, vt credant nos iuſtificari per eamdem numero iuſtitiam & ſanctitatem, quæ datur in Chriſto: quare volunt nos eſſe iuſtos tantùm imputatiuè, & ſola denominatione extrinſeca. Probant ex cap. 1. prioris ad Corinth. *Vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.*

1. Cor. 1. ℣. 30.

Deinde, quilibet noſtrùm eodem modo eſt iuſtus, quo Chriſtus peccator; dicitur enim 2. Cor. cap. 5. de Chriſto: *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur in eo iuſtitia eius.* at certum eſt Chriſtum ſola denominatione extrinſeca, & proinde imputatiuè tãtùm eſſe peccatorem; nominatur ſiquidem hic peccator vel quòd ſacrificium fecerit pro peccato ab hominibus commiſſo, vel quod voluerit in proprio corpore ſatisfacere pro pœnis peccatis noſtris debitis.

2. Cor. 5. ℣. 11.

Tertiò, de Abraham dicitur, *Galat.* 3. quòd fides reputata fuerit ei ad iuſtitiam. Denique, ſanctitas, ſeu iuſtitia vera & realis nequit conſiſtere cum peccato mortali in vno & eodem planè ſubiecto; ſunt enim hæc duo oppoſita de lege communi: at nullus datur inter homines qui non conſtringatur peccatis mortalibus, ex illo Iob. *Nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram.* & 1. Ioan. cap. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* & apud Dauidem. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt*: ergo ſi ſancti & iuſti fiamus, hoc erit per aliquam iuſtitiam & ſanctitatem, ac proinde imputatione.

Galat. 3. ℣. 6.

Iob. 14. iuxta 70.

1. Ioan. 1. ℣. 8.

Pſal. 52. ℣. 4.

Nullus iuſtificatur per ſanctitatem Chriſti formaliter.

CONCLVSIO 1. *Nullus eſt qui iuſtificetur formaliter à ſola iuſtitia & ſanctitate quæ datur in humana Chriſti natura.* Hæc definita eſt expreſſè in Trid. ſeſſ. 6. can. 10. *Si quis dixerit homines, ſine Chriſti iuſtitia, per quam nobis meruit, iuſtificari, aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe, anathema ſit* & can. 11. *Si quis dixerit homines iuſtificari vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua iuſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit.*

Tridentini authoritas.

1.

2. Deinde, ſi ita res haberet, vt volunt hæretici, ſequeretur nos omnes ex æquo eſſe iuſtos; neque enim magis imputari poteſt ſanctitas Chriſti vni, quàm alteri, cùm ſe habeat hæc extrinſecè ad omnes ex hypotheſi. ſequeretur præterea nos omnes futuros æquales in cœlis; gloria quippe perfectiſſimè reſpondet iuſtitiæ, quæ datur in nobis pro eo tempore, quo ſumus in via.

Denique, ſequeretur iuſtitiam noſtram non augeri merito & dignitate bonorum operum; quæ tamen omnia ſunt planè abſurda: dicitur namque Apoc. cap. 22. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.* dicitur præterea de beatis Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* & cap. 15. prioris ad Corinth *Stella enim ab ſtella differt in claritate, ità & reſurrectio mortuorum.* Ità Patres quos citabimus in confirmationem ſecundæ Concluſionis.

Apoc. 22. ℣. 11. Ioan. 14. ℣. 2. 1. Cor. 15. ℣. 41.

Sumus ſancti ab entitate reali infuſa.

CONCLVSIO 2. *Id à quo denominamur formaliter iuſti & ſancti, eſt entitas aliqua vera & realis à Deo infuſa mentibus noſtris.* Primùm, quia de fide eſt gratiam & charitatem eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtificationis, vt in Trid. definitù fuit ſeſſ. 6. cap. 7. at docuimus gratiam iuſtificantem eſſe qualitatem aliquam ordinis ſupernaturalis receptam in animabus noſtris proximè & immediatè.

2. Deinde, Deus neminem amat dilectione ſupernaturali, niſi detur in eo obiectum aliquod ſupernaturale, quod terminet dilectionem iſtam: at certum eſt Deum diligere iuſtificatos dilectione ſupernaturali, ex illo Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo.* & Sap. 4. *Placita enim erat Deo anima illius.* & Ioan. 14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum.* & alibi dicitur de Deo: *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti:* Ergo cùm aliqua ex iſtis ſint in finem aliquem ſupernaturalem ordinata, concedendum eſt quòd diligat iſta, dilectione ſupernaturali, & conſequenter dari etiam in iſtis dilectis obiecta aliqua ſupernaturalia, quæ terminant dilectionem iſtam Dei: obiecta autem iſta nihil aliud ſunt in nobis, quàm gratia & charitas.

Prou. 8. ℣. 17. Sap. 4. ℣. 14. Ioann. 14. ℣. 23. Sap. 11. ℣. 25.

3. Tertiò, fieri nequit vt aliquid ſit album formaliter & intrinſecè, niſi habeat in ſe verè albedinem: ergo neque etiam fieri poterit, vt aliquid ſit iuſtum & ſanctum formaliter, niſi habuerit in ſeipſo veram iuſtitiam & ſanctitatem. Probatur hæc conſequutio: iuſtitia ſimulata ſeparatur in ſacris literis à vera ſanctitate, vt colligere licet ex cap. 5. Matth. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum.* Iuſtitia autem iſtorum fuit larvata & apparens tantùm, non vera & realis, vt colligitur ex cap. 23. Matth. ità enim dicitur illic de iſtorum iuſtitia. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, vt fiat id, quod deforis eſt mundum. Væ vobis quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia, ſic & vos foris quidem paretis hominibus iuſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* Iuſtitia autem Sanctorum verè datur in huiuſmodi ſanctis, ità vt ſanctitas illa ſit in cordibus eorum diffuſa per Spiritum ſanctum, qui datus eſt illis, ex Paulo cap. 5. Rom. ergo id à quo iuſtificatur quis, verè eſt entitas aliqua realis recepta in anima illius.

Matth. 5. ℣. 20. Id. 23. ℣. 25. 26. 28.

4. Quartò, quilibet iuſtus cenſetur eſſe perfectus, & præterea rectus corde; propter hoc ſiquidem dicitur Matth. 5. *Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* & rurſus 1. Pet. 1. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* At Deus eſt perfectus, & item ſanctus per entitatem aliquam veram & realem ſimpliciter infinitam, & intrà Deum exiſtentem: ergo & idem erit dicendum de iuſtis; cum hoc tamen diſcrimine quòd ea entitas qua ſanctificamur formaliter ſit finita, quemadmodum noſtra eſſentia finita eſt.

4. Mat. 5. ℣. 48. 1. Pet. 1. ℣. 16.

Vltim. Poſtremò, macula peccati nuſquam tollitur, niſi reſtituatur nobis pulchritudo eidem oppoſita; priuationes enim non remouentur à ſubiectis, niſi generentur habitus oppoſiti: at certum eſt iuſtos carere macula peccati mortalis. Apoc. 14. *Sinè macula ſunt ante thronum Dei.* Pſal. 118. *Beati immaculati in via.* & Epheſ. 5. *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam.* Ità SS. Patres, D. Auguſt. epiſt. 85. Ambroſ. lib. 6. Hexameron, cap. 8. Hieron. lib. 2. contra Pelagium, & alij quamplures.

Apoc. 14. ℣. 5. Pſal. 118. ℣. 1. Epheſ. 5. ℣. 27. D. Auguſt. Ambroſ. Hieron. Pſalm. 31. ℣. 2. Chryſoſt.

Diſſoluuntur rationes hæreticorum.

Ad rationes verò hæreticorum reſpond Ad 1. ex eo loco Pauli, ſolùm probari Chriſtum eſſe cauſam efficientem noſtræ iuſtificationis; non autem formalem, de qua tamen diſputatur hoc loco.

1.

Ad 2. Negando propoſitionem maiorem: Chriſtus enim ſola denominatione extrinſeca dicitur peccator: quilibet autem noſtrûm denominatur formaliter & intrinſecè iuſtus à gratia & charitate quam in ſe habet: hæc enim proximè recipitur in animæ eſſentia, velut in ſuo ſubiecto: ac proinde facit nos iuſtos & ſanctos intrinſecè & formaliter, peccatum autem dicitur de Chriſto, vel quod ſua morte redemerit nos à peccatis, vel quia pœnas debitas peccatis noſtris lubens perpeti voluit.

2.

Ad 3. Nihil planè probare; neque enim iuſtificatur homo formaliter à fide, ſed initiatiuè tantùm & radicaliter; ità enim explicanda ſunt teſtimonia Scripturæ, in quibus dicitur iuſtum ex fide viuere: formaliter verò iuſtificamur tantùm à gratia & charitate, vt probabitur inferiùs. Reſp. 2. verbum, *imputari*, in Scriptura vt plurimum ſignificare aliquid verè nobis ineſſe; non autem ſola denominatione extrinſeca enunciari de nobis, vt conſtat ex c. 23. & 24. Deut. ibi enim dicitur de eo, qui non adimplet votum, quod liberè fecit, & item de eo qui non perſoluit mercedem debitam operario, aduentante veſpera, quòd imputetur ei peccatum, quod conſequitur ex non adimpletione voti, & ità ex defectu ſolutionis debitæ operario: at peccatum hoc verè & realiter eſt in iſtis, & tamen Scriptura dicit quod imputetur eis.

3.

Vlt. Ad vltimam. Reſpond. in iuſtificatis nulla dari peccata mortalia; ſunt enim hæc omnia ſublata per infuſionem gratiæ. Ad loca

Digitized by Google

verò Scripturę contraria. Reſpond. intelligenda eſſe vel de peccatis venialibus, vel de peccato originali, vel denique de prohibitione iactantię reſpectu carentię peccati.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit illud à quo iuſtificamur formaliter, & intrinſecè.

COnuenit de hac re inter Catholicos id à quo iuſtificamur formaliter, & intrinſecè eſſe gratiam & charitatem: ità enim definitum fuit in Concilio Trident. ſeſſ.6. cap.7. & can.11. Trident.

Deinde, idem videntur affirmare Patres, cit. Dubitatione ſuperiori. B

Denique, illud eſt cauſa formalis noſtræ ſanctitatis & iuſtitię, à quo quilibet denominatur formaliter ſanctus & iuſtus; at à gratia & charitate exiſtente in nobis, quilibet dicitur iuſtus, ſanctus, gratus, & acceptus Deo, & habens ius ad vitam æternam obtinendam: ergo id à quo iuſtificamur formaliter, eſt gratia.

Magna tamen contentione decertatur inter Theologos Scholaſticos, *An nedum iuſtificemur per gratiam & charitatem formaliter, ſed & mediis actibus dilectionis Dei, & perfecta contritionis.* Cornelius Ianſenius cap.48. ſuæ Concordiæ Euangelicæ, Gabriel Vazquez diſp.203. ad hanc part. S. Thomę cap.3. 4. & 5. & alij nonnulli recentiores, veteréque Scholaſtici in ea ſunt opinione, vt credant hominem nedum iuſtificari per gratiam & charitatem formaliter; ſed etiam per actus dilectionis Dei & contritionis. *Ianſenii opinio.* C

1. Fundamentum. Probant, quia in Scriptura, iuſtificatio noſtra tribuitur contritioni, Ezechiel.18. *Si auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam ipſe animam ſuam viuificabit.* Idem dicitur de dilectione & charitate, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* & Ioan.14 *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* & ad Coloſſ.3. *Charitas eſt vinculum perfectionis:* videtur autem Apoſtolus loquutus non tam de habitu charitatis, quàm de actu eiuſdem, & 1. Timot.1. *Finis præcepti eſt charitas.* 1. Petri cap.4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Ezech.18. verſ.27. Luc.7. verſ.47. Ioann.14. verſ.21. Coloſſ.3. verſ.18. 1. Tim.1. verſ.5. 1. Petri 4. verſ.8. D

Fauet iſtis quòd SS. Patres propter hæc teſtimonia comparent charitatem igni; peccatum verò rubigini, quæ ab igne conſumatur vnà cum alijs ſordibus ferri: ità Chryſoſtom. homil.7. in epiſtolam 2. ad Timoth. & Gregor. homil.33. in Euangelia. Chryſoſt. Gregor.

2. Secundò probant ex Patribus, qui verbis conceptis affirmant, dilectionem Dei ſuper omnia eſſe iuſtitiam & ſanctitatem noſtram perfectiſſimam. Ità D. Auguſt. de natura & gratia, cap.42. *Charitas*, inquit, *ipſa eſt veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimáque iuſtitia. Quid eſt perfecta charitas, niſi perfecta ſanctitas.* & lib. de moribus Eccleſiæ, cap. 11. ait, dilectione nos conſequi Deum. & cap. 12. per dilectionem nos redire ad Deum. & cap. 13. nos ſanctificari plena & integra charitate. Bernard. de modo bene viuendi ſerm.4. & Greg. homil.38. in Euangelia de charitate & dilectione Dei, ait propter hanc cauſam, quòd ſit veſtis nuptialis cuiuſlibet hominis dilecti à Deo. D. Auguſt. E Bernard. Gregor.

Subiungunt rationes aliquas. Prima, per peccatum mortale quilibet conſtituitur formaliter, & intrinſecè iniuſtus & ingratus Deo: ergo per quemcumque actum dilectionis Dei ſuper omnia, & contritionis perfectæ quilibet conſtituitur intrinſecè & formaliter iuſtus, gratus, & acceptus Deo. Antecedens ab omnibus admittitur: probatur conſequentia. Tota ratio cur per peccatum mortale quis conſtituatur formaliter peccator, hæc redditur ab omnibus; quia in omni peccato mortali eſt auerſio à Deo tamquam ab vltimo fine, & conuerſio ad creaturam vt in vltimum finem; at in omni actu dilectionis Dei ſuper omnia, & item contritionis perfectæ datur auerſio à creatura, tamquam ab vltimo fine, & conuerſio in Deum tamquam in vltimum finem, omnium conſenſu: ergo tam formaliter faciet actus contritionis, aut dilectionis Dei hominem gratum & iuſtum, quàm peccatum mortale ingratum, & Deo inuiſum. Confirmant. Actus dilectionis eſt eiuſdem planè naturæ, & ſpeciei, cuius eſt charitas (habent enim hæ duæ vnum & idem obiectum formale, & ſi charitas ſupernaturalis acquireretur actibus acquiſitis, quemadmodum comparantur virtutes acquiſitę, certè virtus iſta ſolis actibus dilectionis à nobis acquireretur) atqui charitas habitualis iuſtificat formaliter & intrinſecè: ergo & hoc idem præſtabit actus dilectionis Dei ſuper omnia. Idem docet hæc ratio de actu contritionis, qui eſt eiuſdem planè ſpeciei cum penitentia, ex veriori opinione.

Secunda ratio: omnis actus contritionis includit virtute & eminenter dilectionem & charitatem; fatentur enim Doctores dilectionem Dei ſuper omnia & contritionem perfectam eſſe diſpoſitiones, ad quas infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans: ergo concedendum eſt de iſtis actibus quòd iuſtificent formaliter homines; Deus enim neminem diligit dilectione ſupernaturali, niſi quoque diligatur ab eo quem amat, vt colligitur ex illo Prouerb.8. cit. *Ego diligentes me diligo.* at is in quo datur actus contritionis, diligit Deum virtute & eminenter: ergo Deus quoque eumdem amabit, ac proinde hic dicetur iuſtus. *2.* Prouer.8. verſ.17.

Denique, ſi daretur quis conſtitutus in puris naturalibus, qui diligeret Deum ſuper omnia ex motiuo & auxilio ſupernaturali actuali, hic non poſſet non eſſe iuſtus & ſanctus formaliter; verè namque diceretur diligens & iuſtus ab actu dilectionis quem exercet: ergo & nunc etiam illud idem erit dicendum, cùm actus dilectionis Dei ſuperomnis opponatur peccato mortali. Aduerte, difficultatem iſtam eſſe explicandam tam de paruulis, quàm de adultis. *3.*

CONCLVSIO 1. *Cauſa formalis iuſtificationis parnulorum, & item amentium qui nunquam vſi fuerunt ratione, eſt ſola gratia & charitas; non autem actus dilectionis Dei, vel contritionis.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens D. Auguſt. lib.1. de peccatorum meritis, cap.9. & lib.2. ad Simplicianum, quæſt.2. *Paruuli & amentes iuſtificantur per gratiam habitualem.* D. Auguſt.

Deinde, de fide eſt ſacramentum Baptiſmi eſſe cauſam effectiuam iuſtificationis eorum omnium, qui baptizantur: ità enim dicitur cap.7. ſeſſ.6. Concilij Trident. atqui ſacramentum Baptiſmi nequit in nobis producere actus dilectionis Dei, aut contritionis, ſed ſolam gratiam & charitatem. *2.*

Denique, actus dilectionis & contritionis in nullo poſſunt eſſe vtiles, niſi habuerint ortum ab eo liberè; at certum eſt in paruulis nullum planè dari vſum rationis atque libertatis: ergo non poſſunt per actus iuſtificari. *3.*

Prima ratio.

Digitized by Google

Adulti etiã non iuſtificantur niſi per habitualem gratiam

CONCLVSIO 1. *Cauſa formalis iuſtificationis adultorum nequit eſſe vllus planè actus ab ipſis elicitus, aut etiam imperatus; ſed gratia & charitas habitualis.* Primùm, hæc eſt multorum Patrum ſententia, maximè D. Auguſt. cap. 9. lib. 1. de peccatorum meritis, *Dat etiam ſui ſpiritus occultiſſimam gratiam*, id eſt Deus, *quam etiam & parvulis infundat.* & ſerm. 26. in Pſalm. 118. ad hæc verba; *Feci iudicium & iuſtitiam*, admonet enim particulam iſtam, *Feci iuſtitiam*, intelligendam eſſe de actu iuſtitiæ. *Quis*, inquit, *facit in homine iuſtitiam, niſi qui iuſtificat impium? hoc eſt, per gratiam ſuam ex impio facit iuſtum? facit ergo iuſtitiam, id eſt, opus iuſtitiæ, qui habet in ſe iuſtitiam, id eſt, opus gratiæ;* ſupple facit: quibus verbis iuſtitiam qua homo fit iuſtus ab opere iuſto clarè diſtinguit. & de ſpiritu, & litera, cap. 30. *Per fidem*, inquit, *impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam ſanatio animæ, abolitione peccati.*

D. Auguſt. Pſal. 118. verſ. 121.

Ratio pro Concluſione.

Ratio idipſum ſuader. Prima: ab eo iuſtificamur tantùm formaliter, quæ opponitur peccatis quibuſuis formaliter; eſt enim de ratione iuſtitiæ facere nos gratos, & iuſtos, & ſanctos apud Deum; quemadmodum de ratione peccati mortalis eſt conſtituere nos ingratos, & iniuſtos coram Deo: at actus dilectionis Dei, & contritionis non opponuntur formaliter cuilibet peccato mortali, bene tamen gratia & charitas, vt dicetur poſtea: ergo cauſa formalis iuſtificationis non eſt actus dilectionis, ſed habitualis gratia. Vt autem hæc minor probetur

In peccato eſt materiale & formale.

Aduertendum eſt, in peccato reperiri rationem materialem eiuſdem, quæ nihil aliud eſt quàm entitas phyſica & realis, quæ datur in omni peccato mortali. Deinde, rationem formalem, quam dixi eſſe poſitam in priuatione rectitudinis debitæ ineſſe actui, vel voluntati. Denique, reperitur in omni peccato mortali, libertas.

Oppoſitio duplex phyſica & moralis.

Aduerte 1. oppoſitionem, ſi quæ datur inter peccatum mortale, & actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, eſſe vel phyſicam, vel moralem: illa petitur à principijs intrinſecis peccati, & actus contritionis, ſeu dilectionis Dei; hæc verò repetenda eſt à viri prudentis exiſtimatione, aut etiam à lege, & ordinatione diuina. His ità conſtitutis.

Probatur minor: dilectionem nempe & contritionem non opponi formaliter quibuſuis peccatis mortalibus; nam contraria de lege communi non poſſunt eſſe in vno & eodẽ ſimul ſubiecto: at actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, de facto ſunt in vno & eodem planè ſubiecto cum peccatis mortalibus, nempe in eo qui ex hypotheſi multa peccata mortalia commiſit, & diſponit hic ſeipſum ad gratiæ iuſtificantis receptionem per actum contritionis vel dilectionis Dei ſuper omnia: in iſto namque homine contritio vel dilectio ſuper omnia ſunt cum peccato mortali; hominis enim diſpoſitio ad formam iuſtificantem conſequendam prius eſt in ſubiecto, quàm ſit forma iuſtificans ſaltem natura, ſi non tempore: at actus dilectionis, & contritionis ſunt diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem, vt docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & probat D. Thom. quæſt. proximè antecedente art. 2. & art. 3. & 5. huius quæſt. ergo actus iſti ſunt vnà cum peccato mortali. Confirmatur. Si actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia opponerentur formaliter cuilibet peccato mortali, illud idem dicendum eſſet de quocumque alio bono actu ordinis ſupernaturalis à nobis elicito: nam ſicut dilectio Dei, vt ſic, opponitur, & per conſequens formaliter ſoli odio Dei, & contritio ſoli impenitentiæ; ità omnis actus bonus aduerſatur alicui priuato peccato: at authores contrariæ ſententiæ non admittunt hominem iuſtificari formaliter, medio quolibet actu bono ordinis ſupernaturalis à nobis elicito: ergo neque dicere debent nos iuſtificari formaliter per actus contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia.

Effugium.

Reſpondent, non iuſtificari formaliter hominem à quocumque actu bono, bene tamen ab actibus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, quia in quolibet ex ijs continetur retractatio peccati mortalis commiſſi; non autem in ceteris.

Præludi-tur.

Verùm reſponſio hæc nihil planè dicit; nam retractatio quæ datur in actibus dilectionis & contritionis, vel facit peccata præterita non eſſe præterita, vel ponit aliquid quod ſit formaliter contrarium peccatis commiſſis; aliter enim non poſſunt actus iſti iuſtificare formaliter: certum autem eſt neutrum ex his poſſe ſuſtineri. Non primum, quia implicat aliquid poſſe eſſe præteritum, & non præteritum: non item ſecundum, quia ſolus actus dilectionis Dei ſuper omnia opponitur formaliter tantùm ſoli odio Dei; contritio verò ſoli impenitentiæ: imò quilibet ex his duobus actibus virtute tantùm & eminenter contrariatur quibuſuis peccatis mortalibus, ex communi doctrina etiam authorum contrariæ ſententiæ: ergo quemadmodum nullus hactenus dixit vinum & frigus opponi inter ſe formaliter, licèt vinum virtute contrarietur frigori; ità neque poterit quis affirmare dilectionem Dei ſuper omnia & contritionem opponi formaliter quibuſuis peccatis mortalibus: igitur neque etiam iuſtificamur ab ijs actibus formaliter, quia iuſtificatio formalis debet eſſe à re formaliter oppoſita peccato.

Quod autem dixi, contritionem & dilectionem Dei ſuper omnia non opponi peccato cuilibet formaliter; probatur adhuc magis euidenter de actu contritionis. Si contritio, vt ſic, opponeretur formaliter cuilibet peccato mortali, non minùs poſſet hæc in lege gratiæ deſtruere quodcumque peccatum mortale, quàm in lege veteri (idem ſiquidem manens idem, ſemper facit idem) at certum eſt contritionem in noua lege non poſſe deſtruere quodlibet peccatum mortale: Concilium enim Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. definit contritionem, ſinè voto ſacramenti penitentiæ, aut ſinè ipſomet ſacramento non poſſe deſtruere in nobis peccatum mortale. Confirmatur. Si contritio, vt ſic, opponeretur formaliter cuilibet peccato mortali, eidem etiam & attritio aduerſaretur; hæc enim eſt tam verè dolor de peccatis quàm illa; & tamen fatentur omnes attritionem non ſufficere ad alicuius peccati mortalis deletionem: ergo nec contritio.

Concil. Trident.

Oppoſitio inter contritionẽ & peccatũ non eſt moralis formalis.

Quod etiam oppoſitio, quæ datur inter contritionem & dilectionem Dei ſuper omnia, & peccatum mortale, non ſit moralis, demonſtro. Primùm, quia Concilium Trident. definit vnicam eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtificationis, ſeſſ. 6. cap. 7. AT ſi contritio, & dilectio Dei ſuper omnia iuſtificarent formaliter, tres eſſent admittendæ cauſæ formales iuſtificationis. Deinde, idem Concilium ibidem ait de baptiſmo, quòd ſit cauſa inſtrumentalis productiua noſtræ iuſtitiæ;

tię; at certum eſt iſtum nullum planè actum in nobis producere, ſed gratiam habitualem, & alia dona ſupernaturalia, quæ ad noſtram iuſtificationē concurrunt. Tertiò, eodem loco dicit de cauſa formali iuſtificationis, quòd infundatur nobis; actus autem dilectionis & contritionis non infunduntur, ſed eliciuntur à voluntate creata: imò c. 6. eiuſdem ſeſſ. ait hominem diſponi ad gratiam iuſtificantem recipiendam, per actus fidei, ſpei, dilectionis Dei, & deteſtationis peccati, darique in nobis maiorem gratiam iuſtificantem, prout maior adeſt diſpoſitio ad hanc recipiendam. Cùm ergo Tridentinum loquatur de oppoſitione quam dicit peccatum mortale ad gratiam iuſtificantem & contrà; & gratia iuſtificans ſola opponatur formaliter quibuſuis peccatis mortalibus, iſtáque oppoſitio ſit moralis; non dabitur oppoſitio moralis inter peccatum mortale, & actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, ſed tantummodo cauſalis & diſpoſitiua; cùm diſponant hominem degentem in ſtatu peccati mortalis ad gratiam iuſtificantem infallibiliter obtinendam; quare in ordine ad hanc cauſalitatem actus iſti & quodlibet peccatum mortale opponuntur inter ſe.

Probatio 2. Conſeq. Ex quo eruitur ratio 2. qua probatur Concluſio: Quod eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem obtinendam, non eſt ipſamet gratia iuſtificans, neque poteſt illos eoſdem effectus formales producere, quos producit forma iuſtificans (diſtinguuntur enim hæc duo inter ſe nedum realiter, ſed etiam formaliter) at dilectio Dei ſuper omnia, & contritio ſunt diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem infallibiliter obtinendam, vt docet Trident. cap. 6. ſeſſ. 6. & D. Thom. art. 1. quæſt. proximè antecedentis, & art. 4 & 5. huius quæſt. ergo non poſſunt eſſe cauſa formalis iuſtificationis noſtræ.

1. Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, maximè verò Ianſenius loco proximè citato, actus dilectionis & contritionis imperfectæ, quales ſunt attritio & amor concupiſcentiæ, eſſe diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem, minimè actus dilectionis & contritionis perfectæ, cuiuſmodi ſunt amor complacentię, ſeu benecuolentię, vel, vt alij loquuntur, amicitię. Ceterùm reſponſio hæc vacat omni probabilitate. Primùm, quia Concil. Trid. nuſquam pronunciauit hominem iuſtificari formaliter ab vllis planè actibus ſiue perfectis, ſiue imperfectis. Deinde, quia falſum eſt contritionem & dilectionem perfectam Dei ſuper omnia non eſſe diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem obtinendam: Dixi enim dilectionem & contritionem perfectam priorem eſſe interdum gratia iuſtificante in nobis, non quidem tempore, ſed natura. Tertiò, Tridentinum loquitur in vniuerſum de cauſa formali noſtræ ſanctitatis, quæ fit vel medijs ſacramentis, vel ſinè illis: at cum ſacramentis nullus iuſtificatur, ſaltem ſemper, dependenter ab actibus, vt conſtat ex pueris baptizatis.

2. *Aliorum ſolutio enervatur.* Alij verò reſpondent, actus dilectionis & contritionis eſſe diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem obtinendam, vt ſunt à libero hominis arbitrio, non verò vt ſunt à Deo. Verùm reſponſio iſta eſt magis impertinens quàm proximè confutata; implicat enim aliquid eſſe diſpoſitionem ad formam aliquam obtinendam, niſi fuerit eiuſdem ordinis cum forma: at actus contritionis & dilectionis, vt ſunt tantùm à libero hominis arbitrio, non ſunt ordinis ſupernaturalis, vt eſt per ſe notum: ergo non poſſunt eſſe diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem.

3. Reſponſio. Alij verò reſpondent gratiam ſortiri varios effectus in nobis, nempe facere hominem conſortem diuinę naturę, vt loquitur D. Petrus cap. 2. ſuę primę Canonicę: deinde, remittere peccata. Volunt ergo actum contritionis & dilectionis Dei eſſe diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem recipiendam, non quidem reſpectu primi effectus commemorati; ſed tantùm reſpectu poſterioris.

Inefficax. At neque hæc reſponſio ſuſtineri poteſt; nam gratia non producit huiuſmodi effectus formales diuerſos, hoc nomine, quòd ſit hęc varia & diuerſa entitas, ſeu, quod idem eſt, quòd habeat varias & diuerſas entitates in ſe; diximus enim effectus iſtos eſſe ab vna & eadem numero entitate: ergo implicat actus dilectionis & contritionis eſſe diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem recipiendam, vt hæc remittit peccata, non verò vt facit nos diuinę naturę participes & conſortes. Deinde, mens humana capere non poteſt aliquid eſſe diſpoſitionem ad entitatem gratię iuſtificantis recipiendam, & non præcedere in eo ſubiecto in quo hæc recipitur.

4. Solutio Alij denique aiunt, nomine gratię iuſtificantis Concilium Trident. nedum intellexiſſe gratiam gratum facientem, ſed etiam actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia.

Tridentino repugnat. Verùm reſponſio hæc eſt clarè contra Concilium; ait enim cap. 7. ſeſſ. 6. vnicam tantùm eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtificationis: ſi autem vera eſſet opinio iſtorum, triplex eiuſdem iuſtitię cauſa eſſet admittenda. Deinde, Trident. nunquam ſignificauit hominem iuſtificari actibus quibuſdam, ſed tantùm ſola charitate & gratia quæ diffunditur in nobis, & conſequenter quæ habet rationem alicuius qualitatis habitualis.

3. Probatio Concluſionis. Tertiò, probatur Concluſio: gratia iuſtificans, actus dilectionis, & contritionis diſtinguuntur inter ſe nedum ſpecie, ſed etiam realiter: ergo non poſſunt iuſtificare formaliter; effectus quippe formalis non poteſt habere ortum, niſi à propria cauſa formali, hinc ſiquidem communiter aſſeritur Deum non poſſe ſupplere actiuitatem cauſæ formalis; at actus dilectionis & contritionis, & gratia iuſtificans ſunt cauſæ aliquæ formales diſtinctæ inter ſe ſpecie & realiter: ergo nunquam attingent vnum & eumdem effectum formalem in eo ſubiecto in quo reperiuntur. Confirmatur: ab actu charitatis denominatur quis tantummodo diligens; ab actu verò contritionis, contritus, vel conterens, à gratia gratus, & iuſtus: ergo.

Vltima probatio. Poſtremò, peccata mortalia nunquam deſtruuntur in nobis, niſi perfectio iſtis oppoſita formaliter reſtituatur: at perfectio oppoſita formaliter peccatis quibuſuis mortalibus eſt ſola gratia gratũ faciens, hæc enim ex eo quòd ſit participatio diuinę eſſentię, confert eſſe filij adoptiui ablatum per peccatum mortale: ergo illa iuſtificat formaliter.

Denique, implicat aliquem eſſe iuſtum & iniuſtum ſimul; at is qui agit in peccato mortali pro eo inſtanti rationis in quo elicit actum contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, eſt verè iniuſtus (adhuc enim verè agit in ſtatu peccati mortalis, & cenſetur tantùm diſpoſitus ad gratię iuſtificantis receptionē) ergo actus contritionis &

dilectionis non iuſtificant formaliter. In hac ſententia ſunt communiter veteres & recentiores Scholaſtici: pluribus autem rem hanc pertractant Lorca diſp 25. de gratia, & Albertinus quæſt. 18. in 18. corollarium, Dubit 5.

Iuſtificatio totalis includit gratiam & alia dona.

CONCLVSIO 3. *Licèt id à quo iuſtificamur formaliter præcisè ſit ſola gratia & charitas; totalis tamen & completa iuſtificatio noſtra conſurgit ex gratia, & ex alijs donis ordinis ſupernaturalis, quæ infunduntur nobis in ea iuſtificatione, qua remittuntur peccata mortalia.* Primum, quia ità fatentur authores proximè cit.

Deinde, Concilium Trid ſeſſ. proximè poſita, docet hominem iuſtificari nedum per gratiæ infuſionem, ſed etiam per collationem ceterorum donorum: & in Concilio Viennenſi definitur, baptizatis omnibus nedum infundi gratiam ſed etiam virtutes, & alia dona ordinis ſupernaturalis; ſacramentum autem Baptiſmatis eſt cauſa noſtræ iuſtificationis, ex Trident. ſeſſ. 6 cap. 7.

Habac. 2. verſ. 4. Rom. 1. verſ. 17. Idem 8. verſ. 24.

Tertiò, Habacuc cap. 2. & in epiſt. ad Rom. dicitur, *Iuſtus ex fide vivit.* & cap. 8. *Spe ſalvi facti ſumus:* ergo fides & ſpes ordinis ſupernaturalis conducunt aliqua ratione ad noſtram iuſtificationem.

Denique, bonum conſurgit ex integra cauſa; at iuſtificatio noſtra eſt bonum aliquod ordinis ſupernaturalis, vt eſt per ſe notum: ergo cùm bonum hoc perficiat hominem in ordine ad finem ſupernaturalem, conflabitur ex variis entitatibus ordinis ſupernaturalis, nempe ex fide, ſpe, & charitate, gratia habituali, & alijs id genus.

Satisfit rationibus contrarijs.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. conceſſo antecedente, negando conſecutionem, aliter enim homo conſtituitur iuſtus quàm iniuſtus; nam quilibet noſtrûm ex eo tantùm capite cenſetur iniuſtus quòd peccatum aliquod mortale admiſerit, quod nõ retractauit per veram penitentiam; diximus enim maculam peccati, ſeu, quod idem eſt, peccatum habituale poſitum eſſe in eo actu peccati, quem quis admittit, neque tamen emendat per veram penitentiam. Diuus verò Thom. & diſcipuli eius volunt hominem denominari iniuſtum formaliter à carentia iuſtitiæ & pulchritudinis ſpiritualis, ſeu gratiæ gratum facientis, ac proinde extrinſecè tantùm quilibet dicitur iniuſtus; iuſtus verò nullus planè eſt niſi dependenter à qualitate aliqua vera & reali permanente ordinis ſupernaturalis, quæ recipitur immediatè in animæ eſſentia illius qui iuſtificatur: actus autem contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia non ſunt aliquæ qualitates permanentes, ſed tantùm tranſeuntes, atque ità non poſſunt iſtæ iuſtificare formaliter. Accedit, quòd actus iſti ſunt diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem recipiendam. Ad id verò quod ſubiungitur actum dilectionis Dei eſſe eiuſdem ſpeciei cum penitentia & charitate. Reſpond. hoc eſſe verum: ex ijs tamen non licèt colligere hominem iuſtificari formaliter ab actibus iſtis, tum ob proximè dicta, tum quia docuimus habitum charitatis diſtingui realiter ab habitu gratiæ, & hanc collocari proximè in animę eſſentia, illam verò in voluntate; vnde debent etiam habere diuerſos effectus formales.

Replica.

Inſtabis, medio actu dilectionis Dei ſuper omnia, aut etiam ſola contritione reparari illud omne quod reperitur in quolibet peccato mortali; aucertimur enim perfectiſſimè à creatura tanquam ab vltimo fine, & conuertimur in Deum tanquam A in vltimum finem ſimul per quemlibet actum amoris & contritionis: ergo iuſtificamur ab ijs actibus formaliter.

Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſequentiam; per actus quippe contritionis aut dilectionis reparamus tantùm mala quæ dantur in peccato mortali in ordine ad pœnam, non autem in ordine ad maculam; hæc ſiquidem nunquam cenſetur deleta formaliter in nobis, niſi infuſa fuerit gratia iuſtificans: ratio eſt, quia etſi contritio Deo reſtituat rationem vltimi finis, non verò rationem partis adoptantis, quæ eſt etiam ablata per peccatum mortale; quod tamen præſtat gratia habitualis, cum ſit quædam participatio B diuini eſſe. Quod ſi dicas contritionem etiam eſſe participationem diuinæ eſſentiæ, imò perfectiori modo, cum diuina eſſentia ſit purus actus, & hæc ſit actus quoque, hoc quidem verum eſt quantum ad aliquid, quantum verò ad aliud, falſum; in quantum enim contritio eſt actus 2. & gratia actus 1. & actus 2. eſt perfectior actu 1. verum eſt; quatenus verò gratia eſt radix operationum, quia participatio diuinæ eſſentiæ prout eſt fons & origo operationum diligendi, intelligendi, &c. gratia eſt quid perfectius quàm contritio.

Diſſoluitur.

Diluitur 2. argumentũ.

Ad 2. Reſpond. cum qui diligit Deum, hoc ipſo diligi quoque à Deo, vt bene probatur ex il- C lis ſupra adductis: ceterum diligitur illa eadem ratione qua diligit: conſtitutus autem in peccato mortali pro eo inſtanti temporis in quo elicit actum dilectionis Dei, aut contritionis, diligit Deum imperfectè: nondum enim habet in ſe gratiam gratum facientem, quæ eſt obiectum dilectiõnis Dei perfectæ, & quæ facit vt diligamus Deum perfecta ratione: cum enim actus hic dilectionis ſit diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, & producatur dependenter à ſolo actuali Dei auxilio, minimè poterit iuſtificare formaliter, ſed tantum diſpoſitiuè & cauſaliter.

Vlt.

Ad vltimam. Reſpond. productum in puris naturalibus poſſe diligere Deum ſuper omnia, ſinè ſpeciali eiuſdem auxilio: dilectione tamen D naturali, & conſequenter eumdem fore gratum Deo, ceterum gratitudine naturali, non ſupernaturali. Nos autem hoc loco loquimur non de naturali, ſed de ſupernaturali gratitudine, & quidem prout contingit hominem de facto iuſtificari. Contendimus autem iuſtificationem iſtam nunquam de facto conſurgere ſinè infuſione gratiæ, idque quòd definiatur, tranſitus à ſtatu peccati mortalis ad ſtatum gratiæ, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Ad teſtimonia verò Scripturæ, & SS. Patrum, quibus conantur authores contrariæ ſententiæ E probare hominem iuſtificari formaliter ab actibus contritionis & dilectionis Dei. Reſpond. hæc intelligenda eſſe cauſaliter & diſpoſitiuè; non verò formaliter: eadem quippe ratione loquuntur Patres de iuſtificatione comparata cum actibus contritionis & dilectionis, quàm de eadem, vt collata cum ſacramentis nouæ legis: certum autem eſt iſta non iuſtificare hominem formaliter, ſed tantum cauſaliter, quatenus ſcilicet producunt in nobis gratiam, & eam de facto nobis conferunt, quæ tamen ſola iuſtificat nos formaliter.

DVBI-

DVBITATIO TERTIA.

An præter gratiam deſideretur aliquid aliud ad iuſtificationem noſtram formaliter, vt ſic.

Quorundã pars neg.

SVnt qui putent nihil aliud à gratia eſſe neceſſarium; ſi enim, inquiunt, aliquid aliud deſideraretur, eſſet fauor aliquis Dei externus, quo Deus rediret in gratiam, & amicitiam hominis qui peccauit, & item eidem relaxaret omnem iniuriam ſibi illatam; at fauor hic non eſt neceſſarius ad iuſtificationem, ſed ſufficit ad id ſola gratia, ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap 7. & can. 11. dicitur enim illic vnicam eſſe tantùm cauſam formalem noſtræ ſanctitatis, & eam eſſe gratiam, & charitatem quæ diffunditur in nobis, &c.

Trident.

2. Argumentum.

Accedit, quòd aliter innouaremus opinionem hæreticorum noſtri temporis aſſerentium hominem iuſtificari ſola imputatione meritorum Chriſti. Deinde, tota ratio cur aliquid ſit album, eſt albedo quæ in eo datur: ergo tota ratio cur aliquis ſit iuſtus & gratus Deo formaliter, erit ſola gratia habitualis, quæ in eo datur. Denique, vna tantùm eſt cauſa formalis noſtræ iuſtitiæ, ex Concilio Trident. cap. proximè cit. at hæc eſt gratia: ergo fauor externus Dei remittentis peccata non conducit ad iuſtificationem formalem; ità enim admittendæ erunt duæ cauſæ formales noſtræ iuſtitiæ, vna interna, alia externa.

Gratia habitualis iuſtificat hominem formaliter ex ſe.

CONCLVSIO 1. *Gratia habitualis ex ſe, & ſua natura iuſtificat, & ſanctificat hominem formaliter.* Primum, quia ità docent ex veteribus Theologis, Capreolus in 1. diſt. 17. quæſt. 1. art. 3. Scotus in 4. diſt. 5. art. 2 & lib. 2. de natura & gratia, cap. 18. ex recentioribus, fere omnes hoc loco.

Deinde, hoc ipſum colligitur ex Patribus Dubit. proximè antecedenti citatis; appellant enim gratiam iuſtificantem, ſanctificationem noſtram, itémque perfectiſſimam iuſtitiam noſtram: hoc idem colligitur ex cap. 1. poſterioris D. Petri, *Maxima*, inquit, *& pretioſa vobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* & 1. Ioann. cap. 3. *Vt filij Dei nominemur & ſimus.* loquuntur autem Scripturæ his in locis de gratia iuſtificante.

2. Petri 1. verſ. 4. 1. Ioann. 3. verſ. 1.

Non ſola gratia ſed cum fauore externo Dei ſanctificat

CONCLVSIO 2. *Gratia iuſtificans cenſetur eſſe cauſa formalis noſtra ſanctitatis, non tamen ſola; deſideratur enim ad hunc effectum producendum externum Dei condonatio, ſeu, quod idem eſt, fauor aliquis externus Dei remittentis gratuitò & liberaliter peccata commiſſa; ità vt ex gratia, & ex fauore iſto externo conſurgat vna numero cauſa formalis noſtra iuſtificationis.* Aduertè gratiam iuſtificantem ſpectari duobus modis, interdum enim conſideratur in genere entis, interdum verò in genere moris: priori modo nihil aliud eſt quàm qualitas aliqua ſupernaturalis per quam quilibet noſtrûm redditur conſors & particeps diuinæ naturæ: poſteriori verò modo cenſetur eſſe hæc eadem, qualitas aliqua, aſſumpta tamen à Deo ſua ordinatione libera ad hoc, vt faciat nos filios ſuos adoptiuos, & conferat ius ad vitam æternam obtinendam, vt remittantur in nobis peccata, & denique vt detur perfecta condignitas inter bona opera à nobis facta, & vitam æternam. Hoc ità conſtituto.

Bifariam ſumitur gratia.

Concluſionis probatio.

Probatur Concluſio. Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap 4 6 & 7 & can 11. ait hominem iuſtificari nedum per infuſionem gratiæ, ſed etiam per remiſſionem peccatorum; at remiſſio iſta non fit per ſolam gratiam ſpectatam in genere entis, ſed ſpectatam in genere moris, ac proinde præſupponit ordinationem diuinam, qua Deus liberè ordinauit collationem gratiæ ad remittenda iſta peccata, ità vt auertat ſe Deus ab odio quod antea habuit, & incipiat amare creaturam, quam antea odio proſequebatur: auerſio autem iſta & conuerſio præſupponit in Deo actum omninò varium & diuerſum à collatione gratiæ, & præterea eodem can. 11. dicit hominem non iuſtificari medio ſolo fauore Dei externo: ergo fauor Dei externus ex mente Concilij concurrit ad iuſtificationem noſtram formalem, & can. 12. eiuſdem ſeſſ. ſubdit hominem non iuſtificari per ſolam fidem, aut per ſolam iuſtitiam Chriſti: at iuſtitia Chriſti ſe habet extrinſecè ad iuſtificationem, & tamen ex Concilio Trident. eſt neceſſaria ad ſanctitatem noſtram nempe cauſaliter: ergo ſanctitas noſtra non eſt repetenda à ſola gratia, ſed etiam ab externo Dei fauore, quo Deus gratuitò relaxat peccata commiſſa.

1. Ratio.

Accedit ratio. Prima, Contritio ſola actualis, aut etiam habitualis, non eſt ſatis ad hominis iuſtificationem etiam cauſaliter & diſpoſitiuè, ex cap. namque 4. ſeſſ. 14 Trident. deſideratur ſacramentum Penitentiæ vel in re, vel in voto ſumendum: ergo neque etiam ſola gratia ſufficiet ad formalem hominis iuſtificationem.

2.

Secunda ratio. Debita nuſquam remouentur ab aliquo, niſi interueniente gratuita liberalitate creditoris, præſertim in eo caſu in quo debita iſta non perſoluuntur vllo planè medio, atqui peccata noſtra ſunt debita. *Matth. 6.* ergo nunquam poterunt hæc remitti ſinè gratuita Dei liberalitate, quæ in eo videtur eſſe poſita, vt nedum conferat homini gratiam iuſtificantẽ, ſed etiam vt remittat iniuriam ſibi irrogatam, habeátque proinde gratum eum, quem antea habuit inuiſum propter peccatum commiſſum.

3.

Denique, in omni peccato mortali præter entitatem phyſicam datur moralitas aliqua, per quam is qui peccauit cenſetur eſſe ingratus & inuiſus Deo, ſubijcitúque pœnis æternis, & præterea cenſetur ſordeſcere, & quaſi fœtere in ordine ad Deum: ergo & in hominis iuſtificatione dabitur entitas aliqua phyſica & realis, & moralitas aliqua: at gratia eſt res phyſica, ordinis tamen ſupernaturalis, quæ verè recipitur in animabus noſtris; moralitas autem in eo poſita eſt, quòd efficiamur filij Dei adoptiui, habeamúſque ius ad vitam æternam, & remittantur nobis peccata: hęc autem omnia præſupponunt Dei ordinationem gratuitam & liberalem, ità vt gratia cenſeatur eſſe cauſa formalis noſtræ iuſtificationis, prout eſt terminus diuinæ ordinationis liberaliter remittentis peccata. Ità illi Scholaſtici, qui volunt eadem ratione loquendum eſſe de gratia, reſpectu noſtræ iuſtificationis, qua de moneta, reſpectu valoris; certum autem eſt valorem pecuniæ pendere à materia ex qua confecta eſt, & præterea à Principis conſtitutione. Ità Nominales fere omnes, præſertim verò Ockam, diſt. 17. lib. 1. ſentent. Gabr. quæſt. 1. art. 1.

Soluuntur argumenta contraria.

Ad rationes verò contrarias reſpond. Ad 1. conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem autem dico, ex eo loco Concilij Trident. ſolùm colligi iuſtificationem noſtram formalem, non eſſe poſitam in ſola denominatione extrinſeca,

Digitized by Google

quod nos vltrò concedimus; non verò denominationem extrinſecam non eſſe neceſſariam ad complendam & perficiendam cauſam formalem noſtræ ſanctitatis.

Ad id verò quod ſubiungitur, renouare nos opinionem hæreticorum de iuſtificatione noſtra.

1. Reſpond. opinionem noſtram toto cœlo diſtare ab opinione hæreticorum: nam contendimus hominem iuſtificari formaliter & intrinſecè per qualitatem inhærentem, quæ eſt gratia gratum faciens, ſeu charitas: hæretici verò putant hominem iuſtificari ſinè vlla planè qualitate actuali vel habituali, quæ recipiatur in eo tanquam in ſubiecto, ſed per ſolam imputationem iuſtitiæ Chriſti. Deinde, hæretici contendunt in omni planè homine iuſtificato remanere peccata mortalia: ceterùm non imputari, propter iuſtitiam quæ datur in Chriſto; nos autem conſtanter affirmamus in homine iuſtificato nullam planè remanere culpam mortalem, ſed deleri per infuſionem gratiæ.

2. Ad 2. denominationem albi totam eſſe in genere entis phyſici, ac proinde repetendam eſſe à ſola albedine exiſtente in ſubiecto albo; denominatio autem iuſti, eſt partim in genere entis phyſici, partim in genere moris: atque adeò non mirum eſt, ſi petatur hæc partim ab entitate aliqua vera & reali ordinis ſupernaturalis inhærente animæ iuſti, & præterea à denominatione extrinſeca, nempe à fauore Dei externo gratuitò remittentis peccatum.

Vlt. Ad vltimam: vnicam eſſe cauſam completam & perfectam formalem noſtræ iuſtitiæ in genere moris: quemadmodum enim vnum numero ſacramentum Penitentiæ conſurgit in genere moris ex actibus penitentis, & abſolutione ſacerdotis; ità etiam ex gratia gratum faciente, & ex fauore externo Dei condonantis peccata, conſurgit vna numero cauſa formalis noſtræ ſanctitatis, ceterùm in genere moris, & ità explicandum eſt Concilium Trident. quando ait, vnam tantùm eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtificationis, vt diximus paulò antè. Reſpond. 2. non eſſe abſurdum fateri vnicam eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtitiæ in genere entis; quod enim producitur per vnam tantùm numero actionem, rectè vnum numero dici poteſt, præſertim ſi ſpectetur in ratione termini producti per iſtam actionem; gratia autem, quatenus eſt terminus diuinæ condonationis, producitur per vnam & eamdem numero actionem, nempe per illum actum quo Deus vult gratiam iſtam conferre ei qui agit in peccato mortali, ad hoc vt tranſeat à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ.

DVBITATIO QVARTA.

An de potentia Dei abſoluta fieri poſſit vt aliquis iuſtificetur ſinè infuſione alicuius doni actualis, vel habitualis, quod recipiatur in eo qui eſt in peccato mortali.

Aliquorum pars affirmans. SVnt qui putent partem affirmantem eſſe certiſſimam; tranſacto namque actu peccati mortalis manet ſolus reatus, & obligatio ad pœnam debitam tali peccato ſuſtinendam: at poteſt Deus tollere huiuſmodi reatú & obligationé ſinè infuſione alicuius doni ordinis ſupernaturalis actualis, vel habitualis; putà ſi dixerit, remitto omnem pœnam debitam peccato huius hominis.

Deinde, eumdem poteſt Deus reparare hominem & amare, quemadmodum potuit eum condere & diligere conditum; at poteſt Deus condere hominem in puris naturalibus, & ità conditum amare: ergo poterit eumdem reparare.

Tertiò, peccatum mortale non neceſſariò præſupponitur ad gratiam, neque ergo gratia præſupponit peccatum mortale deſtruendum; ſi enim Deus produceret hominem in puris naturalibus, hic peccare poſſet mortaliter, & tamen nulla datur in iſto gratia gratum faciens.

Quartò, quilibet noſtrùm relaxat defectus contra ſe commiſſos, ſinè infuſione alicuius doni, reſpectu illius cui condonantur: ergo à fortiori hoc idem poterit præſtare Deus.

Denique, nedum dona ſupernaturalia, ſed etiam naturalia opponuntur quibuſdam peccatis mortalibus: ergo cùm vnum contrarium deſtruatur à ſuo contrario, poterit aliquod peccatum mortale deſtrui in nobis ſinè vllo planè dono actuali, vel habituali ordinis ſupernaturalis. Ità Sotus in 4. diſt. 14. Gregor. Arimin. in 1. diſt. 17. quæſt. 1. & alij.

Simpliciter neceſſarium eſt donum aliquod ad iuſtificationem impij.

CONCLVSIO *Per nullam potentiam fieri poteſt vt aliquis iuſtificetur à peccato mortali commiſſo, ſinè infuſione alicuius doni actualis vel habitualis ordinis ſupernaturalis.* Primùm, quia ad iuſtificationem hominis deſideratur auerſio à creatura tamquam ab vltimo fine, & conuerſio in Deum tamquam in vltimum finem, vt clarè colligitur ex illo Zachar. 1. *Conuertimini ad me.* Ioël. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* & Iſaï. 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum*, &c. atqui auerſio à creatura, & conuerſio in Deum tamquam in vltimum finem non poteſt contingere ſinè infuſione doni actualis, vel habitualis, quod recipiatur in nobis; eſt enim auerſio à creatura, & conuerſio in Deum, actio ordinis ſupernaturalis, quæ proinde præſupponit in nobis principium aliquod productiuum eiuſdem ordinis: ergo non poterit quis iuſtificari à peccato mortali abſque infuſione alicuius doni ſupernaturalis.

Zach. 1. verſ. 3. Ioël. 2. verſ. 12. Iſaï. 55. verſ. 7.

Deinde, macula peccati mortalis non poteſt auferri, niſi emendentur actus præteriti, & reſtituatur gratia, vel aliquid ei æquiualeas; de lege enim communi nullus datur qui vel non ſit in peccato mortali, vel certè qui non habeat gratiam; at reſtitutio iſta fieri nequit ſinè dono actuali, vel habituali.

Tertiò, in quolibet ex poſteris Adæ ante baptiſmi ſuſceptionem datur vnum numero peccatum originale, vt definitum fuit in Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali: ergo cùm ex eodem ſeſſ. 6. peccatum originale, ſaltem in paruulis, non deſtruatur niſi per infuſionem gratiæ iuſtificantis, peccatum mortale non poterit deſtrui in nobis ſinè dono aliquo ſupernaturali actuali vel habituali.

Euaſio. Reſpondent aliqui, iſtis rationibus probari de lege communi peccatum mortale non poſſe deleri ſinè infuſione alicuius doni actualis vel habitualis; non verò de potentia Dei abſoluta.

Debilis. Contrà: per nullam potentiam fieri poteſt, vt priuatio aliqua remoueatur à ſuo ſubiecto, niſi reſtituatur habitus eidem oppoſitus vt conſtat ex cæcitate; nemo ſiquidem ex cæco poteſt fieri videns, niſi reſtituatur actus, vel habitus videndi; at peccatum habituale mortale cenſetur eſſe priuatio

uatio nitoris & pulchritudinis ſpiritualis, ex doctrina D. Thomæ, & ex noſtra cenſetur eſſe actus peccati præteriti non emendatus per veram penitentiam: ergo. A

Denique, voluntas hoc ipſo quòd peccatum mortale commiſit cenſetur eſſe vitiata, corrupta & deprauata; at corruptio & deprauatio iſta nequeunt ab eadem ſeparari ſinè reſtitutione perfectionis eidem oppoſitæ, vt patet; neque enim aliquid ex ægro fieri poteſt ſanum, niſi contingat aliqua realis mutatio in eo. In hac ſententia ſunt Medina ad art. 2. huius quæſt. D. Thomæ. Caiet. hîc, & ad 3. partem, quæſt. 86.

Notabile. Aduertendum autem eſt doctrinam iſtam intelligendam eſſe de ea iuſtificatione, quam diximus in antecedentibus eſſe mutationem, ſeu tranſitum à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ. Deinde, ſupponendum eſt difficultatem hanc eſſe intelligendam de peccato mortali, nedum quòd ſit, quódque propterea dicitur actuale, ſed etiam de eo quod factum eſt, quódque habituale vulgò appellatur, idque quòd maneat in nobis ad modum habitus: de peccato ergo quolibet mortali, altero ex his modis ſpectato, contendimus per omnipotentiam Dei deleri non poſſe, ſinè infuſione gratiæ actualis vel habitualis. B

Satisfit rationibus aduerſar. Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. negando maiorem; præter reatum enim & obligationem ad pœnam, manet in nobis macula peccati, quæ non poteſt deſtrui, niſi reſtituta fuerit perfectio aliqua actualis, vel habitualis, oppoſita peccato mortali commiſſo. C

Ad 2. nego maiorem; licèt enim Deus poſſit condere hominem ſinè vllo dono ordinis ſupernaturalis, & licèt poſſit hunc hominem ità conditum amare dilectione naturali; certum tamen eſt hominem conſtitutum in peccato mortali non poſſe reparare contra huiuſmodi peccatum, niſi conferat eidem perfectionem aliquam oppoſitam iſti peccato, idque quòd peccatum habeat rationem priuationis, & priuatio nunquam remoueatur à ſubiecto, niſi per reſtitutionem rei ſibi oppoſitæ, alioqui res iſta non diceretur priuata ſua perfectione, ſed negaretur tantùm perfectio de tali ſubiecto. D

Ad 3. reſpondebitur Dubitatione proximè ſequenti.

Ad 4. Non eſſe parem rationem inter hominem remittentem iniuriam ſibi irrogatam, & inter Deum condonantem offenſam ſibi illatam; homo enim eo ſolo nomine dicitur remittere culpam contra ſe commiſſam, quia condonat pœnam debitam tali culpæ; Deus autem nedum relaxat pœnam offenſæ commiſſæ contra ſe, ſed etiam rectificat eum qui huiuſmodi culpam commiſit; rectificatio autem iſta non poteſt fieri ſinè conceſſione alicuius doni actualis, vel habitualis, quod recipiatur in eo qui peccauit. E

Ad vltimam. Dico rectitudinem naturalem opponi alicui peccato mortali in ratione entis phyſici, & etiam moralis; non tamen quilibet, atque adeò cum vnum peccatum mortale nequeat deſtrui, niſi deſtruantur cetera omnia, quæ dantur in nobis, non poterit vnum peccatum mortale deleri in nobis per entitatem aliquam ordinis naturalis; loquimur enim hîc de iuſtificatione, prout dicit tranſitum à ſtatu peccati mortalis ad ſtatum gratiæ, ſeu, quod idem eſt, gratitudinis ſupernaturalis.

DVBITATIO QVINTA.

Qua ratione peccatum mortale & gratia opponantur inter ſe.

SVnt qui arbitrentur opponi inter ſe phyſicè. *Gratia opponitur moraliter tantùm.*

Rectiùs tamen illi qui docent, *opponi moraliter tantùm.* Primùm, quia ea tantùm opponuntur phyſicè, quæ vel dicunt formas incompoſſibiles in vno & eodem ſubiecto ſimul, vel quæ ſe ab vno & eodem ſubiecto expellunt per veram efficientiam & cauſalitatem: hac ratione opponuntur calor & frigus, illâ verò album & nigrum, ex communi doctrina Philoſophorum: at neutro ex his modis opponuntur gratia & peccatum mortale. Non quidem primo, quia dicemus Dubit. proximè ſequenti gratiam & peccatum diuina virtute poſſe conſiſtere, in vno & eodem ſubiecto; neque item ſecundo, quia cum gratia à ſolo Deo pendeat in eſſe, fieri, & conſeruari, ità ab eodem quoque ſolo Deo deſtrui poterit phyſicè. *Peccatum mortale caret moralibus.*

Deinde, peccatum mortale formaliter loquendo, ex dictis quæſt. 71. huius part. nihil aliud eſt, quàm priuatio rectitudinis debitæ ineſſe actui vel voluntati; quod autem nihil eſt, non poteſt per veram cauſalitatem aliquid deſtruere, aut etiam producere: ergo non opponentur phyſicè.

Tertiò, de ratione contrariorum eſt, vt ſint ſub eodem genere, & præterea vt in eodem planè ſubiecto recipiantur, vt author eſt Ariſtot. in cap. de Oppoſitis: ſed peccatum & gratia nec pertinent ad idem genus, nec ſunt in eodem ſubiecto proximo & immediato; nam peccatum omne, vt ſic, eſt ordinis naturalis; gratia verò ex ſe, & ſecundum ſuam eſſentiam eſt ordinis ſupernaturalis: peccatum item quodlibet mortale actuale, ſedem habet in voluntate: gratia verò in animæ eſſentia.

Quartò, quædam eo tantum nomine ſunt mala, quia prohibita: ergo ſaltem iſta non poſſunt opponi phyſicè gratiæ, ſed ſola denominatione extrinſeca, ac proinde moraliter.

Denique, dantur omiſſiones aliquæ culpabiles in quibus nulla planè reperitur entitas: ergo ſaltem peccata iſta non opponuntur phyſicè gratiæ. Ità Sotus, Bonauentura, & Nominales hîc.

Ex his colliges peccatum mortale & gratiam expellere ſe demeritoriè tantum: modus namque agendi, ſequitur naturam eſſendi. Dixi autem gratiam & peccatum mortale, opponi inter ſe moraliter tantum.

ROGABIS, *An peccatum mortale & gratia ſint contraria immediata.* *Peccatum mortale & gratia contraria immediata.*

RESPONDEO *affirmatiuè, non tamen ex ſe gratia ſunt & ſua natura, aut ſimpliciter & abſolutè loquendo:* ſi enim crearet Deus hominem in puris naturalibus, hic nec gratiam haberet, nec peccatum, *Sunt ergo duo hæc contraria immediata de lege communi tantùm, reſpectu hominum & Angelorum:* inter Angelos namque & homines nullus planè datur qui vel non ſit in gratia, vel certè quin habeat peccatum mortale.

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An gratia & peccatum mortale poſſint eſſe in vno, & eodem ſubiecto.

Peccatum mortale & gratia de lege nō ſunt in eodem ſubiecto.

CONCLVSIO 1. *De lege communi peccatum mortale & gratia nuſquam exiſtunt in vno & eodem ſubiecto:* dixi enim Dubit. antecedenti hæc duo opponi inter ſe de lege communi.

Deinde, qua Scriptura docet eum qui agit in peccato mortali eſſe ingratum, & inuiſum Deo; eum verò qui eſt in gratia & charitate, eſſe eidem gratum & acceptum. Idem docent Patres & Concilia: ergo cùm repugnet aliquem eſſe ſimul gratum & ingratum, peccatum mortale & gratia non poterunt ſimul conſiſtere de lege communi.

Non repugnat p. m. & gratiam eſſe in eodem ſubiecto.

CONCLVSIO 2. *Per omnipotentiam Dei fieri poteſt, vt peccatum mortale & gratia ſubiectentur in vno & eodem planè homine ſimul:* quod vt probetur

Varij effectus peccati.

Aduerte peccatum producere in nobis plures effectus formales: primus eſt, priuare rectitudine debita actui, vel voluntati eum qui peccatum admittit: ſecundus, facere ingratum, deſtruendo in nobis gratiam demeritorie: tertius, inducere reatum pœnę æternę & temporalis alicuius: iſti autem effectus non conueniunt peccato in genere entis ſpectato; nam primus tantùm effectus in hoc genere competit illi, ac proinde nulla planè virtute poteſt hic ab eo ſeparari. Secundus verò & tertius effectus conueniunt peccato mortali ſpectato in genere entis, & moris ſimul; nam ſi Deus nollet deſtruere gratiam ad poſitionem peccati mortalis, hæc nulla ratione deſtrueretur in nobis; monui enim in antecedentibus gratiam à ſolo Deo produci, & pendere in eſſe, fieri, & conſeruari, veluti à cauſa præcipua & principali: ergo cùm nihil planè detur in naturę vniuerſitate quod poſſit impedire voluntatem Dei efficacem, & abſolutam, ſi Deus nollet deſtruere gratiam ad poſitionem peccati mortalis, non priuaret gratia hominem ſuo demerito; ſi Deus item nollet exigere pœnas æternas ab eo qui peccauit mortaliter, certè peccatum mortale non produceret hunc effectum formalem in nobis; eſt enim Deus quàm maximè liber in ſuis actionibus ad extra.

Gratia plures effectus.

Aduerte 2. Gratiam producere ſimiliter in nobis plures effectus formales: nam in genere entis ſupernaturalis, facit nos conſortes & participes diuinæ naturæ; in genere verò entis & moris ſimul facit nos gratos & acceptos Deo, tribuitque nobis ius ad vitam æternam obtinendam, & denique confert dignitatem tantam noſtris actionibus honeſtis & liberis, vt retineant perfectiſſimam condignitatem, & æqualitatem cum gloria perpetuò fruenda in cœlis.

Aduerte tandem, poſſe Deum conſeruare gratiam cum primo effectu formali quem producit in nobis, ſinè alijs effectibus, in genere entis & moris ſimul: idem dicendum eſt de peccato, vt manifeſtè colligitur ex quantitate quæ datur in corpore Chriſti conſtituto ſub ſpeciebus conſecratis; hæc enim retinet extenſionem in ordine ad partes corporis Chriſti, neque enim caput eſt pes, aut brachium, &c. ſed omnes iſtæ partes inter ſe verè diſtinguuntur; in ordine tamen ad locum quantitas corporis Chriſti non retinet ſuam extenſionem: ità illud idem accidere poterit in gratia & peccato diuina virtute. His ità conſtitutis.

Probatur Concluſio noſtra. Ea tantùm ſunt Deo neganda, quæ implicant contradictionem; at peccatum & gratiam eſſe ſimul in eodem homine, non implicat contradictionem: tum quia dixi poſſe Deum conſeruare gratiam in aliquo cum ſolo primo effectu formali, qui competit gratię, & idem diximus fieri poſſe de peccato: ergo cùm primus effectus formalis gratiæ, & primus effectus formalis peccati mortalis non opponantur inter ſe, poterit Deus hæc duo conſeruare ſimul, præſcindendo tamen ab alijs effectibus, qui producuntur à gratia, & à peccato in nobis. Tum quia, licèt gratia & peccatum mortale darentur in vno & eodem homine, non tamen propterea verum eſſet de iſto homine affirmare, quòd eſſet iuſtus & iniuſtus contradictoriè; nam contradictoria debent eſſe ad idem, ſecundum idem, & eodem modo: diceretur autem homo iuſtus à gratia, quam habet in animæ eſſentia, cùm hæc ſit proximum & immediatum ſubiectum gratiæ: diceretur item iniuſtus ſecundum voluntatem tantùm, cùm iſta ſit proximum & immediatum ſubiectum cuiuſlibet peccati actualis, & ideò iuſtum & iniuſtum non eſſent contradictoria.

Deinde, non magis opponuntur inter ſe peccatum & gratia, quàm faciant calor & frigus; at hæc reperiuntur in vno & eodem ſubiecto in gradibus quidem remiſſis naturaliter; in intenſis verò diuina virtute, ex multorum Theologorum ſententia, qui concedunt in damnatis ſimul extare ſummum calorem, & ſummum frigus. Confirmatur: Nihil repugnat quominùs aliquis videat diuinam eſſentiam per actum intellectus, atque adeò ſummè ſit beatus, & quòd in ordine ad appetitum ſenſilem experiatur ſummos dolores; hæc enim duo fuerunt in Chriſto homine, pro eo tempore quo ſuſtinuit mortem crucis, ex veriori Theologorum ſententia: ergo non repugnabit gratiam & peccatum mortale reperiri in eodem homine, cùm hæc duo pertineant ad diuerſa ſubiecta proxima & immediata.

Tertiò probatur: Gratia non neceſſariò præſupponit peccatum deſtruendum in ſuo ſubiecto, vt conſtat ex Angelis, primis parentibus, Chriſto & D. Virgine; iſtis enim data fuit gratia in prima eorum productione; & tamen peccatum antea in illis nullum extitit: peccatum etiam non neceſſariò præſupponit gratiam in ſubiecto; ſi enim daretur aliquis qui crearetur à Deo in puris naturalibus, hic poſſet peccare mortaliter; & tamen nulla præceſſit in eo gratia: ergo poſſent iſta duo ſimul & ſemel in eodem reperiri, præſertim cùm conſeruatio gratię pendeat à ſolo Deo in eſſe, fieri, & conſeruari, & nihil ſit quod poſſit impedire Deum quominus conſeruet quamcumque entitatem creatam.

Denique, id à quo non iuſtificatur homo tranſacto actu peccati mortalis, eſt actus peccati præteriti non emendatus per veram penitentiam; at actus hic ità ſpectatus non opponitur gratiæ ſecundum ſuam entitatem conſideratę; nam entitas

iſta

iſta tota ſupernaturalis eſt, &, vt ſic, facit hominem conſortem, & participem diuinæ naturæ; actus verò peccati præteriti totus eſt ordinis naturalis, & moraliter tantùm cenſetur exiſtere, non autem phyſicè, atque adeò ſola denominatione extrinſeca dicitur de eo qui peccauit: ergo non opponitur actus hic gratiæ phyſicè; vnde & poterunt hæc duo rectè ſimul conſiſtere, ſaltem diuina virtute. Ità Scotus in 2. diſt. 37. & ſequaces eiuſdem communiter, itémque multi ex Nominalibus, Lorca diſp. 40. de gratia: hic tamen loquitur de peccato actuali, non autem habituali; ac proinde fatetur gratiam & peccatum actuale poſſe ſimul conſiſtere, non autem habituale.

Obiectio. Obijciunt authores contrariæ ſententiæ, implicare eumdem eſſe ſimul ſanctum, iuſtum, & non ſanctum & iniuſtum.

Soluta eſt. Reſpondeo difficultatem iſtam ſublatam eſſe in antecedentibus; diximus enim de vno & eodem enunciari quòd ſit iuſtus & iniuſtus in ordine ad diuerſa ſubiecta proxima, atque adeò propoſitiones iſtas non eſſe contradictorias. Deinde, diximus gratiam ſpectatam in genere entis facere hominem conſortem diuinæ naturæ, & poſſe effectum iſtum producere ſinè ſecundo, & tertio, & conſequenter pugnare cum primo effectu formali peccati.

Replica. Inſtabis, gratiam eſſe rationem formalem noſtræ iuſtificationis; definiuimus autem iuſtificationem, mutationem à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ.

Diſſoluitur. Reſpond. gratiam ſumptam in genere entis non eſſe cauſam formalem completam noſtræ iuſtificationis, ſed in genere entis & moris ſimul, ſeu, quod idem eſt, quatenus gratia hæc eſt terminus diuinæ condonationis, gratuitò remittentis peccata: hac autem ratione ſpectata gratia, etiam diuinitus nequit conſiſtere cum peccato mortali; ſuppoſito tamen quòd entitas gratiæ & entitas peccati recipiantur in vno & eodem ſubiecto proximi.

Obiect. alia. Obijciunt denique, cum qui peccat mortaliter eſſe perfectiſſimè auerſum à Deo, & conuerſum ad creaturam: ergo non poterit peccatum mortale eſſe cum gratia; hæc enim auertit hominem à creatura, & conuertit in Deum, tanquam in vltimum finem.

Solutio. Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſequentiam; gratia enim ſpectata in genere entis non auertit hominem à creatura, nec conuertit in Deum, vt in vltimum finem abſolutè, ſed tantùm partialiter & incompletè; deſideratur enim vlteriùs quòd Deus gratuitò relaxet iniuriam ſibi factam, vt colligitur ex Anſelmo lib. 1. Cur Deus homo, cap. 24. ait enim contritionem non ità eſſe potentem ad hominis iuſtificationem producendam, quemadmodum potens eſt peccatum mortale ad gratiam deſtruendam. Deinde, multò plura deſiderantur ad rem aliquam conſtituendam, quàm ad deſtruendam, vt eſt per ſe notum.

Venialia peccatis deleatur infuſione gratiæ. Sunt qui hoc loco quærant, qua ratione iuſtificetur homo à peccato veniali. Reſpondeo per infuſionem gratiæ gratum facientis, ità vt peccata iſta venialia nuſquam remittantur in nobis ſinè infuſione gratiæ habitualis, vel certè augmenti eiuſdem Primùm, quia peccata venialia deſtruuntur tantum in nobis vel per veram contritionem, vel per attritionē cum ſacramento, vel deniq; dependenter ab actu dilectionis Dei ſuper omnia; at nullum ex iſtis tribus datur vnquam in nobis, niſi ſequatur infallibiliter gratia vel augmentum eiuſdem. Deinde, conſtanter aſſero ſacramentalia non remittere venialia ex opere operato, ſed tantùm ex dignitate perſonæ operantis, ità vt neceſſarium ſit eum qui peccauit venialiter ordinare ad deſtructionem iſtius peccati, vel actum contritionis, vel certè attritionis cum ſacramento, vel denique actum dilectionis Dei ſuper omnia. Sed de iſtis ex profeſſo & fusè ad quæſtio. 87. 3. partis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An ad iuſtificationem impij requiratur motus liberi arbitrij.

DVo examinari conſueuerunt hoc loco, 1. *An iuſtificatio hominis impij poſſit conſurgere ſinè aliquo actu pio, & libero eiuſdem, de lege communi.* 2. *An de potentia Dei abſoluta.* Primùm fuit explicatum à nobis quæſt. 112. artic. 2. huius partis.

Secundum verò tollitur hac reſponſione. *Iuſtificatio hominis adulti de potentia Dei abſoluta non poteſt conſurgere poteſt ſinè vllo actu elicito, aut imperato abſque actu ab iſto impio.* Primùm, quia potuit Deus iuſtificare primos parentes, & item Angelos in prima eorum creatione, ſinè vlla dependentia ab aliquo actu elicito, aut imperato ab iſtis liberè. *Poteſt quis peccateris.*

Deinde, ad iuſtificationem impij, etiam adulti, ſatis eſt quòd ei conferatur gratia iuſtificans, & quòd Deus relaxet omnem iniuriam ſibi illatam per huiuſmodi peccatum: diximus enim in iſtis duobus poſitam eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtitiæ; at poteſt Deus conferre homini impio gratiam iuſtificantem, ſinè vlla dependentia ab aliquo actu illius, qui conſequitur hanc gratiam, vt conſtat ex pueris, & amentibus baptizatis.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, non eſſe parem rationem inter paruulos & impium adultum; paruuli ſiquidem non propria, ſed aliena voluntate peccarunt, atque adeò independenter ab vllo actu voluntatis propriæ poſſunt iſti iuſtificari; impius autem adultus per actum propriæ voluntatis peccauit, vnde non poterit hic actus reparari, niſi intercedente aliquo actu ſibi contrario. *Reſponſio aliorum.*

Verùm reſponſio iſta nihil planè dicit; nam ad hoc vt aliquis perfectiſſimè iuſtificetur à peccato mortali commiſſo, deſideratur tantùm vt auertatur perfectiſſimè à creatura, & conuertatur in Deum, vt in vltimum finem: at poſita gratia iuſtificante, & fauore Dei externo, per quem Deus remittit iniuriam ſibi illatam, impius adultus verè & perfectiſſimè auertitur à creatura, & conuertitur in Deum vt vltimum finem: ergo abſque vllo proprio actu poterit iuſtificari. *Reijcitur.*

Confirmatur hæc minor: Conuerſio facta medio aliquo habitu, eſt eiuſdem planè rationis cum ea quæ fit medio aliquo actu producto

Digitized by Google

ab huiuſmodi habitu. Deinde, priuatio aliqua tunc temporis perfectiſſimè deſtruitur, cùm habitus eidem oppoſitus reſtituitur; at habitus oppoſitus cuilibet peccato mortali cenſetur eſſe gratia iuſtificans, cum externo illo fauore quo Deus remittit iniuriam ſibi illatam ex dictis: ergo adultus impius iuſtificatur à peccato mortali per omnipotentiam Dei ſinè vllo actu illius cui infunditur iſta iuſtitia. Denique, poteſt Deus ſupplere quamcumque diſpoſitionem neceſſariam ad introductionem alicuius formæ; at actus qui elicitur ab eo qui iuſtificatur à peccato mortali eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem obtinendam: ergo poteſt hunc ſupplere per aliud.

Obiectio. Obijcies, Scripturam ſacram, Concilia, & Patres poſtulare actum penitentis, ad hoc vt ei remittantur peccata ſua: formam etiam nuſquam recipi in ſubiecto ſinè diſpoſitione.

Solutio. Reſpond. hæc omnia eſſe intelligenda de lege communi, non autem de extraordinaria. Vide quæ dico ad 3. part. quæſt. 86. art. 1. Dubit. 2. Concluſ. 2.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm ad iuſtificationem impij requiratur motus fidei.

DVBITATIO PRIMA.

An fides ſit ſimpliciter neceſſaria ad hominis iuſtificationem.

Fides neceſſaria adultis. Trident.

CONCLVSIO. *Ex adultis nemo iuſtificatur ſinè actu, & habitu fidei, ſaltem de lege ordinaria.* Primùm, quia ità definitum fuit in Trident. ſeſſ. 6. can. 9. *Si quis dixerit ſola fide impium iuſtificari, vt ità intelligat nihil aliud requiri, quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, cum ſua voluntatis motu præparari, atque diſponi, anathema ſit.*

Marc. 16. verſ. 16. Hebr. 11. verſ. 6. Deinde, quia extat præceptum de credendo, Marc. vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Hebræor. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt.*

D. Auguſt. Tertiò, dicitur verbis expreſſis Habac. 2. & Rom. 1. iuſtum ex fide viuere: imò Trident. cap. 8. ſeſſ. 6. ait fundamentum & initium noſtræ iuſtificationis ex fide eſſe repetendum. Idem docent Patres, D. Auguſtinus de ſpiritu & littera, cap. 19. *Fide igitur Ieſu Chriſti impetramus ſalutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in ſpe. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* & lib. 83. quæſtionum, quæſt. 62. Hieronymus in epiſt. ad Epheſios. Ambroſius in epiſt. ad Tit. Cæleſtinus Romanus Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ. Concilium Mileuitanum & Arauſicanum II. can. 6. & 7.

Hierony. Ambroſ.

Denique, docuimus Articulo proximè antecedente, habitum aliquem eſſe neceſſarium ad iuſtificationem hominis, qui recipitur in voluntate tamquam in ſubiecto: ergo ex parte intellectus deſiderabitur etiam aliquis actus vel habitus ordinis ſupernaturalis, ad hoc vt aliquis iuſtificetur à peccato mortali; nam obiectum voluntatis non poteſt eſſe illi præſens, niſi dependenter ab aliquo actu intellectus, omnium conſenſu. Propterea autem dixi actum & habitum fidei eſſe neceſſarium ad adulti iuſtificationem, quia fides cenſetur eſſe magis ad ſalutem neceſſaria, quàm ſit baptiſmus, aut penitentia; ità vt fateantur omnes in tractatu de fide, neminem poſſe conſequi vitam æternam, niſi explicitè credat aliqua ex ijs quæ ſunt à Deo reuelata.

Obiectio. Obijcies, ſi ità res haberet, ſequeretur in lege naturæ neminem fuiſſe iuſtificatum; lex enim iſta ideò dicitur naturalis, quòd habuerit præcepta tantùm naturalia: imò ſunt qui dicant nulla fuiſſe tunc temporis præcepta data credendi.

Solutio. Reſpond. in lege naturali extitiſſe præcepta ſupernaturalia & naturalia; in tractatu quippe de ſacramentis in genere docetur, omni planè tempore, & conſequenter in omni lege, poſt peccatum ab Adamo commiſſum extitiſſe ſacramenta & ſacrificia, quæ fuerunt media quædam ad iuſtificandos homines introducta. Ad id verò quod dicitur, legem iſtam ideò dictam eſſe naturalem quòd habuerit præcepta naturalia. Reſpond. hoc eſſe verum, ſed non tantùm; ideò enim dicta eſt lex naturalis, quòd haberet multò plura præcepta naturalia, quàm ſupernaturalia. Deinde, quia præcepta iſta & naturalia, & ſupernaturalia modo quodam naturali tranſmittebantur ad parentes; hi namque præcepta iſta communicabant ſuis poſteris, ex illo Dauidis. *Quanta mandauit Patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis.* vnde falſum eſt quod poſtremo loco ſubiungitur, nulla ſcilicet fuiſſe præcepta credendi in ea lege. Pſal. 77. verſ. 6.

DVBITATIO SECVNDA.

An ſola fides ſinè bonis operibus ſufficiat ad hominis iuſtificationem.

Fides ſinè operibus mortua.

CONCLVSIO *negatiua:* definitum enim fuit in Trident. ſeſſ. 6. can. 9. ſolam fidem non ſufficere ad adultorum iuſtificationem, ſed deſiderari præterea bona opera.

Iacob. 2. verſ. 24. Deinde, Iacob 2. dicitur, *Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm.*

Idē ℣. 20. 1. Ioan. 3. verſ. 15. Tertiò, fides dicitur mortua ſinè charitate apud eumdem eod. cap. *Fides ſinè operibus mortua eſt.* & 1. Ioann. 3. *Qui non diligit manet in morte.*

1. Cor. 13. verſ. 13. Quartò, ex cap. 13. 1. ad Corinth. *Si tradidero corpus meum ità vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Matth. 25. verſ. 34. Id. 7. ℣. 21. Denique, retributio vitæ æternæ debetur bonis operibus, Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum,* &c. & apud eumdem cap. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* & alibi ſæpe.

Obiectio. Obijciunt hæretici, iuſtum ex fide viuere Habac. 2.

Solutio. Reſpond. cum Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. iuſtum viuere ex fide initiatiuè, fundamentaliter & radicaliter tantùm, non autem formaliter, vbi obſeruat Concilium elegantem gradationem; non enim omne initium eſt fundamentum, neque omne fundamentum eſt radix: dicitur ergo fides habere illa tria, primò eſſe initiū, quia ab ea incipit iuſtificatio. 2. fundamentum, quia eſt ca uſa

cauſa quæ ſuſtentat bonos motus noſtræ voluntatis. 3. denique, radix, quia ab illa tamquam ab occulto efficiente pullulant rami bonarum operationum, quibus præparamur ad iuſtitiam. Iuſtus igitur ex fide viuit, initiatiue vt dictum eſt, non verò formaliter: detractis enim bonis operibus mortua eſt, hoc ſenſu, quòd quemadmodum arbor, etiamſi in radice vitam habeat, dicitur mortua cùm in fructu ſicca & ſterilis eſt, quia fructu in viuente expreſſum eſt indicium vitæ, iuxta illud Rom. 4 *Non conſiderans corpus ſuum emortuum, & emortuam vuluam Saræ*, hoc eſt ad generandum ſterilem: ità dicitur fides viuere operibus, non velut forma, ſed tamquam fructu, & indicio vitæ, quia ipſa fides etiam in peccatore eſt radix vitæ ſpiritualis: vnde Iudas in ſua Canonica hæreticos vocat, *Arbores autumnales*, quia non ferunt fructum in tempore: *Infructuoſas*, quia carent fructu bonæ operationis, *Bis mortuas*, quia vtramque vitam amiſerunt, charitatis quæ oſtenditur in fructu, & fidei ipſius, quæ erat in radice: *Eradicatas*, quia amiſſa fide ſeparati ſunt ab Eccleſia.

Obiectio 2. Rom. 3. verſ. 28.

Obijciunt 2. Paulum in epiſt. ad Rom. cap. 3. reijcere bona opera à iuſtificatione noſtra. *Arbitramur*, inquit, *iuſtificari hominem ſinè operibus legis.* & rurſus addit in eadem epiſt. cap. 11. hominem gratis iuſtificari.

Solutio.

Reſpondeo Paulum in priori illo teſtimonio reijcere à iuſtificatione noſtra opera antecedentia iuſtificationem formalem, atque adeò velle infuſionem gratiæ gratum facientis non dari propter merita antecedentia iuſtificationem; ſed gratuitò & liberaliter à Deo; gratia namque prima iuſtificans non cadit ſub meritum de condigno, & hoc eſt quod voluit docere Paulus in ſecundo teſtimonio.

Sunt alij qui dicant opera legis Moſaïcę relegari ab opere noſtræ iuſtificationis, & quidem meritò; propter hanc enim cauſam videtur Paulus adieciſſe particulam iſtam, *Legis*, Moſaïcæ ſcilicet. Vide plura de hac controuerſia apud Bellarminum lib. 4. de iuſtificatione, à cap. 5. ad 9. vſque, & alios.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm ad iuſtificationem impij requiratur motus liberi arbitrij peccata deteſtantis.

Penitentia neceſſaria adulto. Luc. 13. verſ. 3. Matth. 3. verſ. 2.

QVÆ pertinent ad hunc Articulum explicantur ſequentibus adnotatis. Aduerte ergo 1. huiuſmodi adulto lapſo in peccatum mortale poſt baptiſmum neceſſariam eſſe ſimpliciter penitentiam, ad hoc vt iuſtificetur à tali peccato; dicitur ſiquidem Lucæ 13. *Niſi penitentiam habueritis, peribitis.* & Matth. 3. *Penitentiam agite.* Deinde, res hæc ità definita eſt in Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. & 4.

Penitentia formalis neceſſaria adulto conſcio peccati.

Aduerte 2. penitentiam formalem & expreſſam neceſſariam eſſe adulto qui peccauit mortaliter, quotieſcumque eſt hic ſibi conſcius peccati mortalis commiſſi; ità vt nequeat hic iuſtificari ab huiuſmodi peccato ſinè formali contritione vel attritione cum ſacramento. Primùm, quia hæc eſt expreſſa ſententia D. Thomæ in reſponſione ad 3. huius art. & 3. part. quæſt 83. & 87. & communiter Theologi ibidem. Deinde, non poteſt dici quòd formalis & expreſſa penitentia ſit neceſſaria ad iuſtificationem hominis; eſt namque certiſſimum in quolibet alio caſu ſufficere virtualem penitentiam. Tertiò, propter hanc cauſam fatentur communiter Theologi, eum qui patitur martyrium non poſſe iuſtificari à peccato mortali commiſſo, ſi recordetur de eo ſinè formali & expreſſa penitentia. Accedit teſtimonium Cypriani epiſt. 2. lib. 1. ait enim aliquos martyres ideò miſerè perijſſe, quòd deceſſerint ſinè reconciliatione, cùm poſſent eam habere.

Aliquando ſufficit penitentia virtualis.

Aduerte 3. penitentiam virtualem ſatis eſſe ad hominis adulti iuſtificationem, in eo caſu in quo præmiſſo diſtricto examine conſcientiæ, non potuit hic recordari peccati mortalis commiſſi. Primùm, quia certum eſt virtualem penitentiam eoſdem producere effectus cum formali penitentia; ſol enim, licèt in ſe formaliter calidus non ſit, quia tamen virtute calidus eſt, ideò calorem verè producit; ità virtualis penitentia, licèt non ſit formaliter penitentia, effectum tamen illum eumdem attingit, quem expreſſa penitentia. Deinde, hæc eſt omnium planè ſententia in tractatu de penitentia. Denique, penitentia virtualis nihil eſt aliud, quàm charitas: at certum eſt charitatem delere peccata 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* ergo.

1. Petr. 4. verſ. 8. Luc. 7. verſ. 47.

Formalis penitentia eſt contritio vel attritio cum ſacramento.

Adu. 4. nomine penitentiæ formalis & expreſſæ, ſignificari hoc loco contritionem perfectam, vel attritionem cum ſacramento aliquo; contritio ſiquidem & attritio, ſunt entitates aliquæ oppoſitæ peccatis cauſaliter, ex noſtra opinione; ex aliorum verò ſententia, nedum cauſaliter, ſed etiam formaliter; ac proinde non poſſunt hæ conſiſtere cum peccato mortali, præſertim ſi acceſſerit attritioni ſacramentum aliquod. Nomine verò virtualis penitentiæ intelligitur hoc loco quicumque actus charitatis, aut etiam charitas ipſa ſupernaturalis; hæc enim etiamſi formaliter non opponatur peccatis mortalibus, certum tamen eſt opponi eiſdem virtute, & eminenter, quæ conſequenter ſufficit ad deſtructionem omnium peccatorum mortalium.

Neceſſaria ſuſceptio ſacramenti penitentiæ in re, vel in voto.

Aduerte 5. præter penitentiam actualem & virtualem, neceſſariam eſſe ad hominis adulti iuſtificationem ſuſceptionem ſacramenti penitentiæ, vel in re, vel in voto, vt definitum eſt in Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. conducit præterea ad iuſtificationem impij timor ſeruilis, ſpes, propoſitum adimplendi omnia Dei mandata, & denique propoſitum emendandi vitam in melius, vt conſtat ex eodem Trid. ſeſſ. 6 cap. 6. ità vt res primo loco neceſſaria ad iuſtificationem ſit fides, deinde timor ſeruilis, ſpes, dilectio Dei ſuper omnia, penitentia ſeu dolor de peccatis commiſſis, propoſitum emendandi, vitam & adimplendi omnia & ſingula Dei mandata: iſtis enim ità peractis, ſubſequitur infuſio gratiæ, quæ eſt cauſa formalis noſtræ iuſtitiæ, ex cap. 7. ſeſſ. 6. eiuſdem Concilij.

ARTICVLVS SEXTVS.

An remiſſio peccatorum numerari debeat inter ea quæ requiruntur ad iuſtificationem impij.

ARTICVLO 6. docet D. Thomas ad iuſtificationem deſiderari peccatorum remiſſionem. De qua re nulla poteſt eſſe dubitatio: diximus enim iuſtificationem nihil aliud eſſe quam tranſitum à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ. Vbi eſt aduertendum iuſtificationem, & remiſſionem peccatorum non eſſe duas actiones inter ſe realiter diſtinctas, ſed vnicam numero, idque propter vnitatem termini producti per huiuſmodi actionem; terminus autem productus eſt gratia gratum faciens: poteſt tamen formaliter loquendo admitti duplex actio, altera namque terminatur ad remiſſionem peccatorum, vt ſic; altera verò ad infuſionem gratiæ.

Iuſtificatio & remiſſio peccatorum eſt vnica actio.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum iuſtificatio impij fiat in inſtanti, vel ſucceſſiuè.

CONCLVSIO. *Iuſtificatio impij non fit ſucceſſiuè ſed inſtanti:* pro cuius intelligentia obſerua, ſecundùm regulam Philoſophorum ea fieri in non tempore, ſeu *in inſtanti*, quæ ſunt tota ſimul, & in quo ſignamus primum mutatum eſſe ex parte termini à quo, vt homo & Angelus: ea verò dicuntur fieri in tempore, quæ habent ſuum eſſe in ſucceſſione, hoc eſt partem poſt partem, in quibus non poſſumus ſignare primum mutatum eſſe ex parte termini à quo, vt motus localis, alteratio, & augmentatio: nam in motu locali non poſſumus ſignare partem certam ſpatij, quam primò deſeruit mobile; ſed quacumq; ſignata, deſeruit aliam partem, & ità mouetur in tempore: & in alteratione qualitas non definit eſſe remiſſa per primum mutatum eſſe; & in augmentatione, materia non definit eſſe tanta in parte certa, ſed quæcumque pars materiæ ſignetur, detracta eſt ab alimento alia prior. Ex quo fit, res permanentes incipere in inſtanti intrinſeco, quod ſit primum non eſſe termini à quo; res autem ſucceſſiuas in inſtanti extrinſeco, quod ſit vltimum eſſe termini à quo, & vltimum non eſſe motus.

Ex hac notatione ſequitur iuſtificationem fieri in inſtanti, quòd ſit primum eſſe infuſionis iuſtitiæ, quia neceſſariò debemus aſſignare aliquod inſtans quod ſit primum non eſſe peccati; illud autem erit primum eſſe gratiæ: nam ſi illud inſtans, eſſet vltimum non eſſe gratiæ, ſequeretur in eo inſtanti hominem manere in puris naturalibus, hoc eſt ſinè peccato, & ſinè gratia. Quod autem aſſignare debeamus primum non eſſe peccati, probatur; quia non eſſe peccati non poteſt habere partes aliquas, eò quòd ſignificatur vt forma ſimplex, & eſt verè priuatio totalis, nihil habens admixtũ oppoſitæ formæ: ergo non poteſt nõ eſſe peccati incipere in inſtanti extrinſeco; quia quæ in inſtanti extrinſeco incipiunt, debent habere partes ſucceſſiuas, vt motus localis, alterationis, vel augmentationis: ideò enim incipiunt in inſtanti extrinſeco, quoniam ſubſtantia eorum reſpondet partibiliter tempori immediatè ſequenti, & ità dicuntur fieri in tempore, ſiue ſucceſſiuè; atqui non eſſe peccati non poteſt reſpondere partibiliter & ſucceſſiuè alicui tempori, quia cùm in illo non eſſe nullæ ſint partes, oportet totum non eſſe peccati eſſe ſimul, atque adeò in inſtanti certo, quod ſit primum eſſe gratiæ & ſanctitatis.

Sed contra hoc obijcitur; ſequitur ergo hominem, poſtquam peccauit, pro aliquo tempore eſſe extra ſtatum ſalutis, quia actus voluntatis incipit per primum ſui eſſe: ergo ſi gratia qua purgãdus eſt ille actus peccaminoſus nequit incipere per vltimum non eſſe, neceſſariò inter peccatum & gratiam debet mediare tempus; cùm duo inſtantia nequeant ſibi eſſe immediata: ergo tempore illo intermedio homo non poteſt purgari à peccato, ac proinde extra ſtatum ſalutis eſt.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia quamuis inter primum non eſſe peccati, & primum eſſe gratiæ debeat mediare tempus, tamen illud non eſt neceſſarium, ſed in quocumque ſignato, & in minori poteſt homo conuerti, & ità nunquam eſt extra ſtatum ſalutis.

Obijcies, ergo ſaltem per illud tempus vagum homo eſt extra ſtatum ſalutis: nego conſequentiam; quia ineptè dicitur per illud tempus; nam cùm tempus, quo continuari debet actio non ſit determinatum, non poteſt ſignari pronomine demonſtratiuo, & ità inepta eſt demonſtratio quam inſinuant illa verba, *Per illud tempus.* Secundò, quia eſſe extra ſtatum ſalutis, non eſt ſalutem non poſſe incipere tempore immediatè ſequenti, ſed eſt, ſignato aliquo tempore non poſſe conuerti, quod probo hoc argumento: Iſtæ ſunt contradictoriæ; Petrus aliquando non poteſt conuerti: homo nunquam non poteſt conuerti, ſiue quod idem eſt, homo ſemper poteſt conuerti; ſed vniuerſalis eſt vera: ergo particularis eſt falſa: ergo nullo tempore homo eſt extra ſtatum ſalutis. Probatur minor, quia vniuerſalis, ſiue affirmatiua, ſiue negatiua rectè verificatur inductione, verbi gratia, in hoc tempore homo poteſt conuerti, & in illo & in illo, & in quocumque ſignabili: ergo poteſt ſemper conuerti: ſimiliter homo in hoc tempore non eſt extra ſtatum ſalutis neque in illo, neque in vllo ſignabili: ergo nunquam eſt extra ſtatum ſalutis.

Digitized by Google

ARTICVLVS OCTAVVS.

An infuſio gratiæ ſit prima ordine naturæ inter ea quæ ad juſtificationem impij requiruntur.

DVÆ explicantur hoc loco Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

An actus charitatis ſit prior actu penitentiæ, in juſtificatione impij adulti.

B

CONCLVSIO 1. *In ratione cauſæ formalis actus dilectionis præcedit actum penitentiæ.* Nam finis ſemper eſt prior iis quæ ſunt ad finem : at actus dilectionis in juſtificatione impij eſt finis actus penitentiæ ; nam hæc ordinatur in Deum prout hic amandus eſt , & ſuper omnia diligendus, quod convenit charitati, ſeu dilectioni, vt ſic : ergo illa ratione actus dilectionis præcedit actum penitentiæ.

C

Trident. CONCLVSIO 2. *In genere cauſæ efficientis actus dilectionis prior eſt actu penitentiæ.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens Trident. ſeſſ. 6. cap. 6.

1. Deinde, quia tota ratio cur aliquis doleat de peccatis commiſſis eſt , quia hæc ſunt contra Deum, vel quia illis eſt indicta aliqua pœna : atqui charitas eſt, quæ facit vt diligatur Deus ſuper omnia, & conſequenter vt odio habeantur ea omnia quæ ſunt contraria Deo : ergo eſt prior actus dilectionis actu penitentiæ in genere cauſæ efficientis.

D

CONCLVSIO VLTIMA. *In ratione cauſæ materialis actus penitentiæ prior eſt actu dilectionis Dei in juſtificatione adulti impij* : Nam receſſus à termino à quo in quolibet motu, eſt prior acceſſu ad terminum ad quem in ratione cauſæ materialis ; quò enim magis recedimus à termino à quo, eò magis accedimus ad terminum ad quem : at per actum penitentiæ, is qui juſtificatur à peccato mortali, recedit à termino à quo ; per actum verò dilectionis accedit ad terminum ad quem : ergo actus penitentiæ in genere cauſæ materialis prior eſt actu dilectionis Dei.

DVBITATIO SECVNDA.

An actus dilectionis , ſeu penitentiæ ſint elicitivè à gratia habituali , vel actuali tantùm.

E

Thomiſtarũ ſententia. THOMISTÆ contendunt eſſe à gratia habituali , idque quod nullus ſit qui diligat Deum , quin etiam redametur à Deo, ex illo Prou. 8. *Ego diligentes me, diligo.* Atqui Deus neminem diligit , niſi eum in quo datur gratia habitualis , eſt enim hæc obiectum diuinæ dilectionis in nobis.

Prouer. 8. ℣. 17.

Deinde , actus penitentiæ perfectæ , aut dilectionis Dei ſuper omnia nequit eſſe cum peccato mortali, aliàs concedendum eſſet de vno & eodem, quòd diligeretur à Deo, & non diligeretur ; ergo actus illi debent eſſe neceſſariò à gratia

A habituali : peccatum enim mortale per infuſionem ſolius gratiæ habitualis deſtruitur , vt potè quæ ſola opponitur formaliter illi.

Actus contritionis non producuntur à gratia habituali.

CONCLVSIO *Actus contritionis & dilectionis qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam juſtificantem obtinendam, ſunt effectivè ſeu elicitivè à ſola gratia actuali, non autem habituali.* Primùm , quia in Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. verbis expreſſis dicitur , exordium juſtificationis in adultis ſumendum eſſe à gratia Dei prævenientis , quam quilibet motum acceptare , vel reſpuere liberè poteſt . at hæc non poſſunt intelligi de gratia habituali , cùm de illa dicatur cap. 7. eiuſdem ſeſſ. quòd ſequatur ſuas diſpoſitiones , & eas præſupponat.

B

Deinde , can. 3. eiuſdem ſeſſ. dicitur anathema ijs omnibus, qui aiunt hominem poſſe credere, ſperare, & diligere vt oportet, ità vt ei infundatur gratia , ſinè ſpeciali Dei auxilio : ergo cùm ſpeciale hoc auxilium diſtinguatur contra gratiam quæ infunditur in cordibus noſtris , & hæc ſit habitualis , certè auxilium illud ſpeciale prærequiſitum erit actuale : ergo cùm diſponamur ad gratiam habitualem recipiendam actibus contritionis , & dilectionis Dei ſuper omnia , ex mente Trident. cit. actus hi non poterunt eſſe à gratia habituali, ſed tantùm ab actuali.

Secundò , probatur hæc Concluſio ex illis locis Scripturæ , in quibus dicitur Deum expectare conuerſionem noſtram, ad hoc vt ipſe conuertatur ad nos. Zach. 1. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos* Et alibi ſæpe. Item ex illis in quibus dicitur Deum diligere eos qui eumdem diligunt Ioan. 14. *Qui diligit me , diligetur à Patre meo. & ego diligam eum.* Ergo cùm obiectum diuinæ dilectionis in nobis ſit ſola gratia habitualis, actus penitentiæ & dilectionis quos Deus expectat & prærequirit, antequàm nos amet amicitia perfecta , & vt alij loquuntur, obiectiua & formali , erunt à gratia tantùm actuali.

C

Zach. 1. ℣. 3.

Ioan. 14. ℣. 21.

Obijcies , Scripturam aſſerere Deum dilexiſſe nos ab æterno Epheſ. 1. & Rom. 9 *Cum nondum D nati eſſent*, &c.

Epheſ. 1. ℣. 4.

Rom. 9. ℣. 11.

Obiectio.

Solutio.

Reſpondeo, hæc intelligenda eſſe cauſaliter & effectivè : ità vt velit Scriptura, Deum ab omni æternitate præparaſſe media neceſſaria ad noſtram juſtificationem, non autem dilexiſſe nos ex perfecta amicitia ; hoc enim tantùm facit quando gratia habitualis infunditur animabus noſtris.

Obiectio. 2.

Dices, actum dilectionis qui fit media ſola gratia actuali, eſſe eiuſdem rationis & ſpeciei, cum eo qui fit media gratia habituali, cùm verſentur ex æquo circa vnum & idem planè obiectum , & quidem ſub eadem ratione formali : ergo ſi Deus diligit eum qui elicit actum dilectionis media gratia habituali , dilectione perfecta, ſeu ex perfecta amicitia , diliget etiam eum qui amabat illum per actum amoris elicitum à ſola gratia actuali : ergo actus illi dilectionis Dei non poterunt eſſe, niſi à gratia habituali.

E

Solutio.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, nego primam conſecutionem , quia actus dilectionis elicitus à nobis media ſola gratia actuali , facit nos gratos Deo , cauſaliter tantùm, quatenus ſcilicet ad poſitionem huius actus infunditur gratia habitualis, non autem formaliter. Secunda verò conſecutio negatur, quia actus dilectionis poteſt eſſe ab auxilio actuali & habituali, quemadmodum & quilibet alius actus ordinis

ſupernaturalis, vt conſtat ex dictis.

Vrgebis, actum hunc dilectionis qui ſit dependenter à gratia actuali eſſe meritorium, ex communi ſententia: ergo debet eſſe neceſſariò à gratia habituali; meritum namque conſiſtere non poteſt ſinè libertate, ſtatu viæ, & ſinè gratia gratum faciente. Reſp. actum dilectionis qui eſt diſpoſitio ad gratiam habitualem obtinendam eſſe meritorium, non quidem primæ gratiæ (hæc enim non cadit ſub meritum, ſed gratis datur ex Paulo Rom. 11.) ſed gloriæ primæ, qua de re agetur ſequenti quæſt. ad art. 3. & 4. notabili vltimo.

Quartò probatur Concluſio: fieri non poteſt vt aliquid operetur phyſicè antequàm ſit, ſaltem in ratione cauſæ principalis: at gratia habitualis non eſt in eſſe actualis exiſtentiæ pro eo inſtanti in quo actus dilectionis exercetur: nam ſupponimus actum hunc dilectionis eſſe diſpoſitionem ad gratiam habitualem conſequendam; diſpoſitio autem omnis præcedit formam cuius eſt diſpoſitio, ſi non tempore, ſaltem natura.

Denique, implicat vnum & idem eſſe principium & finem vnius, & eiuſdem mutationis: at ſi actus dilectionis, qui eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, ſit effectiuè à gratia iuſtificante, hęc erit principium & finis iuſtificationis: nam volunt authores iſti actum dilectionis, qui eſt principium noſtræ iuſtificationis, eſſe effectiuè à gratia iuſtificante: & præterea erit hæc eadem finis iuſtificationis, quia terminus acquiſitus per actionem iuſtificationis nullus alius eſt à gratia habi-
D. Thom. tuali: hæc Concluſio eſt apertè D. Thomæ, hoc loco, licèt citetur ab authoribus contrariæ ſententiæ in eorum fauorem, & q. 62. a. 2. ad 3. 1. par. & in 2. 2. q. 109. a. 6. Ægidij in 2. diſt. 5. q. 18. Thomæ Argent. ibidem quęſt. vnica. Scoti in 4. diſt. 14. quæſt. 2. & aliorum recentiorum hoc loco.

Diſſolutio argumentorum. Ad rationes verò contrarias reſpond. ad 1. Deum eadem ratione diligere eum à quo diligitur; amatur autem Deus ab eo qui exercet actum contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, dependenter à gratia actuali tantùm imperfectè; non autem ex perfecta amicitia, vt monui in antecedentibus: vnde idem quoque dicendum eſt de Deo.

Ad 2. actum contritionis, vel dilectionis, nuſquam reperiri in homine ſimul cum peccato mortali phyſicè & realiter; quia tamen in infuſione gratiæ, & in diſpoſitione neceſſaria ad huius infuſionem concipiuntur duo inſtantia naturæ; alterum in quo actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia exercetur; alterum in quo gratia ipſa infunditur, idcircò fatemur actus contritionis, vel dilectionis, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem obtinendam, non eſſe effectiuè à gratia habituali, ſed tantùm à gratia actuali.

Articvlo 9. Docet iuſtificationem comparatam cum termino creationis eſſe præſtantiorem creatione; comparatam verò cum modo eiuſdem, eſſe minùs perfectam: ratio prioris documenti eſt, quia terminus iuſtificationis eſt res aliqua ſupernaturalis, & quidem ex ſe, & ſua natura; terminus verò creationis eſt ordinis naturalis, ſupernaturale autem, vt ſic, eſt nobilius quocumque naturali. Ratio verò poſterioris eſt, quia creatio excludit omne planè ſubiectum: cùm ſit productio entis ex nihilo; iuſtificatio verò præſupponit ſubiectum, vt pote quæ ſit tranſitus à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ: diximus autem gratiam educi ex potentia obedientiali animæ, & pendere ab ea in eſſe, fieri, & conſeruari.

Articvlo vltimo. Docet iuſtificationem poſſe dici miraculoſam, ſi nomine miraculi intelligatur opus à ſolo Deo productum, velut à cauſa principali: certum autem eſt Deum eſſe cauſam principalem iuſtificationis impij, ex illo Iſaiæ; *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Si verò nomine miraculi intelligatur opus rarum & inſolitum à ſolo Deo factum, capacitatem naturæ tranſcendens, quemadmodum communiter vſurpatur, de iuſtificatione non eſt concedendum quòd ſit miraculoſa: hæc enim quotidie contingit diuina bonitate & miſericordia. Poteſt & alio modo iuſtificatio impij dici miraculoſa, putà quotieſcumque contingit impium adultum iuſtificari ab impietate ſua, ſinè vlla diſpoſitione quæ teneat ſe ex parte illius: hac ratione aſſerunt plerique Paulum fuiſſe iuſtificatum quando proficiſcebatur Damaſcum, vt vinctos duceret Chriſtianos illic agentes, vt habetur Actuum 9.

Iſaï. 43. ℣. 25.

QVÆSTIO CXIV.

De Merito.

ARTICVLVS PRIMVS.

An poſſit homo aliquid mereri à Deo.

DVBITATIO PRIMA.

An inter Deum, & creaturam poſſit dari meritum, aut, vt volunt alij; An poſſit creatura mereri aliquid apud Deum.

Pars negans Hæreticorũ.

HÆRETICI noſtri temporis partem negantem affirmant. Quòd dicatur Rom. 8. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. ℣. 18.

Deinde, quia aliter irrogaretur iniuria meritis Chriſti; hic enim pleniſſimè nobis meruit vitam æternam, & ſatisfecit pro peccatis noſtris; propter quam cauſam dicitur apud Dauidem de ſatisfactione Chriſti, quòd fuerit copioſa. Pſal. 130. ℣. 7.

Denique, SS. Patres docent Deum coronare in nobis ſua dona: ità D. Auguſt. epiſt. 105. *Cùm Deus* inquit, *coronat merita noſtra, nihil aliud coronat quàm munera ſua:* Durãdus verò in 1 diſt. 17. & in 2. diſt. 27. & in 2. diſt. 18. contendit creaturã nõ poſſe propriè aliquid mereri de Deo, atque adeò neque condignè. Primùm, quia fieri nequit vt aliquis promereatur aliquid apud aliquem, niſi quoque præſtet quidpiam quod cedat in commodum & vtilitatem remunerantis; at nihil eſt quod creatura exhibere poſſit, ex quo ſequatur vtilitas aliqua Deo; Iob quippe 35. dicitur; *Si iuſtè egeris quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Iob. 35. ℣. 7. *D. Auguſt. Durand.*

Quod

Quod idem eſt ac ſi diceret, nihil : ergo nullus propriè poterit aliquid mereri in ordine ad Deum.

Deinde probatur hæc eadem minor : Nihil eſt in nobis, nec in operibus noſtris, etiam honeſtis, quod non magis pertineat ad Deum, quàm ad nos; ex plenitudine ſiquidem dominij quod Deus habet in res omnes, iure creationis & conſeruationis, omnia ſibi planè vendicat : ergo non poſſumus aliquid præſtare quod cedat in commodum & vtilitatem Dei.

Præterea, ſi poſſumus mereri apud Deum, id certè contingit actionibus honeſtis; at mediis iſtis actionibus non poſſumus mereri propriè reſpectu Dei, vel enim operationes hæ ſunt in præcepto, vel in conſilio : Si primum, ratione obligationis debentur Deo; ſi ſecundum adhuc multò copioſiores ei perſoluendæ ſunt gratiæ, putà qui voluit actiones has eſſe tantùm in conſilio, cùm potuerit nos obligare ad earum executionem, ex vi alicuius præcepti.

Denique, ex doctrina D. Thom. hoc loco ab omnibus recepta, meritum propriè dictum nequit conſurgere inter duos, niſi ex vi operis meritorij remunerator conſtituatur debitor; ità vt teneatur hic reddere præmium correſpondens iſti merito : at Deus nequit eſſe debitor creaturæ (cùm iure creationis & conſeruationis omnia ipſi debeantur) igitur neque hæc poterit promereri in ordine ad ipſum.

Creatura poteſt mereri vere apud Deum. Trident.

CONCLVSIO *Creatura poteſt apud Deum verè & propriè mereri aliquid* : hæc eſt de fide, & definita in Trident. *Bene operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.* ſeſſ. 6 cap. 16. & can. 26. *Si quis dixerit iuſtos non debere pro bonis operibus expectare & ſperare à Deo retributionem æternam, anathema ſit.* & can. 32. *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera, ità eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita : aut, ipſum iuſtificatum, bonis operibus quæ ab eo fiunt non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, &c, anathema ſit.* Et in Concilio Arauſicano II. can. 18. *Debetur merces debonis operibus, ſi fiant : ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* & Lateranenſi ſub Innocentio III.

Arauſican. Lateran.

Deinde, hoc ipſum colligitur ex illis omnibus locis Scripturæ, in quibus retributio vitæ æternæ nuncupatur merces : ità dicitur Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis* & 2. Paralip. 15. *Erit merces operi veſtro.* & Sap. 5. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum.* & Geneſ. 15. *Ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis*, ait Deus ad Abraham : merces autem reſpicit meritum, ſicut & pœna reſpicit demeritum.

Mat. 5. ℣. 12. 2. Paral. 15. ℣. 7. Sap. 5. ℣. 16. Gen. 15. ℣. 1.

Tertiò, ex illis locis in quibus dicitur de beatitudine æterna quòd ſit corona iuſtitiæ : ità 4. poſterioris ad Timoth. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Hebr. 6. *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri* : At corona nequit dici propriè, niſi dependenter à merito propriè dicto; rectè enim docet Ariſtotel. in Eth. ad Nicomachum, neminem laudari, aut vituperari ab iſs, quæ natura nobis indidit; ſed propter ſolas honeſtas, & liberas actiones : iſtis ſiquidem

2. Tim. 4. ℣. 7. & 8. Heb. 6. ℣. 10. Ariſtotel.

A debetur tantummodo præmium, quemadmodum debetur vituperium & pœna actionibus inhoneſtis Idem docent ſancti Patres D. Auguſtinus, de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 25. *Diligamus*, inquit, *Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, quicumque ad vitam æternam peruenire propoſuimus. Vita enim æterna eſt totum præmium, cuius promiſſione gaudemus, nec præmium poteſt præcedere merita, & prius homini dari, quàm dignus ſit* : & epiſt. 105. & Pſalm. 83. 93. & 100. & in Enchiridio ad Laurentium, cap. 106. & 107. Baſilius ſerm. de exercitatione monaſtica. *Cuſtodientibus mandata Dei retributio multa, merces nimirum illa copioſa, & corona iuſtitiæ*, &c. Chryſoſtom. concione 4. de Lazaro. *Ambo ſiquidem*, inquit, *pro dignitate recipient illic*, (loquitur de Diuite & Lazaro) *hic quidem coronas patientia toleratiaque : ille verò ſupplicia, panáſque improbitatis.* Ignatius in epiſtola ad Epheſios, Origenes ad cap. 2. in epiſt. ad Rom. & Irenæus lib. 4. aduerſus hæreſes.

D. Auguſt. Baſilius. B Chryſoſt. Ignatius. Origen. Irenæus.

Ad rationes verò hæreticorum reſpond. Ad 1. ex eo teſtimonio Pauli tantum probari, actiones noſtras non eſſe meritorias, ſi ſpectentur vt ſunt à nobis tantùm; ſecus verò vt ſunt à nobis, & à gratia Dei ſimul; rectè ſiquidem à Paulo, dictum eſt; *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* & apud Ioan. cap. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia* : media ergo iſta gratia C poterit quilibet noſtrûm mereri apud Deum actionibus liberis & honeſtis.

Diſſoluuntur argumenta hæreticor. Phil. 4. ℣. 13. Ioan. 1. ℣. 16.

Ad 2. Nihil detrahi meritis Chriſti etiamſi homo ſuis actionibus mereatur, cùm huiuſmodi actiones non ſint meritoriæ, niſi dependenter à meritis Chriſti : dicitur namque Ioan. 15. *Sinè me nihil poteſtis facere*, quòd ſcilicet conducat ad vitam æternam obtinendam, & rurſus : *Niſi palmes manſerit in vite, non poteſt fructum ferre* ; Cùm ergo Chriſtus ſit vitis, & nos palmites ex cap. 18. eiuſdem, quamdiu palmes inhæret viti Chriſto, quilibet noſtrûm poterit ferre fructum dignum retributione vitæ æternæ.

Id. 15. ℣. 5.

Accedit etiam, quod doceamus Chriſtum ſua D morte nedum meruiſſe nobis vitâm æternam, ſed etiam effeciſſe vt nos ipſi poſſemus etiam hanc eamdem vitam æternam promereri, ac proinde dilatantur in nobis merita Chriſti, non autem conſtringuntur, vt nugantur hæretici.

Ad vltimam. Deum ideo coronare in nobis ſua dona, quia merita noſtra non ſunt talia, niſi cum dependentia à gratia gratum faciente, quæ gratuito & liberaliter tribuitur nobis : ceterùm cum iſtis rectè cohæret vt actiones noſtræ ſint verè meritoriæ vitæ æternæ, idque propter condignitatem, quam retinent cum vita æterna, & ſuppoſita diuina promiſſione de remunerandis bonis operibus præmio vitæ æternæ, vt probabitur infrà.

E

Ad rationes vero Durandi reſpondeo. Ad 1. ex eo argumento tantùm colligi, non poſſe aliquid nos Deo dare quod habeat rationem donationis propriè dictæ, ità vt vel de nouo acquirat Deus dominium in rem aliquam, quod antea non habuerit, ac proinde quod ditior quodammodo fiat, vt rectè notat D. Thomas in reſponſione ad 2. huius articuli : poteſt tamen quilibet noſtrûm aliquid exhibere Deo in quo complaceat, quódque adeò ſit illi gratum, vt notat loco citat. D. Tho. vnde poterunt operationes noſtræ factæ ex gratia eſſe meritoriæ apud Deum, verè, ac propriè loquendo de meritonec enim neceſſe eſt ad meritú

Durandi rationibus ſatisfit.

Digitized by Google

propriè dictum quod conferatur aliquid Deo ex quo ditior fiat; sed satis est si id quod datur offeratur illi secundum suam intentionem, & consequenter, quòd Deus in eo complaceat; complacere autem sibi Deum in actionibus nostris ex gratia factis, indubitatum est ex innumeris Script. locis, 1. Ioan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* & alibi.

1. Ioan. 4. ℣. 6.

Ad 2. Respondeo, probare tantùm inter Deum & creaturam rationalem non consurgere meritum, cui debeatur merces ex æquitate iustitiæ commutatiuç, aut distributiuæ, vt probabitur infra; secus verò non oriri meritum ex condignitate operis, & ex vi diuinæ promissionis: qua ratione contendimus operationes nostras esse meritorias propriè apud Deum.

Ad 3. Quemadmodum ad 2.

Ad vltimam. D. Thomam non audere affirmare hoc in loco Deum constitui debitorem creaturæ, sed tantùm vi suæ ordinationis ex bonis operibus à nobis factis. Cæteri tamen Theologi in 1. dist. 17. in 2. dist. 27. & in 3. audacter pronuntiant Deum esse debitorem ex vi operis meritorij creaturæ rationali, ità vt teneatur hic reddere præmium debitum actionibus ex gratia factis: imò hoc docent Patres verbis expressis, vt postea probabitur.

Deinde, quilibet potest seipsum obstringere ad aliquid præstandum; Deus autem est quàm maximè liber in actionibus ad extra, quid igitur mirum si dicamus Deum esse debitorem creaturæ rationali respectu retributionis vitæ æternæ? cùm ipse dixerit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Matth. 19. & alibi. *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Respondet Christus. *In lege quid scriptum est? diliges Dominum,* &c. subiecit Christus, *hoc fac & viues.*

Matth. 19. ℣. 17. Luc. 10. ℣. 25. & 26.

DVBITATIO SECVNDA.

Quæ sint conditiones necessariæ ad meritum propriè dictum inter Deum & creaturam.

Meritum aliud de congruo, aliud de condigno.

ADuerte meritum aliud esse de congruo, aliud de condigno: hoc censetur esse meritum propriè dictum, illud autem impropriè: primum esse censetur opus honestum à creatura rationali factum, cui debetur merces aliqua, cetèrùm ex gratuita & liberali beneuolentia remunerantis: secundum verò definitur opus honestum ex gratia factum ab homine in hac vita constituto, ad aliud ordinatum, cui vel ex æquitate iustitiæ, vel ex condignitate operis, & diuinæ promissionis debetur merces adæquata. De hoc merito inter Deum & creaturam disputatur hoc loco.

Porrò præsens Dubitatio maioris explicationis gratia tollitur sequentibus Dubitatiunculis.

DVBITATIVNCVLA PRIMA.

An libertas sit simpliciter necessaria ad meritum de condigno inter Deum & creaturam.

Libertas simpliciter necessaria ad meritum

REspondeo, *affirmatiuè*: dicitur enim posterioris ad Timoth. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*: legitimè autem certare nihil aliud est hic quàm liberè, & cum gratia honestas operationes exercere, ex communi doctrina Patrum, & Eccli. 15. *Deus ab initio constituit hominem & reliquit eum in manu consilij sui.* & in epist. ad Philemonem. *Ne velut ex necessitate esset bonum tuum, sed voluntarium.*

2. Tim. 2. ℣. 5. Eccles. 15. vers. 14. Philemon. vers. 14.

Deinde, hæc est expressa Patrum sententia; maximè verò Tertulliani lib. 2. contra Marcionem cap. 6 *Quoniam & aliàs positum hominem sub iudicio Dei, oportebat iustum illud efficere de arbitrij sui meritis, liberi scilicet. Cæterùm nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.* Damascenus lib. 2. de fide cap. 26. & 27. Nazianz. orat. 40. in fine, & denique Bernard. lib. de gratia, & libero arbitrio, & sermo. 81. in Cantica.

Tertul. Damasc. Nazianz. Bernard.

Denique, meritum nequit consistere, nisi sit in genere moris, & nisi habeat rationem actus honesti; quemadmodum demeritum censetur esse aliquis actus turpis, vnde etiam pertinet ad genus moris: at actus humanus non potest esse humanus sinè libertate, nec item ens morale potest absque libertate consurgere, vt in materia de actibus humanis ostensum est: ergo ad opus meritorium est necessaria libertas in operante.

DVBITATIVNCVLA SECVNDA.

Quæ libertas sit necessaria ad meritum de condigno.

Libertas à coactione non sufficit.

REspondeo, *Libertatem à coactione non sufficere ad meritum*; Hæc enim datur in brutis, quæ tamen nullo modo mereri possunt. Deinde, actus visionis & amoris essentiæ diuinæ in beatis, sunt liberi à coactione; & tamen nulla ratione censentur meritorij, sed tantùm voluntarij, seu spontanei.

Libertas contrarietatis non est necessaria.

Respondeo 2. *Libertatem contrarietatis non esse necessariam ad meritum*: Christus enim meruit sibi corporis glorificationem, & nominis exaltationem sua morte, ex cap. 2. ad Philipp. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum,* &c. at libertas contrarietatis non fuit in Christo: hæc enim tendit in bonum & malum, Christus autem nulla ratione potuit velle malum, vt alibi ostendetur: ergo & libertas contrarietatis non est necessaria ad rationem meriti: Idem patet in beatis, & Deo, qui sunt liberi, & tamen non possunt ferri in malum, sed tantùm in bonum.

Philip. 2. ℣. 8. & 9.

Libertas contradictionis aut contrarietatis sufficit ad meritum.

Respondeo 3. *Libertatem contradictionis vel contrarietatis sufficere ad meritum de condigno* Ità communiter omnes. Deinde, quia cùm libertas sit simpliciter necessaria ad meritum, nec alia assignetur præter eam quæ est à coactione contrarietatis, & contradictionis; dixerimus autem libertatem à coactione non esse necessariam, sicut nec libertatem contrarietatis: ergo sufficiet libertas contrarietatis aut contradictionis: hinc Christus verè meruit, & quidem condignè, in quo tamen fuit libertas contradictionis tantùm. Quilibet etiam ex nobis constitutus in gratia & in via meretur, qui sumus liberi libertate contrarietatis & contradictionis: vbi aduerte nomine libertatis contradictionis, significari hanc facultatem, quæ versatur circa duo contradictoria, qualia sunt, v. g. orare, & non orare pro aliquo: item ferri in hoc bonum, & non ferri: ea verò dicitur

dicitur libertas contrarietatis quæ verſatur circa duo contraria, vt bonum & malum, vt diximus ſupra. A

Obiectio. Obijcies, Chriſtum meruiſſe per actum acceptationis ſuæ mortis, & etiam per actus dilectionis Dei ſuper omnia, & tamen actus iſti non fuerunt in eo liberi, aliàs de eo eſſet concedendum quod potuiſſet peccare, putà ſi non acceptaſſet mortem ſibi indictam à Patre: hac enim ratione violaſſet præceptum de morte ſuſtinenda, nomine quorumcumque mortalium, ſibi à Patre impoſitum: actus item dilectionis Dei ſuper omnia cùm verſetur circa diuinam eſſentiam clarè viſam fuit in Chriſto neceſſarius; beatitudo quippe illius poſita eſt in iſto actu: ergo nec potuit mereri. B

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem: potuit enim Chriſtus acceptare, vel non acceptare mortem; non quidem contrariè, ſed contradictoriè ſpectatam: non enim potuit non obedire præcepto ſibi impoſito, vt bene probat argumentum, ac proinde, ſi non mori, ſumatur pro actu contrario virtuti obedientiæ, non potuit Chriſtus non mori; ſi vero hæc eadem particula ſumatur contradictoriè, præſcindendo à præcepto, atque adeò in vniuerſum loquendo, potuit non mori: ità enim opponitur non mori, mori: quæ duo poſſunt habere locum in quolibet animali, præſcindendo à præcepto, & conſequenter in Chriſto quatenus eſt homo, ſed de C his ex profeſſo ad 3. part. quæſt. 19. art. 4. Dub. 2.

Obiectio 2. Obijcies 2. Propterea actus noſtros liberos, ex gratia factos eſſe meritorios, quia fuerunt acceptati à Deo ad vitam æternam, atque etiam ordinati: at tam verè potuit Deus ordinare actiones iſtas, & eaſdem acceptare ad vitam æternam, quàm liberas.

Solutio. Reſpondeo, id poſſe quidem Deum præſtare; iſtæ tamen actiones neceſſariæ non propterea eſſent meritoriæ vitæ æternæ; imò retributio vitæ æternæ quæ ex hypotheſi daretur à Deo propter iſtas operationes neceſſarias, non eſſet præmium, ſeu merces debita iſtis operationibus neceſſarijs, D ſed haberet rationem doni gratuiti, & liberalis.

Obiect. vlt. Obijcies vltimò, demeritum dari in nobis ſinè vlla libertate; peccatum namque originale reperitur in paruulis, in quibus nulla ineſt libertas, at peccatum hoc, eſt coniunctum cum demerito vitæ æternæ.

Solutio. Reſpondeo, peccatum originale ſupponere intrinſecè libertatem primi parentis: ità probabiliùs in tract. de peccato originali. Reſpondeo 2. conceſſo antecedente, negando conſequentiam; multò enim plura requiruntur ad domum conſtruendam, quàm ad deſtruendam: vnde plura quoque erunt neceſſaria ad meritum de condigno, quàm ad demeritum. E

DVBITATIO TERTIA.

An bonitas moralis vel ſupernaturalis ſit neceſſaria ad meritum inter Deum & creaturam.

Matth. 25. ℣. 34. Ioan. 5. ℣ 29. *Bonitas moralis neceſſaria eſt ad meritum.*

CONCLVSIO *Affirmatiua*: dicitur enim Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, &c. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, &c.* & Ioan. 5. *Procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.*

Deinde, malitia eſt ſimpliciter neceſſaria ad demeritum: ergo & bonitas ad meritum.

Tertiò, meritum dicit condignitatem cum præmio, & facit debitorem remunerantem, ex doctrina D. Thomæ in hoc art. ſed præmium quod confert Deus meritis noſtris eſt verè bonum; cùm habeat rationem beatitudinis eſſentialis, ſaltem ſi ſumatur præmium hoc, vt eſt viſio & amor diuinæ eſſentiæ: ergo bonitas moralis eſt neceſſaria.

Obiectio. Obijcies, Deum remuneraſſe aliquando actiones hominum infidelium, vt conſtat ex obſtetricibus filiorum Iſraël. *Exod.* 1. & ex Rahab hoſpita exploratorum terræ promiſſionis, *Ioſue* 2.

Denique, ex Romanis quibus Deus contulit exercitum fortem, imperium tutum, populum obſequentem, vt loquitur D. Auguſt. 12. lib. 5. de Ciuit. & tamen in iſtis nulla fuit vera virtus, ex eodem ibidem, ſicut & cap. 13. ergo. Auguſt.

Solutio. Reſpondeo, Deum nuſquam remuneraſſe actiones malas etiam præmio temporali; præmium ſiquidem ità reſpicit meritum, vt deſinat eſſe præmium, niſi dependenter à merito; nequit autem conſurgere meritum ſinè bono naturali, vel ſupernaturali: quando ergo Scriptura & Patres aſſerunt Deum remuneraſſe actiones infidelium, hoc non eſt intelligendum de actionibus, quæ ſunt peccata; ſed de bonis bonitate morali, quæ locum habuerunt in infidelibus: diximus enim aliàs non omnes actiones hominum infidelium eſſe peccata, ſed extare in illis aliquas honeſtas & laudabiles: obſtetricibus ergo filiorum Iſraël contulit Deus præmium temporale propter bonum earum affectum erga populum Hebræorum, ac eadem de cauſa affecit præmio Rahab; hæc enim ſe gratam & officioſam præſtitit erga exploratores terræ promiſſionis. In Romanis autem extitiſſe virtutes morales aſſerit Auguſt. loco cit.

Ad id verò quod dicitur nullas veras fuiſſe in Romanis virtutes. Reſpondeo voluiſſe Auguſtinum charitatem non habuiſſe locum in Romanis, quam vocat veram virtutem, quòd hęc ſit forma virtutis in ratione virtutis ſimpliciter, vt probant Theologi cum D. Thom. in tractatu de charitate, fuerunt tamen in illis verę virtutes, loquendo de virtute in ratione habitus honeſti moralis.

DVBITATIO QVARTA.

An ſtatus via ſit neceſſarius ad meritum inter Deum, & creaturam.

CONCLVSIO *Affirmatiua*. Primùm quia Ioan. 9. dicitur: *Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt: venit nox*, id eſt mors, *quando nemo poteſt operari.* & apud Eccleſiaſtem cap. 9. *Quandocumque manus tua poteſt facere, inſtanter operare.* & Galat. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Ioan. 9. ℣. 4. Eccli. 9. ℣. 10. *Status via requiritur ad meritum de lege.*

Deinde, dicitur in ſacris literis facile eſſe Deo reddere vnicuique iuxta vias ſuas in exitu ſeu termino vitę, Eccleſ. 11. *Facile eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem, benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat, & in hora veloci proceſſus illius fructificat.* 2. Cor. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum.* Eccleſ. 11. ℣. 23. & 24. 2. Cor. 5. ℣. 10. Galat. 6. ℣. 10.

Tertiò, agentes in cœlis exercent operationes innumeras bonas, ſicut & conſtituti apud inferos infinitas malas, & tamen iſti non merentur, ne-

Digitized by Google

que demerentur aliquid, cuius rei nulla alia assignatur causa, nisi defectus viæ, ex communi doctrina.

Non de penitentia absoluta.

CONCLVSIO 2. *Status viæ est necessarius ad meritum inter Deum & creaturam, de lege communi tantùm, non autem ex natura & essentia meriti.* Probatur posterior pars: Christus & sibi, & nobis meruit, ex 2. ad Philip. at hic fuit beatus etiam in primo instanti suæ conceptionis.

Deinde, diximus Christum meruisse actionibus visionis & amoris diuinæ essentiæ, non quidem præcisè spectatis, sed ex vi ordinationis liberæ ab eo factæ in generis humani reparationem.

Tertiò, agentes in Purgatorio, ex quorumdam opinione, promerentur remissionem peccatorum venialium in quibus decesserunt, & quidem dependenter ab actibus contritionis, vel dilectionis quos illic exercent.

Quartò. non repugnat rem adeptam & verè possessam cadere sub meritum; imò Magister. Sententiarum lib. 2. dist. 11. verbis expressis docet, Angelos meruisse vitam æternam per bona opera subsequentia adeptionem beatitudinis eorumdem. Confirmatur: Nihil repugnat quominùs possessio data à principe militi, vt fortem se gerat in bello, de facto per ista merita subsequentia comparetur, veluti præmium sibi debitum: ità docent & veteres & recentiores Scholastici, pluribus verò Lorca, disp. 42. de gratia.

Obiectio. Obijcies, meritum nihil aliud esse, quàm tendentiam ad præmium: ergo.

Solutio. Respondeo, negando antecedens, absolutè & simpliciter loquendo; de lege quippe communi tantùm est meritum prius esse præmio, vt docuimus.

Obiectio 2. Obijcies 2. Agentes in cœlis mereri nobis conuersionem nostram, & augmentum gratiæ suis precibus.

Solutio. Respondeo hoc esse falsum; meritum namque dicit ordinem ad præmium, & quidem ità, vt retineat perfectissimam condignitatem cum eo, & præterea constituit debitorem remunerantem, adeò vt non possit hic non reddere præmium; preces autem sanctorum, esto sint isti in cœlis, non tamen faciunt Deum ità debitorē, vt teneatur vel iustificare nos à mortali, in quo ex hypothesi versamur, vel conferre augmentum gratiæ; sed effectus hi pendent à gratuita Dei liberalitate, quamuis præmissæ sint à sanctis preces. De istis ergo concedendum est tantùm quòd sint impetratoriæ conuersionis nostræ, vel augmenti gratiæ; non autem quòd sint meritoriæ de condigno conuersionis, aut augmenti gratiæ.

Obiectio 3. Obijcies 3. Christum meruisse nobis sua morte, omnium consensu; mors autem excludit statum viæ.

Solutio. Respondeo, mortem Christi spectari vel in fieri, vel in facto esse: priori modo fuit meritoria, sibi & nobis, secus verò posteriori.

Replica. Instabis, Scholasticos Doctores communiter affirmare sacramenta fluxisse ex latere Christi; latus autem fuit apertum post eius mortem.

Dissolvitur. Respondeo, apertionem lateris Christi considerari & pro eo temporis instanti in quo fuit hæc à Christo acceptata, & ordinata ad generis humani redemptionem, posita promissione eiusdem, & respectu illius instantis in quo de facto fuit apertum Christi latus: primo modo concedendum est fuisse meritoriam, & contulisse vim iustificandi sacramentis, non autem posteriori modo; saltem si spectetur hęc apertio tantùm vt est facta post Christi mortem.

DVBITATIO QVINTA.

An promissio diuina de remunerandis bonis operibus ex gratia factis ab homine in via constituto, sit simpliciter necessaria ad meritum de condigno inter Deum & hominem.

Partis negantis argumenta.

PArtem negantem tuentur & veteres & recentiores nonnulli Scholastici; maximè verò Gabr. Vazq. disp. 114. huius partis: Probat primùm, quia de ratione meriti est, vt dicat perfectissimam condignitatem cum præmio; at condignitatem istam non potest consequi opus liberum ex gratia factum ab homine in via constituto ex Dei ordinatione; hæc enim se habet extrinsecè ad bonum opus, vt est per se notum: ergo promissio Dei non est necessaria.

Deinde, qui peccat mortaliter, secluso omni planè pacto & ordinatione diuina, incurrit reatum pœnæ æternæ: ergo idem quoque erit dicendum de eo qui bene operatur, meritoriè sibi comparare, scilicet debitum retributionis æternæ.

Tertiò, inter homines datur meritum de condigno, secluſa omni promissione: ergo idem dicendum erit de merito inter hominem & Deum.

Quartò, quodlibet bonum opus meritorium: tribuit ius ad vitam æternam, hoc ipso quòd sit à nobis liberè in hac vita, & cum charitate factum: ergo secluſa quacumque promissione.

Denique, promissio de remunerandis bonis operibus, est tantùm necessaria ad roborandam certitudinem de retributione præmij promissi: ergo opera ista ex se, & detracta promissione, debent esse meritoria de condigno præmio vitæ æternæ.

Promissio Dei est necessaria ad operum meritum.

CONCLVSIO est. *Promissio diuina de remunerandis bonis operibus, est simpliciter necessaria, ad hoc, vt operationes possint esse meritoria de condigno retributionis vitæ æternæ.* Hæc videtur esse mens D. Thomæ hoc loco; ait enim inter Deum & creaturam non posse consurgere meritum, nisi posita Dei ordinatione, qua decreuit remunerare operationes nostras ex gratia factas. Confirmatur. Nomine ordinationis diuinæ nihil aliud intellexit D. Thomas hîc, quàm promissionem de remunerandis bonis operibus præmio vitæ æternæ, vt docent Caiet. Conrad. & plerique Thomistæ hoc loco.

Deinde, opera facta à nobis in hac vita ex gratia, non possunt Deum facere debitorem retributionis vitæ æternæ; sunt enim hæc opera magis Dei, quàm nostra: certum est præterea Deum esse liberum in suis actionibus ad extra, atque adeò cùm medijs istis operibus nihil adueniat Deo de nouo, nihilque fiat in eius vtilitatem, non potest Deus fieri debitor, ex vi operationis meritoriæ præcisè, sed desideratur promissio diuina, seu pactum, vel aliquid aliud quod istis æquiualeat, per quod Deus constituatur debitor, ità vt præmium reddere teneatur.

Tertiò, debitum est ità coniunctum cum merito de condigno, vt hæc ab inuicem separari nequeant, ità D. Augustin. lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 5. *Gratiam Dei non secundum*

D. Aug.

Digitized by Google

dum merita noſtra dicemus dari, ſed ſecundùm ipſius miſericordiſſimam voluntatem. & lib. 1. cap. 31. de gratia Chriſti, ideò dicit, ex meritis gratiam non eſſe, quia gratia excludit debitum; meritum verò includit debitum: imò videtur hoc aſſeruiſſe Paulus ad Rom. 4. *Ei*, inquit, *qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*; at non poteſt Deus eſſe debitor creaturæ de remunerandis bonis operibus beatitudine æterna, ſeclusa ſua promiſſione, vt author eſt Auguſt. ſerm. 16. de verbis Apoſtoli cap. 2. *Nihil*, inquit, *ei dedimus. Non eſt quemadmodum iſta voce* (ſcilicet titulo collati beneficij) *exigamus Deum debitorem*: illo ergo modo poſſumus Deum exigere titulo collati beneficij, redde quod promiſiſti. & ſerm. 3. de verbis Domini. *O magna bonitas Dei cui cùm pro conditione reddere debeamus obſequia, vtpote ſerui Domino, famuli Deo, ſubiecti potenti, mancipia Redemptori, amicitiarum præmia nobis repromittit, vt à nobis obſequia debita ſeruitutis exterquat.*

Rom. 4. v. 4.

D. Aug.

Euaſio.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ operationes noſtras non eſſe meritorias de condigno, ſecluſa promiſſione de danda gratia; hac tamen poſita in nobis, operationes iſtas ex gratia factas, eſſe meritorias de condigno vitæ æternæ.

Præludi-tur.

Ceterùm reſponſio hæc vel nihil, vel parum dicit. Primùm, quia etſi operationes iſtæ ſint à gratia, certum tamen eſt magis pertinere ad Deum, quàm ad nos ipſos, & eo nomine quòd ſunt à gratia Dei, magis tenemur nos ad perſoluendas gratias Deo de huiuſmodi bonis operibus factis, quàm ſi non acceſſiſſet iſta gratia; rectè enim ait Gregor. *Quantò magis creſcunt bona, tanto magis rationes creſcunt donorum*. Deinde, licèt Deus denegaret præmium iſtis operibus bonis, non tamen propterea diceretur hic iniuſtus, quia inter Deum & creaturam non datur vera iuſtitia, vt probabitur; neque etiam diceretur ingratus quia nihil fuit à nobis factum in commodum Dei, neque demum infidelis, quia nihil planè promiſit, vt ſupponimus. Denique, ſi operationes ex gratia factæ, vt ſic, eſſent meritoriæ vitæ æternæ de condigno, vbicumque darentur operationes iſtæ, illic & daretur meritum de condigno, reſpectu retributionis vitæ æternæ; idem namque manens idem, ſemper facit idem: at illatio iſtius propoſitionis non poteſt defendi, nam certum eſt animas exiſtentes in Purgatorio innumeras exercere operationes cum gratia; & item agentes in cœlis: imò iſtorum operationes ſunt gratiores Deo, quàm ſint illæ quæ vt plurimum fiunt à nobis.

Aliorum reſponſio. Enervatur.

Reſpondent præterea operationes factas cum gratia à beatis non eſſe meritorias, quia repugnat eſſe in termino, & mereri. Ceterùm reſponſio hæc fuit à nobis deſtructa Dubitatione proximè antecedente; diximus enim Chriſtum verè meruiſſe ſibi & nobis: & tamen fuit hic beatus à primo inſtanti ſuæ conceptionis.

Duo in merito de condigno reperiuntur.

Aduerte in merito de condigno duo reperiri; æqualitatem ſcilicet operis meritorij cum præmio & debitum retributionis, ità vt teneatur remunerator reddere mercedem debitam, vel titulo iuſtitiæ, vel condignitatis operis, vel promiſſionis ſeu fidelitatis: quando ergo diximus in Concluſione promiſſionem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad meritum de condigno, quod intercedit inter hominem, & Deum reſpectu retributionis vitæ æternæ, id venit intelligendum de condignitate operis meritorij prout dicit æqualitatem operis, & præterea debitum remunerandi: ac proinde volumus affirmare iſta duo non conſurgere in meritis noſtris, niſi acceſſerit promiſſio diuina, vel aliquid quod æquiualeat ei. Non eſt tamen negandum, quin operationes ex gratia factæ, pro eo tempore quo ſumus in hac vita, condignæ ſint, ſeu quod idem eſt, æquales præmio retributionis vitæ æternæ; tùm quia meritum de condigno diſtinguitur à merito de congruo, in eo, quod illud ſit æquale præmio, hoc verò minimè; tùm quia condignitas, ſeu æqualitas iſta cùm non poſſit peti à perſonis quæ ſcilicet meretur & remunerat (hæc enim Deus eſt, atque adeò perſona ſimpliciter infinita; illa verò cenſetur eſſe creata & finita) debet æqualitas illa peti à merito, & à præmio: tum denique, quia non propterea pœnæ quæ infliguntur peccatis mortalibus ſunt condignæ & æquales demeritis, quia Deus eas vult infligere, ſed multò magis, quia illa ex ſua natura exigunt pœnas iſtas; ergo idem erit dicendum de opere meritorio reſpectu præmij vitæ æternæ.

Diluuntur rationes contraria.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. operationes ex gratia factas eſſe condignas ſeu æquales præmio vitæ æternæ, ſecluſa promiſſione diuina, vt bene probat argumentum; non tamen conſtitui Deum debitorem reddendæ vitæ æternæ, ſecluſa ſua promiſſione, propter rationes ſupra allatas.

Ad 2. non eſſe parem rationem inter meritum & demeritum; poteſt enim quilibet facilè demereri apud aliquem, nempè omnibus illis modis quibus offenditur quilpiam: mereri autem non poteſt aliquis vel apud Deũ, vel apud hominem, niſi fecerit aliquid quod cedat in vtilitatem vel Dei, vel hominis, vel niſi acceſſerit promiſſio diuina, vel humana de remunerandis operibus noſtris, hac vel illa mercede.

Ad 3. Reſpondeo quemlibet poſſe mereri de condigno reſpectu alterius hominis etſi nulla acceſſerit promiſſio: quia ſufficit, vt aliquid fiat in commodum & vtilitatem alicuius, etiam ipſo renitente: qui enim impediret quempiam ne ſeipſum occideret, hic eo ipſo de condigno mereretur apud iſtum, cum hoc cedat in vtilitatem ipſius, vt eſt per ſe notum: ergo titulo gratitudinis teneretur hic illum remunerare.

Ad 4. Reſpondeo, opus factum ex gratia conferre ius ad vitam æternam obtinendam, iuxta modum explicatum in annotato.

Ad vltimam, promiſſionem diuinam de remunerandis bonis operibus nedum firmare certitudinem remunerationis, ſed & conferre ius ad gloriam, & præterea connectere habitudinem operis ad mercedem, quæ ex natura rei non inerat operi, niſi in aptitudine dumtaxat: diximus enim ad meritum de condigno deſiderari & æqualitatem operis cum præmio, & debitum reddendi præmium, ità vt ſinè iſtis duobus nequeat aliquid dici meritorium de condigno completè, ſed tantùm incompletè: Deus autem eſt qui ſua promiſſione ſeipſum obſtrinxit ad reddendam vitam æternam pro bonis operibus factis ex gratia & charitate.

DVBITATIO SEXTA.

An gratia ſit ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno reſpectu vitæ æternæ.

Gratia ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno de lege communi.

CONCLVSIO 1. *Gratia actualis, vel habitualis eſt ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno, reſpectu retributionis vitæ æternæ, ſaltem de lege communi.* Primùm, quia id videtur colligi

Trident. ex cap. 16. & can. 32. seſſ. 6. Concilij Trid.

Deinde, quia gratia cenſetur eſſe radix & fundamentum meriti de condigno, vt colligunt plerique ex cap. 6. Rom. *Gratia Dei vita æterna.*

Rom. 6. ℣. 23.

Tertiò, operationes noſtræ cenſentur eſſe inutiles, ex cap. 13. 1. ad Corinth. *Si*, inquit Paulus, *tradidero corpus meum, ità vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Cor. 13. ℣. 3.

Quartò, Scripturæ frequenter inculcant nos non poſſe aliquid præſtare, quod ſcilicet conducat ad vitam æternam, niſi fuerimus coniuncti cum Chriſto, Ioan. 15. *Sinè me nihil poteſtis facere.* & rurſus, *Palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite.* At hæc coniunctio cum Chriſto ſit per gratiam & charitatem; ab iſtis enim tantùm iuſtificamur formaliter, ex cap. 7. ſeſſ. 6. Trident. ergo ſunt neceſſariæ ad rationē meriti. Ità D. Thomas art. 2. huius quæſt. & eius interpretes.

Ioan. 15. ℣. 5. Id. ℣. 4.

B

Propterea autem dixi, de lege communi gratiam actualem, vel habitualem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad meritum de condigno reſpectu retributionis gloriæ; quia ſunt qui putent actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, vtpote diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem, eſſe meritorios de condigno, non quidem primæ gratiæ, quia hæc non cadit ſub meritum, ſed primæ gloriæ, de qua re infra: actus autem iſti ſunt effectiuè à gratia actuali; non autem habituali, vt probatum eſt in antecedentibus.

C

Imo de potentia abſoluta etiam.

Conclvsio 2. *De potentia Dei abſoluta fieri non poteſt, vt detur meritum de condigno ſinè gratia actuali, vel habituali.* Primùm, quia diximus gratiam actualem vel habitualem eſſe principium & fundamentum merendi.

Deinde, ad meritum de condigno deſideratur æqualitas cum præmio, & item debitum retributionis; at excluſa gratia actuali, vel habituali operationes noſtræ non poſſunt eſſe æquales præmio vitæ æternæ, cùm vt ſic ſint ordinis naturalis; vita autem æterna ſupernaturalis.

Denique, idem eſt dicendum de merito, quod de ceteris actibus ſupernaturalibus; at actus illi non poſſunt dari in nobis ſinè ſpeciali Dei auxilio, etiam per eius abſolutam potentiam: ergo neque meritum condignum; ità communiter omnes, paucis Nominalibus exceptis.

D

Obiectio. Dices, ex hac doctrina colligi Chriſtum non potuiſſe mereri ſinè gratia accidentali, quod tamen videtur abſurdum, cùm fateantur omnes dignitatem meritorum Chriſti reperendam eſſe ab vnione hypoſtatica, ſeu, quod idem eſt, à dignitate ſuppoſiti.

Solutio. Reſpondeo, negando illationem antecedentis: quando enim diximus meritum de condigno non poſſe conſurgere, etiam de potentia Dei abſoluta, ſinè gratia, dictionibus iſtis (*actuali vel habituali*) non intelleximus præcisè gratiam accidentalem, vel ſubſtantialem; gratia autem ſubſtantialis fuit in Chriſto, nedum accidentalis; & merita Chriſti conſequuntur ſuam nobilitatem à gratia ſubſtantiali non autem ab accidentali, vt bene probat obiectio; in nobis autem & in quacumque pura creatura, fundamentum meriti eſt gratia actualis, vel habitualis accidentalis. Moneo tamen non eſſe mentis noſtræ, principium meriti de potentia Dei abſoluta debere eſſe neceſſariò qualitatem aliquam; poteſt enim Deus quodcumque accidens creatum aſſumere ad hunc effectum producendum dependenter à potentia obedientiali, per quam res quælibet creatæ ſubijciuntur pleniſſimo dominio diuinæ voluntatis.

A

E

DVBITATIO SEPTIMA.

An merita de condigno ſupponant merita Chriſti.

Conclvsio *affirmatiua*, dicitur namque 2. ad Cor. 3. *Non quòd ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. Cor. 3. ℣. 5. *Merita noſtra ſupponunt Chriſti merita.*

Deinde, Ioan. 1. *De plenitudine eius*, ſcilicet Chriſti, *nos omnes accepimus & gratiam pro gratia.* Ioan. 1. ℣. 16.

Tertiò, hoc idem patet ex illis locis in quibus dicitur non poſſe nos aliquid operari, niſi dependenter à Chriſto: non eſt tamen exiſtimandum, poſita gratia gratum faciente in nobis, & promiſſione diuina de remunerandis bonis operibus præmio vitæ æternæ, merita Chriſti conferre aliquem alium valorem, ratione cuius operationes noſtræ cenſeantur eſſe condignæ intrinſecè præmio vitæ æternæ: nam diximus inter meritum & præmium reperiri perfectiſſimam æqualitatem, & condignitatem; at merita Chriſti ſe habent extrinſecè tantùm ad operationes noſtras ex gratia factas: ergo non poſſunt hæ conferre dignitatem aliquam intrinſecam bonis operibus noſtris. De hac controuerſia vide plura apud Lorcam, diſput. 46. de gratia.

DVBITATIO OCTAVA.

An retributio vitæ æternæ ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ, vel diſtributiuæ.

Conclvsio 1. *Inter Deum & creaturam non datur iuſtitia commutatiua propriè dicta.* Primùm, quia inter Patrem & filium, inter Dominum & ſeruum non datur hæc, ex Ariſtot. 5. Ethic. ad Nicom. eò quòd omnia quæ ſunt filij, ſint Patris, & quæ ſerui, Domini; at operationes noſtræ, & item illud omne quod reperitur in nobis magis eſt Dei, quàm vllius planè noſtrûm; iure ſiquidem creationis & conſeruationis omnia Deo ſubijciuntur: ergo nequit inter nos, & Deum intercedere iuſtitia. *Non datur iuſtitia commutatiua hominis ad Deum.*

Deinde, ratio iuſtitiæ commutatiuæ propriè dictæ poſita eſt in datis & acceptis, ità vt data deſinant eſſe dantis & incipiant eſſe acceptantis; at nihil eſt quod creatura poſſit tribuere Deo, ità vt acquirat nouum dominium in res iſtas datas, vt colligitur ex Paulo Rom. 11. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?* quaſi dicat neminem poſſe aliquid dare Deo donatione propriè dicta: ergo, &c. Rom. 11. ℣. 35.

Solutio aduerſariorū. Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, alienationem ſeu tranſlationem dominij non eſſe ſimpliciter de ratione iuſtitiæ commutatiuæ; ſed tantùm iuxta eum modum, quo acceptans eſt capax acceptationis, poſita ſua promiſſione de remunerandis operibus ex gratia factis.

Refellitur. Ceterùm reſponſio hæc nihil dicit, omnes enim veteres qui de iuſtitia commutatiua ſcripſerunt, rationem iuſtitiæ commutatiuæ contendunt poſitam eſſe in commenſuratione, in qua datur reparatio, ſeu, quod idem eſt, in æqualitate inter data & accepta, cū alienatione dominij ex parte dātis, & conſecutione eiuſdem ex parte acceptātis: diximus autē deū non poſſe à nobis obtinere dominiū reſpectu

reſpectu rei alicuius, certum eſt etiam Deum non amittere dominium circa præmium quod confert nobis propter bona opera facta cum gratia.

Aliorum reſponſio. Reſpondent alij, ineſſe operibus noſtris ex gratia factis modos vitalitatis & libertatis, & ità eſſe à nobis vt nulla ratione ſint Dei, & conſequenter operationes noſtras hac ratione ſpectatas tranſire in dominium Dei.

Improbatur Verùm hæc reſponſio eſt prorſus impertinens; iſti ſiquidem modi ſunt idem realiter cum actionibus voluntatis noſtræ, prout ab ea eliciuntur: modus autem eſt idem realiter cum re modificata at omnes actus voluntatis, ſpectati ſecundum entitatem quam habent à parte rei, ſubijciuntur perfectiſſime dominio Dei, cùm ſint effectus producti abipſo, velut à cauſa principali & vniuerſali.

Suarez ſoluto. Suarez verò, & alij cum eo reſpondent translationem dominij, ſeu alienationem à re data, non eſſe de ratione iuſtitiæ commutatiuæ ſimpliciter & abſolutè; ſed ſolùm vt iuſtitia hæc exerceatur inter homines: hæc tamen reſponſio exploditur multis à Vazq. diſp. 85. ad 1. p. D. Thomæ q. 21.

Impugnatur. Deinde, omnes qui hactenus aliquid poſteritati commendarunt tum Theologi, tum Philoſophi docuerunt rationem iuſtitiæ commutatiuæ poſitam eſſe in datis & acceptis, reddendo æquale perfectiſſimè cum alienatione dominij.

Tertiò, quod conuenit intrinſecè & eſſentialiter alicui rei, non poteſt ab ea ſeparari, etiamper omnipotentiam Dei, omnium conſenſu: atqui alienatio dominij circa data & accepta conuenit iuſtitiæ commutatiuæ eſſentialiter, ex doctrina Ariſtot. & omnium veterum: ergo non poteſt ab illa ſeparari.

Replica. Dices, rationem iſtam nihil probare, ex ea quippe colligitur attributa quæ dicuntur de rebus creatis non poſſe enunciari de Deo; quod tamen manifeſtè falſum eſt: Deus enim dicitur ens, ſubſtantia, volens, idque propriiſſimè.

Diſſoluitur. Reſpondeo attributa creata, alia eſſe ſynonima, analoga alia: illa nulla ratione enunciantur de Deo & creaturis; probabilius enim docetur nihil eſſe commune Deo, & creaturis ſynonimè: hęc verò dicuntur de Deo, & creatis, quòd nempe præſcindi poſſunt ab imperfectione cum qua reperiuntur in rebus creatis; iuſtitia autem commutatiua cenſetur eſſe attributum quod dicitur ſynonimè de rebus creatis, atque adeò cùm ità coniunctum ſit cum imperfectione à qua ſeparari nequit non poterit enunciari de Deo propriè & ſecundum formalem rationem.

Alia replica. Dices, promiſſionem inducere debitum iuſtitiæ, vt patet ex eo qui agrum alterius coluit tota die, ex conuentione de tanto pretio reddendo, agricola hic exigit pretium ſibi promiſſum poſita veſpera, & quidem ex æquitate iuſtitiæ: ergo idem aſſerendum erit in noſtro caſu.

Enervatur. Reſpondeo negando antecedens, promiſſio enim de remunerando bono opere, loquendo in vniuerſum, inducit tantùm debitum fidelitatis, qui enim non ſtat promiſſis infidelis dicitur, non iniuſtus. Ad id verò quod ſubiungitur in antecedentis confirmationem, reſpondeo agricolam iſtũ exigere pretium promiſſum duplici titulo; altero ex vi promiſſionis, dum enim non redditur, verè qui promiſit infidelis eſt: deinde titulo iuſtitiæ: nam hic ſuo labore præſtitit aliquid quod ceſſit in vtilitatem poſſeſſoris agri, vnde & conſequutus eſt commodum ex labore iſtius: tenetur ergo ex æquitate iuſtitiæ reddere mercedem promiſſam.

Inſtabis Scripturam ſignificare Deum eſſe iuſtum, & quidem maximè in remunerandis bonis actionibus: *Juſtus es, Domine, & rectum iudiciũ tuum.* *3. Replica.* Pſal. 118. ℣. 137.

Reſpondeo ex hoc loco, & alijs tantùm colligi dari in Deo iuſtitiam legalem, qualis eſt ea quæ reperitur in omni planè virtute, & quæ facit vt reddatur vnicuique quod eſt ſuum eſt; non autem propriam iuſtitiam commutatiuam. Reſpondeo 2. probare tantùm locum hunc, in retributione vitę æternæ reperiri aliquem modum iuſtitiæ commutatiuæ, non autem iuſtitiam commutatiuam propriè & formaliter. *Explicatur*

Aliorum ſoluitur. Alij verò reſpondent ex operibus noſtris meritorijs aduenire Deo honorem & laudem, atque adeò poſſe operationes iſtas remunerari præmio vitæ æternæ ex debito iuſtitiæ: qui enim aufert honorem debitum proximo, hic contra iuſtitiam peccat, vt fatentur omnes communiter: ergo qui reddit honorem alicui debitum exercet actũ iuſtitiæ.

Infirma omnino. Verùm reſponſio hæc vel nihil, vel parum dicit; cum enim Deus ſit actus puriſſimus, cenſetur etiam expers omnis potentialitatis & conſequenter receptionis alicuius rei de nouo: quod tamen eſt neceſſarium ad rationem iuſtitiæ commutatiuæ. Ad id vero quod dicunt, eum peccare contra iuſtitiam qui honorem debitum non reddit proximo. Reſpond. hoc eſſe verum, ſi ſermo ſit de honore debito creaturæ rationali; datur enim inter creaturas rationales iuſtitia commutatiua propriè dicta: propoſitio tamen prædicta falſa eſt, ſi intelligatur de honore debito Deo, hic enim honor non fundatur in æquitate iuſtitiæ: ſed in ſupremo dominio quod datur in Deo, ità vt Deus ſit colendus, adorandúſue adoratione latriæ, propter increatam eius excellentiam: qui ergo aufert honorem Deo debitum contra excellentiam iſtam peccat.

D. Thom. Replica. Dices, D. Thomam 2. 2. quæſt. 61. art. 4. ad 1. docere iudicium generale futurum ſecundum formam iuſtitiæ commutatiuæ; *prout recompenſat præmia meritis, & ſupplicia peccatis.*

Diſſoluitur. Reſpondeo cum Thomiſtis ibidem, iudicium generale futurum ſecundum formam iuſtitiæ commutatiuæ, non quidem ſimpliciter & abſolutè; ſed hoc ſolo nomine quod modus aliquis iuſtitiæ commutatiuæ habiturus ſit locum in forma iudicij generalis; modus autem hic in eo poſitus eſt quod pœnę, & item præmia futura ſint æqualia meritis, & demeritis cuiuslibet, iuſtitia autem commutatiua facit æquale inter data, & accepta, ex loco cit. Ariſt.

Collatio vitæ æternæ non eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ. Conclvsio 2. *Retributio vitæ æternæ non eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ.* Primùm, quia talis iuſtitia non datur inter Deum & creaturam.

Deinde, quia ſi aliter res haberet id eſſet vel ante promiſſionem diuinam de remunerandis bonis operibus præmio vitæ æternę, vel poſt: non primum, quia ſola promiſſione Deus poteſt conſtitui debitor; debitum autem eſt ſimpliciter neceſſarium, vt collatio vitę æternæ dici poſſit actus iuſtitiæ commutatiuæ: non etiam ſecundum, quia poſita tali promiſſione operationes noſtræ non minùs pertinent ad Deum, quàm bona filij ad patrem: at inter patrem & filium non intercedit iuſtitia commutatiua, ex dictis: ergo.

Deniq; quiliber actus iuſtitię commutatiuæ eſt coniunctus cum alienatione dominij, ſed collatio vitæ æternę non admittit alienationem dominij quod Deus habet circa huiuſmodi vitam æternam, vt eſt per ſe notum.

Nec distribuitur.

CONCLVSIO 3. *Largitio vitæ æternæ non est actus iustitiæ distributiuæ.* Primùm, quia iustitia hæc nullum habet locum in Deo.

Deinde, ratio iustitiæ distributiuæ posita est in administratione bonorum alicuius communitatis, comparando personam cum persona, & munus cum munere; ità vt plus detur duci, verbi gratia, quàm signifero: minùs militi, quàm illis duobus, iáque propter dignitatem quam illi habent in republica, quæ tamen non est in milite: vnde iustitia distributiua non remunerat iuxta merita cuiuslibet, sed tantùm iuxta dignitatem diuersam, quæ datur in illis qui remunerantur: atque adeò non facit etiam hæc iustum simpliciter, nec æquale, sed tantùm secundum quid, in ordine scilicet ad proportionem Geometricam: iustitia verò commutatiua facit iustum simpliciter, secundum proportionem Arithmeticam: atqui retributio vitæ æternæ respicit adæquatè & perfectissimè merita cuiuslibet, ità vt detur perfectissima æqualitas inter præmiũ & meritũ: ergo non potest esse actus iustitiæ distributiuæ.

Retributio gloriæ habet modum iustitiæ commutatiuæ.

CONCLVSIO VLTIMA. *Collatio vitæ æternæ habet modum aliquem iustitiæ commutatiuæ:* Quia illic datur aliquis modus iustitiæ commutatiuæ, vbicumque reperitur æqualitas perfectissima inter meritum & præmium: iustitia enim dicta facit perfectè æquale, seu quod idem est, iustum simpliciter; atqui retributio vitæ æternæ perfectissimam retinet æqualitatem cum meritis in hac vita factis, ex cap. 9. 2. ad Corinth. *Qui parcè seminat, parcè & metet.* & rursus. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.*

2. Cor. 9. ℣. 6. Galat. 6. ℣. 8.

Deinde, inflictio pœnarum in damnatis, imitatur modum aliquem iustitiæ commutatiuæ, vt colligitur ex locis Apoc 18. *Quantũ glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* & Deut. 25. *Promẽsura peccati, erit & plagarum modus.*

Apoc. 18. ℣. 7. Deut. 25. ℣. 2.

Obiectio.

Dices, Deum neminem punire iuxta condignum, & remunerare vnumquemque in cœlis vltra condignum, vt docet Magister in 4. dist. 46. & ibidem communiter Sententiarij. Respondet Vega, & alij, propositionem prædictam Magistri esse simpliciter falsam; ceterùm minùs rectè: nam hæc admittitur nedum à Scholasticis, sed & à Patribus: imò videtur probari ex illo Lucæ 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*

Luc. 6. ℣. 38.

Solutio.

Respondeo præterea, Deũ remunerare vnumquemque vltra condignum, dando vitam æternam, quia datur aliquid in præmio vitæ æternæ, quod est in eo formaliter, & quod non reperitur in meritis nostris hac eadem ratione: gloria siquidem est formaliter & intrinsecè æterna; merita vero nostra non ità, sed tantùm virtute & eminenter: hæc enim perennis est secundum actualem existentiam, vt est per se notum, & censetur existere tantùm moraliter transactis operationibus nostris Addo, non deesse qui putent Deum remunerare vltra condignum, quod conferat præmia quædam accidentalia gratuitò & liberaliter, quando donat hominem vita æterna, propter merita in via facta: ità Lorca disp. 47. de gratia.

Corollarium.

Ex istis colliges, retributionem vitæ æternæ non esse dicendam simpliciter iustam: ad hoc enim vt aliquid dicatur simpliciter iustum, desideratur vt res ista habeat iustitiam formaliter adiunctam: quemadmodum ad hoc vt aliquid dicatur simpliciter album, necesse est vt habeat in se albedinem: at in retributione vitæ æternæ quæ fit à Deo creaturis rationalibus, non reperitur iustitia formaliter: ergo nec dicenda erit simpliciter iusta.

DVBITATIO VLTIMA.

An saltem concedendum sit de Deo, quòd sit debitor creaturæ rationali, respectu retributionis vitæ æternæ.

Diuus Thomas non audet affirmare Deum esse debitorem retributionis vitæ æternæ creaturæ, sed tantùm ordinationis, vt videre est 1. p. q. 21. a. 1. ad 3.

Deus verè debitor non bis.

Ceteri tamen Theologi illud audacter pronuntiant, posita promissione sua de danda vita æterna propter merita in hac vita ab hominibus facta: ità Bonau. in 2. dist. 27. a. 2. q. 2. ad 2. Rich. a. 2. q. 3. & alij interpretes D. Thomæ. Deinde hoc etiam fatentur Patres, maximè verò Chrysost. hom. 3. in Matth. *Nos habemus*, inquit, *debitorem Deum ob res bene gestas, tu gratiam confitere, vt se tibi debitorem fateatur.* & Cypr. serm. de opere & eleemosyna. hoc ipsum affirmare videtur D. Pau. Rom. 4. ℣. 4.

Rom. 4.

Tertiò, promissio quælibet inducit debitum de reddenda re promissa, ità vt si res promissa non fuerit reddita ab eo qui promisit dicatur hic infidelis: at certum est Deum promisisse vitam æternam bene operantibus, Matth. 17. & 25. & alibi sæpe.

Quartò, Deus est verax, imo veritas ipsa, atque adeo, nec falli, nec fallere quempiam potest: ergo cùm promiserit se daturum vitam æternam, censetur esse debitor collationis vitæ æternæ.

Quintò, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, vt docet Scriptura Matth. 11. imo Patres aliqui de beatitudine æterna fatentur, quod sit vænalis: ac proinde quod possit comparari titulo emptionis non propriè loquendo, sed improp. , dependenter scilicet à promissione diuina.

Matth. 11. ℣. 12.

Obiectio.

Dices, largitionem vitæ æternæ nuncupari actum misericordiæ, Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* & Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.*

Psal. 102. ℣. 4. Rom. 6. ℣. 23.

Solutio.

Respondeo, hæc ideo dici, quod bona opera nostra pendeant à Dei gratia, quæ nobis ab ipso gratis infunditur: non vero quod largitio vitæ æternæ detur absolutè, gratuito, & liberaliter: ex debito namque condignitatis operis, & ex debito promissionis diuinæ confertur. Respondeo 2. testimonia proximè commemorata significare tantùm, dari aliquid formaliter in retributione vitæ æternæ, quod non est in meritis nostris, nisi virtute & eminenter: ac proinde retributionem vitæ æternæ in ordine ad istam perfectionem formalem vocari actum misericordiæ: cum tamen debeatur hæc ex vi promissionis diuinæ, & suppositа condignitate operis meritorij.

Obiectio 2.

Obijcies, Deum carere superiore à quo possit obligari, & præterea cogi vt reddat debitum: ergo non potest dici debitor.

Solutio.

Respondeo, ex his solùm colligi Deum esse incapacem obligationis & debiti circa materiam iustitiæ propriè dictæ, quod nos vltro fatemur: licèt

Digitized by Google

antem Deus nequeat eſſe debitor circa materiam A iuſtitiæ, poteſt tamen eſſe debitor reſpectu fidelitatis, ſeu promiſſionis, cùm enim Deus ſit quàm maximè liber in ſuis omnibus actionibus ad extra, poterit ſeipſum obligare ad hæc, vel illa reddenda.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm aliquis ſinè gratia poſſit mereri vitam æternam.

RESPONDET hominem ſinè gratia B non poſſe mereri vitam æternam de condigno.

ARTICVLO 3. tradit hominem cum gratia poſſe mereri vitam æternam de condigno. Quæ pertinent ad iſtos duos Articulos innoteſcent ex ſubſequentibus annotatis.

Operationes ex gratia factæ ſunt meritoriæ vitæ æternæ.

Aduerte igitur 1. operationes ex gratia factas in hac vita, eſſe meritorias de condigno vitæ æternæ; ità definitum eſt in Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. & can. 32. Deinde, meritum de condigno cenſetur eſſe opus honeſtum in hac vita ab homine factum libere, cui debetur retributio vitæ æternæ, ex condignitate operis, & ex vi promiſſionis di- C uinæ, vt conſtat ex ijs quæ docuimus art. 1. huius quæſt. at operationes noſtræ habent omnes omnino conditiones in hac definitione poſitas, vt ſupponimus: ergo operationes ex gratia ſunt meritoriæ de condigno. Ità omnes Catholici hoc loco, contra hæreticos noſtri temporis, qui nulla agnoſcunt in noſtris operibus merita; impietas tamen iſta multis deſtruitur à Bellarm. in lib. de iuſtificatione.

Condignitas operum eſt ſecundum quid.

Aduerte 2. condignitatem quæ reperitur in operibus noſtris ex gratia factis eſſe condignitatem ſecundum quid; non autem ſimpliciter; illa enim cenſetur eſſe quæ reperitur in actionibus honeſtis, ceterùm ſinè vlla dependentia à merito D alieno, vt fatentur interpretes D. Thomæ; atqui merita noſtra ſupponunt merita Chriſti: ergo condignitas operum noſtrorum non eſt talis ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid.

Condignitas operum non colligitur ex Trident.

Aduerte 3. condignitatem meritorum noſtrorum non colligi ex locis proximè cit. Trident. illa enim vox, *De condigno*, non habetur illic, nec expreſsè, nec formaliter, nec item virtute; quia nulla alia vox exprimitur in Concilio quæ denotet illud idem quod illa particula. Dico ergo colligi condignitatem ex Scripturæ locis, in quibus dicitur homines iuſtos dignos eſſe regno Dei, 2. ad Theſſ. 1. *Vt digni habeamini in regno Dei.* & Apocalyp. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni* E *ſunt.* dignitas autem & condignitas in ſacris paginis pro vno & eodem vſurpantur. Deinde, ex illis in quibus dicitur de vita æterna, quòd ſit merces debita operibus noſtris Ierem. 31. *Eſt merces operi tuo.* & Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* at merces & meritum cùm ſint relata poni neceſſariò debent. Denique, ex illis in quibus dicitur de eadem vita æterna, quòd ſit corona vitæ, Iacobi 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* & 2. ad Tim. 4.

Gloriam promeretur adultus per actum contritionis qui eſt diſpoſitio ad gratiam.

Aduerte vltimò, eſſe probabile primam gloriam cadere ſub meritum de condigno, reſpectu hominis adulti, quotieſcumque iuſtificatur à peccato mortali commiſſo, dependenter ab actibus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem infallibiliter obtinendam.

Primùm, quia Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. & can. 32. docet gloriam & augmentum gloriæ cadere ſub meritum: de gratia verò tantùm dicit, quòd ſecundum ſuum augmentum cadat ſub meritum. Deinde, tota gloria dicitur corona iuſtitiæ & merces: ergo cùm præmium & corona reſpiciant meritum, adultus primam gloriam merebitur, qui ſcilicet iuſtificatur dependenter ab actibus dilectionis & contritionis. Denique, omnes B conditiones neceſſariæ ad meritum de condigno reperiuntur in his actibus elicitis ab adulto.

Obiectio. Dices, Non dari charitatem habitualem in iſto adulto, quæ tamen eſt ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno, ex D. Thom. art. 4. huius quæſt.

Solutio. Reſp. gratiam habitualem non dari in adulto pro eo inſtanti naturæ in quo eliciuntur actus contritionis, & dilectionis Dei; bene tamen pro eo inſtanti naturæ in quo actus iſti de facto ſunt eliciti: nam in hoc ſecundo inſtanti naturæ, hi informantur gratia & charitate, idque quòd nunquam ſint in eſſe actualis exiſtentiæ, atque adeò neque in vllo inſtanti temporis, quin ſint coniuncti cum gratia & charitate, vt fatentur omnes: gratia autem habitualis ſatis eſt ad meritum de condigno, informando actum meritorium, eſto talem non eliciat.

Replica. Inſtabis actus dilectionis & contritionis non eſſe meritorios primæ gratiæ: ergo neque primæ gloriæ; qui enim non meretur filiationem, non meretur etiam hereditatem reſpondentem iſti filiationi; at quilibet noſtrûm conſtituitur filius Dei per gratiam, ad Gal. 4. *Si filij & heredes:* ergo hac detracta non poteſt eſſe meritum ad gloriam. Gal. 4 v. 7.

Diſſoluitur. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad probationem autem dico, poſſe aliquem mereri gloriam debitam filiationi, etiamſi non mereatur filiationem; quia de ratione filiationis Dei eſt, vt gratia prima, per quam quilibet noſtrûm efficitur filius Dei, ex ſua natura detur gratis; gloria autem debita filiationi ſub meritum cadere poteſt, vt tradit Trident. cap. 8. ſeſſ. 6. atque adeò non mirum eſt, ſi dicamus actus contritionis & dilectionis, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam habitualem obtinendam, eſſe meritorios de condigno primæ gloriæ.

Replica 2. Inſtabis 1. Neminem mereri id quod ſibi naturaliter debetur; gloria autem prima debetur naturaliter homini habenti gratiam habitualem.

Enervatur. Reſpond. negando maiorem: gloria namque corporis fuit debita Chriſto ex vi ſuæ beatitudinis, & tamen Paul. cap. 2. ad Philip. docet meruiſſe ſibi corporis glorificationem. Deinde, vnum & idem poteſt eſſe debitum alicui varijs & diuerſis titulis.

ARTICVLO 4. docet gratiam habitualem eſſe radicem meriti. Eſt autem obſeruandum omnes actus elicitos, aut imperatos à charitate, eſſe meritorios de cõdigno vitæ æternæ: idem dicendũ eſt de actibus cuiuſlibet alterius virtutis per ſe infuſæ, & item quarumcumque moralium; ſi tamen fuerint ordinati in Deum, tamquam in vltimum finem ab operante.

Ratio iſtorum eſt, quia in his omnibus actibus reperiuntur omnes conditiones neceſſariæ

Digitized by Google

ad meritum de condigno; ordinatio autem in actibus moralibus in Deum, tamquam in vltimum finem, debet eſſe vel expreſſa ſeu formalis, vel virtualis; nec enim habitualis ſufficit, vt notant interpretes D. Thomę hoc loco.

Aduerte, meriti de condigno augmentum conſurgere ex omnibus circumſtantijs quæ concurrunt ad bonitatem actus.

ARTICVLO 5. docet neminem poſſe mereri primam gratiam de condigno; ità enim tradit Trident. ſeſſ. 6. cap. 8 & docet Paul. Rom 11. *Si gratia iam non ex operibus, aliàquin gratia, iam non eſt gratia.* Deinde, ad meritum de condigno deſideratur gratia habitualis, ex D. Thoma art. 4. huius quæſt. at ſupponimus hominem carere gratia: ergo primam gratiam non poteſt mereri de condigno.

Rom. 11. verſ. 6.

Docet ſecundò, non deeſſe qui putent hominem poſſe mereri ſibi primam gratiam, non quidem de condigno, ſed de congruo; ſunt & alij qui ſecus ſentiant: rectiùs tamen illi qui putant hominem poſſe quidem impetrare à Deo primam gratiam, minimè verò eam mereri etiam de congruo; nam ad hoc vt aliquis mereatur, ſimpliciter & abſolutè requiritur vt conſtituat remunerantem debitorem ſuo merito; at non poteſt Deus dici debitor primæ gratiæ, ſecluſa ſua promiſſione: eſt autem certum Deum promiſiſſe ſuam gratiam gratuitò & liberaliter, atque adeò independenter à meritis noſtris. Deinde, ille non videtur capax meriti, qui cenſetur eſſe debitor Dei, & tenetur ſatisfacere Deo pro peccatis commiſſis; at conſtitutus in ſtatu peccati mortalis eſt verè debitor Dei, & indignus planè cui conferatur vlla gratia: ergo & incapax meriti de congruo propriè dicti. Vide de hac re Lorcam diſp. 50. de gratia.

ARTICVLO 6. docet neminem poſſe mereri primam gratiam alteri de condigno, neque item de congruo.

Cuius rei ratio optima eſt, eò quòd gratia habitualis non egreditur perſonam operantem, quia eſt gratia filij adoptiui, atque adeò ſolum eſt principiũ promerendi hereditatem ad quam præparat ſtatus adoptionis; & quia non poteſt pertinere ad hereditatem iuſti quòd detur gratia inimico, ſed quòd ſibi detur gloria & augmentum iuſtitię, inde eſt quòd gratia habitualis non eſt principium merendi alijs de condigno: Quòd verò ità ſit alligata gratia habitualis ad fructum filij adoptiui, colligitur primò ex Ioann. 4 vbi deſcribitur gratia, & oſtenditur natura eius in producendo opere meritorio, prout declarauit Trident. ſeſſ. 6. c. 16. & dicitur à Chriſto, *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Cùm ergo fons iſte non dicatur aliò mittere ſalientes aquas, hoc eſt merita, niſi in hereditatem vitæ, fruſtra illi aliud genus meriti aſſignabimus.

Ioann. 4. verſ. 14. Trident.

Secundò, ex communi doctrina Patrum, quâ gratia dicitur, ſemen gloriæ, & videtur deſumpta ex 2. Corinth 9. vbi dicitur; *Et multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*, quòd ſi gratia eſt ſemen gloriæ, non poteſt reddere, niſi reſpectu glorię operationem condignam, quia ſemen arboris in ſolum fructum proprię ſpeciei habet vim natiuam influendi.

2. Cor. 9. verſ. 10.

Vltimò à poſteriori: quia quæcumque gratia habitualis produceretur à Deo, deberet eſſe eiuſdem rationis, & eſſentię cum ea, quam habemus de facto, ſed gratia habitualis, quæ hactenus A cõmunicata eſt hominibus, nõ habet vim efficiendi merita cõdigna, reſpectu alterius præmij à viſione beatifica, & augmẽto gratię in eo qui operatur: quod ità oſtenditur, quia neque Apoſtoli, neque Virgo ſanctiſſima hactenus meruerunt de condigno iuſtificationem aliorum, neque ſibi donum perſeuerantię, quantũũis orauerint pro peccatoribus, & pro ipſis obtulerint ſua merita; at credi poteſt quòd ſi gratia habitualis ex ſua natura illã vim haberet, vt poſſet influere condignitatem in merita reſpectu alterius præmij, neceſſe fore aliquam operationem ſanctiſſimę Virginis meruiſſe de condigno iuſtificationem alicuius impij; nam gratia non aliter influit, neque influere poteſt B condignitatem in merita, niſi quia influit in operationes ipſas, nimirum, quia operatio procedit à gratia habituali, & offertur ab operante pro eo fine, reſpectu cuius operatio eſt meritoria: ergo ſicut in merito Virginis procedente à gratia, ipſa gratia influebat congruitatem, reſpectu ſalutis aliorum, influeret etiam condignitatem ſi poſſet.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm poſſit aliquis mereri reparationem poſt lapſum.

CONVENIT inter omnes neminem poſſe ſibi mereri reparationem poſt laptum de condigno, & quidem merito: nam id præſtare quis poſſet vel pro tempore in quo agit in charitate, vel poſtquam lapſus eſt in peccatum mortale: Non primum, quia dicitur Ezech. 18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur.* Neque item ſecundum, quia ad hoc vt aliquis mereatur de condigno debet eſſe amicus Dei; imò D. Thomas art. 4. huius quæſt. contendit gratiam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad meritum de condigno: at ſupponimus hominem hunc eſſe in ſtatu peccati mortalis: ergo neque pro eo tempore in quo fuit in gratia, neque poſt peccatum mortale commiſſum poteſt mereri de condigno reparationem ſuam.

Nullus poteſt mereri reparationẽ ſibi, poſt lapſum.

Ezech. 18. verſ. 24.

Dubitatur autem, *An poſſit quis mereri de congruo ſuam reparationem poſt lapſum peccati mortalis.* Sunt qui putent partem affirmantem eſſe indubitatam: ità Scotus in 2. diſt. 27. & Bellarm. lib. 5. de iuſtificatione, cap. vltimo. Probat hic ex cap. 19. 2. Paralip. legitur enim illic Deum benefeciſſe Ioſaphat Regi, eo quod aliàs exercuiſſet honeſtas, & meritorias aliquas operationes, ex Dauide, Pſalm. 70. *Cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me.* Deinde, conſtitutus in gratia poteſt E alicui mereri primam gratiam de congruo; hoc enim plerique fatentur de Paulo; dicunt enim precibus Stephani fuiſſe iuſtificatum à Deo: ergo & ſibi ipſi poterit aliquis mereri primam gratiam, ſeu, quod idem eſt, reparationem poſt lapſum. Denique, probabile eſt conſtitutum in peccato mortali, actibus contritionis & dilectionis poſſe mereri de congruo primam gratiam: ergo & reparationem poſt lapſum.

Pſal. 70. verſ. 9.

Nec de congruo, niſi impetratonomine meriti de congruo ſignificetur illud idem, rit.

Contraria tamen ſententia videtur verior, niſi quod denotatur verbo, *Impetro*; nam dicitur Ezech. 18. *Omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur.* Ezech. 18. verſ. 24.

Secundo,

Digitized by Google

Secundò, qui peccat mortaliter, hoc ipſo quod peccat ponit impedimentum quàm maximè efficax ad tollendum omnem effectum cuiuſlibet operis meritorij anteà facti. Tertio; meritum omne reſpicit præmium, & facit debitorem remunerantem; at prima gratia non eſt præmium alicuius operis; poſtulat enim hæc ex ſe, & ſua natura vt gratis detur: Deus item non poteſt dici debitor reſpectu donationis gratię primę: ergo.

Ad rationes vero contrarias reſpondeo, Deum contuliſſe beneficia aliqua Ioſaphat Regi, intuitu operum bonorum anteà factorum; non tamen beneficia illa fuere præmia bonorum operum antecedentium, ſed Deus gratuito & liberaliter hæc illi contulit. Ad locum autem Dauidis. Reſpondeo non precari Deum eo in loco, vt conferat illi ſuam gratiam poſtquam peccauerit; ſed ne patiatur vrgente tentatione aliqua ab eo ſeparari. Ad ſecundam reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; gratia enim quæ data eſt Paulo ad preces D. Stephani non fuit præmium in Paulo, ſed in Stephano; gratia autem prima, quæ ex hypotheſi daretur ei, qui meruit eamdem de congruo, eſſet præmium eiuſdem: non poteſt autem eſſe præmium in eo in quo habet rationem primæ gratiæ, nedum de condigno, ſed neque de congruo: poſtulat enim vt gratis detur. Ad vltimam, quidquid ſit de antecedente, nego conſequentiam: eſt enim maximum diſcrimen inter actiones factas ab aliquo, quando agit in gratia, & poſtea labitur in peccatum mortale: & inter eum qui conſtitutus in peccato mortali elicit actus contritionis & dilectionis perfectę; nam omnia opera facta in gratia mortificantur per peccatum mortale, quod ſubſequitur; ità vt peccato mortali commiſſo nulla debeatur iſtis remuneratio: actibus verò dilectionis & contritionis debetur aliqua remuneratio, etiam de condigno. Deinde, huiuſmodi actus tantùm abeſt quod ſint mortificati, quin potiùs verè viuificantur, mediante gratia & charitate, etſi non fuerit eliciti ab illa.

Articvlo 8. docet augmentum gratiæ cadere ſub meritum de condigno, quæ res definita fuit in Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. & can. 32.

Articvlo 9. tradit perſeuerantiam finalem non cadere ſub meritum de condigno, quod etiam definitum eſt in Trident. ſeſſ. 6. Vide etiam quæ de hac re diximus in tractatu de effectis prædeſtinationis.

Articvlo vltimo, docet bona temporalia cadere quidem ſub meritum de congruo, quod nos etiam ſæpe diximus; non tamen ſub meritum de condigno, cùm per ſe illa non conducant ad vitam æternam conſequendam, ſed tantùm ex intentione hominis operantis bonum. Faxit igitur Deus vt ità per bona hæc temporalia tranſeamus, vt non amittamus æterna.

Primæ Secundæ Finis.

Digitized by Google

IN SECVNDAM SECVNDÆ SANCTI THOMÆ DOCTORIS EXIMII,

DVBITATIONES BREVES, AC DILVCIDÆ Concluſiones R. Patris Fratris Ioannis Puteani Auguſtiniani, Profeſſoris olim Regij digniſſimi.

PROOEMIVM.

IN hac Parte diſſerit D. Thomas de ijs omnibus quæ pertinent ad Theologiã moralem: hæc autem ſunt in duplici differentia: alia quippe pertinent ad communem quorumcumque hominum ſocietatem, alia ad certos quoſdam ſtatus: illa perficit ſanctus Doctor à quæſt. 1. ad 170. vſque incluſiuè: In iſtis ſiquidem ſermonem inſtituit de tribus virtutibus Theologicis, fide, ſpe, & charitate, de quatuor virtutibus Cardinalibus, & de nonnulis alijs, quæ ad huiuſmodi virtutes accedere videntur. Et denique de vitijs, virtutibus præfatis oppoſitis. Hæc verò abſoluit à quæſt. 171. ad vltimam vſque. Verùm quia hæc ſunt nimis prolixa, ea tantùm attingemus quæ faciunt ad tractationem de fide, ſpe, charitate, & virtutibus Theologicis: ac primùm de fide.

QVÆSTIO I.

De obiecto fidei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm prima veritas ſit obiectum fidei.

DVBITATIO PRIMA.

Quid nomine fidei ſignificetur hoc loco.

VÁRIÆ ſunt nominis, fidei, ſignificationes; interdum enim ſignificat fidelitatem, deriuatúrque proinde ex eo quòd fiat id quod dicitur, vt obſeruarunt Marcus Tullius lib. 1. Offic. Auguſt. cap. 1. epiſt. 19. ad Hieronym. & lib. de mendacio, cap. 2. & ſermone 237. de tempore, cap. 2. quo loco addit nomen, fides, conſtare duabus ſyllabis, quarum alia à dicto, alia à facto ſumitur; & iuxta hanc ſignificationem definitur communiter à ſacris & prophanis authoribus; *Dictorum, conuentorúmque conſtantia & veritas*: de hac nullam habet ſanctus Doctor priuatam quæſtionem in hac parte, & quidem, meo iudicio, quòd crediderit fidem ità vſurpatam idem planè eſſe cum veritate, ſeu veracitate, de qua diſſerit quæſt. 109. huius partis. Vſurpatur ſe-

Multiplex fidei acceptio.

D. Auguſt.

1.

2.

cundo loco fides, pro, conſtantia, & veritate adimplendi promiſſa, vt colligi videtur ex cap. 3. Rom. 3. verſ. 3. Rom. *Numquid incredulitas illorum*, ſcilicet Iudæorum, *fidem Dei euacuabit?* idem enim eſt ac ſi diceret; perfidia Iudæorum tantàne erit, vt fidem, id eſt diuinas promiſſiones inanes & vacuas reddituras ſit? & 2. Regum cap. 15. dicitur, 2. Reg. 15. verſ. 10. *Quia oſtendiſti gratiam & fidem*, id eſt promiſſionem opere compleuiſti. Tertiò, vſurpatur pro promiſſione, ſeu voto de re aliqua adimplenda, vt colligere licet ex cap 5. prioris ad Timoth. 3. 1. Tim. 5. verſ. 12. *Quia primam fidem irritam fecerunt*; id eſt à promiſſione de virginitate & caſtitate retinenda defecerunt: hunc namque locum ſic explicant Patres, & Concilia, Tertull. lib. de Monogamia, cap. 13. Epiphan. hær. 48. Auguſt. de ſancta virginitate, cap 23. de adulterinis coniugijs lib. 1. cap. 14. Baſil. lib. de vera virginitate, Chryſoſt. hom. 15. in epiſtolam 1. ad Timoth. Theodoretus, Theophylactus, & ceteri interpretes huius loci. Concilium Carthag. IV. Arauſic. II. Toletanum cap. 4. & Pontifices Rom. Innocentius I. in epiſt. ad Epiſcopum Rothomagenſem, & alij nonnulli. Ex quo colliges turpiſſimè aberrare hæreticos noſtri temporis, quando docent in nullo planè teſtimonio Scripturę ſacrę fidem ſignificare votum, ſeu promiſſionem de re aliqua præſtanda; ſed ſolam fiduciam, ſeu confidentiam, qua ſperamus promiſſiones diuinas in nobis locum & effectum habituras. Quartò, ſumitur nomen fides, pro conſcientia, vt colligitur ex cap. 14. Rom. ait enim Apoſtolus: *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, id eſt quidquid contra dictamen conſcientię fit, peccatum eſt, vt communiter interpretes. Quintò, ſignificat fiduciam ſeu confidentiam, vt conſtat ex cap. 16. Matth. *Quid cogitatis intrà vos modicæ fidei?* arguit namque Chriſtus hoc loco modicam fidem, quæ non aliunde habet ortum, quàm ex nimia & anxia ſollicitudine, quæ proinde diffidentia nuncupatur: Idem probatur ex eodem cap. 8. *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* & cap. 14. *Modicæ fidei quare dubitaſti?* iſtis ſiquidem duobus locis improbat Chriſtus eam fidem, quàm deſtruit timor. Ad quod etiam facit Iacobus cap. 1. ſuæ Canonicæ, *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans*: timor autem deſtruit fiduciam, ſeu confidentiam, quam quis habet de re aliqua obtinenda. Ità Lorca diſp. 1. ad hunc art. S. Tho. contra Sotum lib. 2. de natura & gratia, docentem in nullo planè loco Scripturę ſacrę fidem vſurpari pro fiducia, ſeu confidentia, ſeu, quod idem eſt, de re aliqua certò obtinenda. Neque tamen propterea velim quempiam exiſtimare authores iſtos fauere hæreticis noſtris, qui putant nomine fidei nihil aliud ſignificari, quàm fiduciam qua certò credimus diuinas promiſſiones adimplendas eſſe in nobis; nam ex hac ſignificatione ſolùm colligere licet fidem vſurpari interdum, pro fiducia; non autem fidem iuſtificantem formaliter eſſe fiduciam, quod credunt hæretici huius ætatis: eſt enim conſtanter aſſerendum, cauſam formalem noſtræ iuſtificationis eſſe gratiam & charitatem, quæ diffunditur in nobis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, vt definiuit Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. Sextò, ſignificat fides credulitatem per quam aſſentimur dictis alicuius propter dicentis authoritatem, aut, vt alij loquuntur, aſſenſum quem præbemus dictis alicuius propter dicentis authoritatem ità vſurpatur communiter fides & apud Patres, & apud Doctores ſcholaſticos, & in ſacris litteris: quoniam autem eorum quæ nobis ab alijs dicuntur, alia à Deo, alia ab hominibus proficiſcuntur, id eo duplex aſſignatur fides, iuxta præſentem ſignificationem, diuina ſcilicet, & humana; hæc nihil aliud eſt, quàm credulitas, quam præbemus dictis hominum propter authoritatem, ſeu veracitatem, quæ debetur illorum dictis; illa verò eſt credulitas, ſeu aſſenſus quem præbemus dictis à Deo propter certiſſimam & indubitatam veracitatem, quæ conſequitur diuinam naturam. Ex hac autem ſignificatione factum eſt vt nomen, fides, diceretur de illo habitu, quem Deus infundit nobis, & quo medio aſſentimur rebus à Deo reuelaris: ità explicanda ſunt teſtimonia, Epheſ. 2. verſ. 8. *Gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* & Rom. 3. *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſinè operibus legis.* & 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas.* Loquitur enim Paulus his in locis de ea qualitate, quæ infunditur à Deo nobis, quâue rebus ab ipſo reuelatis aſſentimur; ſicut enim nomine ſpei & charitatis deſignantur qualitates aliquę infuſę, quibus ſperatur Deus à nobis, & amatur; ità per fidem intelligit Apoſtolus donum aliquod per ſe infuſum, quo aſſentimur rebus omnibus à Deo dictis, & propoſitis credendis authoritate Eccleſię. Ex hac eadem ſignificatione factum quoque eſt, vt fides dicatur de quibuſuis credibilibus, vt colligitur ex 10. Rom. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* & ex Symbolo Athanaſij, *Hæc eſt*, inquit, *fides Catholica, vt credamus & confiteamur*, &c. explicat autem poſtea quænam ſint illa credenda. His ità præmiſſis.

Rom. 3. verſ. 28. 1. Cor. 13. verſ. 13. Rom. 10. verſ. 17. Symbol. Athanaſ.

Dico, *D. Thomam*, in hac tractatione, *vſurpare nomen, fidei, pro habitu infuſo per ſe, quo res omnibus à Deo reuelatis aſſentimur, propter dicentis authoritatem.* Ità docent communiter interpretes S. Thomę hoc loco. Deinde, hoc ipſum colligitur ex eo quòd agat hac in part. de virtutibus Theologicis, quæ omnium conſenſione ſunt tantùm fides, ſpes, & charitas. Confirmatur: Spes & charitas ſunt qualitates habituales ordinis ſupernaturalis, quibus ſperatur Deus & amatur à nobis, vt oportet: ergo idem planè erit dicendum de fide. Qui alias voluerit nominis fidei ſignificationes conſulat Alenſem 3. part. quæſt. 74. mem. 1. Gabr. in 3. diſt. 23. & alios: tum ex antiquis, tum ex recentioribus Scholaſticis.

Fides ſumitur hic pro habitu infuſo.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit obiectum materiale fidei.

Conclvsio 1. *Obiectum materiale fidei diuina eſt Deus, & ea omnia quæ pertinent ad eumdem, modò tamen fuerint ab eo reuelata & propoſita credenda.* Primùm, quia ex doctrina S. Thomæ in corp. art. illud eſt obiectum materiale alicuius habitus cognoſcitiui, quod per illum cognoſcitur; atqui Deus & attributa eiuſdem cognoſcuntur per fidem diuinam, vt conſtat ex 14. Ioan. *Creditis in Deum, & in me creditis.* & Marc. 11. *Habete fidem Dei.* & Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus*

Obiectum materiale fidei Dei.

Ioan. 14. verſ. 1. Marc. 11. verſ. 22. Hebr. 11. verſ. 6.

6. Fidei acceptio.

rentibus ſe remunerator ſit. Imò propter hanc cauſam dicitur in Symbolis Apoſt. & Concilij Nicæni, Credo in Deum. Subſcribunt Patres, maximè verò
D. Auguſt. D. Auguſt. 4. de Ciuit. cap. 20. *Fides*, inquit, *primum eſt & maximum officium, vt in verum credatur Deum.* & Cyrill. Hieroſol. catecheſi 5. *Fides in*
Cyrillus Hieroſol. *anima, celerrimo actu maxima perficit: de Deo enim ſpeculatur, & Deum intuetur.* & Iren. 3. contra hæreſes, cap. 13. *Fides qua eſt ad Deum altiſſimum iuſtificat hominem*, id eſt, initium, ſeu fundamentum
Iren. iuſtificationis eſt.

Deinde, obiectum materiale fidei diuinæ idem eſt cum obiecto materiali beatitudinis, vt colligere licèt ex 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* & SS.
1. Cor. 13. verſ. 12. Patres idcircò volunt nos pro eo ſtatu in quo verſamur in hac vita mortali nuncupari viatores, & in altera comprehenſores, quòd pro ſtatu huius vitæ credatur à nobis Deus obſcurè; in patriaverò, ſeu in cœlis, clarè, & vt in ſe eſt videatur.

Tertiò, fides diuina cenſetur eſſe virtus Theologica, omnium conſenſu; at quælibet virtus Theologica habet Deum pro ſuo obiecto materiali; fides enim, ſpes, & charitas, ideò dicuntur virtutes Theologicæ quòd circa Deum verſentur veluti circa ſuum obiectum. Ità D. Thomas hoc loco, & omnes eiuſdem interpretes ibidem, & plerique Sententiarij in 3. diſt. 23.

Res reuelatæ à Deo obiectum materiale fidei.

Conclvsio 2. *Nedum Deus, ſed etiam res creatæ à Deo reuelatæ, & propoſita credenda authoritate Eccleſiæ, ſunt obiectum materiale fidei diuinæ.* Primùm, quia in Symbolis Apoſtolorum, Concil. Nicæni, & Athanaſij nedum Deus proponitur credendus, ſed etiam multa creata, vt patet ex articulis incarnationis, mortis, reſurrectionis, Aſcenſionis Chriſti, & alijs nonnullis, quæ verè creduntur à Catholicis, hoc ſolo nomine, quia ſunt à Deo reuelata.

Hebr. 11. verſ. 3. Deinde, Hebr 11. dicitur, *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei.*

Obiectio. Obijcies, fidem ideò eſſe virtutem Theologicam, quòd Deum habeat pro obiecto materiali: ergo cùm res creatæ non ſit Deus, non poſſunt hæc eſſe obiectum materiale fidei diuinæ.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ex eo enim quòd Deus ſit obiectum materiale fidei, ſolùm colligere licet illum eſſe præcipuum & principale; non autem quòd res creatæ, & quæ proponuntur fide diuina credenda, non pertineant ad obiectum minùs principale; fit enim denominatio vt plurimum à nobiliori & perfectiori parte: vnde non mirum ſi fides dicatur virtus Theologica, reſpectu Dei, de quo principaliter agit. Deinde, res creatæ, & quæ proponuntur authoritate diuina, dicunt aliquam ſubordinationem & habitudinē ad Deum, & licèt habitudo iſta, nequeat à nobis interdum explicari & intelligi; non tamen propterea eſt neganda; multa ſiquidem dantur nedum in rebus ſupernaturalibus, ſed etiam in naturalibus, quæ non cognoſcuntur à nobis. Accedit omnia creata & increata credi ſub vna & eadem planè ratione formali, atque adeò in ordine ad hanc rationem formalem res creatę & increatę cenſentur habere aliquam inter ſe conuenientiam, vnde & poterunt hæc omnia eſſe obiectum materiale fidei diuinæ; ſicut obiectum materiale Theologiæ eſt deitas, & quæ ad eamdem ſpectant, & præterea res omnes creatæ, vt dicunt ad eam ordinem, vt pluribus oſtendunt Theologi 1. part. quæſt. 1.

DVBITATIO TERTIA.

Quodnam ſit obiectum formale fidei diuinæ.

Conclvsio. *Obiectum formale fidei diuinæ eſt prima veritas reuelans ſe, & alia à ſe ictum eſt obſcurè.* Antequàm hæc Concluſio probetur. *veritas diuina prima reuelans.*

Aduertendum eſt triplicem eſſe veritatem, in eſſendo ſcilicet, cognoſcendo, & dicendo. Prima veritas in eſſendo nihil aliud eſt, quàm proprietas aliqua entis vt ens eſt: vnde quemadmodum de ente concedunt omnes, quòd ſit vnum & bonum, ità etiam quòd ſit verum. Veritas in cognoſcendo, nihil aliud eſt quam adæquatio intellectus, & rei intellectæ, ità vt res intellecta ea ratione cognoſcatur, qua verè in ſe eſt. Veritas in dicendo, nihil eſt aliud, quàm conformitas, ſeu adæquatio ſigni, & rei quæ dicitur; ità vt res dicta eo modo cognoſcatur quo verè in ſe eſt, & vt concepta eſt explicetur; hæc dicitur communiter veracitas. Quando ergo dicimus primam veritatem eſſe obiectum formale fidei, nomine primæ veritatis ſignificatur ſola veritas in dicendo, ſeu quod idem eſt veracitas diuina.

Veracitas quid. Aduerte 1. Veracitatem iſtam eſſe vnum ex attributis diuinis, quod conſurgit ex infinita ſapientia, & bonitate ſimiliter infinita, quæ dantur in Deo, nam ratione infinitæ ſapientiæ intelligit Deus illud omne, quod eſt intelligibile, prout eſt in ſe intelligibile, ratione verò ſuæ bonitatis infinitæ contingit, vt Deus non poſſit rem aliquam aliter explicare, & proponere credendam, quàm ipſe conceperit; ac proinde etiam fit, vt quæ reuelantur à Deo, & proponuntur credenda, ſint certò, & indubitanter tenenda. Deus quippe, nec fallit, nec fallere aliquem poteſt.

Effectus prima veritatis reuelantis. Aduerte 3. primum & immediatum effectum reſpectu noſtri primæ veritatis reuelantis ſe, & alia à ſe obſcurè, eſſe facere rem reuelatam infallibiliter credibilem, quemadmodum primus effectus formalis iuſtitiæ diuinæ, reſpectu noſtri eſt punire: & diuinæ miſericordiæ, eſt miſereri, & denique omni potentiæ creare: De hac re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm prima veritas reuelans ſe, & alia à ſe opponatur mendacio & falſitati; quare quod erit à prima veritate reuelatum, erit infallibiliter credibile.

Probatio Concluſionis. His ità poſitis. Probatur primam veritatem reuelantem ſe, & alia à ſe obſcurè, eſſe cauſam formalem, ſeu obiectum formale fidei diuinæ: Illud eſt obiectum formale cuiuſlibet habitus cognoſcitiui, quod eſt ratio aſſentiendi & intelligendi omne, quod cognoſcitur per huiuſmodi habitum, vt conſtat ex ente naturali, quatenus naturale eſt, hoc enim in Phyſiologia facit, vt aliquid cognoſcatur, quare ens naturale vt tale, dicitur eſſe obiectum Phyſiologiæ formale: at ratio cognoſcendi res omnes de fide, & eaſdem credendi eſt prima veritas reuelans ſe, & alia à ſe obſcurè: tota namque ratio cur propoſitiones iſtæ, *Deus eſt vnus & trinus, Corpus*

Chriſti eſt in ſanctiſſimo Euchariſtia ſacramento. Verbum diuinum eſt incarnatum, & cetera aliæ cognoſcantur & intelligantur à nobis, prout ſunt de fide, eſt ſola primæ veritatis reuelatio, adeò vt nulla alia aſſignari poſſit cauſa, cur credamus propoſitiones prædictas, præter ſolam diuinam reuelationem: ergo ea conſiderata illo modo, eſt obiectum formale.

Deinde, quælibet fides innititur authoritati ſeu veracitati dicentis, veluti principio formali, at omnibus omnino rebus de fide diuina aſſentimur propter ſolum teſtimonium primæ veritatis reuelantis ſe obſcurè: ergo.

Tertiò, fides, ſpes, & charitas diſtinguuntur inter ſe ſpecie, penès diuerſa obiecta formalia, circa quæ verſantur: at charitas reſpicit Deum, vt eſt amabilis propter ſemetipſum, & cetera in ordine ad eumdem: Deus item eſt obiectum ſpei, vt difficili ratione à nobis obtineri poteſt: fides igitur attinget eumdem Deum, prout reuelatus eſt nobis ab ipſomet Deo obſcurè: In hac Concluſione ſunt D. Thomas hoc loco & communiter interpretes eiuſdem ibidem: & in 3. diſt. 23.

Obiectio 1. Obiicies 1. Obiectum formale fidei eſſe illud, in quod vltimò reſoluitur fides: at hæc reſoluitur in deitatem, quærenti enim cur prima veritas reuelans ſe, & alia à ſe falli, aut fallere nequeat, aptè reſpondetur: quia prima veritas eſt deitas, quæ neminem fallere, nec ipſa falli poteſt: ergo deitas erit obiectum formale fidei, non autem prima veritas.

Solutio. Reſpondeo primam veritatem, ſeu veracitatem duobus modis ſpectari: nempe vt eſt ſpeciale aliquod attributum diuinum, diſtinctum ab aliis omnibus, ratione ratiocinata, vt loquuntur, & vt eſt ratio aſſentiendi rebus omnibus à Deo reuelatis obſcurè: Priori modo, prima veritas reſoluitur in deitatem, illa eadem ratione, qua æternitas reſoluitur in immutabilitatem, & vbiquitas in immenſitatem, ſecus poſteriori modo: ſed hæc per ſe eſt ſola ratio aſſentiendi rebus à Deo reuelatis, illa eadem ratione, qua luminoſum & coloratum ſunt ratio videndi quodlibet viſibile ſenſibile: neque vlteriùs eſt progrediendum, quando quis quærit cur aſſentiamur articulis fidei Chriſtianæ & Catholicæ, reſpondemus enim ſufficientiſſimè nos ideò aſſentiri, quòd res iſtæ ſunt à prima veritate reuelatæ.

Obiectio 2. Obiicies 2. Obiectum formale fidei trahere ſecum certitudinem infallibilem, reſpectu rei reuelatæ: at prima veritas reuelans ſe, certitudinem iſtam inducere non poteſt, ſed tantùm infinita ſapientia & bonitas Dei, habet enim ab infinita ſapientia vt veriſſimè intelligat quodcumque intelligibile, & à bonitate vt inter explicandum aliqua nec fallere, nec falli queat: ergo prima veritas reuelans non eſt obiectum formale.

Solutio. Reſpondeo, primam veritatem in dicendo, nihil aliud eſſe quàm infinitam ſapientiam & bonitatem Dei (vt monuimus ſupra) cum reuelatione ſeu locutione diuina: vnde poterit hæc prima veritas reuelans trahere ſecum infallibilem certitudinem de re qualibet reuelata, atque adeò poterit eſſe obiectum formale fidei diuinæ.

Obiectio 3. Obiicies 3. in omni planè habitu cognoſcitiuo finem eſſe idem cum obiecto formali eiuſdem, vt conſtat ex cognitione entis, vt ens eſt; hæc enim cognitio cenſetur eſſe finis Metaphyſicæ, & tamen idem eſt cum obiecto formali eiuſdem: nam conuenit inter omnes ens vt ens, eſſe obiectum formale Metaphyſicæ; at prima veritas nequit eſſe finis fidei diuinæ (cùm finis & bonum ſint vnum & idem; verum autem & bonum opponuntur inter ſe) ergo neque obiectum formale.

Solutio. Reſpondeo, conceſſa maiori, ſi tamen ſermo ſit de fine intrinſeco habitus cognoſcitiui; etenim certum eſt finem extrinſecum, qui dicitur finis cognoſcentis, non pertinere ad obiectum formale talis habitus: Ad minorem verò dico, primam veritatem reuelantem ſe, eſſe bonum fidei diuinæ; petit namque fides hæc vnitatem ſuam ſpecificam à prima veritate reuelante ſe, & alia à ſe obſcurè. Deinde, obiectum cuiuſlibet habitus vel potentiæ, & actus, cenſetur eſſe bonum habitus, potentiæ, vel actus: habitus ſiquidem perficitur à ſuo obiecto formali. Ad id verò quod ſubiungitur primam veritatem, ſeu verum & bonum diſtingui inter ſe. Reſpondeo hoc eſſe verum, ſi ſpectentur formaliter, ſecus ſi realiter: implicat enim dari aliquod ens reale ordinis naturalis vel ſupernaturalis, quod in ſe non ſit & vnum, & verum, & bonum, ex communi doctrina Metaphyſicorum.

DVBITATIO QVARTA.

An ſola prima veritas conſtituat obiectum formale fidei intrinſecè: An verò concurrat reuelatio diuina obſcura ad conſtitutionem eiuſdem.

Argumenta contraria. RAtio dubitandi eſt, quia ſi reuelatio diuina obſcura conſtituat intrinſecè obiectum formale fidei, fides diuina non diſtinguetur ſpecie à Theologia: vnitas quippe ſpecifica cuiuſlibet habitus cognoſcitiui, repetenda eſt ab vnitate formalis obiecti eiuſdem, ex communi doctrina: at D. Thomas 1. part. quæſt. 1. art. 3. docet reuelationem diuinam obſcuram, eſſe obiectum formale Theologiæ: ergo reuelatio diuina obſcura nequit intrinſecè pertinere ad obiectum formale fidei Chriſtianæ.

Secunda ratio dubitandi: Obiectum formale fidei diuinæ debet eſſe quid increatum, ſecum namque defert certitudinem infallibilem, idque quòd Deus ſolus ſit infinitè ſapiens, & infinitè bonus: at núlla planè reuelatio diuina increata eſt, nomine ſiquidem reuelationis diuinæ, ſignatur actus aliquis liber, quo Deus manifeſtat aliqua occulta, quæ vult ab hominibus credi: ergo &c.

Denique, vnius habitus debet eſſe tantùm vnum obiectum formale: prima autem veritas, & reuelatio obſcura diuina, ſunt res omnino inter ſe diuerſæ, cùm illa ſit increata, hæc verò creata: igitur reuelatio obſcura eſt extra rationem intrinſecam obiecti formalis fidei.

Reuelatio diuina eſt intrinſeca obiecto formali fidei. Matth. 16. verſ. 17. Ioan. 1. verſ. 18.

CONCLVSIO 1. *Reuelatio diuina tam intrinſecè pertinet ad obiectum formale fidei diuinæ, quàm prima veritas reuelans.* Primùm, quia aſſenſus fidei diuinæ in ſacris litteris adſcribitur diuinæ reuelationi. Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris*

Gal. 1. ℣. 11. & 12. *Patris ipſe enarrabit.* & Galat. 1. *Notum vobis facio Euangelium quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem, neque enim ego ab hominibus accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.*

Deinde, hæc videtur eſſe mens expreſſa ſanctorum Patrum: D. Auguſt. contra epiſtolam fundamenti, cap. 14. *Quoniam ſi mihi fides imperanda eſt, magis me teneret illa Scriptura, vbi lego veniſſe Spiritum ſanctum, & Apoſtolos inſpiraſſe quibus eum Dominus ſe miſſurum promiſerat. Ego namque Catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam ſcientiam peruenturum præſumo.* & paucis interiectis. *Non iam hominibus, ſed ipſo Deo intrinſecus mentem noſtram firmante, atque illuminante credimus.* D. Auguſt. — Athanaſ. D. Athanaſij in oratione, Quod vnus eſt Chriſtus. *Vtilitas ipſa conſiſtit in credendo, colendo, & taciris adorationibus agnoſco eum verum è cælo Deum impatibilem, agnoſco eumdem ex ſemine Dauidis: non diſquiro cur idem patibilis, & impatibilis, aut cur Deus, & homo; ne curioſius inquirendo, cur & quomodo, excidam à bonis nobis propoſitis. Primum enim credere oportet & glorificare, & ſecundo in ſublimi rationem iſtarum rerum petere, non humi ex ſanguine & carne conquirere, ſed ex reuelatione diuina & cæleſti unxta illud, Beatus es Simon Bar-Iona*, &c. Dionyſij cap. 7. de diuinis nominibus. Iren. lib. 4. contra hæreſes, cap. 4. Chryſoſt hom. 8. in 2. ad Corinth. Ambroſ. ſerm. 21. de tempore, & aliorum.

Matth. 16. verſ. 17. Dionyſ. Iren. Chryſoſt. Ambroſ.

Tertio, illud eſt conſtitutiuum obiecti formalis fidei, ſinè quo obiectum hoc nec eſſe, nec intelligi poteſt; at ſinè reuelatione diuina nequit eſſe vel intelligi obiectum fidei (nihil enim planè prima veritas, vt ſic, extra Deum ponit) ſed tantùm accedente reuelatione eiuſdem obſcura, per quam Deus manifeſtat nobis hanc vel illam propoſitionem de fide. Confirmatur hæc minor: Effectus formalis non poteſt produci niſi à ſola cauſa formali; ob id enim fatentur communiter Doctores, cauſam formalem, etiam per omnipotentiam Dei ſuppleri non poſſe; at credibilitas eſt effectus formalis, qui dicitur de rebus credibilibus, & quidem dependenter à prima veritate, & à reuelatione diuina per quam nobis innoteſcunt ea, quæ prima veritas in ſe intelligit: ergo illa pertinet ad obiectum formale fidei intrinſecè.

Quartò, reuelatio diuina obſcura vel eſt conditio tantùm obiecti formalis fidei ſinè qua non, vel pertinet ad naturam & eſſentiam iſtius obiecti: primum dici non poteſt, quia conditio ſine qua non, nihil prorſus ponit in effectu qui producitur, reuelatio autem diuina ponit aliquid in rebus creditis; facit enim formaliter iſtas credibiles: ſupereſt ergo vt dicatur ſecundum.

Denique, reuelatio diuina eodem modo ſe habet ad obiectum fidei diuinę quo reuelatio humana ad obiectum fidei humanæ; at hæc eſt de intrinſeca ratione iſtius: hæc enim innititur veracitati quæ datur in hominibus, illa verò veracitati increatæ, qualis eſt ea quæ datur in ſolo Deo reuelante aliqua: ergo reuelatio diuina de ratione eſſentiali illius eſt. Ità D. Thomas hoc loco, & eiuſdem interpretes.

Reuelationis vocabulo quid denotetur.

Aduerte, nomine reuelationis diuinę hoc in loco nihil aliud ſignificari, quàm actum diuinæ voluntatis liberum, quo Deus aliqua reuelat, & vultà nobis credi, ità vt reuelare nihil aliud ſit, quàm Deum aliqua manifeſtare, & quæ vult ab Angelis, vel hominibus credi: reuelationes autem iſtę diuinę duobus modis accidunt; altero per locutionem ſpiritualem, qualis eſt ea quæ datur in Angelis, quando ſibi mutuò loquuntur, manifeſtando proprios conceptus; altero per locutionem ſenſilem & corpoream, qua ratione reuelauit Deus diuinitatem Chriſti in baptiſmate eiuſdem, Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* & in transfiguratione. Reuelationes ergo diuinas contendimus pertinere ad obiectum formale fidei, ſiue fuerint factę per locutionem ſpiritualem, ſiue per ſenſilem: moneo tamen me loqui de diuina reuelatione in communi ſumpta.

Matth. 3. verſ. 18.

Obiectio. Obijcies, ſi prima veritas reuelans eſſet obiectum formale fidei, ſequeretur reuelationem iſtam recipi in rebus reuelatis velut in ſubiecto; nulla ſiquidem forma denominat ſubiectum formaliter, niſi fuerit in eo vt patet (nuſquam enim paries dicetur albus formaliter, niſi habuerit in ſe albedinem) at reuelatio diuina non recipitur in rebus reuelatis tamquam in ſubiecto; eſt enim actus liber voluntatis diuinę manifeſtantis aliqua Angelis, vel hominibus: ergo nequit pertinere ad obiectum formale fidei.

Solutio. Reſpondeo, propoſitionem iſtam abſolutè loquendo eſſe falſam; nihil denominatur formaliter tale, niſi à forma ſibi intrinſecè inhærente; res namque intellecta & viſa dicitur formaliter talis, non per intellectionem aut viſionem receptam intrinſecè in re viſa & intellecta; ſed ſolùm in intellectu & oculo illius, qui vel intelligit, vel conſpicit rem iſtam, ſatiſque eſt ad hoc vt res hæc dicatur viſa & intellecta per viſionem & intellectionem, quòd hæ terminentur ad rem huiuſmodi particularem, quæ videtur & intelligitur: ità res à Deo reuelatę dicuntur formaliter credibiles, non à reuelatione recepta in ipſiſmet rebus reuelatis; ſed ſolùm in intellectu illius, qui res iſtas reuelat, quique facit vt intellectus alterius eaſdem intelligat, ità vt res à Deo reuelata ſit obiectum, ſeu terminus diuinę reuelationis.

Obſcuritas pertinet ad obiectum fidei diuinæ.

Conclvsio 2. *Obſcuritas, & inuidentia ſunt de ratione formalis obiecti fidei diuinæ.* Primum, quia de fide dicitur expreſsè in Scriptura, quòd ſit obſcura. Hebr. 1. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* & 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* & cap. 1. 2. Petr. dicitur per fidem nos ambulare in loco caliginoſo.

Hebr. 11. verſ. 1. 1. Cor. 13. verſ. 12. 2. Petr. 1.

Deinde, SS. Patres definiunt fidem eſſe, credere quod non vides. ità Auguſtin. lib. contra epiſt. fundamenti: imò opponunt ſcientiam, fidei; quòd illa ſit euidens & manifeſta, hæc verò obſcura & inuidens: ità Iren. lib. 2. aduerſùs hæreſes cap. 45. Auguſt. lib. proximè cit. cap. 4. & lib. 12. de Geneſ. ad lit. cap. 11. & lib. 13. de Trinit. cap. 2. Clemens Alexand. lib. 5. cap. 11. ſui pædagogij in fine. Gregor. Magnus hom. 26. in Euangelia.

Iren. D. Auguſt. Clemens Alexand. Greg. Mag.

Tertiò, fides opponitur viſioni beatificæ, ex cap. 13. 1. ad Corinth. at viſio beatifica cenſetur eſſe euidens & manifeſta; erſi ſit de Deo prout in ſe eſt: ergo & fides erit obſcura; non enim aliter poteſt hæc opponi viſioni beatificę.

Obiectio. Obijcies, Apoſtolos credidiſſe humanitatem Chriſti, mortem, paſſionem, &c. & tamen hæc omnia fuerunt euidentia Apoſtolis; imò Chriſtus Ioann. 20. ità alloquitur Thomam, *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti; beati qui non viderunt & crediderunt:* ergo obſcuritas non eſt intrinſeca fidei.

Ioann. 20. verſ. 29.

Solutio. Reſpond. Apoſtolos aliud vidiſſe & aliud credidiſſe de Chriſto; viderunt namque humanitatem pendentem in cruce, aliàs docentem in cathedra: aliàs, ſacramenta adminiſtrantem: ratione iſtorũ non fuit fides in Apoſtolis, idque quòd cognitio hæc fuerit naturalis & emendicata a ſenſibus externis, per media naturalia: cognouerunt etiam humanitatem Chriſti eſſe aſſumptam à diuino Verbo, mortem inſtitutam ad redemptionem, & alia, & ratione horum fuit fides in Apoſtolis; nec enim aliter hæc, quàm per reuelationem diuinam intellexerunt, adeò vt tota ratio aſſentiendi iſtis fuerit authoritas diuina reuelans obſcurè hæc omnia.

Replica. Inſtabis, credere nos paſſionem, mortem, reſurrectionem Chriſti, vt conſtat ex Symbolis Apoſtolorum, Concilij Conſtantinopolitani, & Athanaſij: ergo idem planè dicendum eſt de Apoſtolis.

Diſſoluitur. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ſaltem ſi ſermo ſit de morte, paſſione & reſurrectione, vt fuerunt in Apoſtolis; nam quod creditur ab vno, poteſt ab alio videri euidentiſſimè, vt conſtat ex agentibus in cœlis comparatis nobiſcum, pro eo tempore quo hîc degimus; illi enim omnia myſteria fidei Catholicæ euidentiſſimè intelligunt in cœlis; nos verò obſcurè tantùm. Deinde, fatentur omnes Philoſophi communiter, vnam & eamdem numero propoſitionem poſſe intelligi & per medium probabile, & per medium demonſtrabile: atque adeò illam eſſe euidentem quando cognoſcitur per demonſtrabile; eſſe vero conuinctam cum formidine, quando deprehenditur per medium probabile.

Explicatur Concluſio. Cùm autem diximus, obſcuritatem eſſe de ratione fidei diuinæ, hoc nedum eſt intelligendum reſpectu eorum quæ reuelantur à Deo, ſiue, vt alij loquuntur, reſpectu primę veritatis, ſed etiam reſpectu reuelationis diuinæ: ità vt & res reuelata ſit obſcura, & præterea incuidens ſit Deum hæc & illa reuelare. Primò, quia quilibet noſtrùm credit ea quæ ſunt de fide diuina, & tamen nullus eſt cui ſit euidens Deum reuelaſſe, aut reuelaſſe ea quæ credit. Deinde, tota ratio aſſentiendi rebus reuelatis eſt authoritas, & teſtificatio diuina.

Obiectio. Obijcies, Apoſtolos, itémque Prophetas euidenter cognouiſſe Deum reuelaſſe ſibi ea omnia quæ habentur in ſacris literis ab iſtis conſcripta: ergo falſum eſt de ratione fidei eſſe, quod hæc ſit obſcura reſpectu reuelantis.

Solutio. Reſpondeo, negando conſequentiam: quando enim diximus fidem eſſe obſcuram reſpectu Dei reuelantis, adeo non vt ſit euidens Deum reuelare, hoc eſt intelligendum de lege communi, atque adeo de fide prout datur in omnibus & ſingulis hominibus.

Quæſtiun cula excinatur. Rogabis, *An in ea hypotheſi qua dicimus innoteſcere alicui euidenter Deum ſic reuelare myſteria fidei, aſſenſus hic ſit dicendus aſſenſus fidei, an verò alicuius alterius habitus cognoſcitiuus.* Ratio rogati eſt, quia aſſenſus imitatur naturam ſui obiecti formalis: obiectum autem iſtius eſt euidens: ſupponimus enim euidens eſſe Deum reuelare huic vel illi homini myſteria fidei: ergo quemadmodum obiectum hoc eſt euidens, ità & aſſenſus qui eum conſequitur erit etiam euidens & per conſequens alterius habitus diuerſi à fide, cùm de ratione illius ſit obſcuritas. Confirmatur. Intellectus non poteſt non aſſentiri obiecto euidenti ſibi propoſito euidenter. Denique, non poſſumus aliquid credere euidenter media fide Catholica: ergo huiuſmodi aſſenſus pertinebit ad aliquem alium habitum diſtinctum à fidei Catholicæ habitu.

Reſolnitur. Dico, *Aſſenſum quem præbemus reuelatis à Deo, etiam in ea hypotheſi qua euidenter conſtat Deum reuelare hæc & illa myſteria, eſſe aſſenſum fidei diuinæ.* Primùm, quia tota ratio cur aſſentiamur iſtis reuelatis à Deo etiam in hac hypotheſi, eſt prima veritas reuelans ſe, & alia obſcurè. Deinde, euidentia in teſtificante, ſeu, quod idem eſt, de eo qui reuelat non deſtruit fidem, vt conſtat ex ijs quæ credimus fide humana; tota namque ratio cur credamus hoc vel illud dictum à principe eſſe verum, eſt authoritas principis dicentis, ſiue conſtet euidenter quod dixerit, ſiue non. Tertiò, aſſenſus quilibet imitatur naturam ſui obiecti formalis, a quo pendet formaliter & intrinſecè; at aſſenſus quem in data hypotheſi præbemus rebus à Deo reuelatis, habet pro obiecto formali primam veritatem reuelantem aliqua à ſe, vel etiam ſeipſam obſcurè; non enim euidens eſt veritas, quæ à Deo reuelatur in ſeipſa, ſed eſt verè obſcura; conſtat autem euidenter tantùm de reuelatione iſta, quòd ſit à Deo, hæc tamen euidentia non ſufficit ad deſtruendum aſſenſum fidei obſcurum. Ità docent Caiet. Maldera, Petrus Aragon. & alij recentiores.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Obiectum formale fidei diuinę ſpectari duobus modis, totaliter ſcilicet, ſeu adæquatè, & partialiter: Primo modo conſurgit ex prima veritate & reuelatione diuina obſcura, ità vt ex iſtis ſimul ſumptis reſultet eius adæquata eſſentia: Secundo verò modo, vel eſt prima veritas ſeorſim ſumpta, vel reuelatio diuina obſcura: ſi primum, certum eſt non poſſe obiectum fidei eſſe euidens, quin etiam aſſenſus qui illud conſequitur ſimiliter ſit euidens, vt bene probant duæ primæ rationes dubitandi: ſi ſecundum, non propterea aſſenſus qui conſequetur huiuſmodi obiectum formale erit euidens, ſed obſcurus: idem enim dicendum eſt de hoc aſſenſu, quod de concluſione deducta ex duabus præmiſſis, quarum altera eſt de fide Catholica; altera verò lumine rectæ rationis nota: Concluſio namque hæc, licèt altera præmiſſarum ſit euidens, non eſt euidens, ſed obſcura, omnium conſenſione, propter dependentiam quam habet à præmiſſa incuidente & obſcura: ergo idem erit dicendum de eo aſſenſu qui producitur in aliquo per primam veritatem obſcuram, & per reuelationem diuinam euidentem, reſpectu Dei reuelantis: nam licèt conſtet de Deo reuelante euidenter, non tamen euidens eſt prima veritas, ſicut nec res reuelata eſt euidens in ſeipſa nobis, ſed verè obſcura: imò huiuſmodi aſſenſus nititur ſola veracitate, ſeu teſtificatione Dei reuelantis: cùm ergo totale, & adæquatum ſubiectum fidei diuinę nuſquam ſit euidens, ſed tantùm partiale, aſſenſus fidei erit verè in ſe obſcurus.

Satisfit argumentis initio allatis. Ad rationes verò dubitandi initio Dubitationis propoſitas reſpondeo. Ad 1. poſtulare explicationem illius difficultatis in qua quæritur, *An habitus fidei diuinæ diſtinguatur à Theologia.* De qua re ſit

Habitus fidei diſtinguitur à Theologia. Conclvsio. *Habitus fidei diuinæ diſtinguitur ſpecie à Theologia.* Primùm, quia quando D. Thomas docet 1. part. quæſt. 1. art. 3. reuelatio-

Digitized by Google

nem diuinam eſſe obiectum formale Theologiæ, A hoc venit intelligendum de reuelatione diuina mediata, non autem immediata: hęc enim cenſetur eſſe obiectum formale fidei partiale.

Deinde, fides eſt habitus per ſe, & natura ſua infuſus; Theologia autem eſt habitus acquiſitus.

Tertiò, fides in hæretico nullum poteſt habere locum; hęreſis ſiquidem opponitur fidei, illa eadem ratione qua cæcitas vitui: Theologia autem perſeuerat in homine hæretico, ſi tamen eam ſibi acquiſierit.

Quartò, fides non diſcurrit propriè colligendo veritatem ex veritate, adeò vt veritas conſequentis, nobis innoteſcat per veritatem antecedentis, ſitque veritas illius, ratio aſſentiendi veritati concluſionis: Theologia autem propriè diſcurrit, & ratio ſyllogiſtici eſt ratio aſſentiendi concluſioni deductæ ex præmiſſis. B

Obiectio. Dices, fidem non minùs diſcurrere quàm faciat Theologia, vt patet ex iſtis duobus ſyllogiſmis: *Quod Deus reuelat, & proponit credendum authoritate Eccleſiæ, illud eſt de fide diuina; Deus reuelat ſe eſſe trinum & vnum, & hoc idem proponit Eccleſia omnibus credendum, ergo de fide eſt Deum eſſe trinum & vnum:* & tamen concluſio iſtius ſyllogiſmi omnium conſenſu pertinet ad articulos fidei. Poſterior eſt. *Omnis homo animam rationalem & corpus naturale habet: at Chriſtus eſt verus homo, ergo habet* C *veram animam rationalem, & verum naturale corpus humanum:* Concluſio tamen iſtius ſyllogiſmi computatur inter articulos fidei Catholicæ.

Solutio 1. Reſpondeo primò, licèt fateremur fidem diuinam diſcurrere, non tamen ideò ſequeretur fidem non diſtingui ſpecie à Theologia, reperitur enim diſcurſus in omni ſcientia, & tamen ſcientiæ diſtinguuntur inter ſe ſpecie, ob obiecta formalia ſpecie diſtincta, quæ dantur in huiuſmodi ſcientijs. Deinde, non omnis aſſenſus fidei diuinæ eſt coniunctus cum diſcurſu; aſſentimur namque reuelationi diuinæ propter ſemetipſam, & rebus à Deo reuelatis per reuelationem: omnis autem aſſenſus Theologicus producitur in nobis depen- D denter à diſcurſu propriè dicto.

2. Solutio. Reſpondeo 2. ratiocinationes adductas non eſſe de fide propriè; non enim aſſentimur propoſitionibus iſtis ex vi formæ ſyllogiſticæ, ſed tantùm propter primam veritatem, quæ huiuſmodi propoſitiones reuelauit, vt conſtat de prima, 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* De ſecunda verò, ex illo Ioan. 10. *Ego poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* & de tertia Ioan. 1. *Et Verbum caro factum eſt.* & Lucæ 24 *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Imò diſcurſus iſti tantùm conducunt ad applica- E tionem teſtimonij primæ veritatis, atque adeò vt faciliori negotio alliciamur ad res de fide acceptandas; minimè verò ad hoc vt adhæreamus rebus de fide, dependenter ab iſtis diſcurſibus. Hæc opinio defenditur communiter hoc loco à Theologis Scholaſticis, & nonnullis alijs, quæſt. 2. huius part. D. Thomæ.

1. Ioan. 5. ℣. 17. Ioan. 10. ℣. 18. Ioan. 1. ℣ 14. Lucæ 24. ℣. 39.

Aſſenſus fidei generatur dependenter à diſcurſu aliquo. Moneo tamen non eſſe negandum, quin aſſenſus fidei habeat locum in nobis dependenter ab aliquo diſcurſu, qui procedit per reuelationem diuinam, ad ea quæ ſunt reuelata à Deo in particulari; ità vt priùs tempore, vel natura credamus Deum reuelaſſe, poſteà verò credamus, hoc vel illud reuelatum eſſe à Deo in particulari. Ità Durandus in 3. diſt. 24. q. 1. Gabr. diſt. 23. lib. 3. quæſt. 2. Fauet ratio: quandocumque enim vnum creditur propter aliud, nihil repugnat quominùs dentur in intellectu credentis duo actus, quorum vnus ſit via ad alium, at fide diuina credimus vnum propter aliud, nempe reuelata in particulari propter reuelationem diuinam, ità vt reuelatio diuina ſit ratio aſſentiendi ſibi ipſi, & item rebus à Deo reuelatis, illo eodem modo quo, ceteris tamen paribus, finis cenſetur eſſe ratio amandi ſeipſum, & item media ſinè quibus huiuſmodi finis haberi nequit. Confirmatur: idem eſt dicendum de fide diuina, quod de humana, ceteris paribus; at fide humana credimus vnum propter aliud; priùs enim, ſaltem natura, credimus principem aliquid reuelaſſe, quàm hoc vel illud; imò propterea credimus hoc in particulari eſſe reuelatum à principe, quia credimus principem reuelaſſe.

Obiectio. Dices, vnico actu nos videre lumen & colorata: ergo vno & eodem numero aſſenſu aſſentiemur & reuelationi diuinæ, & reuelatis à Deo.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam: ratio diſparitatis eſt, lumen & color ideò vno ſimplici actu videntur à nobis, quia hæc ſunt per ſe, & ſua natura viſibilia, neque color dicitur aliter videri per lumen, niſi quia color non poteſt emittere ſpeciem ſui ipſius, niſi fuerit hic illuſtratus lumine: res autem de fide in particulari ſpectatæ, non ſunt per ſe credibiles, ſed dependenter à reuelatione diuina, quam diximus eſſe rationem aſſentiendi ſibi ipſi, & rebus alijs à Deo reuelatis poſtea; ità vt licèt lumen fidei ex æquo inclinet ad videnda omnia omnino dogmata fidei, priùs tamen inclinet ad aſſentiendum diuinæ reuelationi, quàm reuelatis in particulari.

Replica. Inſtabis, ex iſtis ſaltem colligi, non omnia eſſe ex æquo certa in fide Catholica: aſſenſus namque concluſionis deductæ ex præmiſſis debitè diſpoſitis, minùs certus eſt, quàm ſit aſſenſus quem præbemus præmiſſis, ex illo Ariſt. propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale; aſſentimur autem concluſioni ex vi aſſenſus quem præbuimus præmiſſis.

Enervatur. Reſpondeo, negando illationem antecedentis: ad probationem, eam veram eſſe quando ratio aſſentiendi concluſioni deductæ, eſt aſſenſus quem præbuimus præmiſſis, in rebus autem de fide non eſt concedendum aſſenſum quem adhibemus concluſioni deductæ, reperendum eſſe ab aſſenſu præmiſſarum; diximus enim totam rationem cur aſſentiamur quibuſuis fidei articulis, eſſe ſolam primam veritatem reuelantem ſe, & alia à ſe obſcurè; non autem vim formæ ſyllogiſticæ, quæ ex hypotheſi confecta eſt de rebus fidei.

Alia replica. Inſtabis iterum, aſſenſum conſequentis ſeu conſequentiæ in iſtis etiam ſyllogiſmis, pendere à præmiſſis.

Diſſoluitur. Reſpondeo hoc eſſe verum in fieri, & in facto eſſe; non verò in ratione firmitatis & certitudinis: omnis quippe certitudo, quæ datur in conſequente, deſumenda eſt non à forma ſyllogiſtica, ſed ſolùm à prima veritate reuelante ſe obſcurè, adeò vt ratio aſſentiendi infallibiliter rebus de fide, non ſit à ſyllogiſmo debitè diſpoſito, ſed à ſola Dei reuelatione.

Notabile. Vt autem res hæc pleniùs intelligatur, obſeruandum eſt, duos aſſenſus, quos diximus inter-

uenire in actu credendi, non interuenire ambos semper formaliter & expresè, sed tantùm vnum interuenire formaliter & expresè; alterum verò virtute & eminenter: illa eadem ratione, qua in actu electionis mediorum ad finem formaliter & expresè ponitur actus electionis, virtute verò & eminenter tantùm actus intentionis; finis enim in hac hypothesi non intenditur vt finis est, sed tantùm vt est ratio volendi media quæ conducunt ad istius finis adeptionem.

Obseruandum 2. duos istos assensus non distingui inter se specie, vnitas namque specifica omnium actuum est desumenda ab obiecto formali eorumdem, vel certè à modo tendendi in illud: assensus autem circa reuelationem diuinam, & assensus per reuelationem circa res reuelatas nullum aliud habent obiectum formale, præter primam veritatem reuelantem se, & alia à se obscurè: ergo non distinguuntur specie. Deinde, non est magis absurdum duos istos assensus circa reuelationem diuinam scilicet, & circa reuelata in particulari esse vnius & eiusdem speciei, quàm actus intentionis & electionis: at isti ideò censentur esse vnius & eiusdem speciei, quia scilicet ad eamdem specie virtutem pertinent: ergo, &c.

DVBITATIO QVINTA.

An authoritas Ecclesiæ concurrat ad assensum fidei Christianæ vt obiectum formale eiusdem, an verò aliqua alia ratione.

Duplex authoritas Ecclesiæ.

ADuerte authoritatem Ecclesiæ esse duplicem; humanam scilicet, & diuinam: illa consurgit ex varietate & multitudine Doctorum, qui res de fide hactenus crediderunt, & præterea alias credendas alijs proposuerunt: ex probitate & sanctitate singulari eorumdem, & ex eo quòd doctrina hæc in toto terrarum orbe fuerit explicata, & à multis credita: hæc enim quàm maximè facit res de fide credibiles: imprudens quippe & temerarius haberetur omnis qui post tot & tantos homines nedum doctos, sed & optimos nollet rebus de fide assentiri: hæc verò nihil aliud est, quàm specialis illa assistentia, qua Deus per Spiritum sanctum ità adest Ecclesiæ, vt in nullo planè casu patiatur illam aliquid proponere, quod non sit verissimum, & certissimum. Huius authoritatis diuinæ meminit Ioannes cap. 15 *Mittam vobis à Patre spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* & Matth. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Ioan. 15. ℣. 26. Matth. 10. ℣. 20.

Authoritas Ecclesiæ concurrit ad assensum fidei.

CONCLVSIO 1. *Authoritas Ecclesiæ secundo modo sumpta concurrit ad assensum fidei Catholicæ aliqua ratione.* Primùm, quia propter hanc causam dicitur Ecclesia, columna & firmamentum veritatis 1. Tim. 3.

1. Tim. 3. ℣. 16.

Euasio hæreticorum.

Respondent hæretici, propterea Ecclesiam vocari columnam & firmamentum veritatis, quòd in ea contineatur verbum scriptum, quod errare nullo modo potest, cùm hoc fuerit à Deo Opt. Max. dictatum; non autem quod authoritas Ecclesiæ concurrat ad assensum fidei diuinę.

Præcluditur.

Cetertùm responsio hęc nulla ratione defendi potest: primùm, quia si ità res haberet, Ecclesia neutiquam dicenda esset columna & firmamentum veritatis, sed theca & pixis aliqua, quæ contineret columnam & firmamentum veritatis. Secundò, Ecclesia non esset magis columna veritatis, quàm sit officina bibliopolarum, aut literatorium hominum bibliothecæ, in istis namque locis reperiuntur, atque adeò continentur libri sacri. Vltimò, Ecclesia dicitur à Paulo, *Columna & firmamentum veritatis.* At de ratione columnæ est vt per seipsam stet, & præterea cetera stare faciat: ergo idem quoque dicendum erit de authoritate Ecclesiæ.

1. Tim. 3. ℣. 15.

Deinde, SS. Patres constanter affirmant veritatem spectantem ad res de fide, esse repetendam ab authoritate Ecclesiæ, & quidem veluti à regula certissima credendorum: ità August. cap. 5, contra epist. fundamenti. *Euangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoueret authoritas.* Irenæus lib. 3. aduersùs hæreses, cap. 4. *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli, quasi in depositorium diues, plenissimè in ea contulerint omnia quæ sint veritatis.* & paulò post. *Si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nónne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & liquidum est?* &c. Hieronymus in fine dialogi contra Luciferianos. *Poteram omnes propositionum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare, in illa Ecclesia est permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsque ad hanc diem durat.* & Ambrosius lib. 3. epistolarum epist. 25. *Sta ergo in Ecclesia, sta vbi tibi apparui, ibi tecum sum. Vbi est Ecclesia, ibi firmissima statio tuæ mentis est: ibi fundamentum animi tui.*

D. August. Irenæus. Hieron. Ambros.

Effugium hæreticorũ.

Respondent hæretici, Patres ideò affirmare authoritatem Ecclesiæ esse tenendam, & eius iudicio standum inter proponendum res de fide, quòd penès Ecclesiam sit Scripturarum sacrarum lectio; scriptura autem à Deo tradita neminem fallere potest.

Explodituꝛ sicut & aliud.

Cetertùm responsio hæc fuit à nobis explosa ratione proxime antecedente. Subiungunt hæretici aliam solutionem, Patres ideo esse audiendos, & item Ecclesiam inter dictandas res de fide, non quod Patres aut Ecclesia sint erroris expertes, sed quia in Doctoribus Ecclesiasticis existit eruditio, quæ satis esse potest ad inuitandos & commouendos simplices, & idiotas, vt documenta fidei Christianæ acceptent.

Verùm neque hæc responsio vllo pacto sustineri potest; Ecclesia siquidem à Spiritu sancto dirigitur, quotiescumque proponit & dictat aliquid esse credendum tamquam de fide, ex locis paulo ante allatis.

Deinde, comparat August. loco cit. authoritatem Ecclesiæ cum authoritate Scripturarum sacrarum, & illam præfert isti.

Tertio, idem ibidem disputat contra Manichæos confirmantes sua dogmata Euangelio omnino diuerso ab eo quo vtitur Ecclesia Catholica, quod Euangelium ideo damnat, quod non fuerit authoritate Ecclesiæ receptum: non ergo authoritas Ecclesiæ acceptanda est, quod detur in ea sufficiens eruditio, & capacitas ad inuitandos illiteratos ad fidei Christianæ acceptationem, sed quia authoritas Ecclesiæ tantùm inter proponendum res de fide nec fallatur, nec aliquem fallere possit, idque quod loquatur dictante & mouente Spiritu sancto, adeo vt præcipuus author istius locutionis sit solus Spiritus sanctus, vel Deus.

Probatur 3. Conclusio. Ecclesia censetur esse regula certissima, & infallibilis in proponendis ijs

quę

quę ſunt de fide Catholica, vt videtur colligi ex cap. 4. Epheſ. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores*, &c. & paucis interiectis cauſam addit: *Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrina in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris*: ergo concurret Eccleſia ad aſſenſum fidei veluti regula communiſſima, & vniuerſalis credendorum. In hac Concluſione ſunt interpretes D. Thomæ. Imò ipſe D. Thomas ità expreſsè habet art. 3. queſt. 5. huius part. ait enim veritatem primam eſſe obiectum formale fidei, vt manifeſtatur in ſacris literis, & doctrina Eccleſiæ.

Epheſ. 4. ỽ. 11. Ibidem. ỽ. 14.

A

CONCLVSIO 2. *Authoritas Eccleſiæ ſumpta modo proximè explicato non concurrit ad aſſenſum fidei, vt principium formale totale aſſenſus eiuſdem, nec item vt partiale, ſed tantùm vt inſtrumentum teſtificationis, ſeu locutionis ſpiritus, ſiue, vt alij loquuntur, vt Eccleſia eſt regula certiſſima proponendi credibilia, de lege communi.*

Authoritas Eccleſiæ cõfert ad formale obiectum, vt inſtrumentum Spiritus ſancti.

B

Prima pars probatur: quod non eſt obiectum formale fidei nec partiale, nec totale, non poteſt eſſe ratio aſſentiendi rebus de fide; at authoritas diuina ſumpta vt explicatur per Eccleſiam, nec eſt obiectum partiale, nec totale fidei; diximus enim Dubit. antecedente obiectum formale totale fidei eſſe primam veritatem reuelantem ſe, & alia à ſe obſcurè: ergo authoritas Eccleſiæ non eſt obiectum formale fidei.

1.

C

Deinde, ſi authoritas Eccleſiæ ſumpta pro teſtificatione diuina explicata per Eccleſiam, concurreret ad aſſenſum fidei, vt obiectum formale eiuſdem, id haberet, vel à ſe, vel ab alio: non primùm, quia de ratione intrinſeca cauſæ formalis eſt, vt ità producat effectum ſuum formalem, quòd à nullo alio eſſe poſſit: at teſtificatio diuina explicata per Eccleſiam, vt ſic, non eſt eadem cum ipſamet teſtificatione diuina, ſed diuerſa, ſaltem ſecundum modificationem: ergo non poteſt inducere tantam certitudinem, quantam inducit ſumpta in ſeipſa, & vt communicatur ab ipſomet Deo nobis: Nec ſecundum, quia ſi haberet, aliunde deſumeret eſſe obiectum formale, vt patet ex ratione deducta.

2.

D

Tertiò, non reſoluitur in authoritatem Eccleſiæ, velut in cauſam formalem, ſed tantùm vt in cauſam proponentem, vt explicabitur infra: ergo neque poteſt eſſe teſtificatio hæc Eccleſiaſtica, obiectum formale fidei noſtræ.

3.

Probatio 2. part.

Secunda verò pars probatur, authoritatem ſcilicet Eccleſiæ concurrere ad aſſenſum fidei, tamquam inſtrumentum, & organum locutionis diuinæ, aut vt alij loquuntur, tamquam regulam certiſſimam & indubitatam proponendi credibilia de lege communi, aut etiam, vt alij, tamquam conditionem ſinè qua non: non quidem hoc ſenſu, quaſi habeat tantùm rationem conditionis, ſed quia ſe habet veluti conditio, addit tamen aliquid ſupra illam; non quòd verè & de facto attingat effectum. Probatur ergo ex iſtis locis Scripturæ, Malach. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* & Deuter. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, &c. cauſam & cauſam, lepram & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæréſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus & docuerint te iuxta legem eius, ſequerisque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram: qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo & decreto iudicis, morietur homo ille.* & Mar. vlt. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ* & Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* & Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* & Ioan 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* At certum eſt Chriſtum miſſum eſſe à Patre, vt myſteria fidei ab eo reuelarentur mortalibus, atque adeo vt omnes aſſentirentur Chriſto loquenti, & explicanti documenta fidei noſtræ: ergo &c.

Malac. 2. ỽ. 7. Deut. 17. ỽ. 8. 9. 10. 11. Mar. 16. ỽ. 15. Matth. 28. ỽ. 19. Lucæ 10. ỽ. 16. Ioan. 20. ỽ. 21.

E

Accedit ratio. Quilibet noſtrûm tenetur ſtare definitioni Eccleſiæ de re aliqua pertinente ad fidem Catholicam, ex loco cit. Lucæ, & Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*: ergo authoritas Eccleſiæ conducit ad aſſenſum fidei, vt organum locutionis Spiritus ſancti, & vt regula indubitata credendorum.

Matth. 18. ỽ. 17.

Obiectio.

Obijcies, ſolam primam veritatem reuelantem ſe, & alia à ſe obſcurè concurrere ad aſſenſum fidei: ergo falſum eſt authoritatem Eccleſiæ ſumptam modo explicato concurrere ad eumdem: non enim habet hæc rationem obiecti formalis fidei, ſed ſola prima veritas reuelans, vt docuimus ſupra.

Solutio.

Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem autem conſecutionis dico, probaſe tantùm cauſam formalem aſſenſus fidei nullam aliam eſſe præter primam veritatem, cum quo rectè cohæret, quod authoritas Eccleſiæ concurrat ad eumdem aſſenſum, tamquam organum locutionis Spiritus ſancti, aut tamquam regula credendorum, quod nos intendimus.

Obiectio 2.

Obijcies 2. authoritatem Eccleſiæ dirimere quaſcumque controuerſias de fide; ſtandum enim eſt iudicio Eccleſiæ in his omnibus quæ fuerunt ab ea definita: imo hoc viderur eſſe diſcrimen inter Catholicum & hæreticum hominem, quod hic reſpuat, & abijciat omni ex parte Eccleſiæ authoritatem: ille vero eamdem acceptet.

Solutio.

Reſpondeo, authoritatem Eccleſiæ definire & determinare, quid ſit tamquam de fide tenendum; non tamen propterea concurrere ad aſſenſum fidei vt obiectum formale eiuſdem: ſed tantùm vt eſt inſtrumentum & organum locutionis Spiritus ſancti, & vt eſt prima regula credendorum. Ad id vero quod ſubiungitur Catholicum diſtingui ab hæretico, quod abijciat hic authoritatem Eccleſiæ ille vero admittat, dico hæreticum ideo eſſe hæreticum, quod diſcredat vni, aut pluribus articulis fidei Chriſtianæ cum pertinacia, Catholicus vero ideo donatur hoc nomine, quod fidem vbique receptam, & à Deo reuelatam propoſitámque ſibi credendam authoritate Eccleſiæ probet & profiteatur.

Obiectio 3.

Obijcies 3. authoritatem Eccleſiæ ſumptam pro teſtificatione Spiritus ſancti, ſeu, vt eſt regula prima, & vniuerſalis credendorum, eſſe vnum ex articulis fidei Chriſtianæ: ergo nequit hæc concurrere ad aſſenſum fidei.

Solutio.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſecutionem: nam reuelatio diuina obſcura computatur inter articulos fidei Chriſtianæ, & ta-

Digitized by Google

men docuimus, reuelationem iſtam eſſe rationem aſſentiendi ſibi, & ceteris alijs à Deo reuelatis: ergo hoc idem erit dicendum de authoritate Eccleſiæ in ordine ad aſſenſum fidei, prout hic pendet à regula prima, & vniuerſali credendorum.

Obiectio 4. Obijcies 4. Authoritatem Eccleſiæ ſe habere tantùm per accidens ad aſſenſum fidei; nam hæc non habuit locum in Apoſtolis, Patriarchis, & Prophetis, & tamen iſti crediderunt rebus de fide non minùs, quàm faciamus nos, & per eamdem ſpecie fidem diuinam.

Solutio. Reſpondeo, ſi per particulam iſtam, *per accidens*, ſignificetur idem, atque non eſſe de eſſentia, fateor authoritatem Eccleſiæ ſe habere per accidens ad aſſenſum fidei; ſi autem particula *per accidens*, dicat, non eſſe neceſſariam ad aſſenſum fidei producendum, conſtanter nego authoritatem Eccleſiæ ſe habere per accidens; nam de lege communi nullus eſt, qui poſſit credere rebus de fide, niſi poſita authoritate Eccleſiæ, quæ facit vt explicentur nobis documenta fidei noſtræ. Ad id verò quod dicitur de Apoſtolis & alijs, reſpondi in antecedentibus, ex iſtis ſolùm colligi fidem poſſe dari in aliquibus via extraordinaria ſinè authoritate Eccleſiæ.

Replica. Dices, ex dictis euidenter inferri Scripturam ſacram concurrere ad aſſenſum fidei, vt inſtrumentum locutionis Spiritus ſancti, atque adeo illo eodem modo, quo authoritas Eccleſiæ.

Diſſoluitur. Reſpondeo, Scripturam verè continere locutionem Spiritus ſancti: fuit enim hæc ab ipſomet Spiritu dictata: continere præterea documenta de fide Chriſtiana & Catholica: nego tamen ex iſtis poſſe colligi eodem modo concurrere ad aſſenſum fidei, quo authoritas Eccleſiæ; nam locutio Spiritus ſancti non continetur totaliter & adæquatè in verbo ſcripto, cùm non minùs habeatur in tradito: Eccleſia autem continet teſtificationem Spiritus ſancti adæquatè, ſaltem ex eo capite quòd ſolius Eccleſiæ ſit decernere, qua ratione & Scriptura ſacra, & verbum tradita ſint intelligenda. Deinde, quia nec Scriptura, nec traditio poteſt audire, excipere, nec item iudicare de dubijs ortis, circa documenta fidei; ſed iudicium eſt penès ſolam authoritatem Eccleſiæ, adeò vt dicatur 1. Pet. 3. de paſtoribus Eccleſiaſticis; *Paratis ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.* 1. Pet. 3. ℣. 15.

Authoritas Eccleſiæ ad aſſenſum fidei neceſſaria.

CONCLVSIO VLTIMA. *Authoritas Eccleſiæ ſumpta pro multitudine, Doctorum, probitate ac ſucceſſione eorumdem, ac proinde prout hæc generat in nobis fidem aliquam humanam, eſt ad aſſenſum fidei diuinæ producendum neceſſaria.* Primùm, quia idcircò dicitur Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* & ibidem. *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſinè prædicante?* Propter hanc etiam cauſam ità loquitur Chriſtus Ioan. 15. *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent* & paucis interiectis. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*, infidelitatis ſcilicet, & cap. 4. *Multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.* & Actor. 13. dicitur de Sergio, quòd audito Paulo, & viſo miraculo ab eodem facto, crediderit in Chriſtum. *Tunc Proconſul cùm vidiſſet factum, credidit admirans ſuper doctrina Domini.* & Exodi 4. cùm Moyſes dixiſſet Deo; *Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent, non apparuit tibi Dominus.* Subiunxit illi Dominus; *Virgam hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna*: Quod idem eſt ac ſi diceret, Ex ſignis & miraculis quæ facies probabis te eſſe à me miſſum. Ibid. ℣. 17.

Deinde, hæc eſt ſententia D. Thomæ quæſt. 2. huius part. art. 9. ad 3 ait enim illic fidem noſtram niti triplici fundamento, doctrina ſcilicet diuinitus reuelata, doctrina miraculis confirmata, & interiori motione Spiritus ſancti: hanc autem motionem præponit alijs duobus principijs commemoratis. Idem docent eiuſdem interpretes alij hoc loco, alij ad art. 9.

Tertiò, res de fide non aliter poſſunt eſſe credibiles in ordine ad nos, niſi fuerint nobis explicatæ à Paſtoribus, & Prælatis, ex loco cit. Rom.

Quartò, nullus eſt qui teneatur aſſentiri ſtatim rebus de fide, ſed tenemur prudenter credere ex illo Eccleſ. 19. *Qui credit citò, leuis corde eſt* & alibi monet ſcriptura non eſſe feſtinandum ad credendum aliquid; at poſita authoritate Eccleſiæ ſumpta modo explicato, res de fide cenſentur eſſe credibiles prudenter, reſpectu cuiuslibet noſtrûm: vix enim excuſari poteſt à temeritate qui non vult aſſentiri articulis fidei noſtræ, quando conſtat fuiſſe acceptatos à viris eruditione præſtantiſſimis & ſanctiſſimis, & adhuc per tot ſecula, & præterea cùm res iſtæ innumeris propemodum miraculis fuerint confirmatæ. Eccleſ. 19. ℣. 4.

Explicatur concluſio. Cùm autem diximus authoritatem Eccleſiæ ſumptam modo explicato, atque adeò fidem aliquam humanam eſſe neceſſariam ad aſſenſum fidei diuinæ in nobis, hoc venit intelligendum de lege communi: non autem de potentia Dei abſoluta; diximus ſiquidem ſupra, Apoſtolos, Prophetas, & Patriarchas res de fide acceptaſſe, ſecluſa qualibet authoritate Eccleſiæ; fuerunt enim iſti edocti in myſterijs fidei Catholicæ à ſolo Deo, ſecluſo quocumque ſenſili, & externo argumento. Deinde, quod Deus facit media cauſa ſecunda in ratione cauſæ efficientis phyſicæ, poteſt ſe ſolo præſtare: ergo ſi de lege communi facit Deus, vt res de fide ſint prudenter credibiles dependenter à fide humana, poterit etiam ſe ſolo credibilitatem iſtam inducere, & conſequenter facere vt aliquis credat fide diuina articulos fidei noſtræ, ſinè vlla authoritate humana.

Qua ratione concurrat fides humana ad aſſenſum fidei. Addo, fidem iſtam humanam conducere ad aſſenſum fidei diuinæ, hoc nomine, quòd inducat in nobis diſpoſitionem aliquam ad acceptandum diuinum teſtimonium, & præterea vt hoc ſuos poſtea exequatur effectus in nobis, & denique vt remouens prohibens; facit quippe fides iſta humana vt auferantur à nobis impedimenta, quæ facere poterant ne aſſenſus fidei diuinæ daretur in nobis.

Obiectio 1. Obijcies, moueri nos ad aſſentiendum rebus de fide ſola teſtificatione primæ veritatis, & authoritatis Eccleſiæ, ſumptæ pro infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti, ne Eccleſia erret in rebus de fide proponendis; at non poſſumus iſtis principijs & motiuis aſſentiri, niſi cognoſcamus Deum eſſe veracem in dicendo, & niſi illud idem exiſtimemus de Eccleſia Catholica: ergo cùm naturaliter cognoſcamus Deum eſſe veracem in dicendo, atque adeò & Eccleſiam, quando aliquid credendũ proponit, fides aliqua humana erit ſimpliciter neceſſaria ad credendũ res de fide diuina.

Deinde,

Digitized by Google

1. Deinde, non eſt per ſe notum nobis Deum revelare res de fide, neque de hac re conſtat aliqua alia ſpeciali reuelatione, alioquin daretur progreſſus in infinitum: ergo admittenda ſunt argumenta quædam humana, quibus conſtet Deum, reuelare aliqua, eáque veriſſima & certiſſima: inter hæc argumenta autem computantur miracula, authoritas Eccleſiæ ſumpta pro innumera illa Doctorum multitudine, qui hactenus præfuerunt Eccleſiæ, pro ſanctitate & ſucceſſione eorumdem.

Solutio adi. Reſpondeo ad 1. ſolam teſtificationem diuinam & authoritatem Eccleſiæ ſumptam pro infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti, eſſe rationes propter quas aſſentimur rebus de fide iuxta modum à nobis ſupra explicatum: vnde aſſerendum eſt nullam planè fidem humanam concurrere tamquam principium formale aſſenſus, reſpectu eorum quæ credimus fide Catholica; diuina namque reuelatione obſcura cognoſcimus, & reuelationem ipſam, & ea omnia quæ reuelantur à Deo eſſe vera: illa eadem ratione, ceteris tamen paribus, qua Sol ſeipſum præbet conſpiciendum, & præterea quælibet alia colorata: aut etiam eodem modo quo locutio noſtra, & ſeipſam manifeſtat, & res ſignificatas per voces articulatas: eſt enim propoſitio indubitata, idem poſſe eſſe manifeſtatiuum ſui ipſius & alterius, eadem ratione qua prima diſpoſitio eſt ratio recipiendi ſe, & alia à ſe. Ex quibus colliges non dari progreſſum in infinitum in rebus de fide credendis, ſiſtitur enim in prima veritate reuelante ſe, & alia à ſe obſcurè, & in authoritate Eccleſiæ ſumpta pro infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti. Ad minorem verò reſpondeo, fide humana conſtare, ſeu, quod idem eſt, ratione naturali manifeſtiſſima, Deum eſſe veracem in dicendo; adeo vt nec ille falli poſſit inter intelligendum, nec aliquem fallere queat, propter infinitam bonitatem & ſapientiam, quam in ſe habet: hoc tamen non innoteſcit nobis naturaliter de authoritate Eccleſiæ; conſtat enim iſtam eſſe infallibilem in proponendis rebus de fide ſola authoritate diuina; vt colligitur ex cap. 3. 1. ad Timoth. allato in ſuperioribus. Ex his autem ſolùm colligere licet fidem aliquam humanam eſſe neceſſariam ad aſſenſum fidei, non quidem abſolutè & ſimpliciter, aut tamquam obiectum formale per ſe, ſed vt remouens prohibens, vel, vt alij loquuntur, tamquam diſpoſitio aliqua remota.

1. Tim. 3. ℣. 16.

Ad 1. Ad 1. verò dico, veriſſimum eſſe non eſſe per ſe notum nobis Deum reuelare aliqua ordinis ſupernaturalis; ſed res hæc nobis innoteſcit per Eccleſiam, tamquam per cauſam proponentem: per primam verò veritatem reuelantem ſe, & alia à ſe obſcurè, tamquam per principium formale aſſenſus, quem præbemus rebus à Deo reuelatis. Ad id verò quod dicitur motiua quædam eſſe neceſſaria ad aſſenſum fidei. Reſpondeo quemadmodum argumento proximè ſoluto, eſſe neceſſaria, ad prudenter credendum, non autem ad aſſentiendum ſimpliciter rebus de fide.

DVBITATIO SEXTA.

Quid ſit illud in quod vltimò reſoluitur aſſenſus fidei Chriſtiana.

ADuerte, rem quamlibet tunc temporis reſolui vltimò, quotieſcumque reuocatur ad eas cauſas ex quibus conſurgit; ob id enim diximus rem quamlibet naturalem vltimò reſolui, quandocumque reuocatur ad materiam & formam, ex quibus producitur & præterea ad cauſas efficientes: quoniam autem aſſenſus fidei pendet nedum à cauſis quibuſdam efficientibus, verùm & à quibuſdam formalibus, idcircò quærimus hoc loco quæ ſint illæ cauſæ, tum efficientes, tum formales, in quas vltimo reſoluitur fides noſtra: de qua re ſit

Quando quid dicatur reſolui in aliud.

CONCLVSIO 1. *Aſſenſus fidei noſtræ reſoluitur vltimò in motionem interiorem Spiritus ſancti: Deus enim eſt qui mouet intellectum & voluntatem noſtram intrinſecè, vt aſſentiamur illis omnibus quæ ſunt de fide Catholica, adeo vt motio iſta interior Spiritus ſancti ſit cauſa principalis aſſenſus fidei noſtræ.* Colligitur ex cap. 6. Ioan. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*; Loquitur autem manifeſtè de eo acceſſu qui fit per fidem ad Deum: & in Actibus Apoſtolorum cap. 16. dicitur de Lydia, quòd Dominus aperuerit illi cor intendere his quæ dicebantur à Paulo: ac proinde conuerſa eſt ad religionem Chriſtianam.

Fides reſoluitur vltimo in motionem Spiritus ſancti.

Ioan. 6. ℣. 44.

Act. 16. ℣. 14.

Deinde, propter hanc cauſam fides dicitur in ſacris literis donum Dei, ad Epheſ. 2 *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.*

Epheſ. 2. ℣. 8.

Tertiò, Sancti Patres docent verbis expreſſis non aſſentiri Scripturis ſacris, non quòd illæ fuerint à Moyſe, aut à Paulo ſcriptæ, ſed quia à Spiritu ſancto reuelatæ: imò addunt propter motionem interiorem, quam habet fidelis, aſſenſum fidei habere locum in nobis: Ità Auguſt lib. 11. Conf. cap. 3. *Audiam, & intelligam, quomodo in principio feciſti cœlum & terram. Scripſit hoc Moyſes, ſcripſit & abiit, tranſiuit hinc ad te. Neque enim nunc ante me eſt. Nam ſi eſſet, tenerem eum, & rogarem eum, & per te obſecrarem, vt mihi iſta panderet, & præberem aures corporis mei ſonis eruumpentibus ex ore eius. Et ſi Hebræa voce loqueretur, fruſtra pulſaret ſenſum meum, nec inde mentem meam quidquam tangeret. Si autem Latinè, ſcirem quid diceret. Sed vnde ſcirem, an verum diceret? Quod ſi & hoc ſcirem, num ab illo ſcirem? Intus vtique mihi, intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara veritas ſinè oris & linguæ organis, ſinè ſtrepitu ſyllabarum diceret, verum dicit: & ego ſtatim certus confidenter illi homini tuo dicerem, verum dicis. Cùm ergo illum interrogare non poſſim, te, quo plenus vera dixit, veritas, rogo te Deus meus, rogo parce peccatis meis & qui illi ſeruo tuo dediſti hæc dicere, da & mihi hæc intelligere* & tract. 3. can. Ioan. in fine in 1. docet admonitiones Prælatorum eſſe quædam credendi adiutoria: Ceterùm Deum obtinere cathedram in cœlis, qui corda mouet in terris, ſcilicet ad credendum, & cap. 16. lib. 4. de doctrina Chriſtiana, verbis expreſſis habet neminem poſſe adhærere rebus fidei, niſi fuerit hic factus à Deo docilis. Hæc eſt ſententia D. Thomæ art. 9. quæſt. 2. huius part. ad 3. ait enim fidem niti doctrinæ diuinitus reuelatæ, & miraculis confir-

D. Auguſt. auctoritas.

D. Thom.

Google

mata, & denique motione interiore Spiritus ſanctí præcipuè & principaliter, quæ datur in omni planè credente.

Præter motionem Spiritus ſancti datur alia cauſa efficiens aſſenſus fidei.

Cùm autem diximus aſſenſum fidei reſolui in motionem interiorem Spiritus ſancti, id non eſt ità intelligendum, quaſi velimus nullam aliam extare cauſam efficientem aſſenſus fidei noſtræ: nam præter iſtam motionem interiorem Spiritus ſancti, ad hunc aſſenſum producendum concurrunt in ratione cauſæ efficientis intellectus & voluntas: de intellectu patet euidenter ex eo, quòd D. Auguſt. dicat credere nihil aliud eſſe, quàm intelligere id quod non videmus: & D. Thomas quæſt. ſequenti ait credere nihil aliud eſſe, quàm cum aſſenſu cogitare.

Deinde, aſſenſus cenſetur eſſe actus vitalis, atque adeò immanens, ſed aſsenſus fidei noſtræ, non eſt vitalis, niſi dependenter ab intellectu & voluntate noſtra; motio namque diuina quæ concurrit ad huiuſmodi aſſenſum producendum, non eſt formaliter vitalis, cùm careat principio formaliter vitali; intellectus autem & voluntas ſunt potentiæ vitales: de voluntate verò manifeſtè ex eo comprobatur, quod aſſenſus fidei ſit vt plurimum meritorius; at meritum conſurgere nequit ſinè libertate, ex quæſt. vltima 1. 2. D. Thomæ.

Denique, regula actionum humanarum cenſetur eſſe voluntas; at inter actus humanos computatur aſſenſus fidei, ex communi doctrina.

Motio Spiritus ſancti cauſa præcipua aſſenſus fidei.

Eſt autem obſeruandum motionem interiorem Spiritus ſancti, eſſe cauſam præcipuam & principalem aſſenſus fidei noſtræ; intellectum verò & voluntatem eſſe cauſam quidem efficientem, ceterùm incompletam, imperfectam, & remotam: eſt enim aſſenſus fidei ordinis ſupernaturalis, vnde & à principio ſupernaturali produci debet; hoc autem eſt motio interior Spiritus ſancti: quia tamen motio hæc non eſt intrinſecè & formaliter vitalis, bene tamen intellectus & voluntas, ideò aſſenſus fidei noſtræ producitur & à motione diuina, & ab intellectu, & voluntate creata, veluti à duabus cauſis, quarum neutra ſeorſim ſumpta ſufficit ad aſſenſuum fidei producendum, bene tamen coniunctim, vnde vitalitatem confert intellectus & voluntas, ſupernaturalitatem verò motio interior Spiritus ſancti; atque adeò in ordine ad iſtam ſupernaturalitatem fatentur aliqui aſsenſum fidei pendere ab intellectu & voluntate, veluti à cauſis quibuſdam inſtrumentarijs, à motione verò diuina veluti à cauſa principali.

Aſſenſus fidei non reſoluitur vltimò in authoritatem Eccleſiæ.

CONCLVSIO 2. *Aſſenſus fidei non reſoluitur vltimò in authoritatem Eccleſiæ prout fide humana credimus Eccleſiam errare non poſſe in præſcribendis rebus de fide credendis.* Primùm, quia ſi aliter res haberet, vt opinantur plerique, ſequeretur aſsenſum fidei noſtræ non eſſe certiſſimum; concluſio quippe deducta ex principijs aliquibus nequit eſſe certior, quàm ſint ipſa principia; pendet enim certitudo concluſionis à certitudine principiorum, ex quibus deducitur: at aſſenſus fidei noſtræ eſt in ſe certiſſimus, & indubitatus, propter teſtificationem primæ veritatis cui innititur: non ergo reſoluitur aſſenſus hic in fidem humanam, qua credimus Eccleſiam errare non poſſe in dictandis ijs quæ ſunt de fide.

Deinde, ſequeretur fidem noſtram non inniti principio increato, cuius tamen oppoſitum docuimus ſupra.

Tertiò, cognitio certiſſima debet inniti principio certiſſimo, cuius tamen generis non eſt fides humana; Deus enim cenſetur eſſe verax, omnis autem homo mendax.

Quartò, tam certè reuelatum eſt à Deo Eccleſiam eſſe veracem, inter proponendum res de fide, quàm Deum eſſe vnum & trinum, vt patet ex 1. Timot. 3. vbi dicitur columna & firmamentum veritatis, & Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Ex quo loco Hieronymi in epiſt. ad Damaſum, docet Pontificem Rom. non poſſe errare ex cathedra aliquid dictantem. Luc. 22. ℣. 32. Rom. 10. ℣. 17.

Obiectio.

Obijciunt authores contrariæ ſententiæ, fidem noſtram eſſe ex auditu, auditum autem per verbum Dei: ergo fides noſtra pendet ab humana authoritate. Confirmant: Si daretur aliquis educatus in illis regionibus, in quibus nihil hactenus auditum eſt de fide diuina, cui proponerentur myſteria de fide ab aliquo, hic non poſſet prima vice aſsentiri rebus de fide, propter authoritatem diuinam; bene tamen propter teſtificationem humanam: ergo.

Solutio.

Reſpondeo, ex loco Pauli ſolùm colligi poſſe fidem humanam conducere ad aſsenſum fidei diuinæ interdum, & aliquando, veluti remouens prohibens, fides quippe iſta humana aufert à nobis impedimenta quæ facere poterant nę aſsentiremur rebus fidei diuinæ. Deinde fides hæc humana inducit aliquas diſpoſitiones remotas quibus poſitis facilitantur intellectus & voluntas, ad hoc vt recipiant in ſe teſtificationem diuinam quę poſteà ſuos ſortiatur in nobis effectus.

Ad confirmationem, reſpondeo illud idem quod ad teſtimonium Pauli; moneo tamen hominem iſtum numquam aſsenſurum rebus fidei Chriſtianę, & Catholicę, niſi dependenter à motione aliqua interiori Spiritus ſancti, & à prima veritate reuelante ſe, veluti à cauſa formali aſsenſus fidei noſtræ.

Obiectio 2.

Obijciunt 2. Ss. Patres cõmuniter affirmare, ſe contineri intrà terminos fidei noſtræ, propter authoritatem Eccleſię; imo docti & indocti quilibet reſpondent frequentiſſimè ſe propterea credere hęc & illa, quod Eccleſia proponat illa omnia credenda.

Solutio.

Reſpondeo, hoc ideo ſuſtineri à Patribus, & à doctis & indoctis, quod authoritas Eccleſię ſit nobis notior teſtimonio primę veritatis increatę; quia authoritas Eccleſię pendet à prima veritate, veluti à cauſa prępcipua & principali. Ex iſtis tamen non licet colligere aſsenſum fidei reuocari vltimo, ſeu reſolui in authoritatem Eccleſię, veluti in ſuum principium formale, ſed tantùm tamquam in illud quod eſt antecedenter ad aſsenſum fidei, & quod eſt de lege tantùm communi. Vt autem hæc reſponſio ſit magis explicata.

Progreſſus fidei Catholicæ.

Aduerte, progreſſum aſsenſus fidei noſtræ ità fieri quoad nos, vt primo loco credamus quę referuntur à Prælatis, & paſtoribus Eccleſiaſticis fide humana: exiſtimamus enim illos eſſe veraces & bonos, atque adeo neminem velle fallere. Deinde, fide diuina credimus Eccleſiã eſſe magiſtram reſpectu eorum quę pertinent ad fidem Catholicam. Tertio, credimus ea omnia quę proponuntur credenda ab Eccleſia, tamquam articulos fidei Catholicę, ratio tamen aſsentiendi duobus poſterioribus explicatis, eſt ſola prima veritas reuelans ſe, & alia à ſe obſcurè, authoritas vero Eccleſiæ concurrit ad hęc eadem, ceterùm vt cauſa proponens & explicans rationem credendi: primum autem

quod

quod diximus ſola fide humana credimus.

Fidei aſſenſus reuocatur in Eccleſiæ authoritatem proponentem.

CONCLVSIO 3. *Aſſenſus fidei reuocatur vltimò in authoritatẽ Eccleſiæ, velut in cauſam proponentem ſeu, quod idem eſt, in cauſam teſtificantem hæc vel illa eſſe à Deo reuelata.* Primùm, quia SS. Patres propterea affirmant ſe credere Euangelio, quia ad id mouentur authoritate Eccleſiæ: ità D. Auguſt. lib. contra epiſtolam fundamenti cap. 5. *Si ergo, inquit, inuenires aliquem qui Euangelio non credit, quid faceres, dicenti tibi, non credo? Ego verò non crederem Euangelio, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas.* & de vtilitate credendi, cap. 7. Hieronym. ad cap. 5. epiſtolæ ad Galatas. Ambroſ. lib. 3. de fide, cap. 1. Gregor. lib. 28. moralium, cap. 9. Epiphanius hæreſi 61. & alij.

D. Auguſt. *Hieronym.* *Ambroſ.* *Gregor.* *Epiphan.*

Deinde, quælibet controuerſiæ de fide terminandæ ſunt iudicio & authoritate Eccleſiæ, vt conſtat ex illis locis Scripturæ quos præcedenti Dubit. attulimus.

Tertiò, iudicium Eccleſiæ eſt infallibile; nequit enim hæc aliquid proponere credendum, quod non ſit cum veritate coniunctum, vt conſtat ex 1. ad Timoth. 3. & Luc. 22.

1. Tim. 3. verſ. 16. *Luc 22. verſ. 32.*

Denique, monuimus in principio huius Dubitationis, fidem tunc debitè reſolui quando reducitur ad eas cauſas ex quibus conſurgit; aſſenſus autem fidei conſurgit ex authoritate Eccleſiæ, tamquam cauſa proponente, ſeu organo teſtificationis Spiritus ſancti: ergo aſſenſus fidei reuocatur in authoritatem Eccleſiæ, velut in cauſam proponentem. Ità docent communiter omnes in 3. diſt. 23. alij 25. & D. Thomas hoc loco.

Authoritas Eccleſiæ non eſt cauſa efficiens aſſenſus fidei.

ROGABIS, *An authoritas Eccleſiæ ſit cauſa efficiens aſſenſus fidei, materialis, formalis, aut finalis.*

RESP. *Non eſſe cauſam efficientem aſſenſus fidei:* diximus enim motionem interiorem Spiritus ſancti, quæ datur in quolibet credente, intellectum & voluntatem eiuſdem producere aſſenſum fidei tamquam cauſas efficientes, cùm verè influant in aſſenſum fidei, non verò authoritas Eccleſiæ.

Nec cauſa materialis.

RESP 2. *Non pendere aſſenſum fidei ab authoritate Eccleſiæ velut à cauſa materiali*; hæc enim intrinſecè concurrit ad compoſitionem illius cuius eſt cauſa materialis; aſſenſus autem fidei non conſurgit intrinſecè ab authoritate Eccleſiæ cùm hæc ſit extra, & tota reſideat in Prælatis Eccleſiaſticis.

Nec finalis.

Nec item habet rationem cauſæ finalis, reſpectu aſſenſus fidei, quia non mouetur Deus ad reuelanda myſteria de fide propter authoritatem Eccleſiæ; nec etiam is qui credit: ſupereſt ergo vt authoritas Eccleſiæ habeat rationem cauſæ formalis reſpectu aſſenſus fidei.

Obiectio.

Dices, hæc pugnare cum iis quæ docuimus Dubitatione proximè antecedente: docuimus namq; cauſam formalem & adæquatam aſſenſus fidei eſſe primam veritatem reuelantem ſe & alia à ſe obſcurè; hîc autem dicimus authoritatem Eccleſiæ eſſe cauſam formalem aſſenſus fidei.

Solutio.

Reſp. hæc nulla ratione inter ſe pugnare; quod enim diximus Dubitatione antecedente intelligendum eſt de cauſa formali per ſe, & ſua natura totali, & adæquata aſſenſus fidei, cuiuſmodi eſt ſola prima veritas reuelans ſe obſcurè: dicta verò hoc loco velim intelligenda de cauſa formali eiuſdem per accidens; non verò per ſe, & ſua natura: nõ implicat autem, vnius & eiuſdem effectus formalis extare duas diuerſas cauſas formales, modò tamen vna ſe habeat ad producendum effectum per ſe & ſua natura; alia verò per accidens, nempe prout id contingeat dependenter ab ordinatione diuina, & in ordine tantùm ad nos.

A CONCLVSIO VLTIMA. *Aſſenſus fidei reſolvitur vltimò in primam veritatem reuelantem ſe, & alia à ſe obſcurè, velut in cauſam formalem totalem & adæquatam per ſe* Primùm, quia dicitur 1. Ioan. 5. *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*, id eſt, mouetur teſtimonio diuino ad credendum. & Ioan. 12. *Qui credit in me*, ait Chriſtus, *non credit in me, ſed in eum qui miſit me.* id eſt, qui credit in filium non tam credit teſtimonio filij, quàm Patris, qui miſit eum.

Vltima reſolutio fidei in primam veritatẽ vt in cauſam formalem. *1. Ioan. 5. verſ. 10.* Idem 12. verſ. 44.

Deinde, aſſenſus fidei tribuitur in ſacris litteris reuelationi, ſeu teſtificationi diuinæ, Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt* & Ioan. 1. *Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit.* Hæc eſt communis ſententia interpretum S. Thomæ hoc loco, maximè verò Peſantij, diſp. 7. ad hunc art. & Malderæ ſect. 6. & 7. & Banniz ibidem.

Matth. 16. verſ. 17. *Ioann. 1. verſ. 18.*

Obiectio.

Dices, ſi ità res haberet, ſequeretur eum non eſſe hæreticum qui aſſentiretur rebus omnibus de fide propter teſtificationem primæ veritatis, excludendo authoritatem Eccleſiæ; retineret enim aſſenſum fidei propter primam veritatem reuelantem ſe obſcurè, quam dicimus eſſe rationem formalem eiuſdem per ſe, & ſua natura.

Solutio.

Reſpond. negando illationem propoſitionis. Ad eius probationẽ autem, dico authoritatẽ Eccleſiæ, excludi non poſſe, à ratione formali aſſenſus fidei; idque quòd ſit vnum ex documentis à prima veritate reuelatis, vt conſtat ex cap. 3. 1. Timoth. atque adeò hæc eſt tam verè credenda, quàm creditur Deum eſſe vnum & trinum; vnde & ad huiuſmodi aſſenſum producendum à prima veritate reuelante ſe, mouemur velut à principio formali iſtius aſſenſus.

Replica.

Dices, ſaltem nos admittere circulum inter aſſentiendum rebus fidei; nam aſſentimur iſti propoſitioni, *Deus eſt vnus & trinus*, quia reuelauit prima veritas; huic verò, *Prima veritas reuelauit*, propter authoritatem Eccleſiæ, quę infallibilis eſt inter proponenda credibilia: iſti demum, *Eccleſia errare nequit in proponendis rebus de fide*, propter teſtimonium primæ veritatis: ergo admittitur circulus, ſeu nugatio: probatur enim idem per idem, nempe prima veritas per primam veritatem.

Diſſoluitur: Vitatur circulus in reſolutione fidei.

Reſpondeo, negando illationem propoſitionis maioris: ad hoc enim vt admittatur circulus ſimpliciter & abſolutè requiritur, vt idem probetur per idem, & eodem modo: & præterea vt idem ſit prius & poſterius, notum & ignotum eadem ratione: hoc autem non contingit in re propoſita, nam ratio aſſentiendi propoſitionibus prædictis, vt principium formale totale aſſenſus, eſt ſola prima veritas reuelans: authoritas verò Eccleſiæ ſe habet ad huiuſmodi aſſenſum producendũ, tamquam cauſa proponens, atque adeò diuerſa planè ratione ab ea, qua aſſenſum iſtum producit prima veritas reuelans ſe, & alia à ſe obſcurè. Accedit quod diximus in antecedentibus, primam veritatem eſſe cauſam formalem totalem aſſenſus fidei noſtræ per ſe, & ſua natura; authoritatem verò Eccleſiæ eſſe cauſam formalem per accidens eiuſdem tantùm, & in ordine ad eum modum, quo fides de communi lege recipitur in nobis. Vide plura de iſtis apud authores proximè citatos, maximè verò apud Peſantium: hic enim accuratiùs præ ceteris difficultatem iſtam examinat.

Corollariũ. Hæreticum eſt reſolui aſſenſum fidei in peculiarem relationem.

Ex iſtis colliges, hæreticos noſtri temporis turpiſſimè aberrare, dum docent aſſenſum fidei noſtræ reſoluendum eſſe ſimpliciter, & abſolutè in

priuatam reuelationẽ Spiritus ſancti, quam contendunt dari in quolibet homine fideli, & per eam perfectiſſimè inueſtigari qui libri ſint Canonici, qui apocryphi, quis ſit verus & germanus ſenſus Scripturæ canonicæ, & demum quæ ſint de fide tenenda, quę verò non. Primùm, quia quilibet noſtrûm credit in Deum fide diuina, & tamen nullus eſt inter nos qui experiatur huiuſmodi particularem reuelationem. Deinde, quia licèt fateremur reuelationem hanc dari cuilibet in particulari, illa tamen non ſufficeret ad eliciendum aſſenſum fidei, & ad cognoſcendas propoſitiones de fide Catholica; nam D. Paulus ad Galat. 1. verbis expreſſis affirmat accepiſſe ſe ſuum Euangelium non ab hominibus, ſed à Deo: *Neque enim, inquit, ego ab hominibus accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* & tamen cap. 2. ad eoſdem non audet iſtis quæ habentur in huiuſmodi Euangelio aſſentiri pleniſſimè, donec de huiuſmodi contulerit cũ Petro, & ceteris Apoſtolis, quod etiam obſeruarunt aliqui Patres; maximè verò D. Auguſt. & Hieronym. Tertiò, ſi reuelatio particularis ſufficeret ad aſſenſum fidei diuinæ, & ad cognoſcenda eiuſdem myſteria certiſſimè, fruſtra orta dubitatione de ceſſatione legalium, Apoſtoli congregaſſent primum Concilium Hieroſolymis, vt refertur Actuum 15. perperam namq; conſultaſſent inter ſe Apoſtoli hac de re, ſi per ſpecialem reuelationem quæ datur cuilibet credenti, res iſta de fide certiſſimè potuit dignoſci. Quartò, ſi priuata reuelatio ſufficit ad dignoſcenda ea omnia quæ ſunt de fide, inutiliter rogat Eunuchus, de nouo conuerſus ad fidem Catholicam Philippum Diaconũ, Actuum 8. vt explicet illi locum hunc Iſaï. *Tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt:* parum etiam prudenter mitteretur Ananias ad Saulum. Actu 9. & D. Petrus ad Cornelium Centurionem. Act. 10. Quintò, fides non aliter datur in nobis, quàm iuxta medium à Deo conſtitutum; atqui conſtituit Deus vt fides produceretur in nobis opera Prælatorum, & Paſtorum Eccleſiaſticorum, Marc vlt. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* & Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes,* &c. Vltimò, viri quilibet doctiſſimi occurrente dubio, circa ea quæ ſunt de fide Catholica, rogarunt ſedem Apoſtolicam vt dignaretur difficultatem iſtam explicare, vt conſtat ex Hieron. in epiſt. ad Damaſum: precatur eum illic Damaſum Summum Pont. vt dignetur explicare, an nomine hypoſtaſis ſignificetur eſſentia, an verò ſubſiſtẽtia; atque adeò an poſſit dici Deum eſſe trinum in ordine ad hypoſtaſes, & vnum in ordine ad eſſentiam: item ex Tertulliano in lib. de præſciptionibus aduersùs Hæreticos, cap. 21. hoc ipſum probatur; docet enim illic matrices Eccleſias eſſe conſulendas poſita ſcilicet dubitatione de re aliqua pertinente ad fidem Catholicam. *Si Dominus, inquit, Ieſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores, quàm quos Chriſtus inſtituit; quia nec alius Patrem nouit niſi filius, & cui filius reuelauit, nec alijs videtur reuelaſſe filius, quàm Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, vtiq; quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viua voce, quàm per epiſtolas poſtea. Si hæc ità ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſijs Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſinè dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit: reliquã verò omnem doctrinã de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.* Cornelius etiam Pont. Max. à clero Africano frequentiſſimè fuit cõſultus, vt liquet ex epiſtolis Cypriani, & item cleri Carthaginenſis ad Cornelĩũ Papã, quæ habentur inter epiſt. Cyprian.

Obijciunt hæretici, Spiritum ſanctum docere vnumquemque noſtrûm, & explicare nobis documenta fidei Chriſtianę 1. Ioan. 2. *Vos vnctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia.* imo Matth. 10. dicitur. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.*

Reſp. ex iſtis, & alijs, ſolùm colligi poſſe, documẽta fidei Chriſtianę innotuiſſe pleriq; mortalibus ſola teſtificatione primę veritatis, & ſinè vlla dependentia ab authoritate Eccleſię, quod nos vltro concedimus; non autem de lege communi: qua ratione contendimus hoc loco priuatam reuelationem Spiritus ſancti non ſufficere ad dignoſcendas res de fide Chriſtiana & Catholica; ad id namque deſideratur authoritas Eccleſiæ, quæ proponat hæc vel illa eſſe à Deo reuelata.

Reſp. 2. primo teſtimonio probari tantùm edoctos à Ioanne, & à ceteris Apoſtolis, in ijs quęſtionibus fidei Catholicę agnouiſſe per vnctionẽ Spiritus ſancti ea quæ erant fidei Catholicę, non quidem proximè, ſed remotè, vt manifeſtè colligitur ex verbis ſubſequentibus: *Hæc non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatẽ, ſed quaſi ſcientibus eam.* admonet autem iſtos ne præbeant aures falſis Prophetis, atque ità ne excidant à fide Chriſtiana.

Ad aliud vero teſtimonium, dico propterea locutionem iſtam non tribui Apoſtolis, ſed Spiritui ſancto, quod ab eo præcipuè illi mouerentur, ad euulganda fidei dogmata; nequit tamen negari, quin locutio hæc fuerit ab illis effectiuè; repugnat ſiquidem aliquem loqui & non concurrere ad huiuſmodi locutionem cùm locutio ſit actus vitalis, atque adeo intrinſecè pendeat à principio vitali vitaliter operante.

Obijciunt 2. Neminem extare inter credentes, qui non habeat in ſe teſtimonium Spiritus ſancti, quo moueatur ad aſſentiendũ rebº de fide, 1. Ioan. 5. *Qui credit in filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe.* & Rom 8 *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei:* fides autem facit vt quis computetur inter filios Dei, Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.*

Reſp. non ſufficere vt aliquis certiſſimè credat aliquid eſſe à Deo reuelatũ, ſaltem de lege cõmuni, quod detur in eo teſtimonium Spiritus ſancti, de euidenti re reuelata; ſed præterea requiri vt cõſtet certo & indubitanter reuelationem iſtam eſſe à Deo, & à nullo alio: transfigurat ſe namq; Angelus tenebrarum in Angelum lucis, vnde interdum imponit mortalibus, eóſque decipit. Deinde, nihil prohibet, quominùs hoc teſtimoniũ ſit à temerario iudicio, & à nimia præſumptione; conſtat autẽ indubitanter de lege communi tantùm teſtimoniũ hoc eſſe à Deo, quandocumq; de hac re fidem facit Eccleſia: huius enim iudicio ſtandum eſſe præcipit Chriſtus, Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.*

Obijciunt 3. D. Petrum agnouiſſe diuinitatem Chriſti ſola reuelatione Spiritus ſancti, Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* idem dicitur Ioan. 1. de ceteris alijs documentis fidei Catholicæ, *Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.*

Reſpond. ex iſtis locis ſolùm colligi via extraordinaria Apoſtolos agnouiſſe myſteria fidei, ſola reuela-

Galat. 1. verſ. 12.

Iſaï. 53. verſ. 7.

Marc. 16. verſ. 15.

Matth. 28. verſ. 19.

Hieron.

Tertul.

Obiectio.

1. Ioan. 1. verſ. 20.

Matth. 10. verſ. 20.

Solutio 1.

Obiectio 2.

1. Ioan. 2. verſ. 21.

1. Ioan. 5. verſ. 10.

Rom. 8. verſ. 16.

Ioan. 1. verſ. 12.

Solutio.

Matth. 18. verſ. 17.

Obiectio 3.

Idem 16. verſ. 17.

Ioan. 1. verſ. 18.

Solutio.

reuelatione primę veritatis, & ſinè dependentia ab authoritate Eccleſiæ; nos autem contendimus documenta fidei de lege communi nulli innoteſcere, niſi cum dependentia ab authoritate eiuſdem Eccleſię.

DVBITATIO VLTIMA.

An omnia reuelata à Deo computentur inter obiecta materialia fidei Catholicæ, ſintque adeò credenda propter teſtimonium primæ veritatis.

Reuelationes in tria genera.

ADuerte, reuelata à Deo eſſe aut eſſe poſſe in triplici differentia; alia namque ſunt, quæ pertinent ad diuinam eſſentiam, & quæ conducunt ad omnium mortalium ſalutem; alia verò quæ ad eamdem eſſentiam ſpectant, & quæ conferunt ad ſalutem priuatam illius cui reuelantur; alia denique quæ nec ſunt Deus, nec aliquid Dei, nec iuuant ad felicitatem alicuius aſſequendam: de iſtis omnibus difficultas iſta explicanda eſt.

Quanam reuelata pertineant ad obiectum materiale fidei.

CONCLVSIO 1. *Reuelata primi generis pertinent omnia ad obiecta materialia fidei Catholicæ, & iſtis aſſentimur fide diuina.* Primùm, quia hoc videtur colligi ex cap. 4. Epheſ. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.*

Epheſ 4. verſ. 5.

Deinde, reuelata iſta proponuntur ab Eccleſia credenda, ſi non ſingulis in particulari, bene tamen toti Eccleſiæ.

1. Petr. 3. verſ. 15.

Tertiò, de iſtis omnibus tenentur reſpondere Paſtores, ex illo 1. Petr. 3. *Paratis ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe.*

Quartò, fides noſtra cenſetur eſſe virtus communis; imò ideò nuncupatur Catholica; reſpicit enim ſalutem quorumcumque mortalium, & hæc eſt euulganda vbique locorum. Matth. 28.

Matth. 28. verſ. 19.

Denique, Eccleſia acceptat tantùm reuelationes factas Apoſtolis, Patriarchis & Prophetis, vt indicare videtur Paul. Epheſ 4. *In opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* & 2. ad eoſdem: *Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.*

Epheſ. 4. verſ. 12. Idem 2. verſ. 20.

D. Thom.

Ità docet S. Thom. 1. part. quæſt. 1. art. 8. ait enim Scripturam ſacram non vti priuatis reuelationibus ad comprobanda fidei dogmata; ſed illis quæ factę ſunt Apoſtolis, Prophetis, & Eccleſię vniuerſæ: & quæſt. 5 huius part. art. 3. ait primam veritatem ſecundum id quod manifeſtatur in ſacris litteris, & in doctrina Eccleſiæ, eſſe obiectum formale fidei: ità Caiet. hoc loco, & Scot. in 3. quæſt. vnica. diſt. 23 §. contra. & §. ad quæſt.

Moneo tamen nonnullos exiſtimare hæc reuelata primi generis pertinere tantùm ad fidem Catholicam, quòd tamen improbabitur à nobis ſequenti Concluſione: Quod autem iſtis reuelatis aſſentiamur fide Catholica, ex eo manifeſtè colligitur, quòd ratio aſſentiendi illis ſit prima veritas reuelans ſe, & alia obſcurè, proponanturque credenda authoritate Eccleſię.

Alia reuelata ſient obiectũ fidei.

CONCLVSIO 2. *Reuelata ſecundi generis computantur inter obiecta materialia fidei diuinæ.* Primùm, quia quæcumque reuelantur ab hominibus de rebus humanis, ſi credantur propter authoritatem humanã, cenſentur eſſe obiecta materialia fidei humanę; iſtis namque per authoritatem humanam aſſentimur: ergo quæcumque reuelantur à Deo ſunt de fide diuina, præſertim ſi ſint, aut Deus ipſe, aut aliquid quod ſpectet ad diuinam eſſentiam, & denique quod conducat ad felicitatem æternam: obiectum quippe præcipuum fidei diuinę eſt Deus reuelatus, & quæ conducunt ad ſalutem ſpiritualem obtinendam.

Deinde, fides Abrahę, & noſtra, ſunt eiuſdem ſpeciei infimę; idem enim habent obiectũ materiale & formale; at fides quæ fuit in Abrahamo, fuit fides particularis, ſeu, quod idem eſt, ei reuelata particulariter fuerunt, & ordinata ad ſalutem eiuſdem, vt colligere licet ex cap. 3. & 4. ad Rom.

Confirmatur: Quæ reuelauit Deus Magdalenæ in particulari, vel ante, vel poſt primam eiuſdem ſanctificationem, vel in ipſamet ſanctificatione, ſpectabant ad fidem Chriſtianam; non enim iſtis præbuit aſſenſum, niſi quia fuerunt illi à Chriſto reuelata. Idem dicendũ eſt de reuelatis Paralityco, bono latroni agenti in cruce, & alijs innumeris.

Poſtremò, illa cenſentur eſſe de fide Catholica, quæ vel ſunt Deus, vel aliquid Dei, & quę conducunt ad felicitatẽ æternam, ſed reuelata ſecundi generis ſunt huiuſmodi: ergo computabuntur inter obiecta fidei materialia. Confirmant plerique, ex eo quòd ſi Deus reuelaret alicui in particulari perſeuerantiam ſuam finalem, hic non aſſentiretur tali reuelationi, aliter quàm per fidem diuinam: ità plerique recentiores ad hunc locum.

Obiectio.

Obijcies, dixiſſe nos in confirmatione primæ Concluſionis, Eccleſiam acceptare tantùm reuelationes factas Apoſtolis, Patriarchis, & Prophetis, & fidem noſtram nuncupari Catholicam, eſſęque proinde virtutem communem; quod tamen dici nequit de reuelationibus priuatis.

Solutio.

Reſpondeo, hæc intelligenda eſſe communiter, adeò vt de lege ordinaria illa tantùm reuelata cenſeantur eſſe de fide Catholica, quæ ſpectant ad communem religionis Chriſtianę vtilitatem: cum iſtis tamen rectè cohæret, vt reuelationes factę de diuina eſſentia, & de ijs quæ conducunt ad ſalutẽ priuatam alicuius, ſpectent etiam ad fidem Catholicam; non quidem ſub ea ratione, qua fides iſta Catholica eſt, ſed ſub ea qua fides diuina eſt: neq; enim particula iſta, *Catholica*, inducit differentiam eſſentialem in noſtra fide, ſed tantùm accidentalẽ: ſufficit enim ad rationem fidei diuinę quòd ſit res quædam reuelata à Deo, & de ipſomet, & quòd conferat ad ſalutem alicuius, & denique quòd ei propter teſtificationem primæ veritatis aſſentiamur: omnes autem iſtæ conditiones deprehenduntur in priuatis reuelationibus ſecundi generis.

Reuelata tertij generis non pertinent ad fidem Catholicam.

CONCLVSIO VLTIMA. *Reuelata tertij generis non pertinent ad fidem Catholicam, neque diuinam, etiamſi ſupponamus hæc fuiſſe reuelata mortalibus à Deo, atque adeò aſſenſus quem nos præberemus iſtis reuelatis non eſſet aſſenſus fidei diuinæ.* Primùm, quia ad hoc vt aliquid ſpectet ad fidem Catholicam, ſeu diuinam, debet eſſe quid reuelatum à Deo, & ad ſalutem ſpiritualem conducere, ſed reuelata iſtius generis nec ſunt Deus, nec aliquid Dei, nec conducunt ad ſalutem ſpiritualem, ſed ſunt res merè humanæ à Deo tamen reuelatę: ergo non pertinent ad obiectum fidei materiale. Confirmatur: Fides ideo dicitur virtus Theologica, quod verſetur circa Deum, veluti circa ſuum obiectum: ergo.

Obiectio.

Obijcies, res iſtas ex hypotheſi reuelari à Deo, atque adeo nos iſtis aſſentiri propter teſtimonium primæ veritatis: ergo cùm aſſenſus hic maior ſit eo, quem præberemus huiuſmodi reuelatis, quando ab homine dictarentur, certè hic erit aſſenſus fidei diuinę.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ex hoc enim quod res iſtę reuelentur à Deo colligere ſolùm licet aſſenſum hunc eſſe ſupernaturalem, non quidem ex ſuo obiecto, (reſpicit enim hic res Germanicas, vel Italicas, vt ſupponimus) ſed tantùm ex modo tendendi in hoc obiectum: ratio autem ſupernaturalis poteſt iſti aſſenſui cópetere, abſque vlla dependentia à fide diuina, cùm ſufficiat ad id vel inſpiratio diuina, vel certè motio aliqua ordinis ſupernaturalis. Accedit, aſſenſum hunc eſſe quàm maximè rarum & inſolitum; neq; enim conſueuit Deus reuelare res iſtas humanas, ſed id præſtat rariſſimè, vnde hic aſſenſus productus à nobis, non poſtulat aliquod principium ſibi connaturale, à quo producatur; fides autem diuina eſt principium connaturale reſpectu aſſenſus, quem prębemus rebus de fide Catholica.

Obiectio 2. Tob. 6. ℣. 1. Obijcies 2. Tobiam habuiſſe canem comitem ſuæ peregrinationis, vt conſtat ex cap. 6. Tob. *Profectus eſt Tobias, & canis ſequutus eſt eum*: at res iſta eſt planè humana & moralis, & tamen hiſtoria hæc creditur à nobis fide Catholica.

Solutio. Reſpondeo, narrationem proximè explicatam pertinere ad articulos fidei Chriſtianæ, quòd hæc ſit expreſſa in ſacris literis; nihil enim datur in ſacris codicibus quod non fuerit à Deo reuelatum, quódq; non pertineat ad fidem Catholicam, vt definitum eſt in Trid. in decreto de libris Canonicis.

Deinde, hiſtoria iſta de cane Tobiæ conducit ad ſalutem æternam; ait enim Paulus 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* 2. Tim. 3. verſ. 16. & 17.

Tertiò, quia licèt vtilitas iſtius hiſtoriæ ſumptæ in particulari non ſatis euidenter intelligatur à nobis; non tamen propterea neganda eſt: multa ſiquidem continentur in ſacris litteris virtute & ſimpliciter, quæ non percipiuntur à nobis; intelligentur tamen à poſteris noſtris, ſi tamen id Deus iudicauerit eſſe conueniens, propter bonum vniuerſalis Eccleſiæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm obiectum fidei ſit aliquid complexum per modum enunciabilis.

DVBITATIO PRIMA.

An obiectum fidei ſit complexum, vel ſimplex per modum enunciationis.

ADVERTE, obiectum fidei aliud eſſe materiale, aliud formale, vt docuimus Articulo proximè antecedente: de iſtis Dubitatio hæc eſt explicanda.

Obiectum materiale fidei ſecundum ſe eſt ſimplex & non compoſitum reale. D. Thom. CONCLVSIO 1. *Obiectum materiale fidei, ſpectatum prout in ſe eſt, non eſt aliquid compoſitum per modum enunciabilis, ſed eſt res aliqua ſimplex.* Primùm, quia obiectum hoc cenſetur eſſe Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, Incarnatio diuini Verbi, mors, & ſimilia, quæ ſpectata in ſe, ſunt ſimplicia. Deinde, ità D. Thom. & Interpretes hoc loco.

Obiectio. Dices, Sacramenta, itémque Chriſtum pertinere ad obiectum materiale fidei, & tamen Chriſtus & ſacramenta componuntur: ergo obiectum fidei eſt compoſitum.

Solutio. Reſpondeo, duplicem eſſe compoſitionem, quantum ad rem iſtam attinet, phyſicam ſcilicet, ſeu realem, & rationalem: prima conſurgit ex pluribus entitatibus ſe mutuò actuantibus, & perficientibus, qua ratione componuntur omnes planè res phyſicæ, ſeu naturales. Secunda verò compoſitio aduenit rebus prout mente, & cogitatione intelliguntur à nobis aliquid affirmando, aut etiam de ijſdem negando: primâ dari in pleriſque rebus de fide vltrò concedimus, & bene probat obiectio: Chriſtus enim verè componitur, non quidem ex partibus, nec enim diuinum Verbum rationem partis habere poteſt, cùm ſit perfectiſſimum, ſed ex componentibus, ſeu componibilibus: Sacramenta item conſurgunt ex rebus & verbis, veluti ex partibus; poſterior tamen compoſitio in nullo planè obiecto materiali fidei reperitur, & de hac intelligenda eſt propoſitio noſtra, quando dicimus, obiecta materialia fidei non eſſe complexa.

Obiecta fidei materialia ab Eccleſia propoſita ſunt compoſita ſecundùm rationem. CONCLVSIO 2. *Obiecta materialia fidei prout intelliguntur à nobis, & proponuntur credenda, authoritate Eccleſiæ, ſunt compoſita compoſitione rationali.* Primùm, quia vbicumque datur ſubiectum, attributum, & copula, ibi datur compoſitio rationis; at in articulis qui proponuntur credendi authoritate Eccleſiæ, quique intelliguntur à nobis datur attributum, ſubiectum, & copula, vt ex iſtis liquet, *Deus eſt vnus, & trinus: Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum.*

Deinde, modus quem nos retinemus inter cognoſcendas propoſitiones ordinis naturalis, eſt coniunctus cum propoſitione, & diuiſione; affirmamus enim ſemper aliquid de iſtis, vel negamus, vt aduertit D. Thom. in corpore huius Articuli.

D. Auguſt. Denique, credere ex D. Auguſtino nihil aliud eſt, quàm cum aſſenſione cogitare, cap. 2. lib. de prædeſt. atqui aſſentimur tantùm rebus veris: ergo huiuſmodi credenda ſunt compoſita compoſitione rationali.

Obiectio. Dices, ſi ità res haberet, ſequeretur obiecta materialia fidei variari; cuius tamen oppoſitum docent SS. Patres, & item Scholaſtici Theologi: ideirco enim aiunt fidem eorum qui vixerunt in lege naturali & Moſaïca, & noſtram eſſe vnam & eamdem; magis tamen explicatam in lege gratiæ, quàm in ſtatu legis naturalis & Moſaïcæ; illatio autem maioris ex eo innoteſcit, quòd dicamus obiecta prout proponuntur nobis credenda eſſe compoſita; explicantur quippe propoſitione aliqua affirmatiua, aut negatiua.

Solutio. Reſpondeo, obiecta fidei Chriſtianę materialiter ſpectata duobus modis conſiderar, vel vt ſunt obiecta ſubſtantialia, & per ſe fidei Catholicæ, vel vt ſunt tantùm accidentalia: priori modo articulus natiuitatis Chriſti, dicit ſolam natiuitatem Chriſti, præſcindendo à tempore præterito, præſenti, & futuro; ità vt ſola natiuitas proponatur credenda: ſecundo vero modo natiuitas Chriſti præterita, vel futura, vel præſens, vt ſic, habet rationem obiecti accidentalis. Dico ergo Patres, & Theologos affirmare fidem eſſe immutabilem reſpectu obiecti ſubſtantialis, & per ſe, ſecus verò reſpectu accidentalis: huius quippe ratione indubitatum eſt obiecta materialia fidei, eſſe mutabilia, vt conſtat ex iſtis propoſitionibus:

Chriſtus

Chriſtus eſt naſciturus : Chriſtus eſt natus. Prima fuit A æquè certa; præmiſſæ namque in quolibet ſyllogiſmo cenſentur eſſe certiores concluſione deducta ex iſtidem, ex doctrina philoſophorum: ità docent plerique interpretes D. Thom. hoc loco Sententiarij in 3. diſt. 24. & Alenſis 3. p. q. 68. membro 5.

veriſſima tempore legis naturalis & Moſaïcæ; poſterior verò falſa: reſpectu verò legis gratiæ, poſterior propoſitio eſt veriſſima, & prima falſa.

Obiectio 2. Obijcies 2. viſionem diuinæ eſſentiæ reſpondere fidei, ex cap. 13. 1. Cor. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Atqui beati vident omnia obiecta credibilia ſinè vlla planè compoſitione rationali, hoc ipſo quòd intuentur diuinam eſſentiam: ergo carent dicta compoſitione.

1. Cor. 13. ℣. 12.

Solutio. Reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam; eſt enim magnum diſcrimen, inter nos & beatos; hi ſiquidem intuitiuè cognoſcunt intrà diuinam eſſentiam obiecta B materialia fidei noſtræ, nos verò ea videmus tantùm abſtractiuè. Deinde, vident illi omne quod intelligunt ex myſterijs fidei pertinentibus ad diuinam naturam per ipſammet diuinam eſſentiam, quæ ſupplet ſpeciem intelligibilem neceſſariam ad intelligendum, & quidem adeò vt perfectiſſimè exprimat, & manifeſtet diuerſos articulos fidei: nos verò non cognoſcimus per eamdem numero ſpeciem, ſed per diuerſas obiecta materialia fidei noſtræ, vnde & cogimur conficere diuerſas propoſitiones quibus diſtinctè explicantur obiecta fidei Catholicæ varia.

Replica. Inſtabis. Deum cognoſcere ſinè vlla compoſitione rationali omnia obiecta materialia fidei: ergo C illud idem erit dicendum de nobis.

Enervatur. Reſpondeo, cõceſſo antecedente, negando conſequentiam; propterea enim Deus intelligit illud omne, quod eſt intelligibile vnica numero intellectione, & ſinè vlla compoſitione rationali: quia in Deo datur infinita vis intelligendi, & intelligit quidquid intelligit, vel ſcientia viſionis, vel ſimplicis intelligentiæ: nos verò non aliter intelligimus, quàm vel diuidendo, vel componendo, idque ob capacitatem finitam noſtram intelligendi, vnde aliquid affirmamus, aut negamus, quando aliqua intelligimus, ſequitúrque propterea compoſitio rationis in rebus iſtis intelligendis.

Alia replica Dices, ergo intellectio noſtra erit falſa; non D enim datur conformitas inter intellectum intelligentem obiecta fidei materialia (hæc enim ſunt in ſeipſis ſimplicia) & inter intellectionem noſtram, quæ eſt compoſita.

Diſſoluitur. Reſpondeo, negando illationem antecedentis: intelligit enim Deus incomplexè, quodcumque intelligit, licèt ab eo intelligantur complexa, ſeu compoſita, idque veriſſimè: ergo idem quoque dicendum erit de intellectione noſtra, comparata, cum obiectis ſimplicibus, quæ à nobis intelliguntur, prout ſunt in ſeipſis, & compoſitio ſe tenet tantùm ex parte modi noſtri cognoſcendi, atque adeò datur conformitas inter intellectionem, & rem cognitam, quanta deſideratur ad hoc vt aliE quid verè cognoſcamus.

Obiectum formale fidei eſt res ſimplex. Conclvsio vltima. *Obiectum formale fidei Catholicæ non eſt res aliqua compoſita, ſed ſimplex*: principium enim formale per ſe & ſua natura aſſenſus fidei, eſt ſola prima veritas reuelans ſe & alia à ſe obſcurè: principium verò formale per accidens eiuſdem, eſt authoritas Eccleſiæ; at neutrum ex iſtis eſt aliquid complexum: non enim conſtant attributo, ſubiecto, & copula: ergo obiectum formale fidei non eſt complexum.

Deinde, ſi ità res haberet, fides non diſtingueretur à Theologia, imo non omnia eſſent in fide

Obiectio. Dices, ſi ità ſe res habeat, concedendum eſt intellectum noſtrum nunquam ad aſſenſum fidei producendum neceſſitari: ergo obiectum fidei formale eſt aliquid complexum.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negãdo conſequentiam; nam licèt intellectus non neceſſitetur ad eliciendum aſſenſum fidei demonſtratione aliqua, vel certè ex aliquo alio capite; non tamen propterea licet colligere principium formale fidei, vel per ſe, vel per accidens eſſe aliquid complexum: ſufficit namque ad hoc vt ſequatur aſſenſus fidei, quòd obiecta materialia fidei ſufficienter proponantur intellectibus fidelium, quod contingit, quandocumque illa proponuntur credenda authoritate Eccleſiæ, & interuenientibus nonnullis alijs motiuis de quibus inferiùs.

DVBITATIO SECVNDA.

An concluſio deducta ex præmiſſis de fide, vel ex altera tantùm & alia lumine rectæ rationis nota ſit de fide, ſeu, quod idem eſt, Catholica an non.

Quorundã opinionis fundamenta.

SVnt qui putent Concluſionem iſtam, ità deductam ex præmiſſis, eſſe de fide Catholica, ac proinde qui negant huiuſmodi Concluſiones hæreſes admittere: probant primo, ex Ariſt. Concluſio ſyllogiſmi eſt eiuſdem rationis cum præmiſſis; ſed præmiſſæ ambæ ſunt de fide, ex hypotheſi, vel altera illarũ: ergo Concluſio erit de fide Catholica. 1.

Deinde, qui negat concluſionem deductam ex præmiſſis de fide in euidenti & neceſſaria conſecutione, nedum in errorem labitur, verùm & hæreſim, vt liquet ex eo, qui negat in Chriſto dari duas voluntates, humanam ſcilicet & diuinam, poſita hac ratiocinatione: Illic datur voluntas diuina & humana, vbi ponuntur natura diuina & natura humana ſimul completæ & perfectę & impermixtæ; at in Chriſto dantur huiuſmodi naturæ perfectæ & completæ: ergo & duæ voluntates: præmiſſæ ſunt ambæ de fide, ex communi doctrina, aut certè altera illarum, nempe minor, vtpote quæ in ſacris Concilijs expreſsè definita eſt, ex qua eruitur etiam concluſio certa ſecundum fidem. 2.

Denique, dantur plerique articuli de fide Catholica, qui non aliter nobis innoteſcunt, quàm per conſecutionem neceſſariam dependenter ab aliquo ſyllogiſmo, in quo præmiſſæ ambæ ſunt de fide, vel altera illarum, vt conſtat ex his, *Chriſtus animam habet rationalem: Chriſtus habet verum & naturale corpus*, deducuntur namque hæ duæ concluſiones, quarum quælibet computatur inter articulos fidei, ex iſta ratiocinatione: *Illis datur verum & naturale corpus & vera anima rationalis vbi perfectus & completus homo, ſed Chriſtus eſt huiuſmodi: ergo habet veram animam, & verum corpus naturale.* 3.

In hac concluſione ſunt Cano de locis Theologicis. lib. 6. cap. vlt. dub. 10. §. Sed id poſtremo. Thomas à Vega lib. 9. in Conc. Trid. cap. 39. Franciſcus à Chriſto in 3. diſt. 23. 24. & 25. q. vnica.

Nauarretus ad 1. p. D. Thomæ q. 1. controu. 5. §. 2. & alij Thomiſtæ ibidem.

Aliorum ſentent.

Alij verò putant veram concluſionem deductam ex præmiſſis, vel altera de fide, non pertinere ad fidem Catholicam, ſed eſſe tantùm Theologicam: ità docet Maldera, & alij recentiores ad hunc locum, & ad 1. p. D. Thomæ q. 1?

Concluſiones aliæ deductæ, aliæ expreſſæ.

Vt autem res hæc faciliùs intelligatur, aduerte concluſiones de quibus quæritur alias dici deductas, alias expreſſas: deductę cenſentur eſſe illæ, quibus aſſentimur ob ſolam medij termini debitam diſpoſitionem in præmiſſis; ità vt principium formale iſtius aſſenſus, ſit ſolus medius terminus; expreſsæ verò cenſentur eſſe illæ, quibus non aſſentimur ex vi formæ ſyllogiſticæ, ſed ob ſolam primam veritatem reuelantem ſe, & alia obſcurè, & propter authoritatem Eccleſiæ, quæ fidem facit huiuſmodi à Deo eſſe reuelatas.

Concluſio deducta eſt Theologica non de fide.

Conclvsio 1. *Nulla Concluſio deducta, eſt de fide Catholica, ſed cenſetur eſſe Theologica.* Primùm, quia implicat aliquid eſſe de fide Catholica, & non habere in ſe rationem formalem eiuſdem, quemadmodum implicat aliquid eſſe hominem, & carere anima rationali, quæ eſt forma conſtitutiua hominis; at in concluſionibus deductis non deprehenditur forma fidei Catholicæ, cùm illis aſſentiamur propter debitam diſpoſitionem medij termini ſyllogiſmi; non autem propter primam veritatem: ergo nulla concluſio deducta poteſt eſſe de fide Catholica.

Deinde, concluſiones Theologicę diſtinguuntur à concluſionibus fidei Catholicę, illis namque aſſentimur dependenter ab aliquo habitu acquiſito, & à principio aliquo naturali; iſtis verò propter teſtimonium primę veritatis & dependenter ab aliquo habitu ordinis ſupernaturalis: ergo cùm cõcluſiones deductę ſint Theologicę, non poterũt eſſe de fide Catholica. In hac ſententia ſunt innumeri propemodum authores, Caprecius in 3. diſt. 24. q. vnic. art. 3. in reſponſione ad 3. contra ſecundam concluſionem, quo loco refert multa teſtimonia D. Tho. in confirmationem iſtius concluſionis, & in 3. diſt. 25. q. 2. ar. 2. & ad hanc part. D. Th. idé docent alij q. 2. art. 2 & quæſt. 6 art. 1.

Obiectio.

Obijcies, D. Thomam art. 8. quæſt. 1. 1. part. affirmare Theologiam eſſe diſcurſiuam, & colligere vnum articulum, vel etiam plures ex alijs articulis fidei; quod probat ex cap. 15. 1. ad Corint. vbi colligit Apoſtolus reſurrectionem noſtram, quæ refertur inter articulos fidei, ex reſurrectione Chriſti, quæ eſt alius fidei Catholicæ articulus.

Solutio.

Reſpondeo, Theologiam eſſe proprie ſcientiam diſcurſiuam, vt pote quę colligat in euidenti & neceſſaria conſecutione (ſuppoſitis tamen fidei noſtræ principijs) concluſionem, atque adeò propoſitionem ex propoſitione, & concluſioni iſti aſſentimur ex vi ſolius formæ ſyllogiſticæ; non tamen patet ex iſtis, nec colligi poteſt concluſionem ſic deductam ex præmiſſis de fide, vel altera tantùm pertinere ad fidem Catholicam; diximus enim in annotato nos aſſentiri concluſioni deductæ ſolùm propter medium ſyllogiſmi. Ad id verò quod dicitur Theologiam ex vno articulo alios colligere. Reſpondeo hęc eſſe intelligenda materialiter, non autem formaliter, adeò vt velit D. Thomas, vnum articulum ex alio colligi, ſi ſpectentur prout ſunt de his, vel illis rebus quę in ſe conſideratę dicunt neceſſariam inter ſe connexionem; non verò ſi ſpectentur formaliter: tunc autem ſumuntur formaliter, quoties conſiderãtur ſecundum rationẽ formalem, qua illis aſſentimur, hæc autem eſt ſola prima veritas reuelans ſe obſcurè, cũ authoritate Eccleſię quæ dictat articulos iſtos eſſe à Deo proximè & immediatè reuelatos.

Corollarium propoſitionẽ contrariam, deductæ minimè eſſe hæreticam.

Ex hac concluſione colligo propoſitionem contrariam propoſitioni deductę ex præmiſſis, de quibus hoc loco quæritur, non eſſe hæreticá, ſed tantùm erroneam; nam quod opponitur fidei eſt hæreſis; concluſio autem deducta non pertinet ad fidem Catholicam, vt oſtenſum eſt. Deinde, fieri nequit vt aliquid ſit hæreticũ, niſi eius oppoſitum fuerit à Deo proximè & immediatè reuelatum, &, vt ſic, propoſitum credẽdum authoritate Eccleſię: at nulla concluſio deducta eſt proximè & immediatè à Deo reuelata, nec proponitur, vt ſic, credenda authoritate Eccleſiæ, ſed ſolùm ex vi formæ ſyllogiſticæ acceptatur à nobis: ergo illi oppoſita non eſt computanda inter hæreticas. Denique, concluſiones contrariæ propoſitionibus cuiuslibet habitus ſcientifici, cenſentur eſſe erroneæ: ergo idem dicendum erit de propoſitionibus contrarijs concluſionibus Theologicis.

Concluſio expreſſa eſt de fide Catholica.

Conclvsio vltima. *Concluſio expreſſa ex præmiſſis ambabus de fide, vel altera tantùm, eſt de fide Catholica* Primùm, quia illud eſt tale quod proponitur credendum authoritate Eccleſiæ, quódque à Deo proximè & immediatè eſt reuelatum, vt conſtat ex dictis: at concluſioni expreſſæ ex præmiſſis de fide, vel altera tantùm, aſſentimur propter teſtificationem primæ veritatis, & propter authoritatem Eccleſiæ, non autem ex vi diſcurſus: ergo eſt de fide.

Deinde, quod opponitur concluſioni expreſſæ, cenſetur hæreſis, omnium conſenſu.

Obiectio. Solutio.

Dices, concluſionem expreſſam eſſe eãdem cum deducta. Reſpõdeo propoſitionem iſtam eſſe verã materialiter ſumptã; formaliter tamen diſtinguuntur inter ſe propoſitio deducta, & expreſſa; ratio enim aſſentiendi illi, eſt ſola forma ſyllogiſtica, ſiue medius terminus ſyllogiſmi; huic verò ſola prima veritas & authoritas Eccleſiæ.

Diluuntur fundamenta aduerſariorum.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo, Ad 1. concluſionem non eſſe ſimpliciter ſimilẽ præmiſſis ex quibus colligitur; etenim præmiſſæ reſpectu concluſionis, ex ijſdem deductæ ſunt principia, omnium Dialecticorum conſenſu; quod tamen de concluſione comparata cum præmiſſis dici non poteſt, vt pote quæ ab illa non pendeant, veluti à principio. Deinde, concluſio deducta ſemper eſt minùs certa quàm ſint præmiſſæ, vel ſaltem, quàm ſit aliqua ex iſtis, iuxta illud Ariſt. Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis. Dico ergo quando ait concluſionem eſſe ſimilẽ præmiſſis, intelligendum eſſe quantum ad hoc vt concluſio ſit vera vel falſa, affirmans vel negans, particularis vel vniuerſalis, & demũ neceſſaria, vel contingens; attributiones enim iſtas accipit concluſio, vel ab ambabus præmiſſis, vel ab altera illarum, ex communi Dialecticorum doctrina. ex quibus non licet colligere concluſionem deductã ex principijs de fide, vel altero tantùm, eſſe quoque de fide Catholica; non enim ideò de fide eſt, quòd eliciatur ex præmiſſis de fide, vel altera tanùm, ſed quòd illi aſſentiamur propter teſtificationem primæ veritatis reuelantis illam obſcurè, & ob authoritatem Eccleſiæ proponentis.

Ad 2. Reſpondeo, eum qui negat concluſionem deductam in euidenti & neceſſaria conſecutione, cenſeri hęreticum, atque adeò hæreſim admittere, non quia negat huiuſmodi concluſionẽ (ſic enim

2.

Digitized by Google

cenſetur tantummodo errare circa materiam Theologicam) ſed quia de facto negat vel ambas præmiſſas, quæ ex hypotheſi ſunt de fide, vel alteram tantùm. Qui autem negat vel minimum articulum fidei Catholicę, hoc ipſo hæreſi commaculatur, ex communi doctrina. Deinde, qui non aſſentitur concluſioni deductæ ex præmiſſis de fide, videtur violare præceptum de credendo; ſunt enim qui dicant vnumquemque noſtrùm obligari ad actum fidei exercendum, quandocumque res de fide proponuntur nobis credendæ; aſſerunt verò ſufficienter & debitè proponi quoties innoteſcit nobis concluſio euidenter deducta ex præmiſſis de fide. Moneo tamen propoſitionem iſtam debere fieri authoritate Eccleſiæ, non autem à priuato aliquo Doctore proprio nomine; à tali autem propoſita non erit dicenda de fide, ſed tantùm Theologica, vtpote, cui non aſſentiamur propter authoritatem Eccleſiæ, ſed propter authoritatem iſtius Doctoris priuati, & ex vi medij termini ſyllogiſmi.

Vlt. Ad vltimam reſpondeo, probare tantùm concluſionem expreſſam, vt ſic, eſſe de fide Catholica, quod nos docuimus Concluſione vltima; non autem deductam. Vide plura de iſtis apud Caiet. 1. part. quæſt. 1. art. 5. Canum lib. 6. de locis Theolog. cap. vlt. Dub. 10. & lib. 12. c. 2. & alios.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm fidei poſſit ſubeſſe falſum.

DVBITATIO PRIMA.

An fides diuina poſſit mouere aliquem ad aſſenſum rei falſæ.

Argumenta contraria 1. RATIO dubitandi eſt, quia fides dictat ſpecies conſecratas eſſe adorandas cultu latriæ, hic enim debetur Deo; Chriſtus autem verus Deus & verus homo continetur ſub ſpeciebus conſecratis; atqui fieri poteſt vt ſpecies ſacramentales, non ſint conſecratæ, vel ex defectu intentionis Sacerdotis, qui noluit huiuſmodi ſpecies conſecrare, vel ex defectu materiæ, quæ debet eſſe neceſſariò panis triticeus, & vinum vitis; poterit autem eſſe panis alius, & item vinum omnino diuerſum: igitur illi adorationi poterit ſubeſſe falſum, ad quod tamen inclinat fides.

2. Deinde, fides noſtra nedum verſatur circa neceſſaria, ſed etiam circa futura contingentia, vt conſtat ex articulis reſurrectionis futuræ, generalis iudicij, & ſic de alijs multis; at futura contingentia poſſunt eſſe, & non eſſe: ergo.

3. Denique, detur aliquis ex Iudæis qui crediderit ante Chriſti aduentum, Chriſtum venturum eſſe, & quidem propter teſtificationem primę veritatis, quique Chriſto nato perſeueret in huiuſmodi fide: ergo fides inclinabit ad falſum; ſuppono enim quòd Iudæus hic, credat Chriſtum eſſe venturum etiam poſt eius incarnationem, continuando eumdem numero actum, tam ante incarnationem, quàm poſt; hæc autem propoſitio eſt falſa, Chriſtus eſt naſciturus poſita Chriſti incarnatione: ergo fides poteſt mouere ad aliquem aſſenſum qui ſit falſus.

Non poteſt fides diuina aliquē mouere ad aſſenſum rei falſæ.

CONCLVSIO 1. *Fides diuina neminem mouere poteſt ad aſſenſum rei falſæ, vnde nec eidem falſum ſubeſſe poteſt.* Sunt qui probent: quia fides eſt donum Dei & Spiritus ſancti; dona autem Dei neminem mouere poſſunt ad aſſenſum rei falſæ, ſic enim Deus eſſe author falſitatis quod eſt impium dicere: Hæc tamen ratio concluſionem noſtram minimè demonſtrat; charitas enim ſupernaturalis computatur inter dona Spiritus ſancti, & tamen hæc dictat interdum eleemoſynam dandam eſſe ei, qui pauper non eſt, ſuppoſito ſcilicet iudicio intellectus erroneo, de paupertate illius qui verè pauper non eſt: ergo ex eo quòd fides ſit donum Dei non euincitur eidem non poſſe falſum ſubeſſe. *Probatio aliquorum inefficax.*

Probatur ergo ab alijs: Quælibet virtus, maximè intellectus, verſatur neceſſariò circa ſuum obiectum, & ad illud attingendum diſponit immutabiliter; atqui fides eſt virtus intellectus: ergo cùm obiectum iſtius virtutis, ſit tantùm verum à Deo reuelatum, & propoſitum credendum authoritate Eccleſiæ, hæc non poterit ferri circa falſum, proponendo hoc tamquam verum: vnde nec mouere nos ad aſſenſum falſi. *Authoris probatio.*

Reſpondent aliqui, propoſitionem maiorem eſſe ſimpliciter falſam; aiunt enim virtutem prudentiæ eſſe habitum intellectus, qui tamen nedum mouet nos circa bonum verum, ſed & circa bonum apparens: ergo fides noſtra poterit etiam mouere & ad aſſenſum rei veræ, & etiam falſæ; modò tamen falſitas iſta apprehendatur vt vera. *Aliquorū ſolutio.*

Cetertùm, reſponſio hæc non deſtruit rationem allatam; etenim diſpar ratio eſt inter prudentiam, & alias virtutes intellectus: maximè verò, ſi ſermo ſit de virtute fidei, & de alijs habitibus ordinis ſupernaturalis; prudentia namque pro obiecto habet praxim, ſeu quod idem eſt, verum practicum, non autem ſpeculatiuum, atque adeò non mirum eſt, ſi virtus hæc feratur interdum in id quod non eſt in ſe verè bonum, vel verum, ſed apparenter tantùm: fides autem verſatur circa verum tantùm à Deo reuelatum, & propoſitum credendum authoritate Eccleſiæ, & hoc verum cenſetur ſpeculatiuum, interdum etiam practicum, quo fit vt veritas iſta ſemper proponatur credenda, & verè credatur à nobis, prout verè in ſe eſt. *Improbatur.*

Tertiò probatur Concluſio. Obiectum fidei noſtræ formale eſt prima veritas reuelans, cum authoritate Eccleſiæ, quæ dictat hæc vel illa eſſe à Deo reuelata, at prima veritas neminem mouere poteſt ad aſſenſum rei falſæ, ſic enim aſſenſus hic tribueretur Deo magis quàm creaturæ, cùm ſit vt ſic ordinis ſupernaturalis: ergo cùm Deus nequeat eſſe cauſa alicuius falſitatis, neutiquam poterit fides allicere nos ad aſſenſum rei falſæ; proponendo falſum hoc tamquam verum. Hæc Concluſio videtur eſſe Concilij Trident. ſeſſ. 6. cap. 9. in fine. *Nullus ſcire valet certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum.* Idem docent Patres, maximè D. AUGUST. lib. 11. Confeſ. & lib. 4. de doctrina Chriſtiana, & tractat. 3. in 1. Canonicam Ioann. in fine, Cyrillus, Dionyſius, & alij Patres ad hæc verba Ioann. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* D. Thomas hoc loco. ALB. Mag. in 3. diſt. 15. art. 3. Rich. diſt. 24. lib. 3. quæſt. 3. Bonauent. diſt. proximè cit. art. 1. quæſt. 1. ALENſis 3. part. quæſt. 79. membro 1. & alij. *Trident.* *D. Auguſt.* *Cyrillus.* *Dionyſ.* *Ioann. 1. verſ. 9.* *D. Thom.*

CONCLVSIO 2. *Fides diuina nec per ſe,*

Digitized by Google

Nec per ſe, nec per accidens inclinare poteſt ad aſſenſum falſi.

Aliàs Deus eſſet author falſitatis, aut certè aſſenſus falſi, vtpote qui eſſet cauſa præcipua talis aſſenſus. Deinde, explicari nequit quæ ſit iſta cauſalitas per accidens, quam fides diuina attingat inter aſſentiendum falſo, vt falſum eſt.

Nec per accidens poteſt inclinare fides ad falſum.

Satisfit argumentis contrariorũ.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. Eccleſiam nuſquam propoſuiſſe credendas & adorandas ſpecies aliquas in particulari, ſed tantùm in vniuerſum pronuntiaſſe ſpecies conſecratas eſſe adorandas cultu latriæ, idque quòd conſtet propoſitionẽ hanc fuiſſe à Deo reuelatam: de ſpeciebus autem conſecratis in particulari, nulla extat reuelatio diuina priuata & particularis; vnde fide humana tantùm credimus ſpecies iſtas priuatas eſſe conſecratas; hoc enim tantùm habemus ab homine, qui huiuſmodi ſpecies conſecrauit, quique de hac re fidem facit. Deinde, ſunt plerique Doctores qui affirment eos imprudenter ſe gerere, qui ſpecies conſecratas adorant ſinè conditione iſta, ſi fuerint conſecratæ: ità Richard. in 3. diſt. 24. art. 1. quæſt. 3. ad 2. Gabr. lect. 15. ſuper Canonem miſſæ. Adrianus quodlibeto 4. art. 1. Bonauent. diſp. proximè cit. lib. 3. quæſt. 6. art. 1. & Alenſis 3. part. quæſt. 30. mem. 3. Tertiò, idem eſt iudicium de ſpeciebus conſecratis, quod de reliquijs Sanctorum; atqui Eccleſia, licèt dictet reliquias Sanctorum eſſe venerandas, & hoc de fidei Catholicę præſcripto; nuſquam tamen proponit reliquias Sanctorum de fide eſſe in particulari venerandas, & adorandas: poſſunt enim iſtæ in particulari eſſe ſuppoſititiæ, & adulterinæ. Moneo tamen, quando dixi ſpecies ſanctiſſimi Sacramenti eſſe adorandas cum conditione iſta, ſi fuerint conſecratę, conditionem hanc non eſſe actu à nobis exprimendam. Primùm, quia aliter irrogaretur iniuria miniſtro qui ſpecies huiuſmodi conſecrauit. Deinde, quia daretur occaſio ſimplicibus & idiotis dubitandi de exiſtentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, quod tamen vix fieri poteſt ſinè peccato: ſufficit ergo ſi conditio iſta fuerit à nobis adiecta virtute & potentia tantùm: qua de cauſa Caiet. hoc loco, & plerique alij interpretes D. Thomę docent Euchariſtiam etiam in particulari ſpectatam eſſe à nobis adorandam abſolutè & ſinè conditione, ſcilicet explicita actu, & formaliter. Ex his verò non licèt colligere fidem inclinare ad aſſenſum rei falſæ, nec enim fides dictat ſpecies aliquas eſſe adorandas cultu latriæ, ſed eas quæ verè ſunt conſecratę.

2. Ad 2. Contingentia, quæ ſpectant ad fidem, conſiderari duobus modis: primo, vt ſunt contingentia: ſecundo, vt ſunt à Deo præſcita, & propoſita credenda ab Eccleſia: primo modo, certum eſt contingentia non pertinere ad fidem Catholicam, ità vt teneamur illis aſſentiri, ex motiuo fidei Catholicæ, vt probat argumentum: ſecundo tamen modo contingentia pertinent ad fidem Catholicam; eſt enim omnium concors ſententia præſcientiam Dei eſſe infallibilem, atque adeò contingentia à Deo præuiſa futura, & propoſita credenda, authoritate Eccleſiæ, infallibiliter, poſſunt à nobis acceptari, ex motiuo fidei Catholicæ.

3. *Quorumdã ſolutio.* Ad 3. Sunt qui reſpondeant, Iudæum de quo hîc quæritur, non deficere à fide Catholica; credunt enim ſolam ſubſtantiam articuli incarnationis Chriſti, cadere ſub fidem, non autem circumſtantiam temporis præteriti, præſentis, aut futuri.

A Verùm doctrina hæc nullo pacto defendi poteſt. Primùm, quia quæ ſunt à Deo reuelata, & quæ proponuntur credenda authoritate Eccleſiæ, ſunt æquè de fide credenda: at nedum ſubſtantia incarnationis, ſed etiam tempus eiuſdem, eſt à Deo expreſsè reuelatum, Luc. 2. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus.* & Ioann. 1. *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* & Eccleſia proponit incarnationem vt præteritam credendam; præcipit enim vt omnia quæ habentur in ſacris litteris credantur à nobis tamquam à Deo reuelata: ergo & circumſtantia temporis in quo illud myſterium peractum eſt, credi debet. Deinde, idem eſt dicendum de articulo incarnationis, quod de paſſione & morte Chriſti; at paſſio Chriſti nedum eſt ſecundum ſubſtantiam de fide, ſed etiam quoad circumſtantiam temporis præteriti; habetur enim expreſsè in ſacris litteris, & in Symbolis Apoſtolorum, Athanaſij, & Concil. Nicæni, & Conſtantinopolitani, Chriſtum verè paſsum eſſe pro nobis. Tertiò, D. Thomas art. 2. huius quæſt. docet res de fide non aliter nobis innoteſcere, quàm per propoſitiones; omnis autem propoſitio conſtat attributo, ſubiecto, & copula, atque adeò includit circumſtantiam temporis præteriti, præſentis & futuri. Denique, qui fateretur Chriſtum naſciturum, eúmque natum negaret, hic reijceretur ab omnibus veluti hæreticus, vtpote qui negaret aliquam propoſitionem à Deo reuelatam, & ab omnibus Catholicis creditam: ergo.

Reijcitur.

Luc. 2. verſ. 10.

Ioann. 1. verſ. 14.

Symbol.

Dico igitur Iudæum, de quo hîc agimus, ante Chriſti natiuitatem ex motiuo fidei credidiſſe Chriſtum eſſe venturum, poſita Chriſti incarnatione, non fide diuina, ſed humana perſeueraſſe in eadem opinione: idque quod fides diuina reſpuat falſum, vt ſic, & feratur in obiectum verum: non eſt autem verum, Chriſtum eſſe naſciturum poſita eius natiuitate. Ad id verò quod dicitur eſſe eumdem numero actum. Reſpondeo hoc eſſe verum, ſi talis actus ſpectetur phyſicè, & materialiter tantùm, formaliter enim eſt omnino diuerſus, propter mutationem obiecti, circa quod verſantur iſti duo actus: nam ante Chriſti natiuitatem, hæc natiuitas verè futura erat, atque adeò potuit fides huiuſmodi obiectum attingere; poſt Chriſti verò natiuitatem, propoſitio hæc, *Chriſtus eſt naſciturus*, falſa eſt; hæc autem vera, *Chriſtus natus eſt*. Cùm ergo Iudæus perſeueret in aſſenſu prædictæ propoſitionis, ſub ea ratione, qua obiectum futurum erat, aſſenſus illius, Chriſto nato, non poteſt dici aſſenſus fidei.

Argumenti ſolutio.

DVBITATIO SECVNDA.

An Deus vel ſe ſolo, vel cum alio aliquando falſum, ſeu mendacium aliquod dixerit.

PRiſcillianiſtæ & Armeni referente Prateolo, *Priſcillanij de vitis & ſectis hæreticorum, docuerunt Deũ ſtatũ hæreſis & fundadacium aliquod protuliſſe, Probant, primùm ex* cap. 12. *Geneſ.* interrogatus enim Abraham, quænam eſſet femina, quæ in eius ſocietate verſaba- Geneſ. 12. tur, reſpondit eſſe ſororem; cùm tamen hæc eſſet Sara, eius coniux. *Geneſ.* 22. conſtitutus idem Idem 22. Abraham in valle montis Moab, præcepit ſeruis

ſuis,

Digitized by Google

ſuis, vt tamdiu illic conſiſterent, donec ipſe & puer Iſaac ad eos reuerteretur, cùm tamen ille montem conſcenderet animo occidendi Iſaac, & immolandi eum Deo Opt. Max. Iacob, item, *Geneſ.* 27. interrogatus à Patre an eſſet Eſaü, conſtanter reſpondit ſe eſſe Eſaü. Ioſeph *Geneſ.* 42. aſſerit de fratribus ſuis quòd eſſent exploratores terræ Ægyptiacæ, cùm tamen deſcendiſſent iſti in Ægyptum eo ſolùm conſilio, vt compararent neceſſaria ad famem vitandam, quod erat notiſſimum Patriarchæ Ioſeph: & cap. 44. aſſerit hic idem, Benjamin furto ſuſtuliſſe ſcyphum argenteum, quem nihilominus coniecerat Ioſeph, data opera in ſaccum Benjamin. Rachab, *Ioſue* 2. aſſeueranter pronuntiat exploratores terræ promiſſionis nunquam apud ſe egiſſe, & tamen de oppoſito conſtat ex eodem cap. cit. & ob id laudatur à Paulo Hebr. 11. Iudith etiam varia & diuerſa mendacia pronunciat, vt poſſit vitam adimere Holopherni, atque ità populum Iudaïcum libertate donare, cap. 11. & 12. hiſtoriæ ſuæ.

Idem 27. *Idem* 42. *Idem* 44. *Ioſue.* 2. *Iudith.* 11. & 12.

2. Secundò, videtur hæc res manifeſtè probari ex illis locis Scripturæ, in quibus dicitur Deum decepiſſe aliquos. Ezech. 14. *Propheta cùm erraverit, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Ierem. 20. *Seduxiſti me Domine & ſeductus ſum*, ait Ieremias Propheta. 3. Reg. 22. *Cùm dixiſſet Dominus, quis decipiet Achab Regem Iſraël, vt aſcendat & cadat in Ramoth Galaad, & dixiſſet vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter, egreſſus eſt autem Spiritus, & ſteteit coram Domino, & ait: ego decipiam illum, cui loquutus eſt Dominus, in quo? & ille ait, egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius; & dixit Dominus, decipies & prævalebis, egredere, & fac ità.* & Pfal. 104 *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius.* & Iſaï. 19. de Deo dicitur, *Dominus miſcuit in medio eius Spiritum vertiginis, & errare fecerat Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.*

Ezech. 14. verſ. 9. Ierem. 20. verſ. 7. 3. Reg. 22. verſ. 20. 21. & 22. Pſal. 104. verſ 25. Iſaï 19. verſ. 14.

3. Tertiò, hoc ipſum probatur ex illis locis in quibus Prophetæ multa vaticinantur futura, quæ tamen nuſquam fuerunt in eſſe actualis exiſtentiæ: Ionas enim cap. 3. ſuæ hiſtoriæ prædicit, intrà quadraginta dies Niniuem ciuitatem eſſe deſtruendam. *Adhuc quadraginta dies & Nineue ſubuertetur:* tamen res hæc nuſquam effectum eſt conſequuta; interueniente namque penitentia iſtorum hominum, condonauit Deus peccatum commiſſum ab illis, atque adeò ciuitatem illorum illæſam conſeruauit. *Iſaï* 38. dicitur Ezechiæ, 2. *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues:* idem habetur 4. Reg 20. certum autem eſt ex locis proximè cit. propter compunctionem cordis Ezechiam de peccatis commiſſis euaſiſſe pœnam, & vitam eius fuiſſe prorogatam ad quindecim annos. Geneſ. item 20. dicit Dominus Regi Abimelech; *En moreris propter mulierem quam tuliſti, habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam.* & Geneſ. 4. videtur dici, quòd Caïn à nullo ſit occidendus, & tamen Hieron. epiſt. 125. ait eum à Lamech fuiſſe interfectum.

Ioan. 1. verſ. 4. *Iſaï* 38. verſ. 1. Geneſ. 20. ℣. 3. & 4.

4. Denique, ex illis locis in quibus Spiritus ſanctus videtur contraria loquutus; etenim *Ioan.* 8. dicitur de Chriſto: *Ego ſum lux mundi*, Matth. verò 5. de Apoſtolis aſſeritur idem. *Vos eſtis lux mundi.* & Iſaï. 43. dicitur de Deo. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui dele iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Ioan. verò 20. habetur de Apoſtolis, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* & Eccleſ. 44 de Abrahamo aſſeritur. *Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non eſt inuentus ſimilis illi in gloria, qui conſeruauit legem excelſi.* & de Ioan. Baptiſta Matth. 11. dicitur *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.*

4. Ioan. 8. verſ. 12. Matth. 5. verſ. 14. Iſaï 43. verſ. 26. Ioan. 20. verſ. 22. & 23. Eccleſ 44. verſ. 20. Matth. 11. verſ. 11.

Peccarunt in hac re etiam Scholaſtici nonnulli; docuerunt enim Deum, nuſquam hactenus, nec ſe ſolo, nec cum alio fuiſſe mentitum, aut, falſum dixiſſe; de poteſtate tamen abſoluta fieri poſſe vt mentiatur, idque quòd mentiri nullam inuoluat contradictionem. *Scholaſticorum error.*

Deinde, quod poteſt Deus media cauſa ſecunda, poteſt ſe ſolo facere; medijs autem hominibus, aut malis Angelis poteſt Deus mentiri: ergo & ſe ſolo.

Denique, quælibet pœna peccati poteſt Deo attribui, non quidem directè, & per ſe, ſed tantùm ſuppoſito peccato; at mendacium, fraus, dolus, & alia id genus ſunt pœnæ peccati, ex cap. 1. Rom. *Tradidit illos*, ſcilicet Philoſophos, *in reprobum ſenſum, vt faciant ea qua non conueniunt.* & paulò ante, *In paſſiones ignominiæ*: ergo illa poſſunt à Deo fieri.

Rom. 1. verſ. 28. *Id.* ibidem verſ 26.

Conclvsio 1. *Mendacium per ſe, & ſua natura vitioſum eſt, atque adeo illicitum.* Primum, quia hæc eſt expreſſa ſententia D. Thomæ, quæſt. 110. huius part. art. 3. & 4. atque omnium eiuſdem interpretum. *Mendacium vitioſum & illicitum.* 1.

Deinde, illud idem colligitur ex Dauide Pſal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* & Pſal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* &c. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo qui non egit dolum in lingua ſua.* 2. Pſal. 5. verſ. 7. *Idem* 14. ℣. 1. & 3.

Tertiò, ex illo Pauli ad Epheſ. 4. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra.* 3. Epheſ. 4. verſ. 25.

Quartò, Quod iure naturali prohibetur per ſe, & ſua natura malum eſt, vt fatentur communiter in tractatu de legibus; at mendacium prohibetur iure naturali (præcepta namque Decalogi cenſentur eſſe de iure naturali, omnium conſenſu, excepto tamen præcepto de Sabbatho ſanctificando, quod ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt verè de iure naturali; ſecundum verò modificationem ad diem Sabbathi, eſt de iure diuino poſitiuo, reſpectu veteris Teſtamenti, inter autem iſta præcepta eſt præceptum de non dicendo falſum teſtimonium, ex cap. 20. Exod. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Contra autem legem iſtam committitur mendacium) ergo ſignum eſt ex ſe malum eſſe. 4. Exod. 20. verſ. 15.

Vltimò, falſitas, vt ſic, ſeu mendacium, aut eſt officioſum, aut iocoſum, aut pernicioſum, ex doctrina D. Thomæ, quæſt. 110. ſed quodlibet ex iſtis cenſetur eſſe malum, ex doctrina eiuſdem: imò hoc ipſum colligitur ex Patribus, maximè verò ex D. Auguſt. lib. 1. de mendacio, cap. 1. ait enim illic, mendacium nihil aliud eſſe, quàm falſam vocis ſignificationem cum intentione fallendi. Sunt & alij qui dicunt mentiri nihil aliud eſſe, quàm rem aliquam longè aliter explicare verbis aut ſignis, quàm mente, vel animo fuerit concepta, & proinde mentiri idem eſſe, quod contra mentem ire: at res iſta eſt manifeſtè contra inclinationem naturalem; natura quippe rationalis voces & ſigna externa effinxit vt cogitationes interiores medijs huiuſmodi ſignis propa- *Vlt.*

larer, à qua tamen re deficit qui mentitur: ergo mendacium omne malum eſt.

Obiectio. Obijcies, liberum eſse mentiri propter vitam conſeruandam, aut ad vitandum aliquod aliud graue nocumentum, vt colligi videtur ex cap. 21. 1. Reg. Dauid enim conſtitutus in ædibus Regis Achis finxit ſe eſſe ſtultum, vt ità conſuleret propriæ vitæ: ergo ſaltem in aliquo caſu mendacium non erit malum.

Solutio. Reſpondeo, negando propoſitionem maiorem: rectè namque docet Apoſtolus non eſſe facienda mala, vt inde eueniant bona; mentiri autem per ſe malum eſt, atque adeo in nullo caſu poteſt hoc eſſe licitum: neque verò hoc colligere licet ex facto Dauidis, hic enim finxit tantùm ſe eſſe ſtultum, vt ità propriam vitam illæſam conſeruaret; fictio autem hæc non eſt per ſe mala, aut vetita vlla planè lege, imò licitam eſſe fictionem indubitatum eſt ex facto Chriſti, Luc. 24. dicitur enim quòd finxerit ſe longiùs ire, vt hac ratione diſcipulos ſuos ad meliorem mentem reuocare poſſet; fatentur præterea communiter Summiſtæ fictiones licitas eſſe quibuſuis, modò non fuerint in finem aliquem turpem & inhoneſtum ordinatę ab eo qui ijs vtitur.

Luc. 24. verſ. 28.

Alia obiect. Chryſoſt. Clemens Alexand. Hierony. Caſſianus. Obijcies, Chryſoſtomum lib. 1. de ſacerdotio. Clem. Alexand. lib. 7. ſtromatum, Hieron. in Commentarijs ad epiſt. ad Galat. Caſſianum, collatione 17. cap. 15. affirmare mendacium officioſum eſſe licitum.

Solutio. Reſpondeo, tres priores Patres nihil tale vnquam docuiſſe, ſed tantùm liberum eſse alicui ex iuſta aliqua cauſa vti ſermone dubio, & amphibologico; non autem fas eſſe mentiri etiam in fauorem alicuius, & ceſſante quolibet nocumento, idque propter rationem à nobis allatam: credunt enim iſti Patres mendacium, vt ſic, eſſe quid pernicioſum & illicitum; quando autem liceat vti æquiuocatione inter loquendum explicabitur infrà. Ad Caſſianum autem dico, eum in hac re fuiſſe dubium, magis tamen in noſtram ſententiam declinare, quàm in contrariam; ait enim quodlibet mendacium nulla facta diſtinctione inter pernicioſum, officioſum, & iocoſum eſſe vitandum; tum ne, inquit, demus occaſionem ſimplicibus mentiendi, tum quòd etiam Deus vlciſcatur quælibet mendacia.

Impium eſt dicere Deũ aliquando mentitum. Rom. 3. verſ. 4. Ioann 8. verſ. 26. Idem 3. verſ. 33. 2. Tim. 2. verſ. 13. Hebr. 6. verſ. 18. Luc. 21. verſ. 33. Num 23. verſ. 19. D. Auguſt.

Conclvsio 2. *Citra manifeſtum errorem nullus eſt qui poſſit affirmare, Deum hactenus eſſe mentitum, vel ſe ſolo, vel cum alio.* Prima pars probatur ex illis omnibus locis Scripturæ, in quibus Deus dicitur verax: ità Rom. 3. *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Ioann. 8. *Qui me miſit verax eſt.* & 3. *Qui accepit eius teſtimonium ſignauit quia Deus verax eſt.* & ex illis in quibus dicitur Deum eſſe fidelem, & ſeipſum negare nullo modo poſſe: ità 2. Timoth. 2. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.* & Hebr. 6. *Impoſſibile eſt mentiri Deum.* Luc. 21. *Cælum & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt* & Num. 23. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.*

Deinde, probatur ex Patribus; maximè verò D. Auguſtino lib. 22. de Ciuitate, cap. 25. & lib. 1. de Symbolo ad Cathecumenos: *Deus*, inquit, *omnipotens eſt, & cùm ſit omnipotens mentiri non poteſt, mori non poteſt, falſi non poteſt.* & lib. contra mendacium, cap. 1. & lib. 5. Confeſſionum, cap. 5. ait Manichæum propterea non poſſe eſſe Spiritum ſanctum, quia multa falſa conſcripſit. & de conſenſu Euangeliſtrum lib. 2. cap. 3. docet homini religioſo quidlibet aliud eſſe potiùs iudicandum, quàm credere Euangeliſtam eſſe mentitum: & Anſelmo lib. 1. cur Deus homo, cap. 10. *Sicut enim*, inquit, *in Deo quantumlibet paruum inconueniens ſequitur impoſſibilitas; ità quantumlibet parnam rationem, ſi maiori non vincitur, comitatur neceſſitas.* & Euſebio, lib 6. de præparatione Euangelica, cap 4. ex eo colligit Apollinem non eſſe Deum, quòd fuerit mentitus, etiam aſſerente Porphyrio. *Quomodo*, inquit, *Deus mentiretur qui natura veritas eſt?* & Ambroſio epiſt. 37. lib. 5. & Athanaſio lib. de incarnatione Verbi Dei. & Cyrillo lib. 2. in Ioannem.

Anſelm. Euſeb. Ambroſ. Athanaſ.

Denique, de Deo docent Scripturæ quòd nedum verax ſit, ſed etiam quòd ſit veritas ipſa, Ioann. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita:* at implicat veritatem mentiri; neque enim fieri poteſt, vt priuatio & habitus oppoſitus ſimul & ſemel in vno & eodem reperiantur; falſitas autem & veritas inter ſe opponuntur priuatiuè: ergo.

Ioan. 14. verſ. 6.

Obiectio. Obijcies, mendacium, ſeu falſitatem non magis pugnare cum veritate, quàm faciat calor cum frigiditate: ergo ſicut hęc duo abſolutè poſsũt eſſe in eodem ſubiecto ſimul, ità & veritas & falſitas.

Solutio. Reſpondeo, negando propoſitionem iſtam; eſt enim certiſſimum calorem & frigus opponi inter ſe contrariè; & item contraria, ſaltem aliqua, in gradibus remiſſis poſſe naturaliter inter ſe cohærere: priuatio autem & habitus oppoſitus per nullam potentiam poſſunt ſimul conſiſtere. Accedit veritatem eſſe ità coniunctam cum deitate, vt impoſſibile ſit deitatem eſſe ſinè veritate; excludit autem veritas, vt ſic, omnem falſitatem, illa eadem ratione qua rectitudo excluditobliquitatem: cùm ergo rectitudo & obliquitas de vno & eodem affirmari nequeant, ità & hoc idem dicendum eſt de veritate & falſitate, reſpectu vnius & eiuſdem ſimul & ſemel.

Cum alio Deus mentiri non poteſt. Secunda verò pars Concluſionis probatur; Deum ſcilicet nunquam fuiſſe cum alio mentitum: Eiuſdem rationis eſt aliquid vel ſe ſolo, vel cum alio præſtare, ſaltem in genere moris; agentes namque & conſentientes reſpectu cuiuſlibet operationis moralis, eadem planè pœna digni ſunt, idque quòd æquè peccent, ex communi doctrina Theologorum: at implicat Deum peccare vel ſe ſolo, vel cum alio, idque quòd ſit intrinſecè & eſſentialiter bonus, quòdque ſit ipſamet rectitudo, ſeu regula agendorum, quam implicat deficere: ergo implicabit Deum etiam cum alio mentiri. Confirmatur: Si Deus mentiretur cum alio, eſſet dignus pœna aliqua; peccatum enim trahit ſecum pœnam, eadem planè ratione, qua quælibet actio honeſta defert ſecum præmium & laudem; at certum eſt Deum non poſſe in ſe recipere pœnam aliquam, tum quia eſt actus puriſſimus; tum quia caret ſuperiore, qui poſſit ab eo pœnas iſtas exigere: ergo cùm cuilibet mendacio, quantumuis minimo, debeatur pœna aliqua, mendacium hoc non poterit enunciari de Deo ſumpto ſeorſim, vel cum alio.

De poteſtate abſoluta Deus mentiri non poteſt. Hebr. 6. verſ. 18.

Conclvsio vltima. *Nedum de lege communi, ſed neque de potentia abſoluta fieri poteſt vt Deus vel ſe ſolo, vel cum alio mentiatur.* Primùm, quia hæc videtur eſse expreſſa ſententia Pauli, Hebr. 6. *Vt per duas res immobiles*, nempe promiſſionem de remunerandis bonis operibus, & teſtificationem primæ veritatis, *Quibus impoſſibile eſt mentiri Deum fortiſſimum ſolatium habeamus.*

& 2.

2. Tim. 2. verſ. 13. & 2. Timoth 2. *Ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt*, atque adeò neque poterit mentiri, cùm mendacium ſit negatio veritatis infinitæ.

D. Auguſt. Ambroſ. Deinde, ità D. Auguſt. locis cit. Ambroſ. & Hieronym. & alij plerique.

Tertiò, ſi fieri poſſet vt Deus mentiretur, careremus omni planè fundamento ad probandum Scripturam ſacram eſſe certiſſimam & indubitatam; tota namque ratio cur aſſeramus, in ſacris litteris nullam extare falſitatem, ſed omnia eſſe veriſſima quæ habentur in illis, eſt, quia Deus Scripturam iſtam reuelauit: ergo ſi Deus poſſet mentiti, ratio adducta eſſet planè ridicula; nam poſſemus etiam oſtendere euidenter fidem Catholicam eſſe fallibilem, cùm fundamentum illius, B ſcilicet reuelatio diuina, eſſet fallibile.

Denique, ratio naturalis dictat Deum eſſe infinitè ſapientem, & bonum; at infinita ſapientia attingit quodcumque intelligibile, infinita verò bonitas excludit omne & quodlibet malum: ergo concedendum eſt de Deo quòd per nullam planè potentiam mentiri queat, vel ſe ſolo, vel cum alio.

Obiectio. Dices, poſſe Deum infundere alicui habitum illum, qui ex hypotheſi datur in eo qui eſt frequentiſſimè mentitus, & quem ſibi comparauit ex iſtis actibus iteratis: ergo poſſet Deus cum iſto homine concurrere ad mendacium.

Solutio. Reſpondeo 1. Quidquid ſit de antecedete, ne- C go conſequentiam; cum enim Deus ſit prima, & & infinita bonitas & veritas, excludit à ſe omnem malitiam & falſitatem. Reſpond. 2. habitum iſtum ſpectari duobus modis, vel ſecundum entitatem, quam habet à parte rei tantùm, vel ſecundum eamdem, prout hæc mouere & inclinare poteſt aliquem ad mentiendum: primo modo non videtur negandum, quin Deus poſſit producere huiuſmodi habitum & alicui infundere; ſecus ſecundo modo, idque propter cauſam proximè explicatam.

Hæretici vñ fundamenta euertuntur. Ad rationes verò hæreticorum reſpondeo. Ad 1. ex illis omnibus locis Scripturæ ſolùm colligi Patres legis naturalis, & Moſaïcæ interdum D fuiſſe mentitos; neque verò ex iſtis ſequitur aliqua abſurditas: Scripturæ quippe fatentur omnem hominem eſſe mendacem, Deum autem tantùm eſſe veracem. Deinde, mendacia iſta non habuerunt ortum à Deo vlla ratione, ſed tantùm à corrupta & deprauata voluntate eorum, qui huiuſmodi mendacia admiſerunt.

Reſpondeo 2. ex iſtis omnibus locis Scripturæ, probari Patres veteris Teſtamenti fuiſſe interdum vſos æquiuocatione, ſiue ſermone aliquo amphibologico, ad vitanda grauia aliqua incommoda; cuius generis eſt amiſſio vitæ, exilium perpetuum, priuatio quorumcumque bonorum, amotio nominis & famę & alia; hæc autem fieri E poſſe ſinè peccato ob prædictas cauſas, vel alias iſtis æquiualentes, fatentur SS. Patres, maximè

D. Ambr. verò Ambroſ. in Lucam lib. 10. vbi Petrum à peccato excuſat, quando dixit, territus metu cadente in conſtantem virum, ſe non agnouiſſe Chriſtum, ſcilicet vt id faterctur Iudæis. Idem

Hieron. Chryſoſt. aſſerit Hieronym. in commentarijs epiſtolæ ad Galat. Chryſoſt. lib. 1. de ſacerdotio, & Caſſian. collat. 17. cap. 15. Deinde, D. Thom. 2. 2. & eiuſdem interpretes quæſt. 69. concedunt accuſatum criminis capitalis, apud Iudicem poſſe inculpatè negare crimen, de quo interrogatur à Iudice, quando Iudex ipſum interrogat non iuridicè, A id eſt contra diſpoſitionem iuris communis. Tertiò, aliud eſt mentiri, aliud verò veritatem tacere, & occultare, omnium conſenſu; at qui vtitur ſermone amphibologico, ſeu æquiuocatione veritatem tantùm celat, non autem mendacium profert: ergo cùm nullus planè ſit, qui teneatur ſemper, & vbique explicare veritatem ſibi notam, poterit aliquis inculpatè vti æquiuocatione. Dixi autem æquiuocationem eſſe licitam ad vitanda prædicta incommoda; quoniam in communibus negotijs, nec in familiari conuictu licitus eſſe poteſt vſus æquiuocationis, vt videtur colligi ex Epheſ. 4. vbi ait. *Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* & 1. Theſſ. 4. *Ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum.* Epheſ. 4. verſ. 25. 1. Theſſ. 4. verſ. 6.

Vt autem reſponſiones iſtæ magis innoteſcant, dico Abraham quando dixit Saram eſſe ſororem ſuam, nullum planè commiſiſſe mendacium, ſed tantùm celaſſe veritatem vnam, nempe quod hæc eſſet eius vxor; & aperuiſſe alteram, quòd videlicet Sara eſſet eius conſobrina: erat namque filia fratris Abrahæ. Deinde, vſus loquendi apud Hebræos obtinuit vt conſobrinæ dicerentur ſorores, & conſobrini fratres, vt obſeruat Auguſtinus Torniellus tom. 1. ſuorum Annalium ad annum mundi bis milleſimum quadrageſimum nonum: probatque ex cap. 13. 14. & 29. Geneſ. atque adeò conſtat euidenter ex hoc loco Geneſ. 12. Abraham perculſum timore mortis, vſum fuiſſe æquiuocatione, nullum autem mendacium protuliſſe. Ad id verò quod ſubiungitur ex cap. 22. eiuſdem Geneſ. de eodem Abraham, reſpondeo eum idcò hoc protuliſſe, quòd crederet filium immolatum eſſe à Deo ſuſcitandum: dixerat enim Abrahæ Deus, *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris:* certum autem eſt prædictionem iſtam nedum de Abrahamo intelligendam, verùm & de vnico filio Iſaac. Sunt qui idem fateantur de Iacob, quando dixit ſe eſſe Eſaü, verùm minùs rectè. Primùm, quia eius fraus ſatis ex eo innoteſcit, quòd collum & manus caprinis pellibus obtexerit, & eo conſilio, vt poſſet perſuadere Patri ſe eſſe Eſaü, cuius collum & manus erant hirſutę, & piloſę. Deinde, mendacium Iacob videtur eſſe cognitũ Iſaac Patri, ait enim; *Vox quidem, vox Iacob eſt ſed manus, manus ſunt Eſaü.* Moneo tamen mendacium hoc non fuiſſe peccatum mortale, non enim obfuit proximo in re graui, ius quippe primogenituræ abdicauerat à ſe Eſaü, & tranſtulerat illud in Iacob, ex cap. 25. Geneſ. Deinde, conſtituerat Deus vt maior natu ſeruiret minori. Denique, ex plenitudine dominij quod Deus habet in res omnes, poteſt transferre ab vno in alium dominium cuiuſlibet rei creatæ: quid igitur mirum ſi ius primogenituræ peruenerit ad Iacob ordinatione diuina? Patriarcham autem Ioſeph non propterea eſſe mentitum affirmo, quòd dixerit fratres ſuos eſſe exploratores, atque etiam Benjamin furto ſuſtuliſſe ſcyphum, hæc enim non ex propria ſententia, ſed iuxta opinionem eorum cum quibus viuebat, protulit: ille ſiquidem perfectiſſimè nouerat fratres ſuos in Ægyptum deſcendiſſe ſtudio comparandi ſibi neceſſaria ad humanæ vitæ ſuſtentationem, & famem leuandam: etſi domeſtici Regis Ægyptiorum verè crederent fratres Ioſeph eſſe exploratores. De Iudith autem, Rahab, & alijs aſſerendum eſt fuiſſe interdum mentitos: nam diximus mendacium poſſe cadere in

Non fuit mentitus Abraham.

Geneſ. 22. verſ. 17.

Iacob mentitus leuiter

Idem 27. verſ. 22.

Idem 25. verſ. 33. Id. ibid. verſ. 24.

Ioſeph non mentitus.

Iudith & Rahab mẽdacium dixerunt.

omnem planè hominem. Ad id verò quod ſubiungitur ex cap. 11. Hebr. dico commendare Paulum hoſpitam exploratorum terræ promiſſionis, non quidem propter mendacium quod protulit, ſed propter pium affectum eiuſdem in gentem Iudaicam, quæ eo tempore ſola cultum veræ religionis retinebat. A

2. Ad 2. Reſpondeo probare tantùm Deum eſſe authorem falſitatis, & deceptionis, non quidem poſitiuè & verè; ſed tantùm permiſſiuè, adeo vt ſenſus ſit, Deum permittere vt homines frequentiſſimè decipiantur.

3. Ad 3. Reſpondeo prædictiones Prophetarum eſſe in duplici differentia: aliæ namque ſunt abſolutæ, aliæ conditionatę; illæ ſemper ſuos conſequuntur effectus, non iſtæ, ob defectum videlicet conditionis, cùm qua fuerunt prædictę; vnde non mirum eſt ſi ciuitas Niniue non fuerit ſubuerſa, intrà quadrageſimum diem; ſi item mors Ezechiæ, aut Abimelech non fuerit ſubſequuta; iſti ſiquidem effectus fuerunt prædicti ſuppoſita conditione de penitentia eorumdem minimè futura: eſt autem certum & Ezechiam, & Abimelech, & Niniuitas de peccatis commiſſis penitentiam egiſſe. B

4. Ad 4. ex his locis Scripturę non poſſe colligi contraria à Spiritu ſancto in ſacris codicibus fuiſſe pronuntiata; quando enim dicitur de Chriſto quòd ipſe ſit lux mundi, hoc venit intelligendum de luce increata & independente: quod verò de Apoſtolis dicitur, de luce creata, & participata explicandum eſt. Deus præterea cenſetur eſſe cauſa præcipua & principalis remiſſionis cuiuſlibet culpæ; Sacerdotes verò, & Apoſtoli cauſa inſtrumentalis, & miniſterialis eiuſdem. Henoch. denique cenſetur eſſe præcipuus inter mortales, non quidem ſimpliciter, ſed tantùm reſpectu alicuius prærogatiuę ſibi à Deo datę. Ioannes verò Baptiſta reſpectu alicuius alterius. C

Satisfit rationibus Scholaſticorum. Ad rationes verò Scholaſticorum Theologorum dico. Ad 1. falſum eſſe primam veritatem mendacium aliquod proferre poſſe, idque vel ſe ſola, vel cum alio; illa etenim conſurgit ex infinita ſapientia & bonitate, quæ dantur in Deo; implicat autem Deum habere in ſe infinitam ſapientiam, & non intelligere omne intelligibile, vt poſtulat eius natura; & bonitatem infinitam, & aliquem fallere. D

1. Ad 2. Deum non concurrere cum vlla planè re creata ad mendacium vel falſitatem formaliter ſpectata; ſed tantùm ad materiale iſtorum duorum; neque enim poteſt Deus eſſe author mali culpæ, vt tale eſt, vt diximus 1. 2. quæſt 71. atque adeò non poterit Deus ſe ſolo, nec cum alio vllum planè mendacium vel minimum admittere.

3. Ad vltimam, Omnem pœnam quę propriè pœna eſt, poſſe habere ortum à Deo, & præterea infligi mortalibus, ſuppoſita tamen culpa; peccatum autem, vt ſic, etiam minimum, non eſt propriè loquendo pœna peccati, ſed tantùm per accidens, quatenus ſcilicet propter peccatum aliquod commiſſum ſolet Deus ſubtrahere ſuam gratiam, quam ſi dediſſet, peccatum ſecundum non fuiſſet ſubſequutum, vt explicant Theologi in tractatu de peccatis. E

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm obiectum fidei poſſit eſſe aliquid viſum.

DVBITATIO PRIMA.

An fides ſit de rebus viſis, & euidentibus; an verò de obſcuris & ineuidentibus, ità vt obſcuritas & ineuidentia ſint de ratione formali fidei diuinæ.

Hæreticorum fundamenta.

HÆRETICI noſtri temporis in eo ſunt errore, vt credant intelligentiam aliquam euidentem prærequiri, ad hoc vt aliquis poſſit credere articulos à Deo reuelatos: idem docuerat antèà Abaillardus, referente Bernard. epiſt. 109. & Manichæi authore D. Auguſt. lib. de vtilitate credendi; voluerunt enim iſti nihil planè eſſe credendum, quod euidenti demonſtratione non eſſet comprobatum. Argumenta iſtis communia, hæc ſunt. D. Auguſt. in Pſal. 118. ad hæc verba. *Fac ciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.* concione 27. ait, intelligentiam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad aſſenſum fidei producendum. D. Auguſt. Pſal. 118. verſ. 135.

Deinde, Eccleſ. 19. *Qui credit citò, leuis corde eſt.* & 1. Ioann 4 *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Eccleſ. 19. verſ. 4. 1. Ioann. 4.

Tertiò, fides dicitur viſio in ſacris litteris, ex cap. 13. 1. Cor. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Ioann. 1. *Quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis.* dicitur præterea claritas 2. Corinth. 4. *Illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei.* & cap. 3. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* verſ. 1. 1. Ioann. 1. verſ. 12. verſ. 3. 2. Cor. 4. verſ. 6. Idem 3. verſ. 18.

Denique, fides appellatur frequentiſſimè apud Patres lux & lumen.

CONCLVSIO 1. *Fides eſt inuidens, atque adeò de rebus minimè viſis, & non euidentibus.* Primùm, quia ità Paul Hebr. 11. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* qua de cauſa dicitur Ioann. 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* & 2. Petr. 1. *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* *Fides eſt euidens.* Hebr. 11. verſ. 1. Ioann. 20. verſ. 29. 2. Petr. 1. verſ. 19.

Deinde, Patres ità docent: D. Auguſt. ſerm. 27. de verbis Apoſtoli, *Fides*, inquit, *eſt credere quod nondum vides.* & tract. 40 in Ioann. *Fides ergo eſt quod non vides, credere: veritas, quod credidiſti videre.* & tract. 68. in Ioann. *Si vides, non eſt fides.* quod idem repetit lib 2 quæſtionum Euangelicarum, quæſt. 39. & in Enchirid. ad Laurent. cap. 8. & de videndo Deo, cap. 2 Dionyſ. de diuinis nominibus cap. 7. Damaſc. lib. 4. de fide, cap. 12. *Fides nihil aliud eſt quàm aſſenſio ab omni curioſitate procul diſſita.* & Chryſoſt. homil. 26. in Euangelium Matth cap 8. Gregor. Magn homil. item 26. in Euang. & denique Bernardus lib. 5. de conſideratione ad Eugenium, cap. 6. D. Thomas & omnes interpretes eiuſdem hoc loco idem aſſerunt. D. Auguſt. Dionyſ. Damaſc. Chryſoſt. Gregor. Bernard.

Subiungo rationes aliquas in huius veritatis confir- *Probationes Concluſ.*

Digitized by Google

confirmationem. Prima eſt : Propoſitis rebus de fide debitè, & vt oportet, multi, non omnes aſſentiuntur, ſed aliqui tantùm ità vt Apoſtolus dicat, Rom. 10. *Non omnes obediunt Euangelio.* argumento igitur eſt res de fide non eſſe in ſeipſis euidentes, ſaltem vt à nobis dignoſcuntur.

Rom. 10. ℣. 16.

Secunda : Scripturæ, & SS. Patres monent captiuandum eſſe intellectum noſtrum in obſequium fidei, 2. Corinth. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti:* ergo de rebus de fide non licet affirmare quòd ſint euidentes; bene tamen obſcuræ, & ineuidentes.

2. Cor. 10. ℣. 5.

Ineuidentia intrinſeca eſt fidei.

CONCLVSIO 2. *Ineuidentia & obſcuritas pertinent ad rationem formalem fidei, adeò vt fides diuina nequeat eſſe fides ſinè ineuidentia, & obſcuritate.* Primum, quia art. 1. huius quæſt. docuimus rationem formalem fidei noſtræ eſſe primam veritatem reuelantem ſe, & aliàs obſcurè.

Deinde, viſio & fides opponuntur inter ſe, ex 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* videre autem Deum facie ad faciem, nihil aliud eſt, quàm cognoſcere Deum clarè & vt in ſe eſt, ex communi doctrina: at viſio diuinæ eſſentiæ eſt in ſe quàm maximè euidens; fides ergo cùm huic opponatur debet eſſe ineuidens.

1. Cor. 13. ℣. 12.

Tertiò, SS. Patres docent inter fidem & ſcientiam dari oppoſitionem : Ità D. Auguſt. ſerm. 1. de feſto ſanctiſſimæ Trinitatis : *Quomodo credo quod neſcio?* reſpondet ſibiſpſi, *Conſidera quod voceris fidelis, non rationalis. Denique accepto baptiſmo hoc dicimus : Fidelis factus eſt, ſiue factus ſum, credo quod neſcio & propterea ſcio, quia me ſcio neſcire, quod neſcio.* Clem. Alex. lib. 1. pædagogi, cap. 6. & Irenæus lib. 2. contra hæreſ. cap. 14. atqui ſcientia ideò à fide diſtinguitur, quòd illa ſit euidens; fides autem obſcura : ergo de ratione fidei eſt quòd ſit ineuidens.

D. Auguſt. Clemens Alexand.

Obiectio. Obijcies, D. Thomam art. 6. huius quæſt. affirmare obſcuritatem ſeu ineuidentiam fidei, repetendam eſſe à ſubiecto, in quo datur fides; ſubiectum autem fidei non eſt de intrinſeca ratione eiuſdem : ergo neque ineuidentia erit de eſſentia eiuſdem.

Solutio. Reſpondeo, nomine fidei hoc in loco non intelligere habitum fidei, ſed tantùm res de fide; vnde docet de rebus quas credimus, quòd ſint obſcuræ & ineuidentes, reſpectu ſubiecti in quo recipitur fides; nos enim intelligimus credibilia quælibet dependenter ab habitu fidei, qui in ſuo conceptu formali includit obſcuritatem : quia tamen res iſtæ nedum conſiderantur vt à nobis cognoſcuntur per fidem, ſed etiam vt ſunt in ſeipſis, & hac ratione non ſunt obſcuræ & ineuidentes, vt colligitur ex 1. Rom. *Inuiſibilia ipſius*, ſcilicet Dei, *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* & 1. Tim. 6. dicitur de Deo, qui eſt primum & præcipuum fidei noſtræ obiectum, quòd lucem inhabitet inacceſſibilem; vnde quemadmodum Sol, eſt in ſe quàm maximè viſibilis, & nulla ratione obſcurus; ità & obiecta præcipua fidei noſtræ in ſeipſis ſpectata, ſunt maximè viſibilia & intelligibilia, ideò D. Thomas obſcuritatem in fide dixit eſſe deſumendam à ſubiecto, non verò ab obiecto materiali fidei.

Rom. 1. ℣. 20. 1. Tim. 6. ℣. 16.

In Secundam Secundæ D. Thom.

Obiectio. Obijciunt Durandus, & Capreolus, qui putant obſcuritatem in fide eſſe tantùm proprietatē aliquam accidentalem, non autem eſſentialem. Priuatio nulla poteſt eſſe de intrinſeca ratione alicuius habitus poſitiui & realis; principia namque cuiuſlibet entitatis poſitiuæ, & realis debent eſſe neceſsariò realia; at certum eſt fidem eſſe habitum verum, poſitiuum, & realem : ergo ineuidentia & obſcuritas nequeunt eſſe de intrinſeca ratione fidei.

Solutio. Reſpondeo, particulam iſtam, *ineuidens*, duplicem habere modum ſignificandi : alius eſt, qui competit ei ex prima ſua inſtitutione, ſeu impoſitione; alius ex vſu & conſuetudine loquendi Theologorum : priori modo ineuidens ſignificat negationem euidentiæ; poſteriori verò dicit perfectionem aliquam veram & realem pertinentem ad naturam & eſſentiam fidei, quæ quia nobis non innoteſcit, ideò explicatur nomine ineuidentis. Hoc ergo modo probat argumentum Durandi ineuidentiam non eſſe de ratione fidei, quatenus ſcilicet nomen hoc dicit nudam negationem : illuſtratur exemplo : Vox, *irrationalis*, etſi ſignificet priuationem rationis; ex primæua impoſitione, connotat tamen perfectionem aliquam veram & realem, per quam brutum conſtituitur in eſſe bruti : ad eumdem modum ineuidentia in fide connotat perfectionem conſtitutiuam eiuſdem veram, & realem, ex vſu loquendi Theologorum.

Obiectio 2. Obijciunt 2. Ineuidentia neque eſt res cognita, nec ratio cognoſcendi res de fide : ergo non pertinet ad eſſentiam fidei.

Solutio. Reſpondeo, ineuidentiam eſſe rationem cognoſcendi res de fide, non quidem, vt quæ, hæc enim eſt ſola prima veritas; nam diximus ea tantùm pertinere ad fidem quæ ſunt vel Deus, vel aliquid Dei, vel quæ dicunt ordinem ad Deum : eſſe tamen ineuidentiam rationem formalem, ſub qua, quia quæcumque cognoſcuntur per fidem ſub ea tantùm ratione cognoſcuntur, quia ſunt à Deo reuelata obſcurè.

Obiectio 3. Obijciunt vltimò ex D. Auguſt. fidem eſſe de rebus per ſe notis & manifeſtis.

Solutio. Reſpondeo, nomine fidei non intelligere Auguſtinum eo in loco fidem propriè ſumptam, ſed tantùm cognitionem, quam habemus de quibuſuis rebus per ſe notis, & manifeſtis, qualis eſt ea cognitio, quæ datur in omnibus & ſingulis mortalibus.

Solutio 2. Reſpondeo 2. locum D. Auguſt. intelligendum eſſe de rebus fidei Chriſtianæ ſpectatis in ſeipſis; non autem vt à nobis cognoſcuntur per fidem; hac enim ratione ſunt ineuidentes & obſcuræ, illà verò euidentes & per ſe notæ.

Euertuntur hæreticorū fundamēta. Ad rationes verò adductas in confirmationem erroris hæreticorum. Reſpondeo ex illo loco D. Auguſt. probari tantùm cognitionem aliquam eſſe antecedenter neceſſariam ad aſſenſum fidei Chriſtianæ; non quidem, quæ ſit ratio aſſentiendi rebus de fide, ſed quæ facit vt res de fide iudicentur eſſe credibiles; fides namque ſola eſt ratio aſſentiendi rebus omnibus à Deo reuelatis; credibilitas autem eorum, quæ ſunt de fide Catholica repetenda eſt ex motiuis, rationibus, & argumentis, quibus res de fide comprobantur : credibilitas ergo iſta præſupponit in nobis cognitionem aliquam, antequàm producatur aſſenſus fidei : & de hac co-

1.

Digitized by Google

gnitione loquitur D. Auguſt. locus autem Dauidis ſolùm probat ſpeciale Dei auxilium eſſe neceſsarium ad aſsenſum fidei efficiendum.

2. Ad 2. reſpond. Ex loco Eccleſiaſt. tantùm probari, neminem credere prudenter, niſi, propoſitis rebus aliquibus credendis, vel fide diuina, vel humana, examinauerit priùs, an res quæ proponitur credenda ſit credibilis. Tandem teſtimonium 1. Ioann. 4. docet non eſſe feſtinandum inter credendum, ſed cauendum eſſe à Pſeudoprophetis, idque quòd ſoleant iſti falſa pro veris proponere credenda.

Ad teſtimonia verò illa, in quibus fides diuina nuncupatur viſio, dico Apoſtolum adieciſſe particulam iſtam, *Per ſpeculum*, ex qua manifeſtè colligitur, quòd quemadmodum res quæ videntur in ſpeculo non videntur in ſeipſis, ſed in figura aliqua; ità res de fide cognoſcuntur & à nobis videntur, ceterùm quaſi in vmbra & in figura, atque adeò obſcurè, & non euidenter. Addo res de fide, viſas quidem fuiſſe, ſaltem aliquas, ab Apoſtolis, & item ab illis, qui vixerunt cum Chriſto, pro eo tempore quo fuit in hac vita mortali, & poſt reſurrectionem eiuſdem ad aſcenſionem vſque: ſed res iſtæ, vt ſic, non fuerunt ab iſtis creditæ, bene tamen à nobis, idque quòd res huiuſmodi nuſquam fuerint à nobis viſæ, ſed tantummodo propter teſtificationem primæ veritatis, & propter authoritatem Eccleſiæ creditæ. Ad illa demum teſtimonia in quibus dicitur de fide, quòd ſit lumen, lux, & claritas. Reſpondeo eſſe intelligenda comparatiuè tantùm, nempe reſpectu legis naturalis, & Moſaïcæ; in ſtatu namque legis gratiæ ideò fides noſtra donatur prædictis nominibus, quòd hæc ſit magis explicata, quàm fuerit in lege naturali, aut veteri Teſtamento, vnde reſpectu legis naturalis, & Moſaïcæ fides noſtra dicitur lux, claritas, & lumen.

culis, quæ creduntur, & ſunt à varijs doctiſſimis & ſanctiſſimis viris creditæ, quæque vbique locorum à ſapientioribus fuerunt acceptatæ: igitur res ad fidem pertinentes ſunt euidenter credibiles.

Vltimò, illud dicitur euidenter credibile, quod habet argumenta quàm maximè grauia, motiua item efficacia, rationes denique admodum validas, quibus probetur; at res de fide Catholica comprobantur motiuis, rationibus & argumentis quàm maximè efficacibus.

Inter quæ computantur miracula facta in confirmationem fidei Chriſtianæ, vt liquet ex illo Pauli Hebræor. 2. *Conteſtante Deo ſignis, & portentis & varijs virtutibus.* & Ioann. 15. *Si non veniſſem & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* & paulo poſt. *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* & cap. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis.* & Matth. 11. *Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Ex iſtis ergo oſtenditur credibilitas euidens myſteriorum fidei Catholicæ. In lumine ſiquidem naturali euidens eſt Deum eſſe infinitè ſapientem, & bonum, atque adeò nec falli, nec fallere poſſe: cùm ergo fecerit Deus innumera propemodum miracula in confirmationem fidei Catholicæ, vt conſtat ex locis proximè cit. euidens erit res de fide Catholica eſſe credibiles; cui enim adhibebitur fides, ſi non credamus Deo aliqua reuelanti, & eadem comprobanti diuerſis miraculis?

Primum motiuũ fidei Chriſtianæ.
Hebr. 2. ℣. 4.
Ioan. 15. ℣. 22. & 24.
Idem 10. ℣. 38.
Matth. 11. ℣. 4. & 5.

Obijcies, Chriſtum monere nos ne inter credendum, miraculis innitamur, ait enim Matth. cap. 7. *Attendite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos.* & cap. 24. *Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi:* ergo ex miraculis non euincitur credibilitatis fidei euidentia.

Obiectio.
Matth. 7. ℣. 15.
Idem 24. ℣. 24.

DVBITATIO SECVNDA.

An ſaltem de rebus fidei Chriſtianæ concedendum ſit eas eſſe euidenter credibiles.

Rationes contrariæ.

RATIO dubitandi eſt, quia ſi res iſtæ ſunt euidenter credibiles, ſunt etiam euidenter veræ; hæc enim duo pro eodem vſurpantur.

1.

2. Secundò, ſequeretur neceſſitari intellectum noſtrum ad aſſenſum eorum, quæ ſunt fidei Catholicæ, nec enim fieri poteſt, vt intellectus non aſſentiatur rei euidenti, ſi conſtet ei de euidentia iſtius; at res de fide, omnium planè conſenſu, pertinent ad aſſenſum liberum intellectus noſtri: ergo res de fide non ſunt euidenter credibiles.

2.

Res de fide ſunt credibiles euidenter.

CONCLVSIO. *Res de fide ſunt euidenter credibiles.* Primùm, quia hoc colligitur ex Pſal. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.*

Pſal. 92. ℣. 5.

Deinde, ità D. Thomas, Bannez, Peſant. & Petrus Aragon. hoc loco.

Tertiò, illud dicitur euidenter credibile, cui vir prudens diſſentire nequit, ſinè aliqua temeritate; at nullus datur prudens, qui rebus de fide ſibi debitè propoſitis abſque aliqua temeritate diſſentire queat; imprudens etenim ille cenſetur, qui non vult aſſentiri rebus illis, quæ fuerunt confirmatæ innumeris miracu-

Solutio.
Marc. 16. ℣. 15. & 17. & 18.
Matth. 24. ℣. 24.
2. Theſſ. 2. ℣. 9.

Reſpondeo, Chriſtum non prohibere, quominùs attendamus ad miracula, quandocumque res de fide proponuntur credendæ. Marc. enim 16. verbis expreſſis dicitur de Apoſtolis, *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*, &c. *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Prohibet ergo locis in obiectione poſitis, ne attendamus ad ſigna quæ fiunt à falſis Prophetis, quotieſcumque aliquid occurrit credendum; nam dicitur loco citato Matthæi. *Surgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna:* à ſignis ergo factis à falſis Prophetis cauendum eſſe admonet Chriſtus, vtpote vanis & falſis, ſeu deluſorijs; tum quia quando ſunt ſigna vera, non habent rationem miraculi propriè dicti, vt probat Tertullian. in Apologet. & Paulus 2. Theſſal. 2. de ſignis Antichriſti. *Cuius eſt*, inquit, *aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis his qui pereunt.*

Inſtabis,

Digitized by Google

Replica. Inſtabis, Magos Pharaonis feciſſe illa eadem miracula, quæ præſtitit Moyſes quandocumque agebatur de acceptanda lege Moſaïca? Exodi enim 7. dicitur de illis, *Proiecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in Dracones.* Exod. 7. ℣. 12.

Diſſoluitur. Reſpondeo, non conuenire Patres inter ſe de hac re: D. enim Auguſt. & alij inter explicandum hoc teſtimonium aſſerunt virgas magorum non fuiſſe verè conuerſas in ſerpentes, ſed tantùm apparenter: alij verò contrà volunt virgas iſtas tam verè fuiſſe conuerſas in ſerpentes, quàm fuerit virga Aaron. Addunt tamen conuerſionem hanc non eſſe computandam inter miracula propriè dicta; ídque quòd omne tale ſit, Opus rarum & inſolitum à ſolo Deo factum, capacitatem naturæ tranſcendens; conuerſio autem iſta fuit facta à Magis Pharaonis dependenter à rebus quibuſdam naturalibus, applicando ſcilicet actiua paſſiuis: ità D. Thomas 1. part. quæſt. 114. artic. 4. ait enim multa dari in natura, quæ ſufficiunt ad hoc vt virgæ aliquæ conuertantur in ſerpentes, quæ notiſſima ſunt dæmonibus, nobis autem occulta; atque adeò, quando iſta media naturalia applicantur virgis, & contingit earum mutatio in veros ſerpentes, conuerſio hæc videtur nobis miraculoſa, etſi ad rationem miraculi non pertineat; quia neſcimus quæ ſint illa media naturalia, quæ ſufficiunt ad iſtam mutationem attingendam.

Obiectio. Obijcies, Simonem Magum volaſſe ad inſtar auis in aëre, vt referunt plerique authores Eccleſiaſtici.

Solutio. Reſpondeo hoc eſſe veriſſimum; aſſerunt enim eum corruiſſe ex aëre, & ad inſtar vaſis lutei confractum miſerè periiſſe, poſitis precibus D. Petri. Moneo tamen volatum hunc non poſſe dici miraculoſum, vtpote qui habuerit cauſam dæmonem, vt communiter fatentur omnes; poſſe autem dæmones huiuſmodi effectum producere indubitatum eſt ex eo, quòd ſint eiuſdem naturæ, & eſſentiæ cum bonis Angelis: Hi autem poſſunt hominem à terra in aërem leuare, & deducere in quem voluerint locum, Deo tamen id permittente, vt liquet ex cap. 8. Actuum, vbi Philippus deducitur ab Angelo in Azotum per aërem. Deinde, Matth. 4. dicitur Chriſtum è deſerto in pinnaculum templi Salomonis; è pinnaculo in altiſſimum montem fuiſſe à dæmone delatum. Actu. 8. ℣. 39. Matth. 4. ℣. 5. & 8.

Obiectio 2. Obijcies 2. Antichriſtum facturum miracula.

Solutio. Reſpondeo negatiuè; faciet enim tantùm ſigna & prodigia quæ credentur eſſe miracula à ſimplicibus & idiotis: verè tamen talia non erunt, ſed ſigna fallacia & mendacia ex loco cit. Paul. 2. ad Theſſ. 2.

Obiectio 3. Obijcies 3. Veſpaſianum Imperatorem, referentibus Suetonio, & Cornelio Tacito, illuminaſſe cæcum, liniendo oculos eiuſdem ſuo ſputo. Sunt etiam qui referunt Tucciam Veſtalem detuliſſe aquam ex flumine intrà cribrum, & quidem in proprias ædes.

Solutio. Reſpondeo, Baptiſtam Fulgoſium in ea eſſe opinione lib. 1. de miraculis, vt crediderit miracula iſta eſſe facta ab Ethnicis hominibus ad reuincendam Iudæorum perfidiam, Deo permittente, & volente. Verum rectiùs

A illi qui putant miracula illa nuſquam à Veſpaſiano, vel ab alijs patrata, ſed ſolùm ab authoribus prophanis in odium religionis Chriſtianæ fuiſſe excogitata, vt hac arte auocarent homines à profeſſione religionis Chriſtianæ: quod probat Baronius tom. 1. ſuorum Annal. ad annum 71. & tom. 2. ad annum 139. Deinde, vt hac ratione authores iſti rem gratam facerent Imperatoribus Ethnicis, putà quòd affectarent iſti omni cura & ſolicitudine diuinos honores. Quod verò dicitur de Tuccia Veſtali, fatentur communiter omnes actionem hanc vel fuiſſe tantùm apparentem non autem veram, vel dæmonem arte aliqua occulta effeciſſe ne laberetur aqua ex cribro. Baronius.

B Secundum motiuum ex quo comprobatur euidentia credibilitatis fidei Catholicæ, cenſetur eſſe eius antiquitas; hæc enim fuit & in Angelis, & in primis parentibus in primo inſtanti creationis, ex communi Catholicorum omnium doctrina: aſſerunt quippe Theologi primos parentes, & item Angelos fuiſſe creatos in gratia gratum faciente, & habuiſſe fidem & ſpem, quæ à nobis dicuntur virtutes Theologicæ. *Antiquitas fidei.*

Deinde, libri Moyſis ſunt omnium antiquiſſimi. Tertiò, nihil eſt laude dignum apud prophanos authores, quod non fuerit excerptum ex libris Canonicis Scripturæ ſacræ; vt

C author eſt D. Auguſt. in lib. de Ciuitat. Dei. & Tertullian. in Apologet. de hac autem re lege Auguſt. 18. de Ciuitat. cap. 37. & 38. Ioſephum contra Apionem. Iuſtinum Apolog. 2. ad Antoninum pium. Clement. Alexand. lib. 1. Strom. & Tertul. cap. 19. Apologet. D. Auguſt. Tertull. Iuſtinus. Clemens Alexand.

D Tertium motiuum cenſetur eſſe ſanctitas ſingularis, quæ deprehenditur in documentis fidei Catholicæ; nulla enim alia eſt religio, aut fuit aliquando, quæ non habuerit aliquos errores admixtos, vt probat Auguſt. lib. 2. & 7. de Ciuitat. de quacumque religione prophana; de Iudaïca verò maximè innotefcit ex eo quòd hæc permiſerit dilectionem inimici, vt conſtat ex cap. 5. Matth. libellum item repudij, contra obligationem ſacramenti Matrimonij, quod ſola morte diſſoluitur ex cap. 7. Corinth. *Iis qui matrimonio iuncti ſunt præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam.* & eodem cap. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit; quòd ſi dormierit vir eius liberata eſt, cui vult nubat.* Deinde, de religione Catholica dicitur, quòd ſit immaculata, Pſal. 18. *Lex Domini immaculata.* & quod illuminet Pſal. 118. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* nihil verò tale dici- *Sanctitas doctrinæ Catholicæ.* 1. Cor. 7. ℣. 10. Ibid. ℣. 39. Pſal. 18. ℣. 8. Idem 118. ℣. 130.

E tur de vlla religione: Agunt autem de hoc motiuo Iuſtinus Martyr loco citat. & Tertull. in Apolog. cap. 39. Tertul.

Quartum motiuum eſt amplitudo & dilatatio fidei Catholicæ: de hac namque dicitur quòd ſit in toto terrarum orbe diffeminanda. Pſalm. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* loquitur autem Pſaltes Regius de Apoſtolis, & de prædicatione eorumdem iuxta communem Patrum interpretationem, & Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes.* & Mar. 16. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Imò Paulus Rom. 1. ait de fide Catholica, quòd vbique *Amplitudo fidei.* Idem 18. ℣. 5. Matth. 28. ℣. 19. Mar. 16. ℣. 15. Rom. 1. ℣. 8.

terrarum fuerit prædicata. *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* qua de cauſa Aug. lib. contra epiſtolam fundam. cap. 4. de hac re ſic loquitur: *Multa*, inquit, *ſunt quæ me in Eccleſia Catholicæ gremio iuſtiſſimè tenent: tenet conſenſio populorum, atque gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholica nomen, quod non ſinè cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit*, &c. & Vincentius Lirinenſis aduersùs prophanas nouitates; *Quod ſemper, quod vbique, quod ab omnibus creditum eſt, hoc ſunt quibuſuis Catholicis tenenda.* Vide hac de re D. Auguſt. lib. 5. de vtilitate credendi, cap. 14. & Lactant. lib. 5. diuinarum inſtitut. cap. 13.

D. Auguſt. Lirinenſis.

Modus propagandæ fidei admirabilis.

Quintum motiuum eſt, modus quo Deus voluit fidem Catholicam propagari: hæc enim diſſeminata fuit, & altiores radices egit opera Apoſtolorum, quos certiſſimum eſt fuiſſe viros litteris minimè imbutos, ſed pauperes piſcatores, vt obſeruarunt Iuſtinus Martyr in Dialog. contra Trypho. Auguſt. lib. 22. de Ciuitat. & Damaſc. lib. 4. de fide, & Chryſoſt. hom. 34. in Matth.

Iuſtin. D. Auguſt. Damaſc. Chryſoſt.

Sextum, dicitur eſſe firmitas fidei Catholicæ: Matth. namque 16. de Eccleſia habetur; *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.*

Matth. 16. ℣. 18.

Conſtantia martyrum.

Septimum, eſt martyrum conſtantia, vt videre eſt apud Lactantium lib. 5. diuinarum inſtitut. cap. 13. & 14. Ij enim amore honeſtatis mori maluerunt, quàm religionem abijcere, qui ſæpe leui ſimulamento defectionis mortem euadere potuiſſent, quod certum eſt indicium & ſanctitatis eorum, & eximiæ prudentiæ, quam in credendo exhibebant, vnde tanta in illis conſtantia elucebat; quo maximè motiuo Iuſtinus Martyr Apologia 1. ad Antoninum teſtatur ſe ad fidem eſſe adductum. Quo tamen loco infinitus ille martyrum numerus collectiuè ſimul ſpectari debet, vt vim habeat hoc argumentum; nam alioquin Montaniſtæ ſoliti ſunt iactare numerum ſuorum martyrum apud Euſebium lib. 5. ſuæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 15.

Iuſtinus. Euſebius.

Ad extremum, Prophetiæ, prædictiones, apud Dionyſium cap. 7. de diuinis nominibus, Scripturæ antiquitas, & Dei prouidentia ad illam Scripturam conſeruandam, de qua Tertullianus in Apologetico cap. 19. Auguſt. lib. 18. de Ciuitate, cap. 37. & 43. & Chriſti Domini ſanctitas, cui teſtimonium perhibet Ioſephus lib. 18. antiquitatum, cap. 9. Tiberius Cæſar apud Origenem contra Celſum, Porphyrius lib. de reſponſis Deorum, Chriſti tamen inimici: qua de re Euſebius lib. 6. ſuæ hiſtoriæ, cap. 13. Nec habent impiſſimi homines quod reprehendant in illo, præter nimiam ſanctitatem, vt ait D. Auguſt. lib. de moribus Eccleſiæ, cap. 36. Hæc inquam omnia confirmant quæ hactenus diximus.

Dionyſ. Tertul. D. Auguſt. Ioſephus.

Obijcies, ſi tanta eſt fidei noſtræ in credibilitate, euidentia, quomodo non credunt quotquot audiunt aliquid de ea: imò qui fit vt multi reſiſtant, tantùm abeſt vt euidentiâ conuincantur?

Reſpondeo, poſſe omnes prudenter iudicare, res ita propoſitas eſſe euidenter credibiles, poſſe tamen diſſentire; quia motiua fidei non cogunt ad aſſenſum, & ſæpe contingit vt ex prauo affectu homines excæcentur. Plura de his motiuis ſcripſere Belarm. lib. 4. de Eccleſia, & Coccius toto lib. 8. qui eſt de ſignis Eccleſiæ, tom. 1. & Thomas Bozius, alijque multi.

Eſt autem aduertendum credibilitatem eorum quæ ſunt fidei, eſſe repetendam nedum ex motiuis commemoratis, aut etiam ex illis, quæ referuntur ab alijs, aut quæ nos retulimus; ſed etiam ab ipſomet habitu fidei, ſaltem in illis omnibus, qui de facto crediderunt aliquando, & credunt fidei documenta, vt obſeruat Maldera Dubitat. 4. ad artic. 4. & 5. huius quæſt. D. Thomæ: in his verò qui nunquam crediderunt articulos fidei, accedunt tamen ad fidem Catholicam, euidentia credibilitatis articulorum fidei, à ſolis motiuis eſt repetenda, vt probat idem loco proximè citato. Non eſt tamen negandum quin ad eamdem euidentiam credibilitatis concurrat habitus prudentiæ; cùm enim prudentia ſit ratio recta omnium agendorum, hæc etiam dictat poſitis motiuis rectè nos aſſentiri rebus de fide Chriſtiana ità propoſitis hìc & nunc.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. non eſſe idem aliquid eſſe euidenter credibile, & aliquid eſſe euidenter verum; diximus enim illud eſſe euidenter verum, cui intellectus diſſentire non poteſt, ſpectata terminorum ſignificatione, & eorumdem debita connexione, vel quod cognoſcitur à nobis per ſuam cauſam, cum qua dicit neceſſariam connexionem, vel demum quod ſenſibus externis minimè vitiatis & debitè applicatis cognoſcitur; illud autem dicitur euidenter credibile, cui ſinè temeritate diſſentire non poſſumus, idque quòd ſit fide dignum, propter authoritatem illius, qui proponit aliquid credendum; licèt ergo res de fide ſint euidenter credibiles, non propterea licèt colligere eaſdem eſſe euidenter veras.

Ad 2. Reſpondeo, poſſe nos aſſentiri, vel non aſſentiri rebus de fide, etſi ſint euidenter credibiles, aſſenſus enim fidei cenſetur eſſe ſimpliciter liber; quia diximus ſupra, aſſenſum fidei pendere à pio aliquo affectu qui datur in omni credente de facto; pius autem affectus non repetitur in illis omnibus quibus proponuntur documenta fidei Catholicæ credenda.

Denique certum eſt malitiam excæcare pleroſque, vt conſtat ex Iudæis, qui noluerunt credere Chriſto prædicanti.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm obiectum fidei poſſit eſſe aliquid ſcitum.

DVBITATIO PRIMA.

An euidentia in teſtificante deſtruat fidem, ſeu, quod idem eſt, An quando euidens eſt Deum ſolum proponere aliquid credendum, & nullum alium, fides ſtet cum iſta euidentia.

Argumenta contraria.

RATIO dubitandi eſt. Prima: Quia obſcuritas eſt de intrinſeca ratione fidei: at ſupponimus euidens eſſe ei, cui aliquid proponitur credendum à Deo, ſolum Deum proponere iſta credenda: ergo huiuſmodi euidentia deſtruit rationem fidei.

Secunda, poſita iſta euidentia in teſtificante, intellectus noſter non poteſt non aſſentiri rebus de fide propoſitis credendis; eſt enim propoſitio indubitata intellectum noſtrum neceſſitari quotieſcumque ei proponitur obiectum aliquod debitè, & vt oportet: igitur &c.

Euidentia in teſtificante compatitur fidem in eodem intellectu.

CONCLVSIO. *Euidentia in teſtificante non deſtruit fidem in eo qui aſſentitur rebus ſibi ità reuelatis.* Primùm, quia fides fuit in Angelis in primo inſtanti creationis eorumdem; at ſupremo ſaltem Angelo fuit euidens ſolum Deum, & nullum alium proponere ſibi credenda ea, quæ ſunt fidei diuinæ: cognouit quippe in primo inſtanti ſuæ creationis nullam extare creaturam rationalem ſuperiorem ſe; vnde etiam intellexit nullam creaturam ſibi credenda proponere, quæ de facto credidit: ergo euidentia in atteſtante compatitur aſſenſum fidei.

Deinde, fides Angelorum, & noſtra ſunt eiuſdem ſpeciei, cùm verſentur circa idem obiectum, & eodem modo; at euidentia in teſtificante non deſtruxit fidem in Angelis: ergo neque in nobis.

Tertiò, licèt euidens ſit alicui ſolum Deum aliquid credendum proponere obſcurè reuelatum; non tamen propterea in nobis deſineret fides eſſe; nam ratio aſſentiendi rebus iſtis ità reuelatis eſſet teſtificatio primæ veritatis obſcura: ergo cùm hæc ſit ratio formalis conſtitutiua fidei, fides verè admittet euidentiam in teſtificante.

Quartò, in Apoſtolis, Patriarchis, & Prophetis fuit fides, vt docuimus in antecedentibus, habuerunt tamen iſti omnes euidentiam in teſtificante, cùm quilibet ex illis euidentiſſimè intellexerit ſolum Deum, nec vllum alium ſibi reuelaſſe myſteria fidei Catholicę.

Denique, ad hoc vt fides deſinat eſſe in aliquo, requiritur vt res quæ proponitur credenda cognoſcatur per propriam ſpeciem, atque adeò in ſeipſa, vel in ſua cauſa, cum qua dicit neceſſariam connexionem, vel denique ſenſibus externis; at licet euidens ſit alicui Deum ſolum ſibi proponere credendum hoc vel illud, non tamen propterea res illa credenda cognoſcitur, vel per propriam ſpeciem, vel in ſua cauſa, cum qua coniungitur neceſſariò, vel ſenſibus externis; ſed propter teſtificationem primæ veritatis: ergo fides non deſinet eſſe in iſtis. Ità D. Thomas hoc loco, Caiet. Bannez, Peſant. & alij.

Diluuntur argumenta contraria.

Ad rationes dubitandi reſpondeo. Ad 1. nec Scripturam, nec SS. Patres abſolutè affirmare fidem reſpuere quamcumque euidentiam; fatentur enim de fide, quòd ſit lumen; Scripturæ verò aiunt, nos videre nunc per ſpeculum in ænigmate, per fidem ſcilicet; tunc autem facie ad faciem. 1. Corinth. 13. Arguit ergo fides ineuidentiam non quidem ſimpliciter, & abſolutè, ſed comparatiuè, idque quod faciat, vt res quæ creduntur à nobis, non cognoſcantur prout ſunt in ſeipſis, ſed ſolùm vt proponuntur credendæ authoritate Dei dicentis, & reuelantis.

Replica. Inſtabis, Chriſtum Ioann. 20. reijcere à fide Catholica viſa quælibet; ait enim, *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* & Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt:* ergo non poſſunt ſimul ſtare euidentia & fides. Ioann. 20. verſ. 29. Matth. 16. verſ. 17.

Diſſoluitur 1. Reſpondeo, Chriſtum reijcere ab obiectis fidei Catholicæ viſa, ſub ea ratione qua ſunt viſa tantùm; non autem abſolutè & ſimpliciter; aſſerit enim D. Thomas art. 5. huius quæſtionis obiecta fidei, alia eſſe per ſe & primò; alia verò ſecundariò, & per accidens; atque ità aſſerit prima obiecta eſſe ſimpliciter inuiſibilia reſpectu viatoris, ſecunda verò contendit eſſe viſibilia, non tamen ſub ea ratione, qua pertinent ad fidem Catholicam, ſed tantùm, quia ſenſibus externis deprehenduntur à nobis, cuius generis ſunt humanitas Chriſti ſpectata in ſeipſa, mors, reſurrectio, & ſimilia reſpectu ſaltem Apoſtolorum: iſti enim omnia hæc myſteria oculis perſpexerunt, adeò vt dicatur Ioann. 20. Thomæ, *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* D. Thom. Ioann. 20. verſ. 29.

2. Reſpondeo 2. Chriſtum eo in loco velle tantùm meritum fidei non vendicare ſibi tantum præmium in cœlis, quantum de facto conſequeretur, quoties aliquis credit, eo quod moueatur ſenſibus externis ad aſſenſum fidei, & præterea lumine fidei, ſeu, quod idem eſt, teſtificatione primæ veritatis.

Ad 2. Reſpondeo, intellectum noſtrum non neceſſitari ad aſſenſum fidei, etſi conſtet obiectum fidei eſſe euidenter credibile, ſaltem quoad exercitium: oſtenditur enim in tractatu de beatitudine nullum planè obiectum diuerſum ab eſſentia diuina clarè, & vt in ſe eſt viſa, determinare neceſſariò voluntatem noſtram ad exercitium alicuius actus, non eſt tamen negandum, quin neceſſitetur intellectus quoad ſpecificationem actus ab obiecto fidei debitè propoſito, quælibet enim potentia neceſſitatur circa ſuum obiectum in communi ſumptum, vnitas autem ſpecifica cuiuſlibet actus aut potentiæ petitur ab obiecto, vel à modo tendendi in illud.

Ad id verò quod ſubiungitur intellectũ noſtrũ non poſſe non aſſentiri obiecto ſibi debitè propoſito. Reſp. verum hoc eſſe ſi proponatur ſub ea ratione, qua eſt in ſe verum, ſecus vero contingit,

quando proponitur intellectui, ſub ea ratione, qua eſt tantùm euidenter credibile; ſupponimus autem obiecta fidei nobis innoteſcere, non vt ſunt in ſeipſis vera, ſed vt ſunt euidenter credibilia.

Replica. Inſtabis, extare hoc loco duas propoſitiones per ſe euidentes: prima eſt. *Deus reuelat, & nullus alius, proponitque hæc, & illa credenda authoritate Eccleſiæ:* ſecunda verò, *Deus neminem fallit, aut fallere poteſt*, quæ euidens eſt in lumine naturali: ergo non poteritintellectus non aſſentiri rei quæ ità proponitur credenda.

Enervatur. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam: concluſio quippe deducta ex duabus propoſitionibus prædictis, non pendet à præmiſſis ſecundum veritatem, quam in ſe habet, ſed tantùm quoad credibilitatem, adeò vt cenſeatur hæc tantùm euidenter credibilis, non autem euidenter vera, vnde poterit intellectus noſter vel aſſentire, vel diſſentire.

In nobis non datur euidentia teſtificantis myſteria fidei. ROGABIS, *An detur in nobis euidentia teſtificantis de rebus fidei Catholicæ.*

RESPONDEO *negatiuè*: diximus enim euidentiam in teſtificante, nihil aliud eſſe, quàm certò & indubitanter conſtare Deum ſolum, & nullum alium reuelare documenta fidei Catholicæ; certum autem eſt neminem inter nos extare, cui innoteſcat certitudo iſta. Deinde, ſi res aliter haberet nullus noſtrûm eſſet qui non aſſentiretur rebus de fide; ratio namque naturalis dictat Deum nec falli, nec fallere poſſe. Denique, ſcimus res de fide Catholica eſſe reuelatas à Deo teſtimonio Eccleſiæ tantùm: ergo non datur in nobis euidentia de rebus fidei in teſtificante.

DVBITATIO SECVNDA.

An de vno, & eodem planè obiecto poſſit eſſe ſimul & ſemel in nobis fides & ſcientia.

Partis negantis fundamenta. SVnt qui putent partem negantem eſſe indubitatam; implicat enim vnum & idem ſimul & ſemel eſſe euidens, & ineuidens, obſcurum & non obſcurum; at res quælibet de fide Catholica, vt ſic, eſt ineuidens, & obſcura, ex cap. 11. Hebr. res autem quælibet ſcita eſt euidens, & clara; definitur enim ſcientia, habitus certus & euidens rei neceſſariæ per propriam cauſam: ergo impoſſibile erit de eodem obiecto haberi ſimul ſcientiam & fidem.

Confirmant minorem ex Patribus, qui verbis expreſſis docent fidem eſſe de rebus, non viſis: D. Auguſt. ità docet D. Auguſt. tract. 68. in Ioann. *Fides credit quod non videt; nam ſi videt non eſt fides.* & alibi ait, fidem eſſe credere id quod non vides. & Chryſoſt. Chryſoſt. homil. 11. in epiſt. ad Hebr. *Si fides*, inquit, *eſt argumentum eorum quæ non videntur, quid eſt quod vultis ea videre vt excidatis à fide?* & paulo antè, *Nec circa ea quæ videntur incredulitas locum habet, nec fides dici poteſt, niſi cùm circa ea, quæ non videntur certitudinem quis habuerit.* Gregor. homil. 26. in Euang. *Fides earum rerum argumentum eſt quæ apparere non poſſunt; quæ enim apparent iam fidem non habent, ſed agnitionem.* & Athanaſ. in lib. de Incarnatione Chriſti, *Non fides de re euidenti concepta dici poterit.*

Probant ſecundò. Implicat meritum & demeritum de vno & eodem ſimul & ſemel enunciari; at quilibet actus fidei à nobis elicitus pro eo tempore, quo ſumus in hac vita mortali liberè & in gratia conſtituti, cenſetur eſſe meritorius, ex doctrina D. Thomæ, quæſt. vltima 1-2. nullus autem actus ſcientiæ meritorius eſſe poteſt, ſaltem, vt ſic, vtpote qui pendeat à ſolis principijs ordinis naturalis.

Tertiò, Ariſtoteles lib. 1. de Interpret. tex. 44. affirmat ſcientiam & opinionem non poſſe eſſe in eodem ſubiecto ſimul & ſemel, de vno & eodem planè obiecto: ergo neque fides & ſcientia, cùm hæc magis inter ſe pugnent quàm opinio & ſcientia.

Denique, eadem pars aëris illuminata perfectiſſimè à Sole, nequit illuminari ab inferiori aliquo lumine; tota namque potentialitas quæ dabatur in aëre reſpectu illuminationis, quam habere potuit exhauſta eſt: ergo cùm fides & quælibet ſcientia per ſe acquiſita inter ſe comparentur veluti lumina quædam, fieri non poteſt, vt illud quod innoteſcit nobis per veram demonſtrationem, per fidem pateat, vel è contra. In hac ſententia ſunt D. Thom. hoc loco. & in 1. 2. quæſt. 6. art. 6. Caiet. & Bannez ibid. & communiter Thomiſtæ; Sententiarij item nonnulli idem planè affirmant, maximè verò Capreolus in 3. diſt. 25. quæſt. vnica. & Scotus quæſt. vnica. § ſed ſi aliter loquamur. Secunda ſententia quæ eſt huic planè oppoſita explicatur ſequentibus Concluſionibus.

Actus fidei cum habitu ſcientiæ cuiuſlibet acquiſitæ ſtare poteſt, & habitus ſcientiæ cuiuſlibet acquiſitæ ſimul exiſtere poſſunt.

CONCLVSIO 1. *Actus fidei ſtare poteſt, cum habitu ſcientiæ cuiuſlibet acquiſitæ.* Primùm, quia actus fidei non magis pugnat cum habitu ſcientiæ acquiſitæ, quàm error, verbi gratia, phyſiologiæ, cum habitu eiuſdem; hic enim opponitur aliqua ratione ſcientiæ phyſicæ: actus autem fidei non opponitur habitui, ſeu ſcientiæ acquiſitæ, cùm iſta pertineant ad diuerſa genera ſibi nulla ratione ſubordinata; omnis ſiquidem ſcientia acquiſita eſt ordinis naturalis; omnis verò actus fidei ordinis ſupernaturalis, vt conuenit inter omnes: ergo cùm error alicuius concluſionis phyſiologicæ ſtare poſſit cum habitu eiuſdem phyſiologiæ, poterit etiam actus fidei eſſe cum habitu ſcientiæ.

Deinde, actus fidei non magis pugnat cum habitu ſcientiæ, quàm actus intemperantiæ cum habitu temperantiæ; at fatentur plerique Thomiſtæ in tractatu de actibus humanis, actum temperantiæ poſſe ſtare ſimul cum habitu intemperantiæ, vt patet ex eo qui toto tempore vitæ temperatè vixit, circa tamen terminum vitæ exercet aliquem actum intemperantiæ valde remiſſum, actus hic non deſtrueret habitum temperantiæ: neque enim habitus oppoſitus deſtruitur à quolibet actu ſibi contrario, ſed ab iteratione multorum actuum oppoſitorum. Ità docet Gabr. in 3. diſt. 24. quæſt. 1. art. 2. Gregor. Arim. quæſt. 2. prologi art. 2. & alij nonnulli ibidem.

Habitus fidei & ſcientia in vno & eodem ſubiecto de eodem obiecto ſimul & ſemel conſiſtere poſſunt.

CONCLVSIO 2. *Habitus fidei & ſcientiæ in vno & eodem ſubiecto de eodem obiecto ſimul & ſemel conſiſtere poſſunt.* Primùm, quia habitus iſti non opponuntur inter ſe, ſed ſunt tantùm diſparati, cùm illi ſint ordinis ſupernaturalis, iſti verò naturalis: ergo poterunt ſimul conſiſtere in eodem intellectu.

Deinde, fides & ſcientia concurrunt ad vnam & eamdem planè rem illuſtrandam, exiſtentia namque deitatis, verbi gratia, cognoſcitur per demonſtrationem Metaphyſicam, atque etiam per fidem infuſam: ex illo Deuteron. 6. *Audi Iſrael Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.* & in Sym- Deuter. 6. verſ. 4.

bolis Apoſtolorum, Concil. Nicæni, & Conſtantinopolitani, & denique Athanaſij proponitur Deus credendus.

Tertiò, ſi habitus ſcientiæ & fidei inter ſe opponerentur, non poſſet quis ſibi ſcientiam vllam comparare, ſaltem circa ea quæ credit, ſi haberet in ſe fidem; nec enim oppoſita poſſunt eſſe ſimul ſaltem de lege communi: at experientia docet fidem non impedire quominùs cognoſcat quis aliqua per veras demonſtrationes, quæ tamen verè credit fide diuina: ergo &c.

Denique, habitus opinionis perſeuerat in nobis cum habitu ſcientiæ, etiam ſi ſermo ſit de iſtis in ordine ad eadem obiecta, vt author eſt D. Thomas 3. part. quæſt 9. art. 3. ad 2. ergo & fides ſtare poterit cum eadem ſcientia.

Obiectio. Obijcies, formas inclinantes ad actus oppoſitos non poſſe ſimul in vno & eodem ſubiecto conſiſtere: ſcientia autem & fides inclinant ad actus oppoſitos; omnis enim actus fidei obſcurus eſt & ineuidens; actus verò ſcientiæ clarus & euidens: ergo nequeunt ſimul eſſe.

Solutio. Reſpondeo, maiorem veram eſſe de formis quæ opponuntur inter ſe, ex ſe, & ſua natura, atque adeò formaliter; cuius tamen generis non ſunt habitus fidei & ſcientiæ, qui ſunt tantùm diſparati. Ad id verò quod dicitur omnem actum fidei obſcurum eſſe, & omnem actum ſcientiæ eſſe euidentem. Dico verum eſſe, ſi ſumantur actus hi, vt ſunt actus fidei & ſcientiæ; res tamen ſcita & credita poteſt ab iſtis actibus ſimul & ſemel attingi, vnde de hoc obiecto ſcito & credito dici poteſt, quòd euidenter cognoſcatur, per medium ſcilicet demonſtrabile, & item quòd ineuidenter cognoſcatur per medium nempe de fide.

Reſpondeo 2. Maiorem eſſe abſolutè falſam; habitus namque temperantiæ & intemperantiæ, fortitudinis, & puſillanimitatis inclinant ad actus oppoſitos, quos tamen conuenit inter omnes perſeuerare ſimul & ſemel in eodem homine, qui eos ſibi comparauit ex iteratis, & frequentatis actibus: imò fatentur omnes frigus & calorem opponi inter ſe formaliter; & tamen hæc duo reperiuntur in gradibus, ſaltem remiſſis, in quolibet tepido, & in gradibus intenſis per omnipotentiam Dei ſimul reperiri poſſunt. Fauet eorum opinio qui admittunt in damnatis & ſummum calorem, & ſummum frigus.

In eodem ſubiecto de eodem obiecto poſſunt eſſe ſimul actus fidei & ſcientiæ. Conclvsio vltima. *Actus fidei poteſt reperiri in vno & eodem ſubiecto de eodem obiecto, cum actu ſcientiæ ſimul.* Vt hæc autem ſicut & antecedentes Concluſiones intelligantur.

Notabile. Aduerte vnum & idem numero obiectum poſſe à nobis cognoſci dependenter à diuerſis medijs; quilibet enim noſtrûm ſimul & ſemel parietem præ oculis exiſtentem, & illuminato aëre oculis ſenſibilibus deprehendit, & eumdem intellectu percipit. Deinde, anima Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis vidit eſſentiam diuinam, æquè perfectè ac de facto iam conſpiciat, & quidem per ſcientiam beatam: intellexit præterea omne illud quod de facto intelligit, ex ijs quæ pertinent ad res iſtas naturales per ſcientiam ſibi infuſam, & denique comparauit ſibi ſcientiam iſtarum rerum omnium naturalium cum tempore, ex doctrina D. Thom. 3. part. quæſt. 9. atque adeò fatentur communiter Doctores Chriſtum vnum & idem cognouiſſe ſimul & per ſcientiam beatam, & per infuſam, & denique per acquiſitam. Stante hoc fundamento, vnum ſcilicet & idem obiectum poſſe cognoſci ſimul per diuerſa media.

Probatur Concluſio. Primùm, quia multa per varias demonſtrationes intelligimus, quæ tamen poſtea creduntur à nobis; exiſtentia namque deitatis de monſtratur à poſteriori apud Ariſtotel. lib. 12. Metaph. & lib. 8. Phyſicorum: æternitas item & immenſitas, ſicut & vbiquitas diuina à priori euidenter comprobantur apud Metaphyſicos & Scholaſticos Theologos; eſt autem certum exiſtentiam, æternitatem & immenſitatem Dei credi fide diuina à nobis; ſic enim dicitur in Symbolo Athanaſ. *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus: & tamen non tres Dij. ſed vnus eſt Deus.* Item, *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus.* & paulò ante, *Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus:* ergo Symbolũ Athanaſij.

Reſponſio Thomiſtarum. Reſpondent Thomiſtę in iſtis articulis fidei noſtræ contineri aliquid quod nulla ratione poſſit demonſtrari, nempe Deum quem credimus eſſe Patrem, eſſe Filium, & Spiritum ſanctum, & hoc credi, nec vlla ratione ſciri, & conſequenter nec actum fidei eſſe de eodem obiecto de quo eſt actus ſcientię.

Infirma eſt. Verùm reſponſio iſta non ſatisfacit argumento, etſi enim fateamur quod docent Thomiſtæ, in iſtis articulis contineri aliquid quod nulla ratione poſſit demonſtrari: negare tamen non poſſunt contineri aliquid in huiuſmodi articulis, quod verè demonſtratur, atque etiam à nobis creditur: nam in hoc articulo, verbi gratia, *Credo in Deum Patrem*, nedum fit mentio paternitatis, ſed etiam deitatis, & tamen deitas probatur euidentiſſima demonſtratione, & fide diuina etiam creditur: ait enim Paul. Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Hebr. 11. verſ. 6. Deinde, concluſio deducta ex duabus præmiſſis, quarum altera lumine fidei intelligitur, altera lumine naturali, à nobis fide diuina creditur, non quidem ſub ea ratione, qua eſt deducta, ſed vt eſt expreſſa vt monuimus in antecedentibus: nec enim illi aſſentimur ex vi formæ ſyllogiſticæ, ſed propter teſtimonium primæ veritatis reuelantis ſe, & alia obſcurè: ergo ſaltem in iſta hypotheſi actus fidei, & ſcientiæ ſimul erunt de vno & eodem obiecto, in vno eodémque ſubiecto: poterit namque quis aſſentiri iſti concluſioni, & ex vi formæ ſyliogiſticæ, & propter teſtimonium primæ veritatis, vt eſt per ſe notum ex dictis.

Probatio 2. Concluſionis. Probatur 2. Concluſio. Opinionis actus ſtare poteſt cum actu demonſtrationis, vt fateri videtur D. Thom. loco citato, art. 3. ad 2. ait enim actum opinionis eſſe diſpoſitionem ad ſcientiam, diſpoſitionem autem poſſe conſiſtere cum forma cuius eſt diſpoſitio notiſſimum eſt: ergo actus ſcientiæ & fidei poterunt eſſe ſimul, vtpote qui non magis pugnent inter ſe, quàm faciat actus opinionis cum actu demonſtrationis, illa enim formidinem includit, quam tamen iſta reijcit.

Poſtremò actus ſcientiæ, non impedit, quominùs aliquis ſibi comparet habitum fidei vt conſtat ex illis, qui inſtructi quibuſuis ſcientijs naturalibus, quibuſlibet fidei articulis poſtea ſubſcribunt, idque dependenter à motione aliqua actuali, vel habituali diuina: ergo non eſt cur dicamus actum fidei cum actu ſcientiæ in eodem intellectu non poſſe ſimul eſſe. In hac ſententia ſunt plerique veteres Sententiarij. Albertus Mag. in 3. diſt. 24. Altiſſiod. 3. part. tract. 13. cap. 1.

quæst. 4. Alensis 3. part. quæst. 79. mem. 3. Franciscus à Christo in 3. dist. 23. 24. & 25. quæst. 8. & alij nonnulli.

Fundamenta contraria euertuntur.

Ad rationes verò Thomistarum respondeo.

1. Ad 1. euidens & non euidens, obscurum & non obscurum, esse contradictoria, si dicantur de eodem, eadem ratione & modo; in re tamen proposita non enunciantur de vno & eodem obiecto, quod sit euidens, & non euidens, obscurum & non obscurum, eodem, sed diuerso planè modo: obiectum namque cognitum per scientiam, vt sic, dicitur euidenter cognitum, vt verò per fidem, dicitur ineuidenter notum: scientia autem & fides sunt duæ res specie distinctæ, & numero, vnde desinit hîc esse ratio contradictionis, cum hæc B postulat vt sit ad idem, & secundum idem, & eodem modo.

Ad id verò quod adfertur è Patribus. Respondeo, probare tantùm obiecta cognita per fidem, vt sic, esse non visa & non euidentia; minimè verò obiecta ista non posse euidenter cognosci, dependenter ab aliquo alio diuerso habitu à fide infusa: docent namque Patres omnes, & Scripturæ obiecta, quæ à nobis in hac vita per fidem cognoscuntur, atque adeò obscurè, cognosci euidenter in cœlis, dependenter à lumine gloriæ, quod in omnibus beatis habet locum.

2. Ad 2. Respondeo omnem assensum quem præbemus rebus de fide pro eo tempore, quo sumus C in hac vita liberè, & cum gratia esse meritorium vitæ æternæ; habet enim omnes conditiones necessarias ad meritum de condigno, vnde nulla ratione concedendum est, quòd hic assensus elicitus à nobis, iuxta modum explicatum, sit demeritorius; esto possit hoc concedi de assensu illo, quem præbemus obiectis creditis, non quidem vt sunt credita, sed vt sunt demonstrata per veram demonstrationem; talis enim assensus cùm sit demonstrationis assensus, pendet à solis causis ordinis naturalis, atque adeò non retinet proportionem cum vita æterna, quæ est præmium cuiuslibet meriti de condigno.

3. Ad 3. Opinionem vsurpari duobus modis; D vel pro actu, seu habitu, quo assentimur cum formidine aliqui conclusioni, vel pro obiecto actus seu habitus opinionis; vnde quando Aristoteles eo in loco ait, scientiam & opinionem non posse absolutè consistere in eodem subiecto de eodem obiecto, nomine opinionis non intelligit actum, vel habitum, sed obiectum, contenditque repugnare idem esse obiectum opinionis & demonstrationis, de qua re nulla potest esse difficultas; cùm obiectum actus, vel habitus opinionis sit semper res aliqua contingens, vel verè, vel existimatè; obiectum autem demonstrationis, vel scientiæ debet esse necessariò res aliqua non contingens, sed necessaria, vt patet ex definitione E scientiæ supra allata.

Vlt. Ad vlt. Respondeo, lumen minus & lumen maius posse concurrere ad eamdem illuminationẽ producendam: possunt enim hæc duo lumina habere rationem causæ vnius totalis, & adæquatæ, respectu illuminationis, quemadmodum rectè fieri potest, vt duo agentia naturalia motionem aliquam attingant. Ex quibus non licet colligere vnum & idem numero obiectum cognosci non posse de facto, simul per fidem & demonstrationem: nam demonstratio non concurrit cum fide, nec fides cum demonstratione ad huiusmodi obiectum cognoscendum totaliter, sed quælibet A ex istis habet rationem causæ totalis respectu cognitionis, adeò vt cognitio huius obiecti, quatenus est à fide, tota sit ab ipsa fide; & similiter, quatenus est à demonstratione, tota ab ipsamet dependeat: vnde cognoscitur huiusmodi obiectum in data hypothesi, veluti à duabus causis totalibus, & adæquatis, quod posse fieri indubitatum est ex veriori Philosophia.

DVBITATIO VLTIMA.

An actus, aut habitus fidei detur in beatis.

CONCLVSIO 1. *Nullus datur actus fidei in beatis.* Primùm, quia SS. Patres docent *In beatis nullus actus fidei reperitur.* fidem esse de rebus non visis. Ità D. Augustin. serm. 27. de verbis Apost. & tract. 41. in Ioann. & lib. 13. de Trinit. cap. 2. & lib. 1. de doctrina Christ. cap. 48. & lib. 1. Soliloq. cap. 7. & aliqui Patres Græci ad hæc verba Ioann. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* at visio diuina est de ijsdem obiectis, quæ creduntur à nobis pro eo tempore quo sumus in hac vita mortali, ex 1. Corinth. 13. *Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facies ad faciem:* ergo iam beati nullum eliciunt fidei actum. D. Augustin. Ioann. 20. vers. 29. 1. Cor. 13. vers. 12.

Deinde, Scriptura docet ea quæ sunt ordinis supernaturalis, & quę coniuncta sunt cum imperfectione, quæque dantur in nobis pro eo tempore quo in hac vita versamur, non habitura locum in cœlis, neque permansura in nobis: ità loco proximè cit. D. Paul. *Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* certum autem est fidem esse imperfectam, nedum quoad habitum, sed etiam quoad actum: ergo illa euacuatur in cœlo. Id. ibid. vers. 10.

Tertiò, si actus fidei haberet locum in beatis, esset quoque admittenda spes in illis: dicitur enim fidem esse argumentum rerum sperandarum, Hebr. 11. at spes nulla datur in beatis, saltem si sit sermo de spe comparata cum præcipuo obiecto eiusdem; dicitur enim Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat?* ergo. Rom. 8. vers. 24.

Postremò, cognitio perfectissima, qualis est intuitiua, stare nequit cum cognitione imperfectissima, vt colligi videtur ex cap. 4. Ioann. *Iam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator mundi:* ergo cùm visio diuinę essentię sit cognitio intuitiua non stabit cum cognitione fidei, quæ est imperfectissima. Confirmatur: posito in intellectu medio efficacissimo ad intelligendum, necessitatur, aut saltem definitur intellectus noster ad intelligendum, adeò vt nullus detur locus medijs infirmis & imbecillibus; atqui lumen gloriæ, omnium consensu, censetur esse medium efficacissimum ad intelligendum Deum, vt in se est: medium autem de fide, comparatum cum lumine gloriæ creditur esse quàm maximè infirmum & debile: ergo cum lumen gloriæ ponatur in omni beato, non dabitur in beatis actus fidei. Ioann. 4. vers. 42.

CONCLVSIO 2. *Habitus fidei non perseuerat in beatis.* Probant aliqui: Non datur actus fidei in beatis: ergo neque habitus, sunt enim isti propter actus. Verùm probatio hæc non est satis efficax, actus namque temperantiæ, iustitiæ, & fortitudinis in beatis etiam post resurrectionem generalem non dabuntur, & tamen in istis admittuntur habitus temperantiæ, & alij. *Nullus in beatis habitus fidei.* *Aliquorum probatio inefficax.*

Ad id verò quod dicitur habitus esse propter actus.

Digitized by Google

actus. Reſpondeo, hoc eſſe verum pro eo tempore quo ſumus in hac vita: abſolutè autem & ſimpliciter propoſitio hæc falſa eſt; nam in baptiſmo, ex communi ſaltem doctrina D. Thomæ, infunduntur omnes omnino virtutes, tam morales, quàm Theologicæ, & tamen nullus ſubſequitur actus iſtarum virtutum in illis, qui moriuntur in tenera ætate poſt baptiſmi ſuſceptionem, excepta charitate quæ ſuos producit effectus in cœlis. Deinde, virtutes iſtæ cenſentur eſſe ornamenta quædam animæ, nullamque dicunt ex ſe, & ſua natura incompoſſibilitatem cum viſione eſſentiæ diuinæ. Tandem debentur iſti habitus morales, ſaltem homini viuenti conformiter regulæ rectæ rationis; vnde non eſt mirum ſi perſeuerent in cœlis, etiamſi nullos illic actus exerceant.

Probatur ergo Concluſio noſtra. Primùm, ex eo quòd Patres cit. Dubit. proximè antecedente dicant, fidem nullum habere locum in beatis, ſed tantùm in viatoribus, nulla poſita diſtinctione inter actum & habitum fidei.

Deinde, nulla datur fides habitualis in damnatis, licèt ſupponamus iſtos pro tempore quo fuerunt in hac vita habuiſſe habitum fidei: ergo neque etiam dabitur fides habitualis in beatis: ratio namque propter quam fides deſinat in damnatis, hæc redditur, quia fides ordinatur ad vitam æternam obtinendam, ex ſe, & ſua natura, ad quam nullum planè dicit ordinem ſtatus damnationis, ſed ſimpliciter & abſolutè deficit à vita æterna: ergo cùm illi qui potiuntur vita æterna non amplius tendant ad eam, non dabitur etiam in iſtis fides.

Obiectio. Obijcies, virtutes morales perſeuerare in beatis, quare ergo non dabitur in eiſdem fides habitualis?

Solutio. Reſpondeo, hoc repetendum eſſe ex eo, quòd habitus morales non ſint incompoſſibiles cum viſione eſſentiæ diuinæ, nec ex ſe, & ſua natura, nec ex lege, & ordinatione diuina: licèt autem habitus fidei non ſit ex ſe incompoſſibilis cum vita æterna, vt probabitur poſtea, ſecus de lege ordinaria, vt oſtendunt quæ attulimus paulò ante.

Replicæ. Inſtabis, Prophetiam perſeuerare in cœlis reſpectu eorum omnium, qui dono prophetiæ illuſtrati ſunt in hac vita: ergo & habitus fidei poterit perſeuerare.

Diſſoluitur. Reſpondeo, non deeſſe qui putent prophetiam eſſe tantùm donum actuale, non autem habituale: credunt enim iſtam eſſe illuſtrationem diuinam actualem, qua quis certò & indubitanter veritatem aliquam futuram prædicit, & alijs manifeſtat: quorum opinio ſi vera ſit, certum eſt donum prophetiæ non perſeuerare in beatis; tamdiu enim ſunt iſtæ reuelationes, quamdiu perſeuerat prædictio: ſi verò cum alijs dixerimus prophetiam eſſe donum habituale, nihil repugnat quominùs affirmemus habitum prophetiæ perſeuerare in cœlis, vtpote qui nullam dicat incompoſſibilitatem cum felicitate æterna: ab iſtis tamen omnibus exulat fides habitualis, quia eſt incompoſſibilis de lege communi cum beatitudine æterna.

Quæſtiuncula excitatur. ROGABIS, *An per omnipotentiam Dei fieri poſſit vt actus & habitus fidei dentur in beatis.* Sunt qui putent partem negantem eſſe indubitatam; aiunt enim lumen minus non poſſe conſiſtere cum ſummo lumine, in vno & eodem ſubiecto, de eodem obiecto; atqui lumen fidei eſt minus infinitis propemodum partibus lumine gloriæ, per quod beati vident diuinam eſſentiam: ergo de potentia etiam Dei abſoluta non poterunt eſſe ſimul.

Partis negatiuæ rationes. Deinde, implicat vnum & eumdem numero actum eſſe ſimul liberum & ſimpliciter neceſſarium; at actus viſionis eſt ſimpliciter neceſſarius, actus verò fidei ſimpliciter liber: ergo.

Denique, medium efficaciſſimum ad aliquid cognoſcendum non admittit ſocietatem medij infirmi & debilis ad idem obiectum cognoſcendum; atqui lumen gloriæ eſt medium quàm maximè efficax ad Deum cognoſcendum vt in ſe eſt; fides autem cenſetur eſſe medium admodum inefficax, atque adeò infirmum & debile ad Deum cognoſcendum: ità Thomiſtæ cit. ſuperiori Dubit.

Contraria tamen opinio eſt à nobis defenda vnde ſit

CONCLVSIO 3. *Nedum habitus fidei, ſed Poteſt ab- & actus eiuſdem habere poteſt locum in beatis, non ſolutè eſſe quidem de lege communi, ſed de potentia Dei abſoluta. in beatis*

Primùm, quia probabile eſt Moyſem & Paulum in hac vita vidiſſe diuinam eſſentiam clarè, & vt in ſe eſt, & tamen habuerunt fidem pro eo tempore quo diuinam eſſentiam viderunt; nuſquam enim fides remouetur à nobis exiſtentibus in hac vita, vbi ſemel fuerit obtenta, niſi vel per peccatum infidelitatis, vel per adeptionem beatitudinis æternæ, ex communi Theologorum ſententia; beatitudo autem æterna non eſt poſita in quacumque Dei viſione clara & manifeſta, ſed in ſola æterna, ſeu, quod idem eſt, in ea quæ deperdi & amitti nequit, vt docent omnes in tract. de beatitudine, & manifeſtè colligitur ex eo quòd de ratione beatitudinis ſit, vt amitti nequeat Ioann. 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*: Cùm ergo Moyſes & Paulus diuinam eſſentiam conſpexerint, vt in ſe eſt, ad breue tempus, viſio iſta non potuit eos conſtituere beatos, atque adeò fuit in illis fides cum viſione diuinæ eſſentiæ. Antecedens probatur 1. de Moyſe Exod. 33. vbi reſpondit Deus Moyſi: *Ego oſtendam omne bonum tibi*, id eſt meipſum in quo ſunt omnia bona & Num. 12. de eodem dicitur, quòd alloqueretur Dominum ſinè figura, & ænigmate: & Aug. lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 4. & epiſt. 112. quæ eſt de videndo Deo, verbis expreſſis fatetur cap. 5. Moyſen in hac vita conſtitutum conſpexiſſe diuinam eſſentiam clarè, & vt in ſe eſt. Idem aſſerit D. Thom. 1. part. quæſt. 12. art. 11. & in hac part. quæſt. 175. art. 3. ad 2. de Paulo verò idem demonſtratur ex 2. Corinth. 12. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus neſcio, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum. Et ſcio huiuſmodi hominem, &c. quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* & Act. 9. & 26. ait ſibi apparuiſſe Chriſtum in via cùm peteret Damaſcum: D. etiam Thomas in hac eſt expreſsè ſententia loco proximè cit. vt nos etiam ibdem docuimus.

Exod. 33. ℣. 19. D. Auguſt. D. Thom. 2. Cor. 12. ℣. 2. 3. & 4. Act. 9. & 26.

Probatur 2. Concluſio. Conſtat ex dictis ſupra, actum & habitum ſcientiæ ſtare poſſe cum actu fidei, & habitu eiuſdem, etſi de quolibet actu ſcientiæ ſit concedendum quòd ſit euidens; & de actu fidei quòd ſit ineuidens: ergo licèt actus beatitudinis euidens ſit, & actus fidei ineuidens, hæc tamen non impediunt, quominùs actus fidei poſſit eſſe cum actu beatitudinis æternæ in vno, eodemque ſubiecto, de eodem obiecto.

Digitized by Google

Tertiò, licèt daretur actus fidei cum actu viſionis diuinæ eſſentiæ in eodem ſubiecto, & de eodem obiecto; non tamen propterea ſequeretur duo contradictoria eſſe ſimul vera aut falſa; hæc enim eſſe debent ad idem, ſecundùm idem & eodem modo, quod tamen in data hypotheſi non poſſet affirmari; nam euidens & ineuidens dicerentur de eodem obiecto dependenter à medijs inter ſe realiter diſtinctis; eſſentia quippe diuina diceretur euidens dependenter à lumine gloriæ, & ineuidens dependenter à lumine fidei.

Quartò, Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus, atque adeò vidit diuinam eſſentiam prout in ſe eſt: habuit præterea ſcientiam per ſe *infuſam*, per quam res quaſlibet ordinis naturalis perfectiſſimè intellexit; habuit etiam ſcientiam acquiſitam, quam ſibi in tempore comparauit: certum autem eſt ſcientiam infuſam, & acquiſitam non tantam inducere euidentiam, quanta inducit ſcientia beata, vnde datur hîc ſumma euidentia in Chriſto, & aliqua ineuidentia: quare ergo non poterit ſtare actus fidei cum actu viſionis diuinæ eſſentiæ?

Solutiones aduerſariorum.

Verùm ad hæc omnia reſpondent aliqui ex authoribus contrariæ ſententiæ, rationes iſtas nihil planè probare; non quidem primam, quia illud dici nequit probabile quod pugnat cum Scripturis ſacris, cum decretis ſummorum Pontificum, & cum documentis ſanctorum Patrum; Scripturę autem verbis expreſſis docent neminem in hac vita vidiſſe Deum, Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Euariſtus præterea Pontifex Max. epiſt. 1. decretali quæ extat tom. 1. Conciliorum, ex poſtrema editione Colonienſi affirmat Moyſem *in* hac vita conſtitutum minimè vidiſſe Deum: Græci denique Patres omnes quotquot ſcripſerunt *in* 1. Ioann. affirmant Deum nuſquam ab aliquo in via fuiſſe viſum.

Ioann. 1. ℣. 18.

Reſpondent 2. alijs rationibus adductis tantùm probari, actum fidei & viſionis diuinæ eſſentiæ poſſe ſucceſſiuè, non autem ſimul & ſemel in vno & eodem conſiſtere.

Refelluntur.

Ceterùm reſponſiones iſtæ, vel nihil, vel parum admodum dicunt. Prima, quia D. Thomas 1. part. quæſt. 12. art. 11. contendit locum Ioann. adductum ab iſtis authoribus intelligendum eſſe de lege communi, & de eo qui cognoſcit dependenter à phantaſmatibus; ex ſpeciali tamen priuilegio aliquem in particulari, & ſinè dependentia à ſpecie ſenſibili potuiſſe & de facto agnouiſſe Deum prout in ſe eſt. Euariſtus autem non propoſuit decretum ſuum ex cathedra credendum, ſed explicauit tantùm quid ipſe veluti priuatus Doctor ſentiret de viſione Moyſis, reſpectu Dei. Patres verò Græci ſolùm opinionem noſtræ contrariam faciunt probabilem, non autem certam & indubitatam; noſtra namque cùm habeat vindices & aſſertores D. Auguſt. & D. Thomam non caret ſua probabilitate.

Reſponſio ſecunda non ſatisfacit: certum enim eſt Chriſtum conſtitutum in proprio mortali corpore cognouiſſe ſimul res iſtas creatas, & per ſcientiam acquiſitam & per infuſam ſimul & ſemel. Deinde, in tractat. de Angelis concedunt omnes, Angelos cognoſcere multa, etiam cognitione diſtincta, modò tamen hæc fuerint repræſentata per vnam & eamdem numero ſpeciem. Denique, quilibet noſtrûm ſenſibus nedum externis, ſed & internis, atque etiam intellectu intelligit vnum & idem ſimul, & ſemel: quare ergo abſurdum erit actum fidei & actum viſionis diuinæ eſſentiæ eſſe ſimul in eodem planè homine de vno, & eodem numero obiecto?

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. *Satisfit rationibus contrarijs.* lumen minus, poſſe conſiſtere cum intenſiſſimo; ex dictis enim lumen maius & minus concurrere poſſunt tamquam cauſæ partiales, ad vnam & eamdem numero illuminationem producendam. Deinde, experientia docet candelas vna cum Sole illuminare: moneo tamen fidem non comparari cum viſione beatifica, ea ratione qua lumen minus comparatur cum maiori, idque quòd fides in ſuo conceptu formali includat obſcuritatem; lumen verò gloriæ euidentiam & claritatem ex ſe & ſua natura: comparantur ergo ad inuicem, velut res aliquæ inter ſe diuerſæ & diſparatæ, atque adeò quemadmodum diſparata poſſunt eſſe abſolutè loquendo ſimul, ità & actus fidei poterit eſſe cum actu viſionis beatificæ.

Ad 2. actum viſionis & amoris circa diuinam eſſentiam in beato eſſe ſimpliciter neceſſarium, nedum quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium, vt tradunt communiter omnes in tractat. de beatit. ex quo tamen non licet colligere actum fidei in beatis locum habere non poſſe: nam actus viſionis & amoris diuinæ eſſentiæ in anima Chriſti fuerunt neceſſarij pro toto eo tempore, quo fuit in hac vita mortali; & tamen anima Chriſti innumeros exercuit actus libertos, etiam erga diuinam eſſentiam, quibus nobis promeruit vitam æternam. Deinde, libertas non deſtruitur per beatitudinem æternam ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm in ordine ad actus viſionis, & amoris circa diuinam eſſentiam clarè viſam; manet namque libertas in beatis reſpectu eorum actuũ, qui verſantur circa res iſtas creatas, adeò vt in eorum poteſtate ſit vel orare, vel non orare pro nobis, ex communi Theologorum ſententia: poterit ergo in data hypotheſi per fidem Deus cognoſci liberè à beatis, eſto neceſſitetur intellectus & voluntas ad cognoſcendum & amandum Deum per lumen gloriæ.

Ad 3. euidentiam & ineuidentiam comparatam cum viſione beatifica, & actu fidei non opponi inter ſe, non quidem contradictoriè; quia hæc in nullis conueniunt, actus autem fidei & viſionis conueniunt in eo, quòd ſint entitates poſitiuæ, & reales, & præterea ordinis ſupernaturalis; nec item priuatiuè, quia diximus ineuidentiam in fide ità dicere negationem, vt tamen arguat perfectionem realem & poſitiuam, per quam conſtituitur in eſſe fidei, quod tamen dici nequit de priuatione, vt ſic: neque contrariè, quia hæc ſe deſtruunt per veram efficientiam, vel per incompoſſibilitatem, quam dicunt inter ſe; actus autem fidei non agit in viſionem, nec è contrà: item viſio & actus fidei non ſunt incompoſſibiles ex ſe, & ſua natura vt docuim us: neq; denique relatiuè, relata quippe ſunt ſimul natura, cognitione, definitione & tempore, quæ tamen omnia dici nequeunt de actibus fidei & viſionis beatificæ: ſunt ergo tantùm actus iſti diſparati.

Ad vltimam dico, medium efficaciſſimum ad aliquid cognoſcendum impedire interdum, non tamen ſemper, ne medium ihfirmum & debile ſuos exerceat effectus, vt conuincitur ex eo, quòd res demonſtrata poſſit illuſtrari certis quibuſdam exemplis. Deinde, quæ cognoſcuntur à nobis medio intellectu, deprehenduntur etiam ſenſibus externis, ſaltem ſi fuerint *ita* ſenſibilia.

Ex

Digitized by Google

Corollarium. Ex iſtis colliges, opinionem & actum eiuſdem poſſe conſiſtere cum fide actuali & habituali; diximus enim actum demonſtrationis & beatitudinis æternæ poſſe ſimul eſſe cum actu fidei: certum autem eſt actum opinionis non tantam dicere repugnantiam cum actu fidei, quantam dicit actus viſionis & demonſtrationis. Ità docent Bonauent. in 3. diſt. 24. art. 2. quæſt. 3. Durandus quæſt. 1. prologi. Gabr. diſt. 23. lib. 3. quæſt. 2. art. 1. & alij nonnulli recentiores.

Opinio & fides poſſunt eſſe ſimul.

ARTICVLVS SEXTVS.

An credibilia per certos articulos fuerint diſtinguenda.

DVBITATIO PRIMA.

Quis primus omnium credenda diſtinxerit & mortalibus credenda propoſuerit.

Deus primus credibilia propoſuit.

RESPONDEO, *ſolum Deum diſtinxiſſe credibilia primo loco, & propoſuiſſe hominibus credenda.* Primùm, quia nullum extat medium in natura, quo res de fide inueſtigare poſſimus. Deinde, ratio aſſentiendi rebus de fide cenſetur eſſe ſola teſtificatio primæ veritatis reuelantis ſe, & alia à ſe obſcurè. Tertiò, obiectum præcipuum fidei noſtræ cenſetur eſſe Deus, & ea quæ pertinent ad eius naturam & eſſentiam. Quartò, licèt aliqua quæ non ſunt Deus computentur inter obiecta materialia fidei noſtræ, hæc tamen nequeunt à nobis intelligi ſinè ſpeciali Dei reuelatione, vt conſtat ex myſterio incarnationis diuini Verbi, ex redemptione generis humani, miſſione Spiritus ſancti, & ſic de ceteris. Denique, hoc colligitur ex illis Scripturæ locis in quibus dicitur Deum reuelaſſe nobis documenta fidei. Ioann. 1. *Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit.* & cap. 1. 2. Petr. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines.* Hoc ipſum colligunt aliqui ex cap. 16. Ioann. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Ioann. 1. ℣. 18. 2. Pet. 1. ℣. 21.

Ioan. 16. ℣. 13.

Quæſtiuncula excitatur & reſolutur.

ROGABIS, *An cognitio myſteriorum fidei facta primo loco a Deo vni, vel pluribus mortalibus ſit dicenda neceſſario fides; an verò diuerſa aliqua cognitio à fide nuncupari poſſit.*

DICO 1. *Nihil vetare quominùs poſſit eſſe vera fides.* Primùm, quia euidentia in teſtificante non deſtruit fidem, vt docuimus. Deinde, quia res iſtæ reuelatæ proximè & immediatè à Deo alicui, non cognoſcuntur in ſeipſis, vt ſupponimus, ſed tantùm per reuelationem primæ veritatis: ergo cùm ratio formalis conſtitutiua fidei ſit prima veritas reuelans ſe & alia à ſe obſcurè, fides admittenda erit in eo cui primo loco reuelata ſunt à Deo documenta fidei Catholicæ.

DICO 2. *Cognitionem myſteriorum fidei factam, in data hypotheſi, a ſolo Deo alicui, poſſe eſſe cognitionem omnino diuerſam a fide.* Primùm, quia certum eſt vnùm & idem varijs modis poſſe cognoſci. Deinde, poteſt Deus ex multorum opinione producere ſpeciem impreſſam perfectiſſimè repræſentantem ſuam eſſentiam, & eam intrà mentem alicuius hominis collocare, vnde qui haberet huiuſmodi ſpeciem intelligeret pleraque fidei noſtræ obiecta, non quidem per fidem, ſed intuitiuè, atque adeò euidentiſſimè. Denique, in Chriſto fuit cognitio omnium myſteriorum fidei noſtræ, ex communi doctrina, in quo tamen nulla planè fides extitit; certum enim eſt ex dictis ſuperiori Dubitatione in beatis non dari fidem actualem, vel habitualem; Chriſtus autem fuit beatus in primo inſtanti ſuæ conceptionis.

DVBITATIO SECVNDA.

A quo facta fuerit in lege naturali, Moſaica & Euangelica diſtinctio myſteriorum fidei & propoſitio credendorum.

In lege naturæ parentes aperiebant credenda filijs.

CONCLVSIO 1. *In lege naturali parentes propoſuerunt res de fide credendas poſteris:* dicitur enim Pſal. 77. *Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera, filij qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filijs ſuis.* & Pſal. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij.* quamuis enim locus hic explicetur à D. Auguſt. & nonnullis alijs Patribus, de Apoſtolis, & Epiſcopis: eſt tamen certum ab alijs intelligi de Patribus legis naturalis, ad quos pertinebat documenta fidei Catholicæ filijs manifeſtare.

Pſal. 77. ℣. 6. Idem 44. ℣. 17.

Deinde, in lege naturali nulli alij fuerunt Sacerdotes à primogenitis; nulli item Doctores à parentibus, vt tradunt qui de Republica Hebræorum ſcripſerunt; maximè verò Sigonius in opere de Republica Hebræorum.

Denique, ſacramenta & ſacrificia in lege naturali neceſſaria fuerunt, vt fatentur omnes in tractat. de Sacramentis in genere; & manifeſtè euincitur ex eo, quòd ſacramenta ſint pharmaca quædam & ceremoniæ quibus Deus medetur malis noſtris, & à nobis colitur, ex doctrina D. Thomæ 3. part. quæſt. 61. at ſacramenta illa fuerunt adminiſtrata per parentes: ergo & myſteria fidei ab eodem poſteris ſuis propoſita.

In lege ſcripta proponebant credenda Prophetæ.

CONCLVSIO 2. *In lege Moſaica credibilia fuerunt diſtincta, & propoſita credenda per Prophetas, aliàs verò per Sacerdotes Leuitici generis.*

Prima pars huius Concluſionis probatur ex cap. 23. Matth. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas.* & Actuum 7. *Quem Prophetarum non ſunt perſequuti Patres veſtri & occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu iuſti?* & Hebr. 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.*

denda Prophetæ. Matth. 23. ℣. 34. Actu. 7. ℣. 52. Hebr. 1. ℣. 1.

Deinde, negari nequit quin Moyſes populo Iudaïco præſcripſerit ea omnia, quæ habentur in Pentateucho: Moyſem autem extitiſſe inter Prophetas & Sacerdotes colligitur ex illo Pſal. 98. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius; & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius.*

Pſal. 98. ℣. 6.

Denique, puritas D. Virginis, & natiuitas Chriſti ex eadem, explicata fuit ab Iſaï. cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Incarnatio verò Chriſti ab eodem fuit præuiſa, cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* etſi namque locus hic de æterna diuini Verbi generatione explicetur, de temporali etiam Chriſti generatione à pleriſque Patribus tum Græcis, tum Latinis exponi ſolet.

Iſaï. 7. ℣. 14. Idem 53. ℣. 8.

Probatur verò 2. pars, ex cap. 27. Deuter. cuius verba attulimus in ſuperioribus. & Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* & Matth. 2. Herodes ſolos Sacerdotes,

Malach. 2. ℣. 7.

Scribas, & Phariſæos interrogat de natiuitate Chriſti; cui reſpondent naſciturum in Bethlehem Iudæ, ſicut ſcriptum eſt per Prophetam.

In lege gratiæ Chriſtus & Apoſtoli docuerunt principia fidei.

CONCLVSIO 3. *In lege gratiæ documenta fidei Catholicæ explicata fuere & propoſita credenda ab ipſomet Chriſto, & ab Apoſtolis eiuſdem.* Ioan. 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit.* ſcilicet quæ de Verbo incarnato credimus. & 1. eiuſdem, cap. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur.* & Hebr. 1. *Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio.* & Matth 3. & 17. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Imò & Chriſtus ipſe Ioan. 15. ait de ſeipſo. *Si non veniſſem, & non loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.*

Ioan. 1. ỽ. 18. 1. Ioan. 1. ỽ. 1. & 2. Hebr. 1. ỽ. 1. Matth. 3. ỽ. 17. & 17. ỽ. 6. Ioan. 15. ỽ. 22.

Quod autem Apoſtoli tradiderint myſteria fidei Chriſtianæ quibuſuis gentibus, indubitatum eſt ex cap. 16. Marc. vbi de ijſdem dicitur; *Illi profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* imò propter hanc cauſam promiſit Deus aſſiſtentiam infallibilem Spiritus ſancti Apoſtolis. Ioann. 15. *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis.* hæc autem promiſſio effectum ſuum habuit in die ſancto Pentecoſtes; deſcendit namque tunc Spiritus ſanctus in Apoſtolos in ſpecie ignis, vt dicitur Actuum 2. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes*, &c. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* In hac opinione ſunt omnes omnino Chriſtiani & Catholici.

Marc. 16. ỽ. 20. Ioan. 15. ỽ. 26. Actu. 2. ỽ. 1. & 4.

DVBITATIO TERTIA.

Cuius ſit explicare iam, & proponere credenda, ſublato Chriſto ſecundum præſentiam viſibilem ab Eccleſia militante Catholica, & item tranſlatis Apoſtolis ad beatitudinem æternam.

Summi Pontificis eſt proponere res de fide.

CONCLVSIO 1. *Res hæc ad ſummum Pontificem deuoluitur.* Primùm, quia Romanus Pontifex ſolus cenſetur eſſe vicarius Chriſti, & ſucceſſor D. Petri vnde illa eadem quæ debuit Petrus præſtare, nomine Chriſti, tenetur ipſe exequi, vt patet ex Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* & paulò poſt; *Tibi dabo claues regni cœlorum.* quæ promiſſio ſuum habuit effectum Ioann. 20. quando Chriſtus dixit Petro: *Paſce oues meas.* & ; *Paſce agnos meos.* ex quibus ità argumentamur. Illius eſt tradere documenta fidei Chriſtianæ, cui ſunt commiſſæ oues; pertinent enim ad paſtorem ouium recta inſtitutio, & gubernatio: atqui oues omnes Chriſti fuerunt traditæ D. Petro, & ſucceſſoribus eiuſdem ex loco Ioann. cit. ergo.

Matth. 16. ỽ. 18. & 19. Ioan. 20. ỽ. 16. & 17.

Deinde, Luc. 22. dicitur de Petro, & eius ſucceſſoribus: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* ex quo ità ratiocinari licet: Ad eum ſpectat explicare & proponere credenda quæ ſunt fidei Catholicæ, qui habet infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti, ne errare queat in vllis planè rebus determinandis, & proponendis: atqui Pontifex Rom. in nullis planè poteſt errare, ex loco citat. Luc. ergo ad illum ſpectat explicare, & proponere ea quæ ſunt credenda.

Luc. 22. ỽ. 32.

D. Hieron. His teſtimonijs vtitur D. Hieron. in epiſt. 57. ad Damaſum Papam, vt probet Pontifices Romanos errare non poſſe inter definiendum, & proponendum aliquid de fide.

Solutio Pariſienſium.

Reſpondent Doctores Pariſienſes, oues Chriſti nedum commiſsas eſſe Petro & eius ſucceſſoribus, ſed etiam Concilio generali coniuncto, vel ſeiuncto à Pontifice Max. vt colligunt ex Matth. 18. *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.* Matth. 18. ỽ. 17.

Reijcitur.

Verùm locus hic eſt planè impertinens ad opinionem iſtam comprobandam: *Eccleſiæ* ſiquidem nomine eo in loco non ſignificatur Concilium generale, ſed Epiſcopus priuatus, & particularis illius cuius emendationem intendimus media correctione fraterna, vt obſeruat Chryſoſt. ad hunc locum: *Dic*, inquit, *Eccleſiæ, id eſt, Epiſcopo.* Deinde, hoc in loco diſseritur non de authoritate definiendi, vel proponendi credenda; ſed de obligatione, qua quilibet noſtrûm tenetur emendare fratrem, quem videt ab obſeruatione mandatorum Dei deficere, vt manifeſtè colligitur ex verbis quę leguntur ibidé: *Si peccauerit in te frater tuus* (id eſt te vel ſciente, vel contra te) *Vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Denique, Concilium generale tale eſſe nequit, niſi fuerit cum Pontifice Max. coniunctum: dicemus enim ſolius Pontificis Maximi eſſe cogere Concilia.

Ibidem ỽ. 15.

Tertiò, probatur Concluſio: Solius Pontificis eſt conuocare Concilia generalia, eadem roborare, vel etiam ab vno in alium locum transferre, & quidem ità vt ea tantùm faciant fidem indubitatam, quæ fuerint authoritate Pontificis Maximi confirmata, vt patet ex epiſt. Marcelli I. ad Orientis Epiſcopos: *Ipſi Apoſtoli & eorum ſucceſſores Domino inſpirante conſtituerunt, vt nulla fieret Synodus præter Romana ſedis authoritatem.* & ex Damaſo I. *Nulla Concilia rata leguntur quæ Apoſtolica authoritate, non fuerint confirmata*: ergo.

Marcellus. Damaſ.

Effugium aduerſariorum.

Reſpondent Doctores qui contrariam ſequuntur opinionem, nihil ex illis teſtimonijs colligi poſſe: nemini quippe credendum eſt in propria cauſa: Marcellus autem & Damaſus fuerunt Pontifices Max. vnde non mirum ſi docuerint poteſtatem congregandi & confirmandi Concilia eſſe penès ſolos ſummos Pontifices; præſertim cùm quilibet ſuam authoritatem ſtudeat dilatare, nedum conſeruare.

Præcluditur.

Verùm hæc reſponſio ſuſtineri nequit. Primùm, quia Pontifices iſti docent non à ſeipſis, ſed ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus accepiſſe poteſtatem celebrandi Concilia eſſe penès ſummos Pontifices: verba enim iſta leguntur apud Marcellum cit. *Ipſi*, inquit, *Apoſtoli & eorum ſucceſſores*, &c. Deinde, in Concilio Nicæno I. can. 1. ex ijs qui collecti ſunt ex epiſt. Iulij I. Pontif. Maximi ità dicitur, *Non debent præter Romani Pontificis ſententiam Concilia celebrari.* & ipſemet Iulius I. epiſt. 1. ad Epiſcopos Orientis, quæ extat tom. 1. Conciliorum ante Concilium Rom. I. ab eodem celebratum. *Sancti*, inquit, *Patres inſidias & illicitas altercationes, vnanimiter in prædicta Nicæna ſtatuerunt Synodo, vt nullus Epiſcopus, niſi in legitima Synodo & ſuo tempore Apoſtolica authoritate conuocata ſuper quibuſdam criminationibus pulſatus audiatur, id eſt, iudicetur, vel damnetur.* & paucis interiectis: *Ipſi verò primæ ſedis Eccleſiæ conuocandarum generalium Synodorum iura & iudicia Epiſcoporum, ſingulari priuilegio Euangelicis, & Apoſtolicis, atque Canonicis conceſſa ſunt ſtatutis, quia ſemper maiores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam multis authoritatibus referri præcepta ſunt.*

ſunt. Nec vllo modo poteſt maior a minore iudicari. Ipſa namque omnibus maior & prælata eſt Eccleſijs quæ non ſolummodo Canonum, & SS. Patrum decretis, ſed Domini ſaluatoris noſtri voce ſingularem obtinuit principatum. Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. & epiſt. 2. ad eoſdem, nempe Euſebium, Theogenium, Theodorum & alios nonnullos: Canonibus enim in Nicæna Synodo iubentibus non debere præter ſententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari. Præterea extant de eadem re varij canones apud Gratianum diſt. 17. & in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. res hæc eſt expreſsè definita. *Solum*, inquit, *Romanum Pontificem tamquam ſuper omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius, ac poteſtatem habere, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſed etiam propria eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat.* Accedit Epiſcopos Euſebianos ſedem Romanam nuncupaſſe antiquitus ſedem Apoſtolicam, & metropolim pietatis, vt teſtatur Sozomenus lib. 3. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 7. Et Lucentius Epiſcopus qui præfuit 1. Concilio Chalcedonenſi de Pontifice Maximo dixit: Quod ſit vir Apoſtolicus, & quòd ad eum pertineat ſollicitudo, & cura quarumcumque Eccleſiarum; vt conſtat ex præfatione dicti Concilij. & Cyrillus Alexandr. de ſummo Pontifice Romano ſimiliter aſſeruit; Quòd ſit vnus Eccleſiarum Papa.

Cyrillus Alexand.

Obiectio. Obijciunt authores contrariæ ſententiæ in Actibus Apoſtolorum cap. 6. D. Petrum qui tamen fuit Pontifex Romanus, minimè congregaſſe Concilium primum Apoſtolorum, ſed ipſoſmet Apoſtolos; ſic enim ibi dicitur: *Conuocantes autem duodecim multitudinem Diſcipulorum dixerunt; Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.*

Actuũ 6. ℣. 2.

Solutio. Reſpondeo, ex his ſolùm colligi poſſe, Concilium non fuiſſe indictum inconſultis & inauditis Apoſtolis, non autem congregatum eorum authoritate, ſed ſolius D. Petri, idque quòd regimen vniuerſalis Eccleſiæ ſoli Petro fuerit à Chriſto commiſſum, & eius ſucceſſoribus, ex cap. 22. Ioan. *Paſce oues meas. &. Paſce agnos meos.*

Ioan. 21. ℣. 17. & 16.

Replica. Inſtabis, extare apud Gratianum multa capita diſt. 25. in quibus dicitur Concilia fuiſſe congregata authoritate Imperatorum.

Enervatur. Reſpondeo, hoc fuiſſe factitatum vſurpata, non legitima iuriſdictione. Moneo tamen non deeſſe qui dicant Concilia ideò ab Imperatoribus dici conuocata, quòd fuerint in ciuitatibus iuriſdictioni Imperatorum ſubditis celebrata: vt ergo tutè poſſent ad eas ciuitates accedere, & præterea libere de rebus fidei Catholicæ ſuffragari, atque etiam vt leges ab Epiſcopis conſtitutæ fulcirentur quodammodo authoritate Imperatoris, Concilia iſta fuerunt conuocata intercedente aſſenſu Imperatoris, non autem quòd Imperator habuerit, vel etiam habeat ius conuocandi Concilia generalia.

Papa eſt res de fide definire. Matth. 16. ℣. 18. & 19.

CONCLVSIO 2. *Soliis Pontificis Maximi eſt res de fide Catholica definire, & eaſdem certò & indubitanter proponere credendas.* Primùm, quia ſoli Petro & ſucceſſoribus dictum eſt, *Tu es Petrus.* & item, *Tibi dabo claues regni cælorum, Petre paſce oues meas, paſce agnos meos.* & denique, Ioan. 21. ℣. 17. & *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* 16. Ex quibus locis colligunt SS. Patres infallibilem Luc. 22. aſſiſtentiam Spiritus ſancti inter dictandum, aut ℣. 32. proponendum aliquid de fide credendum, D. Petro, & eius ſucceſſoribus eſſe promiſſam, vt patet ex infinitis propemodum teſtimonijs Patrum Græcorum, & Latinorum quæ à Cocchi referuntur lib. 7. qui eſt de Hierarchia Eccleſiæ, art. 4. 5. 6. & 7. In iſtis Concluſionibus conueniunt Turrecremata in Sum. de poteſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 4. Caietan. in ſuis opuſculis tom. 1. tract. 1. cap. 8. Melch. Can. lib. 5. de locis Theologicis, cap. 5. Azor in ſuis inſtitutionibus moral. part. 2. cap. 13. Bellarm. in lib. de Pontif. Max. Auguſt. Triumph. de poteſt. Eccleſ. & Maldera ad art. 10. huius quæſt. D. Thom. diſp. 4. Dub. 1. 2. & 3.

Obiectio. Obijciunt authores contrariæ ſententiæ, Spiritum ſanctum tam verè fuiſſe datum Apoſtolis, quàm Petro, & item verè fuiſſe immunes ab errore, quàm ipſum Petrum, vt conſtat ex Ioann. 15. *Mittam vobis a Patre* Ioan. 15, *Spiritum veritatis.* & 26. *Sicut miſit me Pater,* ℣. 26. & *& ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum.* & cap. 20. ℣. Actuum 2. dicitur, Spiritum ſanctum deſcen- 21. & 22, diſſe in linguis igneis ſuper Apoſtolos, & ita- Actuũ 2. tim cœpiſſe eoſdem loqui variis linguis. & ℣. 4. Matth. 10. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini:* ergo cum Epiſcopi ſint ſucceſſores Apoſtolorum ex D. Auguſtino in Pſalm. 44. *Pro patribus*, inquit, *tuis, id eſt Apoſtolis, nati ſunt tibi filij, id eſt Epiſcopi*, non poterunt iſti vlla ratione errare inter dictandum aliquid eſſe credendum, quemadmodum neque poteſt Pontifex Maximus ex eo quòd ſit ſucceſſor Petri; præſertim ſi ſupponamus Epiſcopos eſſe congregatos in Concilio generali etiam abſente ſummo Pontifice. Matth. 10. ℣. 19. D. Auguſt.

Solutio 1. Reſpondeo 1. non eſſe negandum quin Spiritus ſanctus adſit Epiſcopis congregatis in Concilio generali vnà cum Pontifice, ad hoc vt certò & indubitanter definiant quid ſit de fide tenendum, quidue non pertineat ad documenta fidei Catholicæ: ceterùm infallibilis iſta aſſiſtentia Spiritus ſancti non eſt aliunde repetenda, quàm à promiſſione D. Petro facta, vnde propter connexionem quam ſupponimus dari inter Epiſcopos & Pontificem Maximum in Concilio generali, ſtatuendum eſt Epiſcopos illic congregatos nullomodo errare poſſe in rebus de fide decidendis; ſi tamen fuerint congregati totius orbis Epiſcopi abſente Pontifice Maximo, & eius Legatis, Epiſcopi ſubijciuntur erroribus, vt patet ex Concilijs Baſilienſi, Conſtantienſi & alijs, in quibus definita fuere quædam tamquam de fide, quæ tamen poſtea fuerunt improbata authoritate Conciliorum generalium, in quibus fuerunt & Pontifex Maximus & Epiſcopi innumeri Eccleſiæ tam Græcæ, quàm Latinæ vnà cum Imperatoribus Orientis & Occidentis.

Solutio 2. Reſpondeo 2. in Apoſtolis duas extitiſſe authoritates, Apoſtolatus, & Epiſcopatus; per primam potuerunt in toto orbe prædicare, ſa- Matth. 28. ℣. 19. cramenta miniſtrare & miracula facere, ex Marc. 16. Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes.* & ℣. 15. & Mar. 16. *Euntes in mundum vniuerſum, prædi-* 20.

cat'e *Euangelium omni creaturæ*; & paucis interpoſitis. *Illi autem profecti predicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* potuerunt præterea virtute iſtius Apoſtolatus libros Canonicos conſcribere ſicut de facto conſcripſerunt Petrus, & Paulus, Ioannes & Iacobus, atque etiam quatuor Euangeliſtæ; per ſecundam verò dignitatem, ſcilicet Epiſcopatus, potuerunt regulariter & ex officio condere leges, & adminiſtrare ſacramenta Ordinis, & Confirmationis, vt manifeſtè colligitur ex Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* imò propter hanc cauſam Paulus 1. Corinth. 11. ait: *Cetera cum venero diſponam.* Deinde, de fide eſt miniſtrum ordinarium ſacramenti Confirmationis eſſe ſolum Epiſcopum, & idem eſt indubitatum de miniſtro Ordinis. Prima poteſtas fuit in omnibus Apoſtolis ordinaria; ſecunda verò extraordinaria: de lege namque communi Epiſcopi ſuam dignitatem conſequuntur à Deo per dependentiam à ſummo Pontifice, adeò vt poteſtas Epiſcopalis, de iure communi pendeat intrinſecè, & ex ordinatione diuina à poteſtate ſummi Pontificis; poteſtas autem Apoſtolatus fuit in omnibus Apoſtolis ex æquo, dependenter à ſolo Chriſto, & hoc probatur euidenter ex illo Ioann. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* & 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis*: ergo habuerunt Apoſtoli aſſiſtentiam Spiritus ſancti infallibilem, ad hoc vt dignè officium exercerent, & præterea ſinè errore & intrepidè documenta fidei Chriſtianæ omnibus mortalibus explicarent. Ex quibus non licèt colligere aſſiſtentiam iſtam infallibilem Spiritus ſancti tranſuſam eſſe ad Epiſcopos, eſto ſint illi Apoſtolorum ſucceſſores, quia non ſuccedunt illis reſpectu dignitatis Apoſtolatus, ſed ſolùm reſpectu dignitatis Epiſcopalis, quam diximus conceſſam fuiſſe Apoſtolis, modo extraordinario; hæc autem eſt in Epiſcopis, modo ordinario, atque adeò cum dependentia à ſummo Pontifice, penès quem eſt limitare iuriſdictionem Epiſcopalem vt definitum fuit multoties. Ex locis igitur citat. in obiectione, ſolùm infertur poteſtatem, quæ fuit in Apoſtolis fuiſſe ſinè dependentia à Petro, præterea datum fuiſſe Spiritum ſanctum Apoſtolis poſt reſurrectionem Chriſti, vt nempe peccata remitterent, medio penitentiæ ſacramento. Denique, in die ſancto Pentecoſtes collarum fuiſſe Spiritum ſanctum eiſdem, vt abſque metu, & modo militari fidem apud quaſcumque gentes diſſeminarent.

Replica. Cyprian. Inſtabis, Apoſtolos fuiſſe in omnibus æquales Petro, vt docet Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ, *Hoc erant vtique & ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis*: ergo diſtinctio allata nulla eſt.

Diſſoluitur. Reſpondeo, Cyprianum non affirmare ceteros Apoſtolos fuiſſe Petro æquales in omnibus & ſingulis, ſed tantùm quoad dignitatem Apoſtolatus, & Epiſcopatus; ratione namque regiminis, & gubernationis totius Eccleſiæ, fatetur idem Cyprian. loco citat. Petrum fuiſſe prælatum ceteris Apoſtolis: ità enim de hac re loquitur ibidem proximè & immediatè: *Sed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & cathedra vna monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtendatur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur.* & paulò ante: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus,* ſ. 18. & *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* & 19. *portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis; Et quæcumque ſolueris ſuper terram erunt ſoluta & in cælis.* Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: *Paſce oues meas.* Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. Accedit, de Petro concedendum eſſe quòd ſit & Epiſcopus orbis, & vrbis Romanæ; de cæteris autem, quòd fuerunt Epiſcopi huius, vel illius priuatæ Eccleſiæ, non autem totius orbis; quod colligunt Theologi, ex eo quòd Chriſtus commiſerit omnes oues ſuas Petro, inter quas annumerantur Epiſcopi, & item Apoſtoli omnes; ratione ergo regiminis & gubernationis vniuerſæ Eccleſiæ D. Petrus fuit ſuperior omnibus Apoſtolis.

Inſtabis, totum corpus eſſe maius capite ſeorſim ſumpto, ſed Apoſtoli corpus Eccleſiæ repræſentant, ſicut & Petrus caput eiuſdem: ergo &c. *Alia replica.*

Reſpondeo, maiorem eſſe veram extenſiuè, non autem intenſiuè; quemadmodum enim caput naturale omnem omnino motum producit in corpore animali, ità etiam caput myſtici corporis, tribuit ſaltem de lege ordinaria omnem poteſtatem partibus iſtius corporis; licèt ergo Eccleſia ſpectata ſeorſim à capite ſuo, quod eſt Pontifex Maximus, ſit ſecundum ſuam extenſionem maior; ratione tamen virtutis neceſſariæ ad conſeruationem iſtius corporis myſtici, caput eiuſdem cenſetur eſſe multis partibus maius, idque propter cauſam explicatam; nihil enim accipit Pontifex Maximus ab Eccleſia, ſed à ſolo Deo; Eccleſia autem illud omne quod habet à Pontifice Maximo proximè & immediatè mutuatur; remotè verò & mediatè à Deo. *Explicatur.*

Vrgebis, poteſtatem Eccleſiæ pendere immediatè à Spiritu ſancto; non autem à Pontifice Maximo, vt colligitur ex cap. 15. Actuum. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, inquiunt Apoſtoli congregati in primo Concilio Hieroſolymitano quando proponunt credenda, & agenda quæ in illo Concilio fuerant definita. *3. Replica.* Actuũ 5. ſ. 28.

Reſpondeo, in iſta particula, Viſum eſt Spiritui ſancto, includi perſonam D. Petri, atque adeò & Pontificis Maximi, quod nempe Concilium hoc legitimum eſſe nequiuerit, niſi Petro præſente, vel eius legatis, cùm Petrus ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ: nec Concilium vniuerſale tale eſſe poſſit, niſi conſtet omnibus partibus ſibi debitis, inter quas primas ſibi vendicat ſedes, caput: prædicta autem loquendi formula nihil aliud ſignat, quàm quæ fuerunt in eo Concilio definita, non temerè & inconſultò, ſed magna cum diſquiſitione & Spiritus ſancti inuocatione, & aſſentientibus illis omnibus qui iſti Concilio interfuere, fuiſſe peracta. *Non vrget.*

Obijcies Apoſtolos miſiſſe Petrum & Ioannem Samariam, quatenus iſtius ciuitatis incolas inſtruerent in ijs quæ ſunt fidei Catholicæ, & præterea eiſdem ſacramenta adminiſtrarent, maximè verò ſacramentum Confirmationis vt con- *Obiectio.*

Digitized by Google

Actuũ 8. v. 14. vt conſtat ex cap. 8. Actuum. *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem*, &c. igitur Apoſtoli omnes ſupra D. Petrum erant, cum omnis mittens alium ius habeat in illum qui mittitur ab eodem.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; eſt enim duplex miſſio per conſilium, & per imperium; hæc arguit iuriſdictionem in eo qui mittit aliquem (nec enim propriè mittitur niſi inferior) illa vero nullam ſupponit in eum qui mittitur; eſt enim penes illum hac ratione vel morem gerere conſilio ſibi dato, vel non; atque ità D. Petrus dicitur miſſus à ceteris Apoſtolis, tantummodo per conſilium; non autem per imperium: illa eadem ratione qua Proceres dicuntur miſiſſe Regem, ad aliquam partem ſui regni, ſuis conſilijs & monitis, vt hac ratione res illius prouinciæ faciliori negotio componantur.

Obiectio 3. Obijciunt Doctores Pariſienſes Concilia generalia definiuiſſe quoſlibet Chriſtianos in quacumque dignitate conſtitutos, etiam papali, ſubijci legibus latis à Concilijs Oecumenicis: ità Baſilienſe. Concilio Baſilienſi ſeſſ. 2. imò ſeſſ. 33. dicitur Conſtant. hoc eſſe de fide tenendum. & Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 4. ergo Papa eſt inferior Concilijs.

Solutio. Reſpondeo, ex iſtis locis nihil poſſe colligi contra dicta noſtra; nec enim decreta hæc quæ obijciuntur nobis fuerunt facta Conciliariter vt loquuntur; certum enim eſt Concilium Baſilienſe non fuiſſe legitimè continuatum, agente namque Florentiæ Nicolao V. Pontifice Maximo celebratum fuit vniuerſale Concilium Florentinum, vnà cum Epiſcopis tam Latinis quam Græcis, & præſentibus Legatis Imperatorum Orientis, & Occidentis, & quidem illo eodem tempore, quo Concilium Baſilienſe continuabatur, arrogante ſibi authoritatem præſidendi iſti Concilio Cardinale Arelatenſi vna cum Preſbyteris innumeris, & pauciſſimis Epiſcopis: non potuerunt autem duo Concilia ſimul & ſemel celebrari in Eccleſia Catholica. Accedit quòd Nicolaus V. reuocauerit Concilium Baſilienſe, vnde illius decreta nullam planè inducunt obligationem. Conſtantienſe autem non fuit à ſummo Pontifice conuocatum, ſed ab Epiſcopis & Imperatore, ad tollendum ſchiſma, quod eo tempore infeſtabat Eccleſiam Catholicam. Ioannes quippe XXIII. Benedictus XIII. vulgò Petrus de Luna. & Gregorius XII. de pontificia dignitate inter ſe diſſidebant, ità vt quilibet illam ſibi arrogaret, pro eo autem tempore, quo ſchiſma hoc non erat ab Eccleſia ſemotum, definiuit Concilium Conſtantienſe Eccleſiam poſſe condere leges, ad quarum obſeruationem tenerentur omnes Catholici & Chriſtiani, at lex ita non poteſt dici, lex Concilij generalis; non enim datur Concilium generale, ſinè ſummo Pontifice, quale tamen non erat tunc temporis; vnde abdicarunt ſe lubentes & volentes Ioannes XXIII. & Gregorius XII. Petrus autem de Luna authoritate Concilij fuit priuatus, atque etiam innodatus cenſura excommunicationis, creatúſque poſteà à toto Concilio Martinus V. qui reuocauit ea quæ facta fuerant in Concilio Baſilienſi, atque etiam quæ in Concilio Conſtantienſi ante creationem legitimi Pontificis. Denique, diximus in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. abrogatas fuiſſe conſtitutiones quas nobis obijciunt Doctores Pariſienſes.

Obijciunt vltimò: quando dantur duæ poteſtates quarum vna errori ſubijcitur, altera verò minimè, illa per iſtam regulatur, & dirigitur, non è contra; at in Eccleſia Catholica eſt poteſtas Pontificis, & Concilij generalis: Concilium autem generale nullis plane ſubijcitur erroribus; dicitur enim de Eccleſia, quòd ſit columna & firmamentum veritatis: quod ſit ſinè ruga, & macula; poteſtas verò ſummi Pontificis errori ſubiacet, vt liquet ex Marcello I. qui thus dijs adoleuit; nullus item eſt ex Pontificibus qui ſua peccata non confiteatur Sacerdoti: ergo illius poteſtas Eccleſiæ poteſtati ſubſtituitur. *Obiect. vlt.*

Reſpondeo conceſſa maiore, negando Pontificem Maximum erroribus obnoxium eſſe quandocumque proponit aliquid credendum ex cathedra, ſed tantùm quatenus conſideratur, vt eſt perſona priuata, & particularis aliquis homo. Quod verò dicitur de Marcello I. quem alij Marcellinum perperam nuncuparunt, vt obſeruauit Baronius ad 16. diem Ianuarij in ſuis notis ad Martyrologium Rom. & Binnius in notis ad Concilium Sinueſſanum quod extat tomo primo Conciliorum. *Solutio.*

Dico 1. non deeſſe qui putent Marcellum iſtum nuſquam thura Dijs obtuliſſe: Euſebius namque lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 26. & Theodoritus lib. 11. cap. 3. nihil de hac re habent, licèt attigerint acta iſtius Pontificis Maximi.

Dico 2. probabilius eſſe Marcellum prædictum crimen admiſiſſe; ità enim legimus, & in Martyrolog. Rom. & in Breuiario ſimiliter Roman. poſt tot correctiones & emendationes eiuſdem, & in lib. Pontificum Romanorum, & denique in Concilio Sinueſſano, Marcellum petiiſſe depoſitionem ſuam à Patribus Concilij, eique fuiſſe reſponſum. *Tu teipſum iudica, ſedes quippe Romana a nullo iudicari debet.*

DVBITATIO VLTIMA.

An ſit de fide Catholica; Paulum V. verbi gratia eſſe verum Vicarium Chriſti, & ſucceſſorem Petri.

CONCLVSIO 1. *Propoſitio dicta non eſt abſolutè de fide Catholica.* Primum, quia ſupponit hæc duas iſtas alias propoſitiones, *Paulus V. eſt baptizatus: Paulus V. eſt canonicè electus in Romanum Pontificem*: at neutra ex iſtis duabus eſt de fide Catholica abſolutè & ſimpliciter; de veritate quippe illarum conſtat nobis tantùm teſtificatione eorum, qui interfuerunt electioni, & præterea applicationi baptiſmatis eiuſdem, & denique aſſenſione eorum omnium qui eum colunt tamquam Pontificem Maximum: ergo talem eſſe non eſt de fide. *Non eſt de fide abſolutè Papam exiſtentem eſſe talem,*

Deinde, idem eſt iudicium de illa propoſitione, quod de iſtis: ſpecies iſtæ ſunt conſecratæ: Iſtæ reliquiæ ſunt venerandæ; Petrus eſt Epiſcopus Toloſanus; atqui nulla ex dictis eſt de fide Catholica abſolutè; non enim conſtat reuelatione diuina ſpecies has in particulari eſſe conſecratas reliquias item iſtas eſſe alicuius ſancti reliquias

neque etiam Petrum eſſe Epiſcopum Toloſanum: imò Eccleſia non proponit tamquam de fide, has ſpecies adorandas latria; ſed poſita hypotheſi, quòd ſint conſecratæ, & idem facit de reliquijs: ergo neque Paulum V. eſſe legitimum Petri ſucceſſorem.

Denique, nihil impedit abſolutè & ſimpliciter loquendo, quin eligatur aliquis in Pontificem Maximum, qui ſit incapax pontificiæ dignitatis: ſunt enim qui affirment in ſede Conſtantinopolitana ſediſſe feminam, quam tamen arcent iura ab omni miniſterio Eccleſiaſtico. In hac Concluſione ſunt Bannez ad art. 10. huius quæſt. D. Thomæ. Melch. Canus lib. 6. de locis Theologicis. Caiet. & alij plerique Thomiſtæ.

Ex hypotheſi eſt de fide Papam eſſe Papã.

CONCLVSIO 2. *Propoſitio iſta: Paulus V. eſt vicarius Chriſti & ſucceſſor Petri, eſt de fide, ex hypotheſi.* Primùm, quia quilibet Chriſtianus & Catholicus tenetur credere ea omnia eſſe de fide Catholica, quæ proponuntur credenda ab iſto Pontifice ex cathedra, aliàs puniendus eſt quiſquis ille ſit eadem ratione, ac ſi eſſet hæreticus; at res hæc non poteſt dici, ſi non eſſet de fide Pontificem hunc eſſe vicarium Chriſti & ſucceſſorem Petri; dictat namque fides audiendum eſſe vicarium Chriſti & ſucceſſorem Petri, vbi quid ex cathedra credendum propoſuerit: ergo.

Deinde, omnes omnino Chriſtiani colunt Paulum V. veluti vicarium Chriſti, & Petri ſucceſſorem: ergo talis cenſendus eſt.

Terriò, Martinus V. in Concilio Conſtantienſi ab omnibus poſtulat ſe agnoſci electum legitimè in Pontificem Romanum.

Denique, nullus eſſet finis controuerſiarum inter Chriſtianos propoſito aliquo dubio de rebus fidei; dubitari enim poſſet num hic verus eſſet Pontifex Romanus, atque adeò num eius definitio eſſet tamquam de fide acceptanda: ità docet Azorius lib. 5. Inſtitut. moral. cap. 5. parte 2. Turrecremata lib. 4. de poteſt. Eccleſ. & plerique alij recentiores hoc loco, alij verò ad articulum 10. huius quæſt. D. Thom.

Obiectio.

Dices, nihil repugnare quin eligatur aliquis in Pontificem qui ſit incapax talis dignitatis, putà ſi eligeretur femina, quod contigiſſe tradunt aliqui in Ioanne VIII. ergo non eſt de fide hunc eſſe Papam.

Solutio.

Reſpondeo antecedens hoc nunquam de facto poſſe contingere, pugnat enim cum promiſſione diuina Ioann. 15. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis*, &c. Confirmatur: ad ſuauem Dei prouidentiam ſpectat numquam permittere vt hic error in Eccleſia Chriſtiana, & Catholica detur reſpectu Pontificis Maximi. Accedit, quòd nullum fuit hactenus ſchiſma, quod non fuerit detectum, atque adeò nullus Pontifex fuit intruſus, qui à ſede Apoſtolica non fuerit repulſus, & legitimus in eius locum ſuffectus: quod verò dicitur de Ioanne VIII. computatur inter fabulas à peritis, & doctis Hiſtoriographis: qua de re legendus eſt Onuphrius in ſuis Notis ad Platinam in Ioanne VIII. hic enim, etſi primus omnium fabulam iſtam detexerit, accuratiùs tamen præ ceteris hunc errorem confutauit.

Ex iſtis omnibus colliges quod docet S. Thomas in hoc art. credibilia fuiſſe legitimè diſtinguenda, & præterea diuincta, neque enim fieri potuit vt ſinè diſtinctione documenta fidei Catholicæ nobis innoteſcerent, cùm inter ſe ſint quàm maximè varia & multiplicia. Deinde, quia multiplicatio articulorum fidei repetenda venit ex varijs & diſtinctis rationibus, non viſi, vt author eſt ſanctus Doctor hoc loco: eſt autem certum rationes iſtas, non viſi, non eſſe eaſdem in omnibus articulis: ergo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An Articuli fidei ſecundum ſucceſſionem temporum creuerint.

Fides non eſt aucta ſecundũ ſubſtantiam.

DOCET 1. D. Thomas duo in hoc art. *Alterum eſt fidem nuſquam fuiſſe auctam, ſecundum ſuam ſubſtantiam.* Et quidem meritò, eadem namque eſt fides noſtra, & eorum omnium, qui vixerunt ab orbe condito ad noſtra vſque tempora; propter hanc quippe cauſam docet D. Paulus quòd ſit vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma. Epheſ. 4. ℣. 5.

Deinde, vnus eſt omnium planè fidelium Mediator, Redemptor, & Saluator; dicitur enim Actuum 4. de Chriſto; *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri*, niſi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. & Hebr. 10. dicitur de ſacrificio cruento Chriſti; *Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos.* Actuũ 4. ℣. 12. Hebr. 10. ℣. 14.

Tertiò, omni planè tempore duo iſti articuli à quibuſuis fidelibus fuerunt crediti, Deus eſt, & Deus eſt remunerator bonorum operum, ex illo Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Ità etiam docet Iren. lib. 4. contra hæreſ. cap. 13. & communiter Sententiarij in 3. diſt. 25. Idem 11. ℣. 6. Irenæus.

Creuit fides ſecundum explicationem.

Docet 2. D. Thomas, *Fidem cum tempore ſuiſſe auctam, ceterum quoad maiorem explicationem eorum quæ credimus.* De qua re nulla poteſt eſſe dubitatio; dicitur enim Pſal. 118. *Super ſenes intellexi*, id eſt longè plura diſtinctè cognoui, ex his quæ ſunt fidei diuinæ, quàm maiores noſtri, vt communiter explicant Doctores ad hunc locum. Pſal. 118. ℣. 100.

Deinde, licèt myſterium Incarnationis fuerit notum Patribus antiquis, etiam Adamo, vt colligit Paulus Epheſ. 5. ex inſtitutione matrimonij inter Adamum & Euam: Abrahæ, Iſaac, & Iacob, vt colligitur ex multis locis, maximè verò ex iſtis Geneſ. 22. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.* & paulò poſt. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* & cap. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt.* Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus*: atqui myſterium hoc longè explicatiùs cognoſcitur à nobis, quàm ab vllis planè ex his qui præceſſerunt aduentum Chriſti, vt docetur 1. Timoth. 3. vbi ſic legitur: *Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria*: ergo fides creuit ſecundùm maiorem explicationem. Geneſ. 22. ℣. 17. & 18. Idem 49. ℣. 10. Deut. 18. ℣. 15. 1. Tim. 3. ℣. 16.

Digitized by Google

Tertio, articulus tactilitatem Trinitatis à nobis
distinctitatem pue habens cognoscitur ratione enim
1. Ioan. 5. 7. 8. 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, similiter in terra tres sunt testimonium.* at hoc multorum peccatorum ex ludens mutatur, ubique tres ostenduntur tamen colendi plures Deos. vt auctor est Tertullianus, & alij Patres cognoscas.

Denique, Ecclesia quotidie proponit aliquid credendum, quod nullatenus fuerat explicite credendum: comprobatur hoc documentum inuicti Patres, D. Augusti. epi. 49. quæst. 1. idem Tertullianus. Ecclesia quotidie Baptismo cap. 1. & lib. de virginibus velandis cap. 1. Vincentius Lirinensis aduersus prophanas nouitates. Hugo à S. Vict. lib. 2. de Sacramentis. part. 10. cap. 4. Alphonsus à Castro, lib. 1. de hæred. & interpretes D. Thomæ hoc loco.

Possit videtur hoc fides magis explicari.

Aduertendum est autem; fidem rectam non esse vtile explicatam, & distinctam, vnum possibile aliquas alias distinctas magis & explicatas admittere definitiones; fatentur enim omnes pariter Ecclesiam Catholicam credere, ac proponere credenda ea omnia, quæ ipsetunt ad salutem. Sacramenta, vnde quotidiano fit Ecclesiæ seruitium pertinent, & ad diem vsque iudicij perseuerabit; ita etiam potest hæc nouas fides explicationes proponere quotienter necessitas. Denique, concedunt omnes quod fides potuerit magis explicari in Apostolis, quam de facto fuerit explicata. Denique, quamuis anima Christi in primo instanti suæ conceptionis perfectissime visa fuerit à Deo omne quod pertinet ad Rationem beati, absolute tamen & simpliciter loquendo potuit magis illustrari intelligere, quam de facto intelligentia, & communis doctrina.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum articuli fidei conuenienter enumerentur.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum articuli fidei conuenienter ponantur in Symbolo.

OBIVLANT illi duo articuli explicationem istos difficultatis in qua *Rationes contrarias.*

Ratio dubitandi est, quia in Symbolo Apostolorum debuerunt collocari ea omnia, quæ sunt summi necessitati credenda, ex vtrum aternum absque pœna: debuerunt enim articuli nihil nobis. *Propositio de re aeternæ, resultat à Deo per quam tendimus in Deum vt est in se ipso sum supernaturaliter:* quia multa sunt implicitere nobis necessitati credenda, tamquam necessaria ad vitam æternam obtinendam, quæ tamen non habentur in Symbolo Apostolorum; nec enim dici potest, quod in illo habeatur Deum esse trinum esse auctorem hominum omnium operum, quod tamen incumbit omnibus credentium ex D. Paulo. Ad Hebræ. 11. Deinde, quilibet nobilium tenetur credere baptismum esse illis implicitere necessa-

In Secundum Secundæ D. Thom.

rium ad salutem, & tunc penitentiam post lapsum susceptio baptismus, & præcepta impossibilem Ecclesiæ Sacramenta, dicitur autem de baptismo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* & pœ. 2. 2. nitentia vera Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis* Luc. 13. *omnes similiter perbitis:* & Eucharistia saltem 1. Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis* Ioan. 6. *& bibueritis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* & tandem ex illis habetur expresse in Symbolo Apostolorum: ergo non omnes articuli fidei in eo continentur. Denique, multa leguntur in Symbolo, quæ certum non ordinate habentur, vt Deum esse aternum, nec etiam ad eam obtinendam conducunt, vt constat de Symbolo Ecclesiæ Catholicæ. *Sanctorum communionem.* ergo non recte ordinantur articuli fidei in Symbolo.

Aduerte; in recitare Symbolo Ecclesiæ Catholi- *Tres Symbolorum fides.* cæ, Apollolorum fidelem, quod tradiur & *pro-* *Symbolum Ecclesiæ Catholicæ explicatius Symbolo Apostolorum.* cessum fidem à Concilio Nicæno contra Arium, & sequaces, & denique Athanasij. Dicuntur autem omnes Symbola, quod fit, tabula Apostolorum Symbolum, sententia in communi explicata, & quidem ab omnibus credenda. Et est certa quod illi multorum in vnum collata sententia ad veritatem expetendam, vt notat Bernensis ad Ioannem. 21. & Ioannem Antoch. ex D. Augusti. D. August. de tem. 11. de tempore, qui in postremo libri editione in ingressione eli credere, illos ait, inter illos. Ideam etiam obtinuisse Ioseph. Stephanus Thaumaturgus in de trinitate Eccles. cap. 14. quod eli de tribus diis Symbola à nobis explicatis. Ideo obtinuerunt illi tres omnes qui de Symbolo Apostolorum aliquid poterant intendere. Hinc fuit ejus symbolum quod nisi de tribus eli, quod de omnibus Apostolis fuerit compositum, adeo vt quilibet sum expecterit leuendam, ni decet Augusti. loco proxime cit. *Quod, inquit, Credo Deum Patrem Omnipotentem. Manebat dubium, an Christus esset omnipotens.* Symbolum Ecclesiæ Catholicæ ad tollendum hoc dubium, *Credo in Spiritum Sanctum.* Ideo Ecclesia Catholica Sanctorum communionem, quæ non habetur in Symbolo Apostolorum, addidit. Symbolum Athanasij. *Vitam æternam.* Auctor. Subscribit Hieron. in epi. Hieronymi ad Damasum. *Symbolum, inquit, Ecclesiæ Romanæ sic habet, & ita à principio traditum, non scribam in aliorum assumptionem, sed in tabulas cordis carnales.* & Leo epist. 96. ad Palchasium Augustum. *Symbolum Catholicæ Symbolo Romæ & per sua principia, qua docuerunt Apostolos, quibus ipse Spiritus sanctus.* &c.

Nicænum autem Symbolum, hoc idem no- *Symbolum* mine dunatur quod à Patribus in Nicæna Synodo congregatis contra Arium habetur, vt docent Rufinus, lib. Ecclesiasticæ historiæ, cap. 6. Calliodorus, lib. 2. historiæ tripartitæ, cap. 9. Socrates lib. 1. cap. 8. & tunc alio omnes Synodus Chalcedonensis

Digitized by Google

actione 1. Moneo tamen totum hoc Symbolum quemadmodum recitatur inter perficienda ſacramenta altaris, non eſſe ſecundùm ſuas omnes partes à Concilio Nicæno compoſitum; nam omnes omnino partes, quæ ſubſequuntur particulam iſtam (*Et in Spiritum ſanctum*) additæ fuerunt à Patribus in Conſtantinop. Concilio congregatis, vt Gratianus. poſt Iſidorum obſeruauit Gratianus diſt. 15. & alij nonnulli recentiores. Neque refert quod aliqui obijciunt, prohibitum fuiſſe in Nicæno, ne quid tali Symbolo adderetur; nam hæc prohibitio ſolam reſpicit authoritatem priuatam, non verò publicam, cuiuſmodi eſt authoritas Pontificis Maximi, vel Concilij generalis vnà cum illo: eſt namque propoſitio indubitata, par in parem nullam habere iuriſdictionem: Concilium autem Conſtantinopolitanum tam verè fuit generale, & authoritate ſummi Pontificis confirmatum, quàm Nicænum, vnde hoc non potuit impedire, quominùs magis explicaretur Symbolum à Synodo Conſtantinop. cùm id expoſtularet publica Eccleſiæ Catholicæ vtilitas. Deinde, prohibitio iſta Concilij Nicæni reſpicit tantùm additiones, quæ ſunt depravationes fidei Nicænæ, non autem quæ ad eiuſdem explicationem conducunt, vel etiam eamdem explicant. Neque item aliquid dicunt illi qui obijciunt articulum deſcenſus Chriſti ad inferos deſiderari in Nicæno; nam hic articulus facilè ex articulis mortis & paſſionis intelligitur, præterea talis articulus ſatis erat expreſſus in Symbolo Apoſtolorum, nec vlla de eo hactenus extiterat dubitatio, ſicut de cæteris alijs qui fuerunt explicati in Nicæno, & Conſtantinopolitano.

Symbolũ Athanaſij. Tertium Symbolum ab authore, Symbolum Athanaſij dicitur, quod etiam eſt diligenter obſeruandum propter Valentinum Gentilem, & alios nonnullos noſtri temporis hæreticos, qui contrariam ſequuntur opinionem; nam legitur hoc Symbolum inter opera Athanaſij, etiam apud ipſos hæreticos typis mandata, vt videre eſt in editione Commeliniana Græca & Latina, è regione tom. 2. Deinde, proponitur hoc legendum ſub nomine Athanaſij ab Eccleſia Catholica in Officio ad Primam cuiuſlibet Dominicæ. Tertiò, ſunt qui dicant Athanaſium confeciſſe hoc Symbolum, pro eo tempore quo apud Treuiros exularet, & quidem intrà antrum, ſeu puteum, in quo per duos annos & tres menſes eum delituiſſe aiunt, vt fugeret Arianorum perſecutionem; maximè verò Conſtantij Imperatoris Ariani, qui eum ad mortem perſequebatur, vt conſtat ex lib. de Synodis manuſcripto, qui extat in Bibliotheca monachorum ſancti Germani apud Pariſienſes, vt refert Genebrardus in Commentarijs ad Symbolum Athanaſij. Ceterùm rectiùs illi qui docent Symbolum hoc fuiſſe ab Athanaſio compoſitum eo tempore quo Romæ ageret vocatus à Iulio I. Pontifice Maximo, vt Epiſcopis Euſebianis reſponderet, qui eum varijs criminibus accuſabant, hoc ſolo nomine, quòd fidei Arianorum ſubſcribere nollet: Ità docet Baron. tom. 3. annal. ad annum Chriſti 340. Quartò, idem docent ſancti Baron. D. Auguſt. Patres: D. Auguſt. qui aliqua fragmenta iſtius Symboli refert lib. 5. de Trinit. cap. 8. *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus, nec tamen tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens.* & item, *Pater Deus eſt, Filius Deus eſt, Spiritus ſanctus Deus eſt, tamen non tres Dij, ſed vnus Deus dicimus.* & in Enchirid. ad Laurent. cap. 35. *Nam ſicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo, ità Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* & lib. Soliloq. *O tres coæquales & coæterna perſona Deus vnus*, &c. quæ verba parum diſtant à verbis Athanaſij, *Tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Greg. Nazian. in oratione 21. de obitu Athanaſij, quam citat Genebrardus loco cit. & Concil. Florentinum ſic de hoc Symbolo loquitur. *Compendioſam illam fidei regulam per beatiſſimum Athanaſium editam, cuius tenor talis eſt: Quicumque vult ſaluus eſſe, ita de Trinitate ſentiat*, &c. Nazianz. Concil. Florent.

Aduertendum autem eſt quòd etſi Symbolum hoc ab Athanaſio fuerit editum; ab eo tamen ſuam non mutuatur authoritatem, ſed ab Eccleſia Catholica quæ illud proponit legendum, & credendum tamquam regulam fidei Catholicæ, vt obſeruat D. Thomas art. vltimo huius quæſt. ad 3. D. Thom.

Obijcit Valentinus Gentilis, in Symbolo Athanaſij damnari hæreſes aliquas, quæ tamen exortæ ſunt in Eccleſia poſt mortem eiuſdem: ergo illius nequit eſſe author Athanaſius. *Obiectio.*

Reſpondeo, ex iſtis nihil planè colligi poſſe; nec enim voluit Athanaſius hæreſes iſtas damnare, ſed ſolùm præſcribere certam regulam & indubitatam per quam poſſent Clerici fidem ſuam propalare, & de hac rogati diſtinctè reſpondere; nouerat quippe Athanaſius, non eſſe penès ſe definire vel determinare, quæ ſint illa quæ pertineant ad fidem Chriſtianam & Catholicam; cùm poteſtas illa tota reſideat in Pontifice Maximo, vel in Concilio generali congregato cum eodem Pontifice. *Soluitur.*

Conclvsio 1. *Articuli fidei rectiſſimè ſunt diſtincti, & expreſſi in Symbolo Apoſtolorum.* Primùm, quia hoc habuit ortum ab Apoſtolis, vt probatum eſt, qui nec in iſto Symbolo tradendo, nec in re alia proponenda errare potuerunt; in hac enim re moderatorem habuerunt Spiritum ſanctum, vt colligitur ex Ioan. 15. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.* & Matth. 10. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* *Articuli fidei rectè diſtincti ab Apoſtolis.* Ioan. 15. ℣. 26. Matth. 10. ℣. 19. & 20.

Deinde, nomine Symboli ſignificatur compendium in quo continentur ſumma capita fidei noſtræ ad vitam æternam obtinendam neceſſaria; at capita illa perfectiſſimè exprimuntur in Symbolo Apoſtolorum, vt conſtat ex D. Tho. art. 8. huius quæſt. in corpore: vbi ait ſex, aut ſeptem articulos ad Chriſti diuinitatem, totidémque ad eius humanitatem pertinere, & quæſt. proximè ſequenti docet quæ in hoc Symbolo habentur, credenda eſſe neceſſariò, vt vita æterna obtineri queat. D. Thom.

Tertiò, in omni planè ſcientia dantur certa & præcipua principia ex quibus eruuntur concluſiones pertinentes ad huiuſmodi ſcientiam: ergo cùm Theologia ſit ſcientia ſpecie diſtincta ab alijs quibuſuis, habebit quoque certa principia ex quibus colligit ſuas concluſiones; hæc autem principia omnium conſenſione ſunt articuli fidei expreſſi in Symbolo Apoſtolorum: ergo rectè ſunt diſtincti.

Denique, confectio Symboli Apoſtolorum fuit quàm maximè neceſſaria, nedum vtilis quibuſuis Catholicis; debuerunt enim iſti habere formam & normam aliquam per quam poſſent facilè fidem ſuam explicitè profiteri; hæc autem forma

Digitized by Google

eſt Symbolum Apoſtolorum ex doctrina Patrum, quos citauimus in antecedentibus. Ità docent communiter omnes cum D. Thoma art. 8. & 9. huius quæſt. & Sententiarij aliqui in 3. diſt. 23. & 24.

Obijcies, ſi Symbolum hoc haberet ortum ab Apoſtolis, computaretur inter libros Canonicos, quemadmodum & opera ab eiſdem poſteritati commendata, vel ſaltem legeretur in ſacris Scripturis ab ipſis conſcriptis; at neutrum fit: ergo non fuit ab Apoſtolis compoſitum.

Reſpondeo negando primam illationem: libri quippe Canonici à Spiritu ſancto fuerunt proximè & immediatè dictati, vt docetur 2. Petr. cap. 1. 2. Petr. 1. ℣. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines.* Symbolum autem Apoſtolorum non fuit dictatum proximè & immediatè à Spiritu ſancto, ſed ab Apoſtolis ipſis. Deinde, libri Canonici continentur in codice Bibliorum ſacrorum, vt colligere licet ex Trident. in decreto de libris Canonicis. Trident. Denique, iuſtiſſimis de cauſis noluerunt Apoſtoli ſcripto tradere ſuum Symbolum, vt obſeruat Hieron. epiſt. citata ad Pammachium, & Ruffinus Aquileienſis Epiſcopus in expoſitione Symboli, aliique nonnulli. Hieron.

Reſpondeo 2. negando illationem ſecundam; neque enim omnia quæ fecit Chriſtus & Apoſtoli, referuntur in ſacris codicibus; ſed ea tantùm quæ Spiritus ſanctus credidit eſſe neceſſaria ad hominum ſalutem, & ad rectam Eccleſiæ gubernationem.

Obijcies, D. Thomam art. 8. quatuordecim admittere articulos in Symbolo Apoſtolorum: ergo non potuit hoc Symbolum habere ortum ab Apoſtolis; fuerunt enim iſti tantùm duodecim.

Reſpondeo D. Thomam ibidem probare eorum opinionem, qui duodecim tantùm admittunt articulos. Deinde, duo alij articuli vltra duodecim, ad duos alios ex duodecim facilè reuocantur, vt colligere licet ex littera D. Thomæ, cùm omnes illi articuli vel ſint de diuinitate, vel de humanitate Chriſti.

A Nicæno optimè poſitis articuli. Conclvsio 2. *Articuli fidei ſunt rectiſſimè diſpoſiti, & explicati in Symbolis Concilij Nicæni, & D. Athanaſij.* Primùm, quia docet S. Doctor art. vltimo huius quæſt. pertinere ad ſummum Pontificem explicare fidei articulos, eóſque proponere credendos: at Concilium Nicænum fuit coniunctum cum Pontifice Maximo quando ab eo tale Symbolum eſt editum, & præterea propoſitum credendum cunctis Chriſti fidelibus.

Deinde, nequit Eccleſia errare coniuncta cum Pontifice Maximo, vt docuimus in antecedentibus; atqui Symbolum hoc habet ortum ab Eccleſia: ergo fuit optimè diſpoſitum, & explicatum.

Denique, authoritas Symboli Athanaſij non ab illo, ſed ab Eccleſia venit repetenda; atqui Symbolum Athanaſij proponitur legendum & credendum authoritate Eccleſiæ cunctis fidelibus: ergo rectè ordinarum cenſeri debet: Ità docent omnes ad hunc locum, & in 3. diſt. 23. 24. & 25.

Obiectio. Obijcies, in Symbolo Nicæno ſaltem ea ratione qua legitur in ſacrificio Miſſæ, extare particulam iſtam, *Credo in Eccleſiam ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam*: ergò datur aliquid non ita bene poſitum in hoc Symbolo; particula enim, *In*, vnionem ſignificat cum capite noſtro, & tendentiam in vltimum finem noſtrum ſupernaturalem, quæ tamen duo dici non poſſunt de Eccleſia.

Solutio. Reſpondeo, non deeſſe qui putent, expungendam eſſe particulam iſtam, *In*, ab iſto articulo, idque propter rationem explicatam in probatione conſecutionis iſtius obiectionis: ità ſentit Ruffinus in explicatione Symboli, & D. Auguſt. ſerm. 115. de tempore, & tract. 54. in Ioan. ait enim rectè dici, nos credere Apoſtolo, non autem in Apoſtolum: & Leo referente D. Thoma in 3. diſt. 25. & ſanctus Doctor art. 9. huius quæſt. ad 5. D. Auguſt. Rectiùs tamen illi qui contrariam ſequuntur opinionem, extat enim particula iſta, *In*, in vetuſtiſſimis exemplaribus huius Symboli. Deinde, poteſt hæc habere legitimum ſenſum: idem enim eſt, *Credo in Eccleſiam*, ac, *Credo in Spiritum ſanctum*, qui ſanctificat Eccleſiam, qui ſenſus à nullo planè Catholico negari poteſt; Spiritus enim ſanctus cenſetur eſſe author omnis bonitatis repertæ in creaturis: ità ſentire videntur Epiphanius in fine ſui Ancorati. Hieron. in Commentarijs epiſt. D. Pauli ad Philem. imò & D. Thomas loco proximè cit. licèt probabiliorem exiſtimet lectionem contrariam. Epiphan. Hieron.

Particula Filióque à quo addita. Aduerte particulam, *Filióque*, non eſſe additam Symbolo iſti, nec à Concilio Nicæno, nec à Conſtantinopolitano, neque etiam à Damaſo I. quod crediderunt Genebrardus in Symbolum Athanaſij, & Ioan. Steph. Durantus lib. 2. de ritibus Eccleſiaſticis, cap. 24. ſed ſolùm à Gregorio IV. vt obſeruarunt aliqui recentiores, qua de re legendus eſt Baron. tom. 3. ſuorum Annalium ad annum 340. Baron.

Satisfit rationibus contrarijs. Ad rationes verò dubitandi initiò propoſitas reſpondeo. Ad 1. articulum iſtum, *Credo Deum eſſe remuneratorem bonorum omnium operum*, contineri in Symbolo Apoſtolorum, non quidem formaliter & expreſsè, ſed tantùm implicitè; nec enim poteſt negari, quin hic contineatur in iſto articulo, *Credo vitam æternam*; eſt enim vita æterna merces debita bonis operibus noſtris, vt colligitur ex cap. 4. 2. ad Timoth. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo reposita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex; non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius.* 2. Tim. 4. ℣. 7. & 8. & Hebr. 6. *Non enim iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri,* Hebr. 6. ℣. 10. *& dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius*: at corona iſta, nihil eſt aliud quàm vita æterna, vt manifeſtè colligitur ex cap. 17. Ioan. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum,* Ioan. 17. ℣. 3. *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* & Geneſ. 15. *Ego protector tuus ſum. & merces tua magna nimis.* Geneſ. 15. ℣. 1.

Ad 2. Reſpondeo neceſſitatem baptiſmi, & pœnitentiæ ſatis exprimi in Symbolo Apoſtolorum in hoc articulo: *Credo remiſſionem peccatorum*, nec enim aliter peccata remittuntur de lege, quàm per ſuſceptionem baptiſmi, aut pœnitentiæ in re, vel in voto, vt dicetur in tractat. de ſacramentis.

Quantùm verò ad Euchariſtiæ neceſſitatem, conſtanter affirmo ſacramentum hoc non eſſe neceſſarium neceſſitate medij, ſed tantùm neceſſitate præcepti, & quidem in ordine tantùm ad adultos: non eſt autem neceſſitas iſtius ſacramenti explicata in Symbolo Apoſtolorum, quia aliunde diſtinctiſſimè fuit cognita à primis Chriſtianis, quibus dabatur communio ſanctiſſimi ſacramenti ſingulis diebus, vt colligitur ex Actuum cap. 2. Actu. 2. *Erant autem perſeuerantes in communicatione fractionis panis*: vbi nomine *Fractionis panis*, ſignificatur

1. Cor. 10. ℣. 16. ſumptio ſacramenti Euchariſtiæ, ex 1. Corinth. 10. *Panem quem frangimus nonne participatio corporis Domini eſt?* idem docent interpretes ad hunc locum. Addo tamen non deeſſe qui putent iſtius ſacramenti neceſſitatem fuiſſe explicatam in articulo primo Symboli, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

Ad vltimam dico, nomine articuli fidei ſignificari veritatem reuelatam à Deo, per quam tendimus in eum velut in vltimum finem noſtrum, ſi ſermo ſit de articulis fidei noſtræ, qui primò & per ſe pertinent ad fidem Catholicam; ſecus tamen dicendum de illis, qui ſpectant ad eamdem per accidens: iſti enim omnes ſunt de re aliqua creata, prout tamen hæc eſt à Deo reuelata, atque adeò, vt dicit aliquem ordinem ad Deum; huius autem generis ſunt articuli iſti, Communio Sanctorum, dies iudicij, & ſimiles. Plura de iſtis Symbolis vide apud Genebrardum, & Ioannem Stephanum Durantum locis cit.

ARTICVLO VLTIMO docet, ordinare Symbolum fidei pertinere ad ſummum Pontificem, qua de re non poteſt eſſe difficultas ſuppoſitis ijs quæ in ſuperioribus allata ſunt.

QVÆSTIO SECVNDA.

De actu interno fidei.

ARTICVLVS PRIMVS.

An credere ſit cum aſſenſione cogitare.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum conuenienter diſtinguantur actus fidei per hoc quod eſt credere Deo, Deum, & in Deum.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit actus internus fidei noſtræ.

RESPONDET S. Thomas art. 1. huius quæſt. actum fidei noſtræ nihil aliud eſſe, quàm cum aſſenſione cogitare, *Ipſum credere nihil eſt aliud quam cum aſſenſione cogitare:* quam definitionem ſumpſit ex D. Auguſt. lib. de prædeſt. ſanctorum, cap. 2. in qua *Aſſenſio*, locum habet generis; per hanc enim particulam, conuenit actus internus fidei noſtræ, cum aſſenſu propheticæ, ſapientiæ, ſcientiæ, & alijs ſimilibus: particula autem *Cogitare*, rationem habet differentiæ, vtpote qua diſtinguatur à prædictis aſſenſibus; non enim datur in illis cogitatio, ſeu inueſtigatio de mediis, quibus moueatur aliquis ad eliciendum actum ſapientiæ, ſcientiæ, vel prophetiæ, ſed aſſenſus in iſtis conſequitur ſinè vlla perquiſitione mediorum: aſſenſus autem fidei nuſquam eſt ſinè inueſtigatione mediorum quibus mouemur ad illum producendum. Ità communiter Thomiſtæ hoc loco. Ceteri tamen Theologi naturam actus interioris fidei magis explicant: aiunt enim actum internum fidei, nihil eſſe quàm operationem immanentem intellectus, & imperatam à voluntate per quam aſſentimur rebus à Deo reuelatis obſcurè, & propoſitis credendis authoritate Eccleſiæ. In hac autem definitione, *Operatio*, ſe habet vt genus, omnis namque actus tranſiens, aut immanens cenſetur eſſe operatio aliqua; reliquæ verò particulæ locum obtinent differentiæ, cùm per illas ſeiungatur actus fidei, ab actibus productis à nobis, vel ab Angelis, vt facilè colligi poteſt ex his quæ docuimus de obiecto materiali & formali fidei, in ſuperioribus.

Ex his colliges hæreticos noſtri temporis toto cœlo aberrare, quando dicunt actum internum fidei noſtræ, nihil aliud eſſe, quàm perſuaſionem de peccatis remiſſis per Chriſtum, vel non imputatis nobis, propter iuſtitiam Chriſti: quemadmodum enim docent fidem eſſe fiduciam diuinę bonitatis gratuitò, & liberaliter remittentis peccata, vel non imputantis per Chriſtũ; ità dicunt perſuaſionem, qua quis certò & indubitanter affirmat peccata ſibi eſſe remiſſa, vel non imputata per Chriſtum, eſſe actum fidei noſtræ internum; vnde conſequenter aſſerunt fidem eſſe actum productum à voluntate, non autem ab intellectu quod nullo modo poteſt defendi. Primùm, quia fides cenſetur eſſe virtus intellectus, vt conſtat ex Patribus: D. Auguſt. lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 2. & 15. vbi ait fidem eleuare intellectum vt poſſit elicere actus fidei.

Inanis perſuaſio hæreticorum.

D. Auguſt.

Deinde, docent SS. Patres fidem non eſſe in voluntate, ſed in intellectu: ità Ambr. ad cap. 4. Rom.

Ambroſ.

Tertiò, explicatur fides in ſacris litteris nominibus pertinentibus ad intellectum 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* & 2. ad eoſdem 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

1. Cor. 13. ℣. 12. 2. ad eoſd. ℣. 5.

Denique, fides cenſetur eſſe virtus mentis ex communi Theologorum doctrina; cùm ſuppeditet principia, ex quibus Theologia ſuas omnes deducit Concluſiones: Non eſt tamen negandum, quin omnis actus fidei pendeat liberè à voluntate, ceterùm imperatiuè tantùm: & ità docent communiter omnes hoc loco cum Patribus, Ambroſ. ad locum cit. *Credere autem, aut non credere, voluntatis eſt. Neque enim quis cogi poteſt ad id quod manifeſtum non eſt, ſed inuitatur; quia non extorquetur, ſed ſuadetur. Quam ob rem aſſentiens premijs afficiendus eſt, ſicut & Abraham qui quod non vidit credidit.* idem ait Auguſt. cap. 5. de prædeſtinatione Sanctorum. *Non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino, ideo ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt pertinet.* Elicitiuè verò actus fidei in ſolo intellectu ſedem habet.

Ambroſ.

D. Auguſt.

Dices, ſi ità res haberet ſequeretur duos eſſe actus fidei, alius namque in intellectu, alius in voluntate reciperetur; quod non videtur rectè dictum. *Obiectio.*

Reſpondeo negando illationem; actus enim immanens recipitur tantùm in eo ſubiecto à quo exit; actus autem fidei internus exit à ſolo intellectu, licet ex imperio voluntatis producatur; eodem modo quo deambulatio verbi gratia recipitur *Solutio.*

tur in potentia motrice, & viſio in oculo, & tamen actiones iſtæ producuntur ex imperio voluntatis, cùm hæc ſit omnium planè operationum domina: ità dicendum eſt de actu fidei, quòd ſcilicet recipiatur in ſolo intellectu, etſi pendeat imperatiuè à voluntate.

DVBITATIO SECVNDA.

Quotuplex ſit actus fidei.

Diuiſio actus fidei in triplex membrum. D. Auguſt.

REſpondet D. Thomas, *Actum fidei rectè dici credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.* Ità art. 2. huius quæſt. & Magiſter in 3. diſt. 23. poſt D. Auguſt. tract. 29. in Ioan. & ſermone 61. de verbis Domini: quam diuiſionem colligit ſanctus Doctor art. 2. huius quæſt. in corpore, ex triplici habitudine, ſeu conſideratione, quæ datur in obiecto fidei: hoc ſiquidem conſideratur materialiter & formaliter, & prout intellectus tendit in illud ex pio voluntatis affectu: ex illa conſurgit actus hic, *Credo Deum*: Deus enim eſt obiectum materiale quod creditur, quódque terminat actum noſtrum credendi proximè, & immediatè: ex hac verò conſurgit actus, *Credo Deo*: ratio namque formalis per quam aſſentimur rebus omnibus à Deo reuelatis, & propoſitis credendis authoritate Eccleſiæ eſt prima veritas reuelans ſe & alia obſcurè, vt probatum eſt ſupra: ex tertia denique conſurgit actus, *Credo in Deum*: mouetur enim intellectus ad aſſentiendum rebus à Deo reuelatis ex pio volútatis affectu, adeò vt is dicatur credere in Deum, qui rebus fidei adhæret ex affectu pietatis & charitatis, ſeu quod idem eſt, dilectionis ſupernaturalis. Auguſt. verò citatus ait credere Deum nihil aliud eſſe, quàm certò exiſtimare quòd Deus ſit: Credere verò Deo, aſſentiri rebus omnibus à Deo dictis certiſſimè, & indubitanter; Credere tamdem in Deum, ex affectu dilectionis tendere in Deum.

Non eſt autem exiſtimandum tres iſtos actus diſtingui ſemper inter ſe realiter vt volucrunt aliqui; nam qui credit in Deum, credit etiam neceſſariò ſimul & ſemel & Deo & Deum. Deinde, illi actus diſtinguuntur realiter, qui ab inuicem ſeparati poſſunt exiſtere; at tres iſti actus non ſemper ab inuicem ſeparantur, vt conſtat ex ratione ſuperiori, & item ex eo quòd actus, *Credo Deo*, nuſquam detur quin conſurgat etiam actus, *Credo Deum*.

Diuiſio actus fidei Scholaſticis familiaris non autem Scripturæ. Rom. 4. ℣. 3.

Eſt verò obſeruandum diſtinctionem à nobis traditam inter actus, Credo Deo, & in Deum, vſurpari à Doctoribus Theologis Scholaſticis, ſecus enim habet ratio loquendi Scripturæ ſacræ, Rom. 4. *Credidit Abraham Deo*, & tamen certum eſt Abrahamum ex affectu charitatis credidiſſe: diſtinctio ergo hæc ſolùm tenet iuxta vſum & conſuetudinem loquendi Theologorum, non autem Scripturæ ſacræ.

DVBITATIO TERTIA.

Qualis ſit actus internus fidei diuinæ.

Actus fidei inuidens.

CONCLVSIO 1. *Actus fidei inuidens eſt & obſcurus.* Primùm, quia quælibet cognitio fidei diuinæ eſt intrinſecè & formaliter obſcura: vnde & ænigmatica dicitur 1. Corinth. 13. *Hebr. 11. ℣. 1.* ℣. 12.

Deinde, definitur fides à Paulo Hebr. 11. *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.*

Tertiò, actus fidei opponitur actui viſionis.

Quartò, omnis actus imitatur naturam illius habitus, à quo elicitur; at habitus fidei in ſe eſt inuidens & obſcurus: ergo & actus fidei.

CONCLVSIO 2. *Actus internus fidei eſt veriſſimus & indubitatus.* Primùm, quia fieri nequit vt fides inclinet ad falſum, ſed tantùm ad verum, vt oſtendimus. *Actus fidei veriſſimus.*

Deinde, actus fidei nititur teſtificationi primæ veritatis veluti ſuo principio formali; atqui prima veritas neminé fallere, nec etiam ipſa falli poteſt, cùm ſit & infinitè ſapiens, & infinitè bona: ergo omnis actus fidei eſt verus.

CONCLVSIO 3. *Actus fidei non eſt neceſſarius, ſiue non producitur neceſſario.* Primùm, quia diximus elici ab intellectu, & imperari à voluntate.

Deinde, quilibet actus fidei poteſt eſſe meritorius, putà ſi fuerit factus in gratia & charitate.

Tertiò, vita æterna comparatur actibus ſpei, & charitatis, & cuiuſlibet alterius virtutis per ſe infuſæ, atqui hi non neceſſariò, ſed liberè à nobis eliciuntur: ergo idem aſſerendum eſt de fidei actu.

CONCLVSIO 4. *Actus fidei non eſt diſcurſiuus*: diſcurrere enim eſt vnum ex alio colligere, & per aliud intelligere: at actus fidei non intelligit vnum per aliud, ſed ſola teſtificatio diuina eſt principium formale aſſentiendi, vt conſtat ex dictis quæſt. antecedente: ergo non eſt diſcurſiuus. *Actus fidei minimè diſcurſiuus.*

Deinde, licèt vnus articulus colligatur interdum ex alio, non tamen ratio iſta colligendi facit vt articulus poſterior cognoſcatur ex vi cognitionis prioris, ſed cognoſcitur per ſolam teſtificationem diuinam, veluti per principium formale cognoſcendi.

Denique, credere nihil aliud eſt quàm cum aſſenſione cogitare: aut, eſt operatio elicita ab intellectu & imperata à voluntate, per quam aſſentimur rebus à Deo reuelatis & propoſitis credendis authoritate Eccleſiæ; at operatio iſta de facto fit ſinè vllo diſcurſu: ad iſtam enim ſufficit quòd proponatur aliquis articulus de fide, & quòd dicatur huiuſmodi articulum eſſe à Deo reuelatum, & authoritate Eccleſiæ propoſitum, his namque poſitis, ſtatim aſſentimur articulo propoſito. Confirmatur: Diſcurſus per accidens tantùm concurrit ad actum fidei producendum interdum & aliquando, nunquam per ſe & neceſſariò.

CONCLVSIO 5. *Actus fidei ſupernaturalis eſt, nedum ex modo tendendi in ſuum obiectum, verum & ſecundum ſuam ſubſtantiam.* Primùm, quia ſacra Concilia definiunt neminem poſſe credere, ſperare, & diligere ſicut oportet ſinè ſpeciali Dei auxilio: ità Trident. ſeſſ. 6. can. 3. *Actus fidei ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam.* Trident.

Deinde, initium cuiuſlibet actus fidei eſt repetendum à gratia ſpeciali Dei, vt docet Arauſic. II. can. 5. & 7. & Mileuit. can. 4. Arauſican. Mileuitan.

Tertiò, ſancti Patres docent fidem eſſe donum Dei. ità D. Auguſt. de prædeſt. cap. 2. & lib. 1. Retract. cap. 23. & epiſt. 105. Proſper Aquit. lib. 1. de vocatione gentium, & Fulgentius lib. 1. de Incarnatione Chriſti cap. 20. D. Auguſt. Proſper. Fulgent.

Quartò, Ioan. 6. dicitur. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*: atqui loquitur illic de acceſſu qui fit per fidem, vt conſtat ex ſequentibus: *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* & explicant ibidem Patres Ioan. 6. ℣. 44. Ibid. ℣. 45.

Digitized by Google

communiter. 2. Corinth. 4. dicitur. *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu*: at illuminatio iſta cenſetur per fidem facta, interprete Auguſtino lib. 1. contra aduerſarium legis, cap. 8. 2. Cor. 4. v. 6.

Quod autem actus fidei ſit ſupernaturalis, nedum ex modo tendendi, ſed & ſecundùm ſuam ſubſtantiam probatur, quia obiectum fidei cenſetur eſſe Deus, & ea quæ ad eiuſdem naturam & eſſentiam pertinent, prout tamen hæc ſunt à Deo reuelata obſcurè, & ab Eccleſia propoſita; at hæc omnia ſunt ex ſe & ſua natura ſupernaturalia, neque enim poſſunt ab vlla re creata relicta intrà terminos ſuæ naturæ, cognoſci quidditatiuè: ergo cùm eſſentia cuiuſlibet actus petatur à ſuo obiecto, vel à modo tendendi in illud, actus fidei erit ſecundùm eſſentiam ordinis ſupernaturalis. Deinde, idem eſt iudicium de actu fidei, quod de actibus ſpei & charitatis; at certum eſt actus ſpei & charitatis eſſe ex ſe, & ſua natura ſupernaturales, vtpote quæ ſint virtutes per ſe infuſæ ordinis ſupernaturalis: ergo cùm quilibet actus ſequatur naturam habitus à quo exit, & fides ſit virtus ſupernaturalis ex ſua natura, idem vtique dicendum erit de quolibet actu fidei.

Obiectio. Obijciunt Nominales, nihil eſſe in actu fidei diuinæ, quod non ſit in actu fidei humanæ, quando duo iſti actus verſantur circa vnum & idem planè obiectum: ergo falſum eſt actum fidei eſſe ſupernaturalem ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſubſtantia quippe cuiuſlibet actus petitur ab obiecto.

Solutio. Reſpondeo negando antecedens; actus enim fidei diuinæ verſatur circa obiectum, quod eſt ordinis ſupernaturalis ſemper, ſaltem ſi ſermo ſit de principali eius obiecto; hoc enim eſt Deus reuelatus ſecundũ attributa abſoluta & relatiua, hæc autem nequeunt intelligi ab vlla planè re creata relicta intrà terminos propriæ naturæ ſed deſideratur ad idſpecialis aliqua reuelatio diuina: at obiectum fidei humanæ, vt ſic, non eſt quid ſupernaturale, ſed res aliqua naturalis credibilis. Deinde, quando obiectum aliquod naturale creditur à nobis fide diuina, actus hic cenſetur eſſe ſupernaturalis ex modo tantùm tendendi; non autem ſecundùm ſubſtantiam: ergo quando fides diuina actualis verſatur, circa præcipuum ſuum obiectum, erit ſupernaturalis & ſecundùm ſubſtantiã & ſecundùm modum ſimul. In hac doctrina conueniunt communiter Doctores contra Nominales hoc loco, & in tract. de charitate: diſtinguunt enim dilectionem naturalem à ſupernaturali, quòd illa verſetur circa Deum diligendum, vt eſt author naturæ, & vt à nobis cognoſcitur naturaliter bonus; hanc verò eſſe contendunt eam, qua diligitur Deus vt ſummè bonus, propter ſemetipſum, & cetera omnia in ordine ad Deum, & quidem dependenter ab aliqua qualitate actuali, vel habituali ordinis ſupernaturalis.

Quæſtiuncula excitatur. Partis negantis argumenta. Rogabis, *An actus fidei diuinæ certior ſit quocumque actu demonſtrationis.* Ratio dubitandi eſt, quia omnis actus neceſſarius, videtur eſſe certior quolibet contingente, ille enim ità eſt vt non poſſit non eſſe; iſte verò poteſt eſſe & non eſſe: atqui omnis actus fidei diuinæ eſt contingens, cum pendeat à voluntate noſtra liberè operante, omnis autem actus demonſtrationis eſt neceſſarius ex illius definitione qua dicitur Habitus certus & euidens rei neceſſariæ per propriam cauſam: ergo actus fidei diuinæ non eſt certior quocumque actu demonſtrationis.

Deinde, omnis actus fidei diuinæ videtur eſſe coniunctus cum formidine, quam tamen excludit actus demonſtrationis: ergo &c.

Denique, propoſitio iſta, Deus eſt, computatur inter articulos fidei Catholicæ, ex cap. 11. Hebr. at hæc eadem numeratur inter propoſitiones demonſtratas, vt colligere licet ex Paulo cap. 1. Roman. & Ariſtot. lib. 11. & 12. Metaph. & 8. Phyſicorum; non poteſt autem dici propoſitionem hanc cognitam fide diuina ità eſſe certam, quemadmodum cùm demonſtratione cognoſcitur; neceſſitat enim demonſtratio intellectum noſtrum ad aſſentiendum concluſioni demonſtratæ; hoc autem non præſtat fides diuina, ſed eſt in arbitrio cuiuſlibet aſſentire vel diſſentire propoſitioni de fide: ergo non eſt certior fides alijs cognitionibus ſcientificis.

Certitudo obiectiua & ſubiectiua, Aduerte, certitudinem aliam eſſe obiectiuam, aliam ſubiectiuam; illa, nihil aliud eſt, quàm neceſſitas, ſeu infallibilitas quæ reperitur in obiectis credibilibus, vel ſcibilibus; hæc verò cenſetur eſſe firmitas, qua intellectus noſter adhæret obiectis creditis, vel ſcitis, de hac vtraque certitudine difficultas iſta eſt explicanda.

Actus fidei internus directus & reflexus. Aduerte 2. actum fidei diuinæ internum, eſſe duplicem, directum ſcilicet & reflexum; ille eſt qui proximè & immediatè verſatur circa obiectum credibile, cuius generis eſt cognitio huius propoſitionis, *Verbum diuinum eſt incarnatum*: hic verò cenſetur eſſe cognitio, ſeu iudicium quo, qui intelligit diuinum Verbum eſſe incarnatum, pronuntiat ſe nec falli nec decipi poſſe in cognitione quam habet de incarnatione diuini Verbi, idque quòd moueatur ad exercendam huiuſmodi cognitionem teſtificatione primæ veritatis, quæ nec falli, nec aliquem fallere poteſt.

Actus fidei actu ſcientiæ certior. Bernard. Conclvsio 1. *Actus fidei diuinæ certior eſt quocumque actu demonſtrationis, certitudine obiectiua.* Primùm, quia ità Patres: Bernard. epiſt. 190. ad Innocentium Papam. *Sed abſit, vt putemus in fide vel ſpe noſtra aliquid, vt is* (ſcilicet Abailardus) *putat, dubia æſtimatione pendulum, & non magis totum quod in ea eſt, certa ac ſolida veritate ſubnixum, oraculis & miraculis diuinitus perſuaſum, ſtabilitum & conſecratum partu Virginis, ſanguine Redemptoris, gloria reſurgentis.* & paulò poſt. *Scio cui credidi, & certus ſum, clamat Apoſtolus: & tu mihi ſubſibilas, fides eſt æſtimatio? tu mihi ambiguum garris, quo nihil eſt certius?* & tamdem concludit. *Non eſt fides æſtimatio, ſed certitudo.* & Chryſoſt. homil. 21. in epiſt. ad Hebr. ait fidem diuinam non eſſe fidem, niſi fuerit certior viſione noſtra. Chryſoſt.

Deinde, hoc idem videtur colligi ex pleriſque locis Scripturæ. 2. Petr. 2. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem cui benefaciſis attendentes.* & Luc. 21. *Cælum & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt.* in iſtis quippe locis fides anteponitur quibuſuis alijs medijs cognoſcitiuis, quantum ad certitudinem, quæ in illis deprehenditur: imò propter hanc cauſam Paulus cap. 1. ad Gal. dixiſſe videtur. *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* 2. Petr. 2. v. 19. Luc. 21. v. 33. Gal. 1. v. 8.

Denique, ille actus cognoſcitiuus certior eſt omni alio, qui nititur principio formali ceteris omnibus longè certiori; ab hoc enim principio repetenda eſt certitudo in omnibus medijs cognoſcitiuis; ſed actus fidei nititur principio formali

mali magis certò, quàm ſit vllum planè medium naturale cognoſcitiuum, cùm tale ſit teſtificatio primæ & increatæ veritatis: ergo erit quocumque alio certior: Ità omnes S. Doctoris interpretes hoc loco.

Certitudine ſubiectiua certior actus fidei.

CONCLVSIO 2. *Actus fidei cenſetur eſſe certior certitudine ſubiectiua quocumque actu cognoſcitiuo ordinis naturalis.* Primùm, quia quilibet Catholicus certiſſimè intelligit res de fide nedum eſſe veras, ſed etiam teſtificatas ab ipſomet Deo; atqui qui ſcit aliquid eſſe teſtificatum à Deo, magis certo adhæret rebus iſtis teſtificatis ab ipſo, quàm vlli alteri rei; nouit enim certiſſimè & indubitanter Deum mentiri non poſſe, atque adeò nec in fauorem alicuius falſitatis teſtari; ergo actus fidei certitudine ſuam ex parte ſubiecti eſt certior omni actu cognoſcitiuo.

Deinde, ponito caſu in quo vel eſt neganda fides, vel vitæ iactura facienda hanc mauult Catholicus amittere quàm abalia vel tantillum recedere, vt conſtat ex martyribus, quos Tertullianus principes Eccleſiæ nominat in Apologetico, & item ex Confeſſoribus qui omnes planè profeſſionem fidei Catholicæ, vitæ temporalis conſeruationi longè prætulerunt: ergo ſignum eſt firmius adhærere intellectum rebus fidei, quàm alijs per habitum ſcientiæ cognitis.

Denique, traditæ ſunt à Philoſophis Ethnicis plures & diuerſæ propoſitiones, tamquam indubitatæ, quas reijciunt Catholici, propter authoritatem fidei diuinæ, cuiuſmodi ſunt; Accidens ſine ſubiecto non exiſtit: Virgo non parit: Vnum corpus nō eſt in pluribus locis adequatis: Subſtantia non diſtinguitur realiter ab eſſentia: Ex nihilo nihil fit: Vnius eſſentiæ vna eſt tantùm ſubſiſtentia, quarum tamen oppoſitæ ab omnibus Catholicis creduntur, vnde anteponimus certitudinem fidei authoritati omnium Philoſophorum, nec non cognitioni productæ dependenter à medijs cognoſcitiuis ordinis naturalis.

Obiectio.

Dices, credere nos aduentum Antichriſti, conflagrationem vniuerſi, & alia, quæ tamen non ità ſunt obiectiuè certa, vt certum eſt Solem lucere, ignem calefacere & ſimilia: ergo non omni cognitione ordinis naturalis eſt fidei actus certior.

Solutio.

Reſpondeo, ex iſtis tantùm colligi inter obiecta ſecundaria & per accidens fidei Catholicæ extare aliqua, quæ ſunt minùs certa certitudine obiectiua, materialiter tamen ſpectata, quàm ſint aliqua ex ijs quæ cognoſcuntur à nobis naturaliter; minimè verò ſi ſermo ſit de obiectis per ſe fidei Catholicæ: computantur autem inter iſta obiecta omnia attributa abſoluta & reſpectiua diuina à Deo nobis reuelata. Secundò, certitudo obiectiua fidei nedum petitur ab obiecto materiali, ſed & à formali; hæc autem cenſetur eſſe in omnibus omnino rebus creditis teſtificatio primæ veritatis, quæ proinde maiorem inducit certitudinem obiectiuam, quàm faciat vllum planè medium cognoſcitiuum naturale.

Satisfit argumentis contrarijs.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. negando propoſitionem maiorem; certitudo namque alicuius actus ab obiecto eiuſdem, nedum materiali, ſed & formali petitur: obiectum autem formale actus fidei eſt prima veritas reuelans ſe, & alia obſcurè, ità vt ratio aſſentiendi iſtis omnibus ſit prima veritas, qua nihil certius dici, aut cogitari poteſt, non ergo actus fidei licèt pendeat à voluntate noſtra libere operãte, & verſetur circa obiectum aliquod creatum contingens) erit minùs certus, quàm ſit actus demonſtrationis, cùm certitudo iſtius, vtpote quæ à vi formæ ſyllogiſticæ repetitur, nequeat eſſe tanta, quantam inducit primæ veritatis increatæ teſtificatio. Reſpondeo 2. ex hoc argumento ſolum poſſe colligi nos faciliori negotio diſſentire ijs quæ ſunt de fide Catholica, vbi propoſita fuerint credenda, quàm diſſentiamus ijs, quæ per veram demonſtrationem concluduntur, quod vltrò fatemur. Ex his autem colligitur tantùm concluſionem quamlibet demonſtratam eſſe magis euidentem nobis, quàm ſit vlla planè res, quæ proponitur credenda; non autem quòd concluſio demonſtrata ſit certior vllo planè fidei actu.

Ad 2. In actibus fidei nullam dari formidinem, ſaltem ſi comparentur cum principio formali, quod eſt prima veritas, quæ nec falli, nec fallere poteſt.

Ad vltimam. Propoſitionem iſtam, Deus eſt, duobus modis intelligi à nobis, per fidem ſcilicet, & per veram demonſtrationem: primo modo certior eſt ſeipſa, prout cognoſcitur per demonſtrationem; neque hoc mirum, cùm hæc mutuetur ſuam certitudinem à teſtimonio primæ veritatis quæ cum ſit increata, tantam inducit certitudinem, vt nulla poſſit eſſe maior: aliam verò certitudinem mutuatur hæc propoſitio à forma demonſtrationis, quæ verè finita eſt, atque adeò & minorem infert certitudinem.

ARTICVLVS TERTIVS.

An credere aliquid ſupra rationem naturalem, ſit neceſſarium ad ſalutem.

RESPONDET D. Thom. affirmatiuè, quod nempe homo ordinetur in viſionem claram diuinæ eſſentiæ, veluti in ſuum finem ſupernaturalem; hic autem finis nec intelligi nec obtineri poteſt abſque aliquo auxilio ordinis ſupernaturalis, quale eſt fides omnium conſenſu.

ARTICVLO 4. Quærit vtrùm credere ea quæ ratione naturali probari poſſunt ſit neceſſarium. Reſpondet affirmatiuè, & hoc ſcilicet vt firmiùs, & facilìùs & citiùs cognoſcatur Deus, tamquam author naturæ: deinde vt cognitio iſtorum ſit magis communis & indubitata.

ARTICVLO 5. Vtrùm homo teneatur credere aliquid explicitè. Reſpondet explicitè obligari vnumquemque ad credendos omnes articulos fidei: quæ verò continentur in ſacris litteris ſunt omnibus credenda implicitè tantùm, vel vt ipſe loquitur in præparatione animi.

ARTICVLO 6. Vtrùm omnes ex æquo teneantur ad habendam fidem explicitam. Reſpondet ſuperiores obligari ad plura explicitè credenda, quàm inferiores, vtpote qui ſint ab illis in rebus de fide erudiendi.

ARTICVLO 7. Vtrùm explicitè teneamur credere myſterium Incarnationis, ità vt hoc ſit de neceſſitate ſalutis apud omnes. Reſpondet affirmatiuè, idque quòd à Deo fuerit conſtitutum ex omni æternitate, neminem niſi per Chriſtum eſſe ſaluandum.

ARTICVLO 8. Quærit vtrùm credere ex-

plicitè Trinitatem ſit de neceſſitate ſalutis. Reſpondet affirmatiuè.

Difficultates quæ iſtis Articulis proponuntur à D. Thoma ſequentibus Dubitationibus explicabuntur.

DVBITATIO PRIMA.

An ſit aliquod præceptum de credendo, ſiue, An teneamur elicere actum fidei interni & externum.

Obligamur ad credendū aliqua. Marc. 16. ℣. 15 & 16. Ioan. 3. ℣. 18. Matth. 10. ℣. 33. Luc. 9. ℣. 26.

CONCLVSIO eſt affirmatiua: dicitur enim Marc. 16. *Euntes in mundum vniuerſum praedicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* & Ioann. 3. *Qui non credit, iam iudicatus eſt.*

Deinde, de fide non abrē gunda opere externo ſcribitur Matth. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* & Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.*

Ioan. 3. ℣. 5. Luc. 13. ℣. 5. Hebr. 11. ℣. 6. Iſai. 7. ℣. 9.

Tertiò, propterea dicimus dari præceptum de baptiſmo ſuſcipiendo, quia dicitur Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* & de penitentia, quia dicitur Luc. 13. *Si penitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* at dicitur de fide Hebr. 11. *Sinè fide impoſſibile eſt placere Deo.* & Iſai. 7. *Si non crediderit is, non intelligetis.* iuxta verſionem Septuaginta, id eſt niſi crediderit is, nuſquam cognoſcetis neceſſaria ad ſalutem veſtram obtinendam: neque refert in editione vulgata legi, *Non permanebitis.* idem quippe poſſunt verba iſta ſignificare, atque illa (non intelligetis) adeò vt ſenſus ſit niſi crediderit is, non permanebitis, id eſt, non dabitur in vobis firma & conſtans cognitio eorum, quæ conducunt ad ſalutem conſequendam.

Obiectio. 1. Cor. 12. ℣. 3.

Denique, de omni re ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem datur aliquod præceptum, vt habet axioma apud Theologos: at fides actualis in omnibus adultis eſt magis neceſſaria ad ſalutem, quàm ſit baptiſmus, aut penitentia, vt probabitur infra. Ità omnes cum D. Thoma art. 5. huius quæſt.

Obijcies, præcepta eſſe de rebus poſitis in noſtra poteſtate, credere autem myſteria fidei Catholicæ, non eſt huiuſmodi, etenim, *Nemo poteſt dicere, Domine Ieſu, niſi in Spiritu ſancto*, ex Paulo: ergo.

Solutio. Phil. 4. ℣. 13.

Reſpondeo, neminem obligari ad credendum, aut ad eliciendum actum fidei diuinæ, niſi ſuppoſita diuina reuelatione, & debita applicatione credendorum, quibus poſitis, nullus poteſt ab actu fidei eliciendo reſilire, ſed tenetur rebus de fide aſſentiri; habet enim præſentiſſimum Dei auxilium cum quo actum fidei exercere poteſt ex illo: *Omnia poſſum in eo qui me confortat*, &c.

Præceptum fides ſupernaturale eſt.

Eſt autem obſeruandum, præceptum de credendo eſſe ſupernaturale, tum quia fides diuina eſt virtus per ſe infuſa: deinde, quia diximus art. 2. huius quæſt. cum D. Thoma, fidem vnire nos Chriſto veluti capiti noſtro, & ordinare nos in Deum tamquam in vltimum finem ſupernaturalem: tum denique, quia natura & eſſentia cuiuſlibet præcepti petitur à ſuo obiecto, vel à modo tendendi in illud; obiectum autem per ſe fidei cenſetur eſſe Deus reuelatus, & principium formale teſtificatio primæ veritatis quæ duo ſunt ſupernaturalia.

DVBITATIO SECVNDA.

An cognitio naturalis de Deo, & cultus eidem redditus ex dictamine rectæ rationis ſufficiant ad primam vel ſecundam ſalutem obtinendam: An verò deſideretur cognitio alicuius rei, quæ ſit ſecundum ſuam ſubſtantiam ſupernaturalis.

Partis affirmantis auctores.

DVæ ſunt hac de re ſententiæ: Prima contendit ſufficere ad primam vel ſecundam ſalutem conſequendam cognoſcere Deum eſſe naturaliter, & item perſoluere eidem cultum debitum, ex præſcripto iſtius cognitionis naturalis, modò tamen detur ignorantia inuincibilis eorum quæ ſunt fidei Catholicæ. Ità Andræas Vega lib. 6. in Concil. Trident. cap. 17. 19. & 20. Franciſcus à Victoria in relectione de eo ad quod teneatur homo cùm primùm peruenit ad ætatem rationis, eamdem putat probabilem Sotus, referente Peſantio diſp. vnica ad art. 4. huius quæſt. & Abulenſis ad cap. 2. Geneſ. & ad cap. 5. lib. 4. Reg. quæſt. 20. refert pleroſque in hac eadem eſſe ſententia.

Fundamenta. 1. Tim. 2. ℣. 4.

Probant primùm, quia certum eſt Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; at hæc dici non poſſunt ſi ſola cognitio naturalis, quæ de Deo habetur, & cultus ei perſolutus ex dictamine rectæ rationis ad ſalutem non ſufficiunt; dantur ſiquidem innumeræ gentes, & item variæ & diuerſæ nationes, in quibus nihil hactenus fuit auditum de fide Chriſti: imò fatentur plerique Theologi dari ignorantiam inuincibilem myſteriorum fidei noſtræ in innumeris propemodum hominibus: ergo defectus fidei non poteſt iſtis imputari ad culpam, atque adeò ſi fuerint ſequuti dictamen rectæ rationis conſequentur ſalutem primam & ſecundam.

D. Auguſt.

Deinde, in lege naturali extitit tantùm cognitio naturalis, quemadmodū & in Moſaïca eadem perſeuerauit cum cognitione præceptorum eiuſdem; at nulla fuit cognitio myſteriorum gratiæ in hac lege naturali, & tamen quamplurimi conſequuti ſunt ſalutem, vt probat D. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. cap. 47.

Matth. 19. ℣. 17.

Tertiò, interrogatus Chriſtus de rebus neceſſarijs ad ſalutem Matth. 19. reſpondet; *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*, ac proinde ſufficere ſi mandata Dei fuerint obſeruata: at præcepta decalogi cenſentur eſſe omnia iuris naturalis, vnde & naturaliter inueſtigari, atque etiam opere compleri poſſunt: ergo horum ſimilis obſeruatio erit ſufficiens ad gloriæ conſequutionem.

Quartò, D. Paulus cap. 11. Hebr. habet, ſufficere ad ſalutem credere quòd Deus ſit, & quòd ſit remunerator bonorum operum; at quilibet duo iſta naturaliter aſſequi poteſt: ergo & vitam æternam.

Iuſtinus. Chryſoſt. 1. Petr. 3.

Denique, SS. Patres docent Socratem, Heraclitum, & alios donatos eſſe beatitudine æterna: ità Iuſtinus Martyr Apolog. 2. pro Chriſtianis pag. 105. & 155. Chryſoſt. ad cap. 11. Matth. ait enim Chriſtum deſcendiſſe ad inferos & prædicaſſe ibidem exiſtentibus iuxta ea quæ habet Petrus epiſt. 1. cap. 3. & ad prædicationem iſtam pleroſque ex Philoſophis illic exiſtentibus fuiſſe conuerſos ad fidem Chriſtianam; ac tandem cœlos

Digitized by Google

ælos vnà cum Chriſto conſcendiſſe; certum autem eſt illos Philoſophos in hac vita exiſtentes cognouiſſe tantùm Deum naturaliter, & perſoluiſſe cultum eidem debitum ex præſcripto rectæ rationis; non autem ex dictamine fidei diuinæ, vt videtur colligi ex cap. 1. Roman. ergo &c.

Pars negãs. Secunda ſententia huic omni ex parte eſt oppoſita; quod vt facilius intelligatur. Obſeruandum eſt nomine primæ ſalutis nihil aliud, ſignificari hoc loco, quàm iuſtificationem ſiue tranſitum à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ: nomine verò ſecundæ ſalutis adeptionem beatitudinis æternæ, quam in clara & manifeſta viſione Dei poſitam eſſe concors eſt omnium Catholicorum ſententia.

Obſeruandum 2. difficultatem hanc intelligendam eſſe de ſolis adultis, quemadmodum & actualis cognitio in iſtis ſolis datur tam de rebus naturalibus, quàm ſupernaturalibus; paruulos enim poſſe conſequi ſalutem ſinè vlla cognitione actuali indubitatum eſt; modò tamen lauacro aliquo ſiue fluminis, ſiue etiam ſanguinis in odium Chriſti fuerint regenerati, vt patet ex Innocentibus ſanctis, quos Eccleſia veluti martyres agnoſcit, & veneratur.

Non ſufficit naturalis cognitio de Deo ad ſalutem. Hebr. 11. ỽ. 6. Ioan. 3. ỽ. 18. Marc. 16. ỽ. 16.

CONCLVSIO 1. *Cognitio naturalis de Deo, & perſolutio cultus ex præſcripto tantum rectæ rationis, non ſunt ſatis ad primam vel ſecundam ſalutem obtinendam in vllo planè ſtatu.* Primùm, quia Scripturæ frequenter docent fidem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem, Hebr. 11. Ioann. 3. & Marc. 16. ar nomine fidei nihil aliud ſignificatur in iſtis locis, quàm cognitio de rebus à Deo reuelatis, neceſſarijs ad ſalutem primam & ſecundam obtinendam: ergo illa eſt ſimpliciter neceſſaria.

Deinde, ſacra Concilia definiunt neminem poſſe credere, ſperare, & diligere ſicut oportet ſinè ſpeciali Dei auxilio: ità Tridentinum ſeſſ. 6. cano. 3. Mileuitano cano. 4. & Arauſicano II. per particulam autem (*Vt oportet*) intelligunt auxilia ordinis ſupernaturalis ad actus fidei, ſpei, & charitatis producendos neceſſaria; vnde conſequenter agunt de fide, ſpe, & charitate ſupernaturali, non autem de humana & naturali.

Tertiò, idem Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. docet fidem eſſe diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem obtinendam; gratia autem iſta eſt ſalus prima: ergo cùm diſpoſitio ſit eiuſdem ordinis cum ſua forma, ſicut gratia iuſtificans eſt res aliqua ſupernaturalis ſecundùm ſuam ſubſtantiam; idem erit dicendum de fide.

Confirmatur. Diſpoſitio neceſſaria de lege communi in omni adulto ad primam ſalutem aſſequendam, vel eſt attritio cum ſacramento, vel contritio perfecta, vel dilectio Dei ſuper omnia; at nullum ex iſtis poteſt habere locum in nobis ſinè ſpeciali Dei auxilio ordinis ſupernaturalis omnium conſenſu: ergo.

Fides alicuius rei ſupernaturalis ſimpliciter neceſſaria. Rom. 3. ỽ. 22.

CONCLVSIO 2. *Ad ſalutem primam & ſecundam obtinendam deſideratur in omni adulto credere aliquid quod ſit ſecundum ſubſtantiam ſupernaturale.* Primùm, quia Scripturæ docent neminem poſſe ſaluari vel iuſtificari à peccato, niſi per fidem Chriſti: ità Roman. 3. *Iuſtitia*

A *Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum.* & rurſus. *Iuſtificati* ỽ. 24. 25. & 26. *gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ in hoc tempore: vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Galat. 3. *Omnes filij Dei eſtis per fidem quæ eſt* Galat. 3. *in Chriſto Ieſu.* & ibidem. *Quoniam autem in* ỽ. 26. *lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt:* Ibid. ỽ. 11. *quia iuſtus ex fide viuit:* agit autem de fide in Chriſtum.

B Deinde, eadem cognitio eſt neceſſaria in nobis, quæ fuit neceſſaria Abraham, vt colligere licet ex Roman. 4. atqui certum eſt iſtum non fuiſſe iuſtificatum, niſi dependenter à cognitione aliqua ſupernaturali, de eo quippe dicitur; *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt* Geneſ. 15. *illi ad iuſtitiam.* Geneſ. 15. ỽ. 6.

Tertiò, Concluſio iſta traditur expreſsè à SS. Patribus: maximè verò à D. Auguſtino Auguſt. ſermone 38. de tempore, *Fides*, inquit, *eſt humanæ ſalutis initium. Sinè hac nemo ad conſortium filiorum Dei poteſt peruenire, quia ſinè ipſa nec in hoc ſeculo quiſquam iuſtificationis exequitur gratiam: nec in futuro vitam poſſidebit* C *æternam.* & 18. de Ciuitate, cap. 47. *Diuinitus prouiſum fuiſſe non dubito, vt ex hoc vno* (ſcilicet Iob) *ſciremus etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad ſpiritalem Hieruſalem. Quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui diuinitus reuelatus eſt vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui venturus in carne ſic antiquis ſanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis veniſſe nuntiatus eſt, vt vna, eadémque fides per ipſum omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædeſtinatos perducat ad Deum.* Idem repetit lib. octuaginta trium quæſtionum, quæſt. 68. de D corrept. & gratia cap. 2. & 1. Retractat. cap. 23. Ambroſius ad cap. 3. poſterioris ad Timoth. in fine, Hieronym. ad cap. 3. Epheſ. Proſper lib. 1. de vocatione gentium, cap. 23. & 24. Chryſoſt. hom. 32. in Ioann.. Ambroſ. Hieron. Proſper. Chryſoſt.

Denique, SS. Patres veteris Teſtamenti & legis naturalis non aliter conſequuti ſunt ſuam ſalutem, quàm dependenter à fide Chriſti, vt docent D. Auguſtinus libro de peccato originali, cap. 24. *Sinè fide vnius mediatoris*, inquit, *Dei & hominum, hominis Chriſti Ieſu, ſinè fide inquam reſurrectionis eius, quam Deus hominibus definiuit, qua vtique ſinè incarnatione eius ac morte non poteſt veraciter credi: ſinè fide ergo Incarnationis, & mortis, & reſurrectionis Chriſti, nec antiquos iuſtos vt iuſti eſſent à peccatis, potuiſſe mundari, & Dei gratia iuſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat, ſiue in eis iuſtis quos ſancta Scriptura commemorat, ſiue in eis iuſtis, quos quidem illa non commemorat, ſed tamen fuiſſe credendi ſunt, vt ante diluuiam, vel inde vſque ad datam legem, vel ipſius legis tempore, non ſolùm in filijs Iſraël, ſicut fuerunt Prophetæ, ſed etiam extra eumdem populum, ſicut fuit Iob.* & cap. 6. ait fidem in Chriſtum profuiſſe Patribus nondum etiam facta incarnatione, & lib. 18. *D. Auguſt. authorit.*

de Ciuitate, cap. 47. citato. & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 21. & lib. de natura & gratia, cap. 44. & epiſt. 89. ad Hilarium, quæſt. 3. & lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 11. & lib. 2. cap. 29. vbi duobus vltimis locis Pelagianos arguit hoc nomine, quòd aſſererent in lege naturali per ſolam cognitionem naturalem homines potuiſſe ſaluari: ità ergo loquitur lib. 1. cap. 14. *Sunt & fuerunt multi homines iuſti & imitandi, iuſtus autem & iuſtificans nemo niſi Chriſtus. Vnde dicitur: Credenti in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiam*, &c. loquitur autem verbis expreſſis de fide in Chriſtum. A

Euertuntur fundamenta contraria.

Ad rationes verò prioris ſententiæ reſpondeo. Ad 1. conceſſa maiori, negando minorem: Ad probationem autem oſtendere tantùm Deum negare prædicationem Euangelij pleriſque nationibus, quæ ſub cœlo ſunt; non autem alia omnia auxilia, quæ ſufficere poſſunt ad ſalutem promouendam; nam certum eſt perſeuerare in iſtis nationibus iudicium rationis, quod ſi ſequerentur, inſpiraret Deus eam cognitionem ſupernaturalem, quæ eſt illis neceſſaria ad ſalutem, vel per ſeipſum, occulta aliqua inſpiratione, vel per Angelum, vel mittendo Doctorem aliquem, quemadmodum factitatum fuit in Eunucho Actuum 8. & in Cornelio Centurione Actuum 10. & denique ſeculo præterito erga Indos, atque etiam in illis qui agunt in America, Magellanica, Mexicana regione, & ſic de alijs nationibus, quæ ſunt in altero hemiſphærio huius vniuerſi. Ad id verò quod ſubiungitur dari ignorantiam inuincibilem eorum, quæ ſunt fidei in innumeris propemodum hominibus: ſunt qui hoc negent, idque quòd D. Paulus affirmet fidem Chriſti ſuo tempore in toto terrarum orbe fuiſſe promulgatam: ità quippe ait Rom. 1. *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis: quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* & cap. 10. *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Verùm rectiùs illi qui docent dari ignorantiam inuincibilem fidei Chriſti in pleriſque mortalibus; licèt enim fateamur Euangelium Chriſti fuiſſe euulgatum apud omnes omnino orbis nationes, potuit tamen fides hæc temporum diuturnitate obliterari. Deinde, certum eſt ante 160. annos nihil planè fuiſſe auditum de nationibus exiſtentibus in alio hemiſphærio huius vniuerſi. Ad id verò quod inde colligunt, defectum fidei non imputari iſtis in quibus datur ignorantia inuincibilis fidei: dico huiuſmodi homines non ideò damnari; quòd non credant in Chriſtum; nemo quippe peccat in ijs quæ vitare non poteſt, defectus autem fidei non potuit vitari ab iſtis, vt ſupponimus. Deinde, nemo obligatur ad credendum, niſi propoſita fuerint ei debitè myſteria fidei; propoſitio autem hæc nuſquam fuit iſtis facta. Tertiò, paruuli qui moriuntur ſinè baptiſmo, non idcircò damnantur, quia non ſunt baptizati, ſed quia moriuntur in ſtatu peccati originalis; ità etiam homines illi in quibus datur ignorantia inuincibilis fidei, damnantur non quia peccant contra præceptum de credendo, ſed quia habent peccatum originale, & innumera alia actualia commiſſa contra præcepta iuris naturalis. B C D E

Rom. 1. ℣. 8.

Ibid. 10. ℣. 18.

Ad 2. Reſpondeo in lege naturali fuiſſe præcepta aliqua ſupernaturalia etiam de credendo rem aliquam ſupernaturalem; ex ſacris enim litteris conſtat fidem eſſe in Patribus legis naturalis, vt videre eſt Hebr. 11. Deinde, omni planè tempore poſita culpa primi parentis ſacramenta & ſacrificia fuerunt ad ſalutem neceſſaria, vt probant Theologi in tractatione de ſacramentis: hæc autem pertinent ad res ſupernaturales. Ad id verò quod dicitur, legem naturalem ità eſſe vocatam quòd tota eſſet naturalis. Reſpondeo, propoſitionem hanc abſolutè loquendo eſſe falſam, vt conſtat ex dictis; dicitur ergo naturalis lex, quòd maxima ex parte talis eſſet, & quòd modo naturali traderetur poſteris, parentes quippe fungebantur officio Paſtoris & Doctoris.

Ad 3. Reſpondeo, obſeruationem Decalogi ad ſalutem conſequendam ſufficere, collectiuè tamen, non autem diſtributiuè ſpectatam, vt author eſt D. Thom. 1. 2. quæſt. 100. art. 10. ad 1. Deinde, Chryſoſt. & Origenes tractat. 8. in Matth. volunt, in præceptis Decalogi contineri nedum præcepta iuris naturalis, ſed etiam aliqua iuris ſupernaturalis, quod probat Origenes ex lectione Hebraïca; ſic enim ait legi in codicibus Hebraïcis D. Matthæi, *Si vis ad vitam ingredi, imple legem, & Prophetas*; prædictiones autem Prophetarum pertinent ad documenta ſupernaturalia fidei.

Ad 4. D. Paulum non affirmare eo in loco cognitionem naturalem de Deo ſufficere ad ſalutem; ſed loqui de cognitione eiuſdem ſupernaturali, quemadmodum agit de cognitione remunerationis operum gratiæ; non autem ſolius naturæ.

Ad vltimam. Socratem, & alios ex mente Iuſtini fuiſſe iuſtificatos in hac & in altera vita; ceterùm non per cognitionem naturalem quam de Deo habuerunt, ſed per cognitionem à Deo reuelatam, & conſtitutiuam fidei diuinæ, vt conſtat ex verbis eiuſdem. *Quocirca, Iuſtini auinquit, omnes eos qui ante Chriſtum natum ratio- thoritas. nabiliter vixere, ac non minus Socratem & Heraclitum, aliòſque his ſimiles, quam Abraham, Heliam, & ceteros SS. Patres Chriſtianos cenſeri.* & illud idem repetit pag. 155. nullus autem eſt qui dicatur Chriſtianus niſi fidem Chriſti agnoſcat. Ad id verò quòd ſubiungitur ex D. Petro, Chriſtum poſt ſuam mortem deſcendiſſe ad inferos, ibique prædicaſſe, adeò vt aliqui ad penitentiam redierint ex his qui fuerant increduli temporibus Noë: Reſpond. Chriſtum verè deſcendiſſe ad inferos, neminem tamen ad eius prædicationem fuiſſe conuerſum ad veram penitentiam; hanc enim opinionem computat D. Auguſt. inter hæreſ. hær. 79. Chryſoſtom. D. Auguſt. verò ſentit eſſe fabuloſam: fauent Gregor. lib. Chryſoſt. 6. epiſt. epiſt. 15. & Beda. Ratio hoc ipſum Gregor. ſuadet, hæc namque vita cenſetur eſſe ordinata ad merendum vel demerendum, ex communi omnium Theologorum doctrina, & colligitur ex Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui* Ioan. 9. *miſit me, donec dies eſt: venit nox, id eſt mors,* ℣. 4. *quando nemo poteſt operari.* & 2. Corinth. 5. *Vt re-* 2. Cor. 5. *ferat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bo-* ℣. 10. *num, ſiue malum*; at ſupponimus de iſtis hominibus, quòd non fuerint in hac vita, ſed apud inferos:

argumento

argumento igitur eſt neminem ex iſtis egiſſe pe- A nitentiam de nouo, & iuſtificatum fuiſſe à peccatis commiſſis: nec oppoſitum colligitur ex eo quòd dicantur iſti increduli temporibus Noë, à D. Petro; nam res iſta eſt intelligenda ſecundùm exiſtimationem hominum, non autem ſecundùm rei veritatem; ità vt dicantur increduli quòd aquis diluuij perierint, non minùs quàm perditi & ſcelerati; ac proinde iudicio hominum fuerint tantùm increduli, licèt in charitate & gratia Dei defecerint.

Accedit, quòd nomine inferorum non intelligitur hoc loco receptaculum damnatorum, ſed Limbus Patrum, in quem ſoli iuſti fuerunt antiquitus admiſſi, ex omnium doctrina: prædicatio autem Chriſti, nihil aliud fuit apud iſtos quàm annuntiatio redemptionis expletæ generis humani, & liberatio iſtorum Patrum futura poſt aliquot dies; de qua re vide Bellarmin. lib. 4. de anima Chriſti, toto cap. 15. B

Cùm autem diximus neceſſarium eſſe ad ſalutem primam vel ſecundam credere rem aliquam ſupernaturalem ſecundùm ſuam ſubſtantiam, hoc venit intelligendum de neceſſitate medij & præcepti; quemadmodum enim vita humana aſſeruari nequit ſinè ſumptione alimenti, & ſinè reſpiratione (propter quod dicuntur iſta neceſſaria neceſſitate medij ad vitam conſeruandam): ità & hoc ipſum dicendum eſt de fide rei alicuius ſupernaturalis, ſecundùm ſuam ſubſtantiam; non enim prima ſalus, aut ſecunda haberi abſque iſta fide poteſt.

DVBITATIO TERTIA.

Quæ ſit res iſta ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, quæ eſt neceſſario credenda ad primam & ſecundam ſalutem obtinendam.

Fides Incarnationis & S. Trinitatis neceſſaria. Concil. Mileuit. Arauſic. Trident.

CONCLVSIO. *Res iſta eſt myſterium Incarnationis & ſanctiſſimæ Trinitatis.* Primùm, quia res hæc eſt definita in Concilio Mileuitano, Araufican II. & Tridentino ſeſſ. 6. cap. 2. & can. 10. ità ergo loquitur Concilium primo loco: *Hunc*, ſcilicet Chriſtum, *propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non autem ſolum pro noſtris, ſed & pro totius mundi.* & ſecundo loco. *Si quis dixerit homines ſinè (chriſti iuſtitia, per quam nobis meruit, iuſtificari, aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe, anathema ſit.* D

Deinde, hoc idem colligitur ex multis locis Scripturæ, maximè verò ex cap. 15. Ioannis. *Sinè me nihil poteſtis facere. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, & vos palmites.* & 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificabuntur.* & alibi ſæpe. E

Ioan. 15. ỳ. 5. & 4.

1. Cor. 15. ỳ. 22.

Tertiò, Patres hoc docent verbis expreſſis; maximè verò D. Auguſtin. lib. 18. de Ciuit. cap. 47. & ſerm. 38. de temp. qui eſt in appendice tom. 10. trigeſimus in poſterioribus editionibus, Clemens Alexand. lib. 1. Pædagogi, cap. 6. Chryſoſt. homil. 32. in Ioann. & Anſelm. ad cap. 3. epiſt. ad Galatas. & denique Leo ſerm. 3. de natiuitate Chriſti.

D. Auguſt. Clemens Alexand. Chryſoſt. Anſelm. Leo.

Denique, nulla gratia, nulla item operatio honeſta datur in nobis honeſtate ſupernaturali, quin pendeat à meritis Chriſti, vt colligitur ex illo Ioann. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: & ex cap. 15. iam citat. ergo ad iuſtificationem primam, vel ſecundam obtinendam deſideratur fides Chriſti: ità D. Thomas art. 7. & 8. huius quæſtionis, itémque interpretes eiuſdem. Ex iſtis colligitur fidem Trinitatis eſſe neceſſariam ad ſalutem, quia hæc ſupponitur ad myſterium Incarnationis Chriſti; ſola namque perſona ſecunda ſanctiſſimæ Trinitatis eſt incarnata. Ioan. 1. ỳ. 16.

DVBITATIO QVARTA.

An fides Chriſti explicita fuerit omni tempore ad primam & ſecundam ſalutem neceſſaria, an verò implicita tantùm.

Implicita fides quid.

ADuerte, per fidem implicitam ſignificari hoc loco cognitionem, quæ habetur de Chriſto ordinis ſupernaturalis, & reuelatam à Deo, qua creditur Chriſtus, non quidem formaliter & expreſsè in ſe, ſed in aliquo alio in quo virtute continetur, quemadmodum in multis dictis & figuris antiquitus repræſentabatur: C hac ratione etiam qui credit Chriſtum verum Deum, & hominem formaliter, & expreſsè, credit implicitè in Chriſto dari duas voluntates creatam & increatam; continentur enim iſtæ duæ voluntates in hac propoſitione, Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo, non quidem formaliter & expreſsè, ſed virtute tantùm. Per fidem verò expreſſam, intelligimus eam cognitionem qua formaliter & expreſsè Chriſtus creditur à nobis in ſuo obiecto proprio & particulari, vt quando dicimus, Credo Chriſtum verum Deum & hominem. Hoc ità poſito ſit

Explicita fides.

Credidêrũt veteres legis naturalis & Moſaica, in Chriſtũ.

CONCLVSIO 1. *Fides Chriſti fuit in Patribus legis naturalis & Moſaica, imò & in primis parentibus.* Primùm, quia certum eſt myſterium Incarnationis fuiſſe reuelatum Adæ ante peccatum, Geneſ. 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* ex iſtis enim verbis colligit Paulus in epiſt. ad Epheſ. myſterium Incarnationis. & item poſt peccatum, Geneſ. enim 3. ità dicit Deus: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* vbi nomine ſeminis ſignatur Chriſtus ex Paulo 3. ad Galat. Cognitum etiam fuit myſterium hoc Abrahamo, Geneſ. 16. *Multiplicans,* inquit Deus, *multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* & Iſaac, Geneſ. 26. *Peregrinare in ea, eróque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, complens iuramentum quod ſpoſpondi Abraham Patri tuo. Et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli.* Iacob, Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Moyſi, Deuter. 18. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo.* & ità precatur Moyſes Deum Exod. 4. *Obſecro*, inquit, *Domine, mitte quem miſſurus es.*

Geneſ. 16. ỳ. 10. Geneſ. 26. ỳ. 3. & 4. 49. ỳ. 10. Deut. 18. ỳ. 15. Exod. 4. ỳ. 13.

Digitized by Google

Deinde, eadem eſt fides noſtra & eorum omnium qui præceſſerunt aduentum Chriſti, quique crediderunt, vt probat Paulus in epiſt. ad Rom. & cap. 10. Hebr. at certum eſt nos credere in Chriſtum: ergo & illi crediderunt.

Chriſti implicita fides antequàm Patribus fuit ſatis.

CONCLVSIO 1. *Fides implicita Chriſti ſatis fuit ad ſalutem primam & ſecundam obtinendam in ſtatu legis naturalis & Moſaica.* Primùm, quia fides non ità debuit eſſe explicata ante aduentum Chriſti, ſicut eſt in lege gratiæ, vt docetur 2. Corinth. 3. ait enim fidem noſtram eſſe factam reuelata facie; fidem verò antiquorum ſub velamine tantùm: & cap. 10. Hebr. ait de lege Moſaïca, *Vmbram habens lex futurorum bonorum.* & 1. Corinth. 10. *Hæc omnia in figura contingebant illis.* certum autem eſt vmbram & figuram non ità eſſe explicatam & patentem, quemadmodum eſt veritas ipſa.

2. Cor. 3.

Hebr. 10. ℣. 1.

1. Cor. 10. ℣. 11.

Deinde, D. Paulus 1. Corinth. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* & Epheſ. 1. ait nos eſſe electos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. & rurſus: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum.* loquitur autem manifeſtè de Chriſto.

Ibidem ad eoſd. 2. ℣. 7.

Epheſ. 1. ℣. 4. & ℣. 5.

D. Auguſt. Euſebius. Irenæus.

Denique, ità Patres: D. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum, cap. 14. Euſebius lib. 7. de præparat. Euang. cap. 3. Irenæus lib. 2. contra hæreſ. cap. 5. Vega lib. 6. in Trident. cap. 18. & Richardus: nituntur autem iſti hac ratione, quòd Patres veteris Teſtamenti & legis naturalis crediderint formaliter & expreſsè Saluatorem, Redemptorem, Meſſiam aliquem eſſe venturum, qui liberaret homines à peccatis, eiſque vitam æternam conferret.

Obſeruandum autem eſt ſolam fidem implicitam Chriſti non fuiſſe ſatis ad primam & ſecundam ſalutem, in illis qui vixerunt ante Chriſti aduentum; deſiderabatur enim vlteriùs cognitio eorum omnium ſinè quibus vita humana verè inſtitui & ordinari non poteſt; vnde debuerunt credere dari in omnibus poſteris Adæ peccatum originale: & præterea remedia aliqua eſſe inſtituta à Deo ad illius peccati reparationem.

Quæſtiuncula mouetur.

Partis affirmantis argumenta.

Dubitatur autem à Theologis Scholaſticis, *An fides hæc implicita Chriſti in lege gratiæ ſatis ſit ad ſalutem primam, & ſecundam obtinendam.* Partem affirmantem tuentur Vega citat. & alij nonnulli recentiores: Idque, quia ſi fides Chriſti explicita eſſet ad ſalutem neceſſaria, ſequeretur nullam planè conuerſionem à ſtatu infidelitatis ad ſtatum fidei poſſe contingere: nam fides explicita de Chriſto fieri nequit niſi in tempore, vt colligitur ex 10. Rom. *Quomodo audient ſinè prædicante?* at illatio maioris ſuſtineri nequit, eſt enim expreſsè contra Ezech. cap. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quocumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Confirmatur: Conuerſiones omnes à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ fiunt in inſtanti, ex communi doctrina.

Rom. 10. ℣. 14.

Ezech. 33. ℣. 12.

Deinde, ſequeretur conuerſiones illas quæ fiunt in remotiſſimis terræ partibus, in quibus nihil auditum eſt de Euangelio Chriſti eſſe miraculoſas; cùm enim non fiant dependenter ab vlla planè re creata, à ſolo Deo ortum habere debent; atqui non videtur concedendum conuerſiones huiuſmodi eſſe miraculoſas; neque enim miracula multiplicanda ſunt ſinè neceſſitate: præſtat ergo affirmare fidem implicitam Chriſti ſufficere ad ſalutem primam, & ſecundam obtinendam.

Denique, Cornelius Centurio Actuum 10. iuſtificatus fuit antequàm vllum planè myſterium fidei Chriſtianæ intellexerit; dicitur quippe illic: *Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*; mittitur autem poſtea ad Petrum, vt ſciat ab eo quæ ſint illi neceſſariò credenda & agenda: ergo &c.

Actu. 10. ℣. 4.

Explicita Chriſti fides nobis neceſſaria.

CONCLVSIO. *Opinio contraria certiſſima eſt, quæ aſſerit fidem explicitam Chriſti eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem primam & ſecundam, poſita ſufficienti promulgatione legis Euangelicæ; ità vt nullus iuſtificetur à peccato mortali, nec vitam æternam conſequatur in lege gratiæ, niſi expreſsè crediderit articulos Incarnationis Chriſti, & ſanctiſſimæ Trinitatis.* Primùm, quia diximus fidem horum myſteriorum eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem; quæ autem ſunt ità neceſſaria nulla ratione ſuppleri poſſunt: ergo nec illa.

Deinde, hoc videtur manifeſtè colligi ex illo Ioann. 8. *Si non crediderit is quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* & cap. 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Idem colligitur ex Matth. 28. Ioan. 3. & Marc. 16. iſta namque teſtimonia loquuntur de fide Chriſti.

Ioan. 8. ℣. 24. Idem 15. ℣. 22. Matth. 28. ℣. 19. Marc. 16. ℣. 16. Ioan. 3. ℣. 18.

Tertiò, hæc eſt Patrum ſententia: Athanaſij in Symbolo, vbi enarratis fidei articulis, ità concludit, *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmitérque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.* D. Auguſtini ſermo. citat. de tempore, & epiſt. 57. & lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. & de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 7. *Sed*, inquit, *ſi Cornelius Centurio poſſet ſinè fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus Petrus.*

D. Auguſt.

Obiectio.

Obijcies, ſi fides Chriſti explicita eſſet neceſſaria neceſſitate medij ad vitam æternam conſequendam, ſequeretur neminem poſſe de facto ſaluari ſinè fide Chriſti explicita; quæ enim ſunt neceſſaria neceſſitate medij ſuppleri nullo modo poſſunt: atqui certum eſt poſſe in ſtatu legis Euangelicæ aliquem ſaluari abſque fide Chriſti explicita, vt patet ex eo qui educatus apud Barbaros & infideles, recedit ab iſtis vt adeat eas oras, in quibus colitur religio Chriſtiana, quatenus illic profiteatur ea omnia, quæ ſunt fidei Catholicæ, & inter illas moras contingit hominem hunc occidi in odium fidei Catholicæ, hic conſequitur ſalutem dignitate martyrij, abſque tamen fide Chriſti explicita: igitur illa non eſt, vt ſic, neceſſaria ad ſalutem.

Solutio.

Reſpondeo, in data hypotheſi hominem illum verè conſequi ſalutem primam & ſecundam abſque fide Chriſti explicita; conuenit enim inter omnes martyrium iuſtificare hominem ex opere operato; modò tamen in adulto habuerit annexum actum contritionis perfectæ, aut dilectionis Dei ſuper omnia, quæ omnia potuerunt habere locum in iſto homine. Ad id verò quod dicitur, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij ſuppleri non poſſe: dico hoc eſſe verum de eo quod eſt neceſſarium neceſſitate medij

medij abſoluti, minimè verò conditionati; fides autem explicita Chriſti, poſita ſufficienti Euangelij promulgatione, cenſetur tantùm neceſſaria neceſſitate medij conditionati, nempe quando hæc commodè haberi poteſt; in eo autem caſu, in quo fides iſta explicita haberi nequit, ſufficit implicita, propter ignorantiam inuincibilem qua excuſatur à peccato. Deinde integritas confeſſionis cenſetur eſſe neceſſaria, neceſſitate medij ad ſalutem, & tamen ſuppletur hæc interdum, putà in eo caſu, in quo quis priuatur vſu loquendi, nec vllis planè ſignis externis peccata ſua Sacerdoti manifeſtare poteſt: ergo ſicut ſuppletur defectus integritatis confeſſionis, quia integritas hæc eſt tantùm neceſſaria neceſſitate medij conditionati, ità & fidei explicitæ Chriſti ſuppleretur defectus in poſito caſu.

Abſurditas hæreticorum.

Ex iſtis colliges turpiſſimè aberraſſe Donatiſtas antiquitus, dum docuerunt hominem poſſe ſalutem ſuam conſequi, etſi verſaretur in ſtatu infidelitatis, vt author eſt D. Auguſt. epiſt. 48. ad Vincentium. Idem voluerunt Ethnici aliqui referente Coquæo in Commentarijs librorum de Ciuitate Dei, cap. 45. lib. 18. & Mahometani, & denique Lutherani plerique, referente Nicolao Serario, oratione vltima Lutheritircica: diximus enim fidem explicitam Chriſti eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem, neceſſitate medij conditionati, & tamen iſti volunt vnumquemque in ſua religione poſſe ſaluari. Deinde, Scripturæ docent Deum odiſſe quoſcumque peccatores. Pſal. 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* & Sap. 14. *Similiter odio ſunt Deo, impius & impietas eius.* at quiſquis exulat à fide Catholica hoc ipſo cenſetur eſſe impius, præſertim ſi debitè fuerint illi propoſita documenta fidei Catholicæ: ergo ſalutem conſequi non poterit, quamdiu aget in ſtatu infidelitatis. Hæc eſt ſententia D. Auguſt. lib. de Paſtoribus, cap. 12. & Hieron. in lib. contra Luciferianos.

Pſalm. 5. ℣. 7. Sap. 14. ℣. 9.

Diſſoluuntur argumenta contraria.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. explicationem myſteriorum fidei Chriſtianæ non poſſe fieri in inſtanti, vtpote quæ pendeat à propoſitionibus diuerſis, quæ proinde non niſi in tempore explicari poſſunt, & hoc ſolùm colligitur ex cap. 10. Rom. infuſio tamen fidei, & aſſenſus quem nos præbemus rebus de fide, in inſtanti contingunt; non enim Deus qui ſolus fidem infundit pendet à tempore in ſuis actionibus exercendis: intellectus item noſter vel aſſentitur in inſtanti, vel certè non aſſentitur.

Ad 2. Reſpondeo, Conuerſiones quæ fiunt in illis partibus vniuerſi in quibus nihil hactenus de Euangelio Chriſti auditum eſt, non eſſe miracula propriè dicta, vtpote quæ non ſunt rara & inſolita; poſtulat enim ordo diuinæ prouidentiæ vt facienti quod in ſe eſt ex ſpeciali motione Dei, ſubſequatur iuſtificatio à peccatis; Deus enim nuſquam deeſt in neceſſarijs: ſupponimus autem homines iſtos facere quod in ſeipſis eſt ex motione ſpeciali Dei. Reſpondeo 2. data hypotheſi quòd conuerſiones illæ eſſent miraculoſæ, propriè loquendo de miraculo, inde tamen nihil poſſet colligi contra noſtram ſententiam: nam non dicimus abſolutè & ſimpliciter fidem explicitam Chriſti eſſe neceſſariam in ſtatu legis Euangelicæ cuilibet ad ſalutem, ſed tantùm poſita ſufficienti promulgatione Euangelij Chriſti: in iſtis autem partibus vniuerſi nihil planè ex ſuppoſitione de Euangelio auditum eſt; quid igitur mirum ſi conuerſiones huiuſmodi ſint miraculoſæ, & ſi aliqui ſaluentur ſinè fide Chriſti explicita?

Ad vltimam, reſpondet Magiſter lib. 3. diſt. 25. & D. Thomas quæſt. 10. art. 4. ad 3. huius partis, Cornelium Centurionem fuiſſe iuſtificatum antequàm acceſſerit ad Petrum, per fidem quam habebat implicitam de Chriſto. Ceterùm opinio contraria verior videtur; nec enim veriſimile eſt Ethnicos & infideles, inter quos eſt Cornelius eo tempore credidiſſe in Chriſtum implicitè. Deinde, quia D. Auguſtinus locis ſupra citatis, & Chryſoſtomus lib. de fide, & de lege naturæ ait, Cornelium fuiſſe tantùm iuſtificatum poſteaquàm inſtructus fuit à Diuo Petro in ijs quæ erant fidei Catholicæ. Tertiò, Chryſoſtomus ideò vult orationes & eleemoſynas Cornelij cœlos conſcendiſſe, quoniam fuit in iſtis bonitas quædam moralis tantùm, non autem quòd fuerint meritoriæ vitæ æternæ de condigno.

DVBITATIO VLTIMA.

Quæ ſint explicitè credenda cuilibet Catholico adulto neceſſitate præcepti, ex ijs quæ ſunt fidei Chriſtianæ.

Triplex ordo Chriſtianorum.

ADuerte Chriſtianos, quantum ad rem præſentem attinet, eſſe in triplici differentia: alij namque ſunt Epiſcopi, alij Curati, alij ſimplices Catholici: de iſtis omnibus difficultas hæc eſt explicanda.

Epiſcopus tenetur ſcire doctrinã fidei.

CONCLVSIO 1. *Quilibet Epiſcopus tenetur ex præcepti neceſſitate ſcire omnia documenta fidei Chriſtianæ.* Primùm, quia cap. 3. 1. Petr. de Epiſcopis dicitur: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.* & ad Tit. cap. 1. *Oportet Epiſcopum ſinè crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, &c. amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.* & Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores:* propterea autem coniunxit Paſtores & Doctores ex communi Patrum interpretatione, vt demonſtraret omnem Paſtorem eſſe Doctorem, ac proinde doctum.

1. Petr. 3. ℣. 15. Tit. 1. ℣. 7. & 9. Epheſ. 4. ℣. 11.

Deinde, Trident. ſeſſ. 5. cap. 21. & ſeſſ. 24. cap. 4. de reformatione, verbis expreſſis docet præcipuum munus Epiſcoporum eſſe prædicare diuinum verbum.

Tertiò, propter hanc cauſam dicitur Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Deuter. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, &c. Surge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniéſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore: quaréſque ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Ità docent interpretes S. Thomæ ad art. 6. huius quæſt.

Malach. 2. ℣. 7. Deut. 17. ℣. 8. & 9.

Obiectio.

Dices, Epiſcopos poſſe diuinum verbum prædicare, & hæreſes conuellere per alios inculpatè: ergo non tenentur ità eſſe in litteris verſati.

Solutio. Reſpondeo hoc eſſe verum, vt conſtat ex Concil. Trident. non tamen propterea excuſantur à peccato ſi non potuerint per ſeipſos hæc documenta fidei explicare, & hæreſes conuellere, cùm ſint iudices eorum, quæ ſunt fidei Catholicę in Concilijs generalibus vnà cum Pontifice Rom.

Deinde, in conſecratione interrogantur, an ſciant vetus & nouum Teſtamentum, qui reſpondent ſe ſcire: ergo. Tertiò, dicitur Actuum 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Denique, debent iſti examinare, probare, vel improbare promouendos ad ſacros ordines, ad curata beneficia, ad confeſſiones audiendas, & demum ad conciones perficiendas: de hac re vide Caſuiſtas, verbo, *Epiſcopus*, & verbo, *Fides*.

Actuũ. 20. ỽ. 28.

Curati obligantur ad ſcientiam ſacramentorum.

CONCLVSIO 2. *Curati tenentur ex præcepto ſcire ea quæ pertinent ad debitam ſacramentorum adminiſtrationem, & ad rectam Catechiſmi inſtitutionem.* Primùm, quia in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de penitentijs & remiſſionibus, conſtituuntur iſti Iudices in foro conſcientiæ, vnde ſcire debent diſtinctionem quæ interuenit inter peccatum veniale & mortale; caſus item reſeruatos Pontifici Rom. Epiſcopo, & alijs ſuperioribus, ſi qui ſint.

Deinde, in Trident. ſeſſ. 22. cap. 8. & ſeſſ. 24. cap. 7. de Curatis dicitur quòd teneantur Catechiſmum perficere, & quæ leguntur in Miſſa ſermone vernaculo populis ſibi commiſſis explicare.

Chriſtianus omnis debet callere Symbolum Apoſtolorum.

CONCLVSIO VLTIMA. *Qualibet ex oui-bus commiſſis Epiſcopo & Curato tenetur ex præcepto ſcire Symbolum Apoſtolorum, ſaltem ſecundum ſuam ſubſtantiam.* Primùm, quia nullus inter Catholicos baptizatur ritu ſolemni & publico, quin legatur huiuſmodi Symbolum, & præterea quin imponatur præceptum ſuſceptoribus, de docendo ipſum puerum baptizatum vbi ad ætatem adultam peruenerit: ergo ad illud ſciendum quilibet obligatur.

Deinde, de conſecratione diſt. 4. can. *Non licet.* can. *Baptizandos.* & can. *Ante viginti dies.* præcipitur ne quis adultus baptiſmate regeneretur, quin memoriter teneat Symbolum Apoſtolorum.

Tertiò, ideò Symbolum hoc ab Apoſtolis fuit compoſitum vt Chriſtiani formam aliquam haberent, qua poſſent ſe Catholicos profiteri. Ità D. Thom. art. 5. huius quæſt.

Dixi autem, ſecundum ſubſtantiam, quia non eſt neceſſe tenere huiuſmodi Symbolum eodem ordine, & tenore quo communiter à nobis legitur; ſed ſufficit ſi interrogati de quolibet articulo poſſimus reſpondere nos iſtos omnes credere in particulari.

Obiectio. Dices, extare aliquos ità hebetes & ſtolidos, vt nulla ratione Symbolũ hoc addiſcere queant: ergo ſaltem iſti excuſantur cùm ad impoſſibile nullus teneatur.

Solutio. Reſpondeo, inde ſolùm colligi tales homines excuſari à peccato, nemo enim peccat in ijs quæ vitare non poteſt; tenentur tamen iſti credere articulos illos, qui celebrantur ab Eccleſia feſto aliquo ſolemni; nec enim fieri poſſe videtur vt non ſit in iſtis capacitas, ad myſteria per huiuſmodi ſolemnitatem repræſentata cognoſcenda.

Alia obiect. Obijcies, in Concilio Claromontenſi celebrato tempore Caroli Magni, & Foroiulienſi, dici omnes omnino Catholicos obligari ad Symbolum Apoſtolorum intelligendum & retinendum.

Solutio. Reſpondeo, intelligenda eſſe de illis ſolis quorum intereſt Symbolum hoc alijs explicare, & item de illis qui poſſunt huiuſmodi Symbolum addiſcere.

ARTICVLVS NONVS.

An credere ſit meritorium.

Credere meritoriũ. RESPONDET D. Thomas *affirmatiuè*. Et quidem meritò: gloria quippe æterna confertur homini propter actus fidei elicitos in hac vita liberè, & cum gratia, vt conſtat ex cap. 11. Hebr. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*, ſcilicet vitæ æternæ. & 1. Petr. 1. *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.* Iuſtificatio item tribuitur fidei. Habac. 2. *Iuſtus in fide ſua viuet.* & Rom. 4. *Credenti in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei.*

Hebr. 11. ỽ. 33. 1. Petr. 1. ỽ. 9. Habac. 2. ỽ. 4. Rom. 4. ỽ. 5.

Deinde, omnis actus virtutis elicitus liberè in hac vita cum gratia, & charitate, eſt meritorius vitæ æternæ ex 1. 2. quæſt. vltima; at ſupponimus actum fidei elici à nobis liberè, & cum gratia pro eo tempore quo agimus in hac vita: ergo eſt meritorius.

Actus fidei diſponens ad gratiam eſt meritorius vitæ æternæ de condigno.

Eſt autem obſeruandum actum fidei, qui eſt diſpoſitio ex hypotheſi ad gratiam iuſtificantem obtinendam, eſſe meritorium de condigno vitæ æternæ: ità enim videtur ſentire D. Thomas in hoc articulo. Deinde, idem videtur eſſe iudicium de iſto actu, quod de dilectione Dei ſuper omnia, & de actu contritionis perfectæ, qui ſunt diſpoſitiones infallibiles ad gratiam iuſtificantem obtinendam; at in tractat. de gratia docuimus actus hos eſſe meritorios de condigno vitæ æternæ: ergo & actus fidei.

Obiectio. Dices, omnem diſpoſitionem priorem eſſe ſua forma in ſubiecto, in quo recipienda eſt forma: ergo actus fidei non poteſt eſſe meritorius de condigno, quia gratia gratum faciens eſt ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno.

Solutio. Reſpondeo, actum hunc fidei priorem eſſe gratia, prioritate naturæ, non autem temporis, ac proinde cùm nullum detur inſtans temporis, in quo actus fidei, qui eſt diſpoſitio ad hanc gratiam, ſit ſeparatus à gratia, actus hic erit verè meritorius æternæ beatitudinis.

ARTICVLO VLTIMO. Quærit S. Doctor an ratio inductiua ad ea quæ ſunt fidei minuat meritum. Reſpondet, ſi ratio humana præcedat voluntatem credentis, ità vt hæc ſit tota ratio aſſentiendi, minuere meritum fidei; ſi verò ſequatur voluntatem credentis, non minuere meritum, ſed eſſe ſignum maioris meriti: inquirit ſiquidem intellectus ex imperio voluntatis & charitatis rationem credendi, non quidem eo animo vt firmiùs credat, ſed tantùm vt credita magis intelligat, & quidem ad maiorem Dei gloriam.

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA.

De actu externo fidei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm confeſſio ſit actus fidei.

Argumenta contraria.

RATIO dubitandi eſt, quia actus externus cuiuſlibet virtutis, cenſetur eſſe obiectum actus interioris eiuſdem, vt docetur communiter in tractatu de actibus humanis, & videtur affirmare D. Thomas quæſt. 1. ar confeſſio fidei, non poteſt eſſe obiectum actus interioris eiuſdem, tale enim eſt ſolus Deus reuelatus obſcurè: ergo confeſſio fidei nequit eſſe actus illius.

Deinde, confeſſio fidei eſt actus virtutis religionis; colitur enim Deus maximè ab vnoquoque noſtrûm quotieſcumque documenta fidei Chriſtianæ, verbo, vel alio opere externo confitemur: ergo non erit actus externus fidei, nec enim vnus & idem numero actus poteſt eſſe effectus plurium virtutum; religio autem eſt virtus diſtincta ſpecie à fide.

Triplex genus confeſſionis.

Aduerte confeſſionem eſſe triplicem, vt notant recentiores ad hunc art. prima eſt peccatorum, ſecunda gratiarum actionum, tertia veritatum fidei: de duabus primis, nihil hoc loco: confeſſio ſiquidem peccatorum eſt effectus virtutis penitentiæ; confeſſio verò gratiarum actionum, eſt effectus virtutis religionis. Tota ergo hæc quæſtio mouetur de confeſſione fidei ſeu explicatione myſteriorum eiuſdem, facta verbo, vel opere aliquo externo, de qua re ſit

Confeſſio externa articulorum eſt effectus fidei.

CONCLVSIO. *Confeſſio articulorum fidei externa, verè eſt effectus fidei diuinæ.* Primùm, quia illud cenſetur eſſe effectus fidei diuinæ, quod mutuatur omnem bonitatem & laudem, quam habet ab honeſtate, quæ reperitur in fide diuina, & quod refertur in obiectum fidei formale, veluti in ſuum finem: at confeſſio fidei, facta verbo, vel alio opere externo omnem honeſtatem quam habet mutuò accipit à fide diuina, & ordinatur in huius obiectum formale, velut in ſuum finem: ergo huiuſmodi confeſſio eſt verè actus fidei.

1.

2. Deinde, eiuſdem virtutis eſt ſubijcere intellectum noſtrum primæ veritati reuelanti aliqua obſcurè, & dirigere eumdem intellectum vt debitè explicet, & confiteatur ea quæ ſunt à Deo reuelata obſcurè; at certum eſt fidem ſubijcere intellectum noſtrum vt aſſentiatur primæ veritati reuelanti: ergo illius confeſſio externa eſt actus eiuſdem fidei.

3. Tertiò, fides nedum facit vt aſſentiamur rebus à Deo reuelatis, ſed etiam vt ea omnia conſeruentur, ſinè quibus fides diuina nequit conſiſtere in nobis: at ſinè confeſſione externa fidei, facta opere, vel verbo, nequit fides relucere in nobis, nempe quotieſcumque incumbit neceſſitas adimplendi præceptum de fide confitenda, vt docebimus Dub. ſequenti: ergo &c.

Quartò, hæc videtur eſſe mens Pauli 2. ad Corinth. cap. 4. *Habentes eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod loquutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur.* 4. 2. Cor. 4. ℣. 13.

ROGABIS, *An confeſſio fidei exterior ſit phyſicè, an moraliter tantùm effectus fidei diuinæ.* *Confeſſio fidei non eſt phyſicè à fide diuina.*

RESPONDEO, *Non eſſe effectum fidei diuinæ phyſicè*, quia non attingit hæc per verum & realem aliquem influxum confeſſionem iſtam, quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium, vt aliquid phyſicè producatur à fide. Dico ergo *Confeſſionem iſtam moraliter produci à fide diuina*: idque quòd tota bonitas, & honeſtas, quæ in illa deprehenditur repetenda ſit à bonitate fidei diuinæ, eiúſque obiecti formalis ad quod refertur veluti in ſuum finem.

Soluuntur argumenta oppoſita.

Ad rationes verò dubitandi. Reſpondeo negando propoſitionem maiorem. Ad probationem, dico Doctores illos agere illis in locis de actibus externis virtutum per ſe acquiſitarum; de iſtis enim tranſeat quòd ſint obiecta actuum internorum: In actibus autem virtutum per ſe infuſarum res ſecus habet; actus enim externus virtutis per ſe infuſæ, ab ipſa & eius obiecto formali ſuam bonitatem & honeſtatem mutuatur, vnde non eſt neceſſe actum externum fidei, quæ eſt virtus per ſe infuſa, eſſe obiectum actus interioris eiuſdem, quamuis impropriè loquendo poſſimus aſſerere actum externum fidei eſſe obiectum actus interioris eiuſdem, quatenus ſcilicet nedum tenemur credere Deo reuelanti aliqua opere interno, ſed etiam rem iſtam interiùs creditam opere externo profiteri in certis quibuſdam caſibus.

Ad 2. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; vnus enim & idem numero actus externus poteſt eſſe à pluribus virtutibus imperatiuè, vt conſtat de martyrio; hoc enim imperatur à charitate. Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* & præterea à virtute religionis, ſi is qui patitur martyrium ordinet, illud ad cultum latriæ ſoli Deo debitum & eius imaginibus; & denique ab ipſamet fortitudine proximè, & immediatè imperatur & elicitur ſimul. 2. Ioan. 15. ℣. 13.

Confeſſio externa fidei eſt ab intellectu & voluntate directiuè.

Vt autem res hæc pleniùs intelligatur. Aduerte confeſſionem externam fidei eſſe ab intellectu & à voluntate, non minùs quàm ſit actus internus eiuſdem; directiuè tamen non autem elicitiuè producitur hæc confeſſio ab intellectu, à voluntate verò motiuè, & imperatiuè: illa eadem ratione qua locutio cenſetur eſſe effectus intellectus, & voluntatis; nam dirigitur hæc ab intellectu & imperatur à voluntate, idque quòd voluntas noſtra domina ſit omnium operationum liberarum, inter quas computatur externa fidei confeſſio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An confeſſio fidei ſit neceſſaria ad ſalutem.

SOlent Theologi omnes hoc loco explicare difficultates ſequentes.

DVBITATIO PRIMA.

An poſſit fides opere, vel verbo negari ab aliquo inculpatè, propter vitam conſeruandam, aut declinandum aliquod graue nocumentum, exilium perpetuum, bonorúmque omnium amiſſionem.

Rationes dubitandi. 1. Ioſuë 5.

RATIO dubitandi eſt, quia licuit Iudæis propter vitã conſeruandam tranſgredi præceptum Circumciſionis inculpatè, vt colligitur ex cap. 5. Ioſuë; dicitur enim illic, Circumciſionem nulli applicatam fuiſſe pro toto illo tempore quo Iudæi manſerunt in deſerto: idem colligunt aliqui ex Pſal. 104. *Et non erat in tribubus eorum infirmus:* tota verò ratio circumciſionis prætermiſſæ hæc aſſignatur ab omnibus, quia non potuit adminiſtrari ſinè manifeſtiſſimo periculo vitæ, pro eo tempore. Præceptum item de Sabbato ſanctificando fuit inculpatè omiſſum propter vitæ conſeruationem, vt conſtat ex 1. Machab. 2. Mathathias quippe in die Sabbatorum deſcendit, in aciem contra hoſtes, & glorioſam de eiſdem reportauit victoriam, idque quòd aliàs nec ſuam, nec ſuorum vitam poſſet conſeruare: ergo cùm præceptum de fide confitenda ſit de iure diuino tantùm, poterit vtique prætermitti propter vitæ conſeruationem.

Pſal. 104. ỽ. 37.

1. Mach. 2.

2. Deinde, quòd licuit Principi Apoſtolorum, ceteris etiam Chriſtianis licebit; at potuit Petrus timore mortis perculſus negare Chriſtum, vt aſſerit Ambroſ. lib. 10. in Lucam ad hæc verba, *Neſcio quid dicis:* Hilarius can. 3. & 32. in Matthæum & in Pſal. 52. & alij quos citat Canus lib. 4. de locis Theologicis cap. 5. & lib. 6. cap. vltimo: ergo & idem alij poterunt.

3. Denique, reſponſiones dubiæ & amphibologicæ cenſentur eſſe licitæ omnibus Reis, quandocumque à iudice non legitimo, ſeu non iuridicè interrogantur, vt author eſt D. Thom. art. 2. quæſt. 69. huius partis: ergo licebit etiam quando quis interrogabitur de fide ob vitam conſeruandam, vel aliquod aliud graue nocumentum vitandum, dubiè reſpondere.

Nuſquam licitè negari poteſt fides. Matth. 10. ỽ. 33. Luc. 9. ỽ. 26. Ioan. 12. ỽ. 25. Rom. 10. ỽ. 10.

CONCLVSIO 1. *In nullo planè caſu poteſt aliquis negare fidem inculpatè, quando interrogatur in odium Chriſti, vel opprobrium fidei, de fide Chriſtiana & Catholica.* Prunùm, quia dicitur Matth. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* & Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* & Ioan. 12. *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* nomine autem animæ hoc in loco, nihil aliud ſignificatur, quàm vita præſens quam vult Chriſtus poſtponendam eſſe, amori ſibi debito, atque adeò & confeſſioni fidei eiuſdem. & Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* & 2. Timoth. 2. *Si negauerimus, & ille negabit nos,* ſcilicet Deus.

2. Tim. 2. ỽ. 12.

Deinde, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia, D. Auguſt. lib. de fide & Symbolo, cap. 1. *Fides officium exigit a nobis & cordis & linguæ: ait enim Apoſtolus, Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, oportet nos & iuſtitiæ eſſe memores & ſalutis: quandoquidem in ſempiterna iuſtitia regnaturi, à præſenti ſeculo maligno ſalui fieri non poſſumus, niſi & nos ad ſalutem proximorum intuentes, ore etiam profiteamur fidem quam corde geſtamus.* Chryſoſt. hom. 25. in Matth. Epiph. hæreſi 19. Hieronym. ad cap. 1. epiſt. ad Tit. & cit. Auguſt. tract. 14. in Ioan. & lib. contra mendacium à cap. 1. ad 8. vſque.

D. Auguſt. Chryſoſt. Epiphan.

Tertiò probatur: Si fas eſſet negare fidem propter vitam conſeruandam, aut aliud graue damnum vitandum, quando quis interrogatur de fide in odium vel opprobrium Chriſti, ſequeretur Eccleſiam deſtituendam eſſe à martyribus deſignatis, à Tertulliano ſic nuncupatis ſub initium libri ad martyres, quales ſunt illi qui in carceribus tyrannorum ad conquiſita quæque ſupplicia ſuſtinenda pro fide Catholica aſſeruabantur, vt colligere licet ex Cyprian. epiſt. 15. ex diſpoſitione Pamelij. Fraudaretur etiam Eccleſia martyribus confeſſis, ſeu Confeſſoribus, quales fuerunt illi, qui nulla tormentorum atrocitate potuerunt à confeſſione veræ fidei abduci, etſi de facto vitam non amiſerint, inter quos computatur Paphnutius cum ſocijs, ex Sozomeno lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 10. & Ruffino lib. 1. cap. 4. & 17. Pollice quippe dextro amputato, & effoſſo oculo ſiniſtro qui communiter dicitur canonicus, ad metalla fuerunt omnes damnati nomine fidei Chriſtianæ; quale autem fuerit genus hoc ſupplicij explicat Gallonius lib. 7. de cruciatibus martyrum, cap. 33. quod eſt de ijs qui ad metalla damnantur; inter quos etiam refertur Oſius Cordubenſis Epiſcopus, vt patet ex Iſidoro de viris illuſtribus cap. 5. licèt enim hic in extrema conſtitutus ſenectute morbo auaritiæ correptus ad negatores tranſierit, hoc eſt deſertores (olim enim qui fidei confeſſionem deſerebant, negatores dicebantur, quemadmodum qui contra conſtanter eamdem retinebant Confeſſores appellabantur) Baronius tamen ad annum Chriſti 357. pagina mihi 707. temporibus Liberij & Conſtantini Imperatoris affirmat eum de tanto peccato egiſſe penitentiam. Inter iſtos item numeratur Hilarius Pictauienſis Epiſcopus ab Hieronymo, idque quòd ſolius fidei Chriſtianæ vindicandæ cauſa in Phrygiam exulauerit.

Cyprian. Sozomen.

Denique, priuaretur Eccleſia illis omnibus martyribus, qui per omnium planè membrorum crudeliſſimam obtruncationem, & ad vltimum vſque ſpiritum in confeſſione fidei perſeuerarunt, & quidem tanto cum commodo, ſeu potius fauore Eccleſiæ Catholicæ, vt de iſtorum ſanguine aſſerat Tertullianus in Apologetico quòd ſit ſemen Eccleſiæ, & Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, paulò poſt medium. *Non eſſe autem,* inquit, *qui exterreat, & in ſeruitutem redigat nos, qui Ieſu nomina per fidem dedimus, per terrem omnem, manifeſtum eſt. Quòd namque dum gladio percutimur, & in crucem agimur, & beſtijs obijcimur, & vinculis, & igne, & tormentis, aliis omnibus plectimur & excruciamur, à profeſſione noſtra non diſcedamus, ſatis conſtat: & quanto magis eiuſmodi quædam in*

Tertul. Iuſtinus.

nos

nos expediuntur tormenta, tanto alij plures fideles, & vera religionis per nomen Ieſu fiunt cultores. Quemadmodum enim ſi quis vitis excidat fructificantes partes, vt palmites, qui alias floridi & frugiferi protrudant ramos illa proferat, facit: ita in nobis quoque accidit. Plantata namque eſt à Deo & Seruatore, vitis (& vinea) populus eius. & Hilarius lib. 7. de Trinitate in principio. *Hoc enim Eccleſiæ proprium eſt, vt tum vincat cum laditur; tum intelligatur, cum arguitur; tum obtineat cum deſeritur.*

Hilarius.

4. Quartò probatur, iacto prius hoc vnico fundamento, extare ſcilicet ſigna cuiuslibet ſectæ & religionis in duplici differentia: alia namque ſunt quæ per ſe & ex ſua prima inſtitutione cenſentur eſſe ſigna manifeſtatiua alicuius religionis, vel ſectæ; & præterea deferunt hæc eadem honorem authori ſuo: alia verò ſunt, quæ ſignificant ſectam iſtam aut religionem; nullum tamen, vt ſic, honorem deferunt authori ſaltem communiter, ſed tantùm ex ſpeciali intentione illius, qui huiuſmodi ſigna vſurpat in laudem authoris ſuæ religionis: inter prima ſigna computatur thuris & ſacrificij oblatio apud Paganos, atque etiam apud veros Dei cultores; delatio item Lunæ falcatæ apud Turcas, ex multorum opinione: celebratio etiam cœnæ, more Caluniſtico apud hæreticos noſtri temporis. Inter ſigna verò poſteriora refertur delatio pilei crocei ſeu rufi apud Auenionenſes, ex rubrica 37. quippe art. 5. ſtatutorum ciuitatis Auenionenſis, colligitur expreſsè eos omnes, qui huiuſmodi pileo amiciuntur referri inter cultores ſectæ Iudaicæ: & Stephanus Paſchaſius in libris perquiſitionum Gallicanarum lib. 7. cap. 33. ait antiquitus apud Gallos noſtros geſtationes rotulæ ſtannææ ad humeros, fuiſſe notam profeſſionis ſectæ Iudaicæ: & in opere Conſtitutionum Aragonicarum legitur Iacobum II. Regem Aragoniæ & Comitem Barcinonenſem ordinaſſe, vt quilibet ex Iudæis attonſos in orbem geſtaret capillos, vt hac ratione à Catholicis diſtinguerentur. Hoc ità conſtituto. Probatur Concluſio, tantùm abeſt vt fas ſit negare fidem propter vitam conſeruandam, aut aliud graue damnum declinandum, vt non liceat vlla ex ſignis proximè explicatis vſurpare propter prædicta mala vitanda, vt fatentur communiter omnes de primis ſignis, & item de poſterioribus; in eo ſaltem caſu, in quo ſubſequitur ſcandalum puſillorum, & diminutio fidei, ex vſurpatione huiuſmodi ſignorum: ità etiam colligitur ex Cypriano in lib. de lapſis, vbi aſſerit Libellaticos fuiſſe deſertores fidei Chriſtianæ, hoc ſolo nomine, quòd pecuniam darent Imperatori, vel Magiſtratui, ne traherentur ante idola; atque ità fidem abnegarent, ſed libellum conſequerentur, quem nos Gallicè, *Sauuegarde*, dicimus: Acceptatio ergo iſtius libelli imputata fuit eo tempore ad culpam lethalem, vtpote quæ eſſet ſignum abnegatæ Religionis.

Peccatum Libellaticorum.

Peccatum autem Libellaricorum ſaltem reſpectu omnium, non fuiſſe poſitum in abnegatione fidei facta verbo, vel opere externo expreſsè, ſed tantùm in acceptatione libelli & largitione pecuniæ ne traherentur ante idola, & ità fidem abnegarent, aut idolothytis veſcerentur, vel etiam idolis ſacrificarent, colligitur ex Cypriano epiſt. 52. ad Antonianum, ex diſpoſitione Pamelij: ità enim illic introducit Libellaticum loquentem, *Ego*, inquit, ſcilicet Libellaticus, *prius legeram, & cognoueram Epiſcopo tractante non eſſe ſacrificandum idolis, nec ſimulacra ſeruum Dei adorare debere; &* **Cyprian.**

idcirco ne hoc facerem, quod non licebat (cùm occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſum acciperem niſi oſtenſa fuiſſet occaſio) ad Magiſtratum vel veni, vel alio cunte mandatus: Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli venire me non poſſe, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet, faciam. & epiſt. 68. exprobrat Chriſtianis non illis ſubeſſe animum ad hoc vt martyrium nomine Chriſti ſuſtineant. Deinde, epiſt. 52. cit. ait peccatum Libellaticorum fuiſſe minus peccato mœchiæ, quod tamen dici nequit ſi tale fuiſſet poſitum in abnegatione fidei; grauitas enim cuiuslibet culpæ repetenda eſt ex dignitate obiecti, contra quod huiuſmodi culpa committitur: at obiectum mœchiæ, minus eſt obiecto abnegationis fidei, vtpote quæ habeat primam veritatem pro obiecto, qua nihil præſtantius eſſe poteſt; illa verò rem creatam non ſuam, vnde conſiſtit culpa iſta in vſurpatione rei alienę contra iuris naturalis & diuini prohibitionem.

Tunc autem quilibet intelliget ſe interrogari in odium Chriſti, & contemptum fidei Catholicæ, quotieſcumque videbit Tyrannos ideò interrogare Catholicos de fide Chriſtiana, vt eos vel morte, vel exilio, vel alio graui damno afficiant, eo ſolo nomine, quòd profiteantur fidem Chriſtianam.

Ex his colliges neminem poſſe inculparè negare ſe eſſe Orthodoxum, Catholicum, Papiſtam, ſeu Romanum, quandocumque interrogatur de iſtis, in odium Chriſti, vel contemptum fidei. Primùm, quia diximus neminem poſſe inculparè negare fidem, vbi fuerit interrogatus de ea in eiuſdem opprobrium, aut in odium Chriſti; at qui dicit ſe non eſſe Orthodoxum, Catholicum, Papiſtam, ſeu Romanum idem planè dicit, ac ſi aſſereret ſe non credere in Chriſtum, ex communi loquendi modo, tam apud Catholicos, quàm hæreticos; hæc enim nomina Orthodoxus, Catholicus, Papiſta, Rom. Oecumenicus, & ſimilia pro cultore veræ fidei vſurpantur, vnde qui negat aliquod ex iſtis patitur naufragium fidei. Deinde, in hoc peccatum D. Petri poſitum erat, quòd dixerit ſe non pertinere ad numerum Diſcipulorum Chriſti, vt colligitur ex cap. 22. Luc. at peccatum hoc verè fuit peccatum abnegationis fidei, vt dicitur communiter: ergo & ſe negare Orthodoxū, Romanum, &c. Tertiò, idem eſt negare ſe eſſe Chriſtianum, ac negare Chriſtum. vt author eſt D. Auguſt. tract. 13. in Ioan. & refert Gratian. 11. quæſt. 3. can. *Non ſolum abnegat.* atqui non licet negare Chriſtum. ſinè naufragio fidei: ergo nec negare ſe Chriſtianum. Denique, qui confitetur Chriſtum hoc ipſo vitam ſibi comparat ſpiritualem, ex D. Auguſt. tract. 66. in Ioan. ergo qui eumdem negat, amittit vitam iſtam ſpiritualem.

Corollariū.

Luc. 22.

CONCLVSIO 2. *Abſolutè & ſimpliciter loquendo nuſquam licet negare fidem Chriſtianam. & Catholicam.* Primùm, quia negatio fidei non eſt res indifferens, ſed ex ſe & ſua natura mala. Confirm. Quod præcepto negatiuo prohibetur ità malum eſt, vt in nullo planè caſu licitè admitti poſſit; eſt enim propoſitio indubitata apud omnes, præcepta negatiua obligare pro ſemper, & ad ſemper: quæ ratio loquendi, nihil aliud ſignificat, quàm in nullo planè inſtanti temporis licitum eſſe committere quod prohibetur præcepto aliquo negatiuo; at præceptum de non negenda fide eſt negatiuum, ex illo Matth. 10. *Qui negauerit me*

Nunquam abſolutè negare licet ſi-dem Catholicam.

Matth. 10. ℣. 33.

coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. & Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones; hunc filius hominis erubeſcet*: ergo nunquam licebit à confeſſio ne reſilire fidei.

Luc. 9. v. 26.

Deinde, nulli abnegatores fidei admiſſi ſunt ad communionem Catholicam, niſi impoſita priùs graui & oneroſa penitentia, vt conſtat ex Cypriano locis ſupra citat. & ex canonibus penitentialibus.

Denique, hoc colligitur ex lacrymis à D. Petri profuſis eo nomine, quòd Chriſtum abnegaſſet: ità omnes hoc loco contra Helceſaïtas referente Euſeb. lib. 6. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 31. & contra Baſilidem, referente eodem lib. 4. cap. 7. putarunt enim iſti ſatis eſſe homini Chriſtiano fidem mente retinere, etiam ſi ore eamdem abneget propter vitandam mortem, aut alia grauia damna declinanda: qui error tribuitur Priſcillaniſtis à D. Auguſt. hæreſi 70. & ex lib. contra Priſcillianum ab eodem edito.

D. Auguſt.

Licet celare fidem aliquando.

CONCLVSIO VLTIMA. *Licet aliquando celare, & occultare fidem propter vitam conſeruandam, vel alia damna euitanda.* Primùm, quia præceptum de fide confitenda eſt affirmatiuum; tale verò obligat ad ſemper, non pro ſemper: igitur aliquando licebit occultare fidem.

Deinde, non ideò tenemur ad confeſſionem fidei, quòd aſſentiamur primæ veritati reuelanti, ſed quòd inde ſequatur ſalus proximi, & promotio diuini cultus; at ſunt multi caſus, in quibus non ſequeretur ſalus proximi, vel cultus Dei ex confeſſione fidei; præſertim ſi ſit ſermo de ijs, qui viuunt inter infideles: ergo &c.

Tertiò, graſſante perſecutione liberum eſt vnicuique fugere, et Matth. 10. *Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* & ex D. Auguſt. in lib. contra mendacium, cap. 18. ex Athanaſ. de ſua fuga in perſecutione.

Matth. 10. v. 23. D. Auguſt. Athanaſ.

Quartò, in iudicio poteſt quis celare veritatem, quamdiu non interrogatur iuridicè, vt author eſt D. Thom. quæſt. 69. art. 2. huius part.

Denique, præceptum de fide confitenda tunc obligat, quoties ſubſequitur vel ſcandalum puſillorum, vel diminutio diuini cultus, ex defectu noſtræ confeſſionis, vt patet ex D. Thom. art. 2. huius quæſt. ad 2. & ex Azorio, lib. 8. Inſtit. moralium cap. 27. ergo extra iſtos caſus poterit quis inculpatè celare fidem.

Satisfit rationibus dubitandi.

Ad rationes dubitandi reſpondeo. Ad 1. præcepta nedum iuris diuini, ſed etiam humani obligare interdum cum diſpendio vitæ, famæ, exilij, amiſſionis bonorum. Primùm, quia Carthuſiani tenentur ad abſtinentiam carnium etiam in eo caſu in quo aliter ſanitati reſtitui non poſſunt iudicio medicorum; quod tamen præceptum apud iſtos eſt de iure humano poſitiuo; ratio autè iſtius obligationis ex eo ſumitur, quòd maius bonum ſit reſpectu totius ordinis Carthuſianorum tale præceptum illibatum retinere, quàm vitam iſtius fratris conſeruare, qui aliter curari nequit, quàm veſcendo carnibus, iuxta illud: Bonum commune eſt priuato anteponendum. Sigillum item confeſſionis eſt de iure poſitiuo diuino, licèt habeat aliquid iuris naturalis, & tamen hoc ità conſtringit confeſſarium, vt in nullo caſu poſſit ſoluere huiuſmodi ſigillum, vel ob vitæ conſeruationem, vel grauis alicuius damni declinationem, vt fatentur omnes in tract. de penitentia: quid igitur mirum ſi præceptum de fide non neganda obliget cum diſpendio bonorum, famæ, & vitæ. Ad id verò quod dicitur de præceptis circumciſionis, & Sabbati. Reſpondeo nihil probare, vtpote quæ ſint affirmatiua, atque adeò aliquando tantùm obligent: præceptum verò de fide non neganda eſt negatiuum, vnde in nullo planè inſtanti temporis licebit alicui præſtare quod prohibetur huiuſmodi præcepto, ob dicta paulò ante.

Ad 2. eſſe qui putent D. Petrum peccaſſe tantùm ore, negando Chriſtum: putant enim animo & mente fidem Chriſti retinuiſſe. Ità authores citati, excepto Ambroſio qui aſſerit vſum fuiſſe æquiuoco. Verùm rectiùs qui aiunt Petrum verè peccaſſe: Ità D. Auguſtinus ſerm. 124. de tempore: *Petrus igitur tam durus*, inquit, *atque ſeuerus, ſi donum non peccandi a Domino fuiſſet indeptus, qua venia commiſſis populis donaretur? Sed idcirco diuina prouidentia ſecretum ita temperauit, atque permiſit, vt primus ipſe laberetur ac rueret in peccatum, quò ergo peccantes duriorem ſententiam propry caſus intuitu temperaret.* Chryſoſtomus hom. 51. in Matth. Sedulius lib. 4. operis Paſchalis in principio.

2.

D. Auguſt.

3

Chryſoſt. Sedulius.

Et ſenſus rediere Petro, memor ille malorum
Immemoris damnauit opus, gemitúque ſequente
Culpa fugit, cedunt lacrymis delicta profuſis.

Deinde, negari nequit quin Petrus peccarit contra fidelitatem amico debitam; Chriſto namque dixerat, *Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* certum enim eſt non ſtetiſſe in fide data.

Matth. 26. v. 35.

Vlt.

Ad vltimam, reſpondeo Catholicum rogatum de fide à priuato homine poſſe celare illam omnino, vel vti æquiuocatione. Primùm, quia talis vſus non eſt per ſe malus, atque ideò poteſt eſſe aliquando licitus. Deinde, præceptum de confitenda fide obligat tantùm, quando ſalus proximi promoueri poteſt, & fides ampliari; at ſupponimus neutrum ex iſtis conſurgere poſſe in hoc caſu. Tertiò, Priuatus non habet ius interrogandi alium de fide.

Reſpondeo 2. interrogatum de fide à perſona publica, qualis eſt Magiſtratus teneri reſpondere ſe eſſe Catholicum, etiam cum manifeſtiſſimo vitæ periculo; habet enim Magiſtratus ius interrogandi hominem iſtum Catholicum, vnde tenetur hic reſpondere.

Replica.

Dices, docuiſſe nos, poſſe Catholicum interrogatum à priuato eludere eius interrogationem locutione dubia, & celare omnino ſe eſſe Catholicum: ergo idem erit dicendum quando rogabitur à perſona publica; nam ex confeſſione facta ad interrogationem priuati, tam verè conſurgere poteſt commendatio fidei noſtræ, quàm ſi confeſſio hæc facta fuiſſet, quando à Magiſtratu interrogatur.

Diſſoluitur.

Reſpondeo, negando conſequentiam: Ad probationem dico, non ideò obligari hominem ad fidei confeſſionem, quia ex hac ſequi poteſt dilatatio fidei, ſed etiam quia interrogatur à legitimo ſuperiore, qualis non eſt priuata, ſed publica perſona vt eſt Magiſtratus.

Alia replica,

Inſtabis, Magiſtratum hunc eſſe infidelem ex hypotheſi, atque adeò carere omni iure ad interrogandum de fide Catholica.

Enervatur.

Reſpondeo talem ſuſtinere perſonam Magiſtratus, eſto ſit infidelis, ſi non veri, tolerati ſaltem; vnde cùm habeatur pro vero Magiſtratu tenetur quilibet ei reſpondere ad mentem interrogationis. Vt autem res iſtæ ſint magis explicatæ ſit.

DVBI-

Digitized by Google

DVBITATIO SECVNDA.

An in aliquo caſu liceat homini Catholico, ob honeſtum finem ſimulare ſe eſſe idololatram, atque adeo ritus idololatrarum vſurpare.

4.Reg.10. *Affirmatiua pars.*

RAtio dubitandi eſt, quia Iehu 4.Reg.cap.10. finxit ſe eſſe cultorem idolorum, vt hoc modo necaret omnes Sacerdotes Baal, qui erant idololatræ, & videtur laudari ibidem. Naaman Syrus Princeps militiæ Regis Syriæ, habito dono curationis à lepra, beneficio Elizæi, & abnegata idololatria, deſcendit in templum Remmon, vt cum Rege ſuo adoraret idola, in quo tamen non peccauit, vt conſtat ex 4.Reg.5.

Idem 5. *Non licet ſimulare ſe eſſe idololatram.*

CONCLVSIO. *In nullo caſu licet ſimulare ſe eſſe idololatram, & ritus vſurpare quibus idola colunturper ſe, & ex prima inſtitutione, atque adeò nec ob vitam conſeruandam, vel aliud damnum vitandum.*

2.Cor.6. ℣.14. & 15. Primùm, quia dicitur 2.Corinth.6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?*

2. Deinde, peccatum Marcelli vel Marcellini Pontificis Max. in eo fuit poſitum, quòd thus adoleuerit idolis, vt patet ex actis vitæ eius, quæ ſunt in Pontificali, & in martyrologio Romano.

3. Tertiò, diximus nefas eſſe homini Catholico vſurpare ſigna, quæ per ſe ſunt inſtituta ad ſectam aliquam ſignificandam, & ad honorem authori talis ſectæ deferendum; huius verò generis ſunt ritus idololatrarum vt ſupponimus: ergo nunquam licebit illos exercere.

4. Quartò, qui exercet iſta ſigna docet ſe eſſe idolorum ſectatorem.

5. Denique, ſimulatio cenſetur eſſe ſpecies mendacij ex D. Thom. quæſt.111. huius partis: ergo cùm omne mendacium ſit ex ſe, & ſua natura illicitum nuſquam licebit vſurpare ritus idololatriæ, ſinè peccato; illos ſaltem qui ex hypotheſi ſunt per ſe inſtituti in honorem idolorum.

Diſſoluitur. 1. D.Auguſt. Ad rationem dubitandi. Reſpondeo, Iehu non excuſari à peccato, quando finxit ſe eſſe cultorem idolorum, ex D. Auguſt. lib. contra mendacium, cap.2. & ex D. Thoma. Ad id id verò quòd dicitur laudari Iehu, dico commendari non ob ſimulationem idololatriæ, ſed ſolùm ob affectum quem habuit erga populum Iudaïcum, atque adeò erga ſectatores veræ religonis. Ex eo verò patet affectus. quòd occiderit Prophetas Baal, & domum Achab euerterit.

2. Ad vltimam. Reſpondeo, Naaman non deſcendiſſe in templum Remmon poſt conuerſionem animo colendi idola, ſed vt redderet ciuile obſequium ſuo Regi. Ità Toſtatus ad cap. 5. lib. 4. Reg. & Lyranus ibidem. Vt autem hæc reſponſio clariùs innoteſcat.

Aduerte, Reges Syriæ olim nuſquam apparuiſſe, vel in templo, vel in foro, vel alijs locis publicis, quin inniterentur humeris alicuius, vt videtur colligi ex loco citato Regum; ſaltem ſi ſermo ſit de apparitione Regis Syriæ intrà templum Remmon: debuit ergo is cui innitebatur Rex, inclinare ſe, & mouere de loco in locum, genua flectere, quoties Princeps loco mouebatur, nam genua flectebat, & ſe inclinabat; actiones tamen iſtas non exercuit Naaman in honorem idoli, licèt id præſtaret Rex, ſed in obſequium ciuile quod debet ſeruus domino, vnde in iſtis vacauit culpa Naaman.

Sunt qui quærant hoc loco, *An poſſit aliquis inculpatè ob vitæ conſeruationem, vel etiam propter grauia nocumenta vitanda, deſcendere in templa hæreticorum, & hic eorum conciones audire, cum ipſis preces fundere, & ſacramenta ab ipſis exigere, connubia celebrare, & veſtes quibus ſignatur eorum hæreſis vſurpare.*

Ad hæc reſpondeo, *Ceſſante omni periculo apoſtaſiæ à fide Catholica, ſcandalo etiam puſillorum, & diminutione fidei, poſſe propter mortem vitandam, vel aliud graue nocumentum, conciones hæreticorum audire, & in eorum templis orare; ſecus tamen dicendum eſt ſi ſit periculum apoſtaſiæ, vel inde ſuboriri poſſit ſcandalum puſillorum, vel diminutio fidei.* Primùm, quia auditio concionis hæreticorũ, per ſe non eſt mala, vnde poteſt ordinari in bonum & honeſtum aliquem finem. Deinde, certum eſt viros optimos, & doctiſſimos Catholicos, atque etiam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos audire interdum conciones hæreticorum, quò faciliùs illorum hæreſes deprehendere & confutare queant. Tertiò, poteſt quilibet orare in omni loco, eſto non ità facilè exaudiatur vt in templo Deo dicato & conſecrato, vt fatentur omnes Catholici communiter. Quartò, preces quæ funduntur ab hæreticis ſunt vt plurimum deſumptæ ex ſacris litteris, & ſi dentur aliquæ adulterinæ poſſunt prætermitti & negligi; imò aliquo actu interno à Catholico qui orat in templo vnà cum iſtis hæreticis, odio haberi.

Aliquando licet conciones hæreticorum audire &c.

RESPONDEO 2. *Nefas eſſe petere ab hæreticis ſacramenta Euchariſtiæ & pœnitentiæ:* eſt enim certum, apud iſtos non eſſe vera ſacramenta Euchariſtiæ, & pœnitentiæ, cùm hæc pendeant ſimpliciter, & abſolutè à charactere ſacerdotali, qui tamen non datur in miniſtris hæreſeos Caluiniæ & Lutheranæ, ob defectum conſecrationis: quòd ſi ex hypotheſi darentur aliqui Miniſtri conſecrati, non inde tamen ſequeretur apud iſtos eſſe vera ſacramenta Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ; nam quando cœnam conficiunt conſtanter aſſerunt ſe non conſecrare eodem pacto, nec idem cum effectu qui dicitur produci à Miniſtris Catholicis; vnde excludunt intentionem faciendi quod Chriſtus inſtituit.

Nefas petere ſacramenta Euchariſtiæ & Pœnitent. ab hæreticis.

Liberum tamen erit in extrema neceſſitate à Miniſtris hæreticorum baptizari, quando nullus dabitur Catholicus, qui poſſit baptiſmum impendere. Primùm, quia neceſſitati nulla lex eſt poſita. Deinde, quia ſacramentum baptiſmatis eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. Tertiò, quia ſuſceptio vel adminiſtratio baptiſmi, non eſt per ſe, & ſua natura inſtituta ad promouendam hæreſim, vel ad commendandum cultum authoris hæreticæ prauitatis, ſed ad deletionem peccati originalis.

RESPONDEO 3. *Matrimonia contrahi inter iſtos & Catholicos licitè, ceſſante tamen periculo auerſionis a vera fide.* Sed de his ad 3. partem in materia de Matrimonio.

Matrimonia cum hæreticis licita.

RESPONDEO TANDEM, *Veſtimenta hæreticorum à Catholico vſurpari poſſe, remotis incommodis a nobis ſupra poſitis.* Primùm, quia hæc ſigna ſeu ornamenta non ſunt ex ſe & ſua natura mala, *Ideò* vt ſupponimus; nec præcisè ordinata ad diſcernendos hæreticos à Catholicis, & veris Chriſtianis. Deinde, quia licèt deſignent cultorem hæ-

Hæreticorũ veſtimenta aliquando deferri.

reticæ prauitatis ; eſt tamen certum hoc ipſo non A commendare huius authores, vnde poterunt hæc ordinari in honeſtum aliquem finem.

QVÆSTIO QVARTA.

De natura & eſſentia fidei.

ARTICVLO 1. docet D. Thomas fidem rectè definiri à D. Paulo Hebr. 11. Sub- B ſtantiam rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.

ARTICVLO 2. tradit fidem recipi in intellectu, tamquam in ſubiecto proximo inhæſionis, quod manet explicatum ad quæſt. 1. huius partis.

ARTICVLO 3. charitatem eſſe formam fidei, quod qua ratione ſit verum explicabitur Dubit. 2. ad hanc quæſt.

ARTICVLO 4. dicit fidem informem & formatam non eſſe duas qualitates, ſed vnam & eamdem numero: quæ dicitur formata vt eſt coniuncta cum charitate ; informis verò dum eſt à C charitate ſeparata.

ARTICVLO 5. fidem eſſe virtutem, de qua re agitur in Dubitationibus ad hanc quæſt.

ARTICVLO 6. docet fidem eſſe vnam ſpecie virtutem, propter vnam rationem formalem, quam habet ; diſtinctam tamen numero iuxta diuerſitatem hominum vel Angelorum in quibus reperitur, aut fuit aliquando.

Fides prima omnium virtutum.

ARTICVLO 7. fidem eſſe primam omnium virtutum per ſe ; per accidens tamen poſſe fieri vt aliqua alia prior detur in nobis. Primum ex eo demonſtratur, quia finis in practicis habet rationem principij, eſt enim id quod mouet agens ad agendum : ergo cùm virtutes, quæ verſantur D circa finem vltimum, quales ſunt Theologicæ, ſint media quædam ordinata ad ipſum aſſequendum, erunt ſua natura priores ; certum autem eſt inter virtutes Theologicas, fidem primas ſibi vendicare partes, cùm ſit baſis & primum fundamentum ædificij ſpiritualis, vt oſtendimus ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. ad 1. 2. Secundum autem demonſtratur : quod remouet prohibens eſt cauſa per accidens, ex Ariſtot. 8. Phyſ. text. 32. ſed aliquæ virtutes poſſunt à nobis remouere impedimenta credendi ; fortitudo enim reijcit inordinatum timorem, qui interdum fidem impedit: humilitas etiam arcet à nobis ſuperbiam, per quam intellectus recuſat ſeſe ſubmittere fidei, vn- E de fortitudo & humilitas poſſunt in nobis antecedere fidem, non quidem per ſe, ſed tantùm per accidens.

ARTICVLO VLTIMO Concludit fidem certiorem eſſe ſcientia, & quibuſuis alijs habitibus acquiſitis, qua de re abundè ſatis diſputatum eſt à nobis ad quæſt. 1. huius part. Quæ aliquam difficultatem patiuntur ex propoſitis à D. Thoma in hac quæſtione, nec hactenus ſunt explicata, ſequentibus Dubitationibus innoteſcent.

DVBITATIO PRIMA.

An definitio fidei tradita à D. Thoma ex Paulo ſit legitima.

RAtio dubitandi eſt, quia quælibet definitio explicare debet materiam & formam definiti ; hæc autem ſunt Deus, & res aliæ reuelatæ, & prima veritas reuelans ſe, & alia à ſe, obſcurè: certum verò eſt nullam fieri mentionem Deitatis, aut primæ veritatis reuelantis, in definitione tradita. *Negatiua partis argumenta.*

Deinde, hæc definitio competit ſpei, eſt enim hæc, ſubſtantia ſeu fundamentum rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.

Tertiò, nedum credimus Deum, ſed etiam multa præterita, quæ tamen non poſſunt à nobis ſperari, ſed tantùm futura.

Denique, quilibet noſtrûm credit dari inferos, quos tamen nullus ſperat : ergo non rectè definitur fides, quòd ſit ſperandarum rerum, &c.

CONCLVSIO. *Definitio fidei legitima in hunc modum aſſignatur: Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* Primùm, quia hæc ità tradita eſt à D. Paulo Hebr. 11. atque adeò mouente & dictante Spiritu ſancto, qui cùm ſit prima veritas, nec falli, nec fallere poteſt: ergo. *Fidei definitio à D. Paulo aſſignata, legitima.*

Deinde SS. Patres, maximè verò D. Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſio. cap. 31. *Quia*, inquit, *non erunt iam poſteri qui propter hoc credant non ſperando quod non vident, ſed amando quod vident. Qua fides eſt enervis & debilis, nec fides omnino dicenda, quandoquidem fides ita definita eſt: Fides eſt ſperandorum ſubſtantia, coniunctio rerum quæ non videntur. Qua fides non eſſet ſi homines in credendo præmia viſibilia ſequerentur, hoc eſt ſi fidelibus merces immortalitatis in hoc ſeculo redderetur.* Baſilius concione in Pſal. 115. Nyſſenus in lib. de vita Moyſis poſt initium. Chryſoſt. homil. 21. in epiſt. ad Hebr. Hieronym. ad cap. 5. epiſt. ad Galat. & Bernard. epiſt. 190. *D.Auguſt. Baſilius. Nyſſenus. Chryſoſt. Hierony. Bernard.*

Tertiò, ità docet D. Thomas art. 1. huius quæſt. & eiuſdem interpretes.

Accedit ratio : definitio hæc explicat naturam & eſſentiam fidei diuinæ ; hæc enim poſtulat vt ſit fundamentum ædificij ſpiritualis ſaltem per ſe, & ſua natura, atque adeò debet eſſe conſtans, firma, & quàm maximè ſolida : hæc autem firmitas explicatur per particulam, *Subſtantia.* Exigit præterea fides vt vnà cum intellectu elticiat aſſenſum, circa Deum vltimum finem, qui non poſſidetur à nobis, ſed ſperatur ; proprietas autem iſta explicatur per particulam, *Rerum ſperandarum.*

Denique, expoſcit fides vt ſit ineuidens & ob- E ſcura, nec non certiſſima, quæ duo his particulis deſignantur, *Argumentum non apparentium.*

Ex iſtis conſtat Eraſmum magnopere fuiſſe hallucinatum, dum voluit Paulum in hoc loco fidem non definiuiſſe, ſed ſolùm laudaſſe, & commendaſſe fiduciam ; diximus enim ex iudicio Patrum D. Paulum definiuiſſe fidem diuinam ; & eſt certiſſimum fiduciam ſede inhabere in voluntate, fidem verò in intellectu ſubiectari. Vide hac de re Cornelium à Lapide ad cap. 11. Hebr. v. 1. *Deceptus Eraſmus.*

Ex iſtis etiam colliges peccaſſe Gabr. Biel in 3. diſt. 23. vbi noluit definitionem à Paulo traditam, ſoli fidei formatæ competere, qualis eſt ea, quæ eſt coniuncta cum charitate : diximus namq; *Non bene Gabriel.*

Apoſtolum

Apoſtolum fidem definijſſe; fides autem informis tam vere eſt fides, quàm ſit formata, vt probabitur.

Diſſoluuntur rationes dubitandi. Ad rationes contrarias reſp. Ad 1. conceſſa maiori, negando minorem: Deus enim & prima veritas ſunt obiecta fidei noſtræ, quæ tamen explicantur à Paulo per τὸ *rerum ſperandarum*. Non quidem formaliter & expreſsè, ſed virtute, quod ſatis eſt ad definitionis bonitatem.

2. Ad ſecundam. Reſpondeo huiuſmodi definitionem, ſpei minimè competere, cùm hæc non ſit prima baſis rerum ſperandarum, ſed ſola fides Catholica, vt loco citato paulò ante primæ 2. oſtenſum eſt, ex Trident. vbi dicitur initium noſtræ iuſtificationis eſſe à fide diuina: imò additur Rom. 1. ℣. 17. locum hunc Scripturæ, *Iuſtus ex fide viuit*, intelligendum eſſe de iuſtificatione inchoata.

3. Ad 3. Obiectum fidei aliud eſſe primarium, aliud ſecundarium: illud eſt ſolus Deus, & omnia quæ pertinent ad eius naturam; hoc verò res quælibet creatæ à Deo reuelatæ, & Eccleſiæ authoritate propoſitæ: illud verè ſperatur & creditur vnde videbitur in cœlis, ex 1. Cor. 13. definitio ergo Pauli explicat primum obiectum fidei noſtræ, 1. Cor. 13. ℣. 12. & præcipuum, quod ſufficit ad hoc vt definitio ſit legitima: imò addo poſſe nos affirmare nedum quod ſperemus Deum videndum in cœlis; verùm & multa ex rebus creatis à Deo reuelatis, etſi præteritis, non tamen ſub ea ratione, qua ſunt abſolutè præteritæ, ſed ſub ea qua innoteſcent nobis, prout ſunt in ſeipſis, quando acceſſerit viſio diuinæ eſſentiæ; videbitur enim verbum incarnatum, eſto præterierit incarnatio: Spiritus item ſanctus videbitur, licèt fuerit miſſus ad Apoſtolos, & ſic de alijs multis. Iſtis fauet eorum opinio qui aiunt Paulum aſſeruiſſe fidem nedum eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum, ſed etiam ſperatarum.

Vltimam. Credere nos, dari vere inferos, non quidem eo conſilio, quòd ſperemus eos adeundos, ſed ſolùm vitandos: maioris tamen explicationis gratia, definitio fidei à Theologis Scholaſticis recentioribus tradita, ſic ſe habet: *Fides eſt habitus mentibus humanis diuinitus infuſus, quo aſſentimur rebus omnibus à Deo reuelatis, & propoſitis authoritate Eccleſiæ certiſsimè, licet obſcurè.* Hæc autem ex verbis ipſis ſatis cuilibet innoteſcit.

DVBITATIO SECVNDA.

An charitas ſit forma fidei.

Charitas non eſt forma fidei intrinſeca. RAtio dubitandi eſt, quia D. Thomas art. 5. huius quæſt. & communiter Sententiarij in 3. diſt. 25. fatentur fidem conſequi rationem virtutis ſimpliciter à charitate, vnde videntur etiam affirmare quòd charitas ſit forma fidei.

CONCLVSIO 1. *Charitas non eſt forma fidei intrinſeca eodem modo quo anima rationalis, verbi gratia, eſt forma hominis: atque adeo corporis.* Primùm, quia quæſt. 1. huius part. diximus rationem formalem conſtitutiuam fidei eſſe primam veritatem reuelantem ſe, & alia obſcurè: hæc autem differt à charitate: nomine enim charitatis ſignificatur hìc virtus Theologica, quæ recipitur in voluntate tamquam in ſubiecto.

Deinde, ſpecies perfectiſſimè completa nequit eſſe forma intrinſeca alterius ſpeciei: ità enim ſequeretur ens per accidens ex huiuſmodi ſpecierum vnione; non autem aliquod ens per ſe; atqui charitas eſt virtus ſpecie diſtincta à fide, vt probabitur infrà: ergo non poteſt eſſe illius forma intrinſeca.

Tertiò, ſi charitas eſſet forma fidei intrinſeca, eodem modo quo forma phyſica eſt forma entis phyſici, reciperetur in materia fidei, & illam informaret, cùm omnis forma phyſica recipiatur in materia: at charitas non recipitur in obiectis credibilibus, ſed in ſola voluntate creata, & quidem veluti in proprio ſubiecto: ergo non eſt forma phyſica fidei.

CONCLVSIO 2. *Charitas non eſt forma fidei eodem modo quo albedo, verbi gratia, eſt forma Cygni extrinſeca, vel nigredo Corui.* Primùm quia dicendum eſſet de fide, quòd eſſet formaliter chara: vt de Coruo dicimus, quòd ſit formaliter niger, non intrinſecè, ſed extrinſecè, atque adeò per formam ſibi extrinſecè inhærentem. *Charitas non eſt forma fidei extrinſeca, vt albedo reſpectu Cygni.*

Deinde, concedendum eſſet de charitate, recipi in fide vt in ſubiecto inhæſionis, quod dici nequit, cùm hæc tantùm ſubiectetur in voluntate.

CONCLVSIO VLTIMA. *Charitas eſt forma fidei metaphorica, ſiue, vt alij loquuntur, moralis.* Primùm, quia D. Thom. art. 3. huios quæſt. & eius interpretes fatentur charitatem eſſe formam fidei; at non eſt forma intrinſeca ad modum formæ phyſicæ, nec extrinſeca, eo modo quo accidens ſui ſubiecti: ergo debet eſſe forma moralis fidei, cùm non aſſignentur aliæ formæ. *Charitas forma fidei moralis.*

Deinde, forma metaphorica ſeu moralis, eſt ea quæ ordinat actum in Deum vt in vltimum finem, quæque facit vt hic vltimus finis ſit merces, corona, & præmium debitum actibus noſtris: at charitas ſola eſt quæ ordinat actus noſtros in Deum, & quæ facit vt huiuſmodi actibus debeatur, vita æterna, vt præmium, merces, ſeu corona, ex communi Theologorum doctrina cum D. Thoma 1. 2. quæſt. 65. art. 2. & quæſt. vltima quæ eſt de merito: ergo charitas eſt forma fidei metaphorica ſeu moralis. Confirmatur: Charitas eodem modo eſt forma fidei, quo ceterorum omnium actuum cuiſlibet virtutis, ex communi doctrina, at eſt forma metaphorica aliarum virtutum, quòd nempe earum actus ordinet in Deum vt in vltimum finem, & quòd vltimus hic finis propterea rectè nuncupetur merces debita noſtris operibus de condigno: ergo idem dicendum eſt de eadem charitate in ordine ad fidem.

Ad rationem verò dubitandi. Reſpondeo D. Thomam non aſſeruiſſe eo loco rationem virtutis conuenire fidei, abſolutè & ſimpliciter loquendo de virtute, dependenter à charitate (dicemus enim ſequenti Dubitatione fidem ſeparatam à charitate eſſe veram virtutē Theologicam) ſed de virtute, ſpectata in ordine ad meritum vitæ æternæ, ità vt per ly, *virtus ſimpliciter*, intelligat tantùm rationem meriti in nulla planè virtute reperiri, niſi dependenter à charitate: ex quibus tamen non licet colligere charitatem eſſe formam fidei intrinſecam, vel extrinſecam, ſed ſolùm moralem.

Digitized by Google

DVBITATIO TERTIA.

An fides ſeparata à charitate ſit vera fides.

Hæreticorũ dogma. HÆretici volunt fidem ſeparatam à charitate non eſſe veram fidem Catholicam. Primùm, quia 1.Ioan.2. dicitur: *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.*

1.Ioan.2. ℣. 4.

Deinde, fides ſeparata à charitate mortua eſt. Iacob. 2. *Fides ſinè operibus mortua eſt*: vnde quemadmodum mortuus non eſt verus homo; ità fides ſeparata à charitate non erit vera fides.

Iacob. 2. ℣. 20.

Beda. Tertiò, ità docent Patres: Beda ad cap.2. Iacob. *Tantummodo verè credit*, inquit, *qui exercet operando quod credit; quia fides & charitas ab inuicem ſeparari nequeunt.* Gregor. hom.29. in Euang. *Vera etenim fides eſt, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit*, & Bernard. epiſt.42. *Fictam autem ego arbitror illam vocari fidem, quæ ſuſcepta quidem ex charitate vita moueri inchoat ad bene operandum, ſed non perſeuerans deficit, & moritur vt abortiua.*

Beda. B

Gregor.

Bernard.

Denique, iuſtificatio tribuitur fidei Habac.2. *Iuſtus in fide ſua viuet.* & Rom.1. *Iuſtus ex fide viuit.* Imò hoc aſſerunt Patres, D. Auguſt. epiſt. 105. & lib.15. de Trinitat. cap.18. & Chryſoſt. hom.11. in Matth.

Hab.2. ℣. 4. Rom. 1. ℣. 17.

Fides diuina eſt abſque charitate. CONCLVSIO 1. *Fides diuina poteſt ſeparari a charitate, imò ſeparatur.* Primùm, quia quælibet diſpoſitio ad formam ſuſcipiendam poteſt ſeparari à forma, vtpote quæ ſit prior, ſi non tempore, ſaltem natura in ſubiecto in quo recipitur forma; at fides eſt diſpoſitio ad charitatem: initium enim iuſtificationis noſtræ oritur à fide diuina, ex Trident.

Fides ſeorſim à charitate vera fides. CONCLVSIO 2. *Fides ſeparata à charitate vera fides eſt, idque non minus quam dum coniungitur charitati.* Primùm, quia hoc definitum eſt in Trident. ſeſſ.6. cap.15. vbi ait per quodlibet peccatum mortale amitti charitatem, & gratiam, non verò fidem. & can.28. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet non eſſe veram fidem, licet non ſit viua, anathema ſit.*

Trident. C D

Ibid. ℣.2. Deinde, 1. ad Corinth.13. dicit Paulus; *Si habuero omnem fidem, ita vt montes tranferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

Effugium hæreticorũ. Præcluditur. Reſpondent hæretici hæc dicta eſſe à D. Paulo per hyperbolen, aut commendari tantùm fidem per exaggerationem. Hoc tamen eſt prorſus impertinens; ibi enim hortatur Corinthios ad actus charitatis exercendos, & præterea reprimit quorumdam opinionem, qui longè plura tribuebant fidei, quàm par eſſet: cùm ergo dicat fidem poſſe eſſe in nobis inutilem ſinè charitate, credit E fidem poſſe ſeparari à charitate.

Tertiò, qui ſunt in Eccleſia Catholica, habent veram fidem; at in Eccleſia Catholica, ſunt boni & mali ſimul, vt conſtat ex parabolis ſagenæ continentis bonos & malos piſces, *Matth.* 13. Areæ continentis paleam & triticum; decem virginum quinque ſapientium & fatuarum quinque, *Matth.*25. ergo cùm mali Catholici dicantur Catholici per fidem orthodoxam, & boni etiam, ſed per fidē coniunctam cum charitate, fides vera dabitur ſinè charitate. Confirmatur: Qui peccat mortaliter non deſinit eſſe orthodoxus & Catholicus, vt docent Patres: D. Auguſt. lib.6. contra Iul.cap.5. & in enarratione Pſal.31. Ambr. lib.2. officiorum cap.2. Cyprian. ſerm. de zelo.

Matth. 13. ℣. 47. Id.3.℣.12. D.Auguſt. A Ambroſ. Cyprian.

Ad rationes in contrarium allatas reſpondeo. *Diluuntur argumenta hæreticorũ.*

Ad 1. D. Ioannem eo in loco differere de cognitione practica, quæ habetur de Deo, & de rebus agendis ab ipſo præceptis; vnde docet eum eſſe mendacem, qui ſcit ſe obligari ad aliqua agenda præcepto dominico, nec tamen hæc exequitur: inde tamen nequit colligi fidem non eſſe veram, quando ſeparatur à charitate, nihil enim de hoc D. Ioannes toto illo capite. 1.

Ad 2. fidem ſeparatam à charitate dici mortuam, non quòd non ſit vera fides; ſed quia non conducit ad vitam æternam, ad quam tamen eſt per ſe à Deo inſtituta, & nobis infuſa. 2.

Ad 3. ſanctos Patres ideò affirmare fidem ſeparatam à charitate, non eſſe veram fidem, quia non producit operationes meritorias, ad quas exercendas eſt ordinata; cenſetur tamen hæc fides vera, etſi à charitate ſeparata, quia eamdem habet naturam, & eſſentiam ſemper: hæc reſponſio patet ex ipſis Patribus ab hæreticis citatis. 3.

Ad vltimam reſpondeo, iuſtificationem tribui fidei cauſaliter, & initiatiuè, non autem præcisè & formaliter; de fide quippe eſt hominem iuſtificari formaliter per gratiam & charitatem quæ diffunditur in cordibus noſtris, ex T. id. ſ. il. 6. c. 7. *Vlt.*

DVBITATIO QVARTA.

An fides multiplicetur in Catholicis ſecundum ſpeciem, aut ſecundum numerum.

Rationes dubitandi. RAtio dubitandi eſt, quia fides inclinat de nouo ad aſſenſum alicuius propoſitionis, ad quem ante non inclinabat; temporibus enim verbi gratia Hieronymi, liberum fuit credere Apocalypſim D. Ioannis non eſſe librum canonicum, noſtris temporibus nulli hoc licet; atque adeò fides nunc inclinat ad aſſenſum iſtius propoſitionis, ad quem antea non inclinabat. Seculo etiam Cypriani potuit quis affirmare inculpatè baptiſmum hæreticorum non eſſe validum, quod tamen iam ſinè hæreſi ſuſtinere non licet. 1.

Secunda. Datur in nobis duplex intellectus theoreticus, & practicus: ergo cùm fides diuina ordinetur ad intellectum perficiendum circa res ordinis ſupernaturalis à Deo reuelatas, duplex etiam dabitur fides theoretica, & practica. 2.

Tertia, fides non ſolùm pendet ab intellectu, ſed etiam à voluntate, vt ſupra docuimus: ergo dabitur etiam fides aliqua in voluntate. 3.

Fides in intellectu vna numero. CONCLVSIO 1. *Fides quæ ſedem habet in intellectu hominis, vel Angeli, cenſetur eſſe vna numero fides, adeò vt nulla ratione multiplicetur ſecundum numerum in aliquo.* Primùm, quia fides non conſurgit ex multitudine, ſiue diuerſitate particularium habituum; quemadmodum ex quorumdam ſententia, ſcientiæ acquiſitæ per ſe ex variis habitibus acquiſitis (credunt enim quamlibet concluſionem demonſtratam in particulari generare particularem habitum, & ex multis habitibus fieri totalem ſcientiam) imò cenſetur eſſe vna numero qualitas per quam aſſentimur omnibus articulis fidei Catholicæ.

Deinde, hoc videtur colligi ex Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma*: quem locum etiam adducit D. Anſelmus, vt doceat fidem non multiplicari in nobis ſecundum numerum. *Seruanda eſt*, inquit, *vnitas, vt vni Domino*

Epheſ. 4. ℣. 5. Anſelm.

Anſelm. *Domino ſeruiatur. Quæ & ideò cuſtodiri debet, quia vna fides eſt. Licet enim vnuſquiſque credentium ſuam fidem habeat, vna tamen fides dicitur. Hæc enim in anima credentis eſt ei tantùm conſpicua, cuius eſt, quamuis ſit & in alijs non ipſa, ſed ſimilis.*

1. Cor. 13. ℣. 7. Tertiò, ex 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.*

Denique, non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate; atqui ex vi vnius fidei poteſt quilibet noſtrùm perfectiſſimè aſſentiri ſicut oportet omnibus planè articulis fidei Catholicæ: ergo non eſt quòd multiplicetur.

Habitus diſtinctus admittendus in voluntate ad aſſentiendum articulis fidei.

CONCLVSIO 2. *In voluntate cuiuſlibet noſtrùm admittendus eſt ſpecialis habitus diſtinctus à charitate, ſpe, & alijs virtutibus moralibus, qui pertineat ad aſſenſum fidei eliciendum, vt oportet.* Primùm, quia diximus aſſenſum fidei pendere in nobis ex affectu pio voluntatis.

Deinde, illic admittendus eſt ſpecialis habitus, vbi datur ſpeciale obiectum & peculiaris honeſtas, ob quam fertur in ſuum obiectum; atqui in re propoſita datur ſpeciale obiectum, & ſpecialis honeſtas; huius ſiquidem habitus obiectum cenſetur eſſe aſſenſus fidei, in quem tendit ob peculiarem honeſtatem, quæ reperitur in iſto aſſenſu: ergo illic eſt ponendus.

Tertiò, habitus hic non eſt charitas, quia hæc mouet ad aliquid operandum ex motiuo diuinæ bonitatis, adeò vt charitas intendat bonitatem Dei primò & per ſe; hic verò aſſenſum fidei ex honeſtate propria & peculiari quæ in tali aſſenſu reperitur.

Denique, actus iſtius virtutis eſt in ſpecie fidei: ergo & habitus.

Obiectio. Rom. 1. ℣. 5. Dices, virtutem iſtam vocari obedientiam fidei, Rom. 1. *Per quem*, ſcilicet Chriſtum, *accepimus gratiam & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomine eius.* & D. Thom. art. 2. ad 2. quæſt. 4. huius part. ait voluntatem per hanc virtutem fieri promptam & expeditam ad obediendum.

Solutio. Reſpondeo, huiuſmodi habitum, qui voluntatem noſtram bene afficit vt aſſenſum fidei intellectus debitè eliciat, dici obedientiam his in locis, non quod ſit formaliter virtus obedientiæ; hæc enim reſpicit imperata ſub ea ratione, qua ſunt imperata, ex communi doctrina; virtus autem iſta reſpicit aſſenſum fidei, vt ſic, propter honeſtatem priuatam in eo exiſtentem: dicitur ergo hæc virtus, obedientia, ob affinitatem quam habet cum virtute obedientiæ: ſicut enim hæc nititur authoritate ſuperioris præcipientis aliquid; ità hæc virtus authoritate primæ veritatis.

Replica. Inſtabis, imperium hoc voluntatis reſpectu aſſenſus fidei poſſe oriri à charitate, religione, & alijs virtutibus quæ ſedem habent in voluntate: ergo multiplicatur inutiliter.

Diſſoluitur. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; nam quando aſſenſus fidei imperatur à charitate, verbi gratia, charitas præſtat hoc ex motiuo ſolius bonitatis diuinæ, & idem dic de alia virtute reſpectu ſui motiui: habitus verò fidei qui admittitur in voluntate mouet ad aſſenſum fidei ex priuata honeſtate, vnde ſpecialis virtus eſt neceſſariò admittenda, diuerſa ab alijs virtutibus in voluntate ſedem habentibus.

Ad 1. rationem dubitandi. Reſpondeo, non ideò fidem eſſe multiplicandam ſecundum numerum, quòd inclinet nunc ad aſſenſum alicuius propoſitionis, ad quem antea non inclinabat; nam quemadmodum vnus numero Sol ſatis eſt ad omnia quæ ſunt illuſtranda ſucceſſiuè: ità vna & eadem numero fides in quolibet, ſufficit ad producendum aſſenſum circa omnes articulos. *Satisfit rationibus.* 1.

Ad id verò quod dicitur, ſcientias conſurgere ex partialibus habitibus. Reſpondeo licèt hoc admitteretur, non inde tamen poſſe colligi fidem multiplicandam in aliquo; nam ideò in ſcientijs acquiſitis ordinis naturalis, diuerſitas habituum partialium admittitur, quia tot ſunt rationes aſſentiendi diuerſæ, quot ſunt concluſiones deductæ ex præmiſſis debitè diſpoſitis; ratio namque aſſentiendi, eſt medium debitè diſpoſitum in præmiſſis, quod in omni argumentatione ordinis naturalis cenſetur eſſe varium & diuerſum; ratio verò aſſentiendi omnibus & ſingulis articulis fidei Chriſtianæ, eſt vna & eadem, ſcilicet teſtificatio primæ veritatis reuelantis ſe, & alia à ſe; atque adeò eadem numero fides diuina determinat intellectum, & inclinat ad aſſenſum circa articulum fidei etiam ſucceſſiuè.

Ad 2. eſſe ſatis probabilem eorum ſententiam, qui putant fidem eſſe theoreticam formaliter, virtute verò practicam; atque adeò poſſe fidem perficere pleniſſimè intellectum cuiuſque, vt aſſentiatur concluſionibus theoreticis, & practicis; virtus enim formalis, poteſt ſuos producere effectus: certum etiam eſt virtutem eminenter exiſtentem in aliquo, poſſe ſimiliter ſuos producere effectus, ſicut Sol efficit calorem & ſiccitatem, licèt non ſit formaliter calidus, nec ſiccus, ſecus eminenter. 2.

Reſpondeo 2. intellectum theoreticum, & practicum differre ſolùm ratione, vnde poterit hic pleniſſimè perfici in ordine ad concluſiones theoreticas & practicas per vnam qualitatem fidei, quòd ex veriori opinione fides noſtra ſit theoretica, & practica ſimul, ſi non formaliter, virtute tamen & eminenter.

Ad vltimam: poſſe tantùm dari in intellectu fidem propriè ſumptam: in voluntate verò ſpecialem habitum qui illam bene afficiat vt debitè, & vt oportet intellectus aſſentiatur rebus de fide; hic verò dici poteſt habitus fidei quia imperat aſſenſum fidei. *Vlt.*

DVBITATIO VLTIMA.

An fides ſit virtus.

CONCLVSIO 1. *Fides eſt propriè virtus: Fides eſt* ità D. Thomas art. 5. huius quæſt. & Sententiarij in 3. diſt. 23. ideò enim dicunt dari tres *propriè virtus.* virtutes Theologicas fidem, ſpem & charitatem.

Deinde, quilibet actus fidei noſtræ poſſunt eſſe meritorij de condigno; meritum autem de condigno eſt tantùm in ſolis actibus virtutum.

Denique, virtus in communi definitur à D. Thoma 1. 2. quæſt. 55. quæ bonum facit habentem, & reddit laudabilem eum in quo eſt; at certum eſt fide diuina vnumquemque fieri bonum; eſt enim initium iuſtificationis: certum etiam eſt eum in quo eſt fides, laude aliqua dignum eſſe cùm habeat ius ad vitam æternam: ne-

gari etiam nequit quin ſpecialis honeſtas ſit in virtute fidei, & eius actibus: ergo eſt virtus.

Fides virtus intellectus. CONCLVSIO 2. *Fides eſt virtus mentis ſeu intellectus.* Primùm, quia diximus fidem eſſe habitum humanis mentibus diuinitus infuſum, quo aſſentimur rebus à Deo reuelatis, & ab Eccleſia propoſitis.

Deinde, fides vocatur à Patribus; lumen, quòd illuſtret intellectum, & dicitur viſio 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* 1.Cor. 13. v. 12.

Denique, quod perficit intellectum in intelligendo, ità vt non fallatur, eſt virtus intellectus, ex Ariſtotel. lib. 3. Ethicor. cap. 2. at fides ità perficit intellectum in intelligendis reuelatis, vt nec fallatur, nec falli queat, vt ſæpe dictum eſt: ergo. Ariſtot.

Obiectio. Dices, habitus intellectus parere euidentiam, vt conſtat ex ſapientia, ſcientia, intellectu, & arte: at fides hoc non præſtat: ergo non eſt virtus.

Solutio. Reſpondeo, propoſitionem illam veram eſſe de habitibus per ſe acquiſitis, non verò de per ſe infuſis, inter quos fides eſt; Theologia enim quæ eſt habitus mentis acquiſitus de lege communi non eſt coniuncta cum euidentia; pendet enim quælibet concluſio Theologica ab articulis fidei.

Fides eſt ſimpliciter virtus dependenter à charitate. CONCLVSIO VLTIMA. *Fides eſt virtus ſimpliciter, non ſpectata ſecundum ſuam naturam, ſed dependenter a charitate ſupernaturali.* Primùm, quia quod tribuit rationem meriti, confert etiam rationem virtutis ſimpliciter, ex D. Thoma; at charitas tribuit fidei & eius actibus rationem meriti de condigno, vt vidimus ſupra: ergo ab illa ſumit rationem virtutis ſimpliciter.

Deinde, de ratione virtutis ſimpliciter eſt, quòd ordinet hominem in vitam æternam, velut in præmium operationum noſtrarum, vt ſuppono, & certum eſt ex D. Thoma; atqui actus fidei non reſpiciunt vitam æternam vt præmium ſibi debitum, niſi fuerint coniuncti cum charitate.

Tertiò, virtutes aliæ morales aut etiam ſupernaturales non cenſentur eſſe virtutes ſimpliciter, niſi beneficio charitatis, vt docet D. Thomas de virtutibus moralibus in 1. 2.

Denique, art. 5. huius quæſt. tradit charitatem eſſe formam cuiuſlibet virtutis metaphoricam, atque adeò conferre rationem meriti de condigno reſpectu vitæ æternæ.

Durandi obiectio. Obijcit Durandus. Charitas non poteſt eſſe forma fidei in ratione virtutis ſimpliciter, niſi tribuat ipſi perfectionem aliquam, quæ de facto deſideratur in fide, quoties à charitate ſeparatur; at nulla datur perfectio in fide coniuncta cum charitate, quæ non inſit ei dum ſeparatur ab illa: ergo nequit charitas dici forma fidei virtutis ſimpliciter.

Solutio. Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem: ad probationem verò aſſenſum quem nos præbemus reuelatis ſpectari duobus modis: primo, vt elicitur ab intellectu, & imperatur à voluntate ex pio affectu: ſecundo, vt hic aſſenſus cenſetur eſſe meritorius vitæ æternæ de condigno. Primo modo æquè perfectè producitur à fide ſeparata à charitate, ac à coniuncta, ſecus ſecundo.

Replica. Inſtabis, rationem virtutis ſimpliciter eſſe eandem cum ratione virtutis in communi; at fides non habet rationem virtutis in communi à charitate; virtus enim in communi abſtrahitur ab omni virtute, vnde & eſt quid ſuperius ad omnem virtutem in particulari.

Reſpondeo negando maiorem, virtus enim in communi definitur, habitus qui verſatur circa bonum honeſtum; perfectio autem hæc conuenit omni virtuti ex D. Thoma in tractatione de virtutibus in communi; at ratio virtutis ſimpliciter eſt tantùm principium merendi vitam æternam de condigno, quo pacto competit ſoli charitati & gratiæ gratum facienti, vt probant Theologi cum D. Thoma, quæſt. vltima 1. 2. *Diſſoluitur.*

QVÆSTIO QVINTA.

De habentibus fidem.

ARTICVLVS PRIMVS.

An homo in prima ſui conditione habuerit fidem.

DVBITATIO PRIMA.

Quod ſit proximum & immediatum ſubiectum fidei.

RESPONDEO *Eſſe intellectum hominis, aut Angeli: fidei eſt ità* D. Thomas art. 2. quæſt. 3. Deinde, ibi debet eſſe præmius fidium operandi, vbi eſt difficultas agendi; quæ propoſitio eſt D. Thomæ 1. 2. in quæſt. de virtutibus in communi; at difficultas credendi eſt maximè poſita in intellectu: ergo in illo collocanda eſt fides. Tertiò, definitur fides, habitus mentibus humanis diuinitus infuſus quo aſſentimur rebus reuelatis. Quartò, fides reſpicit verum à Deo reuelatum; at verum eſt obiectum intellectus: ergo ipſa reſidet in eodem intellectu, vt in ſubiecto. *Subiectum intellectus hominis, aut Angeli.*

Dices, aſſentiri nos rebus de fide nedum dependenter ab intellectu, ſed etiam à voluntate: ergo fides erit etiam in voluntate. *Obiectio.*

Reſpondeo, aſſenſum omnem fidei eſſe ab intellectu elicitiuè, & imperatiuè à voluntate; atque adeò ex parte voluntatis requiritur aliquis habitus, quem diximus habitum fidei ſeu virtutem, idque vt voluntas debitè imperet aſſenſum fidei: hic tamen habitus eſt diſtinctus à fide, prout fides eſt virtus intellectus reduplicatiuè. *Solutio.*

DVBI-

Digitized by Google

DVBITATIO SECVNDA.

An fides fuerit in primis parentibus & Angelis in primo inſtanti creationis.

Durandi opinio.

DVrandus putat fidem non habuiſſe locum in ſupremo Angelo, quando fuit creatus à Deo; vult enim euidentiam non poſſe ſtare, cum fide, reſpectu eorum, quæ ſunt fidei; at ſupremus Angelorum habuit euidentiam reſpectu omnium, quæ ſunt fidei (nouit enim in primo inſtanti creationis Deum ſolum ſibi reuelare myſteria de fide, adeò vt nulla eſſet occaſio de hac re dubitandi) ergo non potuit habere fidem.

Fides extitit in primis parentibus.

CONCLVSIO. *Fides fuit in primis parentibus, & in omnibus Angelis in primo inſtanti ſuæ creationis.* Primùm, quia fuerunt creati in gratia & in charitate, vt docet D. Thomas de Angelis. 1. part. quæſt. 61. de primis parentibus, quæſt. 95. at gratia & charitas non eſt in viatoribus ſinè fide, cum hæc ſit baſis ſpiritualis ædificij.

Deinde, Angeli & primi parentes placuerunt Deo in primo inſtanti creationis ex Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona.* 1. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt:* at non potuerunt placere Deo ſinè fide, *Cùm ſinè fide impoſſibile ſit placere Deo*, ex Paulo.

Geneſ. 1. ℣. 31. 1. Tim. 4. ℣. 4. Hebr. 11. ℣. 6.

Tertiò, fuerunt Angeli & primi parentes ordinati ad vitam æternam ex vi prouidentiæ ſupernaturalis & ab æterno, vt patet ex 1. Timoth. 2. *Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* at non potuerunt ordinari in vitam æternam ſinè fide: ergo oportuit illos habuiſſe fidem diuinam.

1. Tim. 2. ℣. 4.

Denique, fuit in Angelis & hominibus cognitio myſteriorum fidei in primo inſtanti creationis eorum: ergo & fides; habitus enim ſunt propter actus. Ità D. Thomas, & alij.

Ad rationem Durandi. Reſpondeo ſupremum Angelorum habuiſſe euidentiam myſteriorum fidei, non quidem in ipſis rebus creditis, aut in earum cauſis, ſed in teſtificante, id eſt, atteſtante Deo; hæc verò euidentia non deſtruit fidem vt docuimus quæſt. 1. huius partis.

Deinde, euidentia & ineuidentia poſſunt eſſe in vno, & eodem ſubiecto de eodem obiecto, vt probatum eſt ſupra; dependenter tamen à varijs medijs cognoſcendi: ergo licèt daremus ſupremum Angelorum habuiſſe euidentiam myſteriorum fidei, non tamen ſequeretur caruiſſe fide diuina; dependenter enim à fide potuiſſet hic aſſequi obſcurè documenta fidei Catholicæ cognita euidenter per cognitionem demonſtratiuam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An fides ſit in dæmonibus.

Aſſirmatiuæ partis argumenta. 1.

RATIO dubitandi prima eſt, quia fides de facto remanet in homine Catholico, poſtquam lapſus eſt in peccatum mortale, vt definijt Trident. ſeſſ. 6. cap. 15. modò tamen non

A fuerit peccatum infidelitatis: ergo erit fides in dæmonibus: ſancti enim Patres docent eamdem eſſe fidem dæmonum & hominum agentium in peccato mortali. Ità D. Auguſt. epiſt. 105. & Chryſoſt. homil. 11. in Matth. D. Auguſt.

Secunda, fides deperditur in nobis per peccatum infidelitatis; hoc enim ſolum opponitur fidei, quemadmodum & peccatum deſperationis deſtruit ſpem ob oppoſitionem; at dæmones nunquam deliquerunt peccato infidelitatis, ſed ſuperbiæ, ex illo Iſai. 14. *In cælum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, [illegible] ſuper altitudinem nubium, ero ſimilis Altiſſimo*: ergo in illis remanſit fides. 2. Iſai. 14. ℣. 14.

B Denique, ſi fides non eſſet in [illegible] & damnatis non poſſemus diſcrimen aſſignare inter fideles & infideles damnatos, cum ex ſuppoſitione omnes careant fide diuina. 3.

CONCLVSIO 1. *Fides diuina per [illegible] infuſa & ſupernaturalis non habet locum in [illegible] nibus, nec in damnatis, etſi [illegible] ſeueret in fide viæ, & [illegible] te ſpiritum.* Primùm, quia fides diuina ordinatur ad bene operandum, habitus enim ſunt propter actus; at nulla eſt operatio bona in dæmonibus, & damnatis, vt colligitur ex illo, *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*: qui locus communiter explicatur de dæmonibus, & damnatis; illi enim ideo ſemper oderunt Deum, quòd eum apprehendant, vt vltorem iniquitatum ſuarum, quem ideò vellent non eſſe: ergo in illis non manſit fides. Fauet eorum opinio, qui docent nulla bona opera moralia fieri apud inferos. *Fides nec in dæmonibus, nec in damnatis habet locum.* Pſal. 73. ℣. 23.

C

Deinde, diximus fidem ordinatam eſſe ad vitam æternam; eſt enim hæc principium ædificij ſpiritualis: at ordinatio hæc abeſt à dæmonibus, & damnatis, vt notum eſt, cùm perpetuis ſint addicti pœnis, ex Matth. cap. 25. ergo nulla ratio fidei diuinæ perſeuerat in inferis. Matth. 25. ℣. 41.

D Tertiò, quilibet actus fidei producitur ex aliquo affectu piæ voluntatis: at pia voluntas nulla eſt apud inferos, propter continuum odium quo Deum & Sanctos proſequuntur: ergo nec fides ſupernaturalis. Confirmatur: Quia gratuita ſolis amicis, non autem hoſtibus conferuntur: Ità SS. Patres, D. Dionyſius de diuinis Nominibus cap. 4. Gregorius 34. moral. cap. 17. Bernard. epiſt. 77. & alij Scholaſtici exceptо Durando, qui in 3. diſt. 23. putat in dæmonibus & damnatis perſeuerare fidem infuſam, ſi eam habuerint ante mortem. Dionyſ. Gregor. Bernard.

CONCLVSIO 2. *Fides aliqua admittenda eſt in dæmonibus, & damnatis.* Primùm, quia

E dicitur Iacob. 2. *Tu credis quoniam vnus eſt Deus, bene facis: & dæmones credunt & contremiſcunt.* *Fides aliqua in dæmonibus.* Iacob. 2. ℣. 19.

Deinde, negari non poteſt, quin multa myſteria fidei cognoſcantur à dæmonibus; dicitur enim Luc. 4. *Exibant dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei.* & Matthæi 8. ità loquuntur dæmones in corpotibus energumenorum: *Quid nobis & tibi, Jeſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos?* Luc. 4. ℣. 41. Matth. 8. ℣. 29.

Tertiò, motiua fidei in dæmonibus ſunt magis euidentia, quàm in nobis: ergo poſſunt fidem aliquam in dæmonibus parere.

Digitized by Google

Quartò, certum eſt dæmones infeſtari, præ- A
ſentia ſanctiſſimi Sacramenti, ſigno Crucis, no-
Philip. 2. mine Ieſu, ex Philip. 2. *In nomine Ieſu omne genu*
℣. 10. *flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*: ergo
ratione alicuius fidei, qua deprehendunt illorum
occultam & miram virtutem.

Fides damnatorum acquiſita.

CONCLVSIO VLTIMA. *Fides dæmonum, & damnatorum eſt acquiſita, atque adeò naturalis & cognita, nec vlla ratione ſupernaturalis, ſaltem ex modo tendendi, ſed tantùm ex obiecto.* Prima pars probatur: Omnis fides vel eſt per ſe infuſa, vel acquiſita; at fides dæmonum, & damnatorum non eſt infuſa, ergo naturalis ex 1. Concluſione: ergo acquiſita: naturalis conſequentia eſt nota ex eo quòd ponatur medium inter infuſum, & ac- B
quiſitum habitum.

Secunda pars probatur, ex eo quòd dæmones non tam libenter, quàm coactè aſſentiantur articulis fidei, fluuntur enim ex odio in Deum, & in documenta fidei, ex dictis paulò antè.

Portò ideò dixi fidem dæmonum & damnatorum non eſſe ſupernaturalem ex modo tendendi in obiectum, ſed ſolum ex obiecto; quia ratio aſſentiendi articulis fidei noſtræ reſpectu dæmonum, & damnatorum non eſt authoritas diuina coniuncta cum pio affectu voluntatis; ſed tantùm motiua, quibus mouentur ad aſſenſum articulorum fidei noſtræ contra propriam voluntatem; vnde ratio formalis fidei diuinæ non eſt in C
dæmonibus, & damnatorum aſſenſu, circa articulos fidei Catholicæ. Quia tamen illa eadem myſteria, quæ nos credimus, creduntur à dæmonibus & damnatis, & hæc ſunt de re ſupernaturali, ideò illorum omnium fides dici poteſt ſupernaturalis ex obiecto.

Soluuntur rationes dubitandi.

Ad rationes dubitandi reſpondeo. Ad 1. ſanctos Patres comparare fidem peccatorum, cum
1. fide damnatorum; non quidem ſimpliciter, & adæquatè, ità vt velint fidem iſtorum in omnibus eſſe ſimilem; hoc enim dici nequit: volunt ergo fidem peccatorum in eo tantùm eſſe ſimilem fidei dæmonum, quòd quemadmodum fides eſt inutilis ad vitam æternam homini peccatori, D
quamdiu agit in peccato; ità & fides quæ eſt in dæmonibus, & damnatis prorſus inutilis eſt, vtpote ex qua nullam conſequantur vtilitatem, nec ſint conſequuturi in ordine ad commodum ſpirituale.

2. Ad 2. fidem non ſolùm amitti per peccatum infidelitatis, ſed etiam per adeptionem illius ſtatus qui eſt incompoſſibilis cum fide, vt patet ex
1. Cor. 13. 1. Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt,*
℣. 10. *euacuabitur quod ex parte eſt.* Fauet D. Auguſt. lib. 14. de Trinit. cap. 2. vbi ait in cœlis nullum fidei veſtigium, vel etiam ſpei eſſe permanſurum; ſtatus autem damnationis incompoſſibilis eſt cum fide diuina ob ordinationem illius ad vitam E
æternam & coniunctionem cum pio affectu voluntatis, quæ cùm procul ſit à voluntate dæmonum & damnatorum, ſequitur horum ſtatum minimè compati fidem infuſam.

Vlt. Ad vltimam. Reſpondeo dari diſcrimen inter fideles, & infideles damnatos, etſi careant fide; fideles namque damnati notantur charactere baptiſmali indelebili qualitate; ſecus infideles, vtpote quibus non fuerit applicatum baptiſma.

ARTICVLVS TERTIVS.

An qui diſcredat vnum articulum fidei, poſſit habere de aliis fidem informem.

CIRCA hunc art. quærunt Theologi, *An fides maneat in hæreticis.* Durandus in 3. diſt. 23. quæſt. 9. putat eſſe probabile fidem manere in hæreticis, modò aſſentiantur quibuſdam articulis fidei noſtræ, poſtquam lapſi ſunt in hæreſim, B
& alij recentiores; quorum opinio probatur: Quia ſcientia acquiſita nuſquam deſtruitur per vnum, aut alterum errorem contrarium, error namque alicuius Concluſionis ſtare poteſt cum habitu ſcientiæ cui aduerſatur: ergo aliqua hæreſis ſtare poterit cum fide.

Deinde, hæreticus poſtquam lapſus eſt in errorem, eodem modo aſſentitur & cum æquali facilitate articulis fidei, quos credebat ante lapſum, at hæc facilitas nequit aliunde prouenire quàm ab habitu fidei prius exiſtente in illo: ergo.

Denique, nullus eſt hæreticus, qui articulis à Deo reuelatis aſſentiri nolit; ideò tamen non aſſentitur, quia putat non eſſe reuelatos.

Fides diuina nulla eſt in hæreticis.

CONCLVSIO 1. Primùm, quia Trident. ſeſſ. 6. cap. 15. docet fidem non deperdi per quodlibet peccatum, ſed ſolùm per infidelitatem; at hæreſis, ſpecies eſt infidelitatis, vt probat D. Thomas infra quæſt. 10. quæ eſt de infidelitate.

Fides diuina nulla in hæretico.

Deinde, Paulus 1. Timoth. 1. ait Alexandrum & Hymenæum idcirco in fide naufragium feciſſe quòd exiſtimauerint legem Moſaïcam vnà cum lege Euangelica retinendam. 1. Tim. 1.

Tertiò, docet D. Auguſt. hæreticos non aſſentiri rebus à Deo reuelatis ob teſtificationem eiuſdem, ſed ex propria electione, atque adeò quia ità ipſis videtur: ergo fides non poteſt habere locum in ipſis; cùm illa exiſtere nequeat ſinè ſua formali ratione, quæ cùm ſit teſtificatio primæ veritatis, ſequitur &c. Quòd verò hæretici aſſentiantur articulis fidei, non ob authoritatem diuinam, ſed ob propriam voluntatem, probat ſanctus Pater lib. 17. contra Fauſtum, cap. 3. *In Euangelio autem, quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Euangelio creditis.* loquitur de Manichæis, & cap. 19. lib. 32. *Videtis ergo id vos agere, vt omnis de medio ſcripturarum auferatur authoritas, & ſuus cuique animus author ſit, quid in quaque ſcripturâ probet, quid improbet, id eſt vt non authoritati ſcripturarum ſubijciatur ad fidem, ſed ſibi ſcripturas ipſe ſubijciat.* D. Auguſt.

Quartò, eodem modo opponitur fides diuina & hæreſis, quo peccatum mortale & gratia & charitas; at charitas & gratia ſimpliciter eſſe deſinit interueniente quolibet peccato mortali: ergo & fides accedente peccato hæreſeos.

Hæreſis deſtruit fidem, non phyſicè per veram efficientiam, & cauſalitatem, nec ſtruit fidem etiam quòd ſit forma quædam incompoſſibilis ex ſe cum illa, ſed demeritoriè.

CONCLVSIO 2. Prima pars probatur: Quod *Hæreſis demeritoriè tantum.*
non habet exiſtentiam veram & realem nequit per veram efficientiam deſtruere fidem; operari enim phyſicè præſupponit eſſe verum & reale; at peccatum hæreſeos nullam habet exiſtentiam phyſicam & realem (ratio quippe formalis pec-

cati commiſſionis, vt ſic, poſita eſt in priuatione A
rectitudinis debitæ ineſſe actui vel voluntati, vt oſtendimus ad 1. 2. vbi de peccatis) cùm igitur priuatio ſit nihil, fit hæreſim non poſſe expellere fidem phyſicè.

Deinde, quod à ſolo Deo pendet in eſſe, fieri, & conſeruari a nulla re creata poteſt deſtrui phyſicè: at fides ità pendet ſolo à Deo (eſt enim ex ſupraductis, qualitas ex ſe & ſua natura humanis inentibus à Deo infuſa) ergo &c.

Secunda pars probatur: Si peccatum hæreſeos & fides eſſent formæ per ſe incompoſſibiles in eodem ſubiecto, poſita fide in aliquo deſtrueretur omne peccatum; in eodem ex æquo namque ſe expellerent ſicut album, & nigrum: at illatio B
maioris nequit defendi, cùm conſtet baptizato cuilibet infundi fidem, ſpem, virtutes morales, & alia dona Spiritus ſancti; non tamen charitatem, & gratiam, ſi cum complacentia peccati mortalis acceſſerit ad baptiſmi ſuſceptionem, vnde dabitur in hoc fides cum peccato mortali; atque ità non ſunt formæ duæ incompoſſibiles in eodem ſubiecto fides & peccatum hæreſis.

Tertia pars ſuadetur ex ijs quæ docuimus ad quæſt. 113. 1. 2. art. 2. Dub. 5.

Diluuntur oppoſita rationes.

Ad rationes in contrarium allatas reſpondeo. 1. Ad 1. non eſſe parem rationem inter fidem & hæreſim, & ſcientiam acquiſitam cum errore contrario collatam: ideò eum ſcientia acquiſita cum C
quibuſdam erroribus ſtare poteſt, quia tot ſunt varia aſſentiendi media in qualibet ſcientia acquiſita, quot ſunt Concluſiones ex quibus conſurgit etiam diuerſitas partialium habituum in eadem: in fide verò diuina eſt vna tantùm ratio aſſentiendi omnibus concluſionibus Theologicis, nempe teſtificatio primæ veritatis, & idcirco nullus error poteſt ſtare cum habitu fidei.

2. Ad 2. falſum eſſe, qui labitur in hæreſim aſſentiri articulis fidei quos poſtea credit, ea ratione, qua ante hæreſim; nulla enim dari poteſt ratio, cur potius aſſentiatur certis articulis fidei, propter teſtificationem primæ veritatis, quàm alijs; hæc enim ex æquo reſpicit omnes articulos D
fidei: facilitas autem illa qua aſſentitur principijs fidei ab acquiſita habet ortum non ab infuſa: aſſenſus enim myſteriorum tunc tranſit in naturam alterius aſſenſus qui retinet aliquam conformitatem cum præcedenti: qua ratione autem fiat iſta mutatio, vix à nobis poteſt intelligi, eſt tamen neceſſariò admittenda, ob ea quæ dicta ſunt; vnde cognitio quam habet hic Catholicus de articulo fidei Chriſti, cenſeri debet ſupernaturalis, pertinétque ad habitum fidei: at ſtatim atque contingit eumdem labi in hæreſim, cognitio myſteriorum fidei deſinit eſſe ſupernaturalis, ſaltem ex modo tendendi, & incipit eſſe humana acquiſita, pertinens proinde ad fidem humanam. E

Vlt. Ad vltimam. Reſpondeo hominem hæreticum non ideò diſcredere illis articulis fidei quos negat, quia Deus illos non reuelauit; ſed quia putat eos non eſſe à Deo reuelatos: inde tamen non licet colligere in eo dari fidem, quam habuit antequam diſcrederet articulis à Deo reuelatis; nam & reſpuit authoritatem Eccleſiæ, quæ dictat huiuſmodi articulos eſſe à Deo reuelatos, & præterea abijcit teſtificationem primæ veritatis, ità vt tota ratio cur aſſentiatur illis articulis quos credit ſit priuata voluntas.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum fides ſit maior in vno quàm in alio.

DVo hic explicantur à Theologis. Primum: *An fides ſit magis explicata in vno quam in alio.* Secundum: *An fides intendatur ſecundum entitatem.* De primo non dubitatur; docet enim experientia magis explicatos eſſe articulos fidei in doctis, quàm in infima plebe. Secundum ſequentibus Concluſionibus patet.

CONCLVSIO 1. *Fides intenditur ſecundum entitatem, quam habet in vno magis quàm in alio.* Primum quia dicitur Luc. 17. *Adauge nobis fidem.* & 2. Corinth. 10. *Spem habentes crescentis fides veſtræ.* & 2. Theſſal. 1. *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis fratres: ita vt dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra.* & Coloſ. 1. precatur Paulus vt dignetur Deus augere omnem virtutem in Coloſſenſibus, atque adeò fidem. *Fides intenditur.* Luc. 17. ℣. 5. 2. Cor. 10. ℣. 15. 2. Theſſ. 1. ℣. 3.

Deinde, fides, aliquando dicitur, omnis fides. 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* aliquando, tanta. Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* dicitur etiam modica cap. 14. eiuſdem. *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Denique, magna nuncupatur cap. 15. *O mulier magna eſt fides tua.* 1. Cor. 13. ℣. 2. Matth. 8. ℣. 10. cap. 14. ℣. 31. & 15. ℣. 28.

Demum, quælibet qualitas intenditur in ſuo ſubiecto; ſuſcipit enim magis & minus ex cap. de qualitate; at fides diuina qua credimus eſt qualitas.

Aduerte Concluſionem iſtam intelligi de fide habituali & actuali, ità vt quælibet intendatur magis in vno, quàm in alio: ità D. Thomas & interpretes.

Obiectio. Objcies, nos docuiſſe art. 7. quæſt. 1. fidem in tempore non fuiſſe auctam, ſed tantùm magis explicatam: ergo ſecundum ſuam entitatem non augetur.

Solutio. Reſpondeo negando conſequentiam; eſt enim maximum diſcrimen inter fidem ſpectatam extra ſubiectum, & vt eſt in ſubiecto; nam primo modo ſumitur abſolutè, in ſe, & ſecundùm quidditatem: ſecundo modo ità reſpicit ſubiectum, vt ſinè eo conſiderari nequeat, & ità primo modo non intenditur, nec remittitur, ſecus ſecundo; omnis namque forma quæ recipitur in ſubiecto dependenter ab aliqua diſpoſitione ſimpliciter neceſſaria ad eius receptionem, introducitur iuxta maiorem, vel minorem entitatem talis diſpoſitionis, ſaltem ex D. Thoma: fides verò nunquam recipitur in adultis, niſi dependenter à diſpoſitione aliqua, vt patet ex cap. 10. Rom. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſinè prædicante?* vbi tandem concludit: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Rom. 10. ℣. 14. & 17.

Deinde, fides habitualis non infunditur adultis niſi poſito actu aliquo fidei elicito dependenter à ſolo concurſu actuali ſpeciali Dei ſecundum Theologos; actus verò credendi, non eſt in omnibus æqualis; ſed magis intenſus in vno in alio minùs: vnde fides habitualis, quæ pendet ab iſto actu, vt à ſua diſpoſitione neceſſaria ad ſui introductionem, erit etiam inæqualis. Confirmatur: Omnis actus fidei pendet & ab intellectu, & à voluntate; at non omnes inter operandum per in-

tellectum & voluntatem ſuas exercent operationes æqualiter & æquè intensè, vt patet: ergo nec recipient æqualem fidem habitualem.

Replica. Inſtabis, rationem formalem noſtræ fidei eſſe primam veritatem reuelantem ſe, & alia à ſe, & iſtam nullâ ratione intendi in nobis: ergo &c.

Diſſoluitur. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ideò enim fides in nobis intenditur, etſi ratio eius formalis non intendatur, quia diximus fidem pendere in ſua receptione à fide acquiſita neceſſaria ad eius introductionem, & quia iſta diſpoſitio eſt inæqualis in nobis, ideò & forma quæ pendet ab hac erit etiam inæqualis.

Fides informis intenditur etiam. CONCLVSIO 2. *Nedum fides formata, id eſt conuncta cum charitate, ſed etiam informis intenditur in nobis.* Primùm, quia ſi quid impediret augmentum fidei informis, eſſet peccatum mortale; at hoc non impedit modò non ſit infidelitatis: ergo fides informis intenditur: nam quod non impedit infuſionem fidei informis, non impedit augmentum eius; at peccatum mortale diuerſum ab infidelitate non impedit hanc infuſionem; docet enim Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. fidem infundi in baptiſmò, quem tamen poteſt aliquis ſuſcipere cum actuali complacentia peccati mortalis: ergo dabitur in iſto fides ſinè gratia & charitate.

Deinde, idem eſt iudicium de augmento fidei informis, quod de augmento ceterarum virtutum, quæ ſeparatæ ſunt à charitate, vt communiter fatentur omnes, & manifeſtè colligitur ex eo quòd fides diuina informis dicat proportionem, & conuenientiam ex ſe & ſua natura ad actus ſibi connaturales, non minùs quàm faciant ceteræ virtutes ad actus earumdem; atqui ceteræ virtutes ſeparatæ à charitate augentur per actus ſibi connaturales: ergo idem dicendum erit de fide informi.

Obiectio. Dices, fidem augeri per actus meritorios tantùm.

Solutio. Reſpondeo, hoc eſſe verum ſi ſermo ſit de merito de congruo, vel de condigno; fides enim formata intenditur per actus meritorios de condigno, informis verò per actus meritorios de congruo; meritum autem de congruo ſinè charitate datur ex communi doctrina.

Intenditur actibus proprys fides. ROGABIS, *An fides intendatur per actus cuiuſlibet virtutis.*

RESPONDEO *Intendi per ſolos actus proprios;* Dicit enim inclinationem naturalem ad iſtos actus tantùm. Deinde, quælibet alia virtus à charitate intenditur tantùm per proprios actus.

Obiectio. Obijcies, charitatem augeri opere bono elicito à qualibet virtute Theologica, vel morali: ergo idem dicendum eſt de fide.

Solutio. Reſpondeo negando conſequentiam; ideò enim charitas intenditur pro tempore quo ſumus in hac vita, per actus elicitos à qualibet virtute; quia per actum bonum elicitum liberè & cum gratia, & charitate, comparamus ius ad vitam æternam, atque adeò vocamur boni, & meliores, prout contingit actus iſtos multiplicari; per actus verò ceterarum virtutum diuerſarum à fide nullus eſt qui conſtituatur fidelis, aut magis Catholicus: vnde fides nequit intendi per actus huiuſmodi virtutum, licèt charitas augeatur.

Vel omnino deſtruitur fides vel nihil illius. CONCLVSIO VLTIMA. *Vel tota fides deſtruitur vel nihil illius, & tantum remittitur cum ſeruor interuenientibus peccatis diuerſis ab infidelitate.* Primùm, quia quælibet res ſimpliciter ſpiritalis vel tota eſſe deſinit, vel nihil illius, vt conſtat de Angelis, vel de animabus noſtris, charitate & alijs; fides verò eſt qualitas ex ſe ſpiritualis ordinis ſupernaturalis.

Deinde, quæ pendent à ſolo Deo in eſſe, fieri, & conſeruari ſi pereant, ſecundùm ſe tota pereunt, non ſecundùm partes; fides verò ità à ſolo Deo pendet: ergo vel tota perit, vel nihil illius.

Tertiò, fides nuſquam deſtruitur niſi poſito peccato infidelitatis, aut interueniente ſtatu aliquo incompoſſibili cum fide; at ſupponimus non adeſſe peccatum infidelitatis, ſed alia, nequè item ſtatum incompoſſibilem cum fide: ergo.

Vltima pars docetur à D. Cypriano alicubi, dum ait, fidem in delicijs & voluptatibus langueſcere & eneruari; minimè verò deſtrui: ergo quemadmodum charitatis feruor remittitur per peccata venialia, ità & feruor fidei per peccata à nobis commiſſa. Confirmatur: Fides pendet in nobis ab aliquo pio voluntatis affectu, vt docuimus ſupra; atqui pius hic affectus eneruatur, & clangueſcit per peccata commiſſa: ergo & fides etiam remittetur per huiuſmodi peccata.

ROGABIS, *An poſſit aliquis certo & indubitanter aſſequi ſe habere fidem diuinam, adeò vt nulla ſuperſit ei occaſio dubitandi de oppoſito.* Ratio dubitandi eſt, quia quilibet Catholicus tenetur credere ſe non eſſe infidelem. Deinde, D. Thomas 1. 2. quæſt. 112. art. 5. ad 2. ait de ratione fidei & ſcientiæ eſſe certò cognoſcere habere fidem & ſcientiam. *De ratione ſcientiæ eſt,* inquit, *quòd homo certitudinem habeat de iis, quorum habet ſcientiam: & ſimiliter de ratione fidei eſt, quòd homo ſit certus de his, quorum habet fidem. Et hoc ideò quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo predicta dona exiſtunt: & ideo quicumque habet ſcientiam vel fidem, certus eſt ſe habere.* D. Thom.

CONCLVSIO VNICA. *Citra ſpecialem Dei reuelationem, nullus eſt qui poſſit certo ſcire ſe habere ſe certus eſt fidem diuinam, ità vt nulla ei ſuperſit occaſio dubitandi de oppoſito.* Primùm, quia certum eſt ex tract. de gratia neminem certò poſſe cognoſcere ſe gratiam & charitatem iuſtificantem eſſe aſſecutum: ergo neque ſe habere fidem. *Nullus ex de ſua fide.*

Deinde, fides nunſquam infunditur in nobis niſi dependenter ab actu dilectionis Dei ſuper omnia, vel ab actu contritionis perfectæ, vel denique ab attritione & ſacramento aliquo, vt docuimus in tract. de gratia, vbi diximus hæc eſſe diſpoſitiones infallibiles ad gratiam iuſtificantem obtinendam; atqui nullus eſt qui certò & indubitanter ſciat ſecluſa ſpeciali Dei reuelatione ſe exercuiſſe actum dilectionis Dei ſuper omnia, vel contritionis perfectæ, cùm hi actus debeant fieri ex ſpeciali Dei auxilio, quod non innoteſcit nobis certò, & indubitanter, ſed tantùm probabiliter: nullus eſt etiam qui intelligat ſe actum attritionis exercuiſſe & ſacramentum verè accepiſſe; nam ſupereſt illi dubitandum, an Sacerdos qui contulit illi ſacramentum habuerit intentionem debitam ad huiuſmodi conficiendum; & item, an actum attritionis ex ſpeciali Dei auxilio elicuerit: ergo &c.

Denique, licèt quilibet noſtrûm dum aſſentitur rebus à Deo reuelatis certò deprehendere poſſit ſe aſſenſum circa res reuelatas producere, nequit tamen certò ſtatuere ſe huiuſmodi aſſenſum elicere dependenter ab auxilio ordinis ſupernaturalis, vtpote qui poſſit à nobis produci dependenter à fide humana, aut inſtigante & mouente

Digitized by Google

uente dæmone, aut etiam media aliqua alia cauſa diuerſa ab auxilio ſpeciali diuino: ità communiter omnes, qui proinde docent probabiliter innoteſcere dari in nobis fidem diuinam.

Ad rationes dubitandi reſpondeo. Ad 1. vnumquemque noſtrûm obligari ad credendum ſe non eſſe infidelem, non quidem fide diuina, ſed humana.

Ad 2. duo dari in quolibet actu fidei, ſeu ſcientiæ: alterum eſt entitas aſſenſus quem præbemus rebus creditis, vel ſcitis; alterum modus quo his aſſentiamur: Primum contendit eo loco D. Thomas eſſe de ratione fidei & ſcientiæ in eo qui credit, vel ſcit aliquid, non autem ſecundum; atque adeò quilibet certò aſſequitur ſe exercere aſ- B ſenſum fidei vel ſcientiæ, non tamen propterea ſcit an id præſtet ex modo tendendi ordinis ſupernaturalis.

Obiectio. Obijcies, eſſe aliquos qui ità fidei adhærent vt pluris faciant conquiſita quæque ſupplicia ſuſtinere, quàm in re minima à fide deflectere: argumento igitur eſt homines iſtos certò deprehendere ſe habere fidem.

Solutio. Reſpondeo, nihil inde colligi poſſe contra Concluſionem poſitam; nam experientia etiam docet ex hæreticis aliquos ſuſtinere potius mortem quàm deficere ab erroribus in quibus verſantur; neque tamen propterea licet de iſtis affirmare quòd detur in illis fides: ergo neque etiam illud erit dicendum de Catholicis, qui patiuntur martyrium propter Chriſtum. C

QVÆSTIO SEXTA.

De cauſa fidei.

ARTICVLO 1. docet fidem infundi à Deo mortalibus.

ARTICVLO 2. & 3. fidem informem eſſe donum Dei. Circa quos ſit D

DVBITATIO PRIMA.

An fides producatur à ſolo Deo, vt à cauſa principali.

Fidei cauſa ſolus Deus. Ephes. 2. ỽ. 8.

CONCLVSIO *eſt affirmatiua*: dicitur enim ad Epheſ. 2. vnumquemq; noſtrûm ſaluari per gratiam Dei, & fidem eiuſdem. *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* & 1. Cor. 4. *Quid habes quod non acceperis?* (ſcilicet à Deo) *ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* E

1. Cor. 4. ỽ. 7.

Deinde, myſteria fidei ſunt à Deo reuelata. Ioan. 1. *Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* & Hebr. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit heredem vniuerſorum.* & Matth. 10. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos*

Ioan. 1. ỽ. 18. Matth. 16. ỽ. 17. Hebr. 1. ỽ. 1. & 2. Matth. 10. ỽ. 19. & 20.

eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. A

Tertiò, Tridentinum definijt neminem poſſe credere, ſperare, & diligere ſicut oportet ſine ſpeciali Dei auxilio, ſeſſ. 6. can. 3. hoc idem habent Mileuit. & Arauſic. II. Trident.

Subſcribunt Patres: D. Auguſt. de prædeſt. Sanctorum, cap. 5. Ambroſ. lib. 1. de penitent. cap. 10. Hilar. in Pſal. 143. Hieron. in epiſt. ad Epheſ. Proſper Aquit. lib. 1. de vocat. gentium, cap. 8. & Chryſoſt. hom. 4. in epiſt. ad Epheſ. D. Auguſt. Ambroſ. Hilarius. Hieron. Proſper. Chryſoſt.

Tamdem hæc eſt communis Scholaſticorum opinio in 3. diſt. 23. & D. Thomæ art. 1. huius quæſt.

Obijcies, ſinè ſpeciali auxilio nos aſſentiri dictis alicuius hominis ob eius authoritatem: ergo cùm ratio naturalis dictet Deo eſſe magis credendum, quàm vlli creaturæ, ſpeciale illud auxilium non erit neceſſarium ad aſſenſum fidei diuinæ. *Obiectio.*

Reſpond. negando conſequentiam; ideò enim ſinè vllo dono ſpeciali aſſentimur dictis alicuius hominis, quia huiuſmodi aſſenſus eſt ordinis naturalis; pendet enim à fide humana: aſſenſus verò quem præbemus dictis à Deo propoſitis authoritate Eccleſiæ, totus eſt ſupernaturalis, nedum ex obiecto ſuo, ſed etiam ex modo tendendi: atque adeò requiritur in nobis ſpeciale auxilium ad hunc aſſenſum, vtide fides iſta actualis erit à Deo velut à cauſa principali; effectus enim ſupernaturalis pendet ex ſua natura omnium conſenſu à cauſa ſupernaturali. *Solutio.*

DVBITATIO SECVNDA.

An fides informis infundatur alicui ſinè charitate & gratia.

PArtem negantem tenent Scotus in 3. diſt. 23. Almainus tract. 2. moralium, Vega in Concil. Trident. & Sotus; contendit enim hic in ſolo baptiſmo ſuſcepto cum complacentia peccati mortalis infundi fidem informem, extra tamen hunc caſum fidem huiuſmodi nuſquam dari alicui à Deo ſinè gratia: hanc opinionem putat probabilem Valentia diſp. 1. quæſt. 6. puncto vltimo ad hanc part. licèt contrariam exiſtimet probabiliorem. *Partis negantis fundamenta.*

Probatur autem hæc ſententia. Primùm, quia Deus neminem ſanctificat imperfectè & incompletè, ſed perfectiſſimè; *Nam Dei perfecta ſunt opera.* Deut. 32. at infuſio fidei eſt aliqua hominis ſanctificatio à ſolo Deo facta, vt à cauſa principali: ergo erit perfectiſſima, non poteſt autem eſſe perfectiſſima niſi fuerit coniuncta cum gratia & charitate; hæc enim ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. cauſa eſt formalis noſtræ ſanctificationis: igitur nunquam infundetur abſque charitate. 1.

Deinde, gratuita non hoſtibus, ſed amicis conceduntur; qui autem caret gratia inter inimicos Dei computatur, ex illo Sap. 14. *Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* 2. Deut. 32. ỽ. 4. Sap. 14. ỽ. 9.

Tertiò, per fidem quilibet ordinatur in Deum vt in vltimum finem; at deſtitutus gratia non habet Deum pro vltimo fine ſupernaturali, ex 1. Corinth. 13. ergo illa nequaquam infunditur abſque hac. Sotus verò ità ſuam ſententiam probat: ſolis Catholicis ineſt fides, at ſoli baptizati ſunt Catholici: ergo ſolis baptizatis ineſt fides. 3. 1. Cor. 13. ỽ. 2. & 3.

Digitized by Google

Fidei informis Deus eſt cauſa.

CONCLVSIO 1. *Fides informis eſt à Deo vt a cauſa principali & efficiente.* Primùm, quia fides formata eſt idem cum informi ſpectata ſecundum entitatem; at fides formata eſt à Deo vt à cauſa principali efficiente, vt colligitur ex Paulo Rom. 5. & 1. Corinth. 13.

Rom. 5. 1. Cor. 13.

Deinde, fides informis eſt vera fides ex Trident ſeſſ. 6. can. 28. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti: aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viua: aut cum qui fidem ſine charitate habet non eſſe Chriſtianum: anathema ſit.*

Trident.

Tertiò, fides informis definitur, *Habitus a Deo mentibus humanis infuſus quo aſſentimur rebus à Deo reuelatis.* Ità communiter hoc loco, & in 3. diſt. 23. Cùm autem diximus fidem informem eſſe à Deo velut à cauſa principali efficiente, id non eſt ità intelligendum, quaſi velimus eius informitatem refundendam eſſe in ſolum Deum, velut in ſuam cauſam præcipuam & principalem; cùm enim Deus ſit author omnis bonitatis & perfectionis, nuſquam erit cauſa principalis alicuius defectus vt hic, ſed tantùm creatura: informitas autem fidei eſt defectus aliquis; imò nihil aliud eſt, quàm carentia gratiæ & charitatis; huius autem carentiæ nulla alia poteſt aſſignari cauſa proxima & per ſe, præter peccatum mortale, quod datur in eo cui Deus infundit fidem ex opinione communi Theologorum: volumus ergo ſolam entitatem fidei informis repetendam eſſe à ſolo Deo, vt à cauſa præcipua efficiente.

Fidei informis infuſio extra baptiſmum.

CONCLVSIO 2. *Fides informis nedum in baptiſmo, ſed etiam extra ſinè charitate infunditur, ſaltem aliquando.* Hæc eſt contra Sotum & probatur: quod non eſt neceſſarium ad conſeruationem fidei ſimpliciter & abſolutè, non eſt etiam neceſſarium ad infuſionem eiuſdem; atqui charitas non eſt neceſſaria ad conſeruationem fidei: ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 15. & can. 28. vbi definit fidem in nobis conſeruari ſinè charitate: ergo.

Deinde, quando dantur duæ formæ abſolutæ, atque adeò quarum vna non dependet ab alia intrinſecè, nec vlla ratione, nihil impedit quominus vna reperiatur ſinè alia; atqui fides & charitas, ſunt duæ formæ abſolutæ, quarum vna non pendet ab altera; hæc enim conſeruatur in cœlis ſinè illa, & item in Chriſto pro tempore quo fuit in hac vita, vt docetur 3. parte: fides etiam conſeruatur in nobis ſinè gratia & charitate ex Trident. citato: ergo poteſt ſimpliciter infundi fides abſque charitate.

Obiectio. Dices, fidem pendere à charitate: ergo non infunditur ſinè illa.

Solutio. Reſpondeo, hoc eſſe verum in ratione virtutis ſimpliciter; non autem in ratione virtutis Theologicæ: ſic enim entitas abſoluta eſt à ſolo Deo producta independenter à qualibet alia virtute. Deinde, quælibet forma ponitur in ſuo ſubiecto, poſita diſpoſitione vltima eiuſdem; atqui diſpoſitio vltima neceſſaria ad introductionem fidei eſt actus credendi elicitus ex ſpeciali auxilio actuali Dei, vt diximus ſupra: ergo dabiturquoque in nobis fides etiam ſinè charitate.

Obiectio. Obijcies, Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. affirmare in hominis iuſtificatione infundi ſimul fidem, ſpem, & charitatem: ergo.

Solutio. Reſpondeo, ex iſtis ſolùm colligi iuſtificationem ſpectatam ſecundum Dei ordinationem, poſtulare connexionem virtutum tam per ſe infuſarum, quàm acquiſitarum, atque adeò tam Theologicarum, quàm moralium; cum iſtis tamen rectè cohæret, vt aliqua ex virtutibus per ſe infuſis, & item per ſe acquiſitis reperiatur ſinè gratia & charitate: complacentia quippe actualis peccati mortalis impedit quominùs charitas infundatur, quando quis baptizatur verbi gratia; ceteræ tamen virtutes dignitate baptiſmi & efficacia eiuſdem conferuntur homini baptizato, etiamſi adſit actualis complacentia peccati in eo.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. iuſtificationem productam à ſolo Deo eſſe perfectiſſimam; ac proinde trahere ſecum omnes omnino virtutes tam per ſe infuſas quàm acquiſitas; ſi tamen ſpectetur hæc iuſtificatio ex parte Dei: ex parte enim creaturæ quæ iuſtificatur non ſemper trahit ſocietatem omnium planè virtutum: nempe in eo caſu in quo adeſt complacentia peccati mortalis; hoc enim impedit ne compleatur iuſtificatio, neque hoc mirum: ſolet enim Deus ſeſe accommodare creaturis in earum iuſtificatione, ità vt rectè dixerit D. Auguſt. *Qui fecit neſcientem non iuſtificat niſi volentem*: cùm ergo ſupponamus in iſto qui aqua baptiſmali abluitur dari complacentiam actualem peccati mortalis, non eſt mirum ſi iuſtificetur hic tantùm ex parte, ac proinde ſi conſequatur fidem, ſpem, & virtutes morales ſinè gratia & charitate, quæ eſt cauſa formalis noſtræ iuſtificationis: ceteræ verò virtutes ſunt initiatiuè & radicaliter, ſaltem ſi ſermo ſit de fide, cauſa noſtræ iuſtificationis; ità vt ex charitate & alijs ſimul ſumptis conſurgat vna totalis & adæquata cauſa noſtræ iuſtificationis.

Rationibus contrarijs ſatis.

Ad 2. Deum conferre ſua dona nedum amicis, ſed etiam inimicis, vt docuimus in antecedentibus, vt manifeſtè colligitur ex Actuum cap. 9. dicitur enim illic Deum vocaſſe Paulum ad veram penitentiam, & eumdem conuertiſſe illo eodem tempore, quo Damaſcum proficiſcebatur vt Catholicos illic agentes perderet.

2. Actuu. 9.

Ad 3. fidem informem ordinare hominem ad vitam æternam, non quidem completè, ſed initiatiuè & radicaliter tantùm, atque adeò infuſionem iſtius virtutis non eſſe inanem & inutilem, etiamſi ſeparetur à charitate.

3.

Ad vltimam, ſolos baptizatos non eſſe Catholicos: Valentinianus quippe ex Ambroſ. loco cit. Catholicis adnumeratur, & tamen baptiſmum non ſuſceperat in re, ſed in voto tantùm. Sancti item Innocentes inter eoſdem recenſentur; & tamen certum eſt nunquam fuiſſe aqua ablutos: falſum ergo eſt quod ait Sotus fidem ineſſe ſolis baptizatis: Imperator ſiquidem citatus non potuit conſequi ſalutem ſinè fide, ex cap. 11.

Vlt.

Hebr. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt.* & tamen nunquam fuit ſalutari baptiſmo initiatus.

Hebr. 11. ℣. 6.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO SEPTIMA.

De effectibus fidei.

ARTICVLO 1. docet timorem eſſe effectum fidei: de qua re vix poteſt eſſe difficultas aliqua : nam dicitur Pſal. 118. *Et a verbis tuis formidauit cor meum.* & Habac. 3. *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* Deinde, timor non aliter eſt effectus fidei, quàm ſit opus intentum à nobis ex cauſalitate finis; non enim producitur à fide vt à cauſa phyſica, ſed tantùm vt à cauſa metaphorica & morali; non eſt autem abſurdum fidem producere hac ratione timorem in nobis, & quidem ſeruilem, ſi ſit cogitatio de pœnis æternis, vel temporalibus, vel de turpitudine peccati commiſſi; filialem verò ſi inducat cogitationem de bonis ſpectantibus ad Deum, prout ſunt bona Dei.

Pſal. 118. ỽ. 161. Hab. 3. ỽ. 2.

ARTICVLO VLTIMO docet purificationem cordis eſſe computandam inter effectus fidei, quod probari poteſt ex Actuum 15. *Fide purificans corda eorum.* Deinde, propterea fides dicitur cauſare in nobis purificationem cordium, quòd auocet mortales à deſiderijs rerum caducarum, & alliciat ad ſpiritualium indagationem; ac proinde diſponat ad gratiam iuſtificantem obtinendam, & ad peccata abneganda quod facilè patet: ceteræ namque virtutes inducunt aliquam cordis purificationem ex eo, quòd auertant hominem à malis operibus, & diſponant ad honeſtas aliquas actiones exercendas.

Actuu. 15. ỽ. 10.

QVÆSTIO OCTAVA.

De dono intellectus.

QVÆSTIO NONA.

De dono ſcientiæ.

CIRCA iſtas duas Quæſtiones duo ſunt notanda: Primum, nomine doni intellectus nihil aliud ſignificarij hoc loco, quàm id quod facilitat hominem ex motione Spiritus ſancti in inueſtigandis veritatibus fidei, & quidem ità, vt is cui confertur huiuſmodi donum, ideò adhæreat Deo, nec ab eo recedat per peccatum: Nomine verò doni ſcientiæ intelligi auxilium illud ſpeciale Spiritus ſancti, quo quilibet facilitatur vt iudicet, & de agendis & non agendis, credendis, & non credendis; vtrumque verò donum eſſe ordinis ſupernaturalis; habent enim idem pro obiecto materiali quod fides, atque adeò Deum, & ea quæ ſunt Dei, ſiue ea quæ ad eum ordinantur; modò tamen fuerint reuelata & propoſita authoritate Eccleſiæ. Concedendum eſt etiam de iſtis donis quòd ſint theoretica & practica, vtpote quæ naturam fidei quodammodo imitentur, & idcircò vt docuimus de fide quòd ſit theoretica & practica, ità idem de donis iſtis dicendum eſt, hócque aſſerit D. Thomas de dono ſcientiæ art. 1. & 2. quæſt. 9.

Nomine doni quid intelligatur.

Aduerte 2. eſſe aliquos Theologos qui affirment dona iſta non diſtingui à fide realiter, idque quòd retineant ſimilitudinem cum fide. Probant ſuam ſententiam: Primò, quia non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate. 2. quia huiuſmodi dona dicuntur virtutes à Patribus, maximè verò à D. Auguſt. quæſt. 8. & Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto. Tertiò, quia ſi hæc dona eſſent aliquid diuerſum à fide, eſſent vel operationes Dei tranſeuntes, vel virtutes aliquæ diuerſæ à fide diuina, atque adeò præſtantiores ipſa: Primum dici nequit, quia dona hæc eſſent multiplicanda in infinitum, ſaltem ſecundum numerum, iuxta actus fidei, qui producerentur cum dependentia ab iſtis donis: Nec ſecundum, quia cùm hæc verſentur circa idem ſubiectum cum fide, fruſtra videtur induci: Nec tertium, quia cum præſtantia cuiuſlibet habitus, aut actus ab obiecto petatur, non poterunt dona hæc dici perfectiora fide, nec etiam imperfectiora.

D.Auguſt.

Contraria tamen opinio videtur verior. Primùm, quia eſt D. Thomæ, Caietan. Bannez. Deinde, quia dona hæc vocantur inſpirationes, & item Spiritus ſancti dona, quod tamen non legimus de virtutibus, quæ retinent affinitatem cum his donis. Tertiò, quia dona huiuſmodi conferunt modum aliquem operandi ſpecialem diſtinctum ab eo qui competit virtutibus Theologicis, aut Cardinalibus; hæc namque facilitant hominem in recipiendis diuinis inſtinctibus, vt monuimus ſupra, & quidem longè perfectiùs quàm virtutes aliæ. Quartò, ſi aliter res haberet, dona intellectus & ſcientiæ non habuiſſent locum in anima Chriſti; caruit enim fide, cum qua tamen volunt authores contrarij identificari dona iſta; at hæc illatio apertè eſt contra Iſaï. cap. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis.* Quintò, SS. Patres, maximè verò Gregor. diſtinguunt dona Spiritus ſancti à virtutibus; lib. quippe 35. Mor. cap. 13. ait per tres filias Iob, Diem ſcilicet, Caſſiam, & Cornuſtibium, ſignari tres virtutes Theologicas: & per quatuor angulos eius domus quatuor virtutes Cardinales; per ſeptem verò filios, ſeptem dona Spiritus ſancti: ergo.

Dona diſtinguntur realiter à fide.

Iſaï. 11. ỽ. 2.

Gregor.

Ad rationes verò contrarias reſpondeo. Ad 1. non multiplicari dona iſta ſupra virtutem fidei ſinè cauſa; nam diximus dona intelligentiæ & ſcientiæ, vt ſic, facilitare hominem in inueſtigandis veritatibus fidei, & item in decernendis quæ ſunt agenda, & cauenda, credenda, & non credenda: fides autem, vt ſic, facit nos aſſentiri rebus à Deo reuelatis: quid igitur mirum ſi dicamus dona illa diſtingui realiter à fide?

Ad 2. ſanctos Patres vocare dona Spiritus ſancti virtutes, non quòd ſint eiuſdem entitatis cum virtutibus, cum quibus dicunt conuenientiam,

sed virtutes realiter ab illis distinctæ, vnde concedendum est dona esse virtutes, vt fatetur D. Thomas 1.2. non tamen easdem cum virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, sed diuersas omnino.

Ad vltimam. Dona Spiritus sancti non esse operationes, vt probat argumentum, sed virtutes diuersas ab operationibus, cum quibus habent affinitatem. Ad id verò quod dicitur illa dona habere idem obiectum cum virtute, cum qua habent similitudinem. Respondeo hoc esse verum de obiecto materiali, non formali; dona enim, vt sic, ordinantur à Deo ad facilitandum hominem in his actionibus exercendis quæ debentur virtuti, cum qua habent affinitatem, atque adeò varium habent tendendi modum in sua obiecta. Quo fit etiam vt dona scientiæ & intellectus non sint ità præstantia ac fides, & aliæ virtutes Theologicæ, tum ex D. Thoma 1.2. quæst. 68. tum quia dona Spiritus sancti regulantur à virtutibus cum quibus habent conuenientiam.

QVÆSTIO DECIMA.

De infidelitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum infidelitas sit peccatum.

Infidelitas quando peccatum

CONCLVSIO VNICA. *Infidelitas contrariè sumpta peccatum est, non verò negatiuè, sed solum pœna peccati.* Hæc est D. Thomæ hic: cuius prima pars probatur ex cap. 15. Ioan. *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Marc. 16. *Qui non crediderit condemnabitur.*

Ioan. 15. ℣. 22.

Marc. 16. ℣. 16.

Deinde, peccatum est dictum factum, vel concupitum contra legem Dei æternam; quilibet autem tenetur credere quoties ei debitè fidei articuli proponuntur, quod non facit is in quo est infidelitas contrariè sumpta; hæc siquidem definitur transgressio præcepti voluntaria de re credendo. Et autem res hæc pleniùs intelligatur. Aduerte infidelitatem contrariè sumptam, nunquam reperiri in aliquo de lege communi, nisi præcellerit explicatio articulorum fidei facta ab alio, vt patet ex cap. 10. Rom. *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? &, Fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi.* Hæc autem explicatio tanta esse debet vt articuli fidei ità fiant credibiles, quòd nulla alia religio veri Dei sit magis credibilis, & quidem dependenter à medijs quibus religio aliqua veri Dei sit credibilis.

Rom. 10. ℣. 14. & 17.

D. Augustin. Secunda pars probatur ex D. Aug. tract. 91. in Ioan. vbi de peccato infidelitatis excusat eos omnes qui nihil adhuc audiuerunt de fide Catholica. Deinde, Pius V. & Gregor. XIII. ex Pesantio, Mildera, & alijs damnarunt hanc propositionem: *Infidelitas qua est in ijs qui nihil audierunt de fide Christi, peccatum est.* Denique, dantur innumeri qui non possunt vitare infidelitatem negatiuè sumptam; omnes illi videlicet qui nihil vspiam de fide Christi audierunt, & item paruuli quamdiu agunt in tenera ætate, & amentes perpetui.

Tertia denique pars admittitur ab omnibus; credunt enim ob peccata commissa Deum negare populis & gentibus quibusdam diuini Verbi promulgationem.

Obiectio. Obijcies, infidelitatem negatiuè sumptam opponi virtuti, atque adeò esse peccatum.

Solutio. Respondeo, infidelitatem opponi virtuti non quæ sit perfectio voluntatis nostræ, sed tantùm intellectus; fides enim, vt sic, intellectum non voluntatem perficit: quod verò opponitur intellectui non est necessariò peccatum, bene tamen quòd opponitur voluntati liberè operanti.

Obiectio. Obijcies, Deum punire infidelitatem negatiuam ex Psal. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.*

Psal. 78. ℣. 6.

Solutio. Respondeo, Deum hoc facere non per se, sed per accidens, propter scilicet peccata alia ab istis infidelibus commissa; qua ratione etiam explicatur locus D. Augustin. de gratia & libero arbitrio: Ignorantia neminem sic excusat, vt æterno igne non ardeat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An infidelitas sit in intellectu tamquam in subiecto.

Infidelitatis subiectum intellectus. CONCLVSIO *est affirmatiua*: de qua nulla est dubitatio; priuationes enim recipiuntur in eodem subiecto in quo & forma opposita; at fides in intellectu recipitur vt in subiecto: ergo & infidelitas.

Obiectio. Obijcies, omne peccatum sedem habet in voluntate: ergo & infidelitas cùm sit peccatum.

Solutio. Respondeo, omne peccatum sedem habere in voluntate, vel motiuè, vel subiectiuè; peccata enim commissa contra virtutes, quæ residunt in voluntate, recipiuntur in ea vt in subiecto proximo; peccata tamen commissa contra virtutes intellectus motiuè solùm sunt in voluntate, subiectiuè in intellectu; vnde fit infidelitatem esse solùm in voluntate motiuè, seu imperatiuè, idque quòd ratio libertatis sit necessaria ad peccatum, quæ formaliter est in sola voluntate.

Infidelitatis peccatum maius alijs quando. ARTICVLO 3. docet peccatum infidelitatis maius esse quolibet alio peccato commisso contra virtutes morales per se acquisitas, secus tamen contra virtutes Theologicas: prima pars huius documenti probatur, quia grauitas peccati repetenda est à dignitate virtutis contra quam committitur: at peccatum infidelitatis cum fide diuina pugnat, quæ multis partibus præstantior est quacumque virtute morali per se acquisita, vt est per se notum: ergo. Deinde, magis accedimus ad Deum per fidem diuinam, quàm per vllam virtutem moralem per se acquisitam: ergo & magis recedimus à Deo per infidelitatem, quàm per peccata commissa contra virtutes morales: ergo infidelitas grauius erit peccatum istis omnibus. Denique, peccatum infidelitatis facit ne

peccata

Digitized by Google

peccata commiſſa contra virtutes morales deleantur ex cap. 8. Ioann. *Si non crediderit is quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* & Hebr. 11. *Sinè fide impoſſibile eſt placere Deo* : ergo ex hoc capite peccatum infidelitatis grauius erit alijs contra virtutes morales commiſſis.

Ioan. 8. ℣. 24. Hebr. 11. ℣. 6.

Secunda pars probatur ex eo quòd odium Dei ſit grauius peccato infidelitatis ; opponitur enim charitati quæ ex 1. Corinth. 13. ceteris virtutibus longè præſtat : *Maior autem horum eſt Charitas.* comparat autem verbis expreſſis charitatem cum fide & ſpe : ergo non erit infidelitas, culpa grauior omni alia commiſſa contra virtutes Theologicas.

1. Cor. 13. ℣. 13.

Deinde, licèt infidelitas grauior ſit peccato deſperationis, non ità tamen obeſt nobis, ac deſperatio ; non enim locum habet deſperatio in aliquo, quin conſequenter etiam in eodem detur infidelitas, vt colligitur ex 11. Hebr. vbi fidem definit Apoſtolus, ſubſtantiam rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.

Articvlo 4. docet non omnia opera infidelium eſſe peccata, quod à nobis conſultò omittitur, vtpote ſufficienter diſcuſſum in tract. de gratia.

ARTICVLVS QVINTVS.

An dentur plures ſpecies infidelitatis.

Species infidelitatis hæreſis, Iudaiſmus, & Paganiſmus.

Inter omnes conuenit tres dari ſpecies infidelitatis, hæreſim ſcilicet, Iudaiſmum, & Paganiſmum : dubitatur verò num hæc diuiſio ſit generis in ſuas ſpecies eſſentiales vel accidentales.

Prima opinio aſſerit eſſe in ſpecies eſſentiales. Ità Caiet. Maldera; & alij nonnulli ad hunc articulum.

Secunda verò aſſerit eſſe diuiſionem generis in ſuas ſpecies accidentales : ità Lorca, & plerique alij recentiores. De qua re ſit

Conclvsio 1. *Probabile eſt infidelitatem diuidi in huiuſmodi ſpecies veluti in ſua accidentia.* Primùm, quia cuilibet virtuti per ſe opponitur vnum tantùm peccatum, vt iuſtitiæ opponitur eſſentialiter iniuſtitia, ſpei deſperatio, & charitati odium, & ſic de ceteris ; atqui datur vna tantummodo ſpecie fides diuina : ergo dabitur & vna ſpecie infidelitas.

Deinde, magis & minùs non variant ſpeciem ; at hæreſis, Paganiſmus & Iudaiſmus differunt inter ſe ſecundùm magis & minùs ; Paganiſmus enim ſimpliciter abijcit fidem : Iudaiſmus verò eamdem reſpuit non quidem ſimpliciter, vtpote qui retineat eiuſdem obiectum ſecundùm figuram tamen ; acceptat enim Chriſtum venturum : retinet demum hæreſis obiectum fidei, ceterùm prout vult, quod etiam abijcit, prout gratum cuilibet hæretico videtur.

Tres ſpecies infidelitatis eſſentiales.

Conclvsio 2. *Probabilius videtur tres eſſe infidelitatis ſpecies eſſentiales.* Primùm, quia tot ſunt ſpecies eſſentiales infidelitatis ex D. Thoma in corpore, quot ſunt modi ſpeciales, quibus renitimur fidei manifeſtatæ ſecundùm legem Euangelicam ; ſpecies quippe cuiuſlibet peccati aut etiam virtutis petitur ab obiecto, vel à modo tendendi in illud : at Paganiſmus, Iudaiſmus, & Hæreſis tribus modis ſpecialibus tendunt, vel potius deficiunt à fide Chriſtiana, & Catholica : etenim hæreſis renititur fidei Catholicæ abnegando teſtificationem primæ veritatis ; authoritatem etiam Eccleſiæ contemnendo ; etſi tamen fidem Chriſtianam profiteatur. Iudaiſmus verò reluctatur fidei Catholicæ abnegando Chriſtum, & admittendo eumdem venturum, atque adeò ſcripturas iuxta propriam voluntatem interpretando : renititur denique Paganiſmus fidei abnegando omnino obiectum eiuſdem.

Confirmatur. Mathematicæ diſciplinæ ideò diſtinguuntur inter ſe ſpecie eſſentiali, quòd licèt verſentur circa idem obiectum materiale, illud tamen attingunt diuerſo modo tendendi, vt eſt per ſe notum : ergo idem erit dicendum de peccatis Paganiſmi, Iudaiſmi, & Hæreſis, vtpote quæ per diuerſas oppoſitiones fidem Chriſtianam attingant.

Denique, fornicatio illius qui obſtrinxit ſe voto caſtitatis, verbi gratia, diſtinguitur ſpecie à fornicatione illius qui nullam emiſit votum ; propter quam cauſam tenetur is qui lapſus eſt in carnis peccatum accuſare ſe neceſſariò in confeſſione, quòd peccauerit contra votum caſtitatis, hæc enim circumſtantia immutat ſpeciem peccati fornicationis ſimplicis : ergo & ſpecies infidelitatis commemoratæ diſtinguentur inter ſe eſſentialiter, ideò enim fornicatio illius qui tenetur voto caſtitatis pertinet ad nouam ſpeciem eſſentialem, quia ſpeciali ratione pugnat cum virtute caſtitatis, diuerſa ab ea quæ reperitur in fornicatione ſimplici.

Obiect. Obijcies, huiuſmodi ſpecies infidelitatis ex obiecto ſpectandas eſſe, non ergo à virtute à qua recedunt, ſed ab erroribus ad quos accedunt iſtæ ſpecies.

Solutio. Reſpondeo, prædictam diuiſionem peti, vel ab obiecto, vel potius a modo ſpeciali ſeu diuerſo tendendi in illud, vel deficiendi ab iuſtimodi obiecto, vt memini ſupra, vbi diximus ſpecies iſtas infidelitatis certis quibuſdam modis cum fide diuina pugnare, & ab eadem deficere.

Obiectio 2. Obijcies, talem diuiſionem non eſſe ſufficientem : Turciſmus enim infidelitas eſt & culpa : Item Herodianiſmus cuius meminit Epiphanius hær. 20. neutra tamen ex iſtis in hac diuiſione includitur.

Solutio. Reſpondeo, Turciſmum reuocandum ad Paganiſmum, nec enim acceptant Turcæ vetus vel nouum Teſtamentum vnde & fidem cum Paganis procul abijciunt : Herodianiſmum verò ad Iudaïſmum reducendum, vtpote qui in acceptatione Chriſti cum Iudæis à fide defecit ; putarunt enim iſti Herodem eſſe Chriſtum.

Replica. Inſtabis, hæreticum fieri poſſe Paganum, & item nihil repugnare quominus filij hæreticorum nuſquam fidem habuerint : ergo hæreſis & Paganiſmus ad inuicem includuntur.

Diſſoluitur. Reſpondeo, negando conſequentiam ; non enim aliquis ideirco dicitur Paganus quòd habuerit fidem, vel non ; ſed quòd non recipiat aut acceptet fidem, ſeu, vt alij loquuntur, profiteatur : hæreticus item non ideò quis dicitur, quòd fidem aliquando non habuerit vel habeat, ſed quòd eam non profiteatur, & recipiat.

Digitized by Google

Diſſoluuntur rationes 1. Concluſionis.

Ad rationes in confirmationem primæ Concluſionis adductas reſpondeo. Ad 1. cuilibet virtuti in vniuerſum opponi vnum tantummodo vitium; cum iſtis tamen rectè ſtare, vt eidem virtuti plura peccata ſpecie diſtincta reſpondeant, vt manifeſtè colligitur ex peccatis commiſſis contra iuſtitiam; hæc enim ſpecie diſcriminantur, vt patet ex furto, homicidio, & alijs quæ cenſentur cum iuſtitia pugnare. Deinde, vni liberalitati opponuntur prodigalitas, & auaritia, quæ tamen ſunt peccata ſpecie diſtincta.

Ad 2. magis & minùs intrà eamdem ſpeciem non inducere diuerſitatem ſpecificam eſſentialem; diuerſus tamen modus tendendi, aut deficiendi à virtute aliqua poteſt inducere diuerſitatem eſſentialem ſpecificam: hoc autem contingit in ſpeciebus infidelitatis à nobis aſſignatis. B

ARTICVLO 6. docet grauitatem infidelitatis repetendam eſſe ex renitentia & obiectione: ex primo capite affirmat hæreſim eſſe peccatum grauius infidelitate, Iudaïſmo, & Paganiſmo; & quidem meritò: hîc enim datur maior culpa infidelitatis, vbi reperitur maior contemptus in obiecto fidei: at datur maior contemptus fidei in hæreſi, quàm in Iudaïſmo, & Paganiſmo; etenim illic adeſt maior contemptus, vbi grauiora negliguntur argumenta credibilitatis; hæreſis verò longè plura reijcit, C quàm Iudaïſmus, & Paganiſmus; hæ quippe duæ ſpecies infidelitatis non abijciunt tot motiua credendi quot hæreſes: poſt hæreſim verò ex eodem capite contendit Iudaïſmum Paganiſmo longè in grauitate culpæ ſuperiorem eſſe, idque propter rationem contemnendi potiora credibilitatis indicia.

Ex poſteriori verò capite contendit Paganiſmum Iudaïſmo & hæreſi longè grauius, & deterius infidelitatis peccatum eſſe; vbi namque contingit obiectum fidei ſimpliciter & abſolutè abijci, ibi etiam datur maior infidelitas; at Paganiſmus abijcit prorſus obiectum fidei: ergo maior eſt in eo infidelitas. Secun- D das verò partes tribuit Iudaïſmo, & vltimas hæreſi, quòd nempe hæreſis fidem & obiectum eiuſdem non ità abijciat ſicut Iudaïſmus. Vbi tamen admonent interpretes Diui Thomæ fieri poſſe vt hæreſis aliqua deterior ſit Iudaïſmo, etiam ex parte abiectionis obiecti fidei: contingere namque poteſt vt hæreſis aliqua tot & tam multa fidei Catholicæ documenta materialiter ſumpta reſpuat, vt hæc plura ſint quàm quæ negantur à Iudæis.

Obiectio. Obijcies, Paganiſmum cenſeri non poſſe grauius peccatum hæreſi, etiam ex parte abiectionis obiecti fidei; idem enim planè videtur eſſe cum hæreſi in ordine ad iſtam abiectionem: E etenim ſicut qui exercet actum intemperantiæ peccare dicitur contra temperantiam, etſi nunquam ea præditus fuerit; ità qui exercet actus fidei diuinæ contrarios, etſi fidem nunquam habuerit, hic dicetur verè hæreticus: Paganus autem exercet actus innumeros fidei diuinæ contrarios: ergo.

Solutio. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; nullus enim ideircò vocatur hæreticus, quòd fidem habuerit vel non; nec item Paganus quis dicitur quòd fidem non habuerit, ſed ſolùm quod fidem ſimpliciter & abſolutè non recipiat: hæreticus item ideò quis A dicitur, quòd fidem non profiteatur & accepret, ſiue eam habuerit vel non: ex quo tamen colligi nequit Paganiſmum idem eſſe cum hæreſi, aut è contra, vt videre eſt ex diſcrimine allato ſupra.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum cum infidelibus ſit publicè diſputandum.

VÆRVNT hoc loco Theologi, an liceat publicè de rebus fidei cum hæreticis diſputare; qua de re ſit

CONCLVSIO 1. *Non eſt publicè cum hæreticis diſputandum, ſolent enim iſtæ diſputationes eſſe vt plurimum inutiles.* *Non eſt cũ hæreticis publicè diſputandum.*

Primùm, quia ità Patres: Tertullian. de præſcript. aduersùs hæreticos, lib. 5. cap. 15. *Scripturas obtendunt, & hæc ſua audacia ſtatim quoſdam mouent; in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.* & D. Auguſtinus lib. 13. contra Fauſtum, cap. 12. vbi affirmat hæreticos huiuſmodi diſputationibus inſoleſcere & impudentiſſima peruicacia iactare ſe ſuperiores extitiſſe, etſi cauſa ceciderint. *Non enim diſputare amant Hæretici, ſed quoquomodo ſuperare impudentiſſima peruicacia, vt congregent ſicut perdices, quæ non pepererunt.* Irenæus lib. 3. contra hæreſes, cap. 2. Vincentius Lirinenſis aduersùs prophanas nouitates, & D. Thomas hoc loco. Tertull. D. Auguſt. Irenæus. Lirinenſ. D. Thom.

Deinde, ex cap. *Cum quibus.* 24. quæſt. 3.

Tertiò, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fidem faciunt inutilitatis huiuſmodi diſputationum, vt patet ex Nicephoro lib. 8. cap. 15. Ruardo, orat. 5. quodlibetica. Driedone de ſacra Scriptura, & ex alijs multis recentioribus.

Dixi autem non eſſe facilè ſuſcipiendas huiuſmodi diſputationes publicas, quia certum eſt interdum inſtituendas eſſe, putà cum occurrit graue damnum vitandum circa fidem; atque adeò quando etiam vtilitas maxima ſperatur. Primùm, quia certum eſt diſputare publicè de religione non eſſe rem per ſe malam; Chriſtus enim diſputauit contra Iudæos Ioan. 8. & Luc. 2. cùm attigiſſet duodecimum annum deprehenditur à parentibus in medio Doctorum interrogans & reſpondens de rebus fidei Iudæorum. Ioan. 8. Luc. 2.

Deinde, Stephanus publicè decertauit cum ſectis & Synagogis, Actuum 6. *Surrexerunt autem quidam de Synagoga quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Aſia, diſputantes cum Stephano.* Idem Paulus Actuum 9. *Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.* Actu. 6. ℣. 9. & 9. ℣. 22.

Denique, ex negatione diſputationis publicæ, non minora aliquando ſequuntur incommoda, quàm ex inconſiderata, vt patet ex Gregor. lib. 2. ſui paſtoralis, cap. 4. *Sicut*, inquit, *incauta locutio in errorem pertrahit; ita indiſcretum ſilentium hos qui erudiri poterant in errore reliquit.*

CON-

Epiſcopi eſt decernere quid agendum circa diſputationes hæreticorum.

CONCLVSIO 2. *Ad Epiſcopum pertinet & diſputationes publicas inire & de earum vtilitate, aut incommodo definire.* Primùm, quia de Epiſcopo dicitur Tit. 1. *Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* & Mal. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Dominus exercituum eſt.* & 1. Petr. 3. de eiſdem dicitur; *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe.*

Tit. 1. ℣. 9. Mal. 2. ℣. 7. 1. Petr. 3. ℣. 15.

Deinde, aſſiſtentia Spiritus ſancti promiſſa eſt Epiſcopis, ne peccent in gubernanda Eccleſia, & dogmatibus fidei explicandis Ioann. 15. *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.*

Ioan. 15. ℣. 26.

Tertiò, ſolicitudo Eccleſiarum penès Epiſcopos eſt, ex Actuum 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.*

Actu. 20. ℣. 28.

Denique, ità vſus obtinuit antiquitus, vt Epiſcopi onus diſputandi cum hæreticis ſuſtinerent: dicitur enim ab Eccleſia de D. Auguſt. *Eodem tempore Fortunatus Presbyter Manichæorum verſutia plurimos ſeducebat, quem ſanctus Auguſtinus in conuentu omnium diſputans, publicè ſuperauit:* Quæ diſputatio extat tomo 7. operum D. Auguſt. & diſputatio eiuſdem celebrata cum Donatiſtis per tres dies præſide Marcellino Comite, ex delegatione Imperatoris, homine Ethnico & Pagano, cui poſtea libros de Ciuit. nuncupauit: hæc autem diſputatio inſcribitur; *Breuiculus collationum cum Donatiſtis.*

Ex D. Auguſtini legenda.

Cùm autem diximus Epiſcopos obligari ad diſputationes huiuſmodi inſtituendas, hoc non eſt intelligendum, quaſi teneantur per ſeipſos; poſſunt enim hoc præſtare per viros Eccleſiaſticos in Scripturis exercitatos; non tamen poſſunt ad id aduocare Laïcos, vt patet ex cap. *Quicunque.* de hæret. in ſext. & ex 6. Synodo cap. 64. quod tamen limitatur etiam à quibuſdam ad eum caſum in quo dantur viri Eccleſiaſtici qui poſſunt oneri huic reſpondere: quando autem nullus daretur Eccleſiaſticus credunt vices iſtas poſſe committi Laïco ad arbitrium Epiſcopi. Conſule de iſtis interpretes S. Thomæ ad hunc locum.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrùm infideles cogendi ſint ad fidem.

Infideles non cogendi ad fidē ſed inducendi.

CONCLVSIO 1. *Infideles cogi nequeunt ad fidei Chriſtianæ acceptationem, ſine ſubijciantur principibus Chriſtianis, ſine non; ſed ſunt tantùm inducendi.* Primùm, quia ità Concil. Toletan. IV. cap. 57. *De Iudæis autem hoc præcipit ſancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat. Non enim tales inuiti ſunt ſaluandi, ſed volentes; vt integra ſit forma iuſtitiæ: ſicut enim homo proprij arbitrij voluntate ſerpenti obediens periit; ſic vocante gratia Dei, propria mentis conuerſione homo quiſque credendo ſaluatur.*

Concil. Toletan.

Deinde, ità Patres: Gregor. lib. 1. epiſtolarum, epiſtola 45. & lib. 2. epiſtola 32. Nouа & inaudita eſt iſta prædicatio quæ verberibus exigit fidem. & Ambroſ. ad cap. 10. Luc. ad hæc verba, *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.*

Gregor.

Luc. 10. ℣. 4.

Tertiò, quando Chriſtus miſit Apoſtolos ad prædicandum Matth. 10. illis poteſtatem contulit miracula efficiendi; ſubiungendo hæc verba, *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Ideò Chriſtus addidit, *Neque virgam*, ex Ambroſio lib. 7. in Lucam, cap. 10. quia virga deſignat poteſtatem coërcitiuam, quā noluit Apoſtolos vti inter fidem promulgandam: *Non virgas*, inquit, *in manu iubentur tollere Apoſtoli. Quid eſt virga, niſi præferendæ poteſtatis inſigne, & vlciſcendi inſtrumentum doloris? Ergò humilis Domini præceptum, diſcipuli eius humilitatis officijs exequuntur. Eos enim miſit ad ſeminandam fidem, qui non cogerent, ſed docerent: nec vim poteſtatis exercerent, ſed doctrinam humilitatis extollerent.*

Matth. 10. ℣. 9. & 10. Ambroſ.

Idem colligunt alij ex cap. 9. Lucæ, vbi rogant Apoſtoli Chriſtum vt faciat ignem deſcendere de cœlo, quo abſumantur Samaritani, qui noluerant Apoſtolos recipere: quibus reſpondit Chriſtus, *Nescitis cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere: ſed ſaluare.*

Luc. 9. ℣. 54. Id. ℣. 55.

Obijcies, Sizebutum Regem Hiſpaniarum, Gotthum Catholicum coëgiſſe Iudæos ſibi ſubditos ad baptiſmi ſuſceptionem, & legis Chriſtianæ obſeruationem, anno eiuſdem 612. vt patet ex Chronico quod Garſias Loaiſa præmiſit Concilijs Toletanis. *Obiectio.*

Reſpondeo, factum huius Regis fuiſſe à Concilio Toletano improbatum; cuius tamen animus laudatur ab Scriptoribus rerum Hiſpanicarum, idque quòd fuerit bene affectus erga fidem Catholicam. *Solutio.*

CONCLVSIO 2. *Poſſunt Principes Chriſtiani infideles ſibi ſubditos impedire, ne vitia ſolemni & publico colant idola: imo & eoſdem a ſuis terris exilio mulctare, idque iuſtiſſimè.* Primùm, quia Conſtantinus Imperator laudatur tum à D. Auguſt. epiſt. 48. cùm à D. Ambroſio epiſt. 30. quòd omnia templa Idolorum ſui imperij occludi iuſſerit. *Poſſunt impedire fideles ne idola veneretur.*

Deinde, tantùm abeſt vt Principes Chriſtiani Ethnicis ſibi ſubditis iniuriam inferant, quin imò peccandi auſam ſubtrahunt.

Tertiò, Scriptores rerum Hiſpanicarum commendant plurimum Ferdinandum & Eliſabetham, eo quòd anno Chriſti 1492. Iudæos, & anno 1520. Sarracenos à ſuis dominationibus eiecerint: & paucis abhinc annis ſimile quid erga omnes Mauros præſtitit Philippus III.

Denique, Paulus Rom. 13. ait Magiſtratus non ſinè cauſa gladium portare; *Vindex*, enim, *eſt in iram ei qui malum agit*: ergo cùm ex conſortio infidelium conſurgat apoſtaſia à fide Catholica, vel certè immineat periculum ſubuerſionis bonorum, poterit princeps Catholicus extra ſuum dominium Ethnicos ſibi ſubditos relegare, idque inculpatè.

Rom. 13. ℣. 4.

ARTICVLO 9. docet non eſſe cum infidelibus communicandum, quod qua ratione verum ſit explicatum eſt ſupra.

Digitized by Google

ARTICVLVS DECIMVS.

Vtrùm infideles poſſint habere prælationem ſeu dominium ſupra fideles.

Partis negantis fundamenta.

1.

RATIO dubitandi eſt, quia Chriſtiani videntur eſſe immunes reſpectu cuiuſlibet ſeruitutis debitæ infidelibus: dicitur enim Matth. 17. Matth. 17. Reges terræ exigere tributa non à filijs, ſed ab alienis; ſi enim ſunt filij, liberi ſunt: Ioan. 8. ℣. 31. & 32. Ioan. 8. ℣. 31. & 32. *Vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* & 1. Corinth. 6. 1. Cor. 6. prohibet Paulus ne quis fidelis adeat tribunalia infidelium, vt illic audiat ſententiam, & accipiat.

2. Deinde, D. Auguſt. 19. de Ciuitate, docet nullam dari veram iuſtitiam apud infideles.

3. Tertiò, facit Deus poteſtatem Iudæis occidendi Hethæos & Amorrhæos, quòd eſſent infideles, atque etiam occupandi ciuitates eorum Deut. 7. Deut. 7.

Denique, Pontifices Maximi fecerunt poteſtatem Regibus Hiſpaniarum inuadendi terras Principum Indiarum.

Infidelis retinet dominium in fideles.

CONCLVSIO 1. *Nullus infidelis ob ſolam infidelitatem ſpoliatur ſuo dominio, vnde tributis debitis perſoluendis tenentur ſubditi fideles.* Primùm, quia Matth. 22. ℣. 21. Matth. 22. ℣. 21. dicitur; *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* & tamen Chriſtus ſciebat eſſe infidelem Cæſarem: Rom. 13. ℣. 1. Rom. 13. ℣. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* &; Ibid. ℣. 7. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui veſtigal, veſtigal: cui timorem, timorem: cui honorem honorem.* & 1. Timoth. 6. ℣. 1. & 2. 1. Tim. 6. ℣. 1. & 2. *Quicunque ſunt ſub iugo ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur.* & rurſus: *Qui fideles, habent dominos, non contemnant.*

2. Deinde, ſancti Patres admonent tributa perſoluenda eſſe Principibus, nulla facta diſtinctione inter fideles, & infideles: ità D. Auguſt. D. Auguſt. quæſt. 35. veteris & noui Teſtamenti, & alij innumeri ad teſtimonia Scripturæ proximè citata.

3. Tertio, Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 15. definit ius Prælaturæ non deſtrui in homine, per quodlibet peccatum mortale.

4. Denique, fides non eſt ſimpliciter neceſſaria ad dominium verum & legitimum; ſi enim Deus crearet multitudinem hominum in ſtatu naturæ integræ, hæc vtique poſſet ſibi Principem eligere, in quibus tamen hominibus nulla daretur fides.

Moneo tamen hæc eſſe intelligenda de dominio acquiſito in fideles; Eccleſia enim prohibet ne infideles conſequantur de nouo dominium in Chriſtianos propter periculum ſubuerſionis, & ignominiam fidei.

Addo fideles non ſubijci Principibus infidelibus ratione ſeruitutis, quæ facit vt aliquis ſit quaſi vile mancipium, ſiue emptitium, ſiue vernaculum; hæc enim ſeruitus nulla ratione ſuſtinenda eſt in fidelibus, ob beneficium adoptionis filij Dei, quod cuilibet baptizato communicatur: qua de re extant multi Canones, diſt. 54.

Euertuntur fundamenta iacta paulò ante.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. Filios alios eſſe naturales & legitimos, alios verò adoptiuos; illi ex teſtimonio Chriſti ſunt liberi à perſolutione vectigalium; ſecus iſti, quales ſunt omnes omnino Catholici: ſi tamen hæc adoptio conſeruari nequeat cum perſolutione vectigalium, poterit quis negare vectigalia ex iuſto titulo ſecundum communem doctrinam. Ex ſecundo verò teſtinonio colligitur, Chriſtum liberaſſe nos à ſeruitute dæmonis, mortis æternæ, & inferni iuxta mentem Chryſoſt. ad hunc locum. Ex vltimo tamdem probatur, eum qui habet iudicem fidelem apud quem lites tractare poteſt, non debere accedere ad tribunalia infidelium; ſecus tamen ſi careat iudice Catholico: Paulus enim Actu. 18. accedit ad tribunal Gallionis Proconſulis Achaïæ, & cap. 25. Cæſarem appellat, etſi infidelem. Act. 18. & 25.

Ad 2. non dari veram iuſtitiam, quæ faciat nos formaliter ſanctos, apud infideles; cum his tamen cohærere, vt detur apud illos vera iuſtitia quæ reddat vnicuique quod ſuum eſt.

Ad 3. Deum feciſſe poteſtatem Iudæis occidendi Ethnicos, & eorum vrbes inuadendi, quia nempe vrbes & poſſeſſiones ipſis debitas detinebant, nec aliàs poterant vindicare, niſi bellum inferendo.

Ad vltimam: Summos Pontifices iuſtis de cauſis contuliſſe poteſtatem Regibus Hiſpaniarum occupandi regiones infidelium, vt probat multis Franciſcus à Victoria in relectione de Indijs: vbi refert octo cauſas quæ apud eum videri poterunt.

ARTICVLO II. docet ritus infidelium tolerari poſſe ad vitanda grauiora aliqua detrimenta.

ARTICVLO VLTIMO tradit filios Iudæorum & infidelium in tenera ætate inuitis parentibus non eſſe baptizandos: ſubijciuntur enim parentum inſtitutioni iure naturali & diuino, donec ad vſum rationis peruenerint: qua de re ex profeſſo agetur in materia de baptiſmo.

QVÆ-

A

QVÆSTIO VNDECIMA.

De hæreſi.

ARTICVLVS PRIMVS.

An hæreſis ſit ſpecies infidelitatis.

CONCLVSIO *eſt affirmatiua.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

An hæreſis ſit propriè circa ea quæ ſunt fidei.

DVBITATIO PRIMA.

Quid nomine hæreſis ſignificetur.

Hæreſis electionem denotat.

RESPONDEO *Nomine hæreſis ſignificari electionem ex vi ſuæ primæ inſtitutionis*; deriuatur enim αἵρεσις à verbo Græco αἱρῶ ἢ αἱροῦμαι. quod idem eſt ac ſeligo, ſeu vnum alteri præpono. Ità Tertul. lib. de præſcriptionibus Hæreticorum cap. 6. *Hæreſes*, inquit, *dicta ſunt Græca voce ex interpretatione electionis quæ quis ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas eas vtitur.* & lib. 2. contra Marcioniſtas; peccatum primi parentis ideò vocat hæreſim, quòd primus parens ſuam ſententiam prætulerit ſententiæ Dei. Idem docent Clem. Alexand. & Hieronym. in commentarijs epiſt. ad Galat. cap. 5. αἵρεσις *Græcè, ab electione dicitur: quod ſcilicet vnuſquiſque eam ſibi eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem*: quod repetit in commentarijs epiſtolæ ad Titum, vbi ait Stoïcorum, Peripateticorum, Academicorum, & Epicureorum ſectas hæreſes appellari, quòd quilibet huius potius, quàm alterius ſibi eligeret defendendam opinionem: Idem docet Iſidorus lib. 8. Etymol. cap. 3. vſu tamen & conſuetudine loquendi Theologorum nomine hæreſis ſignificatur, quodlibet dogma fidei Catholicæ contrarium, & ſic vſurpatur hoc loco à D. Thoma & interpretibus eiuſdem. Quo fit vt iam fere ſemper in malam partem ſumatur, ſic cap. 5. Actuum dicitur de ſecta Sadducæorum quòd ſit hæreſis. & 1. Corinth. 11. *Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*: imò propter hanc cauſam nuſquam paſſi ſunt Catholici religionem Catholicam nuncupari hæreſim, licèt hoc nomine fuerit donata ab extraneis à fide Carholica, vt conſtat ex Actis Apoſtol. cap. 24. & apud Euſeb. lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 17.

Tertul.

Hieron.

Actuum 5. ℣. 17.

1. Cor. 11. ℣. 18. & 19.

DVBITATIO SECVNDA.

An hæreſis ſinè errore poſſit conſurgere.

RAtio 1. dubitandi eſt, quia diſſidia ſinè errore conſurgere poſſunt; at nomine hæreſis ſignificatur diſſidium iuxta mentem Chryſoſt. ad cap. 11. 1. ad Corinth. hic enim explicat haſce particulas (oportet hæreſes eſſe) de ſciſſuris, & diſſidijs circa menſas inter Corinthios exortis. *Affirmatiua pars argumenti.* 1.

Deinde, detur aliquis ex hypotheſi, qui admittat religionem Catholicam, & præterea probabiliter tantùm aſſentiatur articulis fidei quibus aſſentiuntur Caluiniſtæ, cum Catholicis; hic eſſet verè hæreticus, & tamen nullum admitteret errorem, circa ea quæ ſunt fidei; ſuppono enim vlteriùs, quòd non diſſentiatur vlli planè articulo fidei: ergo hæreſeos crimen non infert neceſſariò errorem. 2.

Tertiò, ex indebita ratione loquendi oriuntur hæreſes, vt author eſt Hieron. referente Magiſtro lib. 4. Sententiarum diſt. 13. at inordinatæ iſtæ rationes loquendi poſſunt habere locum in nobis ſinè vllo planè errore: ergo & hæreſis. 3.

Denique, dubius in fide, eſt infidelis, ex decreto Stephani Pontificis Maximi; atqui poteſt aliquis de re aliqua dubitare, etſi nullus detur in eo error circa id de quo dubitat: ergo poterit eſſe hæreſis ſinè errore. 4.

CONCLVSIO. *Hæreſis nequit ſinè errore conſurgere.* Primùm, quia nomine hæreſis ſignatur quodlibet dogma fidei Catholicæ contrarium; at quod eſt contrarium fidei eſt neceſſariò erroneum; pugnat enim cum re à Deo reuelata, atque adeò veriſſima, cùm non poſſit Deus eſſe author alicuius falſitatis: ergo non poteſt hæreſis eſſe ſinè errore. *Non eſt hæreſis abſque errore.*

Deinde, hæreſis eſt ſpecies infidelitatis, erronea eſt autem omnis infidelitas vtpote, quæ deficiat à veritate.

Tertiò, fides vt ſic, eſt habitus certus & ineuidens cum veritate coniunctus: ergo cùm hæreſis opponatur fidei, vtique errorem includet.

Quartò, obiectum materiale hæreſis eſt, quodlibet dogma contrarium fidei in eo qui fidem profitetur, etiamſi intelligat eius oppoſitum ab Eccleſia eſſe definitum: at hæc dici non poſſunt niſi detur aliquis error in intellectu illius, qui huiuſmodi dogmata eligit: ergo. Ità docent D. Thomas art. 1. huius quæſt. & eiuſdem interpretes.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. Chryſoſtomum & alios nonnullos Græcos ità locum Apoſtoli explicaſſe & intellexiſſe: verùm communis interpretatio Patrum placet, quæ locum eit. de diſſidijs circa fidem intelligendum eſſe docet: ità D. Auguſt. 12. contra Fauſtum, cap. 24. Tertul. de præſcriptionibus hæret. cap. 29. Cypr. ad hunc locum D. Pauli, Hieron. ad cap. 12. Hierem. Beda, Anſelm. & Primaſius ad hunc locum Pauli. Reſpondeo 2. hæreſim bifariam vſurpari; propriè ſcilicet, & impropriè; ſecundo modo ſignificat quodcumque diſſidium de re aliqua; primo verò modo dicit quodlibet dogma ſeu diſſidium de re pertinente ad fidem Chriſtianam & Catholicam: poſteriori modo ſumitur à Chryſoſtom. hoc loco; priori verò communiter à Patribus, & Doctoribus ſcholaſticis. *Soluuntur argumenta.* 1.

2. Ad 2. huiuſmodi hominem in rigore loquendo dici non poſſe hæreticum; ſuppono enim quòd nullum eliciat aſſenſum fidei contrarium, ſed tantùm quòd aſſentiatur probabiliter illis articulis fidei Catholicæ, quibus aſſentiuntur Caluiniſtæ, & Lutherani cum Catholicis. Deinde, ſuppono res de fide huic homini non manifeſtari debitè, & vt oportet, atque adeò non obligari hîc, & nunc, cum iſtis tantùm circumſtantijs ad obſeruationem præcepti de credendo. Denique, qui cognoſcit propoſitionem aliquam per medium probabile demonſtratam in phyſiologia verbi gratia, non ſtatim dicitur admittere errorem phyſiologiæ contrarium, ſed tantùm inducere aſſenſum diſparatum ab eo quem producit demonſtratio phyſica circa eamdem propoſitionem: ergo neque is dicetur errare formaliter in fide, qui aſſentitur alicui articulo fidei per medium tantùm probabile, qua tamen ratione ſe habet id de quo hoc loco quæritur circa res aliquas de fide.

3. Ad 3. propoſitionem iſtam: *Ex verbis inordinatè prolatis ſequitur hæreſis*, non haberi apud Hieronymum; imò manifeſtè pugnare cum his quæ idem habet in epiſtol. ad Damaſum: & cum his etiam quæ docet Hilar. lib.2. de Trinit. vt tradit Canus opere de locis Theologicis: ex quocumque tamen Doctore dicta propoſitio fuerit deſumpta, colligitur tantùm ex ea, in materia fidei explicanda, inordinata verba inducere ſuſpicionem hæreſis, atque etiam malè ſonare; non autem conſtituere hæreſim formaliter loquendo: Ità Sanchez lib.2. ſui operis moralis in Decalogum cap.7. & alij recentiores.

Ad vltimam, ſunt qui dicant dubium in fide eſſe infidelem, ſi cum pertinacia dubitarit de rebus fidei; non enim retinet aſſenſum firmiſſimum, & indubitatum circa res de fide, qui tamen eſt ſimpliciter neceſſarius vt detur in nobis fides.

Dubium in fide non eſt propriè infidelis.

Verùm rectiùs illi qui putant dubium in fide ſub tali præciſa ratione, non eſſe infidelem propriè & formaliter loquendo de infideli. Primùm, quia hæreſis, vt ſic, dicit aſſenſum rebus à Deo reuelatis, & ab Eccleſia propoſitis diſconuenientem; at ſupponimus talem hominem dubitare tantùm de rebus fidei, nihil aſſerendo vel negando de eiſdem. Deinde, diſſenſus contra fidem eſt ſimpliciter neceſſarius ad infidelitatem ex conſenſu omnium; at qui hæret & dubitat de re aliqua ad fidem pertinente, quamdiu hæret & dubitat tantùm, non elicit diſſenſum contrarium fidei; ſuppono enim quòd neutram partem acceptet vel abijciat: Ità docent Cano lib.11. de locis, cap.9. Emanuel Sa in ſua Summa, verbo, *Hæreſis*. num. 1. & nonnulli alij Recentiores.

Explicatur Stephani Papæ dictum.

Ad teſtimonium verò Stephani Pontif. dico dubium in fide eſſe infidelem, non quidem contrariè (nec enim elicit aſſenſum fidei diuinæ contrarium, quod tamen neceſſe eſt ad hæreſim ſeu infidelitatem contrariè ſumptam) bene tamen priuatiuè, aut negatiuè; quia non datur in iſto dubitante de rebus fidei, aſſenſus firmiſſimus circa res de fide, qui eſt ſimpliciter neceſſarius ad fidem retinendam: & hoc tantùm probat ratio adducta ab authoribus primæ ſententiæ, eáque cenſetur eſſe mens Pontificis Maximi.

Reſpondeo 2. dubium in fide eſſe infidelem ex mente Stephani, non quidem formaliter, & præcisè loquendo de infidelitate, ſed tantùm quoad præſumptionem fori exterioris, qui enim non aſſentitur rebus de fide, dum loquitur de ijſdem inter Catholicos, hoc ipſo quod dubitet, præbet ceteris occaſionem credendi eum non eſſe Catholicum, idque quòd Catholici indubitanter rebus fidei Chriſtianæ aſſentiantur. Reſpondeo, tamdem dubium in fide eſſe infidelem ex mente dicti Pontificis, quotieſcumque hæret, & præterea reflectit ſe ſupra ſuam cogitationem dubiam, elicítque iudicium erroneum circa res de fide, ità vt de facto putet illas eſſe tantùm probabiles: hic ergo qui hac ratione dubitat eſt verè infidelis.

DVBITATIO TERTIA.

An ad hæreſim propriè dictam requiratur profeſſio fidei Chriſtianæ & Catholicæ.

Bifariam ſumitur hæreſis.

ADuerte hæreſim ex dictis contrariè, & negatiuè ſeu priuatiuè vſurpari: primo modo ſumpta dicit formalem & expreſſum aſſenſum rebus à Deo reuelatis contrarium, aut certè formalem contemptum publicationis fidei Chriſtianæ: ſecundo verò modo dicit negationem cuiuſuis diſſenſus, circa ea quæ pugnant cum fide Catholica, qualis datur in his omnibus, qui nihil hactenus audierunt de fide Catholica. Hæreſis primo modo ſumpta rationem peccati ſecum neceſſariò trahit in eo omni in quo datur; ſecus ſecundo modo.

Probatur autem hæreſim contrariè ſumptam eſſe verè peccatum ex cap.15. Ioan. *Si non veniſſem*, &c. Ioann. 15. ℣. 22.

Hæreſis contrariè ſumpta peccatū eſt.

Deinde, vbicumque datur tranſgreſſio præcepti de credendo, ibi & datur culpa; at violatio præcepti de credendo reperitur in eo omni qui inficitur hæreſi contrariè ſumpta: ergo erit in eo peccatum.

Tertiò, qui putat aliquid falſum quod Eccleſia dictat eſſe verum, & præterea proponit credendum debitè, & vt oportet, hic verè peccat; tenetur namque ſtare iudicio Eccleſiæ hîc & nunc, cum his & ilis circumſtantijs, & tamen iudicium illius contemnit: ergo verè peccat.

Confirmatur ex cap. 10. Luc. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Matth. 23. *Omnia quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite.* Luc.10. ℣. 16. Matth.23. ℣. 3.

Accedit, Eccleſiam errare non poſſe inter dictandum & proponendum aliquid tamquam de fide, ex Ioann. 15. *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*: ergo excuſari non poteſt à temeritate, atque adeò & à culpa qui non vult aſſentiri Eccleſiæ, quandocumque aliqua proponit tamquam de fide tenenda. Ioann. 15. ℣. 26.

Denique, vbi reperitur auerſio ab obiecto fidei conuenienter propoſito, ibi datur vera culpa; nec enim fieri poteſt vt quis ſciens & & volens auertat ſe ab obiecto fidei medio aliquo vero & reali actu, quin etiam in eo ſequatur vera culpa; at res ità habet in hæretico contrariè: ergo hæreſis contrariè ſumpta rationem peccati habet in eo omni in quo reperitur.

Hæreſis negatiuè non eſt peccatum.

Quod autem hæreſis negatiuè ſumpta non ſit peccatum, probatur tum ex dictis de infidelitate; tum quia nemo peccat in his quæ vitare non po-

teſt : at hæreſis negatiuè ſumpta vitari nequit, datur enim hæc in illis qui nihil hactenus audierunt de fide Catholica, vel ſi quæ audierunt, non tamen debitè, & vt oportet fides huiuſmodi fuit eis propoſita : ergo, vt ſic, non eſt peccatum.

Ad hæreſim non eſt neceſſaria ſuſceptio baptiſmi.

CONCLVSIO 1. *Ad hæreſim conſtituendam in aliquo non requiritur ſuſceptio Baptiſmi, nec proinde de characteris eiuſdem impreſſio.* Primùm, quia ex Cathecumeno, Pagano, & Iudæo poteſt quis fieri hæreticus, ſi aliquos fidei Chriſtianæ articulos receperit, alios abiecerit, authoritatem Eccleſiæ aſpernando, quæ dictat omnes omnino articulos fidei eſſe acceptandos; at illi non ſunt baptizati : ergo baptiſmus non eſt neceſſarius ad conſtituendam hæreſim in aliquo.

Deinde, ſacra Concilia definiunt hæreticos aliquos ad Eccleſiam redeuntes eſſe baptizandos, vt conſtat ex vj. Synodo, & Nicæna II. ergo poteſt aliquis eſſe verè hæreticus, etſi numquam fuerit baptizatus; non enim præcipere poteſt Eccleſia vt baptiſmus iteretur in aliquo.

Denique, profeſſio fidei ſufficit ad hæreſim conſtituendam in omni prorſus hæretico, vt poſtea probabitur : at fides nedum à nobis acceptatur & exercetur per ſuſceptionem ſolius baptiſmi, verùm etiam per omnes illos actus quibus adhæremus rebus de fide : ergo vt quis cenſeatur & ſit hæreticus, non eſt neceſſe vt baptiſmo ſit initiatus.

Profeſſio fidei Catholicæ requiritur ad hæreſim.

CONCLVSIO 2. *Profeſſio fidei Chriſtiana & Catholicæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad hæreſim conſtituendam, atque adeò aliqui articuli ſunt neceſſariò credendi, alij verò abſciendi, idque in contemptum authoritatis Eccleſiæ decernentis ea omnia eſſe tanquam de fide tenenda :* Primùm, quia ità docent Patres : D. Auguſt. lib. de hæreſibus ſub finem. *Sunt hæretici qui ſingulis vel non multò amplius dogmatibus, veritatis regulam oppugnant.* Origen. ad cap. 3. epiſt. ad Romanos. *Hæreticus eſt qui Chriſto ſe credere confitetur, ſed aliud de veritate fidei Chriſtianæ credit quam habeat traditio Eccleſiaſtica.* & Ambroſ. ibidem ſimile quid habet. Hieron. ad cap. 5. ad Galat. referente Gratiano 24. quæſt. 3. cap. *Hæreſis. Quicumque aliter ſcripturam intelligit, quam ſenſus Spiritus Sancti flagitat quo conſcripta eſt, licèt de Eccleſia non receſſerit : tamen hæreticus appellari poteſt, & de carnis operibus eſt eligens quæ peiora ſunt.* Gregor. lib. 5. Moral. cap. 10. comparat hæreticos amicis Iob ; ait enim de iſtis, nomine amici, opera inimici erga fidem Catholicam exercere: imò addit leproſos quorum meminit Lucas cap. 17. Hæreticos deſignaſſe, in eo quòd quemadmodum lepra cutem & carnem hominis leproſi commaculat ex parte, & eamdem ſimiliter quodammodo illæſam prætermittit ; pari ratione hæretici falſa veris admiſcent, credunt enim aliqua ex his quæ ſunt de fide, alia verò abijciunt.

D.Auguſt. Origen. Hieron.

Denique, hæreſis eſt ſpecies infidelitatis diſtincta à Paganiſmo & Iudaïſmo, vt ſuprà probauimus ; at dici nequit in quo hæreſis diſtinguatur à dictis duobus, niſi ſit profeſſio, & acceptatio fidei Catholicæ, & ſpecialis illa renitentia per quam hæreſis aduerſatur fidei Catholicæ : ergo profeſſio & acceptatio fidei eſt ſimpliciter neceſſaria ad hæreſim.

Obiectio.

Contra 1. Concluſionem obijcies : hæreſis in illis ſolùm datur qui ſunt intrà Eccleſiam; ad hanc enim acceptatio & profeſſio fidei eſt ſimpliciter neceſſaria ex Concluſione 2. At per baptiſmum conſtituimur in Eccleſia Chriſtiana & Catholica, vt pote qui ſit ianua ad cetera Sacramenta ſuſcipienda : ergo ad illam neceſſarius eſt baptiſmus.

Solutio.

Reſpondeo conceſſa maiori, nego minorem : diximus enim Catechumenos poſſe fieri hæreticos, atque adeò pertinere iſtos ſinè baptiſmo ad vnitatem Eccleſiæ. Deinde, extra Eccleſiam nulli ſalus contingere poteſt, ex Cypriano, qui docet eum, qui non habet Eccleſiam pro matre in terris, Deum pro Patre non habiturum in cœlis ; at Catechumeni ſi moriuntur ante baptiſmi ſuſceptionem vitam æternam conſequuntur ceteris paribus, vt conſtat ex Valentiniano Imperatore apud D. Ambroſium. Denique, baptiſmus cenſetur tantùm neceſſarius, vt aliquis poſſit excommunicari authoritate Eccleſiæ ; non autem vt poſſit quis eſſe verè & formaliter hæreticus : quod verò dicitur baptiſmum eſſe ianuam Sacramentorum, hoc non efficit baptiſmum eſſe ianuam Eccleſiæ ſimpliciter ; per acceptationem enim fidei Chriſtianæ & Catholicæ quilibet cenſetur pertinere ad Eccleſiam Catholicam, ſaltem radicaliter & inchoatiuè.

Obiectio.

Contra ſecundam Concluſionem obijcies, ſacros Canones præcipere vt eadem planè ratione procedamus contra declinantes & tranſeuntes ad ritus Iudæorum, qua ratione procedimus contra hæreticos : ergo fidei profeſſio non erit ad hæreſim ſimpliciter neceſſaria.

Solutio.

Reſpondeo Canones iſtos intelligendos eſſe ſimilitudinariè, non autem identicè, ità vt velint ad ſimilitudinem hominis hæretici caſtigandum quoque eſſe Iudæum, non autem eodem planè modo, quaſi ſint Iudaïſmus & hæreſis vnà & eadem planè culpa ſpecie vel numero.

Alia obiectio.

Obijcies, obiectionem fidei eſſe obiectum formale hæreſis.

Reſponſio.

Reſpondeo negando antecedens : obiectio namque fidei cenſetur eſſe terminus à quo hæreſis : terminus autem à quo non confert vnitatem ſpecificam actibus, vel habitibus, ſed tantùm terminus ad quem, vel modus tendendi in illum.

DVBITATIO QVARTA.

An pertinacia ſit ſimpliciter neceſſaria ad hæreſim.

Pertinacia ad hæreſim neceſſaria.

CONCLVSIO 1. *Pertinacia ità eſt ad hæreſim neceſſaria, vt ſinè hac nullus planè nuncupari poſſit hæreticus.* Primùm, quia ità dicitur in cap. *Dixit Apoſtolus.* & cap. *Qui in Eccleſia.* 24. quæſt. 3. & in Clementina vnica, *de ſummâ Trinitate, & fide Catholica.* & cap. *Damnamus*, de hæreticis in Sext. & cap. *Excommunicamus.* de hæreticis.

Auguſt.

Deinde, idem planè docent ſancti Patres : D. Auguſt. epiſt. 162. & lib. 2. quæſtionum Euangelicarum, quæſtione 40. & Cyril. Alexand. epiſt. ad Tropum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quæ legitur in V. Synodo generali & alij multi.

Tertiò, D. Auguſtinus ſatis frequenter inculcat neminem ex hæreticis ad Eccleſiam redire, & ſi contigerit aliquos redire aſſerit de iſtis quòd non eſſent hæretici, ſed tantummodo errantes, & faſcinati aliqua imaginatione deprauata.

Denique, nomine hæreſis ſignificatur quilibet

error fidei contrarius liberè elicitus ab eo qui fidé A Christi profitetur, etiamsi intelligat eius oppositum ab Ecclesia proponi credendum: at error hic consurgere nequit sinè aliqua pertinacia; pluris quippe facit iste stare proprio iudicio, quàm decreto totius Ecclesiæ: ergo pertinacia est absolutè necessaria ad hæresim.

Pertinacia in quo consistat.

CONCLVSIO 2. *Pertinacia ad hæresim necessaria posita est in eo quòd quis sciens & volens & quodammodo prudens contradicat authoritati Ecclesiæ, asserendo aliquid esse verum, quod Ecclesia dictat esse falsum; vel contrà affirmando aliquid esse falsum, quod Ecclesia dictat esse verũ, & proponit omnibus credendũ tamquam à Deo reuelatum.* Primùm, quia hæc est expressa sententia D. Aug. lib. 4. contra Donatistas, c. B 16. *Constituamus duos aliquos isto modo, vnum eorum verbi gratia, id sentire de Christo quod Photinus opinatus est, & in eius hæresi baptizari extra Ecclesiæ Catholicæ communicationem: alium verò hoc idem sentire, sed in Catholica baptizari, existimantem ipsam esse Catholicam fidem. Illum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholica fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit, quod antequam fiet, manifestum est illum qui foris baptizatus est esse peiorem. Itaque in hoc, sola falsa opinio: in illo autem etiam ipsa diuisio corrigenda est, sed in neutro ipsorum Sacramenti veritas repetenda.* Et Cy-

Cyprian. prianus ad Iobaianum epist. 73. *Ignoscì potest simpliciter erranti*, inquit, *sicut de seipso dicit Apostolus Paulus, Qui primò*, inquit, *fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem verò & reuelationem factam qui in eo quod errauerat, perseuerat prudens & sciens, sinè venia ignorantiæ peccat; præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cùm ratione superetur.* C

Deinde, sacri Canones dictant eum tantùm dicendum esse hæreticum, qui præsumit aliquid fidei contrarium contra authoritatem Ecclesiæ tenere, docere, & sentire, vt constat ex cap. vnico, *de summa Trinit. & fide Catholica*, in Sexto, & ex Clementina vnica, *de hæreticis.*

Tertiò, hæresis nihil aliud est quàm error fi- D dei Catholicæ contrarius in eo qui nomine Christiano gaudet, & cum pertinacia suis erroribus adhæret, dũ scit eos authoritate Ecclesiæ improbari.

Obiectio. Obijcies, eum statim esse intemperantem, & iniustum qui exercet actum temperantiæ, & iustitiæ contrarium, etiamsi non animaduertat se operari contra temperantiam, & iustitiam: ergo etiam dicetur quis hæreticus ex eo quòd operetur contra fidem, licèt non animaduertat se contemnere authoritatem Ecclesiæ.

Solutio. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; ad hoc enim vt quis dicatur hæreticus duo simpliciter sunt necessaria, loquendo de hæretico iuxta vsum sanctorum Patrum, & sa- E crorum Canonum. Primum est, quòd operetur contra fidem, quam profitetur verè & de facto: secundum, quòd id præstet cum contemptu authoritatis Ecclesiæ secus sentientis: vt autem quis dicatur iniustus vel intemperans sufficit quòd quis operetur contra virtutes istas, etsi de illis non cogitet.

Replica. Instabis, si ità res haberet sequeretur Lutheranos & Caluinistas in rigore loquendo non esse hæreticos; nam licèt operentur contra fidem, constanter tamen affirmant se nihil aliud credere præter id quod Christus, & eius Ecclesia præcipiunt credendum.

Respondeo negando illationem antecedentis; *Dissoluitur.* isti namque operantur & sentiunt de rebus fidei longè aliter quàm Christus docuerit, vel etiam dictet Ecclesia Christi, quæ nulla alia est ab Ecclesia Romana seu Catholica, cui soli promisit assistentiam infallibilem Spiritus sancti Ioann. 15. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.* Caluinistæ autem & Lutherani licèt verbis iactent & glorientur se credere, quòd credit Ecclesia Christi; certum tamen est eos manifestè & euidenter affirmare se non sentire de rebus fidei prout Ecclesia Romana sentit, imò & ab istius fide discedere: vnde peccant contra fidem & authoritatem Ecclesiæ scientes & prudentes. 1. Ioan. 15. ¥. 26.

Vrgebis, eum censeri hæreticum qui correptus *Alia repli-* à proprio Episcopo, maximè si accesserit assensus *ca.* Cleri eiusdem, longè aliter credit de re aliqua ad fidem pertinente, quàm significauerit ei Episcopus: ergo licèt quis de facto non cogitet de authoritate Ecclesiæ secus sentientis, erit verè hæreticus.

Respondeo negando antecedens; in hac quip- *Enervatur.* pe hypothesi dicitur ità correptus ab Episcopo peccare contra fidé, non tamen dicetur hæreticus secundùm vsum loquendi Patrum circa hoc nomen, *Hæreticus*; volunt enim isti necessarium esse simpliciter ad hæresim, vt quis nedum contra fidem sentiat aliter quàm res habeat, verùm etiam quòd sciens & prudens authoritati Ecclesiæ contradicat.

Vt autem res hæc pleniùs intelligatur obser- *Pertinacia* uandum est nomine pertinaciæ, significari hoc *obstinationẽ* loco obstinationem, & obdurationem, prout ob- *denotat.* stinatio opponitur infirmitati & alicui violentæ perturbationi. Primùm, quia hæresis contingere potest etiam iuxta modum explicatum in instanti temporis, credendo aliquid contra fidem, & contradicendo authoritati Ecclesiæ scienter, vt docent Bannez, Caietan. hoc loco, & Azor cap. 9. lib. 8. Deinde pertinacia ad hæresim necessaria definitur communiter, quilibet voluntarius dissensus ab eo quod credit Ecclesia & proponit omnibus credendum. Denique qui paratus est Ecclesiæ parere, cum ista tamen conditione, vt Ecclesia euidentissimis rationibus illi ostendat, quod negat, censetur hæreticus, si de facto credat rem aliter se habere quàm dictat Ecclesia, & proponit credendum, idque propter contemptum authoritatis eiusdem: ergo pertinacia ad hæresim necessaria non est obduratio & obstinatio, qua quis longo tempore perseuerat in eo actu, quo reluctatur Ecclesiæ præcipienti hoc vel illud credendum.

Ex dictis colligo, primùm, hæresim esse quem- *Corollariũ.* cumque errorem fidei contrarium in eo qui gaudet nomine Christiano, cum pertinacia qua suis erroribus adhæret: hęc videtur esse mens D. Thomæ, & multorum eiusdem interpretum art. 1. huius quæst.

Dices excommunicationem & Simoniam vo- *Obiectio.* cari hæreses in iure Canonico.

Respondeo hoc esse intelligendum de hæresi *Solutio.* impropriè dicta, de qua hìc non loquimur: idcircò ergo Simonia dicitur hęresis, quia quemadmodum in hæresi propriè dicta, deprehenditur error fidei contrarius, ità & in Simonia reperitur alius error, nempe res sacras pretio æstimari, quemadmodum & res prophanas: & ità excommunicatio dicitur hæresis, quia quemadmodum in ea deprehenditur contemptus Ecclesiæ, ità excommunicatus

Digitized by Google

communicatus Eccleſiam audire contemnit, quotieſcumque non vult manifeſtare veritatem, quam Eccleſia ab eo exigit, monitione trina præmiſſa. A

Corollarium 2. Colligo 2. Formam conſtitutiuam hæretici eſſe hæreſim; & item hæreſim ſinè hæretico verè conſurgere non poſſe: de primo non eſt dubium, cùm hæreſis ſe habeat ad hæreticum vt albedo ad album, ceteris tamen paribus; at albedo eſt forma conſtitutiua albi: ergo. De ſecundo ſunt qui dubitent, verùm minùs rectè, eſt enim hæreſis ſpecies infidelitatis diſtincta à Paganiſmo & Iudaiſmo: at illud per quod plene & perfectè hæreſis diſtinguitur à Iudaiſmo & Paganiſmo, nihil aliud eſt quàm dependentia hæreſeos ab homine hæretico. Confirmatur: hæreſis, vt ſic, dicit actum B elicitum ab intellectu, & imperatum à voluntate fidei contrarium, & cum pertinacia coniunctum; at iſta manifeſtè ſupponunt hæreticum: ergo.

Obiectio 1. Obijciunt authores contrariæ ſententiæ, hæreſim præſcindi poſſe ab hæretico cogitatione: ergo.

Solutio. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam: albedo quippe cogitatione ab omni ſubiecto abſtrahitur, nulla tamen datur quę non ſit in ſubiecto etiam per omnipotentiam Dei, ex veriori philoſophia. Deinde contendimus hoc loco hæreſim realiter non dari ſinè hæretico.

Obiectio 2. Obijciunt 2. Veritatem vel falſitatem cuiuſlibet propoſitionis repetendam eſſe ab obiecto, non verò à ſubiecto: ergo ratio hæreſis non erit ſumenda ab homine hæretico, ſed à materia circa quam verſatur. C

Solutio. Reſpondeo in propoſitione hęretica duo eſſe, nempe quòd ſit falſa, & quòd ſit hæretica: Primum pendet à diſconuenientia, quæ adeſt in iſta propoſitione, prout reſpicit materiam fidei: ab hac quippe dicitur propoſitio iſta erronea vel error in fide; rationem verò hæreſis conſequitur propoſitio ab eo quòd contemnatur authoritas Eccleſię, & quidem cum pertinacia: hæc autem duo non poſſunt eſſe ſinè hęretico; contemptus enim verus & realis, & pertinacia pendent à ſub- D iecto in quo recipiuntur.

Quæ propoſitiones cenſeantur hęreticæ. Rogabis, An omnes propoſitiones fidei contrariæ, ſint hęreſes.

Reſpondeo alias eſſe hæreticas, eas videlicet quæ notoriè contrariantur fidei; alias verò erroneas, quæ ſcilicet fidei aduerſantur, non tamen notorie & manifeſtè; alias ſapere & redolere hęreſim, quales ſunt illæ quę non ſunt expreſſè contra fidem continentes errorem aliquem, hunc tamen vel ſupponunt vel certè indicant, vnde cenſentur eſſe argumenta mentis infectę; alias ſcandaloſas quæ prębent occaſionem ruinę ſpirituallis alicui; alias piarum aurium offenſiuas, ſeu malè ſonantes, cuiuſmodi ſunt quę admittere E ſenſum Catholicum videntur, magis tamen accedunt ad ſenſum contrarium; alias denique temerarias, quales ſunt illę quæ in materia fidei ſinè vllo planè ſtabili fundamento negantur, aut aſſeruntur. De his videatur Cano in ſuis locis Theologicis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm hæretici ſint tolerandi.

Circa iſtum articulum explicanda ſunt duę difficultas Prima, *An hæretici ſint emendandi authoritate publica, an verò tolerandi.* Priſcillianus, Gaudentius, & alij hæretici, Ioannes Hus, Lutherus, & alij recentiores docuerunt nullas exigendas eſſe pœnas ab hæreticis, quorum opinio probatur. *Hęreticorum error probatur.*

Primùm, quia nihil eſt, quod magis debeat eſſe liberum quàm credere; propter hanc quippe cauſam Chriſtus quando miſit Apoſtolos ad prædicandum ità eos eſt allocutus: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Mar. 16. & Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes.* & Ioan. 6. Cùm aliqui defeciſſent ab eius doctrina conuerſus ad diſcipulos ait; *Nunquid & vos vultis abire?* Vnde videtur Chriſtus liberum feciſſe vnicuique credere, vel non credere. 1. Matth. 16. ℣. 15. Matth. 28. ℣. 19. Ioan. 6. ℣. 67.

Deinde, nuſquam Chriſtus tolerare potuit in ſuis Apoſtolis effectus poteſtatis coërciuiæ; vt colligitur ex illo Ioan. 18. *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater non vis vt bibam?* & Luc 9. cùm enim Samaritani recuſaſſent Apoſtolis ſuę ciuitatis aditum, & ob id dixiſſent Apoſtoli Chriſto: *Domine vis, dicimus vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Chriſtus increpans illos reſpondit. *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.* 2. Ioan. 18. ℣. 11. Luc. 9. ℣. 54. & ℣. 55.

Tertiò, Eccleſia poteſt tantùm exigere pœnas ab his qui ſibi ſubijciuntur; at hæretici non ſubduntur Eccleſiæ, ex cap. 5. 1. ad Cotint. *Quid mihi de his*, inquit Apoſtolus, *qui foris ſunt iudicare?* & ex Cypriano: Qui non habet Eccleſiam matrem in terra, non habebit Deum Patrem in cœlis. Certum autem eſt Eccleſiam non eſſe matrem hæreticorum, cùm apoſtatarint à fide Chriſtiana & Catholica. 3. 1. Cor. 5. ℣. 12.

Quartò, nec Apoſtoli, nec eorum ſucceſſores immediati vllas exegerunt pœnas ab hæreticis: imò Chryſoſt. hom. 47. in Matth. apertè docet Chriſtum prohibuiſſe ne occidantur, ſed conſilijs, monitis, & aliis ſimilibus rationibus inducantur ad acceptationem fidei Catholicæ: & Seuerus Sulpitius lib. 2. ſuæ hiſtoriæ in fine, ſcribit ſanctum Martinum Epiſcopum Turonenſem improbaſſe factum Ithacij & Idacij Epiſcoporum, quòd procuraſſent cum Imperatore, vt Priſcillianus hęreticus emendaretur, & certis quibuſdam pœnis addiceretur. 4.

Conclvsio. *Hęretici authoritate publica tam Eccleſiaſtica quam ciuili iuſtiſſimè emendari poſſunt, ob ſolam hæreſis culpam contractam.* Primùm, quia oppoſitum propoſitionis damnatur in Concil. Conſtantienſi, & in conſtitutione Leonis X. contra Lutherum, & antea in Concil. Toletano IV. & præterea in cap. *Ad abolendam* de hæreticis, extra, & in cap. *Super eo.* de hęreticis. *Hæretici puniendi ob ſolam hæreſim.* Concil. Conſtantienſe.

Deinde, idem docent ſancti Patres: Cyprianus de exhortatione Martyrum, cap. 5. *Quod ſi ante aduentum Chriſti circa Deum colendum & idola* Cyprian.

Digitized by Google

ſpernenda, hæc præcepta ſeruata ſunt: quantò magis poſt aduentum Chriſti ſunt ſeruanda; quando ille veniens non tantum verbis hortatus ſit nos, ſed & factis. Loquitur autem manifeſtè de coërcendis hæreticis, quos in veteri Teſtamento fuiſſe punitos indubitatum eſt, vt conſtat ex cap. 13. 17. & 18. Deuter. & ex cap. 32. Exodi: in his quippe locis præcepit Moyſes, vt apoſtatæ à Iudaïſmo occiderentur, & pſeudoprophetæ, ſacerdotibúſque inobedientes, ac demum blaſphemi. Dicitur etiam 3. Regum, cap. 18. Eliam occidiſſe falſos Prophetas: & 4. Reg. cap. 10. Iehu: Mathathias item, & Iudas Machabæus, cap. 2. & 3. 1. Machab. ſimile quid præſtiterunt. & Hieron. de hac re ſic loquitur ad cap. 5. epiſt. ad Galat. & refert Gratianus in cap. *Reſecanda.* 24. quæſt. 3. ad hæc verba. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Doctrina*, inquit, *peruerſa ab vno incipiens vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores, ſed paulatim vt cancer ſerpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis ſcabies totum commaculat gregem. Igitur & ſcintilla ſtatim vt apparuerit extinguenda eſt, & fermentum à vicinia maſſa ſemouendum, ſecanda putrida carnes, & ſcabioſum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant. Arius in Alexandria vna ſcintilla fuit; ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma populata eſt.* Bernardus hom. 66. in Cantica. *Melius proculdubio gladio coërcerentur, illorum videlicet qui non ſine cauſa gladium portat, quam in ſuum errorem multos trahere permittantur.*

Deut. 13. 17. & 18. Exod. 32. 3. Reg. 18. Hieron. Galat. 5. ỳ. 9. Bernard.

Tertiò, hoc ipſum colligitur ex praxi Eccleſiæ: Patres quippe Concilij Niceni I. rogarunt Conſtantinum Imperatorem vt Arium cum ſequacibus in exilium mitteret, quod ità factitatum fuiſſe ſcribit Sozomenus lib. 1. cap. 20. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: Donatiſtæ item multi fuerunt occiſi ab eodem Conſtantino, quod idem præſtiterunt eius ſucceſſores erga alios hæreticos, vt author eſt Optatus Mileuitanus lib. 3. contra Parmenianum: Expulit etiam Anaſtaſius Pontifex Rom. iudicio publico hæreticos ſui temporis, vt refert Conſtantinus Harmenopulus in ſuo Promptuario, tit. 11. & in Concil. Chalcedonenſi Anatolius hæreticus vltimo ſupplicio afficitur, vt ſcribit Nicephorus lib. 18. ſuæ hiſtoriæ: Theodoſius itē & Valentinianus in exilium relegarunt Neſtorium, & bona eius acquiſita fiſco deputarunt, vt refert Paulus Diaconus Romanarum rerum lib. 16. quo loco addit Iuſtinianum Imperatorem è toto ſuo imperio quoſlibet hæreticos eieciſſe, & Greg. Mag. lib. 1. Dialog. cap. 4. ait Romæ quemdam magum fuiſſe combuſtum. Certum etiam eſt in Hiſpania opera Regis Recaredi Arianos expulſos, & quibuſuis honoribus, & dignitatibus priuatos fuiſſe: conſtat etiam in Concil. Conſtantienſi Ioannem Hus & Hieronymum Pragenſem, brachio ſeculari fuiſſe mancipatos, & tamdem decreto Imperatoris combuſtos.

Sozomen. Nicephor. Rom. 13. ỳ. 4.

Denique probatur: Intereſt Reipublicę crimina publica vindicare; *Non enim ſine cauſa*, Magiſtratus, *gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.* Rom. 13. at nullum crimen æquè nociuum eſt Reipublicæ Chriſtianæ, ac hæreſis, vt colligitur ex loco proximè cit. Hieronym. & ex hiſtorijs ſeculi præteriti Gallicanis.

Penes Eccleſiam & Principes eſt poteſtas in hæreticos diuerſimode

CONCLVSIO 2. *Poteſtas coërcendi hæreticos, & Eccleſia & Principibus eſt a Deo data, cum hoc tamen diſcrimine, vt ſola Eccleſia iudicet de veritate & falſitate documentorum quæ afferuntur ab hæreticis; Reges vero & Principes minimè: poteſt tamen Eccleſia, itémque Magiſtratus Laicus exigere pœnas ab hæreticis.* Prima pars huius Concluſionis probatur: Primùm, quia ſoli Eccleſiæ dictum eſt in perſona Petri Ioan. 21. *Petre paſce oues meas.* & Matth. 18. *Dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

Ioan. 21. ỳ. 17. Matth. 18. ỳ. 17.

Denique, aſſiſtentia infallibilis Spiritus ſancti ſoli Eccleſiæ promiſſa eſt, Ioan. 15. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis,* & Luc. 22. *Ergo roganti pro te vt non deficiat fides tua.*

Ioan. 15. ỳ. 26. Luc. 22. ỳ. 32.

Secunda verò pars probatur, Deut. 17. *Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cunctúſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* & Rom. 13. cit.

Deut. 17. ỳ. 12. & 13.

Deinde, ità docent Patres: D. Aug. epi. 50. *Quis mente ſobrius regibus dicat; Non ad vos pertinet in veſtro regno, quis velit eſſe ſine religioſus, ſine ſacrilegus quibus non poteſt dici, non ad vos pertinet in regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus?* Leo epiſt. 75. ad Leonem Auguſtum Imperatorem. *Debes, Imperator incunctanter aduertere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam: vt auſus nefarios comprimendo, & quę bene ſunt ſtatuta defendas, & veram pacem ijs, quę ſunt turbata reſtituas.* Bernard. lib. 4. de Conſideratione ad Eugenium, cap. 24. ait vſum gladij materialis collatum Eccleſiæ pertinere ad Imperatores & Principes ſeculares: ex quibus manifeſtè colligitur Imperatorum & Regum eſſe Eccleſiam defendere, atque adeò & eius hoſtes gladio punire. De iſtis vide plura apud Alphonſum à Caſtro lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione.

D. Auguſt. Leo. Bernard.

Ad rationes contrarias reſpondeo. Ad 1. nihil eſſe magis liberum quàm credere, ſi ſermo ſit de prima fidei acceptatione, ex quo tamen non licèt colligere acceptata ſemel fide, licere ab eadem impunè recedere; ſicut enim penès quemlibet noſtrùm eſt vel tranſire ad ſtatum vitæ monaſticæ, vel ad ſtatum coniugalem, altero tamen ex iſtis electo, nefas eſt recedere; ità & ſemel acceptata fide Catholica, citra culpam mortalem nullus poteſt ab ea reſilire, vnde & à Deo puniri poterit tamquam ſuæ fidei deſertor, & ab Eccleſia, & Magiſtratu, vt conſtat ex locis citatis.

Diluuntur probationes hæreticorū.

Ad id verò quod dicitur, Chriſtum feciſſe poteſtatem Apoſtolis promulgandi Euangelium in vniuerſo orbe, atque etiam ſi libuerit abeundi; non autem contuliſſe iſtis poteſtatem vindicandi peccatum Apoſtaſiæ.

Reſpondeo Chriſtum ideò non fuiſſe vſum poteſtate coërcitiua, nec Apoſtolos pro eo tempore, quia nondum erat Eccleſia conſtituta, & Chriſtus venerat iudicari, non autem iudicare.

Ad 2. Ex illis locis Scripturæ colligi tantùm, nefas eſſe vlciſci propria authoritate iniurias ſibi irrogatas; rectè namque dicitur Roman. 12. *Mihi vindicta: ego retribuam.* Magiſtratibus tamen licet iniurias religioni illatas vindicare.

2. Rom. 12. ỳ. 19.

Ad 3. hæreticos eſſe intrà Eccleſiam non merito, ſed numero; eadem ratione, qua membrum putridum cenſetur eſſe in corpore humano, & palea dicitur contineri in horreo, vnà cum tritico.

3.

Ad

Vit. Ad vltrinam. Reſpondeo Apoſtolos etiam initio Eccleſiæ vſos fuiſſe poteſtate coërcitiua in aliquos delinquentes, vt conſtat ex cap. 5. Act.

Actu. 5. Diuus enim Petrus vltimo ſupplicio adiudicauit Ananiam & Saphiram, eo quod ſibi retinuiſſent partem pecuniæ, ex venditione agri acceptæ. &

Id. 13. cap. 13. Paulus cæcitate percuſſit magum quemdam pſeudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Bariesu, ſeu Elymas Magus, qui quærebat auertere Sergium Paulum Proconſulem à fide. Imò cap. 5. Galat. ait. *Vtinam & abſcindantur qui vos*

Galat. 5. ỽ. 12. *conturbant.* & 1. Corinth. 6. conqueritur de Chriſtianis quòd lites & controuerſias deferant ad tri-

1. Cor. 6. ỽ. 1. bunalia infidelium. *Audet aliquis veſtrûm habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos.*

1. Cor. 11. ỽ. 19. Inſtabis, Paulum 1. Cor. 11. affirmare debere eſſe hæreſes, vt qui probati ſunt manifeſti fiant.

Replica. Diſſoluitur. Reſpondeo inde ſolùm colligi poſſe, politis diſſidijs circa menſas, & articulos fidei Catholicæ, futuras quoque eſſe hæreſes; minime verò propterea Paulum affirmare hæreticos eſſe tolerandos.

Matth. 13. ỽ. 30. & 29. Vrgebis, Chriſtum dixiſſe Matth. 13. *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* & paulo ante reddit rationem; *ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.*

Alia replica. Enervatur. Reſpondeo ex hoc ſolùm inferri in eo caſu in quo hæretici puniri nequeunt, niſi ſequantur grauiſſima incommoda in veris Chriſtianis & Catholicis hominibus, tolerandos eſſe tunc temporis hæreticos: hac eadem ratione explicandus eſt Chryſoſt. cit. in hoc argumento ex communi opinione Theologorum hoc loco. Factum autem Ithacij & Idacij ideò Martinus & Sulpitius improbarunt, quòd huiuſmodi crimen ad forum ſeculare detuliſſent, ſeque cauſæ ſanguinis commiſcuiſſent: hæreſes quippe primùm deducendæ ſunt ad tribunalia Eccleſiaſtica, deinde debent clerici abſtinere à ſæuis quibuſuis negotijs & cauſis, adeò vt ſacri Canones dicant clericorum eſſe orare pro reis, non autem contra reos agere vbi agitur de ſanguinis effuſione.

A brachio ſeculari traderentur, & à iudicibus Laicis vltimo ſupplicio plecterentur, ex cap. *Ad abolendam.* de Hæret.

Alię pœnæ indictę. Indictæ fuerunt variæ & diuerſæ aliæ pœnæ tam à iure ciuili, quàm Canonico, quæ referuntur à Peſantio diſputatio vnica ad art. 4. huius quæſt. & alijs.

Dubitatur autem, *An excommunicatio aduerſus hæreticos lata fuerit iure tantum Canonico, an vero diuino*: dicitur enim Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita.* & 2. Ioan. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis.* & Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Qui locus manifeſtè agit de poteſtate excommunicandi.

Tit. 3. ỽ. 10. 2. Ioan. ỽ. 10. Matth. 18. ỽ. 17.

Indubitanter tamen aſſerendum eſt, *iure tantum Eccleſiaſtico cenſuram excommunicationis, interdicti, ſuſpenſionis, & pœnam irregularitatis indictam eſſe hæreticis, minimè verò iure diuino.* Primùm, quia nihil extat de hac re in toto decurſu noui & veteris Teſtamenti. Deinde cenſura nuſquam indicitur propter aliquam culpam, niſi fuerit hæc etiam connuncta cum cenſura in ea conſtitutione, per quam indicitur talis cenſura, vt fatentur communiter doctores in tract. de cenſuris: at non poteſt aſſignari locus aliquis in ſacris literis, in quo indicatur hæreticis, aut culpæ hæreticos indici cenſuram excommunicationis: ergo, &c.

Iure tantum Eccleſiaſtico excōmunicantur hæretici non vero diuino.

Ad rationes verò contrarias. Reſpondeo ex duobus primis Scripturæ teſtimonijs minimè colligi cenſuram excommunicationis latæ eſſe iure diuino contra hæreticos, ſed ſolùm prohibitum eſſe, ne quis familiariter verſetur cum hominibus hæreticis, idque propter mala, quæ inde ſubſequuntur; quemadmodum enim modicum fermentum totam maſſam corrumpit, & morbida ſola pecus inficit totum gregem, ita vnus hæreticus ſatis eſſe poteſt ad perdendos innumeros planè Catholicos.

Ex vltimo verò teſtimonio tantùm probatur, graue, imo grauiſſimum illum admittere peccatum, qui non vult obſequi Eccleſiæ præcipienti aut dictanti aliqua, vt communiter explicant Doctores ad hunc locum Matth.

DVBITATIO SECVNDA.

Quæ pœnæ ſunt peccato hæreſis indictæ.

Pœna exilij puniuntur hæretici. CONCLVSIO. *Hæreticis primùm conſtituta fuit pœna exilij*; vt conſtat ex Sozomeno lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 2. cit. Hæc autem pœna perſeuerauit in Eccleſia ad tempora vſque Anaſtaſij I. Pontificis Max. ex eius epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ.

Temporibus verò Theodoſij Imperatoris addita fuit mulcta pecuniaria, ex Gratiano 23. quæſt. 4. Canone. *Ipſa pietas.*

Martianus & Valentinianus Imperatores poſtea pœnam capitis indixerunt hæreticis, ex lege *Quicumque*, Codice de hæreticis.

Acceſſit deinde excommunicatio maior contra quoſcumque hæreticos notorios, & manifeſtos, ex cap. *Ad abolendam.* de Hæreticis, & ex cap. *Excommunicamus.* 1. & 2. de Hæret. in 6. & apud Gratianum 24. quæſt. 1. & 3. Et in bulla Cœnæ Domini ſimili excommunicatione feriuntur quilibet hæretici.

Tandem decretum fuit vt obſtinati & relapſi

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum reuertentes ab hæreſi ſint ab Eccleſia recipiendi.

DVBITATIO PRIMA.

An hæretici redeuntes ad Eccleſiam ſint admittendi.

Sunt admittendi ad cōmunionem fidelium hæretici reuertentes. CONCLVSIO VNICA. *Hæretici redeuntes ad Eccleſiam libere ſunt admittendi ad communionem, ſeu, quod idem eſt, ad penitentiam; minimè verò ad priſtinos honores, ſaltem ſemper, ſed interdum, & aliquando.* Prima pars Concluſionis probatur. ex eo quòd Chriſtus dicat Matt. 18. nedum remittendam eſſe culpam proximo ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vſque ſepties? Non dico tibi vſque ſepties*, reſpondet Ieſus,

Matt. 18. ỽ. 21. & 22.

Digitized by Google

ſed uſque ſeptuagies ſepties: quo loco numerus finitus pro infinito ponitur, ex communi Patrum interpretatione.

Deinde, Eccleſia nulli planè claudit gremium; hæc enim Chriſtum imitatur qui dixit, Ioan. 7. *Si quis ſitit veniat ad me & bibat.* imò certiſſimum eſt ex veteri Teſtamento Deum nolle mortem cuiuſquam, ſed expectare omnes ad penitentiam Ezech. 33. *Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua & viuat.*

Ioan. 7. ℣. 37. Ezech. 33. ℣. 11.

D. Auguſt. Secunda pars probatur ex Patribus: D. Auguſt. epiſt. 50. *Cur enim*, inquit, *cum datum ſit diminutis homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittentur? An fidem non ſeruare leuius eſt animam Deo, quam fœminam viro?* Vnde concludit maiori longè cum ratione vltimo ſupplicio afficiendos defertores fidei Catholicæ, quàm qui deficiunt à fide data in matrimonio, Ambroſ. ſerm. 50. de tempore. *Grauius eſt religionis adulterium, quam corporis.* & item Auguſt. tract. 11. in Ioan. *Occidunt animas* (ſcilicet hæretici) *affligunturin corpore; ſempiternas mortes faciunt, & temporales ſe perpeti conqueruntur.* Et ex locis dubitatione antecedenti citatis, vbi diximus legibus Imperatorum vltimum indictum eſſe ſupplicium hæreticis, maximè relapſis, & pertinacibus, & ex D. Thoma in hoc art.

Ambroſ.

Vltima verò pars Concluſionis probatur ex Concil. Niceno, can. 8. ibi enim dicitur hæreticos redeuntes ad Eccleſiam reſtituendos eſſe priſtinis dignitatibus, ſi tamen conſtet de eorum vera penitentia, & ſi ea fuerit voluntaria. Et ex can. 12. Concilij I. Aurelianenſis, & ex VII. Synodo actione 3.

Deinde, Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus poſt lapſum in hæreſim ſuo Epiſcopatui fuit reſtiturus, vt referunt plerique ſcriptores Eccleſiaſtici. Simile quid præſtitit Cornelius Pont. Max. erga Martialem & Baſilidem libellaticos, referente Cypriano in epiſt. ad Cornelium. Eccleſia tamen Africana numquam paſſa eſt, nec voluit ſuſtinere reſtitutionem iſtorum Epiſcoporum, ſed ad Cornelium de hac re ſcripſit, ne id ingrato animo acciperet.

DVBITATIO SECVNDA.

A quo ſint hæretici recipiendi quando ad Eccleſiam reuertuntur.

Hæretici à Papa recipiendi vbi publicata Bulla cœnæ Domini.

Conclvsio 1. *In illis locis in quibus conſtitutio Cœnæ Domini publicata eſt, hæretici a ſolo Pontifice Maximo ſunt recipiendi, reſpectu fori externi & interni.* Primùm, quia in hac conſtitutione citata, quę ſingulis annis feria quinta cœnæ Domini promulgatur, dicitur verbis conceptis nemmem poſſe abſolui ab hæreſi præterquàm à ſolo Pontifice, extra vltimum vitæ articulum: ergo.

Deinde, quia ità ſentiunt communiter Caſuiſtę, Sanchez lib. 2. ſuæ Summæ moralis. cap. 11. & 12. Lorichius in ſuo theſauro morali, verbo, *Hæretici*. Leſſius, Nauarrus, & reliqui ferè omnes dum differunt de hæreticis.

Dixi autem tam in foro interno, quàm externo; quoniam in foro externo certum eſt Epiſcopos, & inquiſitores, hæreticos ad Eccleſiam redeuntes reconciliare poſſe, vt manifeſtè colligitur ex cap. *Inquiſitores*, & ex cap. *Per hoc.* de hæreticis in 6. & ex Clementina vnica de hæreticis. §. *Propter quod.* & ex Extrauagante Benedicti XI. de hæreticis, cap. 1.

Conclvsio 2. *In illis locis in quibus Bulla cœnæ Domini, non eſt publicata, neque vſu & conſuetudine recepta, poteſt quilibet Epiſcopus ſuos ſubditos abſoluere a macula hæreſis in vtroque foro.* Primùm, quia Pontifices Maximi, & ſacra Cõcilia hanc poteſtatem in Epiſcopis eſſe agnoſcunt: ità Leo I. Pontifex Maximus epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ, vbi de inquirendis Manichæis hæreticis agit, *Populos*, inquit, *nobis commiſſos aliter regere non poſſumus, niſi hos, qui ſunt perditores & perditi zelo fidei dominicæ perſequamur, & a ſanis mentibus, ne peſtis hęc latius dimulgetur, ſeueritate qua poſſumus abſcindamus: vnde hortor dilectionem veſtram, obteſtor, & moneo, vt qua debetis & poteſtis ſolicitudine vigiletis ad inueſtigandos eos, necubi occultandi ſe reperiant facultatem:* quo loco verba iſta (*debetis & poteſtis*) ſunt ponderanda; hæc enim arguunt poteſtatem & legitimam iuriſdictionem Epiſcoporum animaduertendi in hæreticos, & quoſlibet fidei Catholicæ transfugas, itémque defertores. Expreſſiùs adhuc, ſi tamen magis expreſſè dici res hæc potuit, comprobatur à Patribus Concilij II. Arelatenſis can. 23. *Si in aliquius Epiſcopi territorio infideles aut faculas accenderint, aut arbores, fontes, vel ſaxa venerentur, ſi hæc eruere neglexerit,* ſcilicet Epiſcopus, *ſacrilegij ſe eſſe reum cognoſcat. Dominus autẽ vel ordinator rei ipſius, ſi admonitus emendare noluerit communione priuetur.* & Patres Concilij Mileuitani II. can. 25. *Si in matricibus Cathedris Epiſcopus negligens fuerit aduerſus hæreticos, conueniatur a vicinis Epiſcopis diligentibus, & ei ſua negligentia demonſtretur, vt ſe excuſare non poſſit.* & paucis interiectis. *Si autem eos*, ſcilicet hæreticos, *ad vnitatem Catholicam conuertendos non curauerit, non ei communicetur donec impleat.* Et in Concilio Africano ſub Bonifacio I. can. 33. & 34. hoc idem executioni demandatur; imò can. 36. dicitur, quòd legati deſignentur & mittantur ad Donatiſtas verè hæreticos eo tempore, prædicandæ pacis gratia, vt ſub tali conditione ad gremium Eccleſiæ reuerterentur, & ſcirent ſibi omnia eſſe condonata & communionem recepturos.

Vbi non eſt publicata Bulla cœnę Epiſcopi poſſunt admittere hæreticos.

Leo.

Concil. Arelatenſ. Mileuitan.

Africanũ.

Hinc Baſilius Imperator in oratione ad Patres in VIII. Synodo generali & quarta Conſtantinopolitana, ità Epiſcopos affatur: *Vos amatores virtutum, Deo amiciſſimi ſummi Sacerdotes, qui Epiſcopali decoramini dono, ſinguli commonere propriũ gregem & ad ſalutem ducere ne pigritemini.* & paucis interiectis. *Eos verò qui terrore hæreſeos cuiuſquam detinentur, tamquam paſtores boni conuertite. Nouerit enim virtutibus plena perfectio veſtra, quia ſi nota fuerit vobis hæreſis quacumque in prouincia cuiuſquam veſtrũm latitans, nec per doctrinam aſſiduam radicitus euellatur, & omnes ad fidem orthodoxam mann ducantur, (canonicè huiuſmodi Epiſcopus à proprio Patriarcha condemnabitur.* Sed placet tandem in prædictę propoſitionis noſtræ confirmationem ſubiungere quæ traduntur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 3. & refertur extra, *de hæreticis. Quilibet Archiepiſcopus, vel Epiſcopus per ſe, aut per Archidiaconum ſuum, vel idoneas perſonas honeſtas, bis aut ſaltem ſemel in anno propriam parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat, & ibi tres vel plures boni teſtimonij viros, vel etiam, ſi expedire videbitur, totam vicinam iurare compellat: quod ſi quis ibidem hæreticos ſciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, ſeu a communi converſatione fidelium, vita & moribus*

Conſtantinop.

Lateran.

moribus diſſidentes, tos Epiſcopo ſtudeat indicare. Ipſe V *autem Epiſcopus ad præſentiam ſuam conuocet accuſatos: qui nolle ſe ab obiecto reatu purgauerint, vel ſi poſt purgationem exhibitam in priſtinam fuerint relapſi perfidiam, Canonicè puniantur. Si qui verò ex eis incorrectam reliquerint obſtinatione damnabili reſipuentes, iuraque ſua voluerint, ex hoc ipſo tanquam hæretici reputentur. Volumus igitur & mandamus, & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus, vt ad hoc efficaciter exequendum, Epiſcopi per diœceſes ſuas diligenter inuigilent: ſi Canonicam voluerint effugere vltionem. Si quis enim Epiſcopus ſuper expurgando de ſua diœceſi hæretica prauitate ſcrupulo negligens fuerit vel remiſſus, cum ad eius indicia apparuerit, & ab Epiſcopali officio deponatur, & in locum ipſius alius ſubſtituatur idoneus, qui eam & poſſit hæreticam confundere prauitatem.* Caput integrum appoſui, vt Eccleſiæ Occidentis ſeueritatem in Epiſcopis loco mouendis, qui de reducendis ad Eccleſiam Catholicam hæreticis nihil cogitent, non tam miremur quam probemus. Hoc autem decretum allegat & renouat Martinus V. ad calcem Concilij Conſtantienſis contra Ioannem Hus, Ioannem Vviclef, & Hieronymum Pragenſem hæreticos, ac proinde eaſdem indicit pœnas omnibus Epiſcopis, quas Lateranenſe, ſi deſides & negligentes extiterint in emendandis, & caſtigandis hominibus illis, qui falſas opiniones & fidei Catholicæ dogmata aduerſa & contraria confectantur. Idem Patres Concil. Baſilienſis in epiſtola Synodali de authoritate Generalis Concilij ſupra Papam ad finem ſeſſionis vltimæ hortantur & dicunt. *Sanguis*, inquiunt *peccantiũ omnium propter hæreſes, bella, & morum deformitatem ab eius,* ſcilicet Epiſcopi *manibus exigetur, qui impedimento eſt ne illa tollantur.* Idem Concilium Senonenſe cap. 32. generalis decreti aſſerit & confirmat.

Baſilienſe. C

Neque verò ſilere poſſum aut debeo Epiſcopos Galliæ noſtræ diſquirendorum hæreticorum ius ſemper ſibi retinuiſſe, ex capitulari lib. 7. ac proinde ſummam in ijs quę fidei ſunt aut confirmãdis, aut emendandis authoritatem ſemper penes Epiſcopos fuiſſe nemo neſcit: & res hæc varie à varijs D tractatur; quæ ratio efficit vt illud imprimis exploraretur in Epiſcopis deligendis. verũ illi ſanę fidei sẽper extitiſſent, nec vllum cũ hæreticis conſortiũ habuiſſent. Imò antequã conſecrarentur fidei profeſſionem faciebant & ſubſignabant ex IV. Conc. Carthaginenſi c. 1. & ex Baſilamone ad cap. 19. Conc. Carthaginenſi, & ex Oxomenſi in Anglia c. 8. Quod etiam noſtris temporibus in auguratione, vel potius cuiuſlibet Epiſcopi ordinatione obſeruatur ex præſcripto Bullæ Pij IIII. quæ extat ad calcem Concilij Trident. & in Bullario, quo loco præcipitur, ne quis ad vllum planè beneficium, dignitatem Eccleſiaſticam, aut etiam officium prædicationis, gradum Doctoratus promoueatur, E & admittatur, niſi præmiſſa publica fidei profeſſione iuxta formam in dicta conſtitutione præſcripram. Ex quibus omnibus.

Probatio concluſionis à ratione.

Probatur Concluſio: Tenetur quilibet Epiſcopus nauare operam quantum poteſt vt hæreſis euellatur à ſua diœceſi, atque adeò tenetur obſtinatos, & contumaces pœnis iuſtiſſimis afficere, & penitentes abſoluere, vt conſtat ex locis citatis: ergo poterit Epiſcopus beneficiũ abſolutionis impẽdere hæreticis voluntariè ad Eccleſiã redeuntibus, nec enim minor eſt poteſtas Epiſcopalis in abſoluendo, quàm in damnando, cùm hæc ex æquo ad iſta duo ordinata ſit.

Confirmatur: quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi eſt Inquiſitor fidei etſi alius fuerit à ſede Apoſtolica deſignatus, vt conſtat, ex cap. *Inquiſitores.* & c. *Per hoc.* de hæreticis in 6. & ex Clementina vnica, de hæreticis. §. *Propter quod* citatis paulò ante: atqui Inquiſitor à ſede Apoſtolica conſtitutus abſoluit hæreticos tam in foro externo, quã interno, vt conſtat ex conſtitutione Clementis VII. quæ extat ad calcem Directorij Inquiſitorum, & quæ non eſt reuocata, vt obſeruant plerique recentiores, ergo idem præſtare poterunt Epiſcopi. 2.

Deinde, qui potuit penitentiam publicam indicere antiquitus, potuit etiam abſoluere à peccatis propter quæ iniuncta fuit huiuſmodi penitentia: hæc enim duo ſe mutuò conſequuntur; atqui propter peccata cõmiſſa contra fidem indicta fuit antiquitus penitentia publica, vt author eſt Cyprianus ſerm. de lapſis, & epiſt. 52. ad Anthonianum & epiſt. 59. & 64. & quidem ab Epiſcopo, vt conſtat ex Sozomeno lib. 7. cap. 16. Socrate lib. 5. cap. 19. & Nicephoro lib. 12. cap. 28. & ex Hincmaro Epiſcopo in opuſculo de diuortio Lotharij Regis & Reginæ Thetbergæ: ergo poterit idem Epiſcopus huiuſmodi penitentes recipere. Confirmatur hoc ex D. Aug. epiſt. 203. & 225. vbi aſſerit abſolutionem fuiſſe datam penitentibus publicis in Cathedra, ad quam certis quibuſdam gradibus aſcendebatur, & hoc quidem beneficium contulisſe Epiſcopum: ergo potuerunt antiquitus Epiſcopi abſoluere ab hæreſi. 3. B Cyprian. D. Auguſt.

Quid plura? librorum improbatæ lectionis, & qui ſæuũ aliquod dogma continent, vt loquuntur Imperatores, damnandorum ius ad Epiſcopos ſemper planum eſt ſpectaſſe. Vnius Conſtantini magni Imperatoris teſtimonium ſufficiet vt arbitror. Hic ergo poſito decreto Concilij Nicęni de abſumendis igne & nequaquam retinendis libris ab Ario & eiuſdem ſequacibus editis, cuius meminit Nicephorus lib. 8. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 18. & cap. 25. eiuſdem libri de Conſtantino actorum Concilij Nicęni ſummo vindice & aſſertore ita loquitur. *Si quod ſcriptum ab Ario compoſitum reperiatur, vt igni id tradatur volumus; vt non modo improba eius doctrina abrogetur, verùm etiam ne monumentum quidem aliquod eius relinquatur: ſiquid equidem præcipuum volo, ſi quis libellum aliquem ab Ario conſcriptum celare, nec continuò igni comburere deprehenſus fuerit. ſupplicium ei mortis eſſe conſtitutum. Illico enim in tali crimine comprehenſus pœnam ſuſtinebit capitalem.* Hoc autem edictum Conſtantini poſterius fuit decreto Patrum Concilij Nicęni contra libros Arij, vt colligere licet ex Nicephoro loco iam cit. Socrate lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 6. Baronio tomo 3. Annalium, ad annum Chriſti 325. Idem teſtatur Iuſtinianus Imperator in edicto ad populum Conſtantinopolitanum. *De libris,* inquit, *hæreticorum in Eccleſia a SS. Patribus plurima inquiſitio eſt, vtpote plenis impietate.* Idem Valentinianus & Martianus Imperatores in epiſt. ad Palladium Orientis præfectum, quę extat actione 3. Concilij Chalcedonenſis generalis quarti. 4. Nicænum. Chalced.

Res hæc eadem à primis Eccleſiæ Catholicæ paſtoribus & Epiſcopis pari cum ſeueritate fuit ſanctiſſimè præſcripta & obſeruata: Dionyſius quippe in lib. de Diuinis nominibus cap. 6. ità de hac re loquitur. *Quocirca amentiſſimi Simonis ſcripti hac de re, contradicendi ac refellendi cauſa libri,* de animæ ſcilicet immortalitate, *procul à Choro Diuino, & à ſancto animo tuo repellatur.* Abdias Babylonius, aut quiſquis fuerit author librorum Dionyſius.

certaminis Apoſtolici lib.4.narrat quòd cùm Hermogenes hæreticꝰ ante pedes Apoſtoli Iacobi ſuos poſuiſſet libros vt cõburerentur. Apoſtolum ſubiunxiſſe, *Ne forte odor incendij vexet incautos appende Zabiris lapides & plumbum, & mitte in mare.* Zabira autem Græcis eſt repoſitorium armamentorum,vt obſeruat Cretſetius in ſua Summa, pagina mihi 455. ſub initium in margine tantùm. & Ignatius Martyr in epiſt. ad Marium. *Fuge*, inquit. *impias & Deum abnegantes hereſes, diaboli enim ſunt adinuentiones, ſerpentis omnium malorum authoris; fuge quoque malas eius ſoboles, Simonem primogenitum eius filium, & Menandrum & Baſilidem, & vniuerſim eius malignitatis colluuiem.* Synodus item Epheſina Neſtorio, & libris eiuſdem dixit anathema,vt narrat Liberatus Carthaginenſis cap. 10.Breuiarii de cauſa Neſtorianaiac proinde Diodorus Tarſenſis Epiſcopus, & Theodorus Mopſueſtiæ ciuitatis Epiſcopus prædicti Neſtorii ſequaces. libros à Neſtorio editos in Syrorum. Armenorum & Perſarum linguam maxima cum diligentia tranſtulerunt, & ad prædictos populos tranſmiſerunt,vt ità parum circumſpectos Catholicos à vera fide auocarent.&Neſtorianę hęreſeos ſectatores redderẽt. Ceterũ vano & irrito conatu: ſtudio ſiquidem ac diligentia Acatii Melitenenſiũ Epiſcopi,& Ribbulæ Edeſſenorum ſimiliter Epiſcopi,factum eſt, vt ne vnus quidem ex prædictis codicibus Neſtorianis, ad manus plebeiorum, aut eruditorum peruenerit, quin ſtatim aut flammis conſumeretur, aut certè in fruſtula minutiſſima diſcerperetur. In Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. ſub pœna anathematis nedum lectio,ſed etiam detentio librorum Ioãnis Hus,Vviclef,& Hieronymi Pragenſis, & cuiuſlibet alterius hæretici interdicitur, præcipitúrque ibidem, vt citiſſimè comburantur. Idem præſcribit Leo X. de libris Lutheri, vt conſtat ex Bulla eiuſdem, quæ extat poſt Concilium Lateranenſe ab eodem celebratum damnandæ Lutheranæ factionis & erroris cauſa.Tandem in actis Apoſtolicis, c ap. 19. legimus Apoſtolum Paulum ſtrictiſſimè vetaſſe lectionem librorum Gentilium, & Ethnicorum, idque quòd in iſtis vana & curioſa tantùm, vtilia verò nulla deprehenderentur.

Si ergo ad fidei Inquiſitores pertinet hæreticos ipſos & eorumdem libros acriter impugnare, dãnare, dignitatibus, officijs,beneficijs & alijs quibuſuis commodis ſpoliare, imò & ad iudicem laicum remittere,vt cauſa cognita ijſdẽ iuſtas pœnas infligant.Quid mirum ſi dicamus Epiſcopos, maximè verò Galliæ noſtræ poſſe hęreticos, & damnare, & præterea penitentes Eccleſiæ Catholicæ reconciliare?

12. Excommunicationes antiquitus Papæ reſeruatæ.

Antiquitus duodecim tantùm extabant excommunicationes ſedi Apoſtolicę reſeruatæ, vt obſeruat Gloſſa cap. *Si quis, ſuadente Diabolo manus violentas in clericum iniecerit*, nulla tamen ex iſtis ità in poteſtate ſummi Pontificis erat poſita, quin hæc eadem & ab Epiſcopo,& Curato. imò & à quolibet alio turisdictionem legitimam habente,poſſet tolli; ſaltem in illis qui vel inopia preſſi, vel corpore debilitati, aut aliquo alio iuſto titulo præpediti ſedem Romanam,nec adire,nec cõſulere opera tabellionis. aut alicuius alterius perſonæ poterant,omnium planè Theologorum & Canoniſtarum ſententia, & tradit Gloſſa proximè citata:extare autem innumeros in pagis, oppidis,vrbibus, & ciuitatibus Galliæ,qui Epiſcopum diœceſanum, minùs Pontificem Romanum, aut ab eodem delegatum conuenire nequeunt, certiſſimum eſt quis ergo dicet miſeros iſtos hæreticos penitentes, & ad vnitatem Eccleſiæ toto animi conatu properantes, nec ab Epiſcopo diœceſano, nec à Curato, nec ab vllo alio Pontifice Rom.inferiore poſſe abſolui:miſera profectò & infeliciſſima iſtorum hominum eſſet conditio,ſed etiam culpandi, & arguendi Pontifices, nedũ ſeueritatis,ſed etiam crudelitatis, & impietatis; quippe qui miſellis & deplorandis iſtis penitentibus hęreticis, fores Eccleſiæ. cœtum Catholicorum, & communionem eorumdem, vnà cum Sacramẽtis,ſine quibus vita æterna obtineri nequit denegarent.At longè aliter de Pontificum decretis, placitis,& conſtitutionibus ſentiendum autumant viri de re Theologica & ſacris Canonibus bene meriti:aiunt ergo Põtificem maximum nulli claudere Eccleſię gremium,nemini denegare abſolutionis beneficium, ſed quemadmodum in caſu extremo neceſſitatis quilibet ſacerdos iure diuino, quodlibet peccatũ quantumuis enorme ab homine penitente remouere poteſt;ità Epiſcopus ſuos diœceſanos ad vnitatem Eccleſiæ redire volentes,poterit aſſentiente expreſſè vel tacitè ſummo Pontifice, ab hæreſi abſoluere: imò hoc idem poterit præſtare propriꝰ Parochus in eo caſu, in quo diœceſanus Epiſcopus ab homine hęretico conueniri non poteſt.nec abſolutio huius hominis ſine notabili damno in aliud tempus prorogari. In iſtis caſibus ſi poteſt alius à Pontifice omnium conſenſu nedum ab hęreſi, ſed etiam ab omni alio etſi fœdiſſimo & turpiſſimo peccato, & à quacumque excommunicatione abſoluere, falſum profectò erit quod dicunt aliqui & iactant in vulgus, crimen ſcilicet hæreſeos à ſolo Pontifice Roman. poſſe remitti.

Ipſum autem Inquiſitorem à ſede Apoſtolica conſtitutum omnes hæreticos ſponte ad Eccleſię vnitatem redeuntes, antequàm ab aliquo accuſentur aut denuncientur poſſe ab excommunicatione abſoluere, & abſolutionem iſtam eſſe validam in vtroque foro tradunt Pengna comment. 50. quæſt. 1. in 3. part. directorii Inquiſitorum. Alphonſus à Caſtro lib. 1. cap. 5. de iuſta hæreticorum punitione. Ioannes Franciſcus Leo part. 3. cap. 5. in ſuo theſauro fori Eccleſiaſtici, numero 11. Lorichius verbo *Hæreticus*. §. 12. Rodriguez art.10. quæſt. 20. tomo 1. quæſt. regularium & Canonicarum : & alii multi : & certè vſu quotidiano ſatis eſt comprobatum Inquiſitores Hiſpanos, & Gallos hæreticis quibuſuis penitentibus beneficium abſolutionis impendere nedum per ſeipſos, ſed etiam per ſuos delegatos.

At re ità confecta videor ſubaudire obmurmurantes & obiicientes.

Primò Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. verbis expreſſis poteſtatem facit Epiſcopis abſoluendi hæreticos, ceterum occultos & quidem per ſeipſos tantùm, minimè verò per ſuos Vicarios. Quî igitur verum eſt Epiſcopum hæreticos manifeſtos nedum poſſe Eccleſiæ reconciliare, per ſeipſum, ſed etiam poteſtatem iſtam alteri delegare vel committere? *Obiectio 1.*

Secundò, quis neſcit in Bulla cœnæ Domini quæ ſolemni ritu & pompa ſingulis annis,præſente Pontifice, Cardinalium purpuratorum grauiſſimo Collegio, Epiſcopis doctiſſimis, Clero religioſiſſimo, & denique ſpectante toto populo,publicatur authoritate Pontificis Romani. 2.

excom-

excommunicari omnes & ſingulos hæreticos, & quidem ità vt nolit Pontifex Max. caſum hunc ab vllo alio præterquàm à ſeipſo abſolui: ita enim legit poſtrema fere clauſula Bullæ. *Ceterum a praditis ſententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem poſſit abſolui, & prætextu quarumuis facultatum & indultorum conceſſorum quibuſuis perſonis Eccleſiaſticis aut Laicis in quacumque dignitate regali aut imperiali conſtitutis*, & paucis interiectis. *Quod ſi forte aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione & anathemate illaqueatis abſolutionis beneficium de facto impendere præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus.*

A

Tertiò, vſus quotidianus obtinuit vt Epiſcopi ipſi ſedem Romanam conſulant, & quidem vt ab ea facultatem abſoluendi hæreticos ſibi ſubditos accipiant. Reſcripta huius generis & argumenti à Romano Pontifice emanata licuit & libuit mihi ipſi cernere, animaduertere, & legere varia & multiplicia.

B

Vrget etiam non minùs quòd referunt Ioannes de Gallemart, & Proſper Farinacius Congregationem illuſtriſſimorum Cardinalium à ſummo Pontifice conſtitutam ad tollenda dubia, quæ quotidie occurrunt circa verum & germanum ſenſum verborum Concilij, declaraſſe nec Epiſcopum, nec Inquiſitorem fidei poſſe validè, etiam in foro conſcientiæ hæreticum abſoluere, eſto fecerit Concilium poteſtatem iſtam Epiſcopis.

C

Hæc tanti momenti ſunt apud multos, & probitate vitæ inſignes, & ſingulari eruditione præditos, vt propterea noſtram quam anteà poſuimus ſententiam, putent nedum eſſe falſam, ſed etiam erroneam, & ad praxim nulla ratione reuocandam.

Ceterùm obiectiones iſtę, quæ non mediocrem in ſe continent difficultatem, negotiúmque non paruum cuilibet, etſi in docendi munere exercitato prima fronte faceſſunt, detecta caligine, quæ veritatem doctrinæ explicatæ obſcurare quodammodo videbatur, diſſoluentur. Sed hoc vno præmiſſo ſinè quo difficultas iſta nec intelligi, nec explicari à quopiam poteſt.

D

Hæreſis trahit & excommunicationem & irregularitatem.

Obſeruandum igitur eſt conſenſione omnium Theologorum & Canoniſtarum hæreſeos crimen conſequi rationem peccati mortalis, quæ in eo poſita eſt quòd quis rei à Deo reuelatæ, & propoſitæ credendæ authoritate Eccleſiæ nolit aſſentiri, ſed eidem obſtinato & obſtinato animo diſcredit & reluctatur: & præterea habere annexam excommunicationem maiorem, quæ priuat hominem alienum à fide Catholica, communione actiua, & paſſiua omnium plane Sacramentorum, & præterea trahere ſecum irregularitatem, impedimentum ſcilicet Canonicum, quo quis arcetur à miniſterio Eccleſiaſtico. Hoc ergo ità conſtituto.

Soluuntur obiectiones factæ.

Dico, culpam hæreſeos ab Epiſcopis vt ſuſtinent vices Inquiſitoris hæreticæ prauitatis in proprijs diœceſibus verè à quibuſuis penitentibus in penitentiæ foro per ſe ipſos, aut per delegatos remoueri quoad culpam & quoad excõmunicationis cenſuram: nam præter ea quæ à nobis iam dicta fuerunt in noſtrę aſſertionis confirmationem, pleriqúe ex ijs authoribus qui putant neminem præter Pontificem Max. ab hæreſi abſoluere poſſe, docent Epiſcopum & item fidei Inquiſitorem, non obſtante decreto Concilij Tridentini proximè citato, & item Bulla cœnæ Domini poſſe hæreticos penitentes reconciliare. Quæro ergo, ad quid hæc reconciliatio? an ad hoc vt hæreticus penitens inculpatè cum cæteris Catholicis intrà cancellos ædis ſacræ concionem audiat, preces fundat, ſacra attrectet; an etiam vt Sacramenta penitentiæ, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ conſequatur? Primùm dici nullo modo poteſt ex Concilio quippe Conſtantienſi habemus ſolos nominatim excommunicatos, & denunciatos & notorios clericorum percuſſores, quando factum illud nulla tergiuerſatione celari poteſt, eſſe vitandos. Accedit vſum hactenus obtinuiſſe inter Catholicos, vt cultus diuinus non ideò in Eccleſiis noſtris prętermittatur, aut interrumpatur, etiãſi contigerit nedum vnum aut alterum, ſed etiam plures intrà Eccleſiæ muros extare notorios Caluiniſtas, Lutheranos, Anabaptiſtas, & ſimiles nefarios homines. Si ergo inculpatè tremendum altaris ſacrificium præſente homine hæreſi Caluiniana aut Lutherana fœdato, celebrari poſſit, imò & cetera omnia Sacramenta adminiſtrari; certè reconciliatio hominis hæretici, non ideò fit ab Epiſcopo vt Catholici poſſint vnà cum iſto hæretico penitente impune rem ſacram audire, & ceteros actus hominis Catholici exercere. Si autẽ dicatur ſecundum, euidenter aſſertio noſtra comprobatur, Epiſcopum ſcilicet abſoluere hęreticum penitentem, & ab excommunicatione, & item à culpa mortali quam contraxit: Neque enim fieri poteſt vt quis vel Sacramenti alicuius effectum, vel Sacramentum vllum ſine peccato conſequatur, quin prius à ſententia excommunicationis maioris, qualis eſt ea qua innodatur hæreticus, non fuerit abſolutus: Sacramenta namque agenti extra Eccleſiam non poſſunt eſſe vtilia, ex illo Cypriani: Qui non habet Eccleſiam matrem in terris, non habebit Deum Patrem in cœlis: excommunicatos autem eſſe membra præciſa à corpore myſtico, mucrone & gladio Eccleſiaſtico, conſtat ex illo Origenis: Si oleo perunximus, ſi emplaſtris mitigauimus, nec tamen adhuc cedit tumoris duritia, enſe reſecandum eſt, ne pars ſincera trahatur, corrumpatur.

E

Explicatur Trident.

Ad authoritatem ex Trident. allatam. Reſpond. primò, ſupponere Bullam cœnæ Domini publicatam aut vſu & conſuetudine receptam, in his & illis Epiſcopatibus. Adde, Concilium poteſtatem à iure communi factam Epiſcopis, vt videlicet hæreticæ prauitatis Inquiſitores contra quoſlibet hęreticos eſſe cenſeantur, non reuocare: ergo ſaltem vt fidei Inquiſitores poterunt Epiſcopi quoſlibet hæreticos abſoluere, & præterea vices ſuas, ſeu miniſterium hoc, vni aut alteri Sacerdoti delegare, ad hoc vt hîc vel illic hæreticos ad veritatem religionis Chriſtianæ liberè properantes abſoluat. Ad id quod ſubiungitur ab iiſdem authoribus, ex Bulla cœnæ Domini, & ex deciſione Cardinalium illuſtriſſimorum, in quibus dicitur nec Epiſcopos, nec Inquiſitores poſſe ab hęreſi abſoluere, etiam in foro conſcientiæ.

Solutio 3.

Reſpondeo, tres conditiones iudicio & authoritate multorum Theologorum & Canoniſtarum eſſe neceſſarias, vt lex aliqua obliget; altera quòd lex iſta à principe legitimo emanauerit; altera quòd fuerit ſufficienter publicata; poſtrema quòd vſu & conſuetudine fuerit comprobata: at quem latet nec Bullam Pii V. nec cœnæ Domini, quibus ſub anathematis pœna poteſtas abſoluendi hæreticos omnibus aliis à Pontifice maximo interdicitur, nec in Gallijs noſtris vſpiam fuiſſe receptam, nec publicatam? Scio ante paucos annos illuſtriſſimum, ac numquam ſatis laudatum

Digitized by Google

Cardinalem à Ioyoſa ob ſingularem ſuum erga religionem Chriſtianam bene affectum animum, & in rebus gerendis experientiam non vulgarem. Vbi in certa aliqua Congregatione ab eodem celebrata fuiſſet concluſum Bullam cœnæ Domini iuſtiſſimis de cauſis eſſe in æde Metrop. Toloſana, D. Stephano ſacra explicandam cum iiſdem ceremonijs quibus publicatio hæc Romæ celebrari conſueuit; re paulò oculatiùs inſpecta, cogitatione altiori repetita, mutaſſe ſententiam, probaſſeq; trium aut quatuor conſilium, qui in prædicta Congregatione ſuffragantes conſtanter aſſeruerant promulgationem prædictæ conſtitutionis inconſulto principe, & alijs totius imperij Gallici Epiſcopis Reuerendiſſimis celebrari minimè debere, nec poſſe. Conſtanter ergo affirmo leges iſtas nullam inducere obligationem in Gallijs, ac proinde legibus antiquis ſtat vigetque Gallia.

Solutio 3. Tandem ad id quod vltimo loco obijcitur Epiſcopos noſtros quotidie ſedem Romanam interpellare, vt ab ea facultatem abſoluendi hæreticos conſequantur. Reſpondeo, eos id conſultò præſtare qui id faciunt, vt prædictos hæreticos ad officia & beneficia Eccleſiaſtica obtinenda reddant habiles. Hæreſeos quippe crimen nedum inducit excommunicationem, ſed etiam irregularitatem, in qua cùm ſolus Pontifex Rom. diſpenſet ex communi Doctorum ſententia, merito de hac re conſulitur ſedes Pontificia. Deinde, ſunt qui doceant conſtitutionem publicatam Romæ obligare quoſcumque Chriſtianos & Catholicos, niſi aliter fuerit in conſtitutione ordinatum, vt ergo amoueatur omnis ſcrupulus, impetrantur huiuſmodi reſcripta à ſummo Pontifice; non autem quòd non poſſint Epiſcopi ſequi opinionem à nobis adductam.

Corollariũ. Ex dictis licet quædam colligere. Primò hæreticos occultos & notorios libere accedentes ad fidem Catholicam poſſe ab Epiſcopis proprijs & ordinarijs abſolui in vtroque foro, modò tamen Bulla dicta in ipſorum diœceſibus non fuerit promulgata, neque vſu & conſuetudine recepta. In illis verò locis in quibus eſt recepta, hæretici occulti poſſunt abſolui à proprio Epiſcopo ex loco cit. Tridentini; notorii verò & manifeſti tantùm in foro exteriori ab Epiſcopis diœceſanis. De hac re vide plura apud Ioan. Fileſacum in lib. de ſacra Epiſcoporum authoritate, ad titulum de officio iudicis ordinarij.

2. Colligo 2. Epiſcopos in quorum diœceſibus Bulla cœnæ Domini non eſt promulgata poſſe licentiam concedere tenendi, & legendi libros hæreticos viris benè moratis, & de re literaria bene meritis: poteſt enim Epiſcop⁹ illud omne quod Inquiſitor à ſede Apoſtolica cõſtitutus; eſt enim Inquiſitor natus iure cõmuni reſpectu ſuæ diœceſis; at Inquiſitor confert poteſtatem legendi certos aliquos libros hæreticos, vt conſtat ex praxi quotidiana, & ex quibuſdam Bullis, quæ habentur in fine directorij Inquiſitorum, quidni idem poterit Epiſcopus?

3. Colligo 3. poſſe Epiſcopos communiter vel diutiſius procedere in proceſſu formando contra hæreticos, ità quòd quilibet poteſt citare, arreſtare, capi facere, ac tutè cuſtodire, mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, ſi ei viſum fuerit expedire, Clementina 1. §. *Propter quod*, & gloſſa in verbo *Contrarios*, de hæreticis. Poteſt etiam Ordinarius eodem modo quo Inquiſitor publicare edicta contra hæreticos, & ſuper libris prohibitis; catalogos etiam librorum ac libros prohibitos recipere poteſt, quia factum Concilium Tridentinum de Epiſcopis multùm confidit, vt patet in indice librorum prohibitorum in regulis 4. 9. & 10. Vide de hac re 5. Clementinam, tit. de hæreticis, & Extrauagantem Benedicti XI. de hæreticis: in iſtis quippe locis habetur Epiſcopum in hæreticos ſententiam ferre poſſe, vel cum Inquiſitore, vel ſine illo.

4. Colligo demum Epiſcopum poſſe committere vices ſuas alteri in iſtis, quilibet enim Ordinarius delegat ea quę ſunt ſuæ iuriſdictionis, vt pluribus tradunt Felinus ad cap. *Super quæſt.* §. *quem verò*, de officio delegati. num. 4. Nauarr. in Manuali, cap. 27. num. 45. Ludouicus de Beia parte 4. caſu 6. eorum qui examinati fuerunt præſente Cardinali Pallæoto.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Apoſtaſia.

AB hac quæſtione vſque ad 17. agit D. Thomas de alijs vitijs oppoſitis fidei, vt in hac de Apoſtaſia. In 13. de Blaſphemia in genere. In 14. de blaſphemia in Spiritum ſanctum. In 15. de vitijs oppoſitis ſcientiæ & intellectui, & in 16. de præceptis fidei, ſcientiæ, & intellectus. Sed de ijs, vtpote ſatis per ſe facilibus legendus eſt Diui Thomæ textus.

QVÆSTIO XVII.

De Spe.

ARTICVLO 1. Docet D. Thomas ſpem eſſe virtutem.

ARTICVLO 2. Obiectum proprium & principale ſpei eſſe beatitudinem æternam.

ARTICVLO 3. Monet non abſolutè, ſed ex hypotheſi, ſuppoſita ſcilicet charitate, poſſe aliquos nedum ſibi, ſed & alijs ſperare vitam æternam.

ARTICVLO 4. Docet quòd quemadmodum non licet ſperare aliquod bonum velut vltimum finem præter beatitudinem æternam, ſed tantùm ſicut id quod ad beatitudinem eſt ordinatum; ità non licet ſperare de vlla planè creatura, ſicut de prima cauſa mouente in beatitudinem, ſed ſicut de agente ſecundario & inſtrumentali, per quod aliquis adiuuatur ad quæcumque bona conſequenda in beatitudinem ordinata.

ARTICVLO 5. Spem eſſe virtutem Theologicam, idque quod habeat Deum pro obiecto proximo & immediato.

ARTICVLO 6. Eſſe virtutem diſtinctam ab alijs virtutibus Theologicis.

Articulo

Digitized by Google

ARTICVLO 7. Tradit fidem præcedere abſolutè ſpem in nobis, quod videlicet per fidem cognoſcamus obiectum ſpei, & auxilium neceſſarium ad beatitudinem obtinendam.

ARTICVLO VLTIMO. Docet ſpem priorem eſſe charitate, generatione in nobis; poſteriorem verò nobilitate & dignitate.

QVÆSTIO XVIII.

De ſubiecto Spei.

ARTICVLO 1. Docet ſpem eſſe in voluntate rationali, tamquá in ſubiecto proximo.

ARTICVLO 2. Spem in beatis nullum habere locum, ſicut nec fidem.

ARTICVLO 3. Nullam in damnatis dari ſpem.

ARTICVLO VLTIMO. Docet ſpem in viatoribus coniunctam eſſe cum certitudine, non quidem per ſe & eſſentialiter; ſed tantùm participatiuè, ſcilicet propter certitudinem quæ datur in fide, cum qua ſpes neceſſario coniungitur. Circa iſtas duas Quæſtiones ſit.

DVBITATIO PRIMA.

Quid nomine ſpei ſignificetur.

Spes denotat expectationem boni futuri.

CONCLVSIO 1. *Nomine ſpei ſignificatur expectatio cuiuſlibet boni futuri, ſaltem ſi ſermo ſit de ſignificatione nominis ſpei ſumpta latiſſimè, atque adeo in communi quæ diuiditur in rationalem, irrationalem, & virtutem Theologicam.* Rationalis ſedem habet in voluntate rationali: irrationalis in appetitu iraſcibili; Theologica demum in appetitu rationali: verſatur autem circa bonum futurum arduum, & poſſibile. Per primam particulam diſtinguitur à timore, qui eſt circa malum futurum: per Ly *futurum*, differt à gaudio, quod reſpicit obiectum adeptũ: per *ro arduum*, diſtinguitur à cõmuni deſiderio, & cupiditate: & per, *poſſibile*, differt à deſperatione. Spes irrationalis cenſetur eſſe quædam paſſio recepta in appetitu iraſcibili, atque adeò communis eſt & nobis, & brutis: de hac differit D. Thomas 1. 2. quæſt. 40. Spes rationalis differt ab irrationali in eo quod hæc reſpiciat bonum ſenſibile futurum, arduum, & poſſibile; illa verò circa bonum honeſtum, tamquam proprium obiectum. Ab iſtis autem Theologica diſcriminatur, quòd ſit donum infuſum à Deo, & verſetur circa beatitudinem æternam velut proprium obiectum, prout hæc futura eſt, ardua, difficilis, & poſſibilis in nobis, diuina virtute.

Spes pro re quam ſperamus.

CONCLVSIO 2. *Spes Theologica vſurpatur interdum pro re quam ſperamus.* Rom. 8. *Spes quæ videtur non eſt ſpes, nam quod videt quis, quid ſperat?*

Rom. 8. ỳ. 24.

Deinde, pro eo in cuius auxilio & poteſtate ſperamus. Pſal. 21. *Tu es ſpes mea ab vberibus matris meæ:* loquitur autem de Deo.

Pſalm. 21. ỳ. 10.

Tertiò, pro actu ſperandi Rom. loco cit. *Spe ſalui facti ſumus*, id eſt ſperando.

Quartò, pro habitu ſpei, 1. Cor. 13. *Nunc autem manet, fides, ſpes, charitas, tria hæc.* Nomen ergo ſpes in hoc toto tractatu ſecundum huiuſcemodi ſignificationes vſurpatur, vt plurimum tamen pro habitu ſpei accipi ſolet.

1. Cor. 13. ỳ. 13.

DVBITATIO SECVNDA.

An ſpes ſit virtus propriè dicta.

Negat Durand.

DVrandus in 3. diſt. 26. quæſt. 1. putat ſpem non eſſe virtutem propriè dictam, quia de ratione virtutis propriè dictæ eſt eſſe principium actus perfectiſſimi, & diſponere ſubiectum in quo recipitur in optima diſpoſitione ſibi poſſibili, vt colligitur ex Ariſtot. lib. 2. de cœlo, cap. 11. vbi docet virtutem eſſe vltimum potentiæ: & lib. 7. Phiſicorum ait, virtutem eſſe diſpoſitionem perfecti ad optimum; at certum eſt ſpem nec in nobis producere actum perfectiſſimum, nec nos ità debitè diſponere, vt trahat ſecum omnem omnino diſpoſitionem poſſibilem, quin imò non patitur præſentiam ſui obiecti: ergo non eſt virtus propriè.

Spes eſt virtus contra Durandũ.

Hæc tamen opinio ab omnibus planè reijcitur, & præcipuè à D. Thoma, & eius interpretibus art. 1. quæſt. 17. huius part. & quidem meritò: Eſt enim falſum de ratione virtutis eſſe exercere actum perfectiſſimum abſolutè, & ſimpliciter loquendo: ſi enim ità res haberet, ſequeretur virtutes alias alijs non eſſe perfectiores, cuius tamen oppoſitum indubitatum eſt, ex 1. Cor. 13. *Maior autem horum eſt charitas.* Sequeretur 2. vel ſolam charitatem eſſe virtutem propriè dictam, vel in hac vita nullam plane dari virtutem propriè dictam à charitate diſtinctam; nec enim alia aliqua virtus à charitate ità perfectos & nobiles exſequitur actus, quemadmodum ipſa facit; hoc autem communiter reſpuunt omnes: tres namque dantur virtutes Theologicæ, quatuor Cardinales, & quamplurimæ aliæ morales, etiam iudicio Ariſtot. in Ethicis.

1. Cor. 13. ỳ. 13.

Deinde, falſum eſt virtutem propriè dictam poſtulare vt conſtituat ſubiectũ in optima diſpoſitione ſibi poſſibili: fatentur enim omnes, virtutes poſſe intendi in infinitum, ſaltem diuina virtute.

Tertiò virtus propriè dicta cenſetur eſſe ea quę verſatur circa bonum per ſe honeſtum, & facit eos laudabiles in quibus reperitur; at certum eſt ſpem reſpicere bonum per ſe honeſtum, cùm eius obiectum ſit Deus ſummum bonum noſtrum, futurum, arduum, & poſſibile, ſeu acquiſibile, diuina virtute, vt infrà oſtendetur: eſt etiam certum ſpem reddere eum laudabilem in quo eſt, ex cap. 8. Romanorum. *Spe ſalui facti ſumus.* & Pſal. 33. *Beatus vir, qui ſperat in eo*: ergo eſt virtus propriè.

Rom. 8. ỳ. 24. Pſalm. 33. ỳ. 9.

Denique, vbicumque deprehenditur ſpecialis difficultas operandi circa bonum honeſtum, à ceteris alijs diſtincta, ibi etiam admittenda eſt virtus aliqua ab alijs omnibus diſtincta (ſunt ſiquidem virtutes in hunc finem ordinatæ, vt ſint præſidia & adiumenta quædam operandi conformiter regulæ rectæ rationis) at inter ſperandum beatitudinem æternam occurrit grauis aliqua difficultas, & quidem tanta vt ſuperari nequeat ſinè ſpeciali aliquo Dei auxilio, vt habet Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit ſine præueniente ſpiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem poſſe credere, ſperare & diligere ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur: anathema ſit.* ergo adhuiuſmodi difficultatem ſuperandam admitti debet aliqua virtus propriè.

Trident.

Diſſolvitur fundamen. Durandi.

Ad rationem autem Durandi. Reſpondeo negando maiorem. Ad cuius primam probationem dico locum illum Ariſtotelis non eſſe intelligendum de virtute morali, ſed de potentia naturali, quam ideò ait eſſe virtutem ſecundum vltimum potentiæ, quia quælibet potentia naturalis menſuratur & terminatur vltimo actu quem attingere poteſt.

Ad 2. probationem, ſi huiuſmodi locus accommodetur ad virtutem proprie dictam, teſtimonium hoc intelligendum eſſe comparatiuè; non autem ſuperlatiue, ità vt velit virtutem eſſe diſpoſitionem perfecti ad optimum, id eſt ad valde bonum; quælibet enim virtus moralis, aut Theologica diſponit nos ad actus honeſtos per ſe, qui proinde cenſentur eſſe valde boni cum retineant conformitatem cum regula rectæ rationis, vt indicat D. Thomas loco cit. ait enim eum qui ſperat eſſe imperfectum in ordine ad obiectum quod ſperat, idque quòd illud non habeat eſſe verè perfectum, quia attingit propriam regulam ſcilicet Deum, cuius auxilio nititur inter ſperandum.

Spes actus perfectus etſi non habeat adiunctum obiectum.

Eſt autem obſeruandum non deeſſe qui putent quemlibet actum ſpei eſſe imperfectum, quod non habeat adiunctum proprium obiectum. Verùm doctrina iſta non eſt ſatis tuta: ſi enim ità res haberet omnes actus fidei noſtræ eſſent imperfecti cùm nullus ex illis coniungatur cum ſuo obiecto, ità vt hoc ſit verè præſens, imò poſita præſentia eſſentiæ diuinæ deſinit eſſe fides in nobis, ex 1. Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Videmus nunc per ſpeculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem.* Deinde, vt actus alicuius virtutis dicatur eſſe perfectus, ſatis eſt quòd ſit conformis regulæ rectæ rationis, & quidem ſecundum præſcriptum huiuſmodi virtutis, hoc autem deprehenditur in omni planè actu ſpei quantumuis remiſſo.

1.Cor.13. ỽ. 10. & 12.

DVBITATIO TERTIA.

Qualis ſit virtus Spes, & qua ratione diſtinguatur à fide & charitate.

VIdetur ſpem nulla ratione à fide diſtingui. Primùm, quia ità docet D.Aug.in Enchirid. ad Laurentium,cap.8. *Quid ſperari poteſt quod non creditur?* imò hoc ipſum colligitur ex Hebr. 11. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum,&c.* & Rom. 4. *Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* id eſt, confidit Abraham, & ſperauit in Deo. Denique, ſpes nequit eſſe ſinè charitate, nec enim fieri poteſt vt quis ſperet bonum aliquod futurum niſi hoc idem amauerit: ergo non diſtinguetur à charitate.

Hebr. 11. ỽ. 1. Rom. 4. ỽ. 3.

Spes virtus Theologica & infuſa.

CONCLVSIO 1. *Spes eſt virtus Theologica, & per ſe infuſa:* Prima pars eſt D. Thomæ art. 5. queſt. 17. huius part. & ſentent. omniũ in 3. diſt. 26.

Deinde, omnis virtus quæ tendit in Deum proximè, & immediatè, cenſetur eſſe Theologica, ex communi doctrina; at ſpes eſt huiuſmodi vt probabitur infrà: igitur eſt huiuſmodi virtus.

Secunda pars probatur, primùm ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. *In iuſtificatione impij hæc tria infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtũ, fidem, ſpem, & charitatẽ.*

Deinde, quod per nullam planè virtutem naturalem attingi poteſt cenſetur ordinis ſupernaturalis, & aliquid per ſe infuſum, vt definierunt antiquitus SS. Patres contra Pelagianos: at ſpes nequit haberi ſolo præſidio naturali, ex Trident. can. 3.

Tertiò, idem eſt iudicium de ſpe, quod de fide, & charitate, ſaltem quantum ad hoc de quo hic diſputatur; at fides & charitas ſunt virtutes per ſe & ſua natura infuſæ, vt de fide ſupra documus, & manifeſtè probatur de charitate, ex cap. 5. Rom. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*: ergo & ſpes.

Rom. 5. ỽ. 5.

Denique, quod intenditur à ſolo Deo velut à cauſa efficiente phyſica, ab eo quoque tantùm producitur; at ſpes intenditur in nobis à ſolo Deo, vt à cauſa efficiente phyſica, cùm ſit qualitas ex ſe & ſua natura ſpiritualis, & ordinis ſupernaturalis omniũ planè conſenſu: ergo ab eodẽ ſolo infunditur.

Spes diſtinguitur a fide & charitate realiter

CONCLVSIO 2. *Spes diſtinguitur a fide & charitate, nedum formaliter, ſed etiã realiter.* Prima pars Concluſionis probatur; quia obiectum formale ſpei diſtinctum eſt ab obiectis formalibus fidei, & charitatis: eſt enim Deus ſummum bonum noſtrum, futurum, arduum & poſſibile, diuina virtute in nobis: obiectum vero formale fidei, Deus, ſub ea ratione qua eſt prima veritas reuelans ſe, & alia à ſe obicure; charitatis vero obiectum formale eſt idem Deus, quà ſummè bonus & amabilis propter ſemetipſum: at habitus diſtinguntur penes ordinem ad diuerſa obiecta formalia.

Deinde, ea diſtinguuntur formaliter, quę diſtinctas habent definitiones eſſentiales, & item quæ inter ſe ſpecie diſtinguuntur: at fides, ſpes, & charitas diſtinguntur inter ſe ſpecie, atque adeo diſtinctas habent definitiones eſſentiales: ergo formaliter diſtinguuntur.

Secunda verò pars probatur. Ea diſtinguuntur realiter, quæ ab inuicem ſeparata exiſtere poſſunt; at charitas eſt ſinè ſpe in omnibus beatis, ſicut & ſpes in omnibus baptizatis exiſtentibus in peccato mortali, diuerſo tamen à peccato deſperationis ſinè charitate: ergo ſecernitur realiter ab eadem.

Deinde, quæ diſtinctis inſunt realiter ſubiectis, inter ſe quoque realiter diſtinguuntur; at ex multorũ opinione intellectus, & voluntas diſtinguuntur inter ſe realiter in nobis: cùm igitur ſit in intellectu, vt in ſubiecto proximo, ſpes verò in voluntate, vtpote quæ difficultatem habeat ſperandi vitam æternam: ſequitur illas, diſtingui etiã realiter.

Fit ſatis rationibus contrarijs.

Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. ſpem nulla ratione poſſe ſeparari à fide realiter in nobis, vnde tamen non licet colligere ſpem & fidem non diſtingui realiter; ſunt enim qui dicant totum compoſitum diſtingui realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & tamen indubitatum eſt illud non poſſe ſubſiſtere ſinè ſuis partibus ſimul ſumptis; cum eas intrinſecè includat.

Ad 2. particulam iſtam, *Credidit*, vſurpari in propria ſua ſignificatione atque adeò non eſſe idem quod, *confidit* aut *ſperauit*, vt admonent recentiores interpretes D. Pauli contra Lutheranos & Caluiniſtas noſtri temporis, & contra Eraſmum.

Ad vlt. Reſp. 1. Spem formatam non ſeparari à charitate pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali. Reſpond. 2. Spem Catholicam ſeparari vt plurimũ à charitate ſupernaturali; deſtruitur enim ſpes tantũmodo in nobis agẽtibus in hac vita per ſolũ peccatũ deſperationis, vnde concedẽdum eſt hominẽ nuſquam ſperare beatitudinem æternam futurã ſinè aliquo amore, ceterũ qui non eſt charitas ſupernaturalis, ſaltẽ ſẽper, ſed amor aliquis naturalis; & hoc ſolũ probatur iſta ratione dubitãdi: licẽt autẽ daremus ipẽ non poſſe ſeparari à charitate, non tamen propterea ſequeretur duas iſtas virtutes non diſtingui inter ſe realiter, in cœlis namque verè ſeparantur.

Digitized by Google

DVBITATIO QVARTA.

An ſpes ſit præſtantior charitate & fide.

Bifariam ſumuntur virtutes.

ADuerte virtutes iſtas ſpectari in genere entis, & in genere moris. Primo modo nihil aliud ſunt quàm qualitates aliquæ per ſe infuſæ, & in certa aliqua ſpecie entis ſupernaturalis conſtitutæ : Secundo verò modo ſunt entitates aliquæ liberæ, quibus mouemur ad certos aliquos actus honeſtos exercendos, & quibus proinde debetur laus aliqua & merces : iuxta ergo has duas conſiderationes explicanda eſt huiuſmodi difficultas. Sit ergo

Charitas moraliter præſtantior fide.

CONCLVSIO 1. *Charitas in genere moris ſpectata præſtantior eſt ſpe & fide.* Primùm, quia hæc eſt mens D. Pauli 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc : maior autem horum eſt charitas.*

1. Cor. 13. ℣. 13.

Deinde, per charitatem maximè meremur, vnde ab iſta laudamur.

Tertiò, intimiùs coniungimur Deo per charitatem, quàm per ſpem, & fidem, vt colligitur ex D. Thoma art. 6. quæſt. 17.

Denique, charitas eſt forma cuiuſlibet virtutis in ratione virtutis ſimpliciter, atque adeò in genere moris : ergo præſtat omnibus alijs.

Spes in genere moris præſtantior fide.

CONCLVSIO 2. *Spes in genere moris ſpectata, nobilior eſt fide* : etenim virtutes illæ antepo-nuntur alijs, quæ ſedem habent in voluntate ſi ſpectentur in genere moris; quæ enim ſedem habent in intellectu non ſunt formaliter & intrinſecè liberæ, neque, vt ſic, ſunt laudę, vel vituperio dignæ, vnde nec debetur illis præmium vllum; ſecus tamen dicendum eſt de omni virtute exiſtente in voluntate, & comparata cum actibus quos elicimus quamdiu ſumus in hac vita.

Confirmatur. Ex eo quòd in tractatu de actibus humanis concedant omnes, proprietates actuum humanorum eſſe laudem vel vituperium, præmium vel pœnam; at nullus actus poteſt eſſe humanus niſi ſit cum libertate coniunctus : ergo cùm in actibus intellectus, vt ſic, nulla ſit formalis libertas, bene tamen in actibus voluntatis, actus huius erunt perfectiores in genere moris actibus illius; iſtis namque extrinſecè tantùm & radicaliter, competit libertas.

Deinde, ad genus morale conſtituendum ſimpliciter, & abſolutè deſideratur libertas & tendentia in bonum per ſe honeſtum, vel certè exiſtimatum : at neutrum ex iſtis duobus deprehenditur in virtutibus exiſtentibus in intellectu : ergo cùm ſpes ſit virtus voluntatis, præſtantior erit fide in genere moris.

Fides in genere entis ſuperat charitatem & ſpem.

CONCLVSIO 3. *Fides in genere entis præſtantior eſt ſpe & charitate.* Primùm, quia intellectus eſt facultas dignior voluntate : ergo &c.

Deinde, præſtantia, & dignitas cuiuſuis actus vel habitus, repetenda eſt à ſuo obiecto, vel à modo tendendi in illud, vt communiter dicitur cum Ariſtot. in libris de Anima : at obiectum fidei multò præſtantius eſt obiecto ſpei, & charitatis; hæ namque Deum habent pro ſuo obiecto, ceterùm vel vt ſummum bonum noſtrum futurum, arduum & poſſibile in nobis diuina virtute, & eſt ſpes : vel eumdem vt ſumme bonum & amabilem propter ſemetipſum, & eſt charitas : illa verò habet omnia omnino reuelata, atque adeò Deitatem ipſam & omnia quæ illam conſequuntur, vnde eius obiectum latiùs patet obiecto ſpei, & charitatis : ergo in genere entis fides eſt præſtantior.

Confirmatur. Ens vt ens, eſt obiectum intellectus; voluntatis verò bonum verum vel exiſtimatum : ergo cum ratio entis reperiatur in omni planè entitate, tam creata quàm increata, virtutes quæ verſantur circa huiuſmodi entia anteponendæ ſunt illis quæ attendunt dumtaxat bonum in genere entis.

Obiectio. Obijcies, ſpem videri perfectiorem fide; collocatur enim à Paulo loco cit. media inter fidem & charitatem : ergo falſa Concluſio.

Solutio. Reſpondeo, inde ſolùm colligi actus ſpei præſupponere in nobis actus fidei ordine generationis, ad quam reſpexit Paulus quando huiuſmodi virtutes enumerauit.

Replica. Inſtabis, quæ poſteriora ſunt generatione, præſtantiora eſſe ijs quæ primo loco producuntur in nobis; natura enim ſemper ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur : ergo ſi fides ſit prior generatione ſpe, erit etiam imperfectior ſpe.

Enodatur. Reſpondeo, hoc aliquando verum eſſe, non tamen ſemper : penitentia namque & religio præſupponunt fidem & ſpem, & tamen multis partibus inferiores ſunt fide & ſpe.

Alia obiect. Obijcies, obiectum fidei includere multò pauciores perfectiones quàm ſpem; illa enim ſapientiam tantùm & bonitatem diuinam dicit; hæc verò includit ſapientiam, bonitatem & omnipotentiam : ergo in genere entis ſpes erit fide perfectior.

Solutio. Reſpondeo, antecedens verum eſſe; vnde tamen colligi nequit ſpem præſtantiorem eſſe fide in genere entis; nam licèt attributa illa plura ſint, non tamen ſunt obiecta ſpei ſub ea ratione, qua ſunt infinita, ſed quatenus ſunt ſummum bonum noſtrum futurum, &c. atque adeò finito modo & determinato; bonitas autem & ſapientia ſunt obiecta fidei etiam ſub ea ratione qua ſunt infinita, vnde maiorem conferunt perfectionem fidei, quàm illa ſpei.

Spei definitio explicatur. Ex iſtis colliges ſpem rectè definiri, *Virtutem Theologicam humanis mentibus diuinitus infuſam, per quam tendimus in Deum ſummum bonum noſtrum futurum, arduum, & poſſibile diuina virtute in nobis.* Dixi (virtutem Theologicam) quia hoc cenſetur eſſe genus proximum ſpei. Adieci (diuinitus infuſam mentibus humanis) quia per iſtam particulam ſeparatur ſpes à ceteris virtutibus per ſe acquiſitis. Dixi (per quam tendimus in Deum ſummum bonum noſtrum) qua particula deſignatur obiectum præcipuum & principale ſpei, quod eſt Deus. Appoſui (futurum) quia ſpes diuina reſpicit obiectum ſuum abſens, non autem præſens (Arduum) quia de intrinſeca ratione ſpei eſt vt reſpiciat obiectum difficile, ve certè debet eſſe conditio ſimpliciter neceſſaria ad poſitionem obiecti ſpei. Denique (poſſibile in nobis diuina virtute) quoniam auxilium eſt ità neceſſarium ad obiectum ſpei conſequendum, vt ſinè eo nunquam poſſit præſens in nobis exiſtere.

Spes acquiſita. Aduerte, præter iſtam ſpem Theologicam admittendam eſſe in nobis aliam ſpem acquiſitam ex iteratis, & frequentatis actibus ſperandi, quæ vulgò dicitur humana; quemadmodum enim admittitur fides humana præter diuinam, ità & præter ſpem diuinam, humana alia erit concedenda.

Deinde, multa ſperare poſſumus ſecundum rectam rationem, quæ nullo modo pertinent ad

virtutem ſpei per ſe infuſam vt conſtat ex his qui ſperant honores, diuitias & alia.

Denique, paſſio ſpei non minùs poteſt regulari per rectam rationem, atque adeò dependenter ab aliqua virtute, quàm ceteræ paſſiones: ergo quemadmodum paſſiones aliæ perficiuntur à certis quibuſdam virtutibus, ità & hoc idem dicendum eſt de paſſione quæ coniuncta eſt cum ſpe. Acquiritur autem iſta ſpes humana, non actibus ſpei diuinæ; iſti enim ſunt improportionati ad virtutem ſpei acquiſitam, cùm ſint ordinis ſupernaturalis ex ſua natura. Deinde, ſpes iſta debet intendi per actus ſibi connaturales, quales tamen non ſunt actus ſpei diuinæ: intenditur ergo ſolis actibus humanis. Theologica verò augetur à ſolo Deo effectiuè in ratione cauſæ phyſicæ; ab actibus verò eiuſdem meritoriè.

DVBITATIO QVINTA.

Quidnam ſit obiectum materiale ſpei Theologicæ.

ADuerte obiectum ſpei aliud eſſe præcipuum & principale, aliud ſecundarium & minùs principale: de vtroque explicanda eſt hæc dubitatio. Sit ergo

Obiectum materiale ſpei, beatitudo noſtra.

CONCLVSIO 1. *Obiectum præcipuum & principale materiale ſpei Catholicæ cenſetur eſſe beatitudo noſtra, ſeu, quod idem eſt, Deus ſummum bonum noſtrum.* Ità D. Thomas art.4. quæſt. 17. huius partis.

Deinde, in ſacris litteris expreſsè dicitur nos expectare beatitudinem, Tobiæ 2. *Filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* & Hebr. 6. *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis: vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus.*

Tob. 2. ℣. 18. Hebr. 6. ℣. 19. & 20.

Deinde, Patres idcircò definiunt ſpem expectationem æternæ vitæ & reſurrectionis: ità D. Auguſtinus in Pſal. 62. Chryſoſt. hom. de tribus virtutibus: & Greg. hom. 17. in Ezechielem.

D. Auguſt. Chryſoſt. Gregor.

Tertiò ſi quid eſt quod à nobis ſperetur, maximè finis; conuenit enim inter omnes finem mouere nos ad agendum; at beatitudo noſtra eſt huiuſmodi: ergo hæc eadem eſt obiectum noſtræ ſpei.

Quartò, in ſacris litteris dicitur ſperandum eſſe in Deo. Pſal. 4. *Sperate in Domino.* & 7. *Domine Deus meus in te ſperaui.* & 9. *Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum.* & 17. *Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum.* & 61. *Spes mea in Deo eſt.* Et. *Sperate in eo omnes congregatio populi.* & 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: ponere in Domino Deo ſpem meam.* imò dicitur in his locis Deum eſſe ſpem noſtram. Pſal. 70. *Domine ſpes mea a iuuentute mea.* & 90. *Quoniam tu es Domine ſpes mea.*

Pſal. 4. ℣. 6. & 7. ℣. 2. & 9. ℣. 11. & 17. ℣. 3. & 61. ℣. 8. & 9. & 72. ℣. 28. & 70. ℣. 5. & 90. ℣. 9.

Beatitudo obiectiuè ſumpta noſtræ ſpei obiectum.

CONCLVSIO 2. *Beatitudo noſtra ità eſt obiectum ſpei, vt tamen non ſpectetur tantum formaliter, ſed etiam obiectiuè, atque adeo ſub ea ratione qua habet Deum pro ſuo obiecto.* Prima pars probatur: Obiectum cuiuſlibet virtutis Theologicæ debet eſſe Deus; at beatitudo noſtra præſcindendo à ſuo obiecto non eſt Deus, ſed vel eſt viſio diuinæ eſſentiæ, vel amor eiuſdem, vel hæc duo ſimul: ergo beatitudo iſta præcisè ſpectata atque adeò ſub ea ratione qua abſtrahit à Deo nequit eſſe obiectum virtutis Theologicæ.

Secunda pars Concluſionis probatur: Obiectum ſpei debet eſſe res aliqua ſimpliciter infinita, vtpote cui competat explere appetitum creaturæ rationalis, ex Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; at nihil eſt præter Deum quod ſit ſimpliciter infinitum: ergo &c. Deinde, quod promittitur in ſacris litteris tamquam merces debita bonis noſtris operibus debet eſſe obiectum ſpei, ſperamus quippe maximè mercedem debitam noſtris bonis operibus; at vita æterna promittitur in ſacris litteris tamquam præmium bonorum noſtrorum operum, & item Deus ipſe Geneſ. 15. dixit ad Abraham: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*: ergo Deus eſt obiectum ſpei.

Pſal. 16. ℣. 15. Geneſ. 15. ℣. 1.

Obiectio. Obijcies, obiectum ſpei debere eſſe arduum, & difficile; beatitudinem autem noſtram non eſſe nobis arduam & difficilem, cùm detur in nobis inclinatio naturalis ad iſtam. ità obijcit Durand. in 3. diſt. 26.

Solutio. Reſpondeo, beatitudinem noſtram in communi ſumptam non eſſe arduam & difficilem; concedunt enim omnes dari in nobis appetitum tam innatum, quàm elicitum quo tendimus in huiuſmodi beatitudinem ſpectatam in communi; ſecus tamen dicendum eſt de beatitudine noſtra ſupernaturali, quæ poſita eſt in actibus viſionis & amoris diuinæ eſſentiæ, prout in ſe eſt; hæc ſiquidem beatitudo nec intelligi, nec amari à nobis poteſt, niſi præceſſerit ſpecialis reuelatio de illa, & niſi acceſſerit ſpeciale Dei auxilium, tam in intellectu, quàm in voluntate creaturæ rationalis, vnde rectè dicimus de obiecto ſpei noſtræ quòd ſit arduum & difficile nobis.

Obiectio 2. Obijcit 2. Durandus idem eſſe obiectum delectationis, & ſpei in nobis, lætamur enim in cœlis de rebus in hac vita ſperatis; at delectatio beatorum habet pro obiecto proximo, & immediato actus viſionis, & amoris diuinæ eſſentiæ; de iſtis quippe lætantur maximè beati: ergo iſdem actus erunt obiectum noſtræ ſpei.

Solutio. Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem autem, in adeptione beatitudinis deprehendi duos fines: primus dicitur finis Qui, ſecundus finis Quo; ille nihil aliud eſt quàm ipſamet eſſentia diuina vita, & amata; hic verò cenſetur eſſe actio illa per quam attingitur Deus, prout in ſe eſt à beatis; atque adeò viſio & amor diuinæ eſſentiæ prout in ſe eſt. Ex iſtis autem duobus finibus conſurgit vnus totalis & adæquatus, qui dicitur beatitudo obiectiua & ſubiectiua: de hoc ergo totali & adæquato fine lætantur beati in cœlis proximè & immediatè, atque adeò idem eſt planè obiectum & immediatum delectationis beatorum, & ſpei Theologicæ: quilibet enim noſtrûm pro eo tempore quo agit in hac vita mortali ſperat Deum videndum & amandum prout in ſe eſt, vnde nulla datur diuerſitas in obiecto materiali ſpei, quæ non reperiatur etiam in obiecto delectationis Sanctorum.

Obiect. vlt. Obijcit vltimò: Si concluſiones noſtræ eſſent veræ, ſequeretur poſſe nos concupiſcere beatitudinem noſtram, nedum ſubiectiuam, ſed & obiectiuam, ſpes quippe pertinet ad facultatem concupiſcentiæ omnium conſenſu: at non poſſumus concupiſcere beatitudinem noſtram obiectiuam, ità enim vteremur fruendis, quod tamen vetant communiter Patres.

Solutio. Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem autem, ex doctrina Patrum nefas eſſe vti fruendis, non quidem quouis modo.

Digitized by Google

modo, ſed tantùm reduplicatiuè, quatenus ſcilicet res fruendæ conſiderantur vt fruendæ; ſecus tamen contingit quandocumque res iſtæ fruendæ ſpectantur, vt ſunt bona quædam nobis conuenientia; tunc enim rectè poſſunt à nobis concupiſci: Deus ergo vt eſt ſummum bonum noſtrum rectè poterit à nobis ſperari ſub tali ratione. Accedit, quòd licèt Deus ſperetur à nobis quatenus ſummum bonum noſtrum, hic tamen poteſt intendi veluti finis noſter, ea ratione, ceteris tamen paribus, qua pecunia intenditur ab homine auaro, tamquam finis, quoties ab ea mouetur ad negotiandum, & ad vitam propriam in manifeſtiſſimum periculum adducendam: & tamen certum eſt pecuniam iſtam ſperari ab auaro, veluti bonum aliquod ſibi conueniens.

Beatitudo accidentalis obiectum ſecundariũ ſpei.

CONCLVSIO VLTIMA. *Obiectum ſecundarium materiale ſpei Theologicæ cenſetur eſſe beatitudo accidentalis, dotes animi & corporis, & quodlibet aliud donum conducens ad vitam æternam obtinendam.* Primùm, quia illud eſt obiectum ſpei Theologicæ minus principale & ſecundarium, quod creditur à nobis pro eo tempore quo ſumus in hac vita mortali, iſtæ namque duæ virtutes verſantur circa eadem materialia ex Hebr. 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*: at credimus in hac vita mortali beatitudinem accidentalem, dotes animi & corporis, & multa auxilia, quæ conducunt ad felicitatem æternam obtinendam: ergo illa ſunt obiectum ſecundarium ſpei. Hebr. 11. ỽ. 1.

Confirmatur ex cap. 19. Iob. *Scio quod Redemptor meus viuit & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: Quem viſurus ſum ego ipſe & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: reſpoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Qui locus explicatur communiter de ſpe viſionis humanitatis Chriſti: humanitas autem, vt ſic, non eſt Deus: ergo &c. Iob. 19. ỽ. 25. & 27.

Deinde, illa eadem ſperamus, quæ petimus à Deo in oratione Dominica; at petimus poſtulamus viſionem diuinæ eſſentiæ, ſcil., quod idem eſt, beatitudinem noſtram eſſentialem, ſed multa alia, vt eſt per ſe notum, ex dicta oratione.

Tertiò, in Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 13. dicitur vnumquemque noſtrum poſſe ſperare ſuam perſeuerantiam, quam tamen indubitatam eſt non eſſe Deum.

Denique, SS. Patres docent rectè collocari ſpem noſtram in D. Virgine & ceteris Sanctis: ità D. Auguſt. ſerm. 10. de Sanctis. *Tu es ſpes vnica peccatorum.* Bernard. ſerm. de natiuitate Virginis. *Hæc*, inquit, *mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.* imò D. Iacobus epiſtol. Catholicæ, cap. 5. *Orate*, inquit, *pro inuicem vt ſaluemini, multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua*: ergo de iſtis concedendum erit quod pertineant ad obiectum ſecundarium & minùs principale ſpei noſtræ, cùm dicant ordinem & habitudinem aliquam ad Deum ſummum bonum noſtrum. D. Auguſt. Bernard. Iacob. 5. ỽ. 16.

Quæſtio mouetur.

ROBACIS. *An liceat ſperare in proprijs, & in alienis bonis operibus, atque adeò & in re alia quæ non ſit Deus.*

Hæreticorũ dogma. 1.

Hæretici noſtri temporis nefas eſſe putant ſperare vel in ſuis bonis operibus, vel in alienis, exceptis tamen operationibus Chriſti. Primùm, quia dicitur Ierem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor eius.* & Pſal. 145. *Nolite confidere in principibus: in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Ierem. 17. ỽ. 5. Pſal. 145. ỽ. 3.

Deinde, Scriptura verbis expreſſis habet, ne quis confidat in ſeipſo, nec proinde in ſuis operibus, ſed ſolùm in Deo. Iudith. 6. *Non derelinquis præſumentes de te; & præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes humiliat.* Pſal. 48. *Qui confidunt in virtute ſua.* & 2. Corinth. 1. *Vt non ſimus fidentes in nobis ſed in Deo.* 2. Iudith. 6. ỽ. 15. Pſal. 48. ỽ. 9. 2. Cor. 1. ỽ. 9.

Denique, Eccleſia ità orat in celebratione Miſſæ, *Deus qui conſpicis quia ex nulla noſtra actione confidimus, non enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, &c.* 3.

Hæc tamen opinio hæreticorum reijcitur: Conſtat enim ex Scripturis vnumquemque rectè collocare ſpem ſuam in ſuis bonis operibus, & etiam in alienis, Tob. 4. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* & Iob. 11. *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia: tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis.* 2. Timoth. 4. Apoſtolus de ſuis operibus ita loquitur, *bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Hebr. 10. *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Rom. 2. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* *Rectè ſperamus in bonis operibus alienis.* Tob. 4. ỽ. 12. Iob 11. ỽ. 14. & 15. 2. Tim. 4. ỽ. 7. & 8. Hebr. 10. ỽ. 35. Rom. 2. ỽ. 13.

Deinde, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia. D. Auguſt. in enarratione 2. Pſal. 31. & ſerm. 16. de verbis Apoſtoli. Cypriani ſerm. de eleemoſyna. Chryſoſt. homil. 2. in 2. ad Corinth. Ambroſ. in Pſal. 118. *Vere*, inquit, *confidenter ſe mercata ſuffragantur.* Hieron. ad hæc verba. Pſal. 4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* & Greg. lib. 3. moralium. cap. 2. D. Auguſt. Chryſoſt. Ambroſ. Hierony. Pſal. 4. ỽ. 6. Gregor.

Tertiò, quilibet rectè ſperat in eo quod eſt cauſa ſuæ ſaluris & beatitudinis æternæ; atqui merita noſtra, atque etiam aliena conducunt ad ſalutem & beatitudinem æternam obtinendam, vt conſtat ex Matth. 25. de proprijs meritis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtructione mundi. Eſurijui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere, &c.* & alibi ſæpe ſimile quid dicitur. *De* alienis vero operibus hoc idem tradit D. Auguſt. ſerm. 1. de Sanctis cap. 4. *Si ſanctus Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* imò hoc videtur colligi ex loco cit. D. Iacobi, *Orate pro inuicem. &c.* Matth. 25. ỽ. 34. & 35. D. Auguſt. Iacobi 5. ỽ. 16.

Denique, in hac ſententia eſt D. Thomas art. 4. quæſt. 17. huius part. & omnes plane eius interpretes. Cùm ergo dicimus poſſe quemlibet ſperare in proprijs bonis operibus, & in re aliqua, quæ non ſit Deus, hoc venit intelligendum de obiecto ſecundario, non autem primario, & principali ſpei noſtræ; hoc enim eſt ſolus Deus, atque adeò ea ratione in eo ſolo ſpes noſtra collocanda eſt: licet tamen in ſanctis ſperare, & in bonis operibus noſtris velut in obiecto ſecundario, aut etiam velut in aliquo inſtrumento quod conducit ad ſalutem noſtram obtinendam. Addo hæc intelligenda eſſe de operibus gratiæ, non autem naturæ; hæc quippe nullam retinent proportionem cum vita æterna, bene tamen illa.

Ad argumenta hæreticorum reſpondeo. Ad 1. ex illis locis Scripturæ ſolum colligi, nefas eſſe collocare ſpem ſuam in aliquo alio, præterquàm in Deo, tamquam in obiecto præcipuo, & principali ſpei noſtræ, quod nos vltrò concedimus, minime verò vt in obiecto ſecundario ſeu inſtrumentali. *Diluuntur hæreticorũ fundamenta.*

Digitized by Google

Ad 2. Ex illis locis inferri ſolùm non eſſe fidendum, atque adeò nec ſperandum in ſuis operibus, vel naturæ tantùm, vel præſcindendo à meritis Chriſti, aut etiam ab humilitate, ſeu, quod idem eſt, cum vanitate & affectu ſuperbiæ : bene tamen poteſt quilibet ſperare in ſuis bonis operibus ex gratia factis, & dependenter à meritis Chriſti, cum humilitate.

Notabile. Aduerte nos ſperare beatitudinem noſtram, vel etiam alienam per ſpem per ſe infuſam, & quam diximus eſſe virtutem Theologicam, non autem medio aliquo alio habitu ſupernaturali, aut naturali ; quemadmodum enim per fidem nedum credimus Deum, ſed & omnia alia, quæ non ſunt Deus, modò tamen ſint à Deo reuelata, itâ per ſpem non ſolùm ſperamus Deum ſummum bonum noſtrum, aut etiam alienum, ſed & ea omnia quæ conducunt ad beatitudinem æternam habendam, idque propter habitudinem & conuenientiam, quæ reperitur in iſtis cum vita æterna.

Confirmatur : diligitur proximus per illam eamdem numero virtutem qua Deus, amatur enim propter Deum : ergo cetera quæ non ſunt beatitudo noſtra, per ſpem, modò ad vitam æternam conducant, à nobis expectabuntur.

DVBITATIO SEXTA.

Quod ſit obiectum formale ſpei.

Deus qua ratione non ſit obiectum formale ſpei.

CONCLVSIO 1. *Obiectum formale ſpei non eſt Deus ſummum bonum noſtrum ſub ea ratione qua eſt arduum & difficile.* Primùm, quia arduum & difficile, vt ſic, non conducunt ad ſperandum, ſed potiùs arcent.

Deinde, obiectum formale ſpei debet eſſe quid diſtinctum ab eius obiecto materiali ; eſt enim hoc id quod ſperatur ; formale verò debet eſſe id quod facit nos ſperare, ſiue eſt ratio ſperandi : at Deus prout eſt ſummum bonum noſtrum arduum & difficile, eſt obiectum materiale ſpei: ergo ſub illa ratione non poteſt eſſe obiectum formale.

CONCLVSIO 2. *Deus ſummum bonum noſtrum quatenus ſupernaturale, non eſt obiectum formale ſpei.* Primùm, quia ratio ſupernaturalis ex æquo deprehenditur in obiectis fidei, ſpei,& charitatis.

Deinde, obiectum formale inducit diuerſitatem ſpecificam in re cuius eſt obiectum formale; at ſupernaturale, vt ſic, non diſtinguit ſpem à ceteris virtutibus Theologicis, neque item à religione & penitentia, cùm hæ omnes ſint ſupernaturales : ergo, vt ſic, non eſt obiectum formale.

CONCLVSIO 3. *Deus ſummum bonum noſtrum ſub ea ratione qua amatur a nobis amore concupiſcentiæ, non eſt obiectum formale ſpei.* Primùm, quia aliàs concedendum eſſet ſpem Theologicam perſeuerare in omnibus beatis; omnes enim iſti amant Deum ſummum bonum noſtrum amore concupiſcentiæ ; ſpes tamen nulla datur in beatis, vt probabitur Dubit. ſequente : ergo &c.

Deinde, ſi amor concupiſcentiæ reſpectu ſummi boni noſtri eſſet obiectum formale ſpei, fieri non poſſet vt aliquid ſperaretur, niſi dependenter ab iſto amore concupiſcentiæ ; nec enim actus ſpei ſinè ratione formali eius conſurgere poſſunt : at certum eſt nos multa ſperare, abſque vlla dependentia ab huiuſmodi amore, qui ex hypotheſi verſatur circa Deum ſummum bonum noſtrum ; habet enim Concilium Trident. ſeſſ. 6. poſſe nos ſperare iuſtificationem noſtram propoſito timore, & nulla facta mentione amoris concupiſcentiæ circa Deum.

CONCLVSIO VLTIMA. *Deus ſummum bonum noſtrum futurum, arduum, eſt obiectum formale ſpei noſtræ ſub ea ratione quæ eſt poſſibile diuina virtute in nobis.* Primùm, quia hæc videtur eſſe mens D. Thomæ art. 2. & 6. huius quæſt. & art. 4. quæſt. 4. de Veritate, & aliorum. *Deus ſummum bonũ noſtrum poſſibile & ardnum, eſt obiectum ſpei.*

Deinde, poſſibilitas obiecti, eſt ratio formalis conſtitutiua ſpei in vniuerſum ſumptæ ; propter hanc enim cauſam definitur ſpes in communi; motus voluntatis in bonum arduum, futurum, & poſſibile in nobis.

Tertiò, per poſſibilitatem pleniſſimè diſtinguitur ſpes à ceteris virtutibus Theologicis ; fides enim verſatur circa Deum, vt eſt prima veritas reuelata & propoſita credenda authoritate Eccleſiæ : charitas verò circa Deum vt ſummè amabilem propter ſemetipſum : ſpes autem tendit in eumdem, prout acquiri, comparari, & eſſe poteſt in nobis diuina virtute.

Quartò, ratio ſperandi ſummum bonum noſtrum, & cetera omnia in ordine ad illud, eſt obiectum formale conſtitutiuum ſpei omnium conſenſu ; at Deus ſummum bonum noſtrum futurum, & poſſibile diuina virtute eſt ratio ſperandi beatitudinem noſtram ; eſt enim potentiſſimus vt hanc nobis largiatur, eſt etiam quàm maximè fidelis in ſuis promiſſis, & denique media habet neceſſaria ad beatitudinem iſtam in manu ſua poſita : ergo Deus ſub hac ratione erit obiectum formale ſpei noſtræ.

Obiectio. Obijcies, poſſibile, vt ſic, non eſſe bonum, atque adeò non poſſe eſſe obiectum formale virtutis ſpei ; quælibet enim virtus verſatur circa bonum, vt bonum eſt, ſi ſedem hæc habuerit in voluntate : ergo cùm poſſibile vt ſic, non ſit bonum (multa namque ſunt poſſibilia quæ nulla ratione bona ſunt, ſed mala) ſpes non verſabitur circa poſſibile diuina virtute in nobis.

Solutio. Reſpondeo poſſibile, vt ſic, non eſſe obiectum ſpei diuinæ, vt bene probat argumentum, bene tamen poſſibile contractum ad Deum ſummum bonum noſtrum futurum, ſeu abſens, quo pacto cenſetur eſſe bonum, non quidem formaliter & reduplicatiuè, ſed realiter & identicè ; poteſt enim hoc poſſibile eſſe ratio ſperandi, & Deum & beatitudinem noſtram formalem ; Deus autem ſummum bonum noſtrum, & actus viſionis, & amoris eſſentiæ diuinæ ſunt obiecta materialia ſpei ; formale verò idem Deus, & beatitudo noſtra ſub ea ratione qua diuina virtute in nobis acquiri poſſunt.

Replica. Inſtabis, impoſſibile, non eſſe de ratione deſperationis : ergo neque poſſibile de ratione ſpei.

Diſſoluitur. Reſpondeo negando antecedens ; tota enim ratio cur aliquis deſperet de re aliqua, eſt impoſſibilitas vera vel exiſtimata, de re de qua deſperat ; vnde poſſibilitas obiecti erit de ratione ſpei diuinæ.

ROGABIS, *quodnam ex attributis diuinis ſignificetur per iſtam particulam*, poſſibile diuina virtute, *quod diximus eſſe obiectum formale ſpei diuinæ.* *Tria attributa ſignificantur in obiecto formali ſpei.*

RESPONDEO, *ſignificari primum attributum omnipotentiæ, deinde bonitatis, & denique veracitatis:* hæc

Digitized by Google

hęc enim tria ſunt ſimpliciter neceſſaria ad hoc vt vt beatitudo detur in nobis, & vt hæc eadem firmiſſimè ſperetur. De potentia diuina loquitur
2. Reg. 22. ℣. 3. cap. 22. lib. 2. Regum. *Deus fortis meus ſperabo in eum.* Iſai. 23. Iſaiæ. *Sperate in Domino in ſeculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.* & cap. 18.
Iſai. 23. ℣. 4. Prouerb. *Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum cucurrit iuſtus & exaltabitur.*
Prou. 18. ℣. 10. De bonitate verò Hieremias Threnorum 3. ità
Thren. 3. ℣. 25. loquitur, *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum.* & denique de veracitate ſeu
Pſal. 90. ℣. 14. fidelitate diuina dicitur Pſal. 90. *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum.* Iudith. 13. *Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe.*
Iudith. 13. ℣. 17. Hebr. 6. *Vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem: quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*
Hebr. 6. ℣. 18. & 19.

Deinde, quemadmodum ratio formalis conſtitutiua fidei conſurgit ex attributis infinitæ ſapientiæ & bonitatis; ità ratio formalis ſpei ex attributis omnipotentiæ, bonitatis & veracitatis, ſeu fidelitatis diuinæ: ità vt ratio cur omnem ſpem noſtram in vno Deo ponamus, ſit, quia Deus eſt verè omnipotens, atque adeò dare poteſt id quod ſperamus: bonitas verò eiuſdem facit vt rem ſperatam nobis velit Deus impendere: fidelitas denique facit ne Deus propoſitum quod habuit de danda re a nobis ſperata abijciat.

Spes noſtra certiſſima. ROGABIS 2. *An ſpes noſtra ſit cenſenda certiſſima.*

RESPONDEO *affirmatiuè.* Primùm, quia Hebr. 6. cit. dicitur de fide quòd ſit tuta & firma.
2. Tim. 1. ℣. 12. & 2. Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.* & in Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 13. dicitur, *Tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debeant, &c.* & Pſal. 26. *Si exurgat*
Pſal. 26. ℣. 3. *aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* quod idem eſt ac ſi diceret, nulla planè perturbatione etſi tanta fuerit, quanta eſſe conſueuit quæ cum bello eſt coniuncta, deſinam ſpem meam in Deo reponere. Deinde Scholaſtici plerique cum Magiſtro diſt. 26. lib. 3. definiunt ſpem expectationem certam beatitudinis æternæ. Tertiò, quælibet res imitatur naturam ſui fundamenti; at fundamentum ſpei eſt fides in ſe certiſſima & indubitata: ergo & ſpes. Quartò, illud dicitur eſſe certum, quod dirigitur infallibiliter in ſuum obiectum, ſeu finem, qua de cauſa dicimus iaculationem eſſe certam cùm in ſuum ſcopum infallibiliter à ſagittario dirigitur; atqui ſpes noſtra tendit in ſuum obiectum infallibiliter, ſaltem ex natura & eſſentia ſpei, & præterea ex vi ſpecialis auxilij diuini dati nobis. Hæc eſt ſententia D. Thomę art. 4. quæſt. 18. huius partis, & omnium eius interpretum.

Obiectio. Obijcies, certitudinem competere ſolis actibus, & habitibus intellectus; ſpem autem non eſſe habitum intellectus, ſed voluntatis tantùm: ergo.

Solutio. Reſpondeo, certitudinem per ſe competere ſolis actibus, vel habitibus intellectus, per participationem tamen eam etiam competere actibus vel habitibus quibuſdam voluntatis: neque hoc mirum videri debet, quemadmodum enim libertas formaliter, & per ſe loquendo competit ſoli voluntati & eius actibus, radicaliter tamen competit intellectui, & denominatione extrinſeca actibus imperatis à voluntate; ità & certitudo dicitur de actibus voluntatis per participationem & certa aliqua ratione, ſub ea nempe conſideratione, qua actus voluntatis dirigitur immutabiliter vel infallibiliter in ſuum obiectum: hæc autem certitudo vocatur affectus, idque quòd voluntas noſtra per ſpem ità afficiatur vt in ſuum obiectum infallibiliter dirigatur.

Obijcies 2. ſpem nō poſſe eſſe certam niſi fuerit coniuncta cum medio certo cui innititur; at medium cui ſpes innititur non eſt certum; hoc enim eſt nedum ſpeciale Dei auxilium, collatum nobis ad ſperandum vt oportet, ſed etiam cooperatio libera voluntatis noſtræ, quæ eſt manifeſtiſſimè incerta: ergo falſum eſt ſpem eſſe certam. *Obiectio 2.*

Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem autem: ſpem non inniti cooperationi liberæ voluntatis noſtræ liberæ, veluti ſuo principio certiſſimo; certitudo quippe ſpei cenſetur eſſe non aſſenſus ſed affectus, vt monuimus in reſponſione ad obiectionem proximè antecedentem. Deinde, certitudo iſta non eſt ſita in infallibili affecutione rei ſperatæ, ſed in firma & efficaci directione in rem ſperatam, prout directio iſta eſt ab ſpe. Tertiò, quia certitudo iſta poſita eſt in immobilitate qua voluntas noſtra adhæret obiecto ſperato deſiderio efficaci. Denique, quia nihil refert ad certitudinem hanc quòd eius obiectum de facto obtineatur, ſed ſatis eſt quòd poſſit obtineri. *Solutio.*

Obijcies, ex his manifeſtè colligi hæreticos noſtri temporis non errare, quando dicunt ſe eſſe certos de adeptione felicitatis æternæ, quod tamen damnatur. *Alia obiect.*

Reſpondeo negando illationem; aliud namque eſt affirmare ſpem eſſe in ſe certam, & aliud hominem in particulari ſpectatum certum eſſe de adeptione ſuæ felicitatis, ità vt nulla ſuperſit ei occaſio dubitandi de oppoſito. Primum concedimus, idque quòd quando dicimus ſpem eſſe certam, nihil aliud intelligimus, quàm illam dirigere & ordinare ſuas operationes in ſuum obiectum; ità vt directio iſta non ſit coniuncta cum formidine, ſed cum maxima firmitate & immutabilitate: quando autem aliquis dicit ſe eſſe certum de adeptione ſuæ felicitatis, nedum profitetur ſe intendere aut dirigere operationes ſuas in felicitatem; ſed etiam ſe aſſecuturum eſſe de facto ſuam felicitatem, & quidem indubitanter quod dici nequit ſine aliqua præſumptione, & temeritate; cùm Scriptura dicat ſalutem noſtram eſſe perficiendam cum timore & tremore. Fatemur ergo ſpem eſſe in ſe certiſſimam; adeptionem autem felicitatis eſſe quàm maximè incertam, idque quòd adeptio hæc nedum ſit à ſpeciali Dei auxilio, ſed etiam à cooperatione libera voluntatis noſtræ, quæ quàm ſit incerta ex eo innoteſcit, quòd de ratione libertatis ſit, quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, & non agere. *Solutio.*

DVBITATIO VLTIMA.

Quidnam ſit ſubiectum ſpei.

CONCLVSIO 1. *Subiectum proximum & immediatum ſpei eſt ſola voluntas rationalis creata.* Primùm, quia hæc eſt ſententia D. Thomæ art. 1. quæſt. 18. huius part. & interpretum eiuſdem, & Sententiariorum in 3. diſt. 26. *Subiectum proximum ſpei eſt obiectum ſpei.*

Deinde, illic recipitur proximè ſpes, vbi eſt

difficultas operandi; at in voluntate noſtra eſt difficultas ſperandi, quemadmodum & amandi, vt fatentur omnes: ergo in eadem conſtitui debet ſpei virtus. A

Tertiò, ſpes non conducit, nec conducere poteſt ad intelligendum, ſed dumtaxat ad ſperandum ſummum bonum noſtrum futurum, & poſſibile in nobis: imò ex multorum opinione voluntas noſtra fit ſimpliciter potens ad ſperandum ſuum obiectum principale per ſolam ſpem; credunt enim hoc intereſſe inter habitus naturales & ſupernaturales, quòd illi iuuent tantummodo potentias in ſuis operationibus exercendis; iſti verò nedum iuuent potentias, verùm & faciant eas ſimpliciter potentes ad actus ordinis B ſupernaturalis exercendos: ergo in ſola voluntate ſedem habebit ſpes ſupernaturalis.

Quartò, ſpes verſatur circa ſummum bonum noſtrum arduum & poſſibile in nobis: ergo reſidet in voluntate, cùm hæc habeat pro ſuo obiecto bonum verum, vel certè apparens, vnde & illud omne quod conducit ad attingendum huiuſmodi bonum, erit in voluntate.

Spes in beatis non eſt quoad obiectum primarium.

CONCLVSIO 2. *Spes nullum habet locum in beatis, nec quoad habitum, nec quoad actum in ordine ad obiectum primarium:* Quia hæc videtur eſſe mens D. Thomæ art. 2. huius quæſtionis, & 1. 2. quæſt. 67. art. 4. & 5. & quæſt. 4. de virtutibus, art. 4. & in 3. diſt. 23. quæſt. 2. art. 5. & 3. part. C quæſt. 7. & Sententiarij diſt. 26. lib. 3. Sententiarum, ità docent, paucis recentioribus exceptis.

1. D. Thom.

2. Rom. 8. ℣. 24.

Deinde, eadem eſt ſententia D. Pauli cap. 8. Romanorum: *Quod*, inquit, *videt quis, quid ſperat?* quaſi diceret nihil.

3. D. Auguſt.

Tertiò, ſubſcribunt Patres: maximè verò D. Auguſtinus ſerm. 53. de tempore. *Sinè charitate*, inquit, *nemo videbit Deum. Hac autem ideo maior fide, & ſpe ab Apoſtolo eſſe narratur, quia ceteris recedentibus ipſa ſola permanebit. Fides enim ſuccedit ſpei, & ſpei beatitudo, charitati autem non tranſmutatio, ſed ſola reſtat perfectio.* Theodoretus ad cap. 13. 1. Corinth. ad hæc verba: *Manent fides, ſpes, charitas*; Hieronymus, Theophylact. Anſelmus ibidem, & Chryſoſtom. homilia 34. in 1. ad Corinthios.

Theodor. 1. Cor. 13. ℣. 13. Hierony. Theophyl. Anſelm. Chryſoſt.

Denique, ſpes nequit eſſe in eo qui habet præſentiſſimum Deum, ſub ea ratione qua eſt ſummum bonum noſtrum; ſpes enim reſpicit ſuum obiectum veluti abſens & futurum, vt docuimus Dubitat. antecedent. atqui Deus ſummum bonum noſtrum eſt præſentiſſimum mentibus beatorum: ergo nulla dabitur in his ſpes.

Vlt.

Dixi in ordine ad obiectum primarium, quia reſpectu ſecundarij in beatis reperitur ſpes; etenim certum eſt eos ſperare, & diem iudicij, & gloriam proprij corporis, & ſalutem alienam, non minùs, quàm dum fuerunt in hac vita mortali; in E hac autem ſperauerunt prædicta per ſpem, quæ eſt virtus Theologica, omnium conſenſu: ergo & in cœlo. Vide quæ dicuntur ad 3. p. q. 7. art. 4.

Spes non eſt in damnatis.

CONCLVSIO 2. *Spes nulla datur in damnatis.* Primum, quia nulla datur fides in illis, vt ſupra in tractatu de fide docuimus. Confirmatur: Damnatio eſt magis incompoſſibilis cum ſpe, quàm ſit cum fide: ideò enim fides repugnat ſtatui damnationis, quia dicit ordinem ad vitam æternam obtinendam, at ſpes nedum dicit talem ordinem, ſed etiam reſpicit vitam æternam poſſibilem in nobis [illegible] prout hæc eſt ſuum obiectum formale.

Deinde, de ratione damnationis eſt, vt ſit æterna, ex Matth. 25. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*: ergo in damnatis nulla planè datur ſpes, cùm certiſſimè ſciant ſe nunquam vitam æternam conſequuturos. Ità D. Thomas art. 3. quæſt. 18. huius partis, & omnes eius interpretes. Matth. 25. ℣. 41.

Obijcies, nihil repugnare quominùs aliquis ex damnatis, pro eo tempore quo fuit in hac vita mortali, crediderit cum Origene pœnas inferni eſſe temporales, non autem æternas: ergo in damnatis remanebit ſpes. *Obiectio.*

Reſpondeo, huiuſmodi errorem deleri omni ex parte in eo qui ex hypotheſi, adiudicatur pœnis æternis poſt mortem; diximus enim damnatos poſt mortem perfectiſſimè intelligere pœnas ſibi conſtitutas eſſe æternas, idque in primo inſtanti ſuæ damnationis. *Soluio.*

CONCLVSIO VLTIMA. *Spes datur in omnibus viatoribus iuſtificatis, & item in omnibus agentibus in Purgatorio.* Prima pars ex eo innoteſcit, quòd Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. doceat in hominis iuſtificatione infundi fidem, ſpem, & charitatem. *Spes in omnibus viatoribus iuſtificatis & in Purgatorio.*

Deinde, in Concilio Viennenſi dicitur verbis expreſſis, in baptiſmo infundi virtutes Theologicas, & etiam morales. Trident.

Tertiò, ſpes nunquam deſtruitur in nobis, niſi per peccatum deſperationis, vel per adeptionem illius ſtatus, qui eſt incompoſſibilis cum huiuſmodi virtute: at ſuppono hominem iuſtificatum eſſe, nec admittere peccatum deſperationis, & præterea conſtitutum eſſe in hac vita mortali: ergo in illo erit ſpes.

Secunda pars probatur, ex eo quòd animæ agentes in Purgatorio deceſſerint in charitate.

Deinde, quia ſatisfaciunt illic pro peccatis commiſſis in hac vita, aut, vt alij volunt, ſatis patiuntur.

Denique, fides & ſpes in iuſtificatis non deſtruuntur niſi per peccatum infidelitatis & deſperationis, aut per adeptionem vitæ æternæ, vt colligitur ex 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: at animæ agentes in Purgatorio nullum planè contrahunt peccatum, nec item vident Deum clarè, & vt in ſe eſt: ergo habent ſpem. Ità docent interpretes D. Thomæ ad art. 3. huius quæſt. 18. 1. Cor. 13. ℣. 12.

Obijcies, reprobos nullquam conſequi vitam æternam, atque adeò non dari in illis ſpem, etſi ſupponamus eos eſſe verè iuſtificatos. *Obiectio.*

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; non enim eſt de ratione ſpei vt vita æterna à nobis obtineatur, ſed vt obtineri poſſit. *Soluio.*

Inſtabis, nihil impedire quominùs Deus reuelet alicui reprobo pro eo tempore quo eſt in hac vita, ſuum ſtatum: ergo is tunc non debebit ſperare. *Replica.*

Reſpondeo, poſita huiuſmodi diuina reuelatione conſurgere deſperationem de vita æterna obtinenda in iſto reprobo, atque adeò & ſpem in eo deſinere: iſta tamen deſperatio non imputaretur ei ad culpam, cùm nemo peccet in ijs quæ vitare non poteſt. *Diſſoluitur.*

Quæſtio XIX. Eſt de dono timoris. XX. De peccato deſperationis. XXI. De præſumptione. XXII. De præceptis ſpei & timoris: de quibus legendus eſt D. Thomas, & alij.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XXIII.

De Charitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virtus Charitas ſit amicitia.

DVBITATIO PRIMA.

Quid nomine Charitatis ſignificetur.

CONCLVSIO 1. *Charitatis nomine ſignatur gratia gratum faciens.* Primùm, quia hoc habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. vbi dicitur cauſam formalem noſtræ iuſtitiæ eſſe gratiam & charitatem, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datur nobis.

Deinde, ex notatione nominis: ſecundum quoſdam enim deriuatur charitas à dictione Græca χάρις, quam ſignificare gratiam indubitatum eſt apud omnes.

Vſurpatur præterea Charitas pro mutua honeſta amicitia, ſeu amore inter duos, vt conſtat ex Cicerone lib. de amicitia, & ex Hierem. cap. 31. *In charitate perpetua dilexi te*, id eſt, gratuito & honeſto amore. Epheſ. 2. *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos.*

Hiere. 31. ℣. 3. Epheſ. 2. ℣. 4.

Vſurpatur 3. pro donis quæ conferuntur à nobis alicui, vel etiam pluribus, ex motiuo, ſeu imperio charitatis: propter hanc enim cauſam omnia temporibus primitiuæ Eccleſiæ in Baſilicis poſt communionem celebrata fuerunt vocata Charitatiua, à Tertull. verò in Apolog. & à D. Auguſt. in libris contra Fauſtum vocantur Agapes. Agapes, inquit, noſtræ pauperes ſuſtentant. Imò hac eadem de cauſa ſacramentum auguſtiſſimum altaris dicitur charitas, vtpote quod ſit Symbolum illius meffabilis bonitatis & dilectionis qua Chriſtus Eccleſiam dilexit, & qua nos, Deum, & proximum amamus.

Tandem ſumitur pro virtute Theologica actuali vel habituali, per quam diligitur Deus vt eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum, & cetera omnia in ordine ad Deum, quo modo ſumitur in hac tota tractatione.

DVBITATIO SECVNDA.

An amicitia ſit virtus.

Rationes oppoſitæ.

RAtio dubitandi eſt, quia Ariſtoteles lib. 8. Ethic. negat rationem virtutis competere amicitiæ.

Deinde, quia aliàs concedendum eſſet poſſe quempiam priuari virtute ſinè vlla ſui mutatione, interueniente tantùm variatione aliqua in homine à ſe omni ex parte diuerſo, vel Angelo, at hæc illatio nullo pacto defendi poteſt (virtutes A enim cenſentur eſſe aliquæ qualitates abſolutæ) ergo amicitia non eſt virtus.

CONCLVSIO. *Ratio virtutis conuenit amicitiæ.* Primùm, quia virtus definitur ab Ariſtotele in Ethicis, habitus electiuus in mediocritate conſiſtens, faciens eos laudabiles in quibus eſt, prout vir prudens præſcripſerit: at hæc definitio perfectiſſimè conuenit amicitiæ; nam nihil eſt magis liberum quàm amare amicum, & præterea verſatur inter odium ſeu inimicitiam & indulgentiam velut inter duo extrema vitioſa; facit enim amicitia vt nec minùs, nec magis quàm par eſt diligatur amicus, vel etiam triſtetur de incommodis amici. Indubitatum eſt etiam amicitiam reddere hominem laudabilem, quid enim poteſt eſſe laude dignius, quàm amare amicum? & præterea ſubijcere ſuos actus præſcripto & regulæ rectæ rationis, ac proinde & iudicio viri prudentis. *Amicitia eſt virtus.*

B

Deinde, illud eſt propriè virtus, quod verſatur circa bonum per ſe honeſtum, & inter duo extrema vitioſa, dirigitque ſuos actus liberè in honeſtum aliquem finem, ex communi Theologorum & Philoſophorum moralium doctrina: at amicitia hæc omnia præſtat: ergo eſt virtus.

In hac ſententia eſt D. Thomas lectione 1. in lib. 8. Ethicorum Ariſtotelis, & art. 3. huius quæſt. & in 3. diſt. 27. art. 2. quæſt. 2. & quæſt. C vnica de virtutibus art. vnico, licèt hoc in loco ſecus ſentire videatur.

Ad rationes dubitandi reſpondeo. Ad 1. Ariſtotelem non negare amicitiam eſſe virtutem propriè dictam, ſed ſolùm de hac re eo in loco dubitare. *Diluuntur rationes dubitandi.*

Ad 2. non eſſe abſurdum aliquem fraudari virtute ſibi inhærente per mutationem factam in aliquo alio; in eo tamen caſu in quo virtus iſta pendet in eſſe nedum à ſubiecto in quo ineſt, ſed etiam ab aliquo alio diuerſo, cuius generis eſt amicitia: intrinſecè ſiquidem & eſſentialiter cenſetur eſſe amor beneuolentiæ mutuus non latens propter honeſtatem in communicatione aliqua D bonorum fundatus, atque adeò nequit hæc conſiſtere in nobis, niſi detur etiam in amico noſtro. Illuſtratur exemplo propoſitionis veræ; hæc enim nuſquam poteſt eſſe formaliter vera, niſi dicat perfectam conformitatem cum ſuo obiecto, adeò vt ſi obiectum fuerit in ſe mutatum, veritas etiam propoſitionis cenſeatur eſſe mutata, & ſublata omnino: ità interueniente mutatione in eo qui amatur amore amicitiæ, amicitia deſtruitur, eò quòd amatus à nobis priùs ab amore quo nos proſequebatur receſſerit.

DVBITATIO TERTIA.

E *An charitas ſit amicitia propriè dicta: ſeu; an dilectio illa qua diligimus Deum propter ſemetipſum, & ea qua Deus diligit nos, ſit vera amicitia.*

Argumenta contraria.

RAtio dubitandi eſt quia amicitia debet eſſe inter æquales, ex doctrina Ariſtot. lib. 8. Ethic. at inter Deum & creaturam rationalem nulla planè datur æqualitas, cùm hæc ſit ſimpliciter finita, ille autem infinitus. 1.

Deinde, amicitia debet eſſe amicis nota, & non occulta, ex eodem, loco cit. at nullus eſt noſtrùm qui ſciat ſe diligi à Deo, Eccleſiaſtis 9. *Neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit.* 2. Eccleſ. 9. ℣. 1.

Digitized by Google

Tertiò, amicitia debet eſſe coniuncta cum amore complacentiæ, ex Ariſtot. cit. non autem cum amore concupiſcentiæ; at nullam poteſt Deus amare creaturam amore complacentiæ; dicitur enim Prouerb. 16 *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.*

Prou. 16. ℣. 4.

Quartò, amicitia propriè dicta debet eſſe fundata in communicatione bonorum, ex communi doctrina; at nulla bona communia ſunt Deo & creaturis: omne quippe bonum Dei, eſt increatum; quemadmodum & quodlibet bonum creaturæ productum.

Denique, amicitia debet eſſe inter duos tantùm, ex Ariſtotele; at nedum ex charitate amamus Deum, ſed etiam proximum, nos ipſos, Angelos, peccatores, inimicos, & multa alia inculpatè: ergo inter nos, & Deum nequit eſſe amicitia.

Amicitia inter Deum & nos.

CONCLVSIO. *Inter Deum & creaturas datur vera & perfecta amicitia, ſeu, quod idem eſt, dilectio qua Deus diligit nos, & qua nos ſimiliter Deum amamus, vt eſt ſuprema bonitas, cenſetur eſſe perfecta amicitia.* Primùm, quia Scripturæ ſemper ſunt ad litteram intelligendæ, niſi ex eis ſequatur aliquid abſurdi, ex Auguſt. lib. de doctrina Chriſtiana: at Scripturæ docent verbis expreſſis nos eſſe amicos Dei, Ioan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dico vos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui a Patre meo, nota feci vobis.* Luc. 12. *Dico vobis amicis meis,* Pſal. 138. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* Sap. 7. *Participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Certum etiam eſt eaſdem Scripturas affirmare Deum eſſe amicum noſtrum, vt colligitur ex locis proximè citat. ergo dabitur perfecta amicitia inter Deum & iuſtos.

Ioan. 15. ℣. 14. & 15. Luc. 12. ℣. 4. Pſal. 138. ℣. 17. Sap. 7. ℣. 14.

Deinde, omnes proprietates amicitiæ reperiuntur in ea dilectione, qua Deum ex charitate diligimus, & in ea qua Deus redamat nos, definitur enim amicitia propriè dicta, *Mutuus amor benevolentiæ non latens propter honeſtatem in aliqua bonorum communicatione fundatus.* Dicitur *Amor*, quia amicitia ſinè amore conſurgere nequit, adeò vt licèt duo dentur qui ſe mutuis obſequijs & officijs proſequantur; ſi tamen id præſtent ſinè amore, non detur inter iſtos duos amicitia perfecta. Dicitur, *Benevolentiæ*, quia amor concupiſcentiæ prorſus impertinens eſt ad amicitiam, quæ poſtulat vt amemus bonum amici, quia eſt bonum eiuſdem, non autem bonum noſtrum. Additur, *Mutuus*, quia debet eſſe coniunctus cum redamatione, vtpote, qui ſit vinculum inter duos ex electione, atque adeò & cum iudicio rectæ rationis: Dicitur, *Non latens*, quia ſignis & argumentis quibuſdam innoteſcere debet vtrique amanti. Apponitur, *Propter honeſtatem*: quia ſola honeſta amicitia cenſetur eſſe perfecta amicitia. Tandem adieci, *In communicatione bonorum fundatus*, quia vterque amicus debet eſſe particeps horum bonorum: ergo inter creaturam & Deum dari poteſt perfecta ratio amicitiæ.

Tertiò, hæc eſt expreſſa Patrum ſententia: Clementis Alex. oratione adhortatoria ad gentes. Baſil. in Pſal. 44. D. Auguſt. ſerm. 5. de Sanctis. Gregor. hom. 17. in Euangelia. Ambroſ. lib. 3. Officiorum, cap. 16. Cyrilli 10. in Ioan. cap. 13. & S. Thomæ art. 1. huius quæſt. cui ſubſcribunt communiter Doctores.

Clemens Alexand. Baſilius. D. Auguſt. Gregor. Ambroſ. Cyrillus. D. Thom.

Denique, obiectum iſtius amicitiæ reſpectu noſtrî cenſetur eſſe gratia gratum faciens, & quodlibet aliud donum ordinis ſupernaturalis, quod datur in nobis; hæc enim omnia terminant actum dilectionis Dei, qua Deus diligit nos: reſpectu verò illius dilectionis qua nos eum redamamus, obiectum cenſetur eſſe ſuprema Dei bonitas amabilis propter ſemetipſam.

Ad rationes dubitandi reſpondeo. Ad 1. amicitiam poſtulare perfectiſſimam æqualitatem inter amicos, ſi ſermo ſit de amicitia quæ innititur proportioni Arithmeticæ, cuius generis eſt ea quæ datur inter Angelum & Angelum, hominem & hominem; ſecus tamen dicendum eſt de amicitia quæ innititur proportioni Geometricæ, quæque nuncupari conſueuit amicitia ſuperexcellentiæ, ſeu exuperantiæ, qualis eſt ea quæ eſt inter Patrem, & filium, inter Principem, & ſubditum, hæc enim non admittit perfectiſſimam æqualitatem inter amicos, etiam ex Ariſtotel. lib. 8. Ethic. huius autem generis eſt ea quæ reperitur inter iuſtos & Deum, quod colligo ex Damaſceno lib. 4. de fide, vbi docet hominem fieri ſimilem Deo per adeptionem gratiæ, & ceterorum donorum ordinis ſupernaturalis. Deinde, ex vnione hypoſtatica diuini Verbi cum humana natura comprobatur hæc eadem æqualitas; etenim natura humana Chriſti verè eſt eleuata ad ſubſiſtere diuinum. Denique, per actum dilectionis ſupernaturalis attingimus Deum non quidem prout in ſe eſt, ſed prout innoteſcit nobis per fidem in hac vita, vnde cenſemur eſſe participes, & conſortes diuinæ naturæ: ergo ex hoc ſaltem capite dabitur aliqua æqualitas inter Deum & nos, proportionis ſcilicet, ſeu ordinis quæ ſufficit ad perfectam amicitiam.

Diſſoluuntur argumenta.

Ad 2. amicitiam repertam inter iuſtum & Deum, minimè eos latere: & quidem de Deo certum eſt, cùm ei nihil poſſit eſſe incognitum; de creatura verò probatur ex cap. 8. Roman. *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* & ex cap. 7. Ioann. *Si quis voluerit voluntatem eius facere cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.* Deinde, in tractatu de prædeſtinatione docetur prædeſtinatum poſſe aſſequi ſuam prædeſtinationem, non quidem certò, ſed tantùm probabiliter, dependenter à ſignis quibuſdam externis: conceditur etiam communiter in tractatu de gratia, hominem iuſtificatum poſſe cognoſcere ſe gratiam Dei eſſe conſecutum ſaltem probabiliter: ergo illud idem erit dicendum de amicitia, qua Deus diligit hominem iuſtum. Confirmatur ex eo, quòd non detur maior certitudo inter amicitiam humanam, ſeu, quod idem eſt inter duos homines ſe mutuò amantes amore benevolentiæ, nec enim iſtis innoteſcit amicitia cum tanta certitudine vt nulla ſuperſit occaſio dubitandi de oppoſito: datur ergo inter iſtos cognitio quàm maximè probabilis, & certa, non tamen certiſſima, & indubitata; illa autem ſufficit ad perfectam amicitiam: neque enim exigitur certiſſima cognitio quæ excludat omnem formidinem de oppoſito.

2. Rom. 8. ℣. 16. Ioan. 7. ℣. 17.

Ad 3. Deum diligere iuſtum amore benevolentiæ, ſeu complacentiæ; vult enim gratiam & alia dona ordinis ſupernaturalis quæ habet homo iuſtus à ſe amatus, propter bonum iſtius hominis iuſtificati.

3.

Ad

Ad id verò quod dicitur, Deum ordinare huiſmodi amorem in ſeipſum, tamquam in vltimum finem ex Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Prouc. 16. ℣. 4.

Reſpondeo, ex eo nihil planè colligi poſſe; amor enim ille quo nos proximum diligimus propter bona quæ pertinent ad eum, & ſub ea ratione, qua ſunt eius bona, poteſt à nobis ordinari in Deum tamquam in finem vltimum, ſinè vllo diſpendio veræ amicitiæ, ex communi ſententia interpretum D. Thomæ hoc loco: ergo ſimiliter poterit Deus ordinare bonum creaturæ iuſtæ ſupernaturale in ſeipſum, tamquam in vltimum finem.

4. Ad 4. iuſtum communicare cum bono Dei tam ſubſtantiali, quàm accidentali; humana quippe Chriſti natura eleuata eſt ad ſubſiſtentiam diuini Verbi increatam, quæ eſt in ſe formaliter ſubſtantia aliqua diuina; fundamentum autem amicitiæ inter Deum & nos cenſetur eſſe myſterium Incarnationis, ex communi doctrina: Communicamus etiam cum bono Dei accidentali, nempe cum gratia, charitate, & alijs donis ſupernaturalibus, propter quæ ait D. Petrus 2. canonicæ cap. 1. nos eſſe participes & conſortes diuinæ naturæ. In hac ergo bonorum communione fundatur amicitia inter Deum & iuſtum. Admittenda quoque eſt familiaritas aliqua inter eoſdem, non quidem ſecundùm externam vitam & conuerſationem ſenſilem, vt obiectuat D. Thomas in reſponſione ad 1. huius articuli, ſed tantùm in ordine ad ſocietatem vitæ ſpiritualis, mente namque & voluntate attingimus Deum, exercendo actus fidei, ſpei, & charitatis, & alios ordinis ſupernaturalis; in ordine ad quos conſurgit aliqua familiaritas cum Deo, non tamen tanta, quanta dabitur in cœlis. 2. Petr. 1. ℣. 4.

Vlt. Ad vltimam. Amicitiam ſemper eſſe inter duos, præcipuè & principaliter, quo pacto explicandus eſt Ariſtotel. loco cit. quando autem diligimus proximum, nos ipſos, Angelos, & inimicos ex charitate, iſtos diligimus propter Deum & in ordine ad eumdem. Vnde amicitia noſtra habet pro obiecto, & extremo alio ſolum Deum per ſe, quod ſufficit ad perfectam amicitiam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Charitas ſit aliquid creatum in anima.

Magiſtri ſentent. opinionis fundamenta. 1.

MAGISTER lib. 1. Sententiarum diſt. 17. totus in eo eſt vt probet nullam dari qualitatem actualem vel habitualem in nobis per quam diligamus Deum dilectione ſupernaturali, ſed Spiritum ſanctum id præſtare; atque adeò docet charitatem eſſe ipſummet Deum: probat ex cap. 4. 1. Ioan. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan. 4. ℣. 16.

2. Deinde, ex D. Auguſt. lib. 8. de Trinit. cap. 7. & 8. vbi ait dilectionem qua diligimus Deum & proximum eſſe ipſummet Spiritum ſanctum, & lib. 15. cap. 17. vbi idem contendit charitate nihil eſſe præſtantius: attributio autem iſta ſoli Deo competere poteſt.

Hæc etiam opinio probari poteſt ex illo verſiculo hymni de Spiritu ſancto. *Qui Paracletus diceris, donum Dei altiſſimi, fons viuus, ignis, charitas, & ſpiritalis vnctio.* *In officio de Spiritu ſancto.*

3. Tertiò, nulla planè res creata effectum infinitum attingere poteſt, aut etiam obiectum; at per charitatem & effectum & obiectum infinitum attingimus; diligimus enim Deum qui verè infinitus eſt, & quidem in æternum ſaltem ſi ſermo ſit de homine prædeſtinato in extremis agente: ergo id debet fieri non per qualitatem creatam, ſed per Spiritum ſanctum.

CONCLVSIO. *Citra manifeſtum errorem defendi nequit charitatem qua Deum & proximum diligimus eſſe ſolum Spiritum ſanctum, aut Deum.* *Charitas noſtra non eſt Spiritus ſanctus.*

Primùm, quia Scripturæ eodem planè modo loquuntur de charitate, quo de fide, & ſpe, vt conſtat ex 1. Corinth. 13. vbi charitas computatur inter dona Dei, cum fide & ſpe; *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc.* imò Rom. 5. de Charitate dicitur; *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* 1. Cor. 13. ℣. 13. Rom. 5. ℣. 5.

Deinde, hoc idem colligitur ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi dicitur cauſam formalem noſtræ iuſtitiæ eſſe charitatem. & can. 11. *Si quis dixerit homines iuſtificari vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæret, anathema ſit.* Deus autem non poteſt inhærere noſtris animabus, hoc enim competit ſolis accidentibus, non autem ſubſtantijs, ex communi Philoſophorum doctrina. Trident.

Tertiò, hoc idem deducitur ex D. Auguſt. cuius tamen ſententiam Magiſter videtur eſſe ſequutus: ità enim loquitur lib. de ſpiritu & littera, cap. 31. *Vnde*, inquit, *iſta dilectio, id eſt, charitas, per quam fides operatur, niſi vnde illam fides ipſa impetrauit? Neque enim eſſet in nobis quantacumque ſit in nobis, niſi diffunderetur in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Charitas quippe Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe dilexit, ſed qua nos facit dilectores ſuos.* Ex quo loco colligimus euidenter aliam eſſe charitatem, qua Deus diligit ſeipſum, & qua nos; & aliam qua nos diligimus Deum. Idem colligitur ex eodem lib. 4. contra Iulianum cap. 3. & ex ſermone de laudibus charitatis, vbi diſtinguit charitatem noſtram ab ea qua Deus diligit ſeipſum. Idem docent plerique alij Patres, maximè Cyrillus in Ioan. Gregor. lib. 1. Moralium, Ambroſ. in ſuis epiſtolis ſatis frequenter. Hieronym. ad cap. 5. epiſt. ad Galatas. & D. Thomas art. 2. huius quæſtionis. D. Auguſt.

Accedit ratio. Omnis effectus diſtinguitur realiter à ſua cauſa; at charitas qua nos diligimus Deum & proximum eſt effectus productus à Spiritu ſancto, ex loco citato epiſtolæ ad Rom. & ex cap. 5. Galat. *Fructus autem Spiritus*, ſcilicet ſancti, *eſt charitas, gaudium, pax, &c.* Gal. 5. ℣. 22.

Ad rationes contrarias reſpondeo. Ad 1. ex illo loco Ioannis ſolùm colligi vel charitatem, qua Deus diligit ſeipſum, & nos, eſſe ipſummet Deum: vel charitatem qua nos diligimus Deum, & proximum eſſe Deum, non quidem formaliter & intrinſecè, ſed tantùm cauſaliter; eſt enim hæc charitas qua nos diligimus Deum & proximum verè à ſolo Deo producta, tamquam à cauſa principali efficiente, atque adeò effectus eo in loco conſequitur denominationem ſuæ cauſæ. *Obiectio. Euertuntur fundamenta Magiſtri.*

2. Idem dicendum eſt ad primum D. Auguſt. teſtimonium. Ad ſecundum verò dico, charitate qua Deum & proximum diligimus nihil eſſe præſtantius, ſi ſermo ſit de donis quæ conferuntur homini, pro eo tempore, quo agit in hac vita mortali; hæc enim facit hominem formaliter gratum, & acceptum Deo, tribuitque ei ius ad vitam æternam obtinendam, imò & principium meriti de condigno, & demum deſtruit in nobis omnem omnino culpam mortalem de lege communi, adeò vt peccatum mortale & charitas nequeant ſimul in eodem ſubiecto conſiſtere: abſolutè tamen & ſimpliciter loquendo charitas non ſibi vendicat primas partes, reſpectu eorum omnium quæ ſunt. Diuus quippe Thomas art. 3. huius quæſt. docet ſubſtantiam eſſe præſtantiorem omni accidente; at dicemus poſtea charitatem eſſe qualitatem ordinis ſupernaturalis.

Vlt. Ad vltimam: falſum eſſe nullam rem creatam poſſe attingere obiectum vel effectum infinitum; nam de fide eſt agentes in cœlis videre diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt, & tamen certum eſt, non videri à beatis niſi dependenter à lumine gloriæ habituali exiſtente in intellectu cuiuſlibet beati, tamquam in proprio ſubiecto, atque adeò quemadmodum intellectus beati finitus eſt, ità & lumen gloriæ.

Quæſtio excitatur. Quærunt tamen aliqui, *Ad quid detur auxilium actuale vel habituale in voluntate noſtra, ad hoc vt diligamus Deum?* cùm voluntas perfectiſſimè compleatur per virtutes morales vt ſuas exerceat operationes.

Reſoluitur. RESPONDEO, *Voluntatem creatam non perfici ſufficienter per ſolas virtutes morales*; hæ namque ſolùm iuuant illam ad exercendas operationes ordinis naturalis debitè, & vt oportet: ſecus verò ad operationes ordinis ſupernaturalis, cuiuſmodi tamen eſt dilectio, qua diligitur Deus & proximus vt Deus eſt ſummè diligibilis, & cetera alia in ordine ad Deum.

Replica. Inſtabis, Deum poſſe ſe ſolo cum voluntate creata attingere dilectionem iſtam ſupernaturalem, ad quid ergo charitas actualis vel habitualis?

Diſſoluitur. Reſpondeo, Deum poſſe ſe ſolo vnà cum voluntate producere huiuſmodi dilectionem ſupernaturalem; quidquid enim poteſt Deus media creatura producere, poteſt ſe ſolo (interueniente tamen creatura quæ ex hypotheſi attingit effectum vitalem) producere, ex communi Theologorum doctrina: de lege tamen communi non conſueuit Deus producere vllos planè actus dilectionis aut intellectionis naturalis vel ſupernaturalis, niſi dependenter ab aliquo auxilio actuali, vel habituali creaturæ communicato, idque quòd modus operandi connaturalis id poſtuler, ex lege & ordinatione diuina; atque adeò propter iſtam ordinationem diuinam admittenda neceſſariò eſt charitas actualis vel habitualis, ac proinde & ſupernaturalis, vt ſequatur in nobis actus dilectionis ſupernaturalis.

Alia replica. Vrgebis, inde colligi manifeſtè eum qui exercuit actum charitatis cognoſcere certò ſe eſſe charitatem conſequutum.

Enervatur. Reſpondeo negando illationem: ſupereſt enim dubitandum an actus charitatis qui à nobis producitur ortum habeat à principio aliquo naturali, an verò à ſupernaturali; nec enim negari poteſt quin dilectio naturalis, & ſupernaturalis ſint inter ſe ſimiles, ſecundum ſuam entitatem, quando verſantur circa vnum & idem obiectum, vnde ex modo tendendi tunc temporis diſtinguuntur inter ſe tantùm ſpecie. Cùm ergo modus tendendi in huiuſmodi dilectionibus non perfectè deprehendatur, nuſquam dabitur tanta certitudo de charitate ſupernaturali in nobis, vt non ſuperſit aliqua occaſio dubitandi de oppoſito.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Charitas ſit virtus.

Argumenta contraria. RATIO dubitandi prima eſt: quia quælibet virtus intenditur & remittitur; ſed charitas non remittitur, ſed vel omni ex parte deſtruitur in nobis, vel eadem æquè intenſa perſeuerat, omnium conſenſu: ergo non poteſt eſſe virtus.

Deinde, ſi charitas eſſet virtus, imperfectior ſubſtantia foret; at docuimus articulo ſuperiori charitatem ità eſſe præſtantem, vt omnia dona ſuperet; ſaltem ſi ſermo ſit de his quæ dantur homini in hac vita conſtituto.

Denique, inchoata temperantia non eſt virtus, ex communi doctrina Philoſophorum moralium; quemadmodum neque principium quantitatis eſt quantitas: ergo inchoata charitas & imperfecta, non erit ſaltem virtus.

CONCLVSIO. *Charitas eſt qualitas aliqua realis ſupernaturalis, tamdiu manens, quamdiu peccatum mortale non deprehenditur in nobis.* *Charitas eſt ſupernaturalis qualitas.* Prima pars Concluſionis probatur ex Catechiſmo authoritate Concilij Tridentini edito, in quo dicitur charitatem qua iuſtificamur eſſe qualitatem aliquam à Deo infuſam mentibus noſtris.

Deinde, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. vbi ſcribitur charitatem diffundi in nobis per Spiritum ſanctum, qui datur nobis, quandocumque iuſtificamur à peccato mortali: vbi etiam additur illam nobis inhærere. Trident.

Tertiò, ex Concilio Viennenſi in Germania celebrato, in quo definitur omnibus tum adultis cùm paruulis infundi in baptiſmo fidem, ſpem, & charitatem, atque etiam virtutes omnes morales; quod etiam refertur in Clementina vnica de ſumma Trinitate, & fide Catholica: at hæc non videntur inter ſe ſatis conuenire, niſi fateamur quòd quemadmodum virtutes morales ſunt qualitates aliquæ veræ & reales; ità & hoc idem fateamur de fide, ſpe, & charitate: ergo hæc eſt vera qualitas realis. Concil. Viennenſ.

Quartò, Scripturæ docent de charitate quòd maneat in nobis, & item quòd nunquam excidat 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit.* & item, quòd per hanc maneamus in Deo, & Deus in nobis 1. Ioan. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: at certum eſt charitatem non aliter manere poſſe in nobis, niſi quia eſt qualitas per ſe infuſa mentibus noſtris à Deo, per quam iuſtificamur formaliter, habemúſque ius ad vitam æternam obtinendam: ergo &c. 1. Cor. 13. ℣. 8. 1. Ioan. 4. ℣. 16.

Denique, habitus tam intellectus quàm voluntatis

tatis ſunt ab authore naturæ in hunc finem excogitati, vt poſſit quilibet noſtrum faciliori negotio actiones rectæ rationi conſonas exercere, vt communiter fatentur omnes, cum D. Thoma in tractatu de habitibus: ergo de charitate concedendum eſt quòd ſit qualitas aliqua vera & realis, cùm conducat ad diligendum Deum, & cetera propter eum. Confirmatur: Voluntas noſtra non paucas patitur difficultates inter Deum & proximum debitè amandum: ergo cùm huiuſmodi difficultates non niſi beneficio charitatis ſuperentur, erit hæc qualitas aliqua realis.

Secunda pars Concluſionis probatur ex eo, quòd charitas verſetur circa Deum ſummum bonum, vt eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum, & quidem dependenter ab ea cognitione qua cognoſcitur per fidem, quamdiu agimus in hac vita: pro eo verò tempore quo in cœlis degemus, pendet hæc eadem à cognitione qua videtur Deus clarè vt in ſe eſt, beneficio luminis gloriæ: ergo charitas erit qualitas ſupernaturalis, vtpote quæ verſetur circa obiectum ſupernaturale, & in idem tendat nedum in hac, ſed etiam in alia vita per media ordinis ſupernaturalis, nempe per fidem, & lumen gloriæ, & per ſpeciale aliud auxilium ſupernaturale receptum in voluntate noſtra, vt in proprio ſubiecto.

Tertia pars Concluſionis oſtenditur: Oppoſita immediata debent eſſe neceſſariò reſpectu ſubiecti in quo nequeant de lege communi eſſe, vt conſtat ex viſu & cœcitate reſpectu oculi; at peccatum mortale & charitas opponuntur inter ſe de lege communi, vt docuimus in tractatu de gratia: ergo charitas tamdiu erit in nobis quamdiu peccato mortali carebimus. In hac Concluſione ſunt communiter omnes interpretes D. Thomæ hoc loco, & item Doctores Sententiarij, qui ſubſequuti ſunt Concilium Viennenſe in 3. diſt. 27.

Non eſt de fide charitatem eſſe habitum.

Conclvsio 2. *Non eſt euidenter de fide Catholica, charitatem qua formaliter iuſtificamur, eſſe qualitatem aliquam habitualem; oppoſitum tamen ſine temeritate defendi minimè poteſt.*

Prima pars Concluſionis probatur. Illud eſt euidenter de fide Catholica, quod eſt in ſacris litteris expreſsè à Deo reuelatum, vel definitum ab aliquo Concilio, & proponitur credendum authoritate Eccleſiæ veluti dogma aliquod de fide Catholica, vt docuimus in tractatu de fide: at nec in ſacris litteris habetur expreſsè charitatem eſſe qualitatem aliquam, nec hoc ab Eccleſia Catholica vſquam eſt definitum, atque adeò neque propoſitum credendum tamquam dogma de fide: ergo non eſt euidenter de fide.

Deinde, non deſunt, etiam poſt Tridentinum, qui doceant hominé nedum iuſtificari formaliter per gratiam, & charitatem habitualem, ſed etiam per actus contritionis, & dilectionis Dei, qui tamen non ſunt charitates habituales, ſed tantùm actuales.

Tertiò, actus contritionis & dilectionis, qui ſunt diſpoſitiones infallibiles ad iuſtificationem obtinendam ſinè ſacramentis, cenſentur eſſe à dono aliquo actuali, non autem habituali ordinis ſupernaturalis ex veriori opinione: ergo &c.

Denique, in tractatu de viſione Dei, fatentur omnes eſſentiam diuinam videri à beatis communiter, per lumen gloriæ habituale; poſſe tamen videri per ſolum lumen gloriæ actuale: ergo ſignum eſt non eſſe de fide.

Secunda pars Concluſionis probatur. Illa opinio eſt temeraria quæ omnibus planè Doctoribus aduerſatur; at quotquot ſubſequuti ſunt Concilium Viennenſe, docent fidem, ſpem, charitatem, & virtutes morales eſſe qualitates aliquas habituales, nedum inhærentes: ergo ſi quis id negaret temerarius cenſendus eſſet.

Dices, rationes adductas in confirmationem primæ Concluſionis deſtruere ſecundam; diximus enim Catechiſmum Concilij Tridentini authoritate editum, verbis expreſſis affirmare charitatem eſſe qualitatem infuſam à Deo & inhærentem nobis. Adiecimus etiam ex Viennenſi, in baptiſmo infundi fidem, ſpem, charitatem, & ceteras virtutes morales, & ex Concilio Tridentino charitatem diffundi in nobis à Deo, & inhærere: ergo videtur eſſe de fide Catholica euidenter, charitatem eſſe qualitatem aliquam habitualem. *Obiectio.*

Reſpondeo, ex omnibus iſtis locis ſolùm colligi, accedere ad fidem Chriſtianam charitatem eſſe qualitatem aliquam habitualem; non autem eſſe euidenter de fide Catholica: nec enim res hæc eſt expreſsè & formaliter definita in his locis, neque alibi. Deinde, prædictus Catechiſmus non habuit ortum proximè & immediatè à Concilio Tridentino, vnde neque eſt regula certiſſima & indubitata credendorum, ſed probatur ab Eccleſia tamquam codex aliquis in quo continentur explicationes documentorum fidei, non autem definitiones eorum quæ ſunt credenda. Concilium autem Viennenſe nunquam definiuit infundi in baptiſmo fidem, ſpem, charitatem, & ceteras virtutes morales, quæ ſint qualitates habituales, ſed tantùm probauit eorum opinionem qui defendunt haſce virtutes eſſe qualitates habituales. Tridentinum etiam non probat euidenter charitatem eſſe qualitatem habitualem, nam de actuali rectè dicitur quod infundatur à Deo nobis; non enim diligere poſſumus vt oportet, niſi acceſſerit ſpeciale Dei auxilium, quod recipiatur in voluntate tamquam in ſubiecto, & quòd actus dilectionis Dei nobis verè inhæreat: etenim vt actus immanens, debet recipi in eo ſubiecto à quo producitur; producitur verò à voluntate noſtra. *Soluțio.*

Charitati conuenit ratio virtutis.

Conclvsio 3. *Charitas eſt virtus ſaltem communis.* Primùm, quia fatentur omnes, tres dari virtutes Theologicas, fidem, ſpem, & charitatem.

Deinde, id conſequitur rationem virtutis in communi, quod eſt per ſe honeſtum, & reddit eum laudabilem in quo eſt, vt fatentur Philoſophi morales cum Ariſtotele in Ethicis: at charitas eſt res per ſe honeſta; cùm tendat in Deum ſummè bonum, & prout eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum, & proximum prout diligitur à nobis propter Deum. Facit etiam charitas eos laudabiles in quibus deprehenditur, vt conſtat ex 1. Corinth. 13. vbi dicitur operationes ex charitate factas eſſe Deo quàm maximè gratas, & acceptas: imò additur nullam planè operationem noſtram poſſe conducere ad vitam æternam obtinendam ſinè charitate. 1.Cor. 13.

Denique, quod ordinat omnes ſuos actus in Deum tamquam in vltimum finem, & quidem liberè, non poteſt non eſſe coniunctũ cum virtute,

vt obſeruat D. Thomas in corpore huius articuli; at notum eſt charitatem ordinare ſuos omnes actus in Deum, tamquam in vltimum finem, idque liberè, ſaltem pro toto eo tempore, quo ſumus in hac vita mortali. Ità D. Thomas hoc loco, & art. 4. huius quæſt. Bannez, Caiet. & alij.

Diluuntur argumenta.

1. Ad rationes verò dubitandi reſpondeo. Ad 1. omnem virtutem per ſe acquiſitam intendi & remitti, vt enim quælibet ex illis per actus ſibi connaturales augetur; ità per actus ſibi contrarios imminuitur: de virtutibus tamen per ſe infuſis cuiuſmodi eſt charitas, aſſerendum eſt quòd intendantur per actus ſibi connaturales, ceterùm phyſicè à ſolo Deo; ab actibus verò noſtris tantùm meritoriè. Eſt etiam aſſerendum quòd non B minuantur, ſed quòd eſſe deſinant ſimpliciter, idque quòd Deus noluerit huiuſmodi habitus imminui, eſto admodum remiſſos actus exerceamus, & interdum contingat peccata aliqua venialia committi contra huiuſmodi virtutes infuſas. Tandem concedendum eſt feruorem charitatis remitti per peccata venialia ſinè vlla tamen deperditione entitatis charitatis exiſtentis in anima noſtra.

2. Ad 2. Accidens comparari poſſe cum ſubſtantia duobus modis, quatenus ſcilicet accidens eſt, & quatenus accidens ſupernaturale: primo modo certum eſt accidens ignobilius eſſe ſubſtantia; præſtantia enim cuiuſlibet rei repetenda eſt à principijs intrinſecis eiuſdem; principia autem in- C trinſeca ſubſtantiæ ſunt longè perfectiora principijs intrinſecis accidentis, ſub ea ratione qua accidens eſt; eſt enim entis ens, atque adeò intrinſecam dependentiam à ſubſtantia connotat. Secundo verò modo accidens poteſt eſſe præſtantius ſubſtantia, idque quòd ratio ſupernaturalis, vt ſic, non deprehendatur in ſubſtantijs vt ſupponimus, bene tamen in accidente: hac ergo ratione concedimus de charitate quòd ſit præſtantior ſubſtantia; eſt enim hæc per ſe & ſua natura ordinis ſupernaturalis, ſubſtantia verò ordinis naturalis tantùm.

Ad 3. Poſtulare difficultatis explicationem in qua quæritur; *An charitas, etiam minima, habeat* D *rationem virtutis propriè dictæ*: de qua re ſit

Charitas quæcumque, eſt virtus.

CONCLVSIO. *Charitas ſpectata etiam vt minima, & quam maximè remiſſa cenſetur eſſe propriè virtus.* Primùm, quia definitio virtutis illi competit; hæc enim definitur à D. Thoma 1. 2. Qualitas bona mentis, qua bene viuitur, & nemo ea malè vtitur, & quam Deus in nobis ſinè nobis operatur: hæ namque conditiones, in minima charitate locum habent; eſt enim charitas, quæcumque illa ſit, bona aliqua qualitas cùm producatur à ſolo Deo, eique nos gratos & acceptos reddat: Nullus item eſt qui charitate malè vti poſſit cùm hæc verſetur circa Deum ſummè amabilem, propter ſemetipſum: quilibet etiam ea bene vtitur, reſpi- E cit enim vitam æternam veluti præmium ſuis actionibus debitum: infunditur denique mentibus noſtris à Deo ex D. Paulo Rom. 5. *Charitas* Rom. 5. ℣. 5. *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*: ergo eſt verè virtus.

Deinde, minima charitas ſatis eſt ad hoc vt maneamus in Deo, & Deus in nobis, vt colligitur ex 1. Ioan. 4. citato, & 14. *Si quis diligit me, ſermo-* 1. Ioan. 4. Id. cap. 14. ℣. 23. *nem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* nulla facta diſtinctione inter charitatem intenſam & remiſſam.

Tertiò, charitas etiam minima cenſetur eſſe forma cuiuſlibet virtutis ſpectatæ in ratione virtutis ſimpliciter, vt author eſt D. Thomas art. 3. huius quæſtionis.

Quartò, charitas etiam minima eſt finis præcepti, 1. Timoth. 1. *Finis præcepti eſt charitas de corde* 1. Tim. 1. *puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Rom. 13. ℣. 5. Adimpletio legis; *Plenitudo legis eſt dilectio.* Cauſa Rom. 13. formalis noſtræ ſanctitatis & iuſtificationis, ſeſſ. 6. ℣. 10. cap. 7. Concilij Trident. & radix meriti de condigno, ex doctrina D. Thomæ 1. 2. quæſt. vltima.

Denique, charitas etiam minima ſufficit & ad Deum diligendum ſuper omnia, & ad actum contritionis exercendum, & demum ad omnia officia charitatis præſtanda, vt docet D. Thomas art. 5. B quæſt. 24. huius partis. & art. 6. quæſt. 62. 3. partis, ad 3. & art. 4. quæſt. 70. eiuſdem partis.

Ad rationem ergo dubitandi. Reſpondeo, temperantiam & ceteras virtutes per ſe acquiſitas, & in eſſe imperfecto ſpectatas, non eſſe propriè virtutes; requiritur enim ad rationem virtutis per ſe acquiſitæ, vt ex iteratis, & frequentatis actibus cõparetur: ſupponimus autem huiuſmodi virtutes nondum eſſe perfectas, ſed inchoatas, atque adeò vnum aut alterum tantùm earum actum in nobis præceſſiſſe. Deinde, de ratione cuiuſlibet virtutis eſt vt ſubiectum in quo eſt iuuet & faciliter in ſuis actionibus exercendis; at nulla virtus per ſe acquiſita, ſpectata tantùm in eſſe imperfecto & in- C choato facilitat ſubiectum in exercendis operationibus ſibi cõnaturalibus, vtpote quæ ſit coniuncta cum habitibus ſibi oppoſitis, interdum ſaltem, & communiter cum paſſionibus innumeris, quibus impedimur ab exercitio bonorũ operum, vt conſtat experientia quotidiana. De virtutibus per ſe infuſis longè aliter ſentiendum eſt; quælibet enim ex illis, etiam in minimo gradu ſpectata, rationem virtutis propriè dictæ participat, idque quòd & iuuet nos in actionibus exercendis, & inducat facilitatem operandi, maximè verò charitas, vt colligitur ex Paulo ad Philip. 4. *Omnia poſſum in eo* Philip. 4. *qui me confortat*, loquitur autem de gratia Chriſti, ℣. 13. quæ eſt idem cum charitate realiter, ſaltem ex multorum opinione; & ex doctrina D. Thomæ diſtinguitur ab eadem realiter, quia tamen ab inuicem nuſquam ſeparantur, effectus gratiæ tribuuntur charitati, & contrà. Denique, charitas etiam minima opponitur omnibus & ſingulis peccatis mortalibus, ex communi conſenſu.

Obijcies, habitus oppoſitos virtutibus ſtare *Obiectio.* cum charitate in nobis, atque etiam violentas perturbationes: ergo ſicut acquiſita virtus deficit à ratione tali, ob inexiſtentiam habituum oppoſitorum & paſſionum; ità idem erit dicendum de charitate.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando *Solutio.* conſequentiam; hæ namq; perturbationes & item propenſiones, quibus inclinamur ab habitibus contrarijs virtutibus ad malè operandum, debilitantur in nobis, imò & ſuperantur à charitate etiam minima; hæc enim ſimpliciter coniuncta eſt cum donis Spiritus ſancti, & cum omni planè virtute per ſe acquiſita; ſi enim non fuerit acquiſita à nobis, infunditur quandocumque iuſtificatur homo, vt conſtat ex Concilio Viennenſi, & refertur in Clementina vnica, de ſumma Trinitate, & fide Catholica. Accedit homini conſtituto etiam in minima charitate eo ipſo deberi auxilium ſpeciale diuinum, cum quo poterit & vitare peccatum, & quodlibet Dei mandatum opere adimplere.

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

An Charitas ſit virtus ſpecialis.

ARTICVLVS QVINTVS.

An Charitas ſit vna virtus.

DVBITATIO PRIMA.

An Charitas ſit ſpecialis aliqua virtus.

Charitas eſt vna ſpecie virtus. D. Thom.

ONCLVSIO. *Charitas eſt vna ſpecie infima virtus.* Primùm, quia hæc eſt expreſſa ſententia D. Thomæ art. 4. & 5. huius quæſtionis, *Charitas eſt ſimpliciter vna virtus, non diſtincta in plures ſpecies.*

D. Auguſt.

Deinde, SS. Patres loquuntur de charitate veluti de vna virtute diſtincta à ceteris omnibus, vt conſtat ex D. Auguſt. lib. de ſpiritu & littera, cap. citato 32. Ambroſio lib. 4. epiſtol. epiſt. 34. *In nullo hæ virtutes, charitas, ſcilicet & humilitas, diuiduntur ab inuicem & ambarum tam indiſcreta eſt connexio, vt qui in vna earum conſtruitur, ſimul vtraque poſitatur. Sicut enim pars eſt charitatis humilitas, ita pars humilitatis eſt charitas.* Hieron. ad cap. 5. ad Galatas. *Sine qua*, nempe charitate, *virtutes cetera non reputantur eſſe virtutes, & ex qua naſcuntur vniuerſa quæ ſunt bona.* Et ex Gregorio lib. 1. Moralium, cap. 12. & 17.

Tertiò, concors eſt omnium Theologorum ſententia fidem & ſpem eſſe virtutes inter ſe ſpecie diſtinctas: ergo hoc idem dicendum erit de charitate.

Quartò, vbicumque occurrit ſpecialis difficultas operandi circa bonum, ibi admittenda eſt ſpecialis aliqua virtus per quam talis difficultas vincatur, vt author eſt D. Thomas in corpore articuli 4. huius quæſtionis; at inter amandum Deum & proximum occurrit ſpecialis difficultas, (eſt enim de fide neminem poſſe diligere Deum, vt oportet, ſinè ſpeciali aliquo auxilio ordinis ſupernaturalis) ergo ad tollendam illam difficultatem admittenda eſt noua virtus qualis eſt charitas.

Accedit quòd licèt fieri non poſſit, vt quis peccet per exceſſum in amando Deum, poteſt tamen deficere hac ratione in amando ſeipſum & proximum; atque adeò virtus aliqua erit neceſſaria, & ad diligendum Deum vt oportet, & item ſeipſum ac proximum; hæc autem virtus cenſetur eſſe ſola charitas: ergo.

Concil. Mileuit. Arauſican. Trident.

Confirmatur: Concilia Mileuitanum, Arauſicanum II. & Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. definiunt neminem poſſe credere, ſperare, & diligere, vt oportet ſinè ſpeciali Dei auxilio; at hoc auxilium non eſt fides, cùm hæc ſolùm conducat ad credendum; nec ſpes, iuuat enim hæc ad debitè ſperandum; nec religio, hæc enim ordinatur ad Deum ritè colendum: nec penitentia, vtpote quæ ſolùm conferat ad dolendum de peccatis vt oportet: ergo auxilium quod conducit ad diligendū Deum

A erit ſola charitas actualis, vel habitualis: ergo cùm prædictæ virtutes ſint ſpecie inter ſe diſtinctæ, atque etiam virtutes proprie dictæ, illud idem dicendum erit de charitate.

Denique, virtus illa cenſetur eſſe vna ſpecie infima, quæ vnicum tantùm habet obiectum formale, quod non ſubdiuiditur in alia obiecta formalia; vnitas enim ſpecifica cuiuſlibet actus aut habitus repetenda eſt à ſuo obiecto formali: at obiectum formale charitatis eſt vnum indiuiſum, nempe Deus, ſummum bonum, ſub ea ratione qua eſt amabilis propter ſemetipſum, vt probabitur Dubitatione vltima ad iſtos duos articulos: ergo inducet etiam hoc obiectum vnam ſpecie

B tant im infima virtutem.

Confirmatur: Charitas perſeuerat in cœlis & in hac vita, ex 1. Cor. 13. *Charitas numquam excidit*; ergo erit virtus aliqua diſtincta ſpecie ab alijs omnibus. 1. Cor. 13. ℣. 8.

Obiectio. Matt. 22. ℣. 37. & 39.

Obijcies, charitatem habere Deum & proximum pro ſuo obiecto, ex cap. 22. Matth. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. &, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: ergo cùm duo ſint obiecta charitatis, duplex quoque dabitur charitas: vnitas enim ſpecifica cuiuſlibet virtutis petitur ab obiecto.

Solutio.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam: etenim SS. Patres conſtanter affirmant per vnam & eamdem planè charitatem

C diligi Deum & proximum: ità D. Auguſtinus lib. 8. de Trinitate, cap. 8. & Magiſter lib. 3. Sententiarum diſtinctione 27. Ad id verò quod dicitur, vnitatem cuiuſlibet virtutis ſumendam eſſe à ſuo obiecto. Reſpondeo hoc eſſe intelligendum de obiecto formali, non autem materiali; dicemus autem vnam & eamdem planè eſſe rationem formalem diligendi Deum, & proximum: Deus autem & proximus ſunt obiecta materialia charitatis, & quidem cum hoc diſcrimine quòd Deus ſit præcipuum obiectum materiale, proximus verò ſecundarium, & minus principale.

Obiectio 2.

Obijcies 2. charitatem vendicare ſibi proprietates ceterarum omnium virtutum, ex mente D.

D Pauli 1. Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*: ergo non eſt ſpecialis virtus, ſed communis. 1. Cor. 13. ℣. 4. 5. 6. & 7.

Solutio.

Reſpondeo, huiuſmodi proprietates dici de charitate, non quòd ab ea eliciantur; habent enim ortum à proprijs virtutibus, ſed ſolùm quòd imperentur ab ea, & ordinentur in vitam æternam, velut in præmium ſibi debitum, radix quippe meriti de condigno eſt charitas, ex cap. citat. D. Pau-

E li: *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ibid. ℣. 3.

Obiectio 3.

Obijcies 3. Nullam virtutem moralem verſari circa finem, ſed tantum circa media: ergo charitas non erit vna virtus; reſpicit enim finem noſtrum.

Solutio.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ideò namque virtutes morales verſantur ſolùm circa media, non vero circa finem noſtrum, quia datur in nobis propenſio & inclinatio naturalis ad finem noſtrum naturalem conſequendum: vnde cùm in medijs tota ſit difficultas operandi, neceſſariæ fuerunt virtutes circa media iſta exequenda; nulla autem datur pro-

penſio, & inclinatio naturalis, ſaltem completa & proxima circa finem noſtrum ſupernaturalem, vnde egemus ſpeciali aliquo Dei auxilio, atque adeò fide, ſpe, & charitate vt finem hunc cognoſcere, ſperare, & diligere valeamus.

Obiectio 4. Obijcies 4. Deum à nobis amari nedum propter infinitam bonitatem quam habet, ſed etiam quia redemptor eſt, quia ſanctus & iuſtus: ergo datur multiplex ratio formalis amandi Deum, vnde nec vna virtus charitas.

Solutio. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ſanctitas enim Dei, iuſtitia, redemptio, & alia id genus attributa diuina amantur ſub ea ratione, qua continentur in ſumma & infinita Dei bonitate, & quidem quatenus infinita iſta bonitas eſt ſummè amabilis propter ſemetipſam, & cetera propter illam: vnde datur vna tantùm ratio ſpecifica amandi Deum ex charitate.

Obiectio 5. Obijcies 5. D. Thomam articulo 4. huius quæſt. in corpore affirmare bonum diuinum in quantum eſt obiectum beatitudinis, eſſe obiectum charitatis, vnde etiam videtur affirmare beatitudinem noſtram vt poſſibilem in nobis diuina virtute eſſe obiectum charitatis ex quo manifeſtè colligitur charitatem à ſpe non diſtingui ſpecie, vtpote cuius obiectum formale ſit beatitudo noſtra, vt poſſibilis.

Solutio. Reſpondeo D. Thomam per particulam iſtam, *in quantum*, non intellexiſſe beatitudinem formaliter & reduplicatiuè; ità vt voluerit eam, vt ſic, eſſe obiectum formale charitatis: ſed ſolùm exiſtimaſſe id quod facit nos beatos obiectiuè, efficere quoque vt hæc eadem res diligatur ex charitate: atque ità prædicta particula ſumitur hoc loco ſpecificatiuè, ſeu materialiter; non autem reduplicatiuè & formaliter: hæc reſponſio colligitur ex eodem D. Thoma in quæſt. de charitate, art. 4. quæ extat inter quæſtiones diſputatas eiuſdem.

DVBITATIO SECVNDA.

An concedendum ſit dari in nobis duplicem amorem Dei, naturalem ſcilicet & ſupernaturalem; ità vt illo diligamus Deum, vt eſt author naturæ; hoc verò eumdem amemus, vt eſt author eſt gratiæ.

Duplex in nobis amor, naturalis & ſupernaturalis.

CONCLVSIO *eſt affirmatiua.* Primùm, quia hæc eſt doctrina D. Thomæ, articulo 3. quæſt. 26. huius partis, & art. 5. quæſt. 60. 1. partis, & art. 3. quæſt. 109. 1. 2. & in 2. diſtinctione 3. quæſt. 4. & de veritate quæſt. 2. articul. 2. Soti, de natura & gratia lib. 1. cap. 22. Capreoli, Bonauenturæ, & aliorum in 2. diſtinctione 3. Scoti diſtinctione 27. lib. 3. & interpretum D. Thomæ hoc loco.

Deinde, tot dantur amores de Deo in nobis, quot ſunt modi quibus Deus cognoſcitur, ſub ea ratione qua bonus eſt; poteſt enim voluntas id omne amare quod cognoſcitur ab intellectu veluti bonum: at poſſumus cognoſcere Deum eſſe bonum & naturaliter & ſupernaturaliter, vt eſt cuique notiſſimum: ergo & duplici amore ipſum diligere.

Tertiò, in tractatu de gratia fatentur communiter Theologi poſſe hominem conſtitutum in puris naturalibus, atque adeò ſine gratia, & peccato diligere Deum ſuper omnia, vt Deus eſt author naturæ; & manifeſtè ex eo probatur quòd quælibet potentia naturalis poſſit attingere ſuum obiectum; certum autem eſt Deum cognitum, vt eſt author naturæ, eſſe obiectum & intellectus & voluntatis noſtræ naturale; ergo nihil etiam repugnat quominùs homini iſti creato in puris naturalibus, actu amoris naturalis producto, infundatur cognitio ſupernaturalis de Deo; atque adeò quin producatur etiam ab eodem actus dilectionis ſupernaturalis: ergo duo iſti amores erunt compoſſibiles in nobis in ordine ad Deum Optimum Maximum.

Obiectio 1. Obijcies 1. diſtinctionem aſſignatam inter amorem Dei naturalem, & ſupernaturalem, nec in ſacris litteris, nec in Patribus, nec in Concilijs inſinuari: ergo non eſt admittenda.

Solutio. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam: ideò namque prætermittitur hęc diuiſio & à Patribus, & à Concilijs, & item ſacris litteris, quia non pertinet ad documenta quę ſunt homini neceſſario credenda, vel agenda, vt vitam æternam conſequatur: hanc tamen eſſe neceſſariam contendimus ad explicanda dubia quæ pertractantur in Theologia, atque adeò rectè admitti.

Obiectio 2. Obijcies 2. vnam eſſe tantùm rationem amandi Deum ſuper omnia, tum reſpectu amoris naturalis, cùm ſupernaturalis, nempe infinitam Dei bonitatem amabilem propter ſemetipſam: ergo vno tantùm amore diligi poteſt.

Solutio. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; licèt enim detur vnica ratio amandi Deum ſuper omnia, diuerſis tamen modis in eius amorem tendimus per bonitatem iſtam infinitam: quando enim Deum diligimus amore naturali, in eum tendimus per dilectionem cognitam per media tantùm naturalia: quando verò eumdem amamus amore ſupernaturali, in illum ferimur per media ordinis ſupernaturalis; cognoſcimus enim Deum & bonitatem eius infinitam per fidem diuinam, quæ tota ſupernaturalis eſt: Cùm ergo diuerſitas actuum, habituum, & potentiarum, petatur nedum ab obiecto, ſed & à modo tendendi in illud, duplex erit amor Dei ſuper omnia, naturalis ſcilicet & ſupernaturalis.

Obiectio 3. Obijcies 3. Si daretur aliquis amor Dei ſuper omnia naturalis, quilibet noſtrùm poſſet huiuſmodi actum elicere per auxilia naturalia: at hæc illatio eſt contra Patres & Concilia Mileuitanum, Arauſicanum II. & Trident. ſeſſ. 6. can. 3. Patres enim docent per peccatum primorum parentum perdidiſſe nos liberum arbitrium ad diligendum Deum ſuper omnia: ità D. Auguſt. epiſt. 107. ergo, &c.

Solutio. Reſpondeo, conceſſa illatione maioris. Ad eius probationem dico, neminem poſſe diligere Deum ſuper omnia cognitum per fidem, ac proinde per medium ſupernaturale; ad id enim requiritur auxilium ordinis ſupernaturalis, quod teneat ſe ex parte voluntatis noſtræ.

Confirmatur: quia dilectio qua Deus diligitur vt cognitus per fidem, retinet conformitatem, & proportionem cum vita æterna, vnde debet eſſe eiuſdem ordinis cum illo, vita autem æterna eſt ordinis ſupernaturalis: quo ſenſu contendit D. Auguſtinus & alii nonnulli Patres, fecille nos iacturam liberi arbitrii, reſpectu actus dilectionis Dei ſupernaturalis, per peccatum primorum parentum: cum his tamen recte ſtat vt diligatur

Deus

Deus ſuper omnia dilectione tantùm naturali abſque vllo ſpeciali dono.

Replica. Inſtant, ſi hæc doctrina eſſet vera, ſequeretur hominem ſaltem poſſe ſe diſponere ad gratiam iuſtificantem infallibiliter ſinè vllo ſpeciali Dei auxilio; nam dilectio Dei ſuper omnia eſt vltima diſpoſitio ad quam ſubſequitur gratia omnium conſenſu.

Diſſolvitur. Reſpondeo negando illationem maioris. Ad id autem quod ſubiungitur in eius confirmationem, dilectionem ſcilicet Dei ſuper omnia eſſe diſpoſitionem infallibilem ad gratiam iuſtificantem obtinendam. Reſpondeo hoc eſſe verum, ſi ſermo ſit de dilectione Dei ſuper omnia ſupernaturali; ſecus tamen de ea quæ eſt ordinis naturalis tantùm: etenim diſpoſitio & forma ſunt eiuſdem ordinis; vnde cùm gratia iuſtificans ſupernaturalis ſit, omnes etiam diſpoſitiones ad hanc erunt ordinis ſupernaturalis.

Alia replica. Vrgent, Michaëlem Baïum ideò damnatum fuiſſe à Gregorio XIII. quòd aſſtrueret naturalem Dei amorem ſuper omnia.

Euacuatur. Reſpondeo, abſolutè loquendo hoc eſſe falſum; ſolum enim damnatus fuit hic author, quòd diceret dari in nobis amorem Dei naturalem ſuper omnia, cum contemptu crucis Chriſti, ſeu, quod idem eſt, deſpiciendo merita Chriſti; nos autem agnoſcimus neceſſitatem meritorum Chriſti reſpectu exercitij cuiuſlibet actus ordinis ſupernaturalis.

DVBITATIO VLTIMA.

Quidnam ſit obiectum Charitatis.

Deus bonus eſt obiectum materiale charitatis. CONCLVSIO 1. *Deus bonus eſt obiectum materiale charitatis.* Primùm, quia quælibet virtus Theologica verſatur circa Deum veluti circa materiale obiectum: at charitas eſt virtus Theologica: ergo eius obiectum erit Deus.

Deinde, quælibet virtus perficiens voluntatem in ſuis actionibus exercendis verſatur circa bonum, tamquam circa obiectum materiale; at charitas perficit voluntatem in ſuis actionibus exercendis, imperando ſcilicet vel eliciendo: ergo habet pro obiecto Deum bonum.

Bonitas diuina ſub ratione qua ſummè amabilis, obiectum formale charitatis. CONCLVSIO 2. *Obiectum formale charitatis cenſetur eſſe bonitas diuina ſub ea ratione qua eſt ſummè amabilis propter ſemetipſam, & cetera alia propter eamdem.* Primùm, quia illud eſt obiectum formale charitatis, per quod hæc diſtinguitur à ceteris virtutibus Theologicis, & moralibus: at per bonitatem Dei explicatam ſecernitur charitas ab alijs virtutibus: etenim bonitas diuina etſi cognoſcatur per fidem, non tamen ſub ea ratione, qua eſt ſummè amabilis propter ſemetipſam, ſed qua reuelatur per primam veritatem obſcurè, & ſperatur per ſpem ſub ea ratione, qua eſt ſummum bonum noſtrum poſſibile in nobis diuina virtute: ergo obiectum formale charitatis eſt bonitas diuina, vt appetibilis propter ſemetipſam, & cetera omnia in ordine ad eamdem.

Deinde, charitas qua diligimus Deum, & proximum eſt quædam participatio illius charitatis, qua Deus diligit ſeipſum & nos: at hæc habet pro obiecto formali bonitatem diuinam increatam ſub ea ratione qua eſt infinitè amabilis propter ſemetipſam: ergo idem erit dicendum de charitate noſtra.

1. Cor. 13. ℣. 5. Confirmatur: *Charitas non quærit quæ ſua ſunt,* ex 1. Cor. 13. ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti: atque adeò non dicit amorem concupiſcentiæ, ſed tantùm complacentiæ: ergo cùm verſetur circa Deum ſummè bonum tamquam obiectum materiale, attinget Deum ſub ea ratione qua eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum; atque ità obiectum formale erit bonitas diuina modo dicto.

Obiectio. Obijcies, exinde colligi beatitudinem noſtram non amari à nobis amore charitatis, ſed amore concupiſcentiæ.

Solutio. Reſpondeo, amorem de beatitudine noſtra conceptum ſpectari duobus modis, vel reduplicatiuè, vt eſt amor concupiſcentiæ, vel vt eſt amor circa beatitudinem ordinatus ad Dei gloriam, velut in vltimum ſuum finem: primo modo certum eſt non amare nos beatitudinem noſtram amore charitatis (ſuppono enim quòd ametur quatenus eſt bonum noſtrum tantùm, nec in alium finem referatur) Secundo verò modo, beatitudo noſtra amatur amore charitatis; ordinatur enim in vltimum in finem, ità vt ratio formalis amandi beatitudinem noſtram ſit ſuprema Dei bonitas, vt ſummè amabilis eſt propter ſemetipſam.

Bonitas diuina bifariam ſumitur. Vt autem Concluſio hæc ſit paulò explicatior. Aduerte diuinam bonitatem ſpectari duobus modis: primo, vt eſt vnum ex attributis diuinis ab alijs diſtinctum ratione ratiocinata; quo pacto cenſetur eſſe ratio operandi ad extra in Deo; quod enim mouet Deum ad aliquid extra ſe producendum, eſt bonitas eiuſdem, quæ ex ſe & ſua natura habet vt communicari poſſit. Deinde vt bonitas iſta dicit omnem perfectionem debitam eſſentiæ diuinæ: quemadmodum enim perfectum cenſetur illud quod habet omnem perfectionem ſibi debitam, ità & illud dicitur eſſe bonum, quod non caret vlla re ſibi debita, quare bonum & perfectum apud Peripateticos & Theologos Scholaſticos coïncidunt. Hac ergo ratione dicimus bonitatem diuinam, vt eſt ſummè amabilis propter ſemetipſam, eſſe obiectum formale charitatis, non autem priori; ſicut enim fides habet pro obiecto formali primam veritatem, vt hæc conſurgit ex attributis infinitæ bonitatis, & ſapientiæ, & non vt eſt attributum ſpeciale ab alijs diſtinctum; ità & ſuprema Dei bonitas eſt obiectum formale charitatis, qua in ſe continet omnem omnino perfectionem Deo debitam, & præterea vt eſt ſummè amabilis propter ſemetipſam.

Obiectio 1. Obijciunt illi qui volunt obiectum formale charitatis eſſe beatitudinem noſtram: Amabile debet eſſe obiectum charitatis: at nihil eſt magis amabile reſpectu noſtri, quàm ſit propria beatitudo; ergo hæc eſt obiectum formale charitatis.

Solutio. Reſpondeo, maiorem eſſe veram non de omni amabili, ſed de eo quod eſt ſummè amabile propter ſemetipſum: hoc autem non competit beatitudini noſtræ formali, ſed ſolùm increatæ bonitati diuinæ: etenim charitas dicit amorem beneuolentiæ, non verò concupiſcentiæ ex ſupradictis.

Obiectio 2. Obijciunt 2. actus vel habitus cuiuſlibet obiectum, eſſe idem cum fine eiuſdem, ex D. Thom. at finis charitatis eſt beatitudo, cùm omnes actiones ad eam promerendam ordinentur: ergo illa, &c.

Solutio. Reſpondeo, maiorem veram eſſe de fine chari-

Digitized by Google

tatis intrinseco : & idem sentiendum est de fine cuiuslibet alterius habitus (hic enim in omni planè habitu est idem cum obiecto formali) secus tamen dicendum est de fine extrinseco, qualis est beatitudo comparata cum charitate ; finis siquidem intrinsecus charitatis est Deus, quà summè amabilis propter semetipsum, hic autem idem est cum obiecto formali, vt constat ex dictis.

Quæstiuncula excitatur & resolvitur.

ROGABIS, *An actus dilectionis Dei ex eo scilicet capite quod remuneret operationes nostras, sit actus charitatis & honestus.*

Respondeo, *dilectionem istam esse actum charitatis, & præterea honestum*, quod videtur colligi ex

Psal. 118. ỽ. 112. Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* & ex

Eccles. 18. ỽ. 22. cap. 18. Ecclesiastici. *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum,* & ex

Hebr. 11. ỽ. 8. 9. & 10. 11. Hebr. Vbi commendat Apostolus Patres veteris Testamenti, quòd honestas exercuerint operationes spe remunerationis. *Fide*, inquit, *qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem, & exijt nesciens quò iret,* &c. *Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.*

Deinde, Scripturæ frequenter inculcant nauandam esse operam honestis actionibus, & quidem propter retributionem gloriæ. 1. Corinth. 9.

1. Cor. 9. ỽ. 25. *Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* & paulò ante, *Sic currite vt comprehendatis.* & Matth. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

Ibid. ỽ. 24. Matth. 10. ỽ. 42.

Tertiò, vita æterna dicitur corona iustitiæ

2. Tim. 4. ỽ. 7. & 8. Matth. 25. ỽ. 34. & 35. 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* & Matth. 25. propter hanc causam in die iudicij vita æterna datur beatis, ob honestas operationes in hac vita factas. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurijui enim & dedistis mihi manducare.* Quibus verbis subiungit causam.

Denique, quilibet nostrùm appetit felicitatem æternam veluti finem, ex

Psalm. 41. ỽ. 2. & 3. Psal. 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus.* & paulò post. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum : quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* At media ordinata ad istam beatitudinem cõsequendam, sunt omnes actus eliciti, vel imperati à charitate pro eo tempore quo sumus in hac vita. Ità Patres, D. August. in Psal. 114. *Non faciamus aliquid nisi spe cœlestium præmiorum.* Cyprianus epist. 16. ex dispositione Pamelij. *Pœna illic subiguntur, nec mors metuitur, sed optatur, quæ sunt immortalitatis præmio digna honorentur a nobis, vt vita æternitatem consequamur.* Hieronym. & Hilarius, ad Psal. 118. Chrys. Anselmus, & Theophylactus ad cap. 11. Hebræorum, & Gregorius lib. 8. Moralium, cap. 6. & 7. & videtur colligi ex Tridentino sess. 6. cap. 11. & can. 31.

Obiectio. Obijcies, mercenarios damnari in sacris litteris, Ioann. 10. ergo actus quibus diligimus Deum propter beatitudinis æternæ consecutionem non est charitatis.

Solutio. Respondeo, Mercenarium damnari quotiescumque operatur propter solam mercedem; minimè verò quandocumque suas exercet operationes ob gloriam Dei, præcipuè & principaliter; secundariò autem & minùs principaliter propter mercedem : supponimus autem eum qui diligit Deum propter mercedem constitutam bonis operibus intendere primò & per se Dei gloriam, & secundariò tantum mercedem, ac proinde dilectionem istam esse actum charitatis.

ARTICVLO 6. Docet D. Thomas charitatem esse virtutem præstantissimam, adeò vt sua nobilitate ceteris omnibus antecellat, de qua re nulla esse potest dubitatio; cùm hæc doctrina debeat intelligi de præstantia charitatis in genere moris. Probatur autem ex 1. Cor. 13. *Maior autem horum est charitas.* & Colossens. 3. vbi enumeratis alijs virtutibus subditur, *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* & Matth. 22. dicitur de charitate. *Hoc est maximum & primum mandatum.*

1. Cor. 13. ỽ. 13. Colossens. 3. ỽ. 14. Matth. 22. ỽ. 38.

Accedit, finem præstantiorem esse medijs ordinatis ad huius assecutionem, ex communi doctrina ; & ex eo maximè deducitur quòd bonitas mediorum mutuanda sit à bonitate finis : at charitas est finis præcepti ex 1. Tim. 1. citato, & legis adimpletio, Rom. 13. ergo, &c.

Tertiò, sine charitate nihil potest esse meritorium vitæ æternæ, ex 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

1. Cor. 13. ỽ. 3.

Denique, causa formalis nostræ sanctitatis est sola charitas, ex Concilio Tridentino, sessione 6. cap. 7.

Dixi autem doctrinam istam esse intelligendam in genere moris; quia in genere entis fides præponitur charitati, vt probauimus in tractatu de spe. Nec refert quod aliqui obijciunt, charitatem versari circa omnem perfectionem diuinam & consequenter esse fide perfectiorem in genere entis: cuiuslibet enim virtutis præstantia in tali genere desumitur vel ab obiecto materiali, vel formali, vel certè ab istis duobus, & à modo tenendi in obiectum materiale : certum autem est obiectum fidei attingere omnes omnino perfectiones diuinas, nedum sub ea ratione qua sunt bonæ & amabiles propter semetipsas, sed etiam quia veræ sunt & intelligibiles, dependenter à diuina reuelatione : vnde latiùs patet obiectum fidei obiecto charitatis ; hæc enim attingit perfectiones diuinas, quatenus tantùm amabiles. Cùm autem diximus fidem attingere perfectiones diuinas, vt sunt amabiles, id non est ità intelligendum, quasi velimus fidem exercere actum dilectionis, vnà cum intellectu circa perfectiones diuinas (hoc enim competit soli voluntati) sed intendimus fidem simul cum intellectu conducere ad intellectionem producendam, per quam perfectiones istę diuinæ vt amabiles attinguntur.

In genere entis perfectior fides Charitate.

Occurritur obiectioni.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum sine charitate possit esse vera aliqua virtus.

Quorundã sententię fundamẽta.

QVI putent virtutes morales per se acquisitas separatas à charitate non esse veras virtutes. Probant primùm, quia nulla datur vera virtus, quæ non ordinetur in verum vltimum finem nostrum; at sine charitate nulla virtus ordinatur in verum vltimum finem nostrum,

D.Auguſt. noſtrum, ex D. Auguſtino lib. 4. contra Iulianum cap. 3. *Quod cum facimus*, ſcilicet ordinando actus noſtros in finem fidei, *ideò veras virtutes habemus, quia verum eſt propter quod facimus.*

2. Deinde, ſi virtutes per ſe acquiſitæ eſſent veræ virtutes ſeparatæ à charitate, ſequeretur concedendum eſſe de eo qui exornaretur huiuſmodi virtutibus quòd eſſet ſimpliciter bonus, & præterea quòd eſſet nedum ſufficienter, ſed etiam efficaciter bene diſpoſitus ad operandum cõformiter regulæ rectæ rationis; cùm hoc ipſo quòd quis habeat virtutes morales, ſit ſimpliciter bonus, & inſuper poſſit operationes rectæ rationi conſentaneas exercere: atqui neutrum ex iſtis dici poteſt de homine ſaltem conſtituto extra charitatem; quis enim aſſerat hominem conſtitutum in ſtatu peccati mortalis eſſe ſimpliciter bonum? qualis eſt tamen hic qui eſt extra charitatem. Nec item ſecundum, peccatum quippe mortale impedit ne virtutes morales ſuos producant in nobis effectus.

3. Denique, ſancti Patres docent ſinè charitate nullas extare veras & perfectas virtutes: ità D. D.Auguſt. Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. citato, vbi ait in infidelibus nullam reperiri veram iuſtitiam, nec alias virtutes iſti comites, & lib. 1. Retractationum cap. 3. retractat quod in lib. de ordine docuerat, virtutes ſcilicet extitiſſe in veteribus Philoſophis, & luce virtutis fulſiſſe. Hieronymus ad cap. 3. epiſtolæ ad Coloſſenſes, vbi ait Hieron. ſinè Chriſto omnes virtutes in vitio eſſe, & Magiſter diſtinctione 27. lib. 3. ex Ambroſio, affirmat charitatem eſſe matrem omnium virtutum, Magiſter. idque quòd eas omnes informet, & ſinè qua nulla virtus vera eſt. Ità Gloſſa ad cap. 14. Rom. ad Rom. 14. ℣. 23. hæc verba; *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

Virtutes morales acquiſitæ abſque charitate.

CONCLVSIO. *Sinè charitate virtutes morales per ſe acquiſita cenſentur eſſe veræ virtutes.* Primùm, quia id videtur colligi ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 15. dicitur enim illic per quodlibet peccatum mortale non deſtrui fidem, ſed verò manere in nobis. *Aſſerendum*, inquit, *eſt non modò infidelitate, per quam & ipſa amittitur, ſed etiam quocumque alio peccato mortali, quamuis non amittatur fides, acceptam tamen iuſtificationis gratiam amitti*, & can. 28. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, anathema ſit.*

Deinde, natura cuiuſlibet virtutis per ſe acquiſitæ moralis, petitur ab obiecto materiali & formali, omnium conſenſu; atqui abſente charitate poteſt quicumque operari ex motiuo alicuius virtutis, & in materia eiuſdem: ergo detracta charitate virtus acquiſita eſt vera virtus.

Tertiò, comparantur omnes iſtæ virtutes ex iteratis & frequentatis actibus, retinéntque conformitatem cum regula rectæ rationis, & ſunt coniunctæ cum libertate, & quidem prout vir prudens præſcripſerit: ergo ſunt veræ virtutes.

Quartò, habitus vitioſi manent in homine iuſtificato omnium conſenſu: ergo & habitus honeſti perſeuerabunt etiam in homine, vnà cum peccato mortali; non enim opponuntur iſti inter ſe, ſed tantùm in ordine ad actus eorumdem.

Denique, perfectio quæ aduenit virtutibus per ſe acquiſitis per charitatem, non debetur iſtis intrinſecè, neque item connaturaliter; certum quippe eſt omne quod debetur his virtutibus per ſe eſſe ordinis naturalis; perfectio autem quam confert charitas virtutibus moralibus eſt ordinis ſupernaturalis, cùm faciat vt actus virtutum moralium conducant ad vitam æternam obtinendam; ac proinde perfectio iſta tota eſt extrinſeca in virtutibus per ſe acquiſitis. Ità Sotus in 3. diſtinctione 36. quæſt. vnica, art. 3. Durandus ibidem, quæſt. 1. Lorca, & alii interpretes D. Thomæ hoc loco; qui tamen variant in explicanda Concluſione iſta. Alij enim volũt eſſe veras virtutes; alij verò non eſſe perfectas virtutes, ſed perfectionem iſtam repetendam eſſe à charitate: alij denique contendunt eſſe veras & perfectas virtutes ſinè charitate, ceterùm phyſicè, non Theologicè loquendo.

Obiectio. Obijcies D. Thomam in corpore articuli affirmare virtutes ſeparatas à charitate non eſſe perfectas virtutes: ergo neque ſunt veræ ſinè charitate.

Solutio. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ad hoc enim vt aliqua virtus dicatur vera, ſatis eſt quòd habeat omnem perfectionem ſibi connaturaliter debitam, vt aduertit Lorca loco citato, & alij nonnulli: virtutes autem per ſe acquiſitæ, etiam quando ſunt à charitate ſeparatæ, habent omnem perfectionem connaturalem ſibi debitam, vt fatentur etiam authores contrariæ ſententiæ, & ſubindicat D. Thomas in corpore huius articuli: ad hoc verò vt aliqua virtus etiam per ſe acquiſita dicatur perfecta, eo modo quo loquuntur Theologi de virtutibus perfectis, deſideratur vt habeat omnem omnino perfectionem ſibi connaturalem, & quòd ordinetur in vitam æternam velut in vltimum finem, vt tradit D. Thomas in corpore huius articuli: hæc autem perfectio licèt debeatur virtutibus per ſe acquiſitis extrinſecè: in illis tamen non datur vbi ſunt à charitate ſeparatæ, atque adeò tunc temporis non ſunt virtutes perfectæ.

Fundamentorum oppoſitorum euerſio. Ad rationes contrarias reſpondeo. Ad 1. falſum eſſe cuilibet virtuti competere per ſe & ſua natura vt ordinetur in beatitudinem noſtram, velut in finem ſuum vltimum: hoc enim competit ſolis virtutibus per ſe infuſis, quales ſunt fides, ſpes, charitas, religio & penitentia: virtutibus verò per ſe acquiſitis conuenit tantùm ex ſe & ſua natura vt ſint media quædam ordinata in finem noſtrum naturalem, qui nullus alius eſt quàm conformiter rectæ rationi operari; locus autem D. Auguſtini citatus in argumento, intelligendus eſt de ſolis virtutibus per ſe infuſis, & item de actibus qui de facto conducunt ad felicitatem æternam conſequendam.

2. Ad 2. falſum eſſe eum qui ex hypotheſi peccauit mortaliter, & anteà comparauit ſibi virtutes omnes acquiſitas, vnà cum gratia & charitate, poſſe nuncupari ſimpliciter bonum; etſi retineat habitus virtutum omnium per ſe acquiſitarum; nec enim conſtitutus in ſtatu peccati mortalis bonus ſimpliciter dici poteſt, cùm ſit auerſus à Deo tamquam ab vltimo fine, & conuerſus ad creaturas. Deinde, ſimpliciter concedendum eſt eum qui bonus eſt Deo eſſe gratum & acceptum; at conſtitutus in peccato mortali tantùm abeſt vt ſit gratus, quin potiùs eſt illi quàm maximè ingratus & inuiſus. ex illo Sapientiæ 14. *Similiter odio ſunt Deo impius & impietas eius.* Falſum eſt etiam eum qui habet virtutes per ſe acquiſitas cum peccato mortali, eſſe ſufficienter & efficaciter diſpoſitum

Sap. 14. ℣. 9.

Digitized by Google

ad bene viuendum, & vt poſtulat finis naturalis hominis: fatentur enim doctores conſtitutum in ſtatu peccati mortalis egere ſpeciali Dei auxilio vt conformiter regulæ rectæ rationis operetur, præſertim accedente violenta perturbatione. Deinde, ratio naturalis demonſtrat partem corporis læſam & infirmam non ità facilè exercere ſuas operationes, vt facit ſana & illæſa: peccatum ergo mortale in huiuſmodi creatura impedit ne habitus virtutum per ſe acquiſitarum ſuos producant effectus remanente tali peccato.

Vlt. Ad vltimam reſpondeo ſanctos Patres nuncupare bona tantùm ea quæ conducunt ad beatitudinem. cetera verò quæ ad iſtam nihil conferunt appellant interdum mala; aliàs vana & inutilia: neque hoc mirum alicui videri debet; 1. namque Corinth. 13. de fide, martyrio, & eleemoſyna ſeparatis à charitate dicitur, nihil plànè prodeſſe, eſſèque proinde inutilia; quæ tria tamen prædicta, ſunt res aliquæ per ſe honeſtæ & laudabiles, quia tamen non iuuant ad perpetuò Deo fruendum quando ſeparantur à charitate, ideò dicuntur inutilia: quod ipſum dixerunt Patres de actibus & habitibus virtutum per ſe acquiſitarum: quando verò docent nihil ſinè Chriſto habere rationem virtutis, ſed vitij aut mali, comparatiuè loquuntur; volunt enim iſta non eſſe æqualiter bona cum illis quæ coniunguntur cum meritis Chriſti, ſed ſolùm imperfecta quadam ratione; in quo ſenſu dicitur apud Ezech. Deum dediſſe populo præcepta non bona, id eſt, non ità perfecta, quemadmodum ſunt illa quæ tendunt in Deum ſuper omnia diligendum.

Ad D. Auguſtinum, ideò retractaſſe ſuam ſententiam, quia in nullo plànè dantur omnes virtutes morales per ſe acquiſitæ, ſinè charitate: lux item veræ virtutis ſinè charitate conſurgere nullo modo poteſt ex communi doctrina hoc loco: quid igitur mirum ſi retractauerit Auguſtinus in Philoſophis extitiſſe omnes veras virtutes, eóſque fulſiſſe luce veræ virtutis?

DVBITATIO SECVNDA.

An fides & cetera virtutes per ſe infuſæ ſint veræ virtutes vbi ſeparantur à Charitate.

Virtutes infuſæ verè tales abſque charitate. Trident.

CONCLVSIO 1. *Virtutes per ſe infuſæ ſeparatæ a charitate ſunt veræ & propriæ virtutes* Primùm, quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 28. ferit anathemate eos omnes qui aiunt fidem ſeparatam à charitate non eſſe veram fidem.

Deinde, nulla poteſt aſſignari ratio propter quam virtutes per ſe acquiſitæ ſint veræ virtutes, quando ſunt abſque charitate, ſecus verò virtutes per ſe infuſæ.

Tertio, huiuſmodi virtutes etſi ſeparentur à charitate, verſantur tamen circa bonum honeſtum, & habent idem obiectum materiale & formale, non minùs quàm dum coniunguntur cum charitate.

Denique, perfectionem quam accipiunt à charitate conſtat non conuenire iſtis intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè, vnde talis perfectio non pertinebit ad naturam ſpecificam virtutum per ſe infuſarum.

Deficiunt a ratione virtutis ſinè charitate. CONCLVSIO 2. *Virtutes per ſe infuſæ ſeparatæ a charitate non ſunt perfectæ virtutes eo modo quo loquuntur Theologi de virtutibus perfectis.* Hæc videtur eſſe mens D. Thomæ hoc loco, & interpretum eiuſdem ibidem.

Deinde, nomine virtutis perfectæ intelligunt qualitatem illam quæ de facto conducit ad regni in æternum duraturi conſecutionem: at virtutes per ſe infuſæ ſeparatæ à charitate, non iuuant ad aſſecutionem huiuſmodi regni: ergo non ſunt illa ratione veræ virtutes.

Dices, minorem eſſe falſam: dicitur enim Rom. 3. hominem iuſtificari per fidem ſinè operibus legis: & Habacuc 2. *Iuſtus in fide ſua viuet.* ergo fides ſeparata à charitate conducit ad vitam æternam. Rom. 3. Hab. 2. ℣. 4. *Obiectio.*

Solutio. Reſpondeo, ex his locis ſolùm colligi fidem conferre ad beatitudinem quando non eſt cum charitate initiatiue tantùm & radicaliter, vt explicat Tridentinum ſeſſ. cap. 8. minimè verò formaliter, vnde nequit dici de fide illa quòd ſit perfecta virtus, iuxta modum loquendi Theologorum de virtutibus perfectis, vtpote quæ debeant deſeruire felicitatis conſequutioni formaliter, & quidem intrinſecè, vel extrinſecè: illo modò conducit charitas; iſto verò omnes aliæ virtutes quæ charitate informantur.

Debilitantur admodùm virtutes infuſæ ex abſentia charitatis. Moneo tamen virtutes per ſe infuſas magis debilitari ex abſentia charitatis, quàm virtutes per ſe acquiſitas: cùm enim hæ ſint ordinis ſupernaturalis, magis quoque exigunt ſocietatem charitatis, quàm acquiſitæ. Deinde propter hanc cauſam virtutes per ſe infuſæ dicuntur mortuæ vbi ſunt à charitate ſeparatę Iacob. 2. *Fides ſinè operibus mortua eſt.* Iac. 2. ℣. 20.

Charitatis definitio & explicatio. Fauet denique diuiſio Theologorum: virtutes, inquiunt, aliæ ſunt formatæ, aliæ verò informes; inter iſtas maxime computantur virtutes ordinis ſupernaturalis, quando ſunt à charitate ſeiunctæ; inter illas verò hæ omnes quæ ſociam habent charitatem in eodem ſubiecto.

Ex dictis in hac tota quæſtione D. Thomæ, colligo definitionem charitatis quæ ſic habet: *Charitas eſt virtus Theologica a ſolo Deo mentibus humanis infuſa, per quam diligimus Deum ſummum bonum noſtrum, ſub ea ratione qua Deus eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum, & cetera in ordine ad illum.* Dixi, *Virtus*, vt indicarem quod ſit genus proximum charitatis. *Theologica*, vt ſecernatur charitas & à virtutibus per ſe acquiſitis, & per ſe infuſis, quæ non verſantur circa Deum proximè & immediatè, atque adeò neque ſunt virtutes Theologicæ. *A ſolo Deo mentibus humanis infuſa*, vt oſtendatur cauſa præcipua & principalis productiua charitatis; hæc enim eſt ſolus Deus, vt probabitur Articulo 2. quæſtionis ſequentis; atque etiam vt innoteſcat, quæ ſit materia ſeu ſubiectum in quo charitas proximè recipitur, quod eſt voluntas creata rationalis. *Per quam diligimus Deum, &c.* vt indicetur differentia per quam charitas conſtituitur in eſſe charitatis, & diſtinguitur ab alijs omnibus virtutibus; quia tamen hæc differentia nobis eſt incognita, eam idcircò explicuimus per obiectum formale eiuſdem, à quo petitur natura & eſſentia ſpecifica charitatis, vel certè ex modo tendendi in illud, ex communi doctrina.

ARTI-

ARTICVLVS VLTIMVS.

Virtus Charitas ſit forma virtutum.

DOCET D. Thomas charitatem eſſe formam omnium planè virtutum: idem tradit Magiſter diſtinct. 27. lib. 3. & eius interpretes communiter. Fauent SS. Patres; ob id enim aliqui vocant charitatem omnium virtutum matrem. Ità D. Gregorius in ſuo Paſtorali, & D. Auguſtinus docet in opuſculis, ſinè charitate non eſſe veras virtutes, & lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 37. Charitatem dicit eſſe animam & vitam fidei: quem loquendi modum vſurpauit D. Bernardus ſermone 2. de reſurrectione.

Deinde, quod ordinat actus omnium virtutum in Deum, vt eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum, quódque confert tantam efficacitatem earum actibus, vt de facto conducant ad vitam æternam aſſequendam, cenſetur eſſe forma iſtorum actuum; imò & habituum qui huiuſmodi actus producunt, cùm tribuat illis eſſe meritorium & ſupernaturale, ſaltem ſi ſermo ſit de ſolis actibus virtutum per ſe acquiſitarum: at charitas ordinat actus ceterarum virtutum in Deum, vt eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum, & facit iſtos actus eſſe meritorios vitæ æternæ, vt colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 32. vbi dicitur omnibus actibus ex gratia factis deberi gloriam, tanquam mercedem: ergo.

Charitas forma virtutum extrinſeca.

Hoc tamen documentum D. Thomæ intelligendum eſt de forma extrinſeca ceterarum virtutum, non verò de intrinſeca, atque adeò in genere moris non in genere entis; ſic enim forma cuiuslibet virtutis diuerſę à charitate petitur ab eius obiecto formali, vel à modo tendendi in illud; in genere verò moris forma iſtarum virtutum repetenda eſt à charitate, quod hęc ſcilicet ordinet actus ceterarum virtutum in ſuum finem, eiſque tantam conferat dignitatem, vt habeant rationem meritorum præmij vitæ æternæ, vnde reſpectu iſtorum dicitur forma extrinſeca.

Obiectio.

Dices, charitatem ſe habere ad ceteras virtutes & ad actus earum, illo eodem modo, quo prudentia ad eaſdem, vt hic docet D. Thomas; at prudentia eſt forma ceterarum virtutum, cùm earum actus in ſuos fines dirigat: ergo & charitas.

Solutio.

Reſpondeo, maiorem eſſe ſimpliciter falſam: charitas enim nedum ordinat & dirigit actus ceterarum virtutum in ſuos fines, ſed præterea confert iſtis rationem meriti de condigno reſpectu retributionis beatitudinis: vnde facit aliquid charitas erga actus ceterarum virtutum, quod non facit prudentia.

Eſt autem obſeruandum in opinione eorum qui volunt gratiam & charitatem diſtingui inter ſe realiter, charitatem ſolam non conferre rationem meriti de condigno actibus ceterarum virtutum, ſed pendere hoc etiam à gratia quæ de lege communi nequit eſſe in nobis ſine charitate.

Sunt autem qui quærant, *Qua ratione Deus ſit diligendus ex charitate.*

Deus totaliter diligendus.

Reſpondeo, *Deum eſſe totaliter diligendum à nobis, tum ex parte ipſius, tum ex parte noſtri.* Primùm, quia fatentur omnes modum præcepti charitatis non eſſe in præcepto, ſed tantùm ſubſtantiam præcepti; adeò vt velint obligari vnumquemque ad Deum ſuper omnia diligendum ex Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.*

Deinde, D. Bernardus lib. de diligendo Deo docet Deum eſſe amādum à nobis ſupra modum. Matt. 22. ℣. 37.

Tertiò, Deus eſt ſummè amabilis propter ſemetipſum.

Quartò, quando finis diligitur ſub ratione finis ſummè amabilis, atque adeò caret modo ſeu regula qua ametur, vtpote quod hic ſit ſibi ipſi regula, is amandus eſt totaliter: atqui Deus vt eſt ſumme bonus & amabilis propter ſemetipſum habet rationem finis qui amari à nobis debet, ſub tali ratione: ergo totaliter Deus eſt amandus.

Actus Dei dilectionis non debet eſſe infinitus.

Moneo tamen non deſiderari ad ſatisfacien-dum huic præcepto, actum categorematice infinitum, cùm talis nobis ſit impoſſibilis: ſufficit ergo actus amoris ſyncategorematicè infinitus; imò non deſunt qui contendant ſatis eſſe ſi actus amoris fuerit appretiatiuè ceteris omnibus maior: de quo infra redibit ſermo.

QVÆSTIO XXIV.

De ſubiecto Charitatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virtus ſubiectum Charitatis ſit voluntas.

Subiectum charitatis voluntas.

DOCET D. Thomas *Charitatem ſubiectari proximè & immediatè in voluntate rationali*: qua de re nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm præſidium operandi debeat eſſe neceſſariò in eodem ſubiecto in quo eſt difficultas agendi: at difficultas amandi Deum & proximum, vt oportet, ſita eſt in voluntate rationali, hæc enim ſola capax eſt dilectionis obiecti cogniti per intellectum: ergo in illa ſedem habebit charitas.

Deinde, dilectio Dei & proximi cenſetur eſſe actus immanens & elicitus à voluntate noſtra; actus autem immanens recipitur in eodem ſubiecto à quo proximè exit: ergo, &c.

Tertiò, docuimus articulo 7. quæſt. antecedentis charitatem eſſe virtutem Theologicam infuſam à Deo mentibus noſtris, per quam diligimus Deum vt eſt ſumme amabilis propter ſemetipſum, at nomine mentis, nihil aliud ſignificatur quàm voluntas creata.

Denique, virtutes morales per ſe acquiſitæ, vnicâ exceptâ prudentiâ, ſedem habent in voluntate; ergo idem erit dicendum de virtutibus per ſe infuſis, excepta fide diuina, quòd nempe hæc ordinetur ad intellectum perficiendum; ceteræ verò quia iuuant voluntatē in ea proximè recipientur.

Obiectio.

Obijcies, poſita dilectione Dei & proximi ex motiuo charitatis in voluntate rationali, dari quoque in nobis gaudium & delectationem aliquam in appetitu ſenſibili: ergo duplex quoque charitas erit admittenda, quarum altera in voluntate

rationali, altera in appetitu sensibili sedem habeat. A

Solutio. Respondeo, quidquid sit de antecedente, negando consequentiam: gaudium enim & delectatio locum habere possunt in appetitu sensibili, etsi nulla detur in eo charitas, propter subordinationem quæ est inter partem superiorem, & inferiorem hominis: est enim certissimum partem inferiorem subijci superiori, adeò vt voluntas rationalis sit domina omnium prorsus operationum nostrarum liberarum.

Deinde, admonet D. Thomas in corpore huius articuli, & in responsione ad 1. obiectum charitatis esse bonum cognitum per intellectum, obiectum verò appetitus sensibilis esse bonum cognitum per sensum: vnde delectatio illa quæ reperitur in appetitu sensibili, esto consurgat ex dilectione existente in voluntate rationali, non tamen propterea poterit esse charitas aliqua vel eius effectus; cùm natura charitatis postulet tendere in bonum diuinum cognitum per lumen fidei, quod de obiecto appetitus sensibilis nullo modo dici potest.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Charitas causetur in nobis ex infusione. C

DVBITATIO PRIMA.

Quæ sit causa præcipua & principalis productiua Charitatis.

Rationes contrariæ.

1. RATIO dubitandi est, quia Tridentinum sess. 6. cap. 7. verbis expressis habet, Sacramentum baptismi esse causam efficientem nostræ iustificationis. Et in tractatu de Incarnatione docent Thomistæ, humanitatem Christi esse causam omnium planè donorum ordinis supernaturalis quæ conferuntur nobis; at iustificamur formaliter per gratiam & charitatem ex loco citato Tridentini: ergo baptismus & humanitas Christi sunt causa charitatis & gratiæ. D

2. Deinde, D. Augustinus, referente D. Thoma in hoc articulo, ait timorem producere in nobis charitatem & fidem; fidem producere spem; spem verò charitatem, ex Glossa ad cap. 1. Matth.

3. Denique, Tridentinum sess. 6. cap. 4. definit hominem non habere se merè passiuè ad suam iustificationem, atque adeò quodammodo concurrere ad eamdem; at iustificatio non fit sinè gratia & charitate: ergo ad productionem istorum duorum concurret voluntas nostra. E

Solus Deus causa præcipua charitatis.

1. Ioan. 3. ℣. 1.

Ephes. 6. ℣. 23.

Rom. 5. ℣. 5.

Trident. Mileuit. Arausican. D. Augustin.

CONCLVSIO 1. *Solus Deus est causa præcipua & principalis productiua charitatis.* Primùm, quia dicitur 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* ad Ephes. 6. *Charitas cum fide, à Deo Patre, & Domino Iesu Christo.* & Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

Deinde, hoc idem probatur ex Tridentino sess. 6. cap. 7. & ex Mileuitano can. 4. & Arausicano II. can. 25. & D. Augustino tractatu 17. in Ioan. & lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 18. & 19. & ex interpretibus capitis 3. 1. Canonicæ Ioannis.

Tertiò, quod educitur ex potentia obedientiali animæ rationalis à solo Deo producitur vt à causa principali; at gratia & charitas educuntur ex potentia obedientiali animæ: ergo Deus est causa productiua illarum.

Denique, effectus per se & sua natura supernaturalis pendet à solo Deo, vt à causa principali; etenim illud est supernaturale ad quod nulla substantia creata relicta intrà terminos propriæ naturæ pertingere potest; atqui gratia & charitas sunt entitates aliquæ productæ ordinis supernaturalis, & quidem ex se & sua natura: ergo à solo quoque Deo vt causa principali producuntur.

Humanitas Christi & Sacramenta causæ instrumentales gratiæ.

CONCLVSIO 2. *Gratia & charitas ab humanitate Christi & Sacramentis producuntur, vt a causa instrumentali, & quidem physicè.* Probatur primùm de humanitate Christi; Charitas & gratia eodem modo producuntur ab humanitate Christi, quo opera miraculosa ab eadem fuerunt patrata: at opera miraculosa habuerunt ortum ab humanitate Christi in hac vita constituta, veluti à causa instrumentali physica, vt videtur colligi ex cap. 6. Lucæ: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* & cap. 8. *Ego noui virtutem de me exisse.* Huiusmodi namque modi loquendi aliquid aliud indicant longè diuersum à causalitate morali: nempe influxum & efficientiam veram: ergo humanitas Christi attingit productionem gratiæ & Charitatis physicè instrumentaliter tamen.

Luc. 6. ℣. 19. Id. 8. ℣. 46.

Obiectio. Dices, Tridentinum sess. 6. cap. 7. affirmare humanitatem Christi esse causam meritoriam nostræ iustificationis, atque adeò gratiæ & charitatis nostræ.

Solutio. Respondeo, inde nihil planè colligi posse contra Conclusionē; certum enim est vnum & idem posse habere rationem diuersarum causarum, vt patet ex calore qui ignem producit: hic enim censetur esse causa instrumentalis ignis, & causa per se calefactionis per quam efficitur ignis; ità de humanitate Christi rectè dicere possumus quòd sit causa principalis meritoria gratiæ & charitatis (& hæc est mens Tridentini eo in loco) & præterea quòd sit causa instrumentalis physica earumdem; Deus enim vtitur humanitate Christi veluti instrumento sibi coniuncto in producenda gratia & charitate, quæ infunditur mentibus nostris quandocumque iustificamur à peccato mortali commisso: mouet etiam Sacramenta ad earumdem productionem, quo fit vt hæc sint etiam causæ instrumentales physicæ; sed de istis multa ad 3. partem.

Dissolutio rationum.

Ad rationes contrarias respondeo. Ad 1. probare tantùm Conclusionem nostram secundam. 1.

Ad 2. Ex his locis solùm deduci posse, timorem, fidem, & spem producere charitatem, non quidem causaliter & effectiuè, sed tantùm dispositiuè, eo scilicet nomine quòd de lege communi, & regulariter loquendo nunquam habeatur charitas, nisi præcesserit timor, fides, & spes via generationis: quod dico, quoniam in iustificatione adulti progressus hic communiter deprehenditur, vt constat ex Tridentino sess. 6. cap. 6. 2.

Ad 3. Petere explicationem illius difficultatis in in qua quæritur; *Vtrùm potentia naturales concurrant effectiue ad productionem habituum ordinis supernaturalis.* De qua re sit 3.

Charitas habitualis non producitur a voluntate.

CONCLVSIO. *Nulla potentia naturalis concurrit ad productionem habituum ordinis supernaturalis in ratione causæ efficientis physicæ, atque adeo nulla*

ratione

vatione charitas producitur à voluntate noſtra, neque A
fides diuina ab intellectu. Primùm, quia Scripturæ
docent gratiam & charitatem dari dependenter à
Epheſ. 4. Deo, Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrùm data eſt gratia*
ỽ. 7. *ſecundum menſuram donationis Chriſti.* & Ioan. 3.
Ioan. 3. de donis quæ conferuntur mortalibus; *Spiritus vbi*
ỽ. 8. *vult ſpirat.* & 1. Cor. 12. enumeratis ſingulis do-
1. Cor. 12. nis Spiritus ſancti ſubiungitur: *Hæc autem omnia*
ỽ. 11. *operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis*
prout vult.

Deinde, ſacra Concilia definiunt omnia huiuſmodi dona non eſſe poſita in noſtra poteſtate, ſed à Deo Optimo Maximo pendere. Ità Mileuitanum, Araufıcanum II. & Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. B

Denique illud eſt ſupernaturale ad quod nulla ſubſtantia creata relicta intrà terminos propriæ naturæ attingere poteſt; at charitas eſt res aliqua ſupernaturalis per ſe, & ſua natura: ergo non poteſt produci à voluntate noſtra, quæ eſt ordinis naturalis.

3. Fit ſatis. Ad id ergo quod obijcitur ex Concilio Trident. hominem non ſe habere merè paſſiuè in ſua iuſtificatione. Reſpondeo in hominis iuſtificatione duo reperiri: alterum eſt productio charitatis & gratiæ; alterum acceptatio talis gratiæ: primù eſt à ſolo Deo, hic enim eſt qui gratiam & charitatem efficit eámque hominum mentibus infundit; gratia autem & charitas ſunt cauſæ formales noſtræ C iuſtitiæ & ſanctitatis ex cap. 7. ſeſſ. 6. Concilij Tridentini. Secundum verò nedum eſt à Deo, ſed etiam à cooperatione libera voluntatis noſtræ, adeò vt gratia & charitas nunquam infundantur homini adulto, niſi interueniente aſſenſu libero voluntatis eiuſdem, & hoc eſt quod docet Tridentinum citato loco.

Obiectio. Obijcies, Magiſtrum diſt. 3. lib. 2. affirmare Angelis datam eſſe charitatem & gratiâ inæqualem, iuxta inæqualitatem perfectionum naturalium, quæ erant in illis: ergo potentijs naturalibus poteſt attingi productio gratiæ & charitatis.

Solutio. Reſpondeo ex eo nihil poſſe colligi; quærimus enim hoc loco, num potentiæ naturales concur- D rant effectiuè ad productionem habituum ordinis ſupernaturalis, de qua re nihil habet hoc loco Magiſter. Deinde, licèt D. Tho. 1. parte, quæſt. 62. doctrinam iſtam Magiſtri admittat, non tamen propterea aſſerit virtutes iſtas ordinis ſupernaturalis iproduci effectiuè à potentijs naturalibus. Tertio, ratio propter quam Deus contulit inæqualem gratiam & charitatem, non petitur ab inæqualitate perfectionum naturalium quæ fuit in Angelis, ſed multò magis ab eiuſdem ſola voluntate, ità vt ratio collationis iſtius inæqualis gratiæ, ſit ſolum Dei beneplacitum. Quarto, ſi aliter res haberet non fuiſſet data maior gratia humanæ Chriſti naturæ, quàm Angelis; de ea quippe dicitur E
Pſalm. 8. Pſal. 8. & Hebr. 1. quòd ſit minor Angelica; *Minuiſti*,
ỽ. 6. inquit, *eum paulominus ab Angelis.* & tamen indubitatum eſt gratiam Chriſti eſſe infinitis partibus perfectiorem gratia Angelorum, & quarumcumque creaturarum, vt colligitur ex cap. 1.
Ioan. 1. Ioan. *De plenitudine eius*, ſcilicet Chriſti, *nos omnes*
ỽ. 16. *accepimus, & gratiam pro gratia.* Deinde, fatentur omnes Chriſtum vt eſt homo, eſſe caput hominum & Angelorum.

DVBITATIO SECVNDA.

An per actus charitatis, quos exercemus dum in charitate agimus, producatur aliquis habitus.

RATIO dubitandi eſt. Primò, quia deſtructa charitate per peccatum mortale remanet facilitas aliqua ad actus charitatis exercendos: ergo per huiuſmodi generabitur aliquis habitus. *Oppoſita argumenta.* 1.

Deinde, odium Dei & infidelitas ſunt habitus acquiſiti, omnium conſenſu: ergo admittendi ſunt in nobis aliqui habitus oppoſiti per quos illi deſtruantur; quidquid enim deſtruitur, à ſuo contrario perimitur. 2.

CONCLVSIO 1. *Per actus charitatis à nobis elicitos nulla virtus, aut habitus producitur, ſed illa intenditur à Deo effectiuè, ab actibus verò meritorie, ſeu moraliter.* Prima pars probatur: Si produceretur aliquis habitus aut virtus per actus charitatis virtus hæc aut habitus eſſet eiuſdem ſpeciei cum illa, vel diuerſæ: at neutrum dici poteſt: Non quidem primum, quia aliàs charitas non eſſet virtus per ſe infuſa, ſed tantummodò per accidens, acquireretur enim dependenter ab actibus noſtris. *Actibus charitatis meritoriè tantùm intenditur charitas.*

Deinde, ſi res aliter haberet non poſſet charitas deſtrui per quodlibet peccatum mortale; certum enim eſt habitus, qui comparantur à nobis per iteratos, & frequentatos actus non deſtrui vnico, ſed varijs & diſtinctis actibus oppoſitis; at de fide eſt per quodlibet peccatum mortale deſtrui in nobis gratiam & charitatem: ergo, &c.

Tertiò, licèt difficile ſit aſſignare cauſam propter quam nullus habitus, aut virtus producatur ab actibus charitatis noſtris; hæc tamen videtur eſſe ſatis accommodata, quæ traditur à pleriſque recentioribus, habitum ſcilicet charitatis eſſe ſupernaturalem ex ſe & ſua natura, & educi ex potentia obedientiali animæ, atque adeò poſtulare, vt ſic, à ſolo Deo effici vt à cauſa principali: ergo per actus charitatis productos à nobis non generatur habitus eiuſdem rationis cum charitate.

Quod autem per eoſdem actus non producatur habitus diſtinctus à charitate, ex eo manifeſtè probatur, quòd doceat Ariſtoteles in Ethicis omnem habitum productum ab actibus, eſſe eiuſdem rationis & ſpecici cum actibus à quibus producitur: ergo actus charitatis, non poteſt generare habitum diuerſum. Deinde, actus & habitus, conſequuntur ſuam naturam ab obiecto circa quod verſantur, vel à modo tendendi in illud: ergo cùm actus charitatis tales ſupponantur eſſe à nobis, ſi produceerent iſti aliquem habitum, is eſſet charitas, & non alius diuerſus.

Secunda pars Concluſionis probatur, ex eo quòd docuerimus charitatem produci à ſolo Deo tamquam à cauſa efficiente principali, in ratione cauſæ efficientis phyſicæ: ergo cùm certiſſimum ſit charitatem intendi in nobis per actus eiuſdem, vt probabitur inferiùs, augmentum hoc erit ab actibus noſtris meritoriè ſeu moraliter. *Per actus naturales charitatis non producitur habitus charitatis.*

CONCLVSIO 2. *Per actus imperfectos & inefficaces quos exercemus circa obiectum charitatis dependenter ab aliquo auxilio naturali nullus producitur habitus, aut virtus, ſed ad ſummum aliqua diſpoſitio.*

Digitized by Google

Prima pars probatur: actus isti sunt ineffi caces & imperfecti, vt supponimus: ergo non sufficiunt ad productionem alicuius habitus, cùm enim habitus sit efficax determinatio potentiæ, postulat etiam ad sui productionem actus efficaces & perfectos. A

Deinde, qui habet ex hypotheti charitatem, vix exercet vllum actum circa obiectum charitatis, qui non pendeat ab habitu eiusdem; qui verò charitate caret, nullum elicit actum circa eius obiectum, nisi cum dependentia ab actuali auxilio ordinis supernaturalis: ergo ab huiusmodi actibus imperfectis & ineffi cacibus nullus producetur habitus, quandoquidem eius natura & essentia postulet vt producatur ex iteratis & frequentatis actibus, & adhuc non quibuslibet sed efficacibus & perfectis. B

Diluuntur rationes oppositæ.

Confirmatur: assuefactio est necessaria ad productionem habitus acquisiti per se; at hanc non efficiunt actus imperfecti: ergo neq; vllũ habitum.

Ad rationes dubitandi respondeo. Ad 1. facilitatem exercendi actus charitatis supernaturalis non remanere posito peccato mortali post adeptam charitatem. Deinde, licèt hęc admitteretur, nõ inde tamen liceret colligere aliquem habitum charitatis esse productum per huiusmodi actus: nam facilitas & promptitudo ad credendum, verbi gratia, documenta fidei reperitur in dæmonibus & damnatis, qui habuerunt fidem dum erant in hac vita, in quibus tamen nullus admittitur habitus per actus fidei diuinæ productus. C

Ad vltimam, concesso antecedente, negando consequentiam, isti namque habitus infidelitatis, & odij Dei licèt sint acquisiti, non tamen postulant habitus acquisitos sibi contrarios ad hoc vt destruãtur; sufficit enim ad hoc habitus per se infusus; sicut namque error alicuius conclusionis destruitur per fidem: ità etiam habitus odij Dei etsi acquisitus, expelletur per habitũ charitatis. Deinde in hominis iustificatione, ex dictis, duo sunt aduertenda, productio nempe gratiæ, & charitatis, & eiusdem acceptatio: ad primum nulla ratione concurrit creatura rationalis quæ iustificatur à peccato mortali, saltem in ratione causæ efficientis physicæ, ad secundum verò cooperatur creatura rationalis, vt dictum est: in ordine ergo ad istam acceptationem gratiæ, & charitatis, quandocumque quis iustificatur à peccato mortali, dixit Tridentinum hominem non se habere merè passiuè ad suam iustificationem. D

DVBITATIO TERTIA.

An Charitas de potentia Dei absoluta possit esse alicui creaturæ connaturalis.

Charitas nequit esse alicui creaturæ connaturalis.

CONCLVSIO *Est negatiua.* Primùm, quia ità sentit D. Thomas de lumine gloriæ quęst. 12. art. 5. ad 3. Ferrariensis lib. 3. contra gentes, cap. 54. & idem D. Thomas expresse docet in quæstionibus disputatis, quæstione speciali de charitate. Scotus in 2. distinct. 23. quæst. vnica §. ad 1. Lorca disputat. 13. de charitate, & alij qui tamen non conueniunt inter se, in assignanda ratione huius doctrinæ: quidam enim ideò contendunt nullam substantiam creatam posse habere charitatem sibi connaturalem, quia putant implicare dari substantiam creatam ex se & sua natura supernaturalem. E

Varię probationes. Prima inefficax.

Cęterùm ratio hæc non satis videtur explicata; volunt namque Nominales cùm de facto dentur accidentia quæ sunt ex se & sua natura supernaturalia, non repugnare etiam Deum efficere vt substantia aliqua creata sit ordinis supernaturalis.

Respondent aliqui propterea substantiam creatam supernaturalem esse non posse ex se & sua natura, quiá si ità res haberet, esset hæc substantia creata per se impeccabilis, quod tamen nequit sustineri, cùm solus Deus sit ex se impeccabilis. Verùm hæc responsio, nihil plane dicit; certum enim est beatitudinem reddere quoslibet beatos impeccabiles, ob id tamen natura & essentia cuiuslibet beati non est essentialiter, & ex se ordinis supernaturalis, sed tantùm extrinsecè.

Aliorum ratiocinatio

Alij verò probant: Per gratiam & charitatem & alias virtutes ordinis supernaturalis quilibet nostrũm fit particeps diuinæ naturæ, ex cap. 1. 2. Pet. 1. 2. Petri. & 3. 1. Ioan. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*: ergo substantia creata 1. Ioan. 3. ỹ. 2. non potest esse ex se, & sua natura grata Deo.

Infirma.

Sed hæc ratio ad summum tantum probat, de lege communi nullam substantiam creatam posse esse supernaturalem per se & intrinsecè, non autem de potentia Dei absoluta; de qua tamen hîc controuertitur.

3. Probatio.

Alij verò ita ratiocinantur: Quod conuenit Deo per se, atque adeò intrinsecè & essentialiter, nequit vlli alteri competere, nisi per participationem, quare nec eodem modo quo Deo conuenit; at esse supernaturale competit Deo per se intrinsecè & substantialiter: ergo non poterit alicui alteri conuenire nisi per participationem & extrinsecè.

Debilis.

Verùm neque hæc ratio conuincit, nam conuenit Deo per se & essentialiter esse immortalem, æternum, & immutabilem; & tamen hæc attributa conueniunt intrinsecè & essentialiter tam Angelis quàm animabus nostris; hæ namque sunt immortales & æternæ à parte post, itémque spirituales.

4. Aliorum discursus.

Alij ità ostendunt: quia aliàs concedendum esset huiusmodi substantiam creatam supernaturalem seipsam beare posse per præsidia naturalia, cuius tamen oppositum docent Scripturæ, Concilia, & Patres: definitum namque est in Concilio Mileuitano, Arausicano I. & Tridentino sine speciali Dei auxilio non posse aliquid à creatura præstari, quod cõducat ad vitã æternã consequendã.

Minime conuincit.

At neque ista ratio satisfacit. Hæc enim Ecclesiæ definitio intelligenda est de rebus constitutis in eo statu in quo versamur. Deinde, si humanitas Christi censetur esse substantialiter grata & sancta ex eo quòd vniatur hypostaticè diuino Verbo, atque adeo habeat ius ad vitam æternam ex se & sua natura; quare absurdum erit fateri creaturam ordinis supernaturalis ex hypothesi à Deo productam aliquid præstare posse quod conducat ex se & sua natura ad eamdem gloriam?

Germana ratio communis doctrinæ.

Probatur denique ab alijs: Principium formale participationis extrinsecæ cuiuslibet perfectionis, est solum accidens; at supernaturalitas non potest cõmunicari creaturæ substantiali, nisi accidentaliter & extrinsecè: ergo hoc non poterit cõpetere substantiæ creatæ, sic enim esset extra latitudinem sui generis. & item naturæ specificæ.

Obiectio.

Obijcies, data quacumque re creata posse Deum producere perfectiorem in infinitum: ergo posset Deus producere substantiam ordinis supernaturalis, cui connaturalis esset charitas; essent enim

enim ex æquo ordinis supernaturalis.

Solutio. Respondeo concessis antecedente, negando consequentiam: diximus enim principium formale accidentalis & extrinsecæ participationis, esse accidens, hanc autem subsistentia a Deo creata, ex hypothesi, diceretur extrinsecè supernaturalis, atque adeò non posset supernaturalitas illa illi esse connaturalis.

ARTICVLO 3. Docet D. Thom. charitatem non infundi vnicuique nostrûm secundum capacitatem naturalem, sed secundum gratuitam voluntatè Spiritus sancti. Verùm res hæc satis explicata fuit a nobis Dubitatione 1. art. antecedentis.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Charitas augeri possit.

ARTICVLVS QVINTVS.

An Charitas augeatur per additionem.

CIRCA istos duos Articulos sit

DVBITATIO PRIMA.

An Charitas augeatur.

Charitas augetur. CONCLVSIO *est affirmativa.* Primùm, quia dicitur Philipp. 1. *Oro vt charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu.* 2. Thessal. 1. *Supercrescit fides vestra, & abundat charitas vnius cuiusque vestrûm in invicem.* & 1. ad eosdem 3. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis.* Ephes. 4. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* & paulò post. *Augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Apocal. vltimo. *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc* iustificamur autem formaliter per charitatem, & Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Philip. 1. ℣. 9. 2. Thess. 1. ℣. 3. 1. Ad epsd. ℣. 12. Ephes. 4. ℣. 15. & 16. Apoc. 22. ℣. 11. Ioan. 15. ℣. 13.

Deinde, sacra Concilia veritatem istam definiûnt: Florentinum in decreto Eugenij dicit hominem in Christo renasci spiritualiter per baptismi susceptionem; in Sacramento verò Confirmationis iustitiam in baptismo collatam augeri: in Sacramento Eucharistiæ, eò copiosiorem dari gratiam & charitatem quò contingit hominem accedere ad tantum Sacramentum cum maiori dispositione: & Tridentinum sess. 6. can. 24. definit bona opera nedum esse fructus iustitiæ, sed etiam intendere iustitiam in nobis pro toto illo tempore quo sumus in hac vita, & in Clementina, *Ad nostrum.* de hæreticis, dicitur contra Beguardos & Beguinas charitatem augeri per bona opera, falsumque esse charitatem habere statos & definitos terminos vltra quos nulla ratione extendi possit.

Florent. Trident.

Tertio, in hac sententia sunt Patres: D. Augustinus cap. penult. sui Enchiridij. *Minuetur,* inquit, *cupiditas, crescente charitate, donec veniat hic ad tantam magnitudinem, qua maior esse non possit.*

D. August.

In Secundam Secundæ D. Thom.

A & tract. 5. in 1. Ioannis Canonicam idem repetit. Anselmus, ad cap. 12. 1. ad Corinth. ad hæc verba: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Ambrosius epist. 74. Gregorius homil. 25. in epistolam ad Ephes. Prosper libro sententiarum, cap. 95. *Crescit semper charitas: facultas, dum sit maior, & longitudine sit diuturna.* & alij.

Anselm. 1. Cor. 12. ℣. 13. Ambros. Gregor. Prosper.

Quartò, hoc idem colligitur ex Collecta quæ recitatur in Ecclesia, Dominica 13. post Pentecosten, Omnipotens sempiterne Deus da nobis fidei, spei & charitatis augmentum, &c. Idem docent communiter auctores hic.

Accedunt rationes; prima, ceteræ virtutes ordinis supernaturalis intenduntur, vt de fide constat ex cap. 17. Lucæ. *Domine adauge nobis fidem.* & de lumine gloriæ probatur 1. part. quæst. 12. & in tract. de beatitudine, vbi traditur inæqualitatem beatitudinis esse repetendam ex inæqualitate luminis gloriæ: ergo charitas etiam augebitur.

B Luc. 17. ℣. 5.

Deinde, quod habet intrà vnam & eamdem entitatem plures, & pauciores gradus seu perfectiones, illud verè augetur, vt est notum: at vna & eadem numero charitas habet in se plures & pauciores gradus, seu perfectiones.

Cùm enim sit de fide beatitudinem sanctorum esse inæqualem Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* & 1. Cor. 15. *Stella a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum* & detur proportio inter hanc & charitatem, ex illo Galat. 6. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet.* & 2. Cor. 5. *Vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum,* sequitur charitatem varios habere gradus perfectionis.

C Ioan. 14. ℣. 2. 1. Cor. 15. ℣. 41. & 42. Galat. 6. ℣. 8. 2. Cor. 5. ℣. 10.

Tandem per charitatem quilibet nostrûm constituitur in via per quam ad patriam cœlestem peruenire possit, vt colligunt aliqui ex 1. Cor. 12. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro:* at de ratione viæ est vt tamdiu protrahatur, quamdiu terminus eius non obtinetur: ergo augeri poterit charitas.

1. Cor. 12. ℣. 31.

Obiectio. Objicies, charitatem esse qualitatem spiritualem, & proinde impartibilem & indiuisibilem: ergo non potest suscipere augmentum.

D *Solutio.* Respondeo, concessa prima parte antecedentis, negando secundam: nam anima nostra, & item Angeli sunt substantiæ spirituales, & tamen nullus est qui negare possit dari in istis extensionem aliquam, non quidem sensibilem vel quantam, sed virtualem; anima namque crescente corpore seipsam diffundit, & partes de nouo productas incipit informare: Angelus item vendicat sibi certam sphæram suæ actiuitatis extra quam seipsum nullo modo diffundere potest: quid igitur mirum si latitudinem aliquam graduum intrà charitatem admittamus?

Hæc doctrina est contra Iouinianum & hæreticos nostri temporis; ille namque, referente Hieronymo, contra eumdem, docuit charitatem esse in omnibus iustis æqualem. Lutherani verò sentiunt omnes iustificari per gratiam & charitatem quæ in Christo est; non autem per charitatem quæ nobis insit, atque ità sola denominatione extrinsecâ gratos & charos esse Deo: cùm ergo charitas dicatur extrinsecè de omnibus sanctis, erit vtique in omnibus æqualis, non enim verè ponit aliquid in vno, quod non ponat in omnibus alijs ex istorum opinione.

E

Digitized by Google

DVBITATIO SECVNDA.

An Charitas possit in infinitum intendi.

Beguardorum & Beguinarum error.

BEGVARDI & Beguinæ, vt constat ex Clementina, *Adnostrum*, in eo fuerunt errore, vt crediderint charitatem per nullam planè potentiam intendi posse in infinitum, idque quòd aliter fieri posset vt daretur charitas in aliquo maior, quàm sit ea quæ datur in Christo, cuius tamen oppositum tuentur omnes omnino Christiani.

Deinde probant, aliqui ex Durando: quia posset produci charitas tanta vt super esset perfectior producenda, concedendum esset Deum posse producere infinitum, quod dici nequit.

Charitas intendi potest in infinitum, ita vt data quacumque charitate possit Deus producere perfectiorem in infinitum.

CONCLVSIO *Charitas intendi potest in infinitum, ita vt data quacumque charitate possit Deus producere perfectiorem in infinitum.* Ità D. Thomas art. 7. huius quæst. & omnes eiusdem interpretes, & Sententiarij in 3. dist. 27.

Deinde, hoc videtur colligi ex Concilijs & Patribus citatis Dubitatione antecedente.

Accedit ratio desumpta ex D. Tho. art. 7 huius quæst. si charitas non posset intendi in infinitum, id repetendum esset vel ex eo, quòd augmentum hoc in infinitum pugnat cum natura & essentia charitatis, vel cum subiecto in quo recipitur, vel denique quòd non possit fieri à sua causa efficiente quæ est Deus: at ex nullo capite est repugnantia. Non quidem ex primo, quia cùm charitas qua Deum & proximum diligimus sit participatio quædam illius charitatis qua Deus diligit seipsum, poterit esse infinita saltem potentia, cùm illa sit simpliciter infinita. Deinde, quicumque actus charitatis elicitus in statu viæ est meritorius vitæ æternæ: ergo cùm vita æterna possit in infinitum intendi, poterit etiam & charitas. Tertiò, charitas caret omni alia regula, ità vt omnes fateantur neminem posse peccare per excessum inter Deum amandum. Denique, comparatur charitas igni, Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Hic enim locus explicatur à Patribus de charitate: at nullus datur tantus ignis qui non possit intendi augendo materiam combustibilem: ergo nulla assignari poterit charitas qua maior non possit produci.

Luc. 12. ℣. 49.

Neque ex secundo petitur: cùm enim voluntas rationalis possit illud omne velle, quod potest intellectus intelligere, saltem si detur in rebus intellectis ratio boni, voluntas tam verè dicetur infinita quàm intellectus: hic autem censetur esse infinitus potentia, respectu harum rerum, quas intelligere potest, vt colligitur ex Aristotele, qui propter hanc causam ait intellectum esse aptum omnia fieri: ergo & voluntas in ordine ad obiecta amore digna.

Nec denique ex tertio: quia cùm Deus sit simpliciter omnipotens potest illud omne producere quod non implicat contradictionem, dari autem charitatem infinitã syncategorematicè, seu potentia, nullam planè dicit contradictionem: ergo ità illam produci non potest prouenire ex defectu potentiæ Dei.

Denique, eadem planè facilitate qua plures gradus eiusdem rationis vniuntur inter se, & quidem ità vt ex his omnibus consurgat vnitas numerica formæ alicuius, poterunt etiam vniri plures & in infinitum multiplicati gradus, si fuerint vnius & eiusdé rationis; at plures gradus charitatis vniuntur inter se, & ex illis consurgit vna numero charitas, quæ nunquam excidit, ex 1. Cor. 13. ergo, &c. Confirmatur: propterea plures partes quantitatis vniuntur inter se & absoluunt vnam & eamdem numero quantitatem, quia partes istæ, sunt eiusdé planè rationis, & eodem termino communi copulantur: ergo idem erit dicendum de infinitis gradibus charitatis.

Obiectio.

Obijcies, Aristotelé affirmare lib. 8. Physicorum motum alterationis non procedere in infinitum, & lib. 2. de anima, omnium natura constantium esse finem aliquem magnitudinis & alterationis: ergo & charitatis.

Solutio.

Respondeo, ex his locis nihil planè colligi posse contra Conclusionem: primus enim agit de rebus ità constitutis vt sunt iam, adeo vt velit Aristoteles omnem motum alterationis repertum in rebus creatis esse verè finitum; nos autem contendimus per omnipotentiam Dei nullam esse tantam charitatem, vltra quam non possit Deus maiorem producere in aliquo subiecto. Secundus autem locus explicatur ab omnibus de augmento viuentium, ità vt velit ille omne sensibile, & item viuens, vendicare sibi certos aliquos terminos vltra quos naturaliter extendi non possint.

Obiectio 2.

Obijcies D. August. in Enchiridio verbis expressis docere charitatem posse esse tantam, & quidem in homine constituto in hac vita, vt censeatur esse maxima: vnde ex illius sententia intendi nullo modo poterit.

Solutio.

Respondeo, locum hunc intelligendum esse de charitate viæ, quam ideò dicit maximam, quia sufficit ad quorũcumque Dei mandatorum obseruationem, & consequenter ad anteponendum Deum rebus omnibus, non autem quod hæc sit tanta vt nullo pacto intendi possit.

Intenditur charitas de lege in toto tempore huius vitæ.

CONCLVSIO 2. *Nedum per omnipotentiam Dei charitas intendi potest in nobis in infinitum, sed etiam de lege communi verè intenditur pro toto illo tempore quo sumus in hac vita mortali.* Primùm, quia dicitur Eccles. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Apocal. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Prouerb. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Vbi nomine perfectæ diei significatur adeptio beatitudinis æternæ.

Eccles. 18. ℣. 22. Apoc. 22. ℣. 11. Prou. 4. ℣. 18.

Deinde, probatur ex Patribus, Leone serm. 2. de quadragesima: *Natura nostra, manente adhuc mortalitate mutabilis, etiamsi ad summa quoque virtutum studia proficiat: semper tamen sicut potest habere quo recidat, ità potest habere quo crescat.* D. Aug. serm. 15. de verbis Apostoli cap. 15. *Si dixeris, sufficit, & peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice: Noli retrò redire, noli deuiare, noli in via remanere, remanet qui non perficit, retrò redit, qui ad ea reuoluitur, vnde iam abscesserat, deuiat qui apostatat. Melius ità claudus in via, quam cursor praeter viam.* Gregorio lib. 21. Moral. cap. 4. & Bernardo serm. 2. de Purificatione. *In via vitæ non progredi, regredi, est cum nihil adhuc in eodem statu permaneat. Porrò profectus noster in eo consistit vt nunquam nos apprehendisse arbitremur, sed ad anteriora incessanter extendamur: conemur in melius, vt imperfectum nostrum diuinæ misericordiæ obtutibus iugiter exponamus.*

Leo. D. August. Gregor. Bernard.

Tertiò, opera ex charitate facta pro toto statu viæ augeri possunt: ergo & charitas; meremur enim per quemlibet actum elicitum à charitate

augmentum eiuſdem, quemadmodum promeretur per quemlibet ex illis vitam æternam, vt definitum eſt in Tridentino ſeſſ. 4. can. 24.

Obiectio. Dices, omnem charitatem noſtram eſſe terminatam ſecundùm ſuam ſpeciem: ergo non poterit vlteriùs intendi ſaltem de lege communi.

Soluitur. Reſpondeo, concedo antecedente, negando conſequentiam: licèt enim quælibet quantitas noſtra, aut etiam continua finita ſit ſecundùm ſuam ſpeciem; eſt tamen infinita ſecundùm magnitudinem, præſertim ſi fuerit diuiſa in partes proportionales; ità licèt charitas infuſa ſit finita ſecundùm ſuam ſpeciem, dicetur tamen infinita ſecundùm intenſionem, idque quòd poſſint ei aduenire plures gradus eiuſdem rationis in infinitum, prout videlicet contigerit opera ex charitate facta multiplicari in nobis. Deinde, per multitudinem partium extenſionis aut intenſionis non variatur ſpecies quantitatis, aut qualitatis; ſi tamen partes inter ſe continuentur, & ſint eiuſdem rationis, ſupponimus autem gradus qui de nouo aduenium charitati eſſe eiuſdem rationis cum præexiſtentibus in ea: non ergo deſtruitur natura charitatis per additionem illorum graduum.

Replica. Inſtabis, capacitatem voluntatis noſtræ eſſe finitam: ergo & charitatem.

Diſſoluitur. Reſpondeo 1. dixiſſe nos voluntatem rationalem eſſe finitam entitatiuè, potentia tamen eſſe infinitam, vnde nihil planè concludit iſta obiectio. Deinde, ſunt qui dicant capacitatem voluntatis naturalem eſſe finitam, ſufficere tamen ad recipiendam charitatem infinitam ſyncategorematicè, vtpote quæ actu & formaliter loquendo ſit verè finita, & eo ſolo nomine dicatur infinita, quòd dato quocumque gradu illa poſſit aduenire aliquis alius de nouo; capacitatem autem animæ noſtræ obedientialem contendunt eſſe infinitam, tam ad agendum, quàm recipiendum, cùm hæc reſpiciat omnipotentiam Dei; vnde quemadmodum poteſt Deus producere illud omne quod non implicat, ità poterit & anima noſtra in ſe recipere omnem charitatem prôducibilem diuina virtute.

Rationibus dubitandi ſic ſatis.

1. Ad rationes dubitandi reſpondeo. Ad 1. Charitatem quæ eſt in Chriſto ſpectari poſſe & præciſè ſecundùm ſuam entitatem, & vt hæc nobis promeruit omnem gratiam & omne auxilium ſupernaturale, quod conducit vel conducere poteſt ad gloriam habendam: primo modo nihil repugnat quominùs dicamus poſſe Deum producere charitatem & gratiam magis intenſam, quàm ſit ea quæ eſt in Chriſto, idque propter cauſam in argumento explicatam. Secundo verò modo fieri nequit vt tanta ſit gratia & charitas alicuius puræ creaturæ, imò neque omnium ſimul, quanta eſt charitas Chriſti; liquidem hanc habent omnes dependenter à meritis Chriſti. Accedit, dignitatem meritorum Chriſti repetendam eſſe ex ſuppoſito diuino, quod verè eſt infinitum, vnde ſatisfactio quoque humanæ Chriſti naturæ cenſetur eſſe infinita in genere meritis, quod tamen dici nequit de actibus charitatis omnium hominum & Angelorum, etiamſi collectiuè ſumantur.

Vlt. Ad vltimam. Reſpondeo nihil planè probare; non enim abſurdum eſt dari infinitum in quantitate, aut qualitate, ſaltem de potentia Dei abſoluta; imò verò licèt cum D. Thoma dicamus infinitum actu dari non poſſe etiam in quantitate, aut qualitate; nihil tamen proinde concludet iſta obiectio: contendimus enim dari poſſe charitatem infinitam, non quidem actu, ſed potentia.

ARTICVLVS SEXTVS.

An quouis actu charitatis augeatur charitas.

DVBITATIO PRIMA.

Qua ratione charitas intendatur.

Quorundã opinio.

VARIANT in hac re explicanda Theologi. Sunt enim qui dicant charitatem intendi ſolùm, quia deſtructa minore charitate infundit Deus aliam perfectiorem, atque adeò volunt charitatem augeri eodem planè modo, quo dicimus dies creſcere.

Improbatur. Verùm hæc opinio ab omnibus communiter reijcitur; ex ea namque ſequitur charitatem non verè intendi, quî enim fieri poteſt vt aliquid verè intendatur, quod in ſe verè non ſuſcipit magis & minus? at charitas ex hac opinione non ſuſcipit in ſe magis & minus, ſed tantùm maior charitas ſuccedit minori in eodem ſubiecto deſtructa hac minori: ergo cùm magis & minus dicantur de vnâ & eadem numero charitate, non verè intenderetur. Deinde, ex hac doctrina colligitur euidenter charitatem deſtrui ſinè vlla culpa mortali, cuius tamen oppoſitum affirmant omnes, idque quòd ſolum peccatum mortale opponatur gratiæ & charitati de lege communi.

Aliorum ſententia falſa. Alij verò putant charitatem intendi quòd magis ferueat nunc quàm antea. Sed neque iſti ad veritatem acceſſiſſe videntur, nam peccatum veniale impedit feruorem charitatis, & tamen peccatum veniale impedire nequit augmentum charitatis; quod enim non poteſt impedire infuſionem, non poteſt etiam eius augmentum: at peccatum veniale non impedit primam infuſionem gratiæ & charitatis: ergo neque earumdem augmentum.

Alij abſurdè loquuntur. Sentiunt alij charitatem ideò in nobis intendi, quòd ſequamur propenſionem & inclinationem charitatis contra cupiditatem & libidinem.

Verùm hæc opinio eſt omnium abſurdiſſima; ex ea namque manifeſtè colligitur charitatem non potuiſſe intendi in Angelis, in primis parentibus, perſeuerante ſtatu innocentiæ, nec etiam in D. Virgine; nam in iſtis nulla fuit cupiditas, aut libido, & tamen profecerunt in charitate. Deinde, non magis opponitur charitas cupiditati & libidini, quàm ceteris alijs culpis mortalibus: ergo augmentum charitatis non poteſt peti à propenſione, quæ datur in charitate contra libiditem.

Volunt denique alij charitatem intendi per maiorem radicationem in ſubiecto: ità D. Thomas art. 5. huius quæſt. & communiter Thomiſtæ ibidem, & in 1. 2. quæſt. 52.

Authoris ſententia. Rectius tamen illi. *Qui dicunt charitatem intendi per additionem gradus ad gradum, adeoque ex iſtis gradibus coniunctis vna numero charitas præſtantior quocumque gradu in illa exiſtente ſeorſim conſiderato.* ità docent Scotus in 1. diſt. 17. Gabr. Bonauent. ibidem. Lorca diſputat. 14. de charitate, qui citat Caietanum. Pelantius diſput. 1. de augmento charitatis, & alij: quæ opinio probatur. Primùm, quia ſubiectum nequit intelligi fieri magis tale,

nisi aduenìat ei aliquid de nouo per quod sit magis tale; atqui habens charitatem dicitur magis charus ex eo, quòd eius charitas creuerit: ergo debuit ei aliquid aduenire per quod dicatur magis charus: non potuit autem fieri charitas maior, nisi per additionem alicuius gradus, aut partis, quę accesserit ad charitatem præexistentem: ergo illo modo tantùm intenditur.

Confirmatur: Ex iusto nullus redditur magis iustus, nisi facta fuerit accessio aliqua vera & realis, ad id quod iustificat formaliter hominem iustum; at forma iustificans censetur gratia & charitas, ex cap.7. sess.6. Tridentini: ergo dum augetur fit illi aliqua graduum additio.

Denique, si charitas intenderetur sinè additione gradus ad gradum, vel sinè vllis partibus, sequeretur illam nusquam posse intendi in tempore (omnis enim forma indiuisibilis acquiritur in instanti) at charitas intenditur interdum in tempore, vt patet in eo casu in quo posita charitate in nobis operationes aliquas meritorias successiuè producimus; tunc enim augetur statim atque ponitur quælibet operatio meritoria: ergo &c.

Notabile. Aduerte gradus ex quibus consurgit charitas & augescit, esse eiusdem planè rationis, & educi ex potentia obedientiali animæ rationalis à Deo Optimo Maximo, & quidem vt plurimum in instanti, idque quòd talis productio non pendeat à motu, carearque contrario, atque etiam quia cùm operationes aliquæ nostræ meritoriæ sint indiuisibiles, & quælibet ex his postulet augmentum charitatis, statim atque posita est extra suas causas, in instanti etiam producetur augmentum charitatis.

Notabile 2. Aduerte tandem, non esse absurdum fateri gradus ex quibus consurgit charitas aliqua individua & singularis, distingui inter se realiter. Primùm, quia licèt de facto ab inuicem nunquam separentur, possunt tamen separari diuina virtute. Deinde, duo accidentia aut plura solo numero distincta, possunt esse in vno & eodem subiecto, maximè si sint penetrabilia, & ad aliquam entitatem perficiendam & complendam ordinata: gradus autem charitatis cuiuslibet sunt eiusdem rationis, & vnus ab alio penetrari potest, & ità inter se coniunguntur vt verè compleant vnam numero charitatem.

DVBITATIO SECVNDA.

An quouis actu charitatis intendatur charitas.

Actus charitatis eliciti, & imperati. Aduerte actus charitatis alios esse elicitos, alios verò imperatos: Illi esse censentur qui eliciuntur à voluntate nostra informata charitate, & in ea recipiuntur tamquam in subiecto proximo: isti verò sunt qui eliciuntur à ceteris virtutibus ex motiuo tamen charitatis, adeò vt actus eliciti ab alijs virtutibus ordinentur à voluntate nostra in finem charitatis. Rursus, actus eliciti charitatis alij sunt remissi, alij verò intensi: de istis ergo omnibus actibus explicanda est hæc difficultas.

Omni actu elicito etiam remisso augetur charitas. Conclvsio 1. *Quolibet actu elicito à charitate, & a voluntate rationali augetur charitas, atque adeo actibus remissis & intensis eiusdem.* Primùm, quia de actibus intensis fatentur hoc Thomistæ omnes hoc loco.

Deinde, actus remissi tam verè sunt actus charitatis quàm intensi, cùm versentur circa Deum vt est summè amabilis propter semetipsum, vel circa alia, vt amantur propter Deum: ergo cùm sit simile augmentum, charitas augebitur per actus remissos non minùs quàm per intensos.

Tertiò, quilibet nostrùm facilitatur ad hoc vt exerceat actus charitatis, exercendo etiam actus remissos eiusdem.

Quartò, quilibet actus charitatis ab eadem elicitus siue intensè, siue remissè est meritorius vitæ æternæ, vt colligitur ex Tridentino sess.6.can.24. ergo erit etiam meritorius augmenti charitatis; hæc enim perfectissimam æqualitatem retinet cum vita æterna.

Obiectio. Obijcies, D.Thomam in corpore huius art. affirmare charitatem intendi in nobis quotiescumque operamur ex maiori conatu charitatis: atque ità charitatem non intendi per actus remissos, sed solùm intensos.

Solutio. Respondeo, D.Thomam in hac videri esse sententia, & ità affirmatur à discipulis quibusdam eiusdem: possumus tamen eum benignè interpretari in fauorem nostræ Conclusionis. Dico ergo actum remissum charitatis spectari duobus modis: primùm, vt est actus, remissus charitatis tantùm: deinde, vt est actus remissus, & coniunctus cum habitibus oppositis charitati, & ceteris virtutibus. Primo modo non negauit D. Thomas charitatem augeri per actus remissos, sed solùm secundo, & adhuc non per se, sed per accidens, quatenus videlicet accidit vt habitus oppositi charitati & ceteris virtutibus non destruantur in eo qui exercet actus charitatis remissos, qui tamen habitus destructi essent si exercuissemus actus charitatis intensos.

Obiectio Obijcies, eum qui malè vtitur charitate non mereri illius augmentum; at quotiescumque exercemus actus remissos, malè vtimur charitate: potuimus enim illa vti longè meliori ratione, exercendo scilicet actus intensos eiusdem: ergo per illos non poterit augmentum suscipere.

Solutio. Respondeo, concessa majore, negando minorem: ad probationem autem eum qui calamo pingit, quocumque modo pingat bene vti calamo, etsi non ità perfectè ac posset: & hoc idem dicendum est de eo qui exercet actus charitatis remissos. Accedit, neminem obligari ex vi præcepti charitatis ad exercendum actum intensissimum eiusdem; cùm possit quocumque quamtumuis minimo illud adimplere: vnde non sequetur eum malè vti charitate qui actum remissum eiusdem elicit.

Replica. Instabis, illum saltem negligenter vti charitate, atque adeò culpabiliter.

Dissoluitur. Respondeo, si per particulam, *Negligenter*, significetur eum non vti charitate omnibus modis, vel perfectissimo modo, quo quis vti potest, fateor eum vti negligenter charitate, qui actum eiusdem remissum producit: inde tamen nequit colligi talem hominem peccare; conuenit enim inter omnes dilectionem Dei & proximi esse in præcepto secundùm suam substantiam tantùm; non autem secundùm omnem modum quem habere potest memoratum præceptum.

Obiectio Durandi. Objcit Durandus, actum charitatis remissum minùs potentem esse, quàm sit is in quo est charitas: ergo actus remissus non poterit intendere charitatem existentem in hoc vel illo homine qui remissè operatur ex charitate cùm agens debeat esse potentius patiente.

Respon-

Digitized by Google

Soluto. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad cuius probationem dico, hanc propoſitionem, *Agens debet eſſe potentius patiente*, veram eſſe in cauſis principalibus effectiuis in ratione cauſæ efficientis phyſicæ; minimè verò in cauſis inſtrumentarijs, & quæ moraliter tantùm operantur: actus autem remiſſus eſt cauſa incrementi charitatis in genere cauſæ moralis ſeu meritoriæ, atque adeò non eſt neceſſe, quòd actus hic ſit intenſior vt charitas augeatur.

Intenditur charitas per actus ab eadem imperatos. Dixi autem charitatem intendi per quoſlibet actus ab ea elicitos, quia non deſunt qui putent illam nulla ratione intendi per actus imperatos ab eadem, quorum opinio merito reijcitur, vtpote contraria ſacris Conciliis, & Patribus, qui verbis expreſſis docent per quodlibet bonum opus factum à nobis libere, & in gratia, pro eo tempore quo degimus in hac vita, mereri nos augmentum iuſtitiæ, & gloriæ, nulla facta diſtinctione inter bona opera elicita vel imperata à charitate. Ità Trident. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 10. & can. 24. & 32. at per quodlibet bonum opus imperatum aut elicitum a charitate meremur augmentum vitæ æternæ, vt fatentur etiam authores contrariæ ſententiæ. ergo per huiuſmodi actus intenditur charitas. Deinde, Scripturæ docent vnumquemque remunerandum eſſe in cœlis prout ſe geſſerit in 2. Cor. 5. ℣. 10. corpore, 2. Corinth. 5. *Vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* & & cap. 9. ℣. 6. cap. 9. *Qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Galat. 6. ℣. 8. & Galat. 6. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet*, nulla facta diſtinctione inter opus imperatum, aut elicitum à voluntate. Tertiò, cauſa formalis noſtræ iuſtitiæ & ſanctitatis ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. eſt gratia & charitas; ergo cùm per quodlibet bonum opus factum à nobis in hac vita, augeatur ſanctitas & iuſtitia noſtra, ex locis ſupra citatis Tridentini, augebitur etiam charitas per quodcumque bonum opus imperatum vel elicitum ab eadem.

Obiectio. Dices, actus imperatos a charitate non eſſe ſimiles charitati, vtpote qui eliciantur à virtutibus diuerſis ab ipſa: ergo non poterit augeri.

Soluitur. Reſpondeo, non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad hoc vt aliquis habitus intendatur meritorie ab aliquo actu, quòd talis actus ſit eiuſdem rationis cum habitu, qui intenditur; ſufficit enim ad hoc Dei ordinatio, qui poteſt ea omnia quæ non implicant præſtare; conſtituit autem Deus vt poſito quolibet actu imperato à charitate, pro eo tempore quo viatores ſumus, charitas intendatur, & augeatur in nobis iuxta dignitatem actus imperati à charitate. De hac autem ordinatione diuina conſtat ex locis Scripturæ & Tridentini citatis ſupra.

Occurritur obiectioni. Accedit ratio: Inter beatitudinem æternam & gratiam & charitatem vitæ reperitur perfecta æqualitas: ergo cùm quolibet bono opere imperato à charitate augeatur meritum vitæ æternæ, ſic etiam augebitur gratia & charitas. Neque refert quod aliqui dicunt ſatis eſſe ſi gratia ſinè charitate intendatur: nam ſi res ità ſe haberet, ſequeretur hominem conſtitutum in gratia, & charitate eſſe magis gratum Deo, & minùs charum; gratia enim eſt intenſior charitate, vt ſupponunt iſti; at de nullo concedendum eſt, quòd ſit magis gratus & minùs charus, cùm hæc inter ſe retineant perfectiſſimam æqualitatem: ergo dum intenditur gratia, intenderur & charitas. Ità ſentire videtur D. Thomas hoc loco, in reſponſione ad 1. ait enim quemlibet actum charitatis mereri vitam æternam, non quidem ſtatim exhibendam, ſed ſuo tempore: omnem etiam actum charitatis mereri eiuſdem augmentum, nulla poſita diſtinctione inter actus elicitos, aut imperatos ab ipſa. Ità etiam ſentiunt Capreolus in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 3. ad 5. Richardus ibidem: Scotus diſt. 21. lib. 4. quæſt. 2. §. in iſta quæſtione & alij.

Obiectio. Dices, præmium & meritum debere eſſe æqualia, quod tamen non reperitur in actu imperato à charitate, & eiuſdem augmento: charitatis enim augmentum eſt longè maius, quàm ſit actus imperatus; hic enim poteſt eſſe actus fortitudinis ex hypotheſi, atque adeò ordinis naturalis; augmentum verò charitatis quod reſpondet dignitati talis actus eſt ordinis ſupernaturalis, vt eſt per ſe notum.

Soluitur. Reſpondeo, cum D. Thoma 1. 2. quæſt. 14. art. 8. ad 2. meritum & præmium debere eſſe æqualia, non ſecundùm ſuas entitates, ſed ſecundùm proportionem eorumdem, adeò vt valor ſeu æſtimatio meriti tanta ſit, quanta eſt præmij dignitas, & in iſta æſtimatione ſint perfectiſſimè æqualia; hæc autem æqualitas deprehenditur in augmento charitatis, & in actu meritorio imperato ab eadem, etſi ſupponamus actum imperatum eſſe elicitum à fortitudine; hic enim actus hoc ipſo quòd imperatur à charitate eſt ordinis ſupernaturalis, & reſpicit vitam æternam veluti ſuum præmium vltimum; augmentum verò charitatis veluti ſuum præmium proximum.

Replica. Inſtabis, vnum & eumdem numero actum non poſſe ſibi vendicare plura numero præmia.

Diſſoluitur. Reſpondeo, hanc propoſitionem falſam eſſe reſpectu præmiorum ſubordinatorum, qualia ſunt augmentum charitatis & retributio vitæ æternæ in ordine ad actum imperatum ab illa, ob ea quæ iam diximus.

DVBITATIO VLTIMA.

Quando detur in nobis augmentum charitatis, & à quo producatur effectiue.

Non differtur augmentũ charitatis. CONCLVSIO 1. *Augmentum charitatis ſtatim ponitur atque actus meritorius eſt extra ſuas cauſas poſitus.* Primùm, quia poſito actu efficaci cuiuſque virtutis per ſe acquiſitæ, ſtatim ponitur augmentum eiuſdem, ex doctrina plurium: ergo & poſito actu charitatis dabitur augmentum.

Deinde, nulla poteſt aſſignari ratio propter quam augmentum charitatis in aliud tempus differatur.

Effugium. Reſpondent aduerſarij, propterea non infundi augmentum charitatis ſtatim atque præceſſit actus meritorius remiſſus, quia deſideratur diſpoſitio aliqua antequàm producatur in nobis augmentum charitatis. Sed contrà. Nulla alia diſpoſitio eſt neceſſaria ad augmentũ charitatis, præter actum meritorium ſiue intenſum, ſiue remiſſum; atqui actus meritorius eſt de facto productus vt ſupponimus: ergo dabitur augmentum charitatis infallibiliter ſtatim abſque vlla dilatione.

Præludit. Confirmatur. Poſita diſpoſitione vltima ad formam aliquam introducendam, adeſt infallibiliter forma; at diſpoſitio neceſſaria ad augmentum charitatis, eſt quilibet actus meritorius remiſſus vel intenſus, elicitus vel imperatus à volun-

Digitized by Google

rate: ergo cùm actus meritorius de facto ſit à nobis productus, dabitur ſtatim augmentum charitatis. Ità Scotus, & Nominales locis Dubitatione antecedente citatis, Lorca diſp. 16. de Charitate, & alij recentiores.

Solus Deus cauſa phyſica charitatis.

CONCLVSIO 2. *Augmentum charitatis producitur a ſolo Deo effectiuè; moraliter verò ſeu diſpoſitiuè ab eo qui exercet actum meritorium.* Prima pars probatur: Augmentum charitatis ab eodem effectiuè producitur, à quo & ipſa charitas; deſideratur enim eadem planè vis ad producendum augmentum charitatis, quæ ad eius infuſionem; at hæc eſt à ſolo Deo veluti à ſua efficiente phyſica, vt oſtendimus in ſuperioribus: ergo & eiuſdem augmentum ab eodem Deo phyſicè producetur.

Deinde, augmentum fidei eſt à ſolo Deo veluti à cauſa efficiente, vt videtur colligi ex illo Luc. 17. *Adauge nobis fidem*: ergo idem eſt dicendum de augmento charitatis. Ità communiter omnes hoc loco, & in 3. diſt. 27. & in 1. diſt. 17.

Luc. 17. v. 5.

Cauſa moralis charitatis voluntas.

Secunda pars probatur. Eadem ratione quilibet noſtrùm eſt cauſa augmenti charitatis, qua & gratiæ; at quilibet noſtrùm eſt tantùm cauſa meritoria augmenti gratiæ, vt probauimus in tractatu de gratia: ergo qui exercet actum charitatis erit cauſa meritoria augmenti eiuſdem.

Obiectio.

Obijcies, actum meritorium augmenti charitatis produci effectiuè ab eo qui meretur etiam in ratione cauſæ efficientis phyſicæ: ergo & charitatis augmentum producetur ab eodem phyſicè.

Solutio.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; actus quippe meritorius non concurrit phyſicè ad charitatem augendam, vel producendam, ſed tantùm meritoriè, vel diſpoſitiuè: non eſt tamen negandum quin per omnipotentiam Dei fieri poſſit, vt is qui meretur augmentum charitatis concurrat phyſicè ad charitatem augendam, vel producendam: fatentur enim plerique Scholaſtici eſſe cauſam productiuam cuiuſlibet doni ſupernaturalis quod confertur alicui, & quidem nedum in genere cauſæ meritoriæ, ſed etiam efficientis phyſicæ. Deinde, ex ſententia probabiliori ſacramenta ſunt cauſæ phyſicæ productionis gratiæ. Tertiò, nullam contradictionem colligere poſſunt authores contrariæ ſententiæ ex eo quòd fateamur charitatem poſſe à nobis phyſicè produci. Denique, maximè pium eſt longè plura, Deo adſcribere, quàm poſſit mens humana capere.

Augetur charitas ſecundum totam latitudinẽ actus.

Vt autem quæ hactenus dicta ſunt de augmento charitatis innoteſcant. Aduerte, charitatem augeri in nobis per actus meritorios ſecundum totam ſuam latitudinem; ità vt ſi actus charitatis fuerit vt duo, charitas etiam augebitur vt duo: ratio huius documenti eſt, quia præmium & meritum ſibi correſpondent, ità vt vnum non latiùs pateat altero; at ſupponimus actum eſſe meritorium vt duo augmenti charitatis: ergo ſecundum illos gradus intenderur charitas.

Charitas intenditur ratione entitatis indiuiduæ.

Aduerte 2. ex veriori opinione charitatem non intendi per actus meritorios ſecundùm ſpeciem ſuam præciſè ſpectatam, ſed tantùm ſecundùm eſſentiam indiuiduam & ſingularem, quam habet in ſuo ſubiecto; nam rectè ab Ariſtotele dictum eſt, naturas rerum, ſcilicet ſpecificas, ſimiles eſſe numeris, quibus ſi aliquid addatur aut detrahatur variatur ſpecies.

Moneo tamen non deeſſe qui putent, propoſitionem prædictam Ariſtotelis non eſſe intelligendam de qualitate, ſed de ſubſtantijs creatis, in quorum opinione, ratio iſta documentum noſtrum minimè probat. Ac proinde ſit ſecunda ratio: Vbicumque datur idem obiectum materiale, & idem formale, vel eadem planè ratio tendendi in illud, illic reperitur etiam vna & eadem planè qualitas ſpecifica (natura quippe ſpecifica cuiuſlibet qualitatis, petitur ab obiecto formali, vel à modo tendendi in obiectum materiale) atqui in omni planè charitate, quamtumuis minima eſt, eadem ratio tendendi in obiectum materiale charitatis; hæc enim, vt ſic, tendit in Deum ſummè bonum, vt eſt amabilis propter ſemetipſum, & cetera omnia in ordine ad ipſum: cùm ergo in charitate intenſiſſima, & in charitate quàm maximè remiſſa ſit eadem planè ratio tendendi in Deum ſummè bonum, illic etiam dabitur natura charitatis inuariata ſecundùm ſpecificam vnitatem.

Germana ratio authoris.

Obiectio.

Obijcies, D. Thomam art. 5. huius quæſtionis in fine corporis articuli affirmare charitatem augeri in nobis ſecundum ſuam eſſentiam.

Solutio.

Reſpondeo, nomine eſſentiæ hîc intelligere D. Thomam naturam charitatis indiuiduam & ſingularem.

ARTICVLO 7. docet charitatem intendi poſſe in nobis in infinitum; at res iſta fuit à nobis explicata articulis 4. & 5. huius quæſt.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An Charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta.

DVBITATIO VNICA.

An Charitas alicuius viatoris poſſit eſſe tanta, quanta eſt charitas comprehenſoris.

Charitas comprehenſoris.

CONCLVSIO 1. *Charitas cuiuſlibet comprehenſoris eſt eadem numero, cum ea beati eadem quæ fuit in eodem pro eo inſtanti temporis numero, in quo deceſſit ex hac vita.* Primùm, quia 1. Corinth. 13. dicitur de charitate quòd nunquam excidat.

Deinde, illa qualitas cenſetur eadem numero, quæ habet idem obiectum materiale, & formale, & item idem numero ſubiectum, ſinè vlla interruptione: at charitas beati habet idem obiectum materiale & formale, & item idem numero ſubiectum ſinè vlla interruptione pro toto illo tempore: ergo eſt eadem numero cum ea quam habuit in inſtanti quo migrauit ex hac vita: Conſequentia patet ex eo quòd vnitas numerica cuiuſcumque accidentis petitur à ſubiecto in quo recipitur per ordinem ad obiectum formale, ex communi doctrina.

Obiectio

Obijcies, charitatem patriæ pendere à lumine gloriæ; charitatem verò viæ à lumine fidei: ergo non eſt eadem numero.

Solutio.

Reſpondeo conceſſo antecedente, nego conſequentiam; quemadmodum enim ex eo, quòd vnus aliquis producatur à ſuo ſimili, non diſtinguitur ſpecie ab eo qui oritur ex putri materia; ità neque poteſt quis rectè concludere charitatem patriæ, diſtingui numero in eo qui eſt beatus: per accidens quippe eſt, quòd charitas patriæ pendeat à lumine gloriæ, charitas verò viæ à lumine fidei. Deinde, ſi aliter conſtitueretur obiectum charitatis

tatis præſens voluntati beatorum. voluntas ipſorum exerceret actum charitatis circa Deum, & idem dicendum eſt de viatore qui haberet Deum præſentem alio modo, quam conſtituatur per fidem: ergo &c.

Charitas viæ non poteſt quæcumque alia excedere charitatem patriæ.

CONCLVSIO 2. *Charitas alicuius viatoris poteſt eſſe intenſior charitate multorum beatorum.* Primùm, quia D. Stephanus, Laurentius, & alij pro eo tempore quo paſſi ſunt martyrium, nomine Chriſti, actum charitatis exercuerunt longè intenſiorem, quàm faciant paruuli qui ſuſcepto baptiſmate deceſſerunt ex hac vita; nam charitas paruulorum reſpondet dignitati baptiſmi omnium conſenſu; hæc autem dignitas nedum eſt in martyribus proximè dictis, ſed etiam ea quæ B debetur martyrio, quę tanta eſt vt anteponatur dignitati cuiuſlibet alterius actus producti à nobis.

Ioan. 15. ¥. 13. Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: ergo &c.

Deinde, nihil repugnat, quominùs dentur duo in æquali charitate conſtituti, quorum alter moriatur, ac proinde donetur beatitudine æterna (moritur liquidem in charitate) & alius perſeueret ad multos annos in hac vita, exercendo varios actus charitatis, & quidem ſinè vllo peccato mortali: certè in hoc caſu charitas iſtius maior eſt charitate alterius; nam charitas illius qui deceſſit nullum accepit incrementum, bene tamen charitas illius qui adhuc ſuperſtes eſt: ergo C charitas viatoris poteſt excedere charitatem comprehenſoris.

Denique, Charitas cuiuſlibet viatoris poteſt intendi in infinitum iuxta numerum bonorum operum, quæ fieri poſſunt in hac vita; charitas autem beatorum intendi nullo modo poteſt: eſt enim de ratione beatitudinis vt ſit inuariata & immutabilis, omnium conſenſu.

Obiectio. Obijcies, idem eſſe iudicium de charitate & delectatione beatorum, quod de delectatione viatorum: at delectatio beatorum eſt maior: ergo & charitas.

Soluitur. Reſpondeo, propoſitionem illam eſſe falſam; charitas quippe beatorum eſt ita coniuncta cum D delectatione, vt impoſſibile ſit, ſaltem de lege communi, dari in illis charitatem, quin ſequatur

Pſal. 149. ¥. 5. delectatio, vt patet ex illo Pſal. 149. *Exultabunt ſancti in gloria.* Charitas autem viatorum non eſt ſemper coniuncta cum delectatione, imò hoc contingit rariſſimè: maior porrò delectatio habetur in beatis ex eo quòd Deus perfectiſſimo modo vniatur mentibus illorum.

Cùm autem diximus charitatem viæ, poſſe eſſe maiorem charitate patriæ, hoc venit intelligendum de charitate tam actuali, quàm habituali; nam nihil repugnat quominus aliquis exerceat actus charitatis perfectiſſimè reſpondentes charitati habituali, imò ſunt qui putent Chriſtum & E D. Virginem hac ratione exercuiſſe actus charitatis, pro eo tempore quo fuerunt in hac vita, ac proinde & charitas habitualis intendi poteſt in infinitum in viatore; multiplicatis ſiquidem actibus charitatis augetur etiam hæc, omnium conſenſu, ſaltem ſi actus iſti fuerint intenſi.

Charitas patriæ præſtantior charitate viæ. CONCLVSIO VLTIMA. *Etſi charitas viatoris poſſit eſſe intenſior charitate comprehenſoris, non tamen concedendum eſt de illa quod ſit perfectior, aut præſtantior hac, abſolutè & ſimpliciter loquendo.* Primum, quia indubitatum eſt Ioannem Baptiſtam fuiſſe virtute quàm maximè iuſtũ, ex illo Mat. 11. *Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum* A *maior Ioanne Baptiſta.* imò ſunt qui putent ipſum rariſſimè culpas veniales admiſiſſe, nullas verò lethales, & tamen ità loquitur Chriſtus de eodem, loco citato. *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo*: ergo &c. Ibidem

Deinde, Paulus 1. Corinth. 13. agnoſcit in charitate cuiuſlibet viatoris imperfectiones aliquas, quas tamen contendit non eſſe futuras in cœlis. *Cum venerit*, inquit, *quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* 1. Cor. 13. ¥. 10.

Tertiò, charitas viæ cenſetur eſſe veluti ſemen; charitas verò patriæ reſpondet fructibus; certum autem eſt ſemen non continere ſaltem formaliter omnes perfectiones, quæ reperiuntur B in fructibus.

Quartò, charitas viæ coniuncta eſt cum peccatis venialibus; charitas autem patriæ omnem maculam expellit, etiam minimam, ex illo Apocalyp. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Charitas item viæ comparitur paſſiones, Apoc. 21. ¥. 27. perturbationes, & pleraque alia incommoda; charitas autem patriæ ab illis omnibus eſt libera, ex illo Apocal. 7. *Abſterget Deus omnem lacrymam* Ibid. ¥. 17. *ab oculis eorum.*

Denique, charitas viæ operatur vt plurimum remiſsè, charitas verò patriæ ſemper intensè, & quantum poteſt: propter hanc cauſam docet D. Auguſt. præceptum de diligendo Deo ex toto C corde, non in hac vita, ſed in altera adimpleri.

ARTICVLO 9. quærit S. Thomas an conuenienter diſtinguantur tres gradus charitatis, incipiens, proficiens, & perfecta. Reſpondet diſtingui ſecundum triplicem illum gradum, incipientium ſcilicet, proficientium, & perfectorum. Primus gradus conuenit illis, qui tranſeunt à ſtatu peccati mortalis ad ſtatum gratiæ, vel certè qui recedunt à peccato ſimpliciter: Secundus, ijs qui ambulant de virtute in virtutem: Tertius denique, ijs qui beatitudinem æternam conſequuntur.

Ex quibus manifeſtè colligitur charitatem, non eſſe perfectam in nobis pro illo tempore, D quo agimus in hac vita, bene tamen quamprimùm donamur beatitudine æterna; neque enim charitas poſtea vlla ratione perfici poteſt.

ARTICVLVS DECIMVS.

An charitas poſſit diminui.

RESPONDET charitatem ſecundùm ſe directè minui non poſſe, bene tamen indirectè & diſpoſitiuè, per peccata ſcilicet venialia; hæc quippe remittunt feruorem charitatis in nobis: idem accidere poteſt ceſſando omni ex parte ab exercitio bonorum operum. Circa hunc Articulum eſt.

DVBITATIO VNICA.

An Charitas de facto diminuatur per peccata venialia.

Peccata venialia non minuunt charitatem.

ALtiſſiodorenſis, & alij cum eo partem affirmantem tuentur. Ceterum contraria opinio videtur indubitata: peccata enim venialia non

opponuntur charitati : ergo non poſſunt illius entitatem minuere, etſi multiplicentur in infinitum ; rectè ſiquidem docet Ariſtoteles, illud omne quod corrumpitur à ſuo contrario corrumpi ; peccatum autem veniale non contrariari charitati ex eo innoteſcit, quòd fateantur omnes culpas veniales ſimul conſiſtere cum charitate; at contraria ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt : ergo peccata venialia nequeunt minuere charitatem.

Deinde, ſi res aliter haberet, puniretur is qui agit in charitate, quando peccat venialiter vltra demeritum, nam priuaretur ea re per quam quotidie in Deum tamquam in vltimum finem dirigitur, nempe gradu, aut gradibus aliquibus charitatis, & tamen non auertitur à Deo tamquam ab vltimo fine per peccatum veniale ; at certum eſt Deum neminem punire vltra demeritum.

Tertiò, ſequeretur charitatem extingui in nobis per peccata venialia, quodlibet enim finitum per diuiſionem minuitur, & tandem abſumitur ; at conuenit inter omnes peccata venialia, non deſtruere in nobis charitatem, alioquin damnaretur aliquis ſinè vllo planè peccato mortali; neque enim fieri poteſt vt quis conſequatur de facto gloriam ſinè charitate : ergo.

Aliquorum ſolutio ineffax.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, charitatem nuſquam extingui per peccata venialia, ſed tantùm minui, idque quòd minuatur iuxta partes proportionales.

Cæterùm reſponſio hæc defendi nullo modo poteſt : nam non poſſunt authores iſti probare diuiſionem charitatis ſeu imminutionem per peccata venialia fieri ſemper in partes æquales ; de hac quippe re nihil apud Patres aut Concilia deprehendere licet, nihil item ex Scripturis.

Deinde, ratio aduerſatur huic reſponſioni ; cùm enim peccata venialia ſint inter ſe inæqualia, non poſtularent æqualem charitatis imminutionem, ſed potiùs inæqualem.

Aliorum reſponſio debilis.

Alij verò reſpondent ideò deſtrui charitatem in nobis per peccata venialia, quòd hæc multiplicata tranſeant in naturam peccati mortalis.

Verùm doctrina iſta nulla ratione ſuſtineri poteſt ; eſt enim propoſitio communiſſima inter Theologos, peccata venialia in infinitum multiplicata non poſſe attingere rationem peccati mortalis, cùm hoc in eo diſtinguatur à veniali, quòd ſit læſio Dei, vel proximi in re graui, & ex aduertentia rationis completa, & perfecta : iſtud verò ſit læſio eorumdem in re leui, & coniuncta cum animaduerſione rationis imperfecta.

Alij denique reſpondent, peccata venialia etiam multiplicata in infinitum, non conſequi naturam peccati mortalis, imputari tamen veluti peccatum mortale ob circumſtantiam charitatis deperditæ propter huiuſmodi peccata venialia commiſſa.

Non ſatisfaciunt alij.

Sed neque iſti aliquid dicunt ; neque enim fieri poteſt vt aliquid imputetur alicui tamquam peccatum mortale, niſi fuerit verè tale ; at fatentur peccata venialia, etiam in infinitum multiplicata non attingere naturam peccati mortalis : ergo neque imputabuntur ac ſi mortalia forent. Confirmatur : Pœna æterna ſoli peccato mortali debetur ; temporalis verò ſoli veniali : ergo neque fieri poterit, vt aliquis propter peccatum veniale adiudicetur pœnis æternis ; neque item priuabitur aliquis charitate propter peccata venialia multiplicata etiam in infinitum.

Vltima ratio.

Denique, ſi peccata venialia minuerent charitatem, ſequeretur in vno & eodem inſtanti temporis charitatem intendi, & remitti in nobis ; nam nihil vetat quominùs conſtitutus in charitate exerceat aliquem actum honeſtum, & meritorium vitæ æternæ, & præterea quòd admittatur in hoc eodem complacentia alicuius peccati venialis, quæ ex hypotheſi minuit charitatem, quemadmodum & actus meritorius vitæ æternæ eamdem auget ; at illatio iſta defendi nullo modo poteſt : ergo neque id ex quo deducitur, nempe charitatem minui per peccata venialia. Ità ſentiunt communiter interpretes S. Thomæ hoc loco : Sententiarij verò, alij in 2. diſt. 17. & alij in 3. diſt. 27.

Obiectio 1.

Obijcies, eum qui agit in charitate experiri ſe minùs aptum eſſe ad actus charitatis exercendos, quò magis peccat venialiter ; argumento igitur eſt charitatem eſſe imminutam per peccatum veniale.

Solutio.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam ; difficultas quippe iſta exercendi actus charitatis non prouenit ex culpis venialibus, vt ſic, ſed ex habitibus oppoſitis comparatis ex iteratis actibus contrarijs charitati, & alijs virtutibus, & præterea ex defectu illius auxilij ſpecialis, quod Deus confert ijs omnibus, qui exercent actus charitatis cum maiori conatu, & maiori cum affectu charitatis.

Obiectio 2.

Obijcies 2. peccatum mortale ideò deſtruere charitatem quòd ſit venenum charitatis, ex doctrina Patrum communiter recepta ; at peccatum veniale eſt etiam venenum charitatis, ex D. Bernardo, & alijs Patribus : ergo.

Solutio.

Reſpondeo, peccatum veniale cenſeri venenum charitatis, non quòd deſtruat aut deſtruere poſſit entitatem charitatis ſecundùm ſe totam, vel ſecundùm minimam eius partem, ſed tantùm quòd remittat eiuſdem feruorem.

Replica.

Inſtant eum qui peccat venialiter, cadere : ex illo Prouerb. 24. *Septies cadet iuſtus.* & Apocal. 3. *Memor eſto vnde excideris* : ergo.

Prou. 24. ℣. 16. Apoc. 3. ℣. 3.

Diſſoluitur.

Reſpondeo, eum qui peccat venialiter cadere non à gratia, aut à charitate diuina, ſed tantùm à feruore illius ; ac proinde lapſus hic nec deſtruit, nec minuit charitatem ſpectatam ſecundùm ſuam entitatem.

Obiectio 3.

Obijcies 3. peccatum veniale eſſe culpam propriè dictam, imò imprimere maculam, ac proinde cùm macula peccati ex doctrina S. Thomæ nihil aliud ſit, quàm carentia nitoris & pulchritudinis ſpiritalis, peccatum veniale imminuet charitatem ; nomine quippe nitoris, & pulchritudinis ſpiritalis nihil aliud ſignificatur quàm gratia & charitas.

Solutio.

Reſpondeo, peccatum veniale eſſe verè & propriè peccatum : conſtanter tamen affirmo maculam iſtius peccati non eſſe vel carentiam nitoris, & pulchritudinis ſpiritualis, vel imminutionem iſtorum, ſed actum peccati præteriti non emendati per veram penitentiam, vt docuimus in tractatu de macula peccati. Quod verò dicitur ex S. Thoma. Reſpondeo, hoc eſſe intelligendum de effectu, qui proximè conſequitur ad poſitionem cuiuſlibet peccati mortalis in eo qui peccat mortaliter ; hic enim hoc ipſo quòd peccat mortaliter priuatur gratia & charitate quam habebat; macula tamen peccati eſt actus peccati non emendati per veram penitentiam, tam in mortali, quàm veniali.

Obijcies

Digitized by Google

Obieſt. ult. Obijcies vltimò, eum qui habet charitatem cum peccato veniali minùs diligi à Deo, quàm is qui habet tantùm charitatem ſinè culpa veniali, etiam ſi charitas illius ſit magis intenſa: ergo ſignum eſt illius charitatem eſſe imminutam.

Solutio. Reſpondeo, aliquem diligi plus vel minus à Deo duobus modis; altero quia habet intenſiorem charitatem; altero quia caret omni impedimento per quod arceatur à Dei beneuolentia, vel ab adeptione vitæ æternæ: Primo modo certum eſt Deum magis diligere eum qui habet charitatem ſinè peccato veniali, quàm diligat eum qui habet charitatem cum peccato veniali, obiectum quippe dilectionis diuinæ in nobis cenſetur eſſe charitas, animæ inhærens: ſecundo verò modo minùs diligitur hic à Deo, qui habet charitatem ceterùm coniunctam cum veniali, etſi charitas fuerit intenſior quàm ſit illius qui caret omni culpa venali. Verùm defectus hic non eſt refundendus in maiorem vel minorem charitatem ſed in ſolam culpam venialem, quam probare Deus nullo modo poteſt, nec vt eſt in ſeipſa, nec vt eſt in nobis. Ex quibus tamen non licet colligere charitatem minui ſecundum ſuam entitatem, ſed tantùm ſecundum feruorem.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An Charitas ſemel habita poſſit amitti.

RESPONDET charitatem patriæ non poſſe deperdi, bene tamen charitatem viæ.

ARTICVLO 12. quæritur, an charitas amittatur per vnum actum peccati mortalis. Reſpondet affirmatiuè.

Circa iſtos duos Articulos ſit

DVBITATIO PRIMA.

An Charitas verè deſtruatur in nobis per quodlibet peccatum mortale commiſſum.

Charitas deletur per peccatum mortale.

CONCLVSIO. *Charitas perit omnino in eo qui peccat mortaliter.* Primùm, quia ità definitum eſt in Tridentino ſeſſ. 6. cap. 12. & 13. & can. 23. *Si quis dixerit hominem ſemel iuſtificatum amplius peccare non poſſe, nec gratiam amittere, anathema ſit.*

2. Tim. 1. ℣. 19. Galat. 5. ℣. 4. 1. Cor. 10. ℣. 12. & cap. 9. ℣. 27. Apoc. 2. ℣. 4. & cap. 3. ℣. 11.

Deinde, idem colligitur ex Scripturis, 1. Timoth. 1. *Circa fidem naufragauerunt.* & Galat. 5. *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini: à gratia excidiſtis.* & 1. Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* & cap. 9. D. Paulus ità de ſeipſo loquitur. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* & Apocalyp. 2. *Habeo aduerſum te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti.* & cap. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

Tertiò, idem docent SS. Patres, Cyprianus ſermone de lapſis: Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum; Ambroſius in exhortatione ad penitentiam, Chryſoſtomus homilia 24. in Matth.

Quartò, de fide eſt ſacramentum penitentiæ eſſe neceſſarium ad ſalutem omni ei qui peccauit lethaliter, poſt baptiſmi ſuſceptionem, vt colligitur ex illo Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; at ſi charitas ſemel habita nunquam deperditur, falſum eſt ſacramentum peni-

Ioan. 20. ℣. 23.

tentiæ eſſe ſimpliciter neceſſariũ ad ſalutem; nam non poteſt eſſe ſecunda tabula poſt naufragium, cùm ſupponamus charitatem amitti minimè poſſe, quæ tamen infunditur per baptiſmi ſuſceptionem.

Quintò, quilibet noſtrûm pro toto ſtatu viæ eſt liber nedum libertate contradictionis, ſed etiam contrarietatis, ac proinde poteſt vel bonum vel malum operari: ergo cùm peccatum mortale, & charitas, ſaltem de lege communi opponantur, quilibet poterit excidere à ſua charitate. Deinde, viri vitæ probitate inſignes defecerunt ab iſto ſtatu per peccatum mortale, vt conſtat ex Dauide 2. Reg. 24. *Peccaui valde in hoc facto: ſed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtultè egi nimis.* & ex D. Petro Matth. 26. & ex Marcellino, vel Marcello; thura quippe obtulit Dijs, vt vitæ conſuleret, referente Nicephoro, & alijs hiſtoriographis Eccleſiaſticis.

2. Reg. 24. ℣. 10. Matth. 26.

Denique, SS. Patres maximè verò D. Auguſtinus ſerm. 41. de Sanctis, & in Pſal. 118. & Gregorius in paſtorali aiunt hominem multiplicatis peccatis venialibus à ſtatu iuſtitiæ non repentè, ſed per partes totum cadere. Idem affirmat Bernardus ſerm. 1. de conuerſione Pauli, quæ tamen teſtimonia ſunt intelligenda, non quidem formaliter, vt verba ſonant; docuimus enim peccatum veniale, nec minuere, nec deſtruere entitatem charitatis, ſed tantùm remittere eius feruorem. Sunt ergo intelligenda tantùm diſpoſitiuè, quatenus ſcilicet is qui peccata venialia multiplicat, diſponit ſe quodammodo ad peccatum mortale committendum; accidit enim vt plurimum vt is qui non abſtinet à culpa veniali labatur in mortalem. Addo eſſe aliquos qui dicant teſtimonium D. Bernardi explicandum eſſe per exaggerationem, quatenus nempe ex hac ratione loquendi ſumeret occaſionem alliciendi quoſcumque Chriſtianos ad peccata venialia cum maxima ſolicitudine deuitanda.

Aduerſantur hæreſi varij.

Hæc Concluſio eſt contra Illuminatos noſtri temporis; credunt enim vnumquemque noſtrûm, ità poſſe ſeipſum perficere in honeſtis actionibus exercendis, vt ab iſtis deficere minimè queat. Eſt etiam contra Iouinianum referente Hieronymo in libris contra eumdem; contra Pelagianos, vt conſtat ex D. Auguſtino hæreſi 88. contra Beguardos & Beguinas, ex Clementina, *Ad noſtrum*, de hæreticis. & denique contra Caluinum in lib. ſuarum inſtitutionum vbi ait hominem prædeſtinatum ità iuſtificari per fidem, vt ab ea deficere nullo modo queat.

Obiectio 1.

Obijciunt locum illum 1. Ioann. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* & cap. 5. *Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat.* & Matth. 7. *Non poteſt arbor bona, malos fructus facere*: ergo adepta ſemel charitas non poteſt deperdi.

1. Ioan. 3. ℣. 9. & cap. 5. ℣. 18. Matth. 7. ℣. 18.

Solutio.

Reſpondeo, hæc intelligenda eſſe reduplicatiuè, ità vt velit Scriptura eum qui natus eſt ex Deo ſub ea ratione, qua natus eſt ex Deo non peccare, neque peccare poſſe: arborem item bonam, vt bona eſt, non poſſe: malos fructus facere; cum his tamen rectè cohæret, vt natus ex Deo, atque adeò & in charitate conſtitutus peccet, quatenus liberè fertur circa obiectum aliquod illicitum, & quidem in re graui. Idem dicendum eſt de arbore bona.

Obiectio 2. Rom.8. ℣. 38.& 39. Cant. 8. ℣. 7.

Obijciunt 2. Paulum cap.8. Rom. quærere, an conſtitutus in charitate poſſit ab ea deficere, reſpondere tamdem, *Certus ſum*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Hoc ipſum videtur colligi cap.8. Canticorum. *Aquæ multæ*, id eſt, perturbationes, & afflictiones diuerſæ, *Non potuerunt extingnere charitatem.*

Solutio.

Reſpondeo, hæc eſſe intelligenda de charitate prædeſtinatorum, prout in illis datur conſtitutis in vltimo vitæ ſpiritu; in hoc enim inſtanti temporis charitas eſt inſeparabilis de facto ab huiuſmodi prædeſtinatis: repugnat enim, ſaltem de lege communi, eſſe prædeſtinatum, & mori ſinè gratia & charitate: non eſt tamen negandum quin charitas ſimpliciter & abſolutè loquendo poſſit extingui in prædeſtinatis, etiam in vltimo inſtanti vitæ, cùm verè liberi ſint, etiam pro eo inſtanti temporis, atque ità poſſint liberè ferri in bonum & malum; de facto tamen non deficiet charitas in iſtis.

Obiectio 3.

Obijciunt 3. SS. Patres affirmare hominem conſtitutum in charitate nulla ratione peccare poſſe; ſic habent D. Auguſt. Chryſoſtom. & alij dum agunt de charitate.

Solutio.

Reſpondeo, huiuſmodi teſtimonia explicanda eſſe reduplicatiuè, vt diximus ad primam obiectionem.

Obiect. vlt.

Obijciunt vltimò: ſi charitas deperderetur in nobis per peccatum mortale, vel annihilaretur, vel ex ea aliquid produceretur: non primum, quia non conſueuit Deus annihilare vllas planè res à ſe productas; nec ſecundum, quia non poteſt dici quid ſit illud quod produceretur ex charitate: ergo &c.

Solutio.

Reſpondeo, charitatem deſinere eſſe interueniente peccato mortali; eadem planè ratione, qua cetera accidentia ordinis ſupernaturalis, in nobis eſſe deſinunt interueniente ſimili culpa mortali: deſinit ergo charitas ex hoc ſolo, quòd non conſeruetur à Deo in nobis, poſito peccato.

DVBITATIO SECVNDA.

Qua ratione peccatum mortale deſtruat charitatem.

Quorumdã opinio.

SVnt qui putent peccatum mortale extinguere in nobis charitatem phyſicè, ſeu, quod idem eſt, per veram efficientiam, & cauſalitatem. Ità Caietanus art.10. huius quæſt. Sotus & alij.

Et ratio.

Probant: Peccatum mortale & charitas opponuntur inter ſe relatiuè; at relatiuè oppoſita deſtruunt ſe phyſicè: ergo & illa.

Impugnatur.

Verùm hæc ratio iſtorum opinionem nulla ratione probat; ſupponit enim rationem formalem peccati poſitam eſſe in relatione contrarietatis ſeu diſconuenientiæ, ad rectam regulam; cuius tamen oppoſitum docuimus in 1.2. quæſt.71. & quidem meritò: fundamentum enim cuiuſlibet relationis cenſetur eſſe prius relatione, ſi non tempore, ſaltem natura; at peccatum cenſetur eſſe fundamentum relationis diſconuenientiæ ad rectam regulam; propterea enim aliquid eſt diſconueniens rectæ regulæ, quia peccatum eſt.

Deinde, mens humana capere non poteſt ens rationis operari phyſicè, modus quippe operandi ſequitur modum eſſendi; at relatio diſconuenientiæ ad rectam regulam eſt ens rationis, ex multorum opinione, ex aliorum verò mente ens morale: ergo nequit hæc phyſicè operari.

Aliorum rationes.

Alij verò probant: Charitas & peccatum mortale ſunt formæ incompoſſibiles in vno & eodem ſubiecto, eadem ratione qua album & nigrum: at hæc expellunt ſe phyſicè ab eodem ſubiecto: ergo & illa.

Improbatur.

Verùm ratio iſta opinionem allatam minimè probat: falſum enim eſt peccatum mortale & charitatem opponi inter ſe eadem ratione, qua album & nigrum; hæc enim duo ponuntur ſub vno & eodem genere proximo, prout poſtulat natura & eſſentia contrariorum; peccatum autem mortale & charitas non ità: charitas enim eſt ordinis ſupernaturalis ex ſe, & ſua natura, atque adeò ſpectat ad genus qualitatis ſupernaturalis ex ſe; peccatum autem mortale eſt ordinis naturalis: ergo iſta duo non ſunt contraria eo modo, quo album & nigrum. Deinde, album per ſe opponitur nigredini, & è contra: at charitas ex ſua natura non opponitur peccato mortali, ſed tantùm de lege ordinaria; docuimus enim in tractatu de gratia per omnipotentiam Dei fieri poſſe, vt charitas & peccatum mortale ſimul in vno & eodem ſubiecto reperiantur. Accedit, ex doctrina Nominalium, charitatem non facere hominem per ſe & ſua natura gratum & acceptum Deo, ſed tantùm de lege & ordinatione diuina: imò diximus in tractatu de gratia non ſufficere ad hominis iuſtificationem, gratiæ & charitatis infuſionem, ſed deſiderari vlterius externam Dei condonationem, per quam Deus iniuriam ſibi irrogatam relaxat: argumento igitur eſt, falſum eſſe quod docent illi Authores eodem modo opponi peccatum mortale & charitatem, quo album & nigrum.

Diſcurſus aliorum.

Alij probant: Quod inducit diſpoſitiones contrarias diſpoſitionibus neceſſarijs ad conſeruationem charitatis, deſtruit phyſicè charitatem; at quodlibet peccatum mortale ità facit: ergo phyſicè expellit.

Inefficax.

Verùm neque hæc ratio aliquid dicit: nam monuimus ſupra, mentem humanam capere non poſſe entia rationis operari phyſicè. Deinde, quod inducit diſpoſitiones contrarias diſpoſitionibus neceſſarijs ad conſeruationem charitatis, non neceſſariò operatur phyſicè; poteſt enim inducere diſpoſitiones iſtas moraliter agendo, vt conſtat ex eo qui hortatur hominem ad malum aliquod, vel bonum opus producendum; hic enim eo ipſo, quod ità operatur dicitur diſponere hominem moraliter ad bonum, vel malum operandum: imò hoc videtur ſentire D. Thom. art. 10. huius quæſt. in corpore, vbi ait peccatum mortale deſtruere charitatem nedum effectiuè, ſed etiam moraliter ad bonum vel malum operandum.

Peccatum mortale deſtruit charitatem moraliter non phyſicè.

CONCLVSIO. *Peccatum mortale deſtruit charitatem in nobis moraliter, ſeu demeritoriè, non autem phyſicè.* Primùm, quia peccatum mortale & charitas non opponuntur inter ſe phyſicè, cùm non collocentur ſub eodem genere proximo vt ſupra: quod tamen eſt ſimpliciter neceſſarium vt aliqua dicantur inter ſe contraria, ex Ariſtotele cap. de Oppoſitis.

Deinde, quod à ſolo Deo producitur phyſicè, ab eodem quoque deſtruitur phyſicè; at charitas producitur à ſolo Deo phyſicè, ex ſupra dictis. Confirmatur: eædem ſunt planè cauſæ deſtructiuę alicuius habitus, ac productiuæ; at charitas à ſolo Deo producitur phyſicè: ergo & ab eodem phyſicè deſtruetur.

Tertiò,

Tertiò, peccatum mortale extinguit charitatem eadem ratione qua actus meritorius eamdem auget; at actus hic charitatem auget non phyſicè ſed tantùm moraliter & meritoriè, vt ſupra dictum eſt: ergo &c.

Denique, illud operatur meritoriè ſeu moraliter quod mouet aliquem ad aliquid agendum præcipiendo, deterrendo, conſulendo, & alijs modis: at peccatum mortale commiſſum ab homine agente in charitate, mouet Deum hoc ipſo quod committit tale peccatum, ad deſtruendum in eo charitatem, vt fatentur omnes: ergo demeritoriè expellit peccatum mortale charitatem.

In hoc conueniunt Nominales: Ockam, quod-lib. 3. & in 4. diſt. 16. Scotus in 3. diſt. 23. quæſt. vnica, & in 4. diſt. 16. quæſt. 2. Durand. imò & D. Thomas, licèt à Thomiſtis in contraria citetur ſententia, videtur fauere noſtræ opinioni: articulo namque 2. huius quæſt. ait peccatum mortale deſtruere charitatem, eodem planè modo quo lumen deſtruitur in aëre per oppoſitionem alicuius corporis opaci; hoc autem non deſtruit phyſicè lumen, ſed ſolùm facit ne radij ſolares illuminent eam partem aëris, quæ occupatur ab huiuſmodi corpore opaco. Deinde, ait idem D. Thomas peccatum mortale deſtruere charitatem, quia leges amicitiæ non ſeruantur inter inimicos; hæ autem leges ſunt in genere moris, vnde videtur etiam affirmare peccatum mortale deſtruere charitatem moraliter, quod fatetur verbis expreſſis art. 10. huius quæſt. Neque oppoſitum colligitur ex eo quòd ibidem dicat peccatum mortale deſtruere charitatem effectiuè; diximus enim effectiuè non eſſe idem ac phyſicè agere.

QVÆSTIO XXV.

De obiecto Charitatis, ſeu, quod idem eſt, de rebus ex charitate diligendis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An dilectio charitatis ſiſtat in Deo, an etiam ſe extendat ad proximum.

DVBITATIO PRIMA.

An detur aliquod præceptum de rebus aliquibus ex charitate diligendis.

Præceptum dilectionis Dei. Matth. 22. ℣. 37. & 38.

Marc. 12. ℣. 29. & 30.

ONCLVSIO 1. *Extat præceptum de Deo diligendo.* Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum.* Marc. 12. *Ieſus autem reſpondit ei*, id eſt vni ex Scribis, *quia primum omnium mandatum eſt: audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt: Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum.* Luc. 10. Deuteronomij 10. *Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum?* Idem docent Patres ad locum Matth. citatum. Luc. 10. Deut. 10. ℣. 12.

ROGABIS, *An liceat diligere Deum propter mercedem æternam, aut etiam temporalem*: qua de re extat error Lutheranorum, vt refert Stapletonus de iuſtificatione lib. 10. cap. 13. & cuiuſdam alterius hæretici; vt videre eſt in Directorio Inquiſitorum, qui volunt propter mercedem & beatitudinem æternam nulla prorſus ratione licere diligere Deum ex charitate. Probat primò, quoniam Chryſoſtomus lib. 2. de compunctione cordis reprehendit eos qui mercedis gratia Deum colunt, & D. Bernardus lib. de diligendo Deo: *Non ſine præmio*, inquit, *diligitur Deus, etſi ſine ſpe præmij ſit diligendus.* *Luthers error & argumenta.* 1.

Deinde, charitatis eſt potiùs propter accepta beneficia amare Deum, quàm propter accipienda; non enim charitas mercenaria eſt, vt admonet Bernardus lib. ſupra citato. 2.

Tertiò, ſi ità res haberet, ſequeretur magis diligere nos mercedem & vitam æternam, quàm Deum ex charitate, propter quod enim vnumquodque tale, & illud magis: igitur nequit diligi Deus ob gloriam futuram. 3.

Hic tamen errorreijcitur primum, ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 31. *Si quis dixerit iuſtificatum diligere ob peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur: anathema ſit.* Deinde, ex Scripturis Pſal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Matth. 4. *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum.* 1. Corinth. 9. *Neſcitis quod ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? ſic currite vt comprehendatis.* Hebr. 11. *Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus.* & ibidem de Moyſe. *Aſpiciebat enim in remunerationem.* & cap. 12. *Curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum.* 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* *Licet Deũ diligere ob præmium.* Pſal. 118. ℣. 112. Matth. 19. ℣. 17. Idem 4. ℣. 17. 1. Cor. 9. ℣. 24. Hebr. 11. ℣. 10. Ibid. ℣. 26. Ibid. cap. 12. ℣. 1. & 2.

Tertio, ità tradunt Patres: D. Auguſtinus in Pſal. 14. & in Pſal. 118. Hieronymus, Hilarius, & Ambroſius, Origenes ad Pſal. 118. Chryſoſtomus, Theophylactus ad cap. 11. & 12. ad Hebræos, Cyprianus epiſt. 4. lib. 2. & Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Gregorius lib. 8. Moral. cap. 7. & 8. 1. Tim. 3. ℣. 8.

Ad argumenta autem contraria reſpondeo. Ad 1. non prohiberi ſimpliciter & abſolutè à ſanctis Patribus, ne Deus ametur propter remunerationem, ſed tantùm ne quis propter ſolam remunerationem bene agat, ità vt vltimus finis, in quo ſiſtat, & vltra quem non tendat ſit remuneratio ſola; adeò vt ſublata huiuſmodi remuneratione non exequeretur tales bonas operationes; hac enim ratione operari bene, eſt vitioſum, cùm ſit contra ordinem charitatis, aliquid ſiquidem magis amaretur quàm Deus, nempe emuneratio; licet tamen bene agere propter remunerationem, ea lege quòd huiuſmodi remuneratio non ſit vltimus finis, ſed ordinetur & referatur in Deum velut in vltimum finem, adeò vt licèt bene agentibus non eſſet propoſita huiuſmodi merces, remuera tamen bene agerent propter ſolum Deum, qui eſt vltimus finis rerum omnium. *Reſponſio ad obiecta.*

Diſſolutio 2.

Ad 2. Reſpondeo duobus modis aliquid dici mercenarium. Primò, quod propter ſolam remunerationem agit, ità vt illa ſublata deſinat omnino agere: ſecundò quod agit propter remunerationem, non tamen ſolam, ſed multò magis, quia honeſtum eſt ità operari, ità vt operationes ſuas referat in Deum, tamquam in vltimum finem: primo modo charitas non eſt mercenaria, bene tamen poſteriori.

3.

Ad 3. nego ſequelam maioris; non enim Deus diligitur primò & per ſe, aut vltimò propter remunerationem vitæ æternæ, ſed opera noſtra in Deum veluti in vltimum finem ordinantur. Neque verò ſolùm licet diligere Deum ex charitate propter beatitudinem æternam, verùm etiam propter bona temporalia, ea tamen lege & conditione, quòd res temporales ſint motiua quædam tantùm dilectionis & charitatis, ſeu diſpoſitiones ad bona ſpiritualia, vt colligitur ex doctrina D. Thomæ quæſt. 27. art. 3. nam ſi res temporales rationem vltimi finis, aut Dei, aut ipſius dilectionis haberent, tunc eſſet actio inordinata: cùm maius bonum ordinaretur ad minus, dilectio ſcilicet ſupernaturalis ad res temporales.

Præceptum amoris proximi.

Matth. 22. ℣. 39.

1. Ioan. 4. ℣. 21. & cap. 3. ℣. 24.

Idem 3. ℣. 5.

Luc. 13. ℣. 3.

1. Ioan. 3. ℣. 14.

CONCLVSIO 2. *Datur præceptum charitatis de proximo diligendo.* Luc. 10. Matth. 22. *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* 1. Ioann. 4. *Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit eum, diligat & fratrem ſuum.* Ioann. 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.*

Deinde, de omni re ſimpliciter neceſſaria ad vitam æternam, extat præceptum, vt conſtat de baptiſmo, Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei.* Luc. 13. de penitentia. *Niſi penitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* at charitas eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem omni planè adulto. & ex 1. Ioann. 3. *Qui non diligit, manet in morte:* ergo datur præceptum de diligendo proximo.

1. Tim. 1. ℣. 5.

Denique, quoties adeſt præceptum de medijs neceſſarijs ad finem aliquem obtinendum; datur etiam lex aliqua de huiuſmodi fine, vt fatentur communiter omnes: at extant præcepta de medijs neceſſarijs ad charitatem conſequendam, quæ eſt finis cuiuſlibet præcepti, ex 1. Timoth. 1. *Finis præcepti eſt charitas:* ergo &c.

Proximus eſt quicumque homo. Luc. 10.

Cùm autem diximus dari præceptum de proximo dligendo, nomine proximi ſignificatur quilibet homo, vt patet ex parabola Samaritani, quæ habetur Luc. 10. & ex D. Auguſt. lib. 1. cap. 33. de doctrina Chriſtiana: quod probat ex Rom. 13. ex illis verbis. *Si quod eſt aliud mandatum in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum* & ſupra: *Qui diligit proximum legem implenit:* vult enim Paulum ità ratiocinari eo in loco, in his verbis. *Qui diligit proximum legem implenit*, continentur iſta, *Non occides, non mœchaberis*, &c. quæ pertinent ad proximum; at certum eſt actiones iſtas malas eſſe: ergo & hæc verba, *Diliges proximum*, &c. ſunt intelligenda de quolibet planè homine, quiſquis ille ſit & cuiuſlibet ſectæ, ſeu religionis, adeò vt natura iſtius hominis ſit ex charitate diligenda.

Rom. 13. ℣. 9. ℣. 8.

Denique, omnes omnino homines ſunt vnius, & eiuſdem planè ſpeciei; ſunt etiam omnes ex æquo capaces gratiæ, & ceterorum donorum ſupernaturalium, atque adeò & beatitudinis æternæ; at communio eiuſdem naturæ facit vt quilibet ſit naturaliter diligendus; communio verò charitatis & gratiæ exigit vt quilibet ex charitate diligatur: ergo nomine proximi ſignificatur quicumque homo.

Vna tantùm charitas.

Aduerte, licèt dentur duo præcepta charitatis, non tamen propterea admittendas eſſe duas ſpecie diſtinctas charitates: Scripturæ namque loquuntur de charitate veluti de vna tantùm ſpecie virtute, vt videre eſt apud Paulum 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* 1. Cor. 13. ℣. 13.

Deindel, icèt diligatur proximus propter Deum, & Deus propter ſemetipſum per charitatem; eſt tamen vna & eadem ratio diligendi Deum & proximum, vt probabitur infra: vnde erit etiam vna & eadem charitas, cùm vnitas ſpecifica cuiuſlibet virtutis repetenda ſit ab obiecto formali eiuſdem, vel à modo tendendi in ſuum obiectum. Denique, fatentur omnes dari tantùm tres virtutes Theologicas & per vnam ex illis charitatem amari Deum & proximum à nobis.

DVBITATIO SECVNDA.

Quandónam obliget præceptum charitatis de diligendo Deo, & proximo.

Quorundã ſententia refellitur. 1.

SVnt qui putent præceptum de diligendo Deo ex charitate obligare tantùm in articulo mortis; verùm minùs rectè: Præceptum namque charitatis ordinatur ad vitam noſtram bene inſtituendam, ex 1. Corinth. 16. *Omnia veſtra in charitate fiant.* 1. Cor. 16. ℣. 14.

2.

Deinde, actus cuiuſlibet virtutis non aliter eſt meritorius vitæ, niſi quia coniungitur cum charitate & gratia; radix quippe meriti eſt gratia & charitas: ergo cùm actus ceterarum virtutum dentur in nobis pro toto illo tempore quo ſumus in hac vita mortali, & poſſint conducere ad vitam æternam obtinendam, præceptum charitatis nedum reſpiciet inſtans in quo quis moritur, ſed etiam præſentem vitam indiſtinctè.

3.

Tertiò, inter omnia præcepta frequentiùs inculcat Scriptura ſacra obſeruationem præcepti charitatis, Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem.* & paulò poſt. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* & in epiſtolis eiuſdem frequentiſſimè dicitur vt diligamus inuicem: imò ex actis vitæ eiuſdem certiſſimum eſt Apoſtolum hunc diſcipulis ſuis hoc vnum impoſuiſſe mandatum, *Diligite inuicem.* & cum ab eiſdem rogaretur, quî fieret vt toties inculcaret huiuſmodi præceptum, reſpondit, quia hoc vnum, ſi fuerit opere completum ſatis eſt ad ſalutem.

Ioan. 13. ℣. 34. & 35.

Aliorum opinio improbatur.

Alij verò credunt iſtud præceptum obligare ſingulis diebus feſtiuis. Verùm neque iſti ad veritatem acceſſiſſe videntur: præceptum enim de feſtis ſanctificandis obligat ad auditionem ſacri, & ceſſationem ab opere ſeruili, ex communi Theologorum doctrina. Sit ergo

Quando obliget dilectionis Dei præceptum.

CONCLVSIO 1. *Præceptum de diligendo Deo ex motiuo charitatis obligat ad reatum peccati, quotieſcumque quis deprehendit rationem & motiua per quæ Deus intelligatur eſſe vltimus finis noſter ſupernaturalis, & benignus benefactor.*

Primùm,

Primùm, quia ob id D. Thomas vult vnumquemque noſtrum obligari ad Deum diligendum ſuper omnia ex charitate, quamprimùm peruenimus ad ætatem rationis, quia in eo inſtanti cognoſcimus Deum authorem noſtrum & benefactorem : ergo quotieſcumque aderit hæc eadem cognitio tenebimur etiam ad Deum diligendum ſuper omnia, ſi occurrant rationes, & motiua diligendi Deum.

Diligere debet Deus in articulo mortis.

CONCLVSIO 2. *Præceptum de diligendo Deo obligat in periculo mortis probabili, vel euidenti, atque adeo & in eo caſu in quo quis martyrium patitur pro Chriſto, ſi fuerit ſibi conſcius peccati mortalis.* Ratio prioris eſt, quia idem eſt dicendum de obligatione præcepti charitatis, ac præcepti iuſtificationis; at iſtud obligat in periculo mortis probabili aut euidenti : ergo & illud.

Deinde, nullus extat inter Theologos, qui neget hominem obligari ad diligendum Deum ſuper omnia, quando imminet periculum mortis probabile, vel euidens.

Denique, præceptum charitatis obligat maximè in hoc caſu, in quo quis vult & debet coniungi Deo ſuo vltimo fini ſupernaturali : at interueniente morte quicumque debet velle coniungi Deo, veluti fini vltimo ſupernaturali, ex

Philip. 1. ℣. 23. Philip. 1. *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto* : ergo &c.

Ratio verò poſterioris eſt, quia martyrium

Ioan. 15. ℣. 13. eſt actus imperatus a charitate ex Ioann. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Deinde, martyrium non poteſt eſſe vtile alicui quando agit in ſtatu peccati mortalis, niſi accederit contritio perfecta, vel dilectio Dei ſuper omnia, vel attritio cum ſacramento, vt dicitur in tractatione de martyrio ; præſertim quando martyr eſt ſibi conſcius peccati mortalis : ergo actus charitatis erit iſti martyri ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, atque adeò præceptum de Deo diligendo obligat in iſto caſu; ſic enim ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem eſt coniuncta cum præcepto.

Diligendus proximus in extrema neceſſitate poſitus.

CONCLVSIO VLTIMA. *Præceptum de diligendo proximo ex charitate obligat ad certum peccatum, quoties proximus conſtituitur in neceſſitate vltima, euidenti vel probabili, ſpirituali, vel etiam temporali, & item occurrente tentatione graui de nocendo proximo.* Primùm, quia non poteſt aſſignari alius caſus in quo teneamur diligere proximum ex charitate.

Deinde, idem eſt iudicium de obligatione iſtius præcepti, ac de præceptis dandæ eleemoſynæ, & correctionis fraternæ ; accedunt enim præcepta iſta ad præceptum dil. diligendo proximo, vt eſt per ſe notum : at præceptum de danda eleemoſyna obligat quotieſcumque proximus in extrema neceſſitate eſt conſtitutus, ex

D. Ambr. illo D. Ambroſij : Vidiſti pauperem fame pereuntem, & non adiuuiſti, occidiſti : præceptum item de fratre emendando obligat quoties frater eſt in extremo periculo ſuæ ſalutis, & ſperatur fore, vt interueniente correctione emendetur : ergo in illo caſu tenemur diligere proximum.

Matth. 22. ℣. 39. Addo præceptum de diligendo proximo obligare ad eum diligendum, quemadmodum quiſque ſeipſum diligit, ex Matth. 22. *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum* : dictio autem, *ſicut teipſum*, non dicit æqualitatem, ſed tantùm ſi-

Explicatur ly ſicut teipſum.

militudinem ; neque enim ità intensè, aut etiam perfectè tenemur diligere proximum, ſicut noſipſos ; dilectio namque ſuiipſius eſt regula dilectionis alterius. Deinde, ordo charitatis reſpectu proximi incipit à ſeipſo, adeò vt quilibet teneatur prius diligere ſeipſum, quàm ea quæ ſunt extra ſe poſita ; imò D. Thomas quæſt. ſequente differendo de ordine retinendo inter ea quæ diliguntur à nobis ex charitate, aſſerit ea quæ magis nobis coniunguntur, magis eſſe diligenda ; quæ verò magis diſtant à nobis, poſteriori loco eſſe amanda ; hæc autem ſimilitudo poſita eſſe in eo quòd quemadmodum diligimus noſipſos propter Deum, ità & proximum propter eumdem diligamus : item quemadmodum volumus nobis aliqua bona, ità etiam & proximo exoptemus propter ſemetipſum ; hæc enim dilectio complacentiæ, ſeu beneuolentiæ, potiùs quàm concupiſcentiæ eſſe debet. Denique, quemadmodum nullus eſt qui velit ſibi ipſi malum, ità etiam nullum debet proximo deſiderare nocumentum.

Non odio habendi Deus & proximus.

Eſt autem obſeruandum in præceptis iſtis de diligendo Deo & proximo, contineri præceptum negatiuum, de non odio habendo Deum & proximum, quod obligat in omni planè inſtanti ; nec enim fas eſt in aliquo inſtanti temporis velle Deum aut proximum odio habere; ex illa regula communiſſima Theologorum ; præcepta negatiua obligant ad ſemper & pro ſemper ; affirmatiua verò tantùm ad ſemper.

DVBITATIO VLTIMA.

An quilibet noſtrum teneatur ad diligendum Deum actu intenſiſſimo charitatis, ſeu, quod idem eſt, ex toto conatu, qui poteſt dari in nobis.

Quorumdã ſententia.

SVnt qui putent partem affirmantem eſſe indubitatam, quod probant primò ex 22. Matthæi. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. 1. Matth. 22. ℣. 37.

Deinde, quia Deus ità eſt ex charitate diligendus quemadmodum eſt in ſe amabilis ; at eſt ſimpliciter & infinitè amabilis in ſeipſo : ergo & ſimili modo diligendus. 2.

Denique, ſi non ità diligatur Deus à nobis, non recedimus à creatura vt oportet, neque conuertimur debitè in Deum tamquam in finem noſtrum vltimum ; longe namque perfectiori ratione poſſumus nos auertere à creatura, & conuertere in Deum vt in finem vltimum : ità Alenſis, Altiſiodorenſis, & alij veteres Scholaſtici in 4. diſtinct. 17. alij in 1. diſtinct. 17. 3.

Ad dilectionem Dei minimè eſt neceſſarius intenſiſſimus actus.

CONCLVSIO 1. *Ad præceptum de diligendo Deo obſeruandum non eſt neceſſarius actus intenſiſſimus charitatis.* Primùm, quia eodem modo tenemur ad dilectionem Dei ex charitate, quo ad dolendum de peccatis mortalibus, quemadmodum enim dicitur Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. ità Ioël. 2. dicitur illis qui peccarunt mortaliter : *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, &c. & *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt*, at nullus eſt qui teneatur elicere actum intenſiſſimum doloris de peccatis commiſſis, ſed

Idem ibid. Ioël. 2. ℣. 12. & 13.

Digitized by Google

ſatis eſt ſi de illis doleat intensè, vel remiſsè vt colligitur ex Zach. 1. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos*, & ex cap. 55. Iſaiæ. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum*: ergo.

Zach. 1. ℣. 3. Iſai. 55. ℣. 7.

Confirmatur: Conuerſio quælibet in Deum tamquam in vltimum finem, & auerſio à creatura, tamquam ab vltimo fine, ex locis citatis ſufficiunt ad hoc vt aliquis doleat de peccatis, vt oportet; in illis namque dicitur conuerſionem ad Deum & auerſionem à creatura ſufficere vt Deus ad nos conuertatur & peccata nobis remittat, nulla facta mentione de conuerſione intenſa vel remiſſa: ergo.

Deinde, ſi actus intenſiſſimæ charitatis eſſet neceſſarius ad obſeruationem præcepti de diligendo Deo, laquei deſperationis injicerentur conſcientijs timoratis; nec enim eſſet aliquis, qui poſſet affirmare ſe ſatisfeciſſe præcepto de diligendo Deo ſuper omnia, cùm conſtet neminem affirmare poſſe ſe in dilectione Dei & proximi exerciuiſſe actum intenſiſſimum charitatis, ſeu, quod idem eſt, ex toto conatu poſſibili eos dilexiſſe; at illationes iſtæ non ſunt admittendæ, cùm præcepta diuina non obligent nos cum tanta ſeueritate: ergo nec illud ex quo ſequitur.

Tertiò, ſequeretur præcepta non eſſe de rebus poſitis in noſtra poteſtate, nam quilibet noſtrùm vt primum videt parentem extinctum vel alium valde amicum in lacrymas illicò prorumpit; ſecus verò quando contigit lethaliter eum contra Deum peccaſſe; imò licèt ex toto conatu contendat emittere lacrymas propter culpas contra Deum admiſſas, non tamen id propterea aſſequi poteſt, vt conſtat experientia quotidiana: & ratio ſubiungitur à Theologis & Philoſophis moralibus, quia ſenſibilia iſta magis nos mouent: & afficiunt quàm ea quæ ſunt à ſenſibus remota: at falſum eſt præcepta diuina eſſe de rebus impoſſibilibus, ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. & can. 18. feriuntur enim illic anathemate omnes illi qui affirmant Deum præcepiſſe nobis aliquid impoſſibile.

Denique, docetur communiter præcepta eſſe ſecundùm ſuam ſubſtantiam, non autem ſecundùm modum in præcepto; intenſio autem, & remiſſio cuiuſlibet actus pertinet non ad ſubſtantiam eiuſdem, ſed tantùm ad modum: ergo &c.

Debet amari Deus ſuper omnia appretiatiuè.

Conclvsio 2. *Ad diligendum Deum ſuper omnia ſatis eſt, ſi quis appretiatiuè, ſeu æſtimatiuè dilectionem Dei præferat dilectioni cuiuſlibet alterius rei.* Primùm, quia fieri poteſt vt aliquis ſinè diſpendio præcepti de diligendo Deo ſuper omnia intentiùs diligat patrem, aut matrem, aut alium ſibi amicum quàm Deum, vt diximus, & quòd quis magis ægrè ferat mortem parentis, quàm doleat de peccato contra Deum commiſſo: ergo ſufficiet ſi appretiatiuè Deus præferatur.

Obiectio. Matth. 10. ℣. 37. Dices, rationem iſtam aduerſari verbis Chriſti Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.*

Solutio. Reſpondeo, hoc intelligendum eſſe de eo qui amat patrem aut matrem plus quàm Deum non intenſiuè, ſed appretiatiuè, atque adeò de eo qui præponit amicitiam patris aut matris dilectioni Dei.

Deinde, præceptum de diligendo Deo ſuper omnia tribus ſolùm modis obligare poteſt obiectiuè, intenſiuè, & appretiatiuè; at non tenemur ad diligendum Deum ſuper omnia obiectiuè; tunc enim obiectiuè Deus diligitur ſuper omnia, cùm volumus ei bona aliqua quæ nulli alteri volumus certum autem eſt eadem bona, licèt non eodem modo poſſe nos velle & Deo, & creaturis. Neque item intenſiuè, vt probatum eſt Concluſione antecedente: ſupereſt ergo vt detur tertium, quod accidit quoties dilectionem Dei præponimus dilectioni cuiuſlibet rei alterius, ità vt quando proponitur retinendus amor Dei, aut creaturæ, ſemper abijciamus amorem creaturæ, & adhæreamus amori Dei Opt. Max.

Ad rationes contrarias reſpondeo. Ad 1. Deum diligi à nobis ex toto corde, id eſt, ex tota voluntate, ex tota mente, id eſt, ex toto intellectu, ex tota anima, id eſt, ex anima ſenſibili, & ex totis viſceribus, id eſt, ex quacumque facultate executrice exiſtente in nobis, quandocumque anteponimus dilectionem illius, dilectioni cuiuſlibet rei creatæ, etſi creaturam aliquam intenſiùs diligamus quàm Deum. *Satisfit rationibus.* 1.

Ad 2. Reſpondeo negando maiorem: ſi enim hæc vera eſſent, Deus à nullo alio præterquàm à ſeipſo ex charitate amari poſſet; hic enim eſt ſolus ſimpliciter infinitus, quemadmodum eſt ſimpliciter amabilis obiectiuè ſpectatus: ſatis ergo eſt ad hoc vt aliquid diligatur ex charitate, quòd ſit in ſe verè bonum, & quòd poſſit eſſe capax felicitatis æternæ; hæc autem duo reperiuntur nedum in Deo, ſed etiam in omni creatura rationali, quamuis diuerſa ratione. 2.

Ad vltimam: eum qui exercet actum contritionis, etiam minimum, auertere ſe à creatura tamquam ab vltimo fine, & conuertere ſe in Deum tamquam in vltimum finem, atque adeò debitè, & vt oportet, vt colligitur ex Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam: vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt non recordabor*: quo loco nulla fit mentio contritionis intenſæ vel remiſſæ, ſed loquitur Scriptura de contritione, abſolutè præſcindendo à maiori vel minori intenſione, idque quòd contritio quælibet, etiam minima, modò fuerit de peccatis commiſſis contra Deum ſub ea ratione qua ſunt contra ipſum, ſufficiet ad remiſſionem peccatorum & iuſtificationem noſtram, vt pluribus oſtendetur à nobis ad 3. part. quæſt. 90. *Vlt.* Ezech. 18. ℣. 21. & 22.

Dubitatio 5.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Virtus Charitas ſit ex Charitate diligenda.

ARTICVLVS TERTIVS.

Virtus creaturæ irrationales ſint ex Charitate diligendæ.

CIRCA iſtos duos Articulos fit

DVBITATIO PRIMA.

An Deus, qui Charitas dicitur in ſacris literis, & proximus ſint ex Charitate diligendi.

Deus & proximus ex charitate ſunt diligendi.

CONCLVSIO *eſt affirmatiua.* Nec enim de hac re poteſt eſſe aliqua difficultas; diximus enim Articulo 1. huius quæſtionis dari præceptum de Deo & proximo diligendo.

Deinde, præcipuum obiectum materiale Charitatis eſt ſolus Deus, & ob id computatur charitas inter virtutes Theologicas.

Tertiò, ratio formalis conſtitutiua charitatis cenſetur eſſe bonitas diuina ſub ea ratione, qua eſt ſummè amabilis propter ſemetipſam.

Quartò, ità Patres docent de proximo: D. Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana, cap. 13. & in 1. Canonicam Ioannis, & alij.

Quintò, ratio diligendi ex charitate competit proximo, ex 1. Ioan. 4. *Et hoc mandatum habemus a Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

1. Ioan. 4. ℣. 21.

Ratio diligendi Deũ & proximum eſt vna.

Tota igitur difficultas in eo poſita eſt: *Num vna & eadem ſit ratio diligendi Deum, & proximum ex charitate.* Ceterùm pars affirmatiua videtur indubitata; quemadmodum enim ea omnia quæ creduntur fide diuina, vna & eadem plane ratione creduntur: etſi huiuſmodi res creditæ aliæ ſint creatæ, aliæ verò increatæ; ità ea omnia quæ diliguntur à nobis ex charitate, propter vnam & eamdem planè rationem diliguntur.

Deinde, ratio conſtitutiua charitatis eſt ſola bonitas diuina, vt eſt ſummè amabilis propter ſemetipſam, & cetera per ordinem ad eamdem: ergo cùm Deus & proximus diligantur ex charitate, propter vnam & eamdem rationem amabuntur.

Denique, vna datur tantùm ſpecie charitas ex dictis ſupra: ergo & vna tantùm ratio amandi ex charitate. Ità D. Thomas & eius interpretes communiter.

Obiectio. Obijcies, nos amare proximum propter ſanctitatem & ſingularem eruditionem, affabilitatem, & aliam perfectionem in illo exiſtentem: ergo alia eſt ratio diligendi proximum, & Deum; nam Deus diligitur propter bonitatem, quam in ſe habet, & cetera omnia in ordine ad iſtam bonitatem.

Solutio. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; quando enim diligitur proximus propter perfectiones, quibus præditus eſt, talis dilectio non eſt charitatis, ſed eſt amor moralis vel naturalis, vt rectè docet D. Thomas hoc loco: imò ratio hoc ipſum conuincit; amor namque charitatis ſinè ratione formali conſtitutiua eiuſdem conſurgere nequit, vt eſt per ſe notum; hæc autem non reperitur in tali amore, nec enim amatur proximus propter bonitatem Dei, ſed propter bonitates in eo exiſtentes: ergo illa dilectio non eſt ex charitate.

Replica. Inſtabis, ſanctitatem proximi, nihil aliud eſſe quàm gratiam & charitatem: gratia autem & charitas faciunt nos filios adoptiuos Dei, ac proinde & dilectiuos ex charitate.

Diſſoluitur. Reſpondeo, hæc omnia vera eſſe, non tamen inde poſſe colligi, aliam eſſe rationem diligendi proximum ex charitate, & aliam diligendi Deum; charitas enim & gratia quæ ſunt in proximo, antecedenter tantùm requiruntur ad diligendum illum ex charitate, eadem prorſus ratione, qua & natura rationalis eſt neceſſaria ad amandum aliquem ex charitate: ſola tamen bonitas eſt ratio amandi proximum ex charitate, vtpote quæ ſola ſit principium formale conſtitutiuum charitatis.

Alia obiectio. Obijcies, Deum amari à nobis ex charitate tanquam finem noſtrum vltimum; proximum verò tanquam medium aliquod ordinatum ad vitam æternam, vnde actus quo tendimus in Deum per charitatem eſt intentio; actus verò quo in proximum eſt electio; hæc vero reſpicit media, intentio verò finem: ergo cùm intentio & electio diſtinguantur ſpecie, alia erit ratio diligendi Deum, & alia proximum.

Solutio. Reſpondeo, actum intentionis, & electionis bifariam ſpectari. Primo, vt ſunt actus intentionis, & electionis, vt ſic. Deinde vt ſunt via, ſeu tendentia aliqua, per quam tendimus in Deum & proximum ex charitate: primo modo diſtinguuntur inter ſe ſpecie, ſecundo verò ſunt eiuſdem ſpeciei, eo modo quo actus cuiuſlibet virtutis ſunt vnius, & eiuſdem ſpeciei quando conſiderantur, vt ſunt meritorij vitæ æternæ: habent enim talem vnitatem ſpecificam à gratia & charitate, ex illo 1. Tim. 1. *Finis præcepti eſt Charitas,* hæc autem ſpecies non eſt intrinſeca actibus electionis & intentionis, ſed extrinſeca, cùm non petatur à fine intrinſeco, ſed extrinſeco.

1. Tim. 1. ℣. 5.

DVBITATIO SECVNDA.

An Charitas, & aliæ res inſenſibiles ſint ex Charitate diligendæ.

Res quæ ex charitate diliguntur varia.

VT hæc Dubitatio explicetur, obſeruandum eſt res quæ diliguntur ex charitate eſſe in duplici differentia; aliæ namque diliguntur ſecundùm ſe, aliæ verò quia ſunt tantùm bona quę volumus ijs quos ex charitate diligimus. Primo modo nulla diliguntur à nobis ex charitate, niſi poſitis duabus conditionibus; altera quod in rebus iſtis luceat & reſplendeat bonitas diuina; altera quòd res huiuſmodi ſint capaces beatitudinis æternæ, quo pacto proximi & Angeli ex charitate diliguntur, cùm in illis appareat bonitas diuina, & ſint capaces felicitatis perpetuæ, vt eſt per ſe notum, ſuppoſitis fidei Catholicæ documentis. Poſteriori ratione ea amantur ex charitate, quæ dicunt ordinem ſeu habitudinem ad bonitatem diuinam, & quæ conducunt ad gloriam conſequendam. Hoc ità poſito ſit.

Digitized by Google

Charitas & inſenſibilia quæ ratione diligantur.

CONCLVSIO. *Charitas & cetera inſenſibilia & irrationalia non diliguntur ſecundùm ſe ex charitate, ſed vt ſunt bona quædam quæ volumus iis quos ex charitate amamus.* Ità D. Thomas, articulo 2. & 3. huius quæſt. & interpretes eiuſdem communiter.

Prima pars probatur ex eo, quòd ea tantùm diligantur ex charitate ſecundùm ſe, in quibus reſplendet bonitas diuina, & in quibus datur capacitas conſequendi felicitatem: at charitas & cetera irrationabilia, etſi ſint ordinis ſupernaturalis ex ſe, & ſua natura, non tamen ſunt capacia beatitudinis: hæc enim ſolis rebus intellectiuis & volitiuis debetur, cùm beatitudo iſta poſita ſit in ſolis actibus intellectus & voluntatis: ergo illa minimè diliguntur ſecundùm ſe.

Secunda pars probatur. Ea diliguntur ex charitate tanquam bona, quæ volumus illis quos ex charitate diligimus, quæue conducunt vel conducere poſſunt ad vitam æternam obtinendam; at charitas, fides, ſpes, Sacramenta, & alia dona Dei ordinis ſupernaturalis ſunt huiuſmodi: ergo hæc diliguntur à nobis ex charitate.

ARTICVLO 4. Docet hominem diligere ſeipſum ex charitate, de qua re nulla poteſt eſſe difficultas; charitas enim bene ordinata incipit à ſeipſo, cùm dilectio ſuiipſius ſit ratio diligendi proximum, ex Matth. 22 *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.*

Matth. 22. ỽ. 39.

Deinde, in omni planè homine deprehenditur imago, & ſimilitudo diuinitatis ex 1. Gen. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* at imago diuinitatis poſita eſt in eo quòd quemadmodum in Deo datur intellectus & voluntas, ità hæc duo deprehenduntur in homine.

Gen. 1. ỽ. 26.

Denique, quilibet noſtrûm poteſt eſſe particeps felicitatis æternæ, 1. Tim. 2. *Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ità omnes omnino interpretes D. Thomæ, & Sententiarij.

1. Tim. 2. ỽ. 4.

Obijcies Gregorium homilia 17. in Euangelia affirmare charitatem non poſſe conſurgere niſi inter duos ad minus: ergo.

Reſpondeo, hæc intelligenda eſſe de charitate ſpectata in ratione amicitiæ; monuimus enim ſupra, amicitiam duos aut plures neceſſariò poſtulare; ſecus tamen dicendum eſt de charitate ſumpta in ratione charitatis, cùm hæc, vt ſic, exigit tantùm vt id quod amatur ſit præditum intellectu, & voluntate, & quòd ametur propter bonitatem diuinam: hæ autem conditiones locum habent in eo qui ſeipſum amat, atque adeò poterit ſeipſum diligere ex charitate.

ARTICVLVS QVINTVS.

An debeat homo ex charitate corpus ſuum diligere.

Poteſt diligi proprium corpus ex charitate.

CONCLVSIO 1. *Poteſt quilibet ex charitate amare proprium corpus.* Primùm, quia hæc eſt ſententia D. Thomæ hoc loco.

Deinde, obiectum charitatis cenſetur eſſe proximus: at proximus conſurgit ex anima rationali & corpore: ergo corpus eſt amabile.

Tertiò, corpus noſtrum eſt capax ſuo modo felicitatis æternæ; docet enim D. Auguſtinus in epiſt. ad Dardanum, gloriam corporis reſultare ex gloria animæ.

Quartò, nihil probibet quominùs corpus noſtrum vel alienum ametur propter bonitatem diuinam.

Denique, Paulus Epheſ. 5. Monet coniugatos vt ament ſeipſos, & item corpora ſua, eo modo quo Chriſtus dilexit Eccleſiam; at certum eſt Chriſtum dilexiſſe Eccleſiam ex charitate: ergo poterit quis proprium corpus diligere.

Obiectio.

Obijcies, Scripturam ſacram improbare dilectionem ſui ipſius, atque adeò & proprij corporis 2. Tim. 3. *In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa; erunt homines ſeipſos amantes.* Ioan. 12. *Qui amat animam ſuam perdet eam.* & D. Auguſtinus lib. 14. de Ciuitate Dei; cap. 28. ait amorem ſui ipſius ædificaſſe ciuitatem terrenam; amorem verò Dei, cœleſtem.

2. Tim. 3. ỽ. 1. Ioan. 12. ỽ. 25.

Solutio.

Reſpondeo, exinde non colligi ſimpliciter, & abſolutè, neminem amare poſſe ſeipſum, atque adeò proprium corpus ſinè peccato; hæc namque teſtimonia ſunt intelligenda de ijs, qui ſe amant propter ſe, & pluſquam par ſit, quod accidit quotieſcumque quis ſeipſum, vel proprium corpus diligit ex fine aliquo turpi, & inhoneſto, vt planum eſt ex loco allegato D. Auguſtini, qui ità loquitur. *Fecerunt itaque ciuitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui vſque ad contemptum Dei; cæleſtem verò amor Dei vſque ad contemptum ſui. Denique illa in ſeipſa, hæc in Domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam, huic autem Deus conſcientiæ teſtis, maxima eſt gloria. Illa in gloria ſua exaltat caput ſuum, hæc dicit Deo ſuo: Gloria mea, & exaltans caput meum, &c.* Cum his tamen rectè cohæret, vt quilibet licèt diligat ſeipſum ex charitate, & item proprium corpus, quandocumque ſeipſum diligit, vt habet capacitatem ad vitam æternam obtinendam.

D. Auguſt.

Obiectio.

Dices, ſi ità res haberet, non liceret infeſtare propria corpora ieiunijs, vigilijs diſciplinis, chameunijs, & alijs auſteritatibus; hæc enim pugnant cum amore charitatis.

Solutio.

Reſpondeo negando illationem; rectè ſiquidem dicitur ad Coloſſ. 3. *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.* & 1. Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Eſt tamen modus in iſtis exercitationibus penitentiæ retinendus, idque quòd corpus ſit organum & inſtrumentum, quo vtitur anima in actionibus meritorijs exercendis: vnde cauendum eſt ne ad iſtas ineptum reddatur; quò tendunt illæ Pauli verba *Rationabile ſit obſequium veſtrum*, id eſt vt interpretatur D. Thomas, corporum afflictio non ſit nimia, ſed moderata & rationabilis. Et Diuus Bernardus ſerm. 49. in Cantica. *Diſcretio*, inquit, *omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem. Ordinatione tua perſeuerat dies: diem virtutem appellans. Eſt ergo diſcretio non tam virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrix affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumque naturæ.* Et alibi ait eum qui in corpore & amando & mortificando eſt indiſcretus, peccare quadruplici modo, corpori namque defectū, animo affectū, proximo exemplum, Deo honorem adimit: hinc eſt etiam vt licèt fas ſit domare proprium corpus abſtinentia eſcæ & potus, quantum valetudo permittit, vt loquitur D. Auguſtinus

Coloſſ. 3. ỽ. 5. 1. Cor. 9. ỽ. 27. Rom. 12. ỽ. 1. Bernard.

guſtinus in regula quam tradidit ſuis Religioſis; non tamen fas eſt mutilare proprium corpus propter ſedandas tentationes, quæcumque illæ ſint, neque ſibi ipſi violentas manus inijcere, cùm poſſint hæ ſuperari præſidio diuinæ gratiæ, ex quocumque capite habeant ortum, Philip. 4. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Deinde, meritum eò cenſetur eſſe maius, quò actiones quæ fiunt ſunt difficiliores; meritum præterea conſurgit in nobis etiamſi renitatur corpus quantum poteſt. Tertiò, qui prohibet ne quis occidat alium, vetat etiam ne ſeipſum interficiat; regula namque dilectionis alterius eſt dilectio ſui ipſius: certum autem eſt Deum prohibere ne quis proximum occidat priuata authoritate, ex omni planè motiuo: ergo multò melius ne ſeipſum.

Philip. 4. ℣. 13.

Amor proprij corporis ob pulchritudinem & ſanitatem non eſt charitatis.

CONCLVSIO 2. *Qui amat proprium corpus vel alienum, non propter bonitatem diuinam, ſed propter pulchritudinem, ſanitatis conſtantiam, vel aliquid aliud non exercet actum charitatis erga proprium corpus.* Primùm, quia hæc eſt ſententia interpretum D. Thomæ hoc loco; & certè remouetur ab huiuſmodi dilectione ratio amandi ex charitate, cùm hæc ſit bonitas diuina.

Deinde, talis dilectio vnitatem ſuam ſpecificam deſumit ab obiecto, vel à modo tendendi in illud; modus autem tendendi eſt pulchritudo, vel conſtantia ſanitatis, aut quid aliud: ergo ille amor non eſt actus charitatis.

Tertiò, talis dilectio eſt eiuſdem rationis, cum ea quæ daretur in homine conſtituto in ſtatu naturæ integræ, quando hic diligeret proprium corpus, ex eo ſolùm capite quòd eſſet venuſtum, aut maximè ſanum.

Denique, proprium corpus nequit amari ex charitate, niſi propter bonitatem diuinam; at ſupponimus non amari propter eam: ergo.

ARTICVLVS SEXTVS.

An peccatores ſint ex Charitate diligendi.

Peccatores qua tales non ſunt ex charitate diligendi.

CONCLVSIO 1. *Peccatores, vt peccatores, non ſunt amandi ex charitate.* Primùm, quia eos quos Deus habet ingratos & inuiſos non licet amare ſub ea ratione qua ingrati ſunt, & inuiſi; at peccatores, vt ſic, & qui agunt in peccato mortali ſunt inuiſi, & ingrati Deo, Sap. 14. *Similiter odio ſunt Deo, impius & impietas eius.* Pſal. 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium*: cuius cauſa præmittitur ℣. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Sap. 14. ℣. 9. Pſal. 5. ℣. 7. & 5.

Deinde, illi non ſunt ex charitate diligendi quorum preces non vult Deus exaudire, ob id enim non vult Deus exaudire peccatores, quia in iſtis datur culpa mortalis coniuncta cum eiuſdem complacentia; at certum eſt Deum nolle exaudire preces hominis conſtituti in peccato mortali. Thren. 3. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco tu inexorabilis es.* & paulò poſt. *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.*

Thren. 3. ℣. 42. & 44.

Moneo tamen hæc intelligenda eſſe de impenitentibus; ſi enim contigerit conſtitutum in peccato mortali reſipiſcere, indubitanter exauditur à Deo, ex illo Ezech. 18. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt*, &c. *omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor.*

Ezech. 18. ℣. 21. & 22.

Denique, inimici Dei non ſunt amandi, ſub ea ratione ſaltem qua ſunt inimici Dei, ex Pſalm. 138. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi*: at peccatores vt tales, ſunt inimici Dei. Ità D. Thomas & interpretes hoc loco.

Pſal. 138. ℣. 21. & 22.

Peccatores vt rationales diligendi ex charitate.

CONCLVSIO 2. *Peccatores vt homines, vel vt creaturæ rationales ſunt ex charitate diligendi.* Primùm, quia ità Patres, D. Auguſt. 14. de Ciuit. cap. 6. *Nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitii propter hominem, ſed oderit vitii, amet hominem:* & in ſua regula. *Cum dilectione hominum, & odio vitiorum.* Proſper Aquitan. in ſuis ſententijs, ſententia 2. *Sic*, inquit, *diligendis ſunt homines vt eorũ non diligantur errores: quia aliud eſt amare quod facti ſunt, aliud odiſſe quod faciunt*, contra ſcilicet rectam rationem.

Deinde, Chriſtus dilexit peccatores vt homines, Matth. 9. *Non veni vocare iuſtos ſed peccatores.* & 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael.* Luc 19. *Venit Filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.*

Matth. 9. ℣. 13. & cap. 15. ℣. 24. Luc. 19. ℣. 10.

Tertiò, quilibet noſtrùm tenetur ad emendandum proximum ſeu fratrem peccantem. Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum*; at nomine fratris hîc nedum ſignificatur iuſtus, ſed etiam iniuſtus: ergo.

Id. 18. ℣. 15.

Ex his colliges nec impenitentes, nec damnatos reduplicatiuè ſpectatos, ex charitate eſſe diligendos: nullus enim ex his, vt ſic, cenſetur eſſe bonus ſed malus, atque adeò nequit eſſe obiectum voluntatis noſtræ, vt exercet actum per ſe dilectionis.

Deinde, ea ſolùm amantur ex charitate, quæ poſſunt conſequi beatitudinem æternam; at nullus ex his capax eſt adeptionis vitæ æternæ: ergo.

Peccatores ſe amant ſecundum quid.

ARTICVLO 7. Docet D. Thomas peccatores amare ſeipſos ſecundum quid, non autem ſimpliciter; qua de re nulla poteſt eſſe dubitatio, cum iſti ament ſibi bona tantum delectabilia & ſenſibilia; hæc autem non ſunt ſimpliciter bona, non enim conducunt, vt ſic, ad beatitudinem æternam obtinendam: imò potius ea de cauſa dicendum eſt de peccatoribus, quòd ſeipſos odio proſequantur; bona namque ſenſibilia vt plurimum inducunt hominem ad peccandum, ex Gal. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; ſpiritus autem aduerſus carnem; hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæcumque vultis illa faciatis.* & Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Ioan. 12. *Qui amat animam ſuam*, id eſt appetitum ſenſibilem, *perdet eam.* & hac de cauſa dicitur in epiſt. can. Iudæ. *Odientes & eam quæ carnalis eſt, maculatam tunicam*, vbi nomine carnalis tunicæ ſignificatur corpus noſtrum, vt eſt peccato commaculatum, vel vt inducit ad peccandum: quo pacto tantum abeſt vt ſit amandum, quinimò eſt odio habendum, vt monet Beda ad hunc locum: *Non debemus*, inquit, *corpus noſtrum odiſſe, ſed maculatum hoc omnibus modis odiſſe debemus & quantum valemus agere, vt hoc immaculatum reddamus, vt de carnali, ſpirituale mereatur effici.*

Galat. 5. ℣. 17. Pſalm. 10. ℣. 6. Ioan. 12. ℣. 25. Can. Iudæ ℣. 23.

Sunt autem qui hoc loco quærant, Vtrùm mali magis ament propria corpora, quàm iuſti? Verùm res hæc omni prorſus difficultate caret, hi

Digitized by Google

enim cùm ament propria corpora propter bonum ſpirituale, & bonitatem diuinam, illi vero ſolum propter voluptatem ſentibilem & corpoream, certè concedendum eſt quòd iuſti magis ament propria corpora, quàm mali, eſto ea exerceant in quibuſuis actibus & difficultatibus penitentiæ.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An ſit de neceſſitate charitatis vt inimici diligantur.

DVBITATIO PRIMA.

An poſſit aliquis ſinè diſpendio charitatis velle mala pœne ſuis inimicis.

Mala pœnę inimicis deſiderari poſſunt. Galat. 5. ℣. 12.

CONCLVSIO *eſt affirmatiua.* Paulus enim Gal. 5. ſic loquitur de illis qui contendebant auertere Galatas à profeſſione Religionis Catholicæ: *Vtinam & abſcindantur qui vos conturbant.* Ac ſi diceret; vtinam de medio tollantur qui contendunt circumciſionem nedum vobis eſſe vtilem, ſed & neceſſariam ad ſalutem, ex interpretatione Chryſoſt. Auguſt. Hieron. & aliorum.

Deinde quilibet noſtrûm tenetur manifeſtare culpam à fratre commiſſam ſuperiori legitimo, in eo caſu in quo poſita correctione fraterna non vult ad meliorem mentem redire ex Math. 18. *Si peccauerit in te frater tuus,* &c. *ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos: dic Eccleſiæ,* id eſt Epiſcopo, quatenus perſeuerante fratre iſto in ſuo peccato, poſitis monitis Epiſcopi, præſcindatur à communione fidelium: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*: at detectio iſtius culpæ ordinatur quodammodo in malum fratris, poſita ſiquidem obſtinatione in peccato commiſſo verè excommunicatur, atque adeo incurrit omnia prorſus mala quæ ſecum trahit excommunicatio: ergo poſſunt expeti mala pœnæ peccatoribus.

Matt. 18. ℣. 15. & 16.

Ibid. ℣. 17.

Tertiò, Magiſtratus indicere poteſt pœnas aliquas quibuſuis reis conuictis in iudicio, ex Rom. 13. *Non enim ſinè cauſa gladium portat; Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*; ergo vbi mala iſta fuerint indicta, poterit quis ea exoptare malis, aliàs peccaret carnifex infligendo pœnas huiuſmodi ſceleratis ex præſcripto Iudicis, quod nullus hactenus dixit: at voluntas noſtra poteſt eſſe conformis diuinæ; imò ab ea debet regulari: atqui certum eſt Deum decernere multa mala pœnæ mortalibus, Iſai. 45. *Ego Dominus creans pacem & faciens malum.* ergo vbi nobis innotuerit diuina voluntas de huiuſmodi malis à peccatoribus ſuſtinendis, poterimus mala hęc inimicis exoptare.

Rom. 13. ℣. 4.

Iſai. 45. ℣. 7.

Denique, ſuppono mala iſta non deſiderari inimicis ex odio perſonæ, neque item ex appetitu vindictæ: hæc enim in manibus Dei debet eſſe poſita, ex Rom. 12. *Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus*: volumus ergo malum inimicis, propter commodum priuatum ipſorum, vel propter vtilitatem publicam, quod fas eſſe indubitatum ex eo videtur, quòd huiuſmodi finis ſit vere bonus, atque adeò & conformis rectæ rationi; omne quippe bonum, vt ſic, poteſt à nobis expeti: vtilitas item publica rectè præfertur commodo priuatæ perſonæ ex illa regula, ſalus populi ſuprema lex eſto.

Rom. 12. ℣. 19.

Obiectio. Dices, ſi liceret velle malum inimico, vel propter vtilitatem publicam, vel propter commodum ipſius inimici, liceret etiam propter commodum peculiare noſtrum.

Solutio. Reſpondeo, hoc etiam licere in eo caſu, in quo aliter nec vitam, nec famam, aut commoda noſtra conſeruare poſſumus; quemadmodum enim defenſio iure naturali cuilibet eſt licita, ità licebit etiam velle malum aliquod pœnæ inimico, quando aliter vitam noſtram tueri non poſſumus, vel famam, vel etiam commoda temporalia. Tamen cauendum eſt in data hypotheſi, ne maius malum inimico exoptemus, quàm fuerit neceſſarium ad conſequendum finem quem intendimus, & præterea quòd id præſtemus non ex odio perſonæ, nec ex appetitu vindictæ, ſed affectu conſeruandi nos ipſos, vel commoda noſtra.

Replica. Inſtabis, ſi liceret expetere mala aliqua pœnæ inimicis noſtris, liceret etiam hæc eadem illis infligere, quod enim velle licet, licet & efficere.

Diſſoluitur. Reſpondeo negando illationem antecedentis. Ad probationem autem eam veram eſſe in eo caſu, in quo non eſt prohibitum executioni mandare illud idem quod licet velle: iam verò cautum eſt iure diuino, & ciuili, ne quis iniuriam ſibi illatam vlciſcatur, neque malum aliquod inferat proximo; hoc enim ad ſolum Magiſtratum ſpectat ex Rom. 13. citato.

DVBITATIO SECVNDA.

An dilectio inimici ſit in præcepto, an in conſilio tantum.

Quorumdam ſententia & fundamenta. SVNT qui putent neminem obligari ex præcepto ad dilectionem inimici, ſed tantùm ex conſilio euangelico, vt refert Magiſter, diſtinctione 30. lib. 3. ſententiarum, quorum opinio videtur probari ex D. Auguſtino in Enchiridio, cap. 73. vbi ait, non omnes obligari ad dilectionem inimici, ſed tantùm ad ignoſcendum ei, qui à nobis veniam petit: *Sed quoniam*, inquit, *perfectorum ſunt iſta filiorum Dei, diligere nempe inimicos, non tamen hoc tam magnum bonum tantæ mulitudinis eſt quantam credimus exaudiri cum in oratione Dominica dicit: Et dimitte nobis debita noſtra,* &c.

D. Auguſt.

Confirmatur, ex cap. 5. Matth. vbi poſitis his verbis: *Diligite inimicos veſtros,* ſubiungitur: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Ergo dilectio inimicorum ordinatur tantùm ad perfectionem legis Euangelicæ, non autem ad neceſſitatem eiuſdem.

Matth. 5. ℣. 44. & 48.

Deinde, ſi daretur præceptum de diligendis inimicis, hoc colligeretur maxime ex verbis Chriſti Matth. cap. 5. *Auditis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* At ex his nequit colligi tale præceptum, cùm prædicta ſint intelligenda quemadmodum & antecedentia in eodem capite: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* At verba iſta habent rationem conſilij, ex

2. Idem ibid. ℣. 43. & 44.

Ibid. ℣. 39.

Digitized by Google

ex communi Patrum interpretatione.

Vlt. Denique, de actibus heroïcis nullum extat præceptum, egemus quippe nedum vna, ſed pluribus virtutibus ad eos exercendos; atqui certum eſt dilectionem inimici inter tales actus computari. Ità D. Auguſtinus loco Enchiridij paulò ante verba allata citato: *Nihil*, inquit, *magis eſt ſingulare quam diligere inimicos; eſt enim opus excellentiſſimæ charitatis & perfectionis.* & ſermone 7. & 9. de verbis Domini. *In iuſtificationibus Domini nihil aut difficilius aut admirabilius eſſe poteſt, quam vt inimici diligantur à nobis.*

Dilectio inimici præcepta eſt. Matth. 5. ℣. 44. 1. Pet. 3. ℣. 9. Rom. 12. ℣. 17. & 20. Matth. 6. ℣. 14. & 15. D. Auguſt. Tertull. Irenæus. Epipha. Hieron. Ambroſ. Leo.

CONCLVSIO. *Dilectio inimici nedum eſt in conſilio, ſed etiam in præcepto.* Primùm, quia Matth. 5. cit. dicitur. *Audiſtis quia dictum eſt*, &c. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* 1. Pet. 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes.* Rom. 12. *Nullimalum pro malo reddentes. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi.* Matth. 6. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater veſter cælestis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Deinde, hæc eſt Patrum ſententia, D. Auguſtini lib. 1. de doctrina Chriſtiana, cap. 30. & ſerm. 61. de tempore: Irenæi lib. 4. aduerſùs hæreſes, cap. 27. Tertull. lib. de patientia, cap. 6. Epiphanij, hæreſi 33. Hieron. dialogo contra Pelagianos lib. 2. Ambroſij lib. 5. in Lucæ cap. 16. Leo. ſerm. 1. de ieiunio ſeptimi menſis, & aliorum ad cap. 5. Matthæi.

Idem habent Concilia Carthaginenſe IV. cap. 93. & Agathenſe, cap. 22. cum D. Tho. hoc loco, & omnibus eiuſdem interpretibus, & Sententiarijs in 3. diſtinctione 30.

Tertiò, hoc idem ratione probatur. Primùm, quia extat præceptum de diligendis peccatoribus, non quidem ea ratione qua ſunt peccatores, ſed vt ſunt homines, creaturæ rationales, & capaces felicitatis æternæ; at inimici noſtri ſunt tales ex

1. Tim. 2. ℣. 4. 1. Tim. 2. *Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: ergo ex præcepto ſunt diligendi.

Deinde, nullus priuatur vita æterna, niſi per violationem alicuius præcepti, & quidem in re graui; quod dico propter peccatum veniale. Hoc enim licèt impediat nos ab actuali conſecutione vitæ æternæ; non tamen priuat nos gratia & charitate diuina, vt facit peccatum mortale, quod proinde efficit, ne ius habeamus ad vitam æternam; at ob defectum dilectionis inimici, priuamur vita æterna, vt colligitur ex

Matth. 5. ℣. 20. Matth. 5. *Dico vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra plùs quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: Scribæ autem & Phariſæi docebant neminem obligari ad diligendum inimicum, ſed ſolùm amicum: ergo ſignum eſt nos ad illius dilectionem teneri ex præcepto.

Tertiò, de omni actu ſimpliciter neceſſario ad vitam æternam extat aliquod præceptum, vt conſtat de baptiſmo & penitentia; at actus dilectionis inimici eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, neceſſitate ſaltem præcepti, in eo caſu in quo conſtitutus eſt in extrema neceſſitate, ex communi doctrina: ergo ex vi talis præcepti eſt amandus.

Confirmatur: qui non diligit inimicum conſtitutum in extrema neceſſitate, non eſt nec eſſe poteſt filius Dei, cùm operetur contra charitatem & dilectio inimici in data hypotheſi conſtituat nos filios Dei, ex Matth. cit. *Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Id. ibid. ℣. 45.

Diligendi inimici non qua tales. Cùm autem diximus dari præceptum de diligendis inimicis noſtris, id non eſt ità intelligendum, quaſi velimus Deum præcepiſſe dilectionem inimicorum ſub ea ratione qua ſunt inimici; nam rectè D. Thomas, & interpretes omnes obſeruant inimicum, vt ſic, habere rationem mali; Deus autem nequit præcipere vt ametur malum, quà tale eſt. Deinde, inimicus hoc ipſo quòd inimicus eſt, contra charitatem operatur. Tertiò, idem dicendum eſt de inimico, vt tali, quod de peccatore, vt peccatore, ex doctrina interpretum D. Thomæ hoc loco; at peccatores, vt ſic, nuſquam præcepit Deus diligendos eſſe: ergo nec inimici ex præcepto diuino diligendi erunt, ſed ſolùm vt ſunt creaturæ rationales, & beatitudinis æternæ capaces; ità tamen vt hoc pacto non poſſimus inter diligendos proximos ex affectu communi amoris excludere inimicos à tali dilectione.

Obſeruandum eſt præterea, præceptum de diligendis inimicis, obligare tantùm in eo caſu in quo ſunt conſtituti in extrema neceſſitate. Ità Caſuiſtæ.

Euertuntur fundamenta contraria. Ad rationes contrarias reſpondeo. Ad 1. dilectionem eſſe duplicem; aliam quæ habet ortum à nobis ex affectu generali amoris, aliam quæ prouenit ex particulari aliquo affectu, ſeu motiuo erga hunc vel illum hominem: de hac docet D. Auguſtinus loco cit. Enchiridij quòd non ſit poſita in præcepto omnibus & ſingulis mortalibus, ſed tantùm in conſilio, & D. Thomas hîc in reſponſione ad 1. ait nos obligari tantùm ex vi iſtius præcepti; *Diligite inimicos veſtros*, ad dilectionem inimicorum ex affectu generali charitatis erga proximos; non autem ex affectu particulari & ſpeciali. 1. Matth. 5. ℣. 44.

Sunt tamen aliqui, maximè Lorca diſputat. 25. de charitate, qui dicant D. Auguſtinum in loco nobis obiecto non ſatis explicate fuiſſe loquutum de dilectione inimicorum, vnde ad dignoſcendam eius opinionem de hac re, tradit conſulenda eſſe alia teſtimonia eiuſdem, in quibus expreſſè docuit extare præceptum de diligendis inimicis, quos citauimus in confirmationem noſtræ Concluſionis.

Ad confirmationem. Reſpondeo duplicem dari perfectionem in nobis, & quidem conformiter voluntati diuinæ: alia eſt quæ conſequitur obſeruationem mandatorum Dei, & eorum omnium quæ neceſſaria ſunt ad vitam æternam aſſequendam; altera eſt quæ coniungitur cum obſeruatione mandatorum & conſiliorum Euangelicorum. Ad primam hortatur nos Chriſtus Matth. 5. his verbis: *Eſtote ergo vos perfecti*, &c. Hæc enim perfectio eſt vnicuique noſtrûm ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, ex eodem cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: illa verò non eſt omnibus neceſſaria ad ſalutem, ſed ſolùm illis qui ſibi liberè impoſuerunt conſiliorum euangelicorum obſeruationem. Ib. ℣. 48. Id. cap. 19. ℣. 17.

Ad 2. Reſpondeo in his verbis: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, dari aliquid quod habet rationem præcepti, & aliud quod habet rationem conſilij: hoc in eo poſitum eſt quòd quis percuſſus in vna

maxilla porrigat alteram percutiendam; illud verò in eo quòd quis percuſſus in vna maxilla velit potius alteram præbere percutiendam, quàm vlciſci authoritate priuata primam percuſſionem.

Certum etiam eſt in iſtis verbis: *Diligite inimicos veſtros*, dari & præceptum & conſilium; hoc quidem in eo quòd quis ex affectu particulari & priuato amoris feratur erga ſuum inimicum. illud verò in eo quòd quis diligat inimicum ſub ea ratione qua creatura rationalis eſt, adeò vt à dilectione proximi nequeat arcere perſonam inimici propter conditionem inimici, quæ coniungitur cum perſona proximi.

Vlt. Ad vltimam. Reſpondeo dilectionem inimici computari inter actus heroïcos, atque adeò eſſe tantùm in conſilio, quando hæc habet ortum in nobis ex ſpeciali aliquo affectu erga perſonam inimici; ſecus verò quando hæc oritur ex affectu generali amoris, quo proſequimur proximos omnes ſub ea ratione qua tales ſunt; hoc autem ſecundo modo dilectio inimici eſt tantùm in præcepto; primo verò in conſilio.

DVBITATIO TERTIA.

An præceptum de diligendis inimicis fuerit in noua tantùm lege, vel etiam in alia.

Opinio aliquorum. SVNT qui putent præceptum hoc ità eſſe proprium legi euangelicæ, vt affirment nuſquam extitiſſe in lege Moſaïca, vtpote quæ permitteret odium inimici. Ità nonnulli inter recentiores interpretes capitis 5. Matth. maxime verò Maldonatus. Verùm quid de hac re probabilius cenſendum ſit ſequentibus patebit Concluſionibus: ſit ergo.

Dilectio inimici in præcepto fuit in antiqua lege. CONCLVSIO 1. *Dilectio inimici tam verè fuit in præcepto, in lege Moſaica, quam in lege gratiæ; non tamen ità explicatè & euidenter.* Primùm, quia dicitur Exodi 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. &, Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Si ergo hæc minima fuerunt in præcepto reſpectu inimicorum, potiora certè erga eoſdem officia veriſimile eſt extitiſſe in præcepto.

Exod. 23. ỷ. 4. & 5.

Solutio aduerſariorũ. Reſpondent exinde ſolùm colligi poſſe, Iudæis non licuiſſe odio habere inimicos ſuos, ex eadem ſtirpe, & eodem genere natos; non autem omnes inimicos, idque quòd Iudæi potiùs dicendi ſint inter ſe fratres, cùm fuerint ſectatores vnius & eiuſdem planè religionis, quàm proximi.

Improbatur. Verùm hæc reſponſio vix ſuſtineri poteſt, quia loquitur Moyſes locis citatis in vniuerſum de inimicis, nulla poſita diſtinctione inter Iudæos & Ethnicos.

Prou. 25. ỷ. 21. & cap. 24. ỷ. 17. Deinde, Prouerb. 25. dicitur: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere.* Qui locus refertur à Paulo Rom. 12. ỷ. 20. & cap. 24. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum.*

Iob 31. ỷ. 29. & 30. Deinde, odium inimici refertur inter peccata, Iob 31. *Si gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inueniſſet eum malum: Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.* & tamen ipſe vixit non ſub lege Moſaica, ſed naturali.

Tertiò, odium inimici iure naturali prohibitum eſt; quilibet enim ex præſcripto legis naturalis debet alteri præſtare quod ſibi fieri vult, quando agit in extrema neceſſitate, *Omnia enim quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis:* at nullus eſt qui conſtitutus in extrema neceſſitate ſibi benefieri non cupiat, atque adeo & amari: ergo.

Matth. 7. ỷ. 12.

Denique, apud Ethnicos & infideles ſemper fuit honeſtum & laudabile inimicum diligere, vt conſtat ex Platone dialogo 1. de Repub. Plutarcho lib. de vtilitate ex inimicis capienda, & Seneca lib. 2. de ira.

Tandem in toto decurſu veteris & noui Teſtamenti nuſquam legitur hæc propoſitio vel æquiualens: Odio eſt inimicus habendus: ergo odium inimici non potuit eſſe in præcepto in lege Moſaïca.

Obiectio. Obijciunt authores contrariæ ſententiæ: illud Leuitici 19. *Diliges amicum tuum ſicut teipſum*, nulla facta mentione de odio vel amore inimici: ergo cùm amicus præcipiatur diligendus, videtur quoque licitum odium inimici ex vi iſtius præcepti.

Leuit. 19. ỷ. 18.

Solutio. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando illationem; nomine namque amici eo loco ſignificatur proximus, ex communi Patrum ſententia, atque ità præcipitur etiam eo loco dilectio inimici, cùm nomine proximi intelligatur quilibet homo quiſquis ille fuerit.

Obiectio 2. Obijciunt 2. Deum præcepiſſe Iudæis Deuteron. 25. vt iniuriam acceptam ab Amalecitis perpetuò retinerent, & vt eoſdem data occaſione tandem occiderent: *Memento*, inquit, *quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi, &c. Delebis nomen eius ſub cælo. Caue ne obliniſcaris.*

Deut. 25. ỷ. 18. & 19.

Solutio. Reſpondeo, ex hoc ſolùm colligi poſſe inimicos Dei non eſſe amandos. Amalecitæ ſiquidem erant Ethnici & infideles, exoſamque habebant religionem Iudaïcam: vnde meritò computantur inter inimicos Dei, quos diligere non debemus, ex Pſal. 138. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* & 118. *Iniquos odio habui.*

Pſal. 138. ỷ. 21. & 22. & 118. ỷ. 113.

Solutio 2. Reſpondeo 2. aliud eſſe habere odio aliquem, & aliud iniuriam ab alio acceptam authoritate publica vindicare: Primum, nulli priuatæ perſonæ licet, quando agitur de inimico priuato & particulari, bene tamen ſecundum: dicitur enim Rom. 13. de Magiſtratu; *Non ſine cauſa gladium portat, Dei enim minister eſt, &c.* Præcepit ergo Deus vt iniuriam acceptam ab Amalecitis authoritate Magiſtratus vliſcerentur: atque adeò exigerent iuſtam compenſationem, quod fatentur omnes eſſe licitum, ſecus tamen odiſſe inimicum.

Rom. 13. ỷ. 4.

Chriſtus interpretationẽ Phariſæorum reprobat apud Matth. CONCLVSIO 2. *Chriſtus quando dixit* Matth. 5. Audiſtis quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, *nullum errorem in lege Moſaica contentum damnauit: ſed ſolum interpretationem erroneam Scribarum & Phariſæorum reprobauit, vnde iſti ſoli odium induxerunt inimici, non autem lex Moſaica.* Primùm, quia hoc videtur colligi ex verbis Chriſti, quæ in eodem capite leguntur: *Dico enim vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum:* ergo loquitur expreſsè de Scribis

Matth. 5. ỷ. 43. & 44. Ibid. ỷ. 20.

bis & Phariſæis, non autem de lege Moſaïca, quia ſi de illa loqueretur, dixiſſet, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra ſupra legem Moſaïcam.

D. Auguſt. D. Thom. Deinde, ità Patres: D. Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum, cap. 24. D. Thomas 1. 2. quæſt. 107. art. 2. ad 2. Circa odium verò inimici remouit falſum Phariſæorum intellectum, & art. 3. ad 2. idem reperit Scotus in 3. diſt. 30. quæſt. vnica. §. Ad primum. Rupertus in Matthæum. Liran. ad cap. 5. eiuſdem. Ianſenius cap. 50. ſuæ Concordiæ, & vt videtur Hieron. dialogo 1. contra Pelagianos.

Tertiò, ſi res aliter haberet, ſequeretur Chriſtum deſtruxiſſe legem Moſaïcam, non autem impleuiſſe; quod tamen pugnat cum verbis iſtis Matth. 5. *Nolite putare quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* Ibid. ℣. 17.

Denique, concedendum eſſet de lege Moſaïca quòd hæc extitiſſet iniqua, & iniuſta; præcepiſſet ſiquidem odium inimici, quod tamen diximus eſſe vetitum iure naturali.

Obiectio. Obijcies, Chriſtum affirmare Matth. 5. de iuſtitia Scribarum & Phariſæorum quòd ſit iuſtitia.

Solutio. Reſpondeo, Chriſtum hoc in loco comparare iuſtitiam perfectam cum imperfecta, qualis fuit iuſtitia Scribarum & Phariſæorum; hæc enim habuit adiuncta varia & diuerſa præcepta à lege Moſaïca introducta: habuit tamen præterea aliqua præcepta ab ipſiſmet Phariſæis & Scribis, quæ nec fuerunt cum lege Moſaïca, nec cum recta ratione comuncta; inter hæc autem computatur odium inimici, & oblatio ſacrificij parentibus in extrema neceſsitate conſtitutis: huius autem meminit Matth. cap. 15. vbi improbatur à Chriſto non minùs quàm odium inimici.

Solutio 2. Reſpondeo 2. iuſtitiam Scribarum & Phariſæorum donari nomine iuſtitiæ, non quòd eſſet vera iuſtitia, ſed quòd iudicio & exiſtimatione populari cenſeretur iuſtitia.

Obiectio. Obijcies, SS. Patres affirmare dilectionem inimici introductam eſſe in lege Euangelica, neque fuiſſe in lege Moſaïca: ità Chryſoſt. homil. 16. & 18. in Matth. Theophyl. Euthym. ad cap. 5. Matth. Epiphan. hær. 33. Hilar. can. 4. in Matth. Baſilius in Pſal. 14. Clemens Alex. lib. 6. ſtromatum prope finem. Tertull. lib. de patientia. Irenæus lib. 4. contra hæreſes, cap. 37.

Solutio. Reſpondeo 1. Patres iſtos voluiſſe tantùm dilectionem inimici non ità fuiſſe expreſſam & explicatam in veteri Teſtamento, vt in nouo: in ſtatu namque legis gratiæ hæc nominatim fuit præcepta, vt patet ex cap. 5. Matth. in veteri verò lege odium inimici fuit ſolùm permiſſum ex depraua interpretatione Scribarum & Phariſæorum; vnde in ordine ad illam docent Patres iſti dilectionem inimici in lege Moſaïca non fuiſſe in præcepto.

Solutio 2. Reſpondeo 2. D. Auguſtinum lib. 19. contra Fauſtum cap. 18. difficultatem iſtam longè rectiùs pertractaſſe; docet enim illic dilectionem inimici fuiſſe in veteri Teſtamento, non tamen ità explicatam vt in nouo. Chryſoſtomus verò & alij volunt tantùm Phariſæos & Scribas veros fuiſſe legis Moſaïcæ interpretes: nihil tamen dicunt de odio inimicorum licito vel illiciro in lege Moſaïca. Ceteri verò quos diximus iudicaſſe odium inimici licitum eſſe in veteri lege, tradunt tantùm legem Moſaïcam minùs præſtantem eſſe Euangelica: Epiphanio tamen & Hilario exceptis.

DVBITATIO QVARTA.

An detur præceptum de non habendis odio inimicis.

CONCLVSIO *eſt affirmatiua*: habetur enim præceptum negatiuum Leuit. 19. *Non oderis fratrem tuum.* & Rom. 12. & 1. Petr. 3. prohibetur reddere malum pro malo, & maledictum pro maledicto. Leuit. 19. ℣. 17.

Deinde, odium inimici computatur inter peccata, Iob. 31.

Tertiò, propterea extat præceptum negatiuum de non habendis odio proximis, quia dicitur Matth. 22. *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum,* & 5. *Diligite inimicos veſtros*: ergo continetur etiam in iſtis verbis præceptum hoc negatiuum; ità Patres cit. Dubitatione antecedente in confirmationem 1. Concluſionis: omnes etiam Scholaſtici & Caſuiſtæ dum agunt de dilectione inimicorum. Matth. 22. ℣. 39. & 5. ℣. 44.

Obiectio. Obijcies, viros probitate vitæ conſpicuos iniurias ſibi illatas vindicaſſe; dicitur enim Actu. 13. Elymam Magum à Paulo cæcitate percuſſum eſſe, eo ſolum nomine quòd quæreret auertere Sergium Proconſulem à fide. Ananiam item cum Saphira vxore ſua Actu. 5. morte à D. Petro percuſſum, quòd ſibi eſſet mentitus, retinendo apud ſe partem pecuniæ quam habuerat ex venditione agri. Quinquagenarios item à Rege Ochoſia miſſos vt captiuum Eliam ducerent, eiuſdem iuſſu igne de cœlo delapſo abſumptos eſſe refertur in lib. Regum. Actu. 13.

Solutio. Reſpondeo, pœnis huiuſmodi fuiſſe in iſtos animaduerſum, non quidem ex odio perſonæ vel appetitu vindictæ, aut etiam priuata authoritate, ſed zelo & æquitate iuſtitiæ, & quidem mouente & præcipiente Deo; nulla enim arte humana fieri poteſt vt ad prolationem alicuius verbi quis occidatur aut exanimetur, ſed ad id requiritur poteſtas aliqua ſuperior quàm ſit omnis humana.

Deinde, certum eſt Deum pœnas iſtas exegiſſe à prædictis, medijs precibus iuſtiſſimis & ſanctiſſimis Pauli, Petri, & Eliæ.

Replica. Inſtabis, Deum priuaſſe Saül & regno & vita, quòd hoſtibus populi Iudaïci pepercilſet, & quidem non in ſeiptis, ſed in pecoribus, & gregibus, vt ex conſtat 1. Reg. 15. & Achab Regem morti adiudicaſſe, quòd pepercilſet vitæ Benadad Regis Syriæ, vt conſtat ex 3. Reg. 20. ità enim Propheta Dei Regem alloquitur: *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* 3. Reg. 20. ℣. 42.

Diſſoluitur. Reſpondeo, ex his ſolùm colligi, peccare eum qui non vlciſcitur iniuriam Reipublicæ illatam ab eius hoſtibus, quando de hac re extat ſpeciale præceptum: certum autem eſt Deum præcepiſſe Saüli & Achab vt Amalecitas & Benadad eiuſque exercitum omnino perderent, & item pecora omnia interficeret Saül. Addo licitam eſſe vindictam de hoſtibus nedum Reipublicæ, ſed etiam priuatis, modò id fiat ſecluſo odio perſonæ & appetitu vindictæ; atque adeò quando aliter non poſſumus res noſtras tueri & conſeruare accedente maximè authoritate Magiſtratus.

Digitized by Google

DVBITATIO VLTIMA.

An dilectio amici ſit præferenda dilectioni inimici.

Sententia aliquorum.

SVnt qui putent dilectionem inimici eſſe multò perfectiorem & magis meritoriam apud Deum, quam ſit dilectio amici. Probant ex cap. 5. Matth. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* quaſi dicat paruam, per ordinem ad eum qui diligit inimicum.

Deinde, SS. Patres verbis expreſſis opinionem iſtam tuentur. D. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 73. *Minus enim magnum eſt erga eum eſſe benevolum, ſine etiam beneficum qui nihil tibi mali fecerit. Illud multò grandius & magnificentiſſima bonitatis eſt, vt tuum quoque inimicum diligas.* Chryſoſtomus homil. de cruce & latrone, in fine: *Melius eſt pro inimicis, quam pro amicis orare.* & Bernardus ſermone de paſſione Domini idem expreſsè docet.

Dilectio amici præſtat dilectioni inimici.

CONCLVSIO. *Dilectio amici præſtantior eſt & magis meritoria dilectione inimici, ſi ſpectentur iſtæ dilectiones ex ſuis obiectis tantum, atque adeo ſinè circumſtantijs extrinſecis.* Primùm, quia dignitas cuiuſcumque actus petitur ab obiecto, vel à modo tendendi in illud; at obiectum dilectionis amici eſt præſtantius obiecto dilectionis inimici; nam nedum perſona amici diligitur à nobis, ſed etiam ratio amici: ratio verò inimici nullo modo diligitur, nec diligi poteſt à nobis, vt docuimus art. antecedenti.

Deinde, Deus magis amicos ſuos diligit quàm inimicos, ex Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Pſal. 90. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* & 4. Reg. 19. *Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.*

Zach. 2. ỽ. 8. Pſal. 9. ỽ. 1. 4. Reg. 19. ỽ. 34.

Tertiò, amor amore tantùm compenſari poteſt, vnde dilectio amici eſt magis conſona ordini charitatis, quàm dilectio inimici.

Denique, dilectio amici eſt magis tenera, & vt plurimum magis intenſa quàm inimici. Ità S. Doctor art. 7. quæſt. 27. huius partis, & interpretes eiuſdem ibidem, & Magiſter diſt. 30. lib. 3. & communiter Sententiarij, Durando & quibuſdam alijs exceptis.

Solutio contrariorum argumentorum.

Ad rationes contrarias. Reſpondeo, probare tantùm dilectionem inimici eſſe perfectiorem dilectione amici extrinſecè, & in ordine ad aliquas circumſtantias cum quibus vt plurimum coniungitur; eſt enim longè difficilior quàm ſit dilectio amici; vnde poſtulat in nobis plures virtutes ad iſtam difficultatem ſuperandam: adſunt etiam paſſiones quas ſuperare non poſſumus niſi acceſſerit ſpeciale Dei auxilium: hæc autem omnia ſe habent extrinſecè ad iſtam dilectionem, & hoc tantùm volunt Patres citati. Interpretatio verò talis loci non eſt admittenda, ſed in eius locum eſt hæc ſufficienda; quam mercedem habebitis? nullam: non enim differit Chriſtus hoc in loco de remuneratione debita dilectioni ex charitate, ſed de dilectione naturali & ſupernaturali.

ARTICVLO 10. docet D. Thomas Angelos eſſe ex charitate diligendos, & quidem meritò cùm fruantur beatitudine æterna, & nobis ſuas operas locent quam maximè vtiliter; cuſtodiunt enim nos ex Pſalm. 90. *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*, &c. & Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capient ſalutis.* Plura de ſingulari cura Angelorum erga homines ſancti Patres, præſertim D. Bernardus in *Miſſus eſt*, & D. Auguſtinus varijs in locis, ſed eleganter in Soliloquijs, cap. 27. *Diligunt nempe concives ſuos per quos ſine ruina ſciſſuras reſtaurari expectant, ſedeoque magna cura & vigilanti ſtudio adſunt nobis, omnibus horis & locis, ſuccurrentes & prouidentes neceſſitatibus noſtris, & ſollicitis, diſcurrentes inter nos & te Domine, gemitus noſtros atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tua benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tua gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiſcum in omnibus vijs noſtris, intrant & exeunt nobiſcum, attentè conſiderantes quam piè, quam honeſtè in medio prauæ nationis conuerſemur, quantóque ſtudio & deſiderio quæramus regnum tuum, & iuſtitiam eius quantóque timore & tremore ſeruiamus, & exultemus tibi in lætitia cordis noſtri. Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus; compatiuntur patientibus, pro te inquam patientibus.*

Pſal. 90. ỽ. 11. Hebr. 1. ỽ. 14.

ARTICVLO 11. tradit dæmones non eſſe ex charitate diligendos vtpote quorum natura ſit deprauata per peccatum.

ARTICVLO VLTIMO, habet Deum proximum, nos ipſos, & corpus noſtrum eſſe obiecta charitatis, de his tamen latis in ſuperioribus.

QVÆSTIO XXVI.

De ordine charitatis.

QVATVOR ſunt hoc loco explicandæ Dubitationes prima, An ſit ordo aliquis charitatis: ſeu, An vnum magis quàm aliud ex charitate diligendum. Secunda, an ſit Deus magis quàm nos ipſi, aut proximi diligendus. Tertia, an magis nos quàm proximi. Quarta, quæ ſint cauſæ cur vnus proximus alio ſit magis amandus.

DVBITATIO PRIMA.

An ſit aliquis ordo Charitatis.

Datur ordo in charitate.

CONuenit inter omnes dari ordinem in charitate, ſeu quod idem eſt, alia alijs eſſe magis ex charitate diligenda; dicitur enim Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*, vt obſeruauit D. Thomas art. 1. quæſt. 26.

Cant. 2. ỽ. 4.

Deinde, Matth. 22. dicitur Deum eſſe ſuper omnia diligendum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum.*

Matth. 22. ỽ. 37. & 38.

Tertiò, Deus eſt ratio & principium diligendi ea omnia quæ diliguntur per charitatem, vt

Digitized by Google

docuimus aliàs: ergo Dèus eſt maximè diligendus.

Rom. 13. ℣. 1. Quartò, *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*, vt ait Apoſtolus ad Romanos 13. at Charitas eſt à Deo: ergo.

Quintò, quæ per charitatem diliguntur non ſunt eiuſdem rationis: ergo alia alijs magis ſunt diligenda.

DVBITATIO SECVNDA.

An teneamur magis diligere Deum quàm nos, aut etiam proximum.

Deus ſuper omnia diligendus. DE fide Catholica eſt, *vnumquemque noſtrùm magis obligari ad Deum quam ad quodcumque aliud diligendum.* Probatur primùm ex præcepto dilectionis, quod habetur Deuteron. Marc. 12. ℣. 37. 6. Matth. 22. Luc. 10. Mar. 12. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* & Matth. 10. Matt. 10. ℣. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.* & Luc. 14. Luc. 14. ℣. 26. *Qui non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Deinde, quæcumque diligimus, propter Deum diligimus, & in ordine ad Deum. Præterea illud in quo eſt ratio formalis charitatis per ſe, magis eſt diligibile, quàm illud in quo eſt tantùm participatiuè; atqui ratio formalis charitatis, eſt formaliter in Deo, in alijs autem rebus participatiuè: ergo eſt magis diligendus. Tertiò, ea magis ſunt diligenda quæ magis etiam rationem virtutis, boni, & perfectionis conſequuntur; atqui Deus ſummè eſt bonus, ſummè perfectus, cetera vera omnia finita ſunt: ergo eſt maximè diligendus.

DVBITATIO TERTIA.

An nos magis quàm proximos diligere teneamur ex charitate.

PRIMA fronte ſi verba Dubitationis nudè inſpiciantur nulla eſt difficultas; conſtat enim ex Scripturis regulam diligendi proximum eſſe dilectionem ſui ipſius, Matth. 22. & Leuitici 19. Deinde, quoniam indubitatum eſt charitatem bene ordinatam incipere à ſeipſo. At ſi hæc paulò oculatiùs conſiderentur multæ occurrunt hic difficultates.

Prima difficultas, *An pro commodis proximorum pati liceat ſpirituale detrimentum.* Cui reſpondetur ſequentibus Concluſionibus.

Anteponendum bonum ſpirituale commodo temporali proximi. CONCLVSIO 1. *Pro commodo temporali proximi non eſt facienda iactura boni ſpiritualis.* Probatur primùm. Res ſuperioris ordinis non ſunt commutandæ cum rebus inferioris ordinis, vt colligitur ex verbis Chriſti Matth. 16. Matth. 16. ℣. 26. *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur?* At bona temporalia ſunt ordinis naturalis, ſpiritualia verò ſuperioris: ergo ob bonum temporale proximi, &c.

Confirmatur: quod eſt intrinſecè malum, aut quod ità connectum eſt cum malo vt ab eo ſeparari non poſſit, nuſquam eſt faciendum, quantumuis hinc bonum aliquod exoriatur (nam non ſunt facienda mala vt inde eueniant bona) At peccatum veniale eſt intrinſecè malum: ergo non licebit peccare etiam venialiter in gratiam proximi.

Non licet velle primariò charitate. CONCLVSIO 2. *Non licet, aut in perpetuum, aut ad multum tempus pro commodo ſpirituali proximi, aut communitatis alicuius primari velle charitate aut gratia.* Primùm propter locum Matth. allatum.

Deinde, priuatio gratiæ & charitatis non eſt ordinatum medium per ſe ad proximi aut communitatis ſalutem.

Tertiò, quod eſt contra inclinationem charitatis nulli prorſus licet optare; at in hoc caſu ità contingit, non enim fieri poteſt vt aliquid magis aduerſetur charitati quàm velle eam perire.

Quartò, Ioan. 15. dicitur à Chriſto: *Manete in dilectione.* & Rom. 8. *Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto:* ergo neque propter deſiderium ſalutis alienæ licet à charitate excidere. Ioan. 15. ℣. 9. Rom. 8. ℣. 38.

Obiectio. Obijcies, Diuus Paulus Rom. 9. *Optabam ego ipſe*, ait, *anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis.* Ergo pro commodo ſpirituali proximi tutum erit carere aliqua perfectione ſpirituali. Id. 9. ℣. 3.

Solutio. Reſpondeo, miſſis de hac re varijs interpretationibus cum Chryſoſtomo ad hunc locum, Diuum Paulum non exoptaſſe ſeparari à Chriſto, aut Deo, ſed tantùm à conſortio, ſodalitio, & familiaritate eorum, qui erant in Eccleſia: hæc autem reſponſio colligi videtur ex verbis ſequentibus, ait enim, *Optabam eſſe anathema*, illi autem dicuntur anathemate percuſſi, qui per ſententiam excommunicationis ab vnitate fidelium ſunt præcili.

Obiectio 2. Obijcies 2. Moyſes Exodi 32. ſic precatur Deum; *Aut dele me, Domine, de libro tuo quem ſcripſiſti, aut dimitte illis hanc noxam:* ergo Moyſes beatitudine in æternum carere voluit propter alienam ſalutem. Exod. 32. ℣. 31.

Solutio. Reſpondeo, hæc à Moyſe dicta eſſe per exaggerationem ad ſignificandum ſingulare deſiderium & ſtudium, quo ille proſequebatur Iudæos populares ſuos, non autem quòd reuera exoptarit ſeparari à numero prædeſtinatorum in perpetuum, aut excidere à gratia per aliquod tempus. Senſus igitur eſt: ſi id charitas pati & tolerare poſſet vellem à numero prædeſtinatorum excludi.

Obiectio 3. Obijcies 3. Micheæ 2. *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer.* Mich. 2. ℣. 11.

Solutio. Reſpondeo, hæc intelligenda eſſe per exaggerationem, ità vt ſenſus ſit: vtinam falleter ego, & non contingerent mala, quæ ego auguror futura eſſe, ſcilicet ſi id fieri poſſet; non autem exoptabat ſeparari à Spiritu ſancto, aut mendacium dicere; mentiri enim nulli prorſus licet.

Replica. Dices, Loth Geneſ. 19. ſuas filias Sodomitis obtuliſſe, vt eos arceret à peccato contra naturam: ergo in gratiam proximi facere iacturam alicuius boni ſpiritualis licebit.

Diſſoluitur. Reſp. aut Loth ex violenta animi perturbatione id

Digitized by Google

id feciſſe; non enim fieri poteſt vt tam horrendi vitium, quantum eſt Sodomia audiatur & boni vir. mens non commoueatur; ac proinde minimè eſſe in ea re imitandum, aut ſi ex matura animi deliberatione id præſtitit, peccaſſe; non enim potuit tuta conſcientia proſtituere caſtitatem & pudicitiam filiarum.

Alia replica. Dices Ambroſium commendare de hac re Loth libro de Abraham Patriarcha, cap. 6.

Enervatur. Reſpondeo Ambroſium in eo commendare Loth, quòd ſtuprum minus peccatum eſſe crediderit, quam Sodomiam; non autem quòd filias ſuas Sodomitis cognoſcendas obiecerit.

Solet & hic inquiri, *An pro tuenda vita corporali & ſpirituali proximi liceat proprium periculo mortis exponere.* Reſpondetur ſequentibus Concluſionibus.

Vita ſpiritualis proximi præponenda propriæ corporali. Ioan. 15. ℣. 12. 1. Ioan. 3. ℣. 16.

CONCLVSIO 1. *Pro conſeruanda vita ſpirituali proximi quilibet proprium corporalem in diſcrimen vocare tenetur.* Probatur primùm, quia dicitur, Ioan. 15. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* At Chriſtus animam poſuit pro nobis, vt vitam ſpiritualem nobis impertiret: ergo poteſt quis exponere vitam corporalem pro ſpirituali proximi.

Deinde, 1. Ioan. 3. *Et nos debemus animas pro fratribus ponere.*

Tertiò, partes minùs præſtantes corporis pro conſeruatione perfectiorum periculo ſe exponunt, vt patet experientia: ergo cùm omnes Chriſtiani vnius & eiuſdem myſtici corporis Eccleſiæ ſint partes, ad Epheſ. 4. quilibet tenebitur pro ſalute proximi ſpiritualis vitam corporalem profundere & prodigere; eſt enim vita ſpiritualis infinitis partibus præſtantior vita corporali.

Quartò, ea ſunt prius & magis diligenda ex charitate, in quibus ineſt primo & magis ratio diligendi; atqui ratio diligendi magis ineſt vitæ ſpirituali proximi, quàm propriæ corporali; propterea enim vita propria corporalis diligenda eſt ex charitate, quoniam ex redundantia beatitudinis deriuantur in corpus dotes aliquæ, quæ manabunt & profluent ex ipſa beatitudine: ob id autem diligenda eſt vita ſpiritualis proximi, quoniam contingimur eidem per eiuſdem beatitudinis capacitatem: ergo plus debeo diligere proximum in ordine ad vitam ſpiritualem, quàm meipſum in ordine ad propriam corporalem: nam plus eſt eſſe ſocium in participanda beatitudine eſſentiali & formali, quàm habere quaſdam alias diſtinctas dotes promanantes ex ipſa beatitudine formali. Ità argumentatur D. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art. 5. & tradunt omnes in 3. diſt. 27. alij diſt. 29. D. Thom.

Reſtringitur Concluſio. Hæc tamen Concluſio eſt intelligenda in caſu neceſſitatis vitæ ſpiritualis proximi; nam extra hunc caſum nullus eſt planè qui teneatur vitam propriam pro ſalute ſpirituali proximi profundere, aut in diſcrimen vocare, vt rectè aduertit Nauar. in Manuali. cap. 24. num. 12. & D. Thomas loco ſupra citat. ad 3. Niſi ſit ille Curatus, aut Epiſcopus, aut animarum curam alio quouis nomine habeat; hic enim extra neceſſitatem vltimam, quæ iudicio viri prudentis æſtimanda & iudicanda relinquitur, tenetur alienæ ſaluti etiam cum vitæ propriæ periculo inuigilare.

Ioan. 1. ℣. 14. Primùm, quoniam dicitur Ioan. 1. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Deinde, quoniam habentes curam animarum magis obligantur ad procurandam ſalutem ſubditorum, quàm priuati; atqui in vltima neceſſitate priuati etiam ad id tenentur. Tertiò, ità ſentit D. Auguſt. epiſt. 180. ad Honoratum. *Licet*, inquit, *fugere his, quos non tenent vincula officij eccleſiaſtici.* Vide Gratian. 10. quæſt. 3. can. *Vnus.* & 21. quæſt. 1. cap. *Clericus.*

Qui iuuat proximum extra neceſſitatem egregiè operatur. CONCLVSIO 2. *Si quis cum vitæ periculo extra neceſſitatem proximum in promouenda vita ſpirituali iuuet, nedum bene facit, verùm opus valde eximium & ſummopere commendandum operatur.* Primùm, quoniam magis diligere vitam ſpiritualem proximi, quàm vitam propriam temporalem ſaltem in caſu neceſſitatis quilibet tenetur.

Deinde, qui id facit imitari videtur ſtatum habentium curam animarum, quos diximus obligari etiam extra neceſſitatem, ad ſuccurrendum proximo cum vitæ propriæ periculo.

Tertiò, viri pietate inſignes occaſionem martyrij non vna aut altera vice perquiſierunt, quatenus aut infidelium, aut etiam proximorum ſalutem promouerent; imo data occaſione fugiendi, plerique noluerunt ſibi fuga conſulere, quatenus lauream martyrij conſequerentur, qua de re multis nominibus celebrantur; *Maiorem* ſiquidem *hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis,* Ioan. 15.

Obiectio. Dices, quilibet noſtrûm tenetur iure naturæ ad propriam vitam conſeruandam, multò magis quàm proximum extra neceſſitatem conſtitutum, idque ad reatum peccati mortalis: ergo non licet iuuare proximum extra neceſſitatem, cum diſpendio & diſcrimine vitæ, ſed multò magis tenetur fugere.

Solutio 1. Reſpondeo 1. Probare tantùm argumentum quòd non liceat cum diſpendio & periculo vitæ euidenti, bene tamen cum probabili. Reſpondeo 2. quæ ſunt iuris naturalis eſſe in duplici differentia; quædam enim ſunt priuilegia iuris naturalis, quædam verò ſunt præcepta: præcepto iuris naturalis quilibet noſtrum obligatur ad vitæ conſeruationem, nihil prorſus efficiendo, quod vitam nobis euidenter ad imere poſſit: priuilegia autem iuris naturalis ſunt quòd liceat dum impetimur, fugere, quòd vim vi repellere, quòd item fratrem extra neceſſitatem conſtitutum cum periculo vitæ iuuare cuilibet permittatur. Ad illa priora tenemur ad reatum peccati mortalis, ad hæc verò poſteriora minimè; imo quicumque poteſt ijs cedere quando volet ſinè vlla culpa: quamuis ergo ſancti & pij homines proximum extra neceſſitatem conſtitutum iuuent cum probabili capitis diſcrimine, non tamen propterea faciunt contra præceptum de conſeruanda vita propria, ſed tantùm contra priuilegia, ad quorum obſeruantiam minimè tenemur, ſed poſſumus libere noſtro iuri cedere, ſinè vlla prorſus culpa. *Solutio 2.*

Licet ſe exponere periculo vitæ propter amicum aut communitatem. CONCLVSIO 3. *Nedum pro conſeruanda vita ſpirituali proximi, verum etiam pro vita corporali amici extra neceſſitatem vltimam conſtituti, aut etiam communitatis, licet vitam propriam in probabile vitæ periculum adducere.* Probatur primùm illis rationibus quibus præcedens probata eſt.

Deinde, quoniam alioqui prætermitterentur innumeri actus laudabiles, qui cum periculo probabili vitæ communicti sunt vt inseruire ægrotis pestilentibus, è medijs aquis eripere naufragantes, eorum qui sibi violentas manus inferre volunt rixas & dissidia componere: & simulia.

Opus egregium.

CONCLVSIO 4. *Videntes se certo periculo mortis constituti, licet nomine alterius primarij vel communitatis sibi vnitæ se periculo exponere, verum etiam opus maximè heroicum & plurimùm commendandum.* Primum, quia Ioan. 15. dicitur, *Maiorem hac dilectionem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, loquitur autem de vita corporali, quod esse opus summæ virtutis ostendit. & Rom. 5. *Pro iusto enim quis vix moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.* & Iob 31. *Quis det de carnibus eius vt saturemur?* quæ testimonia euidenter probant mortem nomine alterius subire, esse opus summe laudandum, & maximè præstans.

Ioan. 15. v. 13.

Rom. 5. v. 7.

Iob 31. v. 31.

Deinde, Chrysost. in lib. de sacerdotio refert Basilium aliquando in gratiam cuiusdam amici vitam in apertam capitis aleam coniecisse, atque cùm aliqui hoc illi vitio verterent, respondisse proxime citata D. Ioannis verba.

Sunt & apud Ethnicos innumera propemodum exempla eorum qui nomine alicuius priuati amici, aut communitatis spontanea morte defuncti sunt, vt videre licet apud Valerium Maximum lib. 4. cap. 4. Cicer. 3. de Officijs. August. 4. Confess. cap. 6. Ambros. 3. Offic. cap. 12. Hieron. in cap. 7. Michææ. Lactant. lib. 5. cap. 18. neque vero ab aliquo alio quàm à natura ad id impulsi & illecti videntur.

Tertiò, bonum maius est semper anteponendum minori, vt communiter concedunt omnes, etiam ex charitate; at amici fidelis possessio maius bonum est propria vita, vt videtur colligi ex illo Aristotelis in Ethicis, pretiosissimum omnium possessionum sit amicus.

Quartò, pro parentibus mori licet, vt vitam illis reddas à quibus acceperis, ex cap. 2. Ethic. lib. 9. ergo & in gratiam amici id licebit: si enim in parentibus ordo charitatis id non prohibet, neque in amicis.

Quintò, quæ propter solam honestatem & propter studium conseruandę virtutis amicitiæ fiunt, illa licita videntur; nam actiones quæuis humanæ à fine bonæ vel malæ censentur; atqui amicus qui nomine communitatis vel alterius amici vitam in apertum discrimen vocat propter solam honestatem, & propter retinendam ipsorum amicitiam id præstare potest, nulla alia vitiosa circumstantia interueniente: ergo cùm bona inferioris ordinis cedant bonis ordinis superioris, licebit nomine amici in apertum discrimen vitam adducere.

Sextò, extant de hac re innumera propemodum exempla piorum ac religiosorum hominum, Dauid siquidem 2. Reg. 18. nomine Absalonis mortem tutiùs iudicauit: *Fili mi Absalòn, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* Ionathas item nomine Dauidis paterną amicitię iactum facere voluit, imò & vitam in præsentissimum discrimen vocari à patre permisit 1. Reg. cap. 18. & 19. Tobias vt cadauera Iudæorum tertiæ mandaret iussa Principis Babyloniorum ipreuit, Tob. 1. & 2. Quod si verum est, vt verissimum esse nulli dubitare licet, quid credimus eum factorum, si de tuenda salute proximorum disputare contigisset? In nouo verò Testamento Petrus liberè Romam venit, illicque vitam studio ampliandæ & conseruandæ religionis prodegit, quamuis fuga sibi consulere potuisset: & idem est de alijs omnibus Apostolis iudicium. Paulinus Nolæ Episcopus, qui vt filium miserę mulieris à carceribus liberaret perpetuam elegit seruitutem. Sanctulus qui nomine alterius mori voluit, ex Gregorio libro tertio dialogorum cap. 37.

2. Reg. 18. v. 33.

Vltimò, hæc est apertè sententia Aristotelis 9. Ethic. cap. 8. *Quod autem de viro bono dicitur eum multa & amicorum & patriæ causa agere, etiamsi mors ei sit appetenda est, verum est.* & paulò post. Qui proalijs mortem obire consueuerunt, eligunt magnum quoddam honestum sibi ipsis. Ità etiam sentiunt D. August. Hieron. Ambros. locis supra citatis. Franciscus à Victoria in relectione de homicidio, num. 24. D. Thomas in 3. dist. 29. quæst. vnica art. 5. ad 3. & 2. 2. quæst. 26. art. 4. ad 2. ait enim licere pati detrimentum corporale propter amicum, Abulensis ad cap. 22. Matth. quæst. 305.

Aristot.

Obiectio.

Obijcies 1. quilibet magis debet amare seipsum quàm proximum; atqui si quis vitam nomine proximi perdat, iam proximum magis diligit quàm seipsum, vt apertè docet D. August. lib. de mendacio, cap. 6. *Si quis vitam temporalem pro alterius vita temporali exponat, iam non diligit proximum sicut seipsum, sed plusquam seipsum. Quod sane regulam doctrinæ excedit.*

D. August.

Solutio.

Resp. diuersam esse rationem proximi & amici qui propter solam honestatem diligitur; non enim propter quemcumque proximum, sed propter amicum oppetere mortem licet, & item in gratiam patriæ, idque ob causam proximè explicatam; nam si secus fiat id nullo modo licet extra necessitatem, vt rectè probat argumentum: Augustinus ergo loquitur de proximo in communi, non autem de eo qui proximus est simul & amicus.

Obiectio 2.

Obijcies 2. Dentur duo qui naufragio minus firmo & tuto vehantur, aduertántque sibi vnà moriendum esse, nisi alter pereat, tunc si liceret mori pro amico, liceret quoque se præcipitem dare in fluctus.

Solutio.

Respondeo concesso antecedente, negando consequutionem: nam aliud est sibi ipsi violentas manus inferre, aliud verò sese euidenti mortis periculo obijcere: illud primum nulli licet: quoniam nefas est de statione & præsidio vitæ inconsulto imperatore discedere, id est, Deo: nos autem sumus custodes, non domini vitæ propriæ; hoc autem postremum licet cuiuis in gratiam amici aut communitatis præstare, quoniam quamuis se exponat euidenti periculo mortis, non tamen seipsum occidit.

Solutio 2.

Respondeo 2. esse qui sentiant si tabula aliqua simul & semel accipiatur à duobus amicis naufragium patientibus, non posse alterum illorum in gratiam alterius deserere, etiam si videant sibi vnà moriendum: alij verò contrà putant id esse licitum, quorum opinionem puto esse probabiliorem.

Nam qui tabulam in gratiam amici deserit non intendit naufragium proprium, sed sperat, aut enatando posse propriam vitam conseruare, aut Deum tibi speciali auxilio affuturum, quò mortis periculum euadat.

Deinde, maius malum est duos vnà perire, quàm vnum; cùm ergo possit hic amico consu-

lere deferendo tabulam, non videtur cur id licitum eſſe negemus. A

Tertiò, quia dam aduertunt nautæ nauim ità periclitari vt fere aqua impleatur, non deſunt qui vndis ſe præcipites committunt, quatenus aut non omnes ſimul pereant, aut aliqua alia ratione vitam ſeruent, quod tamen à nullis improbatur.

Quartò, quoniam ſi nauis ità onuſta eſſet hominibus, vt aut neceſſariò eſſent aliqui deijciendi in mare, aut omnes omnino perituri, liceret mittere ſortem inter illos, atque illi poſſent deijci ab alijs in quos ſors cecidiſſet, quod factitatum in Iona legimus, Ionæ cap. 1. ergo ſi id liceat poſita ſorte, & ſinè ſorte licebit.

Quintò, docent multi, quòd ſi detur aliquis qui B habeat panes neceſſarios ad vitam propriam ſuſtentandam, aduertat tamen aut coniugem, aut patrem, aut filios in eadem neceſſitate vltima conſtitutos, licere dare panem parenti, aut filijs quem habebat, & ſciebat ſibi eſſe neceſſarium ad propriam vitam conſeruandam, & diutius prorogandam.

DVBITATIO VLTIMA.

An vnus proximus ſit alio magis diligendus, & ſi ita, qui ſint illi.

Meliores magis diligendi.

CONCLVSIO 1. *Meliores & Deo magis coniuncti ſunt præ alijs ex charitate diligendi, ita vt illis maius bonum optetur; conſanguinei vero maiori affectu & teneriori ſunt proſequendi: quamuis quilibet poſſit maiorem gratiam & gloriam in futurum exoptare quibuſuis alijs etiam optimis & Deo maximè coniunctis.* Primùm, quia ità docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art. 7. in corpore quoad omnes partes. Prima autem probatur hac vnica ratione: Ille eſt magis diligendus qui eſt magis coniunctus cum obiecto præcipuo charitatis, quod diximus eſſe Deum, vt eſt ſummum bonum in ſe, & propter ſe diligibile; atqui conſanguinei non ità coniunguntur Deo ac illi vt ſupponimus: ergo non ſunt ità diligendi. D

Deinde, maius bonum magis etiam eſt diligendum; atqui in ijs qui Deo magis coniunguntur maius eſt bonum quam in conſanguineis, vt ſupponimus.

Tertiò, quæcumque amamus ex charitate, in ordine ad Deum diligimus: ergo quæ magis accedunt ad Deum, & quæ intimiùs illi vniuntur præ ceteris quoque amanda ſunt.

Secunda vero pars probatur. Intenſio dilectionis eſt attendenda per ordinem & comparationem ad eum qui diligit: ergo cùm propinqui magis nobis coniungantur, magis etiam intensè diligentur.

Deinde, ea quæ ſenſibus externis percipiuntur E magis mouent nos, quàm ea quæ ſunt ab iiſdem ſenſibus remotiora, quamuis ſint hæc ordinis ſupernaturalis.

Tertia verò particula probatur: quoniam illa videntur licita quæ non ſunt contra ordinem charitatis; atqui quando parentibus maiorem gratiam & gloriam exoptamus, non facimus contra ordinem charitatis; ſupponimus enim quòd mereantur illa.

Deinde, exoptatur maior gratia & gloria illis dum adhuc ſunt in hac vita, non autem dum ſunt in cœlis.

Demum, in temporalibus quilibet noſtrùm magis obligatur ad ſuccurrendum ſuis quàm exteris: ergo ſimiliter in ſpiritualibus fas mihi erit maiorem gratiam & gloriam exoptare parentibus.

CONCLVSIO 2. *Qui magis in bonis aliquibus coniunguntur, iis ſunt magis diligendi, in ordine tamen ad hæc bona in quibus magis conueniunt.* Probatur primum: quoniam intenſio dilectionis eſt ex coniunctione diligentis ad diligentem; at maior eſt coniunctio, vt ſupponimus, inter iſtos duos, quàm ſit inter eoſdem, & Petrum: ergo. *Quando magis boni amanda.*

Deinde, maius bonum eſt etiam maiori amore proſequendum.

Tertio, ex ſententia Ariſtotelis lib. 9. Ethic. cap. 2. Quod vnicuique proprium eſt & peculiare, illud eſt etiam quibuſuis tribuendum: ergo cùm maius inſit fundamentum dilectionis in iſtis quàm alijs, maior quoque amicitia iiſdem inerit.

Ex hac autem Concluſione ſequitur primò, beneficia Eccleſiaſtica prius eſſe concedenda digniori, quàm affini aut parenti minùs digno; conferenda beneficia namque non ſanguini, ſed virtuti debentur, vt apertè colligitur ex praxi noui & veteris Teſtamenti: Chriſtus enim principatum D. Petro, Matth. 16. & Ioan. 20. non autem D. Ioanni & Iacobo conſobrinis contulit: & Moyſes principatum populi non filijs & liberis, ſed Ioſue veluti homini fortiſſimo & bellicoſiſſimo dedit, vt conſtat ex Deuter. Aaron præponitur Heli 1. Reg. 2. & Eccleſ. 45. dicitur de illo: *Statuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi ſacerdotium gentis: & beatificauit illum in gloria, & circumcinxit eum zona gloriæ, & coronauit eum in vaſis virtutis.* ità etiam ſentiunt Caſuiſtæ, Sotus de iuſtitia & iure lib. 3. quæſt. 6. & lib. 4. quæſt. 6. Nauar. cap. 16. num. 69. Adrian. in 4. de reſtitutione, in materia de collatione beneficiorum. Salon in 2. 2. D. Thomæ quæſt. 63. art. 4. controuerſia 4. Concluſ. 1. & ſequentibus. *Corollar. 1.*

Sequitur 2. Socio periclitanti in bello potiùs fauendum quàm fratri hoſti, & aduerſario. *Corollar. 2.*

Dices, conſanguinei ſunt magis diligendi quàm non conſanguinei: ergo cùm frater periclitetur in bello, potiùs illi quam ſocio item periclitanti ſubueniendum erit. *Obiectio.*

Reſpondeo, fratrem duobus modis poſſe conſiderari: primò vt frater eſt: deinde vt hoſtis & aduerſarius ſocij in bello & totius exercitus: ſi frater ſpectetur priori modo, illi potiùs quàm ſocio in bello ſuccurrendum eſſet; ſi autem poſteriori, nequaquam. Itaque ceteris paribus proximi ſunt ſemper magis diligendi in ordine ſaltem ad bona temporalia, in caſu tamen propoſito minimè: nam bonum maius eſt conſeruare exercitum ſanum & integrum, quàm conſeruare fratrem hoſtem & vniuerſo exercitui infeſtum: quemadmodum etiam minus malum eſt pati fratrem aduerſarium exercitui aut ſocio in bello perire, quàm ſit pati exitium totius exercitus. *Solutio.*

Sequitur 3. parentibus & conſanguineis bona temporalia eſſe potius danda, quam alijs, niſi quid aliud obſtet. *Corollar. 3.*

Quartò, conſanguineos magis eſſe diligendos tum quoad bona temporalia, tum quoad ſpiritualia, quàm non affines & non conſanguineos, ceteris paribus. Probatur: nam conſanguinei magis ſunt coniuncti diligenti, & vtraque hæc bona pertinent ad coniunctionem conſanguineorum. *4.*

Quintò, inter propinquos, magis eſſe diligen-

Digitized by Google

dos propinquiores in ordine ad vtrumque bonum ſpirituale, & temporale, quàm minus propinquos, vt putà magis patrem quàm auunculum aut nepotem; iſti etiam magis diligenti coniunguntur, quam alij, vt colligitur ex D. Thom. art. 8.

6. Sextò, quoad bona ſpiritualia ſequitur ex hac eadem Concluſione magis eos eſſe diligendos, qui ità coniuncti ſunt ſecundum gratiam cum diligente, vt ſint eius filij ſpirituales vel parentes, quam quoſlibet alios conſanguineos. Primùm, quoniam iſti quoad bona ſpiritualia magis ſunt coniuncti inter ſe, ſimpliciter & abſolute loquendo, quàm ſint affines aut conſanguinei.

7. Septimò, ſequitur nullum prorſus quamtumuis amicum eſſe plus quàm patrem aut matrem, ſiue in ordine ad ſpiritualia, ſiue in ordine ad temporalia diligendum, licèt ille huiuſmodi hominis ſit ſaluator, vtpote quòd illum à morte liberauerit. Ità D. Thomas art. 3. ad 3. & videtur colligi ex Ariſtot. lib. 8. Ethic. cap. vltimo, quo loco ait, Dijs, Parentibus, & Magiſtris æqualens reddi non poſſe: & cap. 2. lib. 9. ait filium honeſtius ſubuenire parenti, quàm ſibiipſi: Ità etiam ſentit D. Hierony. ad cap. 44. Ezechielis. Deinde, probatur hac vnica ratione. Ille eſt magis ex charitate diligendus tum in ordine ad bona temporalia, tum ſpiritualia qui nobis maiori, & arctiori vinculo colligatur; atqui parentes ſeu progenitores, magis intimè coniunguntur cum filijs, quàm iſti cum quibuſuis alijs amicis, vt patet, cùm eſſe quod habent à parentibus acceperint: ergo &c. Hæc autem intelligenda ſunt ſimpliciter & abſolutè loquendo; nam ex circumſtantia aliqua fieri poteſt vt amicus aliquis ſingularis, magis ſit diligendus quàm pater, vt in eo caſu quo al[illegible] delertus fuiſſet à parentibus, exheredatus nimè vlla prorſus culpa; fuiſſet autem ab amico rectè inſtitutus, & educatus in bonis moribus & litteris, &c. In iſtis autem & alijs multis caſibus in quibus contingere poteſt magis amandum eſſe vnum quàm alium, neceſſarium eſt iudicium viri ſapientis & prudentis quatenus, perſpectis & diligenter conſideratis omnibus circumſtantijs, ſtatuat & decernat qui magis, quiue minùs ſint diligendi.

Filius ex parte ſubiecti magis diligendus quam pater.

CONCLVSIO 3. *Ex parte ſubiecti magis eſt diligendus filius, quàm pater; ex parte verò obiecti pater magis quàm filius.* Probatur prima pars. Primùm, quoniam parentes tenentur theſaurizare filijs, non autem filij parentibus, vt author eſt Apoſtolus 2. Corinth. 12. Deinde, filius eſt aliqua pars, portio, ſeu deriuatio ſubſtantiæ patris, vt loquitur Tertul. de filio Dei.

Tertiò, parentes longiùs diutiùſque multò amant filios, quàm filij parentes, vt conſtat experientia, & aduertit D. Thomas art. 9. atque ex conſequenti firmiùs.

Quartò, amor ſemper deſcendit, nuſquam verò aſcendit cum tanta animi propenſione, vt experientia compertum eſt.

Quinto, pater tenetur educare filium quem genuit, & informare in ijs quæ ſunt fidei, & morum.

Ex parte obiecti pater magis amandus quam filius. Exod. 20. ℣. 12.

Secunda verò pars probatur. Primùm, quoniam obligatio filij erga patrem eſt prior & antiquior ea obligatione, quam habet filius ad ſuos filios. Deinde, maiorem debet filius impendere reuerentiam parenti quàm filijs, vt colligitur ex cap. 20. Exodi. Matth. 15. *Honora patrem & matrem vt ſis longæuus ſuper terram*: ergo ex parte obiecti magis amandus pater quàm filius.

CONCLVSIO 4. *Tenetur homo magis amare patrem quam matrem per ſe; nam per accidens fieri poteſt vt magis teneatur ad hanc, quam ad illum.* *Magis diligendus per ſe pater quam mater.*

Probatur: Tota ratio cur pater & mater amentur eſt, quia pater & mater ſunt cauſæ efficientes filij; at pater nobiliori modo concurrit ad productionem filij, quàm mater: ergo & magis diligendus.

CONCLVSIO 5. *Ratione obiecti & boni Parentes & quod diligitur, amandi ſunt magis parentes, quam coniuges diconiuges; ratione verò ſubiecti & coniunctionis cum vterſimode amante, magis amandi ſunt coniuges quam parentes, magis dilegendi.*

Probatur prima pars. Parentes ſunt maius & melius aliquod bonum, quàm ſint coniuges.

Deinde, ità ſentit D. Hieron. in cap. 44. Ezech. poſt Deum omnium patrem, diligi debere patrem naturalem, deinde matrem. *Poſt verum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur & mater, filius & filia, frater & ſoror.*

Secunda verò pars probatur ex cap. 2. Geneſ. Geneſ. 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* ℣. 23. Matth. 19. *Propter hoc dimittet homo patrem*, & Matth. 19. *matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* maior item reuerentia parentibus eſt exhibenda; intenſiùs autem ſunt diligendi coniuges. Idem eſt iudicium de benefactore & beneficiato; ratione namque obiecti magis diligitur benefactor; ratione verò coniunctionis beneficiatus.

CONCLVSIO VLTIMA. *Ordo charitatis Manebit in perſeuerabit in cælis.* *cælis ordo charitatis.* Deus enim plus ceteris & quibuſuis alijs diligetur ab homine: homines autem ſimpliciter & abſolutè loquendo magis amabunt meliores etiam quàm ſeipſos, in ordine ad bonum, quod illis & nobis volumus. Intenſiùs tamen poterit aliquis ſeipſum quàm meliorem diligere: cuius rei hæc aſſignatur cauſa, quoniam voluntas beatorum eſt in omnibus conformis voluntati diuinæ; cùm ergo Deus propter merita tantum præmium contulerit huic, nos etiam tantum bonum eidem exoptabimus. Secundi verò hæc redditur ratio: cauſa maioris & intenſioris charitatis eſt maior vnio & coniunctio; ſed quilibet ſibiipſi magis coniunctus eſt quàm alteri: ergo plus poterit ſeipſum diligere. Ità D. Thomas art. 13. addit tamen quod inter proximos ſimpliciter & abſolutè loquendo meliores vtroque modo magis diligentur; quamuis fieri poſſit vt qui ſunt magis coniuncti nobis pluribus modis, quàm qui ſunt meliores, magis à nobis amentur.

QVÆSTIO XXVII.

De principali actu Charitatis qui eſt dilectio.

ARTICVLO 1. & 2. docet actum præcipuum charitatis, quem ait eſſe dilectionem, magis dicere actionem quàm paſſionem; ità vt illi magis conueniat amare quàm paſſim amari. Docet præterea huiuſmodi actum præcipuum charitatis actiuè conſideratum non eſſe benuolentiam

Actus charitatis præcipuus charitatis actionem magis imponem quàm paſſionem; tat actionē quàm paſſim. ſionem.

Digitized by Google

lentiam nudè & simpliciter, sed benevolentiam cum quadam affectus vnione erga rem amatam: hæc autem vnio affectus posita est in eo quòd velimus bonum rei dilectæ, existimantes illud quodammodo ad nos pertinere, ac aliquo modo nostrum. Hæc autem facilè probari possunt. Primùm quidem, quoniam charitas amicitia quædam est; at amicitiæ magis convenit amare, quam amari, vt author est Aristot. 8. Ethic. cap. 8.

Deinde, charitas habitus quidam operativus est; perficit enim voluntatem in actionibus dilectionis.

Tertiò, actus proprius frigoris est frigefacere, siccitatis exsiccare; minùs verò proprius & quasi secundarius condensare.

Quartò, quando aliquis amatur propter charitatem quam habet, charitas, vt charitas est formaliter loquendo, non est causa huius amoris, sed tantùm vt bonum aliquod est quod reddit hominem amabilem.

Actus charitatis non est nudè benevolentia.

Quòd verò actus præcipuus charitatis actiuè consideratus non sit benevolentia simpliciter probatur. Primùm, quoniam Aristoteles cap. 4. lib. 9. Ethic. ait benevolentiam neque esse amicitiam, neque amationem, sed amicitiæ principium.

Deinde, quoniam bene volumus interdum alicui, quem non plenè amamus; vt si aduertamus duos ignotos nobis inter se digladiari, fieri potest vt vnum potius quam alium velimus esse victorem, quorum tamen neutrum perfectè dicimur amare.

Tertiò, D. Dionysius ait cap. 4. de diuinis nominibus, amorem esse vnionem.

Obiectio. Dices, amicitiam exigere simpliciter & absolutè redamationem; diximus enim amicitiam esse amorem benevolentiæ mutuum.

Solutio. Respondeo, hæc intelligi de amicitia quatenus amicitia est plenè & integrè; non autem de primo actu charitatis, de quo nos hic contendimus.

Replica. Dices rursus, Aristotelem 2. Rhetor. cap. 4. dicere, amare esse velle alicui bonum.

Dissolvitur. Respondeo, Aristotelem hic non tradere integram & perfectam descriptionem amoris, sed explicare quamdam eius rationem quasi generi-cam: est enim amor benevolentia, non tamen solùm benevolentia, sed cum illa præterea vnione affectus erga rem amatam.

A Quæstione 28. ad 33. inclusiuè differit D. B Thomas de effectibus tam internis quam externis charitatis; inter priores computantur gaudium, pax, beneficentia; inter posteriores verò misericordia, eleemosyna, & correptio fraterna. A 33. autem Quæstione vsq; ad 44. agit sanctus Doctor de vitijs oppositis charitati, odio videlicet, accedia, inuidia, discordia, contentione, schismate, bello, rixa, seditione, scandalo, quæ facilè intelligi possunt apud ipsum, & Petrum de Lorca & Ioannem Maldera. Porro Quæstione 47. aggreditur tractationem de virtutibus quatuor moralibus, prudentia, iustitia, fortitudine, & temperantia; quarum naturam, partes, effectus, vitiaque illis opposita optimo ordine & perspicuè aperit: de C quibus conferendus proinde erit D. Thom. cum interpretibus, inter quos erudite admodum scripserunt Petrus Aragonius integro tomo, Michaël Salon duobus voluminibus de iustitia ambo nostri instituti & Professores publici, prior Salmanticæ, posterior Valentiæ, Ioannes item Maldera nominatus paulò ante, & alij.

Hactenus paucula dicta de tribus virtutibus Theologicis, fide, spe, & charitate. Quæ verò ad quatuor trito & vulgari vocabulo Cardinales appellatas spectant, vel quia multa in philosophia morali, vel ab allegatis Doctoribus paulò ante, vel etiam à Iurisconsultis, præsertim de iure & iustitia pertractari ex professo solent, vel maiori ex parte legenti cuique peruia sunt, consultò omitto. Interim autem tam quæ circa Secundam hanc Secundæ Doctoris Angelici, quàm alias partes disseruimus, sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ censuræ, nec non Doctorum virorum & superiorum iudicio & correctioni libentissimè subijcio. Cedat in gloriam Dei, Opt. Max. laudem D. V. M. Piet.

P. August. & S. Nicolai Tolent.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-2

Digitized by Google